ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/collegiisalmanti0000vari_u9n6

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

COLLEGII

SALMANTICENSIS

CARMELITARUM

DISCALCEATORUM

CURSUS THEOLOGICUS

ANICII. — EX TYPIS M.-P. MARCHESSOU.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

COLLEGII

SALMANTICENSIS

FR. DISCALCEATORUM

B. MARIÆ DE MONTE CARMELI

Parenti suo Eliæ consecrati,

CURSUS THEOLOGICUS

Summam Theologicam Angelici Doctoris D. Thomæ complectens.

TOMUS PRIMUS

In primam partem, ac juxta miram ejusdem Angelici Præceptoris doctrinam, et omnino consone ad eam quam Complutense Collegium ejusdem Ordinis in suo Artium Cursu tradit.

ILLUSTRISS. ac REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI D. D.

CAROLO AMABILI DE LA TOUR-D'AUVERGNE-LAURAGUAIS

ARCHIEPISCOPO BITURICENSI

DICATUS.

EDITIO NOVA, CORRECTA

GRADUATES THEOLOGICAL UNION LIBRARY 1962

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY
GRAND SEMINAIRE BIBLIOTHÈQUE DES PROFESSEURS LAVAL
ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PARISIIS

APUD VICTOREM PALME, BIBLIOPOLAM

ROMÆ

LIBRARIA S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

Socio Eq. MARIETTI, administratore.

—

1870

BX
1751
52
1870
v.1

PRÆLOQUIUM EDITORIS

Cursus theologicus Salmanticensis, auctore collegio Patrum Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo primitivæ observantiæ, inchoatus anno 1630, plumbeis passibus metam attigit anno 1701. Quod tam serotinum per septuaginta annos progressum fecerit, causa fuit ipsa Operis magnitudo. Oportebat namque gravissimas theologiæ quæstiones non perfunctorie delibare, sed sedulo introspicere, maturoque consilio decidere. Nulla hic compilata, vel mutuata, nulla usurpata aliunde; sed universa ex Divi Thomæ purissimo fonte immediate emanarunt; plurima denuo alte excogitata, subtiliter discussa, viriliter propugnata. In lumine cœlestis gratiæ constituti prædicti collegii Patres, amicabili fœdere uniti, dum sanctissimum Thomam illustrandum, propugnandumque susceperunt, totius Ecclesiæ causam egerunt. Operis vestibula, sive frontes, a primo tomo ad ultimum, solius collegii nomine inscribuntur, ita ut auctorum personæ et nomina nos omnino laterent, nisi aliunde proditi essent. P. *Antonium a Matre Dei,* qui tres priores tomos confecit, prodidit Caramuel (*Polit. Dominic.*, lib VII, c. 6). Duos alios ejusdem Cursus auctores, recensos habes in *Historia Ordini Carmelitici* (tom. IV, lib XVIII, cap. 60).

Ac 2567

Augebat difficultatem ipsamet auctorum, et subinde ingeniorum varietas. Quod plurimum addidit, laboris et attentionis, ne circa vel minima in eodem Opere discolor ulla dissonantia reperiretur. Etsi enim omnes hujus Cursus auctores fuerint fidelissimi Divi Thomæ discipuli, nihilominus cordialis ipse discipulatus aliquas varietates permittit circa intelligentiam Doctori. Unde ad vitandum cujuslibet discordiæ speciem, auctores sæpe numero obligabantur consulere non solum D. Thomam, sed rimari etiam suorum prædecessorum intentionem, et replere ideas. Sed tandem, adfavente Deo, superatis difficultatibus, Cursus ad extremam lineam pervenit. In illo enim, præter ditissimam locorum sacræ Scripturæ, Conciliorum et sanctorum Patrum supellectilem, præter rerum ordinem, quem continet admirabilem, præter profunditatem rationum, tam admirabili consonantia omnia a primis elementis usque ad apicem sibi ipsis correspondent, ut scribentium manus videatur ipsissima.

Qui igitur Thomisticæ doctrinæ limpidissimo lacte refici desiderat, Opus hoc sedulo consulat. Inter omnes eosque insignes scholasticos, nullum reperies, qui Divi Thomæ placita nitatur circumspicere attentius, probare nervosius, fulcire validius, defendere potentius; nullum, qui obstantibus in contra rationibus satisfaciat plenius, respondeat acutius; nullum, qui fallaces argumentationes detegat clarius, infringat facilius. Eximia ista commentaria sic divinum D. Thomæ ingenium in omnibus redolent; sic ejus mentem ad vivum in cunctis exaratam, et expressam relinquunt, ut mirari debeamus sublimia et acutissima ingenia Patrum collegii Salmanticensis, et venerari immensos assiduosque in explicandis difficultatibus theologicis labores, et investigationes plurimas ad inveniendam veram, puram et genuinam Divi Thomæ sententiam.

Nec minus laudanda censoria vis, et aquilina acies ad discernendum inter veros, et fictos, falsos, ac larvatos D. Thomæ discipulos .Etenim

eo tempore quo exaratum fuit Opus Salmantinum, dum aliqui, extra scholam Angelicam, verissimas S. Thomæ sententias totis viribus refellere nitebantur, alii dolo subruere, ac falso interpretandi genere corrumpere studebant, pessimum sane hostium genus, qui simulata amicitia gravius nocebant, quam bellum professi. Licet vero e Prædicatorum familia plurimi eorum impetus repressissent, aut detexissent insidias, minus fidem faciebant apud quosdam qui sibi hoc falso persuadebant, Dominicanos in eas interpretationes et sententias D. Thomæ, necessitate quadam, ac vi suarum legum adigi. Sed hos veluti obices, qui veræ doctrinæ incrementa retardabant, Patres Salmanticenses effregerunt his libris quibus quidquid solidi ac veræ doctrinæ Thomisticæ assertores scripsere, mira brevitate, facili methodo collectum habes.

Rectissimum proinde Joannis Caramuelis judicium : « Salmanticensi « Theologiæ Cursui Thomisticæ sententiæ alias probabiles debent, quod « sint inexpugnabiles, securæ et certæ. (*Comment. ad regulam S. Benedicti*, quæst. 34, num. 345.)

Nil mirum idcirco, si ab illo tempore nullus hujus molis theologicus cursus in Ecclesia de novo prodierit, scholarumque controversiæ propemodum siluerint.

Integrum Opus viginti quatuor tractatibus constat, scilicet : Tractatus I. De principio individuationis substantiæ materialis, et accidentium ejus. Tractatus II. De visione Dei. Tractatus III. De scientia Dei. Tractatus IV. De voluntate Dei. Tractatus V. De prædestinatione et reprobatione. Tractatus VI. De Trinitate, in XIX disputationes divisus. Tractatus VII. De Angelis, cum XIII disput. Tractatus VIII. De ultimo fine. Tractatus IX. De beatitudine. Tractatus X. De voluntario et involuntario. Tractatus XI. De bonitate et malitia humanorum actuum. Tractatus XII. De virtutibus in communi et arbor prædicamentalis, sive generalis divisio

omnium virtutum usque ad infimas species. Tractatus XIII. De vitiis et peccatis, in XIX disput. divisus. Tractatus XIV. De gratia Dei. Tractatus XV. De justificatione. Tractatus XVI. De merito. Tractatus XVII. De fide. Tractatus XVIII. De spe. Tractatus XIX. De charitate. Tractatus XX. De statu religioso in communi. Tractatus XXI. De Incarnatione, duos integros tomos complectens et triginta octo disputationes. Tractatus XXII. De sacramentis in genere. Tractatus XXIII. De sanctissimo Eucharistiæ sacramento. Tractatus XXIV. De virtute pœnitentiæ et sacramento.

In omnibus iis tractationibus Cursus Salmanticensis fructuosam sanctorum Patrum doctrinam redolet, præcipue vero S. Augustini et S. Thomæ mentem ad vivum exprimit. Humanarum atque divinarum peritia litterarum incomparabilis, dicendi genus ornatum, disciplina singularis ex abditis theologiæ penetralibus accepta atque deprompta; methodus claritati et proprietati omnino consulens, sicut nullam rem e suo loco deturbat, nullam extra rem vocat; omnia suis locis prudenter aptata, intellectum manu ducunt ad optatum vestigationis terminum.

Scribebam Parisiis pridie kalendas Decembris 1871,

VICTOR PALMÉ.

APPROBATIONES & MONITA

INITIO SINGULORUM TOMORUM PRÆFIXA

TOMUS PRIMUS

D. THOMÆ AQUINATI,

DOCTORI ANGELICO,

ECCLESIÆ FULGENTISSIMO SIDERI, S. THEOLOGIÆ PRIMARIO LUMINI, VERITATIS VERE MAGISTRO,

COLLEGIUM SALMANTICENSE

Sanctissimi vatis Eliæ Carmelitarum Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli.

O. D. C.

In Lampadrodomico certamine a Promethæo instituto lusit antiquitas, non illuxit. In quo Lampadophorori lampades manibus ferentes, certatim currebant; si tamen lampadem inexstinctam, metam usque non pertulissent, eam alteri tradere moris erat. *Hinc lampada cursu tradere* in proverbio est. *Nunc cursu lampada tibi trado* (inquit Varro) (1), quo significaret, se alteram sermonis partem Merulæ tradere, ut is in dicendi vicem succederet. Quorsum hæc? Cucurrerunt Lampadophorori nostri Complutenses, ex instituto Majorum, suo illo philosophico cursu, te splendidissimam Ecclesiæ lampadem (o Sol Angelice) manibus gestantes, imo præferentes : te namque duce, te luce ad te inoffenso, nudo licet pede, tamquam ad metam sui cursus feliciter pervenere. En te lampadem, non quidem exstinctam, sed pro viribus illustratam, *cursu nobis tradunt*, Theologici in stadio cursus iterum manibus, oculis, calamo, præferendam. Te ambabus ulnis suscipit Salmantinum Discalceatorum Collegium sanctissimo Vati ELIÆ Carmeli Protoparenti, Monastici instituti Protopatriarchæ sacratum. Te Seraphicæ THERESIÆ Virginis, orationis Magistræ Salmantina proles corde complectitur. Fausto (ut auguramur) omine, Elias namque (inquit Chrysostomus) (2) græco idiomate Solem sonat, igneoque curru, equisque flammantibus in cœlum tranvectus, quasi fons luminis ignita lumina filiis dispensat. Theresia Albæ sidus, id est stella matutina, Hispaniæ decus, orbis lumen, Ecclesiæ illuminatrix, prudentissima virgo, quo lampadem, Sponso cœlesti in finem usque mundi vivida luce fulgidam, jugiter inexstinctam conservaret, non solum oleum in vase provida dispensatione reposuit, sed (quod mirum, notumque toti orbi est) virgineum corpus perennem miraculosi olei fontem proficuis scaturiginibus ebullientem esse, a cœlesti Sponso, illi gratissima, obtinere promeruit. Igitur ut lumini, et oleo superabundantissimo tuæ fulgentissimæ lampadis lumen, et oleum addamus, et lumen, et oleum præ manibus nobis est; alterum cœleste, miraculosum alterum, alterum domi, alterum prope. Domi siqui-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

(1) Varro lib. III, *de re rustica*, c. 16. — (2) *Serm.* 3 *de Ascensione Eliæ*.

dem ignei parentis Eliæ (vere Helios) in cœlum evolantis cœleste lumen nobis affulget : oleum miraculosum e Sanctissimæ Theresiæ corporis fonte divite vena scaturiens Alba Salmanticæ vicinum oppidum, quasi de proximo subministrat. Concreditam jam nobis (o Theologiæ sidus), tuæ doctrinæ lampadem fulgentissimam, manibus acceptam nostris a primo limine cursus Theologici, quem aggredimur, usque ad ultimam lineam, seu cursus metam, Elia admovente cœleste lumen, Theresia infundente virgineum oleum, quam accensam accepimus, præfulgidam perlaturos speramus, si tamen sic nobis affulgeas, ut fulgeas omnibus. Nebulam offundere tuæ splendidissimæ doctrinæ radiis, quantumvis minimi, quantumvis pauperculi, et nudis incedentes pedibus minime formidamus : ut enim inquit Ambrosius : *Ideo fortasse Apostoli nudis mittuntur pedibus, ne obumbretur eorum disputatio, sed elucceat* (1). Nec nudis licet pedibus curramus tuo freti ductu, offendiculum pertimescimus : te namque præeunte, via alioqui difficilis, aspera, difficultatibus plena, stratur, dirigitur, complanatur, ac pervia redditur, et jucunda, ad quam velociter currendam, et percurrendam feliciter, nuditas pedum, affectuum scilicet animi, quam corporis nuditas indigitat, non officit, sed proficit. *Induto summo Sacerdoti* (inquit Nyssenus) *nullum calceamentum imponitur, ne tardior ad currendum sit, aut vix mobilis, pelles secum trahens animalium mortuorum : nam impedimento calceamenta fuerunt Moysi, cum ad ardentem rubum accederet* (2). Ardentem rubum plus mysteriis fidei divinæ, quam flammis inaccessum, te ductore, nudis pedibus adire contendimus. In Sancta Sanctorum arcanorum sacræ Theologiæ, te doctore, excalceati reverenter aggredimur introire. Nec adversantium ventorum flatum, nec multarum irruentium aquarum impetum formidantes, lampadem nostram, tuam, omnium manibus gestaturi : lampadem nempe tuæ angelicæ doctrinæ *lampadem ignis, atque flammarum, ignis* (inquam) qui aquarum impetu vividius accenditur; *flammarum* (3), quæ adverso flante vento vehementius exardescunt, quinimo cum (ut ex Septuaginta legit Ambrosius) *alæ ejus, alæ sint ignis, atque flammarum* (4), dum lampadem manibus sumimus ut curramus, non solum calamos, quibus scribamus, accipimus, sed etiam alas igneas, quibus jam non currere, sed fulgide volare possimus, obtinemus, alas, sub quibus protecti, lucem pariter, et umbram nacti (quia lux, quoad patrocinium attinet, etiam obumbrat) illuminatione, et patrocinio perfruimur; ut ad destinatum veritatis adipiscendæ bravium sub inconcusso veritatis Magistro strenue contendamus, perveniamus feliciter. A te ergo accipimus, quod tibi offerimus. Tua tibi rependimus. Ut nostra non despicias, aspicias tua. Ut tuis fave. Ut tua fove, quo sub tanti cœlestis jam Solis benigno aspectu Carmelus noster Salmantinus uberiora divinæ sapientiæ incrementa in dies, annuente Deo, tibi, et Ecclesiæ progerminet.

FACULTAS ORDINIS.

Fr. Joannes a Spiritu Sancto, Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, de consensu nostri Diffinitorii, ut liber, cujus titulus est : *Cursus Theologicus Carmelitarum Discalceatorum, Summam Theologicam Doctoris Angelici complectens*, a Collegio *nostro Salmanticensi accurate compositus*, et a gravioribus, doctisque viris nostri Ordinis (quibus ipsum videndum, et examinandum commisimus) recognitus, et approbatus typis mandetur, et in lucem prodeat, obtenta facultate Ordinarii, ac Supremi Senatus, tenore præsentium licentiam concedimus. In quorum fidem præsentes manu nostra, ac Secretarii nomine subscriptas fieri jussimus, in hoc nostro Conventu Matritensi, die secunda Februarii 1630.

Fr. Joannes a Spiritu Sancto, *Generalis.*

Fr. Joseph a Matre Dei, Secretarius.

(1) Ambros. *serm.* 27 *in psal.* 118.—(2) *Lib. de vita Moys.*—(3) *Cant.* 8.—(4) *Serm* 19 *in psal.* 118.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

El Licenciado Saldana Provisor y Vicario General, en la Ciudad y Obispado de Salamanca, por su Senoria Don Antonio Corrionero Obispo del dicho Obispado, del Consejo del Rey nuestro Senor, etc. Por la presente damos licencia à qualquier impressor, para que pueda imprimir un libro intitulado : Curso Theologico sobre las partes de Santo Thomas, compuesto per los Lectores del Colegio de San Elias de Salamanca, de los Carmelitas Descalzos, atento que esta visto y examinado, y no contiene cosa contra nuestra Santa Fe Catholica, fin que por ello incurra en pena alguna; guardando las prematicas Reales. Dada en Salamanca à 20 de Junio de 1630.

El Licenciado Saldana.

Por su mandado :

Anacleto Delencina.

APPROBATIO HUJUS OPERIS

Per R. P. Magistrum Fratrem Gasparem a Regibus, Cathedræ Sancti Thomæ in alma Salmanticensi Academia moderatorem dignissimum.

Pulchrum, ac præclarum Opus hoc, cui titulus est : *Collegii Salmanticensis S. Eliæ Prophetæ, Fratrum Discalceatorum B. Mariæ de Monte Carmeli, Cursus Theologicus Summam Theologicam Doctoris Angelici complectens*, ex commissione Domini D. de Saldana, Vicarii Generalis illustrissimi Domini D. Antonii de Corrionero, Salmanticensis Præsulis, accurate, mature, magnaque voluptate perlegi. Post exactam igitur ejus expensionem, Fidei orthodoxæ, aut bonis moribus neque apicem adversantem inveni, quin potius ubique floridam, ubique fructuosam sanctorum Patrum doctrinam redolet, eorumque verbum bonum eructat, præcipue vero ita divi Augustini, et Angelici Doctoris mentem in omnibus ad vivum exprimit, ita quæ in sacro pectore latitabant, perspicue ostendit, ut utriusque sanctissimi Præceptoris mentis, et pectoris clarissimum videatur speculum, ipsisque dictantibus exaratum, ita utriusque madet doctrina, scatet sententiis, abundat præclaris dictis, ut illud *catenam* quamdam *auream* ex eorum testimoniis recte adductis, acute, et alte perpensis, suisque locis congruenter, et apte dispositis quasi ex quibusdam pretiosissimis gemmis contextam appellare possem et debeam. Ita utriusque antiquissimam doctrinam, nova, et recenti quadam ratione, non quidem aliunde, sed ex eorum visceribus subtilissime exhausta explicat, et exornat, ut totum hoc Opus vetustissima antiquitate, maximaque novitate mirabili quodam nexu inter se cohærentibus plenum appareat, et merito de ejus Opifice illud Matthæi 13 proferri queat, simile esse Patrifamilias, qui *profert de thesauro suo nova, et vetera*. Opus sane excelsum, ac numeris omnibus absolutissimum, omnia in eo pulchra, strenue structa, adamussim perfecta. Hic in excitandis gravissimis quæstionibus non modica cura, in referendis aliorum opinionibus, omnibusque eorum fundamentis summa fidelitas, in refellendis ingens energia, et efficacia, in seligendis sententiis prudens, ac maturum consilium, et quod fructuosius est, in eis clare, atque perspicue (adversantium incursibus nervosissime fractis) enucleandis, et gravissimis rationibus ex sanctis Patribus, præcipue vero D. Thomæ confirmandis maxima præstantia, sic tandem omnia ad unguem, adeo clare, dilucide, acute, profundeque discutiuntur, ut plura, quæ mentem meam hucusque effugerant, nunc intelligere, ac penetrare valeam. Qui igitur thomisticæ doctrinæ, limpidissimo, ac suavissimo lacte refici desiderat, Opus hoc sedulo consulat, sæpeque evolvat; in eo enim angelicæ doctrinæ lactens fons perenniter,

et suaviter fluit; quare non solum censeo dignum esse, ut in utilitatem Ecclesiæ, in hæreticorum damnum, in novitatum eversionem typis mandetur; verum ab hoc doctissimorum Patrum Collegio, ut quantocius reliqua opera ad Cursum hunc Theologicum spectantia in lucem edant, enixe precor. Datis in hoc nostro Collegio Sanctissimæ veræ Crucis, Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, die 20 Junii, anno Domini 1630.

Frater Gaspar a Regibus.

APPROBATIO R. P. M. F. LUDOVICI DE CABRERA,

Prioris S. Philippi Matritensis.

Tomus hic primus Cursus Theologici a religiosissimo Collegio Salmantino Patrum Discalceatorum de Monte Carmeli elaboratus, de mandato Supremi Senatus a me recognitus, nihil continet Sacrosanctæ Fidei, aut bonis moribus adversum; quin potius mirum est, quanta eruditione, ac sapientia, quanto pondere, acumine, et efficacitate rationum; insuper quam mirabili perspicuitate plura in eo reperiantur denuo excogitata, et discussa, et super hæc quam conformiter omnia ad mentem Angelici Doctoris. Quare meritissime in communem utilitatem lucem aspiciet. Ita sentio in Conventu hoc D. Philippi Matritensis, die 6 Augusti 1630.

Frater Luisius Cabrera.

TOMI SECUNDI

PARS PRIOR

D. THOMÆ AQUINATI,

DOCTORI ANGELICO,

ECCLESIÆ FULGENTISSIMO SYDERI, SACRÆ THEOLOGIÆ PRIMARIO LUMINI,
VERITATIS VERE MAGISTRO,

COLLEGIUM SALMANTICENSE

Sanctissimi vatis Eliæ Carmelitarum Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli.

O. D. C.

De industria apum, de supellectili avium (illis ceram, ceu bitumen; isti ceu trabes ministrantibus plumas) Apollini sacratum fuisse templum, antiquitas fabulatur. Figmentata hæc equidem, sed sub commenti umbra, claritas lucis; et sub fictionis cortice, inclusa latet medulla veritatis. Quid enim cera? Quid plumæ? nisi studiosorum stemmata, scribentiumque utensilia? Cera quidem, qua Doctores lampades, et lucernas fovent, quibus insomnes noctes traducunt: plumæ vero, quibus foliis notas, et nomina mandant. Jure ergo hæc stemmata, hæc studiorum adminicula sacrantur Apollini, scientiarum Principi; ut indicetur, studiorum vigilias, scribentium labores, omnia proprio Magistro iri sacrata. Tibi ergo (o Angelice Aquinas) ut Theologiæ Sacræ Didascalo Principi; ut scientiarum omnium Coryphæo primo; ut in sapientiæ emporio Apollini divino? tibi (inquam) apicularum omnium sudor insudat, quæ in Thomistica assidue volitantes Hybla, jam thymi suave olentes divitias; jam roris marini violacea cacumina, ore famelico, et numerosis coxarum villis implicantes, flavum sapientiæ favum enituntur perficere. Tibi etiam volucrum labor omnis laborat, quæ ingeniorum pennis per auream Theologiæ auram in sublime feruntur. Cui enim alii sine injuria tua, sine dedecore suo, volarent volucres, laborarent apes? Cum utrumque genus ex te exortum, quidquid in illis gloriæ est, quidquid decoris; tibi ut a te accepta, referre teneantur. Volucres aquarum esse progeniem (etsi inficientur aliqui) Sacra pagina docet, dum dicit, *Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram.* In quam sententiam inter plures alios ivit Ambrosius. Apes etiam ex bove mortuo oriri experientia attestante testatur natura. Ex te ergo velut e bove quondam adeo muto, ut mortuus crederetur, spiritales apes nascuntur; e tuoque sapientiæ pelago ducunt ortum, quicumque velut volucres, per Sacræ Theologiæ auram, sese ingeniorum pennis præpetibus librant. Tibi ergo debetur et industria apum, et suppellex avium. Igitur, ut vectigal tibi debitum, vigiliarum nostrarum ceram, et pennas, quibus scribimus, consecramus; alteri nolumus, alteri non debemus: tibi soli, quod ex te didicimus, dicamus; tibi, quod ex te exscripsimus, inscribimus; ad te, quod ex te extraximus, trahimus; in nostrique Cursus cursu, si quando aliqua sumus molestia præpediti, instar resectionis putamus Cursu nostro ad tuas manus venire, in quibus, si quid acceperis, donantium utilitas geminabitur. Sic evenit septem nostri Salmanticensis Cursus tractatibus (editis scilicet in 1. tomo quinque; duobus jam nunc lucem aspicientibus) qui Angelica tua manu fulciti, velut Apocalypseos Angeli *(habentis in dextera sua stellas septem, cujus lucebat facies sicut Sol lucet in virtute sua)* majori luce lucent: splendore resplendent, et

fulgore refulgent. Ast si facies Angeli sic resplendet, sicut Sol lucet in virtute sua, qualiter in ejus dextera stellas adeo clare perspicit Joannes, ut non solum videat, sed et distincte computet? Cum enim Phœbus in virtute sua lucet, hoc est, cum radiis vallat frontem meridianis, nitidioriquc crine spargit lucem; tunc fugantur, et obscuranatur stellæ, nec apparent, juxta illud, *Jamque rubescebat stellis Aurora fugatis*. Unde ergo in dextera Angeli adeo sydera micant, ut nec claritate solis obscurentur? Credimus sane, hoc eruditos nancisci, si ad te (o Ecclesiæ luminare majus) accedant, si manibus tuis fulciantur, in quibus eorum adeo geminatur splendor, ut nec nitida Solis facie obnubilari queant. Itaque quod nostri tibi dedicentur labores, quod nostrum tibi insudet ingenium, quod vigiliæ, et scripta nostra tuis offerantur manibus, potius utilitas donantium est, quàm obsequium accipienti: est enim a te accipere, tibi offerre, tuncque ditiores reddimur, cum acceperis quod donamus. Unde munera nostra ne despicias, sed apiculis tuis, quæ in amœno doctrinæ tuæ viridario, fideli stimulo flores emedullant, ut candidum sapientiæ efficiant favum (o utinam absque erice acraton, absque absinthio ambrosium, absque extero spermate virgineum) alas adde, ut cursus sui cursum ocyùs percurrant. Facile enim, si faves, flos doctrinæ tuæ vertetur in alas. *Date flores Moab* (inquit Jerem. 38), *quia florens egredietur*. Ubi Pagninus, et Tygurina habent: *Date alas ipsi Moab, ut ocyssime avolet*. Ecce flores in alas conversos. Vere id in sapientiæ flore accidit, quæ ut nectare ambrosio colligentium animos reficit (ut quod sine fictione didicerunt, sine invidia communicent) illico flores permutantur in pennas, transformantur in calamos, qui superiori crista super æthera volent, et inferiori spiculo, nitidam papyrum perarent. Sic poscimus, sic optamus (si faveant superi) flores, quos ex viridario tuo decerpsimus, in alas converti, et ut Mercurius ille apud Homerum talaria sumebat, quæ ferrent eum *seu super undam, seu super immensam terram auras æquiparantem*. Ita et nos alas assumamus; sic enim et ceram, et plumas, quas tibi, ut Apollini sacro referamus, habebimus, et ocyssimè Cursus nostri metam, non currendo, sed volando potiùs (non tamen celeritate noxia) pertingemus.

FACULTAS ORDINIS.

Frater Stephanus a S. Joseph, Generalis Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli de consensu nostri Diffinitorii; ut liber, cujus titulus est (Cursus Theologicus Carmelitarum Discalceatorum Collegii Salmanticensis, Tomus secundus in 1. part. D. Thomæ) ab eodem Collegio accurate compositus, et a gravioribus, doctisque viris nostri Ordinis (quibus ipsum videndum, et examinandum commisimus) recognitus, et approbatus typis mandetur, et in lucem prodeat, obtenta facultate Ordinarii, ac supremi Senatus; tenore præsentium licentiam concedimus. In quorum fidem præsentes manu nostra, ac Secretarii nostri subscriptas fieri jussimus.

Matriti, die sexta Mensis Februarii, Anni Domini M.DC.XXXVI.

Fr. Stephanus a S. Joseph Generalis.

Fr. Dominicus a Matre Dei Diffinitor, et Secretarius.

FACULTAS, SIMUL ET CENSURA ORDINARII.

Secundus hic tomus Cursus Theologici Religiosissimi pariter, ac sapientissimi Collegii Salmanticensis Sancti Eliæ Patrum Carmelitarum Discalceatorum, tractatum alterum de Trinitate, alterum de Angelis complectens, ut typis procusus in lucem prodeat, libenter concedimus. Quinimmo summopere nobis gratulamur

nostri Episcopalis muneris fuisse, operi prælo, et ævo dignissimo facultate nostra aditum aperire, ut communem lucem et ipsum quammaximam daturum non dubitamus Ecclesiæ sanctæ Dei, litterariæ Reipublicæ, Scholasticæ Theologiæ, et Angelici Præceptoris placitis, dictis, sententiis, quæ adeo ebibit ubertim, humiliter suscipit, suscipit reverenter, fideliter propinat, seriò, et mature seligit, sapienter elucidat, ornat erudite, explanat dilucide, discutit alte, profunde rimatur, sequitur indivulse, fulcit nervose, defensat strenue, viriliter propugnat, feliciter versat ; ut ipso Sanctissimo Præceptore capitis instar dictante, per fidelissimorum horum discipulorum manus exaratum opus videatur. Ut enim verbis Divi Augustini utar : *Nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit, quandoquidem membra ejus, id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt : quid enim de suis factis, et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam suis manibus imperavit* (1). Quod sane mihi Divo Thomæ addictissimo, cujus Angelica doctrina cordi est, et cunctis de Sacra Theologia benemerentibus non potuit non jucundissimum fore. Nec censura dumtaxat sapientissimi Magistri, cui opus recognoscendum dedimus, in qua nihil ultra veritatem, nihil extra merita audet maturus censor; sed etiam, quod vidimus, quod perspeximus, quod manus nostræ contrectaverunt de libro hoc, nos in hanc sententiam pertraxit. Ut enim de luce dixit Divus Ambrosius : *Plus in eo est, quod probetur aspectu, quam quod sermone laudari possit; suo enim utitur testimonio, non suffragio alieno* (2). Quamobrem non possum non fateri, sæpius me in admirationem rapuisse Religiosissimos Patres istos e tam mirabili nudæ paupertatis penu tam copiosam scientiæ supellectilem, e religiosæ austeritatis minime aulicis glebis adeo divitem doctrinæ thesaurum, e jugi, et non intermisso orationis studio, mirum in modum sic elucubrata sapientiæ monumenta deprompsisse. Cæterum verum est illud : *Qui Deo student, nihil non proclive sentiunt, nihil non ex voto consequuntur.* Et ni fallor, Angelicus Præceptor sapientiam a Patre luminum præcipue in oratione, et iciunio haustam, per viros orationis, et austerioris vitæ studiosissimos in posteritatem gaudet transmitti. Quo opere numeris omnibus absoluto non solum communem plausum, quem prior tomus jam expertus est, verum toti Theologico cursui ad umbilicum usque perducto perennitatem ex voto, ex animo, ex merito Senecæ verbis auguramur dicentis : *Sapientiæ vestræ monumenta nulla delebit ætas præsens, et nulla diminuet sequens, ac deinde semper ulterior aliquid ad venerationem conferet* (3). Dat. Salmanticæ in nostro Episcopali Palatio die vigesima septima mensis Septembris. Anno Domini M.DC.XXXVI.

Christophorus Episcopus Salmantinus.

De Mandato Domini mei Episcopi

Didacus de Mendieta.

APPROBATIO R. P. M. F. GASPARIS DE LOS REYES,

In Florentissima Salmanticensi Academia Philosophiæ naturalis Cathedræ digniss. moderatoris.

Preclarum hunc Collegii Salmanticensis secundum Theologici cursus tomum, continentem materiam de Trinitate, diù desideratum, et jam concupiscenti animo præparatum (ex commissione Domini D. Christophori de la Camara Episcopi Salmanticensis) non inferiori voluptate, et cura non impari, atque priorem ejusdem cursus tomum volutavi, et perlegi, cunctas illius paginas, omnes ipsius lineas, uni-

(1) Aug. *de consensu Evangel.* lib. II, c. 35 — (2) D. Ambros. lib. I *Hexam.* cap. 9. — (3) Seneca lib. *de brevitate vitæ* cap. 15.

versosque apices oculorum acie, et præcipue mentis diligentissimæ perlustravi. In illo, quod correctioni obnoxium sit, nihil ; quod in Ecclesiæ, et Thomisticæ doctrinæ candidatorum utilitatem cedat, plurimum reperi. In ipso enim, præter splendidam, et ditissimam locorum sacræ Scripturæ, Conciliorum, et Sanctorum Patrum supellectilem, qua opulentissime locupletatur, præter rerum ordinem, quem continet admirabilem, præter claritatem, subtilitatem, et profunditatem rationum, in quibus ipsius opifices se ipsis quotidie majores effecti, adeo superiora sua commentaria superant, et excedunt, ut merito auctores judicarentur diversissimi, si doctrinæ uniformitas, si styli identitas, si veritatum connexio, si sententiarum consequentia mirabilis non ipsissimos esse comprobarent. Tam admirabili enim consonantia omnia, quæ a primis Dialecticæ elementis usque ad ultimum hujus secundi tomi apicem dicta sunt, sibi ipsis correspondent, tanquam artificiosa harmonia solida fundamenta antea in Philosophicis præjactatum super imposita Theologica mole connectuntur, ut non solum unica vox (ut in priori dicitur tomo) in artium, et Theologiæ personet cursu ; sed etiam scribentium manus prima facie in utroque videatur ipsissima. Præter hæc, inquam, omnia (quæ non inter minima computari debent) illud est, quod omnibus, non solum qui in subselliis sedent, sed etiam qui eminent in orchestra gratissimum futurum esse non dubito : quod scilicet Angelici Præceptoris rationes adeo expenduntur sedulo, adeo enucleantur studiose, adeo trutinantur diligenter, ut illud audeam pro veritate dicere, inter omnes, eosque insignes Scholasticos, quos ego viderim, commentatores nullum esse, qui id, in quo Divi Thomæ placitum nititur, nitatur circumspicere attentius, percalere verius, probare nervosius, fulcire validius, defendere potentiùs : nullum, qui obstantibus in contra alicujus momenti rationibus satisfaciat plenius, respondeat acutius ; nullum, qui fallaces argumentationes detegat clarius, infringat facilius : nullum denique, qui ad genuinam, et veram Divi Thomæ mentem accedat proximiùs : imo aureum hoc opus non solum proxime ad Angelicum Præceptorem accedit, sed intelligibilem etiam identitatem est cum ipso consecutum : quippe, quod non solum ipsius vita vivit, atque informatur spiritu, sed etiam quia ipsius est velut quædam intelligibilis species : nam sicut ista objectum intelligibile reddit, sic opus hoc adeo erudite Divi Thomæ mentem edisserat, ut omnibus pervia, facilis, et intelligibilis proponatur per ipsum ; nihil que sit, quod amplius desiderari possit pro illius explicatione doctrinæ. Et non solum est Angelici Doctoris intelligibilis species, verum etiam ipsius mentis partus, fœtus, et filius, qui perfectam imaginem, et similitudinem sui principii præ se gerens, nihil in eo latitat, quod non actualissime repræsentet. Et sicut de Anthæo filio terræ figmenta olim fabulabatur vetustas, quod scilicet in Herculeo conflictu, quoties matrem contingebat terram, toties vegetiores vires resumebat, et præstantiores, ad horridaque promptior arma resurgebat : sic sane opus hoc, legitimus Angelicæ mentis filius, quo magis ipsum Aquinatem parentem mente contingit et intellectu, oculis, manibusque versat, quo magis ipsius rationes evolvit, quo magis ipsius doctrinæ unitur, eo robustior, et animosior, fortior, et insuperabilior, sicut Libycus ille Anthæus reperitur. In hoc tamen uno felicior isto : nam istum Alcmenæ natus alte sublatum terræ contactu prohibuit, pectorique suo arctius strictum enecuit ; hoc vero opus, cum neque persecutio, nec gladius, cum neque Principatus, neque virtutes, nec fortitudo, aut altitudo, aut creatura aliqua possit illud ab Angelico Thoma, a quo vitam participat, separare, cum omni immortalitate adversus adversantium machinas perdurans cum æternitate adæquabitur. Quare ipsum ut in communem utilitatem lucem accipiat, non modo dignum, sed dignissimum judico. Habebit in illo quilibet veræ sapientiæ amator, unde et sibi veritatem assequi, et alios in doctrina sana erudire, et eos, qui contradicunt, arguere possit. O utinam Deus faxit, auctores ipsius usque ad ultimam hujus cursus pervenire metam : ut labore ipsorum universus orbis perfruatur. Sic judico in hoc nostro Collegio Veræ Crucis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum in Salmantina Universitate erecti, die decimo septimo Augusti, Virginei partus anno 1636.

Fr. Gaspar de los Reyes.

CENSURA R. P. M. F. GABRIELIS GONZALEZ,

In Sacra Theologia Magistri, et supremi Senatus Sanctæ Inquisitionis Consultoris.

De mandato supremi Senatus, summa cum voluptate perlegi pulchrum, ac præclarum opus, cui titulus est, Collegii Salmanticensis Eliæ Prophetæ Fratrum Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli Cursus Theologicus, summam Theologiæ Doctoris Angelici complectens, Tomus secundus. In quo Religiosissimi, necnon Doctissimi Patres prædicti Collegii interpretantur, sanam, veram, ac limpidam Angelici Præceptoris Doctrinam : et in illo, quod fidei Catholicæ, sanisve moribus refragetur, nihil : quod eis suffragetur, multum reperi. Quin potius tam præclara commentaria admirans, haud dubio de ipsis verificari, quod de eorum antiquissimo, et Sanctissimo Patre Ecclesiast. 48. habetur : *Surrexit Elias quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.* Ecce his temporibus in lucem prodiit Eliæ insigne Collegium Catholicæ fidei athleta, cujus scriptorum clypeo militans Ecclesia Hæreticorum tela, quæ contra Sacrosanctæ Trinitatis mysterium suscitata sunt, feliciter confringit, et quasi ignis vivus in cineres reducit. Quid multum, si ubique a Doctrina Sacrorum Conciliorum, et SS. Patrum, et præcipue Doctoris Sancti omnium Magistri, nec per latum unguem discedit? Profundissimas etiam difficultates, quas Theologi in Academiis disputant, non subterfugiunt Doctissimi Patres isti ; sed singulari distinctione, claritate, ac modestia ab Angelico Doctore participata exponunt, et ejusdem doctrinam, quam grato animo sequuntur, non aliunde, quam ex ipsius verbis explicant, et exornant, ita ut in eis depictum inveniam exemplum felicitatis, qua mellifluus Bernardus fruebatur in Sacris litteris exponendis, de quo præclare canit Ecclesia : *Sacras Scripturas assidue lectitabat, neque ullis magis, quam ipsorum verbis eas intelligere sese dicebat.* Qua admirabili rapsodia utuntur feliciter gravissimi isti Patres : assidue Sanctum Doctorem lectitant, neque ullis magis, quam ipsius Sancti Thomæ verbis eum intelligere, et explicare demonstrant, atque adeo non mirum, si quod de Angelico Doctore affirmatur, suo modo participare dicantur, quod in eorum scriptis, celsa, clara, et firma sententia inveniatur. Ite igitur Angeli veloces, pergite in explicanda Doctoris Angelici doctrina, qui Angelos statu, et conversatione imitamini, reconditum Sanctissimæ Trinitatis mysterium, doctrinamque de Angelis a nostris sensibus ita remotam, Angelicis vestris lucubrationibus illustrate. Pro Doctore veritatis firmiter dimicate, ut veri filii sapientissimæ, et Sanctissimæ Matris Theresiæ, ubique veritatis amatricis. Sic sentio. In Conventu Regali Beatissimæ matris Mariæ de Atocha. Die X. Mensis Junii, Anno Domini M.DC.XXXVI.

Fr. Gabriel Gonzalez.

AD LECTOREM

Segnius quam credidimus (humanissime Lector) cursus iste noster excurrit. Si tamen moram nostram incusas, scito scitum illum fuisse, qui dixit : librum typis cudendum, navim esse in pontum deducendam, in qua paratis omnibus ad scindendas undas, alasque velorum pandendas, plura occurrunt ulteriùs reparanda : et ubi nulla jam putatur cunctatio, nulla mora; annus, et anni sunt, priusquam singula expediantur. Sic scribentibus accidit, quibus necessum est tempus absumere, si exacte cupiunt cœpta peragere : quia raro junguntur, et celeriter scribere, et impœnitenda proferre. Ideo nunquam a nobis nimium expetita est celeritas,

quæ plus habet periculi, quam nitoris. Nam, ut erudite Cassiodorus inquit : *Dictio semper agrestis est, quæ aut sensibus electis per moram non comitur ; aut verborum minime proprietatibus explicatur. Ideo annus annus ad scribendum relaxatur authoribus.* Quod tempus, si alicui unquam, id aureis Divi Thomæ fodinis mentis ligone laborantibus præcipue debetur, in quibus tanta est divitiarum multitudo, ut ipsi exhauriendæ omnia omnium ætatum tempora fortasse non sufficiant. Cum facilius sit in Thoma sine syllaba verbum, aut litteram sine figura, quam sine thesauro apiculum reperire. Quod eruditi vix crederent, nisi id quotidiano experimento comprobassent, qui ad Angelicum Præceptorem accedentes apposite huc flectunt illud Arnoldi Carnotensis, dicentes, se *in scintilla incendium, et in stilla pelagus reperisse.* Verùm hæc omnia non adeo gressus nostros arcerent, ut non jam diu secundus hic tomus optata frueretur luce ; nisi et aliæ remoræ Cursus nostri cursum validius præpedirent. Nam, ut plura omittamus, innumera inter Hispaniam, et Galliam obstitere prælia, quominus præla Lugdunensia, aut Parisiensia, quibus jam diu destinatus fuerat liber noster, inspiceret, ubi (Hesperiis typis relictis), facilius, commodius, utilius, et comptius cuderetur. His tamen superatis omnibus, ecce jam in Hispania (nec modico labore, et sumptu) primam lucem aspicit de Sacramento Trinitatis tractatus, quem propediem tractatus de Angelis, qui est typis majori jam ex parte excussus, subsequetur. Ab hoc tamen separatus corpore, non immemores partitionis in primo tomo factæ, in qua tractatus de Trinitate, et Angelis tomo secundo dedimus, sed ne tomus insolitæ magnitudinis pondere facilem se præ manibus non haberi permittat, non indecens visum fuit mutare consilium, ut gratior tibi esset mentis utilitas, cum corporis commoditate conjuncta. O utinam votis nostris sic effectus respondeat, ut commodum, et voluptatem ex labore nostro percipias. Vale.

TOMI SECUNDI

PARS POSTERIOR

D. THOMÆ AQUINATI,

DOCTORUM ANGELO,

ANGELORUM CHERUB, SACRÆ THEOLOGIÆ PRIMARIO SYDERI, ECCLESIÆ FULGENTISSIMO LUMINI, VERITATIS VERE MAGISTRO,

COLLEGIUM SALMANTICENSE

Sanctissimi Vatis Eliæ, Carmelitarum Discalceatorum B. Mariæ de Monte Carmeli.

O. D. C.

Evolant ad tuum gremium (O Doctorum Angele) nostri Angeli, et tuis manibus avidissime insidere gestientes, non jam talaria, quæ nobis erant in votis, pedibus nectunt; sed vitulinas potius, quibus ocyssime ad te perveniant, plantas assumunt. Nec novum sane bovinas plantas, pennatos pedes in velocitate cursus anteire : cum et Seraphim apud Isaiam sibi pennas, et plumas, quas pedibus, quas capiti, quas corpori adaptant, multiplicent (1); qui tamen repetitis alarum ductibus nituntur volare, seu (ut nuperus Auctor interpretatur) *volaturiunt* (2) : fixi tamen stare perhibentur. Ast Ezechielis Cherubim minori alarum apparatu, inæqualique pennarum tumultu, quia tamen planta pedis eorum quasi planta pedis vituli erat, non ambulare modo, sed elevari a terra videbantur (3) : quia planta vituli quæ rotunda est, et perfectionis figuram undequaque præ se fert, *omnibus amputatis angulis* (ut Hieronymus in præsenti loquitur) *in quibus terra detinetur, ad cœlestia facit subvolare.*

Sed cur hæc animalia, quæ et Cherubim a Propheta dicuntur, omnia planta vituli, et non homo hominis, aquila aquilæ, et leonis leo deambulant? Cur multiplices pedes recti, et planta pedis una? Cur, si bovi tantummodo facies Cherub, omnia tamen animalia Cherubim nomenclatura indigitantur? Cur denique quatuor hæc animalia unum dicuntur, et unum animal Cherubim plurali numero nuncupatur? sic enim habet Propheta cap. 10. num. 20. *Ipsum est animal, quod vidi subter Deum Israël juxta fluvium Chobar, et intellexi quia Cherubim essent*, et n. 15. *Et elevata sunt Cherubim, ipsum est animal, quod videram juxta fluvium Chobar*. Sed ecce rem totam ad nostrum institutum sic expendimus. *Cherub* interpretatur (Laureto teste) quasi *Magister*, in quo sapientiæ, et cognitionis residet plenitudo. *Bos* autem dicitur *Angelus*, qui nobis verbum veritatis annuntiat : nam, ut apposite August. inquit, *Homines ob aliud boves dicti sunt, nisi quod evangelizando Verbum Dei Angelos imitantur. Quanto igitur facilius ipsos Angelos nuntios veritatis boves accipimus, quando Evangelistæ participatione nominis eorum boves vocati sunt* (4) ?

Jure ergo Angelus bos *qui in motu, et tractu currus primas tenet*, (5) quem veluti antesignanum, et ducem, fidumque veritatis nuntium reliqua sequuntur animalia, facie Cherub, id est *Magistri*, ipsa sui muneris dignitate exigente decora-

(1) Isai. 6, c. 2. — (2) Corn. *ibi.* — (3) Ezech. I, n. 7 et 10 per totum. — (4) Aug. *super. ps.* 8. — (5) Corn. *ibid.*

tur. Quia vero tunc omnis est *perfectus discipulus, si sit sicut Magister ejus* (1), quia scilicet sic gressus suos in Magistri semitis perficit, sicque ipsius hæret vestigiis, ut hujus planta ab illius pede penitus indistincta credatur, et utriusque vestigium nulla ratione probari possit discretum, sicque insuper ingenium ingenio, intellectumque intellectui coadaptat, ut etsi in esse entitativo diversitas inter Magistrum et alumnum ipsum intersit; inesse tamen (ut sic dicamus) intelligibili docentis mens discenti indicetur infusa. Ideo, licet mystica hæc animalia, quæ bovis Cherubici sequuntur ductum, discernat peculiaris uniusque naturæ proprietas; unum tamen animal sunt, ab unanimi cum suo Ductore intelligentiæ concordia; a qua proinde sui Magistri nomen quadam dignitatis extensione ipsa animalia participant, ut *Cherubim* nominentur, quæ *bovis*, cui facies *Cherub*, gressus imitantur : et cum nec hilum ab ipsius *bovis Cherubici* exorbitant orbita, in multiplici cursu vestigium unum, et in diversis pedibus unica solum *bovis planta* judicatur.

Cernis jam (O Doctorum Angele, O Angelorum Cherub) quo nostra hæc tendat oratio. Cernis te ipsum in *bovis Cherubici* ingenio mirabiliter, ne dicam adumbratum, expressum : cum in omnium veritatum verbis enuntiandis *bos* sis, jam non mutus, sed qui universum orbem fremitibus, et mugitibus fecisti resonare, boare, ut merito de te Chariophilus Cidonius cecinerit:

Bos, qui mutus erat, mugitibus percutit orbem :
Mutaque multiloquam fecit ut ora forent.

Cum insuper tibi facies sit *Cherub* in plenitudine scientiæ, a quo etiam nomen *Cherubim*, et *Magistrorum* participant, qui tuæ Summæ Theologiæ quasi quadruplici alarum armati remigio, et tuis scriptis omnibus quasi pulcherrimo oculorum circumcincti apparatu, in *vituli planta*, via scilicet tua, militantis Ecclesiæ veloci cursu deferunt toto orbe quadrigam. Cernis denique, nostros Angelos sub tuo nomine, tuis vestigiis, tua planta, ad te, et post te, Cherub nostrum, Magistrum, et ducem, adeo indivulse currere, ut nec transversum unguem ab orbita tua vestigia eorum probentur discedere. Imo eorum *pedes recti* sunt, nec revertuntur cum incedunt, nec in incertum ad dexteram, lævamve declinant, quia *planta pedis* vituli, tua scilicet, et teipso, ad quem sponte tendunt, in gressu firmantur.

Sed ad quem Angeli nostri ultronei, et spontanei, nisi ad te Angelum, gressus suos dirigeret, qui nomen, quod sumpsisti ex meritis, servasti semper veritate vocabuli, ut Angelus jugiter dicereris a vita, qui a supereffluente sapientiæ fonte Angelus meruisti compellari. Tenellus adhuc manens ad ubera, salutationem Angelicam devorasti, ut jam inde Angelico assuetus cibo, Angelicam semper inhiares escam, quam semel animus concepisset. Sed si Angelorum esca *manna* dicitur, et jure Angelus dici potest, qui hoc semper nutritus est alimento, nullus jam ambiget, qui *mannæ* perpendat etymon, quanto jure Angelici nominis dignitate potiaris. *Manna* enim interpretatur, *quid est hoc?* Hoc ergo manna, hac esca mens tua vescebatur assidue, dum cognitioni rerum intentus, *quid est hoc* uniuscujusque jugiter ruminabas : *et quid est hoc* cœlestium mysteriorum contemplans, tanquam pane Angelorum de cœlo præstito, esurientem tuum animum omnis saporis suavitate obfulcabas, replebas, vegetabas. Neque ex cibo, et *manna* sapientiæ, a quo Angelus diceris, nomen sumpsisti alienum ab eo, quod in tuis moribus poterat inveniri : cum et a puritate vitæ merito tibi *Angeli* nomen derivetur, quod etiam a jugi sapientiæ esu diximus emanasse. Habens enim puritas vitæ conjunctissimam cum Angelis cognationem, virginem ad eam evehit gloriam, quæ in Angelis ex principiis naturæ pullulavit. Nam, ut Chrysologus loquitur, *Virginitas hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura.* Cum ergo puritas ab incunabulis tibi arriserit, omnemque vitam, effrænæ libidinis petulantia su-

(1) Lucæ 6, n. 40.

perata, egeris incorruptus, merito tua castitas, tua puritas tibi *Angeli* nomen acquisivit, quod cœlestibus spiritibus natura comparavit.

Ergo ad te Angelum vita, Angelum sapientia, nostri evolant Angeli. Imo dum ipsi ad te evolant, tu cum ipsis volas, cum illi in te sint, et tu in ipsis; illique per te volent, tu per ipsos. Ipsi ad te evolant, ut sub tua custodia tuti permaneant: esto tu illorum *Custos Angelus*. Nam, dum custodieris ipsos, tua custodis : cum, quicquid in illis est, à te effluxerit, qui ex tui Solis rota splendorem (siquis in ipsis est) benigne vibrasti. Nec ipsorum solum, noster etiam Angelus esto, qui sicut in via præcedis, etiam in via custodias, et in tractatus subsequentes nostri Cursus, quos præparamus jam, feliciter introducas. Hæc nostra vota, tuis semper in nostro Cursu sublevari suppetiis, cujus auspiciis sapientia ipsa pene vivit, et florentis Theosophiæ gloria æternat.

APPROBATIO R. P. M. Fr. GASPARIS DE LOS REYES,

In florentissima Salmanticensi Academia Philosophiæ naturalis Cathedræ dignissimi moderatoris.

Præclarum hunc Collegii Salmanticensis secundum Theologici Cursus tomum, continentem tractatum de Angelis, diu desideratum, et jam concupiscenti animo præparatum (ex commissione Domini D. Christophori de la Camara Episcopi Salmanticensis) non inferiori voluptate, et cura non impari, atque priorem ejusdem Cursus tomum volutavi, et perlegi, cunctas illius paginas, omnes ipsius lineas, universosque apices oculorum acie, et præcipue mentis diligentissimæ perlustravi. In illo, quod correctioni obnoxium sit, nihil; quod in Ecclesiæ, et Thomisticæ doctrinæ candidatorum utilitatem cedat, plurimum reperi. In ipso enim, præter splendidam, et ditissimam locorum Sacræ scripturæ, Conciliorum, et Sanctorum Patrum supellectilem, qua opulentissime locupletatur, præter rerum ordinem, quem continet admirabilem, præter claritatem, subtilitatem, et profunditatem rationum, in quibus ipsius opifices se ipsis quotidie majores effecti, adeo superiora sua commentaria superant, et excedunt, ut merito auctores judicarentur diversissimi, si doctrinæ uniformitas, si styli identitas, si veritatum connexio, si sententiarum consequentia mirabilis non ipsissimos esse comprobarent. Tam admirabili enim consonantia omnia, quæ a primis Dialecticæ elementis usque ad ultimum hujus secundi tomi apicem dicta sunt, sibi ipsis correspondent, tamque artificiosa harmonia solida fundamenta antea in Philosophicis præjacta cum superimposita Theologica mole connectuntur, ut non solum unica vox (ut in priori dicitur tomo) in Artium, et Theologiæ personet cursu; sed etiam scribentium manus prima facie in utroque videatur ipsissima. Præter hæc, inquam, omnia (quæ non inter minima computari debent) illud est, quod omnibus, non solum qui in subselliis sedent, sed etiam qui eminent in orchestra gratissimum futurum esse non dubito, quod scilicet Angelici Præceptoris rationes adeo expenduntur sedulo, adeo enucleantur studiose, adeo trutinantur diligenter, ut illud audeam pro veritate dicere, inter omnes, eosque insignes Scholasticos, quos ego viderim, commentatores nullum esse, qui id, in quo Divi Thomæ placitum nititur, nitatur circumspicere attentius, percalere verius, probare nervosius, fulcire validius, defendere potentius : nullum, qui obstantibus in contra alicujus momenti rationibus satisfaciat plenius, respondeat acutius, nullum, qui fallaces argumentationes detegat clarius, infringat facilius : nullum denique, qui ad genuinam et veram Divi Thomæ mentem accedat proximius : imo aureum hoc opus non solum proxime ad Angelicum Præceptorem accedit, sed intelligibilem etia identitatem est cum ipso consecutum : quippe quod non solum ipsius vita vivit, atque informatur spiritu, sed etiam quia ipsius est velut quædam intelligibilis species : nam sicut ista objectum intelligibile reddit, sic opus hoc adeo erudite Divi Thomæ mentem

ediserat, ut omnibus pervia, facilis, et intelligibilis proponatur per ipsum; nihil que sit quod amplius desiderari possit pro illius explicatione doctrinæ. Et non solum est Angelici Doctoris intelligibilis species, verum etiam ipsius mentis partus, fœtus, et filius, qui perfectam imaginem, et similitudinem sui principii præ se gerens, nihil in eo latitat, quod non actualissime repræsentet. Et sicut de Anthæo filio terræ figmentata olim fabulabatur vetustas, quod scilicet in Herculeo conflictu, quoties matrem contingebat terram, toties vegetiores vires resumebat, et præstantiores, ad horridaque promptior arma resurgebat : sic sane opus hoc, legitimus Angelicæ mentis filius, quo magis ipsum Aquinatem parentem mente contingit et intellectu, oculis, manibusque versat, quo magis ipsius rationes evolvit, quo magis ipsius doctrinæ unitur, eo robustior et animosior, fortior, et insuperabilior, sicut Lybicus ille Anthæus, reperitur. In hoc tamen uno fœlicior isto : nam istum Alcmenæ natus alte sublatum terræ contactu prohibuit, pectorique suo arctius strictum enecuit; hoc vero opus, cum neque persecutio, nec gladius, cum neque principatus, neque virtutes, nec fortitudo, aut altitudo, aut creatura aliqua possit illud ab Angelico Thoma, a quo vitam participat, separare, cum omni immortalitate adversus adversantium machinas perdurans cum æternitate adæquabitur. Quare ipsum ut in communem utilitatem lucem aspiciat non modo dignum, sed dignissimum judico. Habebit in illo quilibet veræ sapientiæ amator, unde et sibi veritatem assequi, et alios in doctrina sana erudire, et eos, qui contradicunt, arguere possit. O utinam Deus faxit, auctores ipsius usque ad ultimam hujus cursus pervenire metam : ut labore ipsorum universus orbis perfruatur. Sic judico in hoc nostro Collegio Veræ Crucis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum in Salmantina Universitate erecti, die decimo-septimo Augusti, Virginei partus anno 1636.

Fr. Gaspar de los Reyes.

CENSURA R. P. M. Fr. GABRIELIS GONZALEZ,

In sacra Theologia Magistri, et supremi Senatus S. Inquisitionis Consultoris.

Præclarissima Commentaria posterioris partis secundi tomi Cursus Salmanticensis, totam de Angelis materiam complectentis, a Sapientissimis Patribus excalceatis sacri Cœnobii Magni Eliæ summo studio elaborata, ea qua potui cura, et diligentia, non sine magna animi voluptate revolvi, ut mandato supremi Senatus Regii facerem satis. In quibus multum abest, ut fidei Catholicæ oppositum, aut bonis moribus dissonum quid inveniatur. Imo ita subtiliter, et acute, ita dilucide, et profunde altissimam, et a nostris sensibus materiam remotissimam Angelorum discutiunt, ita suaviter studiosis, veritatisque amatoribus propinant, ut non manu aut hominis stylo, sed Angelorum pennis exarata videatur, aut quod Patres prædicti ab Angelico Doctore, et a Cherubica Virgine Theresia Beatissima pennas suas, quibus sanctam illustrarunt Ecclesiam, ad talia Commentaria conscribenda mutuatas acceperint. Pluribus, et satis notis causis Beatissimum Thomam Aquinatem nomen Angelici Doctoris promeruisse compertum est : inter quas non infimum tenet locum, quod de substantia Angelorum, de motu, de virtute cognoscitiva, de modo cognitionis, de voluntate, de productione in *esse* naturæ, et in *esse* gratiæ, deque malitia aliquorum, etc. primus Theologica methodo altius, et verius, quasi cum ipsis in oratione continue versatus, disseruerit. Vocetur ergo Doctor Angelicus. Absit modo a verbis adulatio. Præclara ista Commentaria ita doctrinam Angelici Doctoris in omnibus exhalant, eamque unice tuentur, ita difficultates de Angelis reconditas dilucidant, ut non jam humana, sed vere Commentaria Angelica dici possint. Nec defuere sapientissimi multi, qui acutissimum, et universalissimum D. Thomæ ingenium ita mirati sunt, ut dicere conditionaliter non

dubitaverint, quod si ille error Pythagoræ de transmissione unius animæ in corpus alterius hominis error non esset, sed veritas, animam D. Augustini corpus D. Thomæ animasse crederetur. Error ille est ab Ecclesia reprobatus; sed sublimitas ingenii Doct. Angelici inde non parum exprimitur. Sic sane egregia ista Commentaria divinum D. Thomæ ingenium in omnibus redolent: sic ejus mentem ad vivum in cunctis exaratam, et expressam relinquunt: sic scriptis ejusdem Angelici Præceptoris in doctrina, quam ab ipso in proprio fonte copiose ebibunt, fideliter tradenda, sapienter enucleanda, eruditissime elucidanda, acriter tuenda, acute pertractanda, perspicue, et mirifice declaranda, solidisque jactis Thomisticis fundamentis, quibusdam quasi præsidiis firmissime communienda, nervose fulcienda, strenue, et fœliciter propugnanda, similia sunt, et (ut sic dicam) tantam cum eisdem S. Doctoris scriptis identitatem habent, ut si Pythagoricus ille error de transmissione unius animæ in corpus alterius hominis non jam error, sed veritas esset, Angelici Præceptoris animam corpora horum venerabilium Patrum animasse, illosque animando, et non aliter, ad Angelicum ordinem, et modum, ac stylum docendi itidem Angelicum evexisse merito crederetur. Error sane (ut dicebam) dictum illud Pythagoricum est: sed maxima celsitudo, summaque sublimitas, qua præclara hæc Commentaria supra multa alia caput extollunt, non parum perspicue hinc innuitur, significatur, et velut digito demonstratur. Rursus assiduus, et continuus D. Thomæ in docendo, et scribendo labor talis erat, ut etiam ad mensam Ludovici Regis Galliæ invitatus, perpetua suorum studiorum meditatione, nec ibi interrupta, quasi extra se positus, manu mensam percutiens protulit: *Conclusum est contra Manichæos.* Ecce ingenium, attende labores, et magis perpende, quod humilis Thomas socio suo fratri Reginaldo fassus est, quicquid sciret, non tam studio, et labore suo peperisse, quam divinitus traditum orationis merito accepisse. Miror modo sine dubio sublimia, et acutissima ingenia Patrum Discalceatorum Collegii S. Eliæ Salmanticensis: veneror immensos, assiduosque in explicandis difficultatibus Theologicis labores: stupeo summopere investigationes plurimas ad inveniendam veram, puram, et genuinam Divi Thomæ sententiam, tam in liberalium artium scriptis apud Complutenses, quam in rebus Theologicis apud Salmanticenses: et adhuc mihi videtur illis accidisse, quod Divo Thomæ, cui ex corde addicti sunt, videlicet, quod Commentaria ista non tam studio, et diligentia humana concinnata sint, quam divinitus (hoc est media oratione) a Deo tradita. Fructus orationis floridi, sanctitatem, veritatem, et modestiam redolentes apparent. Prodeant ergo in lucem, prodeant in utilitatem, et obsequium Ecclesiæ Catholicæ, in singularem profectum Theologorum veritatem amantium, in honorem, et augmentum scholæ Divi Thomæ veritatis Doctoris. Ita sentio. In hoc Regali Cœnobio Beatissimæ Virginis Mariæ de Atocha, die 31. mensis Octobris, anni 1636.

Fr. Gabriel Gonzales.

FACULTAS ORDINIS.

Frater Stephanus a Sancto Joseph Generalis Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli, de consensu nostri Diffinitorii; ut liber, cujus titulus est (Cursus Theologici Carmelitarum Discalceatorum Collegii Salmanticensis, Tomus secundus in 1. p. Divi Thomæ) ab eodem Collegio accurate compositus, et a gravioribus doctisque viris nostri Ordinis (quibus ipsum videndum, et examinandum commisimus) recognitus, et approbatus typis mandetur, et in lucem prodeat, obtenta facultate Ordinarii, ac supremi Senatus, tenore præsentium licentiam concedimus. In quorum fidem præsentes manu nostra, ac Secretarii nomine subscriptas fieri jussimus. Matriti die sexta mensis Februarii, Anni Domini M.DC.XXXVI.

Fr. Stephanus a S. Joseph, Generalis.

Fr. Dominicus a Matre Dei, Diffinitor, et Secretar.

SUMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

Ludovicus XIII. Dei gratiâ Galliarum et Navarræ Rex Christianissimus, singulari Privilegio sanxit, ne quis per universos Regnorum suorum fines, intra quindecim annos a die finitæ impressionis computandos, imprimat, seu typis excudendum curet, et venalem habeat librum qui inscribitur (COLLEGII SALMANTICENSIS Frat. DISCALCEATORUM BEATÆ MARIÆ DE MONTE CARMELI, CURSUS THEOLOGICUS DE ANGELIS), præter Antonium Bertier, Bibliopolam Parisiensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Prohibuit insuper eâdem authoritate Regia omnibus suis subditis, eumdem librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, ubicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti Antonii Bertier. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis contra delinquentes expressis, uti latius patet in litteris datis Parisiis septima Octobris 1639.

Ex mandato Regis,

Signatum, *De Monceaux.*

AD LECTOREM

Tractatum de sacrosancto Trinitatis mysterio, quem nuper edidimus, jam tractatus de Angelis (humanissime Lector) subsequitur, in alio, ut vides, separatus corpore, ne te mole grandioris libri (ut in superiori tomo diximus) gravaremus. Sed ecce ex hoc ipso, quia tractatum duplicem non nisi duplici integro volumine absolvimus, nos circumlocutionibus, confirmationum, objectionum, impugnationum, et explicationum causaris liberius evagatos; cum pressiori dicendi methodo possemus aliena plene, et facile refutare, et nostra non minus valide, quam nervose fulcire. Sed ne nimis nobis succenseas, scito ex Quintiliano, illam utilem esse brevitatem, non quæ minus dicit, sed quæ plus, quam oporteat, copiosa verborum turba non extenditur. *Possunt quidem quandoque* (inquit V. Petrus Mauricius) *multa breviter dici, sed ubi brevitas sententiarum pondera non evacuat; non ubi intellectui multa necessario intelligenda defraudat.* Unde, cum multoties D. Thomæ profunditas, ipsiusque rationum subtilitas nequeat etiam multiplicatis verbis convenienter exponi, immerito sane prolixitati extensionem nostram adscribis : *Cum nemo breviter dicere possit* (ut inquit præfatus Author) *quod nec verborum multitudo vix valet explicare.* Huic excusationi, quæ in expensione rationum Angelici Doctoris habet præcipue locum, alia etiam pro enodatione argumentorum accedit, quod scilicet, etsi levis, et vilis objectionis quandoque videatur sagitta, quæ contra ipsius Angelici Magistri sententiam, et mentem pene sine ictu conjicitur; aliquando tamen, si non usquequaque infringatur, imo si non decineretur, in sagittarum sylvam fortasse pullulabit. Quapropter non inutiliter tempus absumitur, si minimus surculus, ex quo arbor noxia, et lethalis excrescenda erat, dissipatur : quia (ut Petrus Damianus in re non absimili loquitur.) *Non otiosum* credimus, *multorum lignorum pyram accendere, qua basiliscum, licet exiguum, incolumi populo necesse sit interire : nec multa aqua inaniter funditur, si scintilla ignis, qua urbs cremanda fuerat, extinguatur.*

Aliam etiam rationem, quæ multiplicationem objectionum, explicationum, et confirmationum excuset, et simul causam explicet, possemus adducere, assiduam scilicet in doctrina D. Thomæ meditationem : in cujus profunditate, qui eam non quasi in transcursu penetrare conantur, illud Regii Vatis, *Abyssus abyssum*

invocat, experiuntur esse completum : ut ad unius rationis profunditatem explicandam necesse sit ex ipsiusmet doctrina aliam profunditatem evocare. Unde Angelici Doctoris studiosis evenit, quod in aere stabiliter circumstante Solem aliquando dicitur accidisse; qui ab ipsius Solis radiis percussus, paulatim in multiplices circulos coloris varii, quorum alius ex alio figurari videretur, formabatur. Quos circulos, inquit Seneca, *Græci Halo vocant, et nos dicere coronas aptissime possumus.* Sed hæ coronæ, hi circuli, non nisi in aere stabili (ut ipse Seneca docet) conspiciuntur. *Nam qui stat aer* (inquit ille) *in aliquam faciem fingi potest : is autem, qui fluit, nec feritur quidem lumine.* Quod exemplo explicat, et confirmat : *Lapillus* (inquit) *in lacum, et alligatam aquam immissus, circulos facit innumerabiles; et hoc quidem non facit in flumine : quia omnem figuram fugiens aqua disturbat. Idem in aere evenit : ut ille, qui manet, possit figurari : at ille, qui rapitur, et currit, omnem ictum, venientemque formam disturbet.* Idem nobis (humanissime Lector) accidit, qui dum perpetui sumus cellularum inquilini, non cursitantes per vicos, per domos, per plateas, semper fulgentissimo Soli Aquinati immoti colligamur, et quiete, placideque ipsius lucidissimos radios recipimus, ex quibus alius, et alius circulus rationum, confirmationum, et explicationum efformatur : quæ omnia, cum ad majorem sententiarum claritatem spectent, non inanis loquacitatis circumlocutiones vocare debes, sed circulos, seu aptius coronas, quibus et assertiones, et ipsius rationes coronentur. Nec tibi fastidium debet ingerere, quod, ut facilius, et clarius mentem Angelici Doctoris percipias, nos non sine labore propinamus : ne ipse ex Augustini ore audias : *Laborant homines in discendo, et brevia non valent intelligere, et prolixa non amant legere :* nosque pariter audiamus : *Laborant homines in docendo, qui et pauca tardis, et multa pigris frustra ingerunt* (1).

Vale.

(1) *Epist.* 101.

TOMUS TERTIUS

D. THOMÆ AQUINATI

DOCTORI ANGELICO,

ECCLESIÆ FULGENTISSIMO JUBARI, SACRÆ THEOLOGI PRINCIPIÆ ANTESIGNANO, PRÆCLARO VERITATIS MAGISTRO,

Collegium Salmanticense Sanctissimi Vatis Eliæ, Carmelitarum Discalceatorum primitivæ observantiæ,

O. D. C.

Vanos inter prisco gentilitatis ævo, moralium amatores Diogenem antiqua proponunt monumenta, qui commorantium sibi consortio extricare se studens, solarisque pulchritudinis considerationi dicari, dolium eremicula incoluit : quod e diametro flammigeris Phœbi radiis opponens inaccessibilem illam humana oculorum acie claritatem, nullo interpositæ moræ obstaculo infatigabiliter contemplabatur : adeoque inflammabatur magis ac magis contuendæ lucis ardore, ut nec ulla rerum aliarum, plurium licet delectabilium incitamenta, nec ipsa Alexandri promissa eum potuerint avocare. Hujus haud dissimile (O Doctorum Princeps Thomas Aquinas) nobiscum agitur, qui te Solem Clarissimum Theologiæ, aream longe lateque patentem prodigiosæ tuæ scientiæ radiis mirum in modum collustrantem extracti a tumultu, atque in cellulis nostris veluti in doliis degentes dum intuemur, delectabilem adeo nobis lucem offundis, ut inspiciendo in admirationem abripiamur, abreptaque in te acies majori in dies accendatur desiderio tuo jubare perfruendi. Hactenus in prioribus voluminibus typo deditis illuminantem te spectavimus arcana Deitatis mysteria, Angelicæque naturæ ignota collustrantem : qua vel eminus et primis solum labiis luce prægustata, intellectus nostri oculus adeo exhilarari cœpit, ut, opere incepto, quasi te in tuis sequi conatus sit, quoquoversus iter inflammaveris. Qua potissimum de causa cum duo priores a nobis elaborati fœtus tibi ut Patri luminum nostrorum gratitudinis ergo, ut ratio exigebat, fuerint consecrati, eidemque luminari ex quo acceperunt, lucem reddiderint, et hic tertius ab ejusdem Solis calore minime substrahi volens, aut valens tuis quoque aris rependendus fuit. Cui namque alii sine injuria tua, sine piaculo nostro, sacrandus foret, quem non sponte, non ultro offerimus, sed veluti suum tua in nos beneficia vendicant.,

Sicut enim manifesta ingratitudinis nota ut indelebili aratri sulco signandus foret ager ille, qui annuali laborum cultu per agricolam liberaliter largientem semina fœcundatur, nec semel, aut parum benefactori suo reciproco gratitudinis symbolo corresponderet : Eodem plane modo, et in re potiori inurendum nobis esset, non delendum ingratitudinis improperium, si intellectus nostri ager a te perenne excultus, doctrinæque grana plenâ manu exhibita continuo suscipiens singulorum voluminum fœtus veluti annuales fructus aut alteri, aut non tibi progerminaret. Hujus ergo ingratæ philautiæ fuco ne juste damnemur, fontis, qui fundo, a quo recipit, redonat scaturiginem, naturam imitati tua tibi dona rependimus, mutuata a te luce ad te reddimus : et in singulis opusculis nostris quod ex te accepimus, tibi sacramus. Nec novum munus novo hoc labore offerre credimus : cum novum opus minime censendum sit, quod incepta perficere prosequendo conatur, eadem qua priora catena cohærens, et vinculo nexum : debuit autem iterato et continuo ad te reverti, quod a te perenniter fluit.

Sed et nova stimulat ratio, quo justius tibi, Doctor Angelice, lucubrationes istæ in Primam Secundæ debeantur. Quippe qui in prima Theologiæ parte Docto-

rem te et Magistrum præbendo, confirmando certa, certificandoque dubia per stabilientem veritatis regulam, nos docens excitabas; in hac secunda Ducem quoque te exhibes et exemplar : Ubi quod a te verbis edocemur, opere in te cernimus comprobatum. Nec jam hac in parte (quod in anteriori præstitisti) luminaria illa fictilium vasculorum sectaris, queis Madianitas quondam Gedeon proterebat : Neque illam ardentis et non combusti rubi faculam, quæ non nisi excalceatum admisit Vatem : Nam involutos declivium viarum anfractus lucem solummodo emittentia, non præeundo manifestabant : Sed columnam potius Israël, quæ errabundum populum per vaga Sinai deserta et luce perfundebat, et viam eisdem præcedendo monstrabat. Ibi quippe, in prima videlicet parte divinitatis sacramenta, Deitatis attributa, Trinitatis arcana, essentiæ unitatem, personarum distinctionem, relationum origines; Angelorum quoque naturas, proprietates, motus, operationes, pluraque id genus alia edocuisti : quorum utpote non Deus, non natura Angelus exemplar esse non poteras, sed scholasticus solummodo instructor, faciem aquilæ præferens alta contemplans, et profunda declarans. Hic vero in Prima Secundæ ea nos instruis, quæ ad nos ipsos spectant, faciemque hominis ostendis, demonstrans qua via superna beatitudo sit consequenda : quibus mediis et intermediis ad finem ultimum perveniendum : qua lege componendi animi mores : qua regula humani actus dirigendi : qualiter declinanda malitia; bonitas sectanda, virtutes demum comparandæ. Quorum omnium juxta Apostoli ad Titum sententiam, *teipsum præbes exemplum bonorum operum, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem : Ut verbo et opere potentior sis exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* Merito igitur specialique jure præsens tibi labor adscribitur, cujus materia et argumentum tu ipse es : et in quo quidquid nos speculativo discursu rimamur, in te velut in speculo clarissimo placide licet intueri. Si quempiam itaque rationes nostræ ad rectum virtutis tramitem abunde non stimulant, si eminentem virtutum splendorem commentaria nostra liquido satis conspiciendum non offerunt, si argumenta mortalium animos a malitiæ semitis non omnino avertunt, si in beatitudinis demum amorem scripta hæc sufficienter non agitant, ad te fulgentissimum jubar ut ad communem Doctorem insimul et Ductorem lumina vertat, et in te, quod ex nobis aure concipit, oculis cernet comprobatum.

Ast objiciat aliquis, non invideat, tam arcta nos tibi lege adstringi, tuisque vestigiis inhærere, ut vel transversum unguem prosilire, nefas censeatur. Quid mirum si lucem quærentes Solem insequimur? quid si puros latices non nisi in fonte requirimus? rapimur sane tuo nomine et numine : Sed non sine ratione rapimur, (ut quidam insulse obstrepunt) dum per tuas ducimur sententias, quas ipsa veritate splendicantes tot confirmarunt Pontificum decreta, tot Concilia acclamarunt, tot Ordines receperunt, tot comprobarunt Doctorum testimonia, Oratorum encomia, felicesque in Theologia progressus tot Universitatum, quarum in munere Angelica tua doctrina summopere æstimabiles, perpetuisque acclamationibus condignæ evaserunt.

Compellit quoque nos tibi veritatis Magistro cum in maximis, tum in minimis primas dare, quod videamus, et hac potissimum ætate, quam maxima sit quorundam ingeniorum luxuries, foliis amplius quam fructibus exuberans, quorum sententiæ, quod sine Magistro, sine duce, in tantam tricarum et sophismatum barbariem processerunt, ut audientibus tenebras, non lucem offundant : ut sua quisque pro libito theoremata non veritate propugnet : atque ex tunc Magisterium sibi meruisse arbitretur, ex quo Magistro noverit contradicere. Hoc malo a commentariis nostris procul ut abigatur, calamo quasi navigio per vastissimum Theologiæ Oceanum excurrere gestientes expansæ libertatis vento antennæ tutissimam tuam sententiam uti clavum objicimus, quo per periculosos dubiorum fluctus, difficultatis hinc inde superatis vorticibus, ad optatum gratæ veritatis portum contingat pervenire.

Nec fide sola ducimur, aut in tenebris ambulamus,(ut objiciunt alii) sed veritatem fide primum reverenter a te susceptam, post modicum, oborta jam luce, oculis nostris

conspicimus, et veluti manibus contrectamus : ut merito tibi, et nobis adaptari, liceat illud Samaritanorum ad mulierem, *jam non propter tuam loquelam credimus, sed quia ipsi audivimus et vidimus.* Joann. cap. 4. Hoc igitur argumento convicti, his stimulis agitati prudentissime Angelicæ tuæ doctrinæ inviolabili fœdere adstringimur : libentissimeque tibi manus damus : et cor in perpetem ac indivulsam amoris et discipulatus servitutem submittimus. *Dum spiritus hos artus regit* (hoc Hieronymi verbis animi votum suscipe) *dum vitæ hujus fruimur commeatu, spondeo,* (dicamus nos, spondemus, pollicemur, promittimus) *te nostra lingua resonabit : tibi nostri dedicabuntur labores : tibi nostrum sudabit ingenium : nulla erit pagina quæ nomen tuum non sonet : et quocunque sermonis nostri monumenta pervenerint, tu cum nostris opusculis peregrinaberis.* ANNUE ET FAVE.

FACULTAS ORDINIS.

Fr. Joannes Baptista Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum B. Mariæ de Monte Carmeli primitivæ observantiæ Congregationis Hispaniæ, de consensu Nostri diffinitorii Generalis, etc. ut tomus tertius totius cursus Theologici (qui primus est *in primam secundæ, S. Thomæ*) à nostro Collegio Salmanticensi elaboratus, et a pluribus iisque perdoctis viris nostri Ordinis, quibus examinandum commisimus, sine offensione approbatus, in communem utilitatem Typis excussus lucem aspiciat, tenore præsentium licentiam, et facultatem concedimus. In quorum fidem præsentes litteras manu nostra, ac Secretarii nomine subscriptas, sigillique nostri impressione munitas fieri jussimus, in hoc nostro Conventu Cordubensi die 15. Mensis Januarii, anno Domini 1644.

Fr. Joannes Baptista, Generalis.

Fr. Antonius a Matre Dei, Secretarius.

APPROBATIO R. ADMODUM P. M. F. GASPARIS DE LOS REYES,

In Salmanticensi Academia Cathedræ Sacræ Scripturæ Dignissimi moderatoris.

Insigne ac præclarum opus *(Cui titulus Collegii Salmanticensis PP. Carmelitarum discalceatorum primitivæ Observantiæ cursus Theologici Tomus tertius)* non minori cura, non inferiori voluptate, atque ejusdem cursus priora volumina, ex commissione D. D. Doctoris Didaci de Villafane y Quinones sanctæ Ecclesiæ Salmanticensis dignissimi Decani, et ejusdem Diœcesis Provisoris generalis, episcopali Sede vacante, vidi et perlegi. In eo autem quod censura taxari, aut maculari queat, nihil; quod in Ecclesiæ cedat utilitatem, universisque Sacræ Theologiæ canditatis lucem et emolumentum conciliet, plurimum reperi. Ubique enim sanam, ubique floridam Sanctorum Patrum, præcipue Angelici Doctoris doctrinam redolet, ubique thomisticam eructat sapientiam : et quam hujus laboris opifices in suo fonte copiose ebibunt, abundantius effundit, potumque saluberrimum fructuosæ doctrinæ sitientibus utiliter propinat. Madet ubique thomisticis sententiis, abundat præclaris dictis, scatet fidelissimis testimoniis, ita ad rem congruenter adaptatis, sic acute expensis, ut non aliter quam ipso Sanctissimo Præceptore dictante per fidelissimorum manus discipulorum credideris exaratum. Nulla hic compilata, vel mutuata, nulla usurpata aliunde; sed universa ex Aquinatis purissimo fonte per limpidissimos Carmeli rivos immediate emanarunt. Invenies præterea hoc in opere

plurima denuo alte excogitata, subtiliter discussa, viriliter propugnata, atque ad amussim, cuncta disposita. Hic in excitandis gravioribus quæstionibus, inutilibus rejectis, eximia cura : in referendis aliorum opinionibus, et fundamentis summa fidelitas : in eisdem taxandis matura attentio : (ut non minus ædificet nativa modestia, quam instruat doctrina) in convellendis ingens efficacia : et quod caput est, in eligendis veris ac legitimis D. Thomæ placitis, thomisticisque rationibus ad radices usque enucleatis, validissime confirmandis maxima præstantia. Illud etiam scribentibus adeo opportunum, quod Constantio Arausicorum Episcopo consuluit Ambrosius : *Nullum verbum tuum in vanum exeat, nullum sine sensu prodeat.* præsens opus perfectissime adimplet : ubi neque apicem mysterio vacuum offendes, nec verbum sine causa prolatum. *Brevitati vero* (hanc enim pro viribus affectat) *quæ obscuritatis mater est et comes individua, ita facilitatem omni seclusa difficultate copularit,* (liceat quæ de Magistro scribit Senensis, fidelissimis interpretibus adaptare), *ut ordinis dispositione, sententiarum perspicuitate, et verborum splendida claritate scriptores omnes longo post se reliquerit intervallo.* In quo hujus agri diligentissimi cultores seipsis quotidie majores effecti, non modo quamplures, saneque graviores D. Thomæ interpretes, verum (quod apud me maximum commendationis genus est), semetipsos in prioribus Commentariis valde superant et excedunt : dum familiarem sibi et assuetam ubique profunditatem, (quæ et hîc felicius elucet) novo claritatis, simul et brevitatis dono illustrant. Nec mirum si quo magis ad Angelicum Præceptorem studio ac devotione accedunt, quo amplius ejus scripta attente meditantur, eo magis ac magis Angelicas sapiunt conditiones : jamque velut superioris Hierarchiæ Angeli per pauciores concipientes species, veritates ab illo acceptas, sub majori unitate, efficaciorique et puriori lumine nobis exponant. Prodeat ergo in lucem tantus labor : prodirent utinam qui supersunt tractatus istius cursus, in Christianæ Reipub. commune obsequium, singularemque profectum Theologorum veritatem amantium. Sic sentio. In nostro Salmanticensi Collegio veræ Crucis Ordinis B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum die 25. Junii Anno 1645.

Fr. Gaspar de los Reyes.

Nos el Doctor Don Diego de Villafane, y Quinones Dean de la sancta Yglesia Cathedral de la Ciudad de Salamanca provisor y Vicario General en la dicha Ciudad'y su obispado Sede Episcopali vacante nombrado por el Cavildo de la dicha Sancta Yglesia, etc. Por la presente damos licencia a qualquier Impressor paraque conforme a las prematicas y leges destos Reynos pueda Imprimir un libro intitulado, *Cursu Theologico, Tomo tercero, del Colegio de los Padres Carmelitas descalços desta Ciudad,* sin incurir en pena, atento por nuestro mandado esta visto y examinado y no tiene cosa contra la Sancta Fee ny mal sonante, hecho en Salamanca a 27. de Junio 1645. Anos.

El Doctor D. Diego de Villafane, y Quinones.
Por su mandado.
Marcos de Miranda.

APPROBATIO.

Nos infrascripti in Sacra Theologiæ Parisiensis facultate Doctores Carmelitæ perpensa doctrina Libri cujus titulus est, *Collegii Salmanticensis cursus Theologicus in primam secundæ S. Thomæ,* fidem facimus nihil in eo contineri ab

orthodoxa fide aut bonis moribus alienum, imo eum genuinam in omnibus Angelici Doctoris mentem redolere. Prælo igitur committi debet. Datum Lugduni in Carmelo nostro die 5. Octobris anni Domini 1646.

Fr. Stephanus Molin.

Fr. Paulus Lombard.

IMPRIMENDI FACULTAS.

Joannes Claudius Deville, in Sacra Theologia Magister in Ecclesia S. Crucis, Custos et DD. Alphonsi Ludovici du Plessis de Richelieu, Eminentissimi Cardinalis ac Reverendissimi Archiepiscopi Lugdunensis Provicarius Generalis : Librum inscriptum, *Collegii Salmanticensis cursus Theologicus in primam secundæ S. Thomæ.* a Theologis visum et approbatum, in lucem edi facultatem concedimus, Lugduni die 5. Octobris 1646.

Deville.

CONSENSUS.

Librum hunc inscriptum, *Collegii Salmanticensis cursus Theologicus in primam secundæ, S. Thomæ,* Typis mandari et in lucem edi, Sumptibus Laurentii Anisson, Bibliopolæ Lugdunensis, Ego Regis Consiliarius et Procurator in Lugdunensi Præfectura, non impedio, Lugduni die 6. Octobris 1646.

Lorin.

PERMISSIO.

Viso Procuratoris Regis consensu hunc Librum Typis mandari Laurentio Anisson, concedimus, et ne quis ultra concessam facultatem denuo excudat prohibemus, Lugduni die 6. Octobris 1646.

Seve.

TOMUS QUARTUS

D. THOMÆ AQUINATI

DOCTORI ANGELICO

ECCLESIÆ FULGENTISSIMO JUBARI, THEOLOGORUM PRINCIPI ANTESIGNANO,
VERITATIS VERE MAGISTRO,

COLLEGIUM SALMANTICENSE

Sanctissimi Vatis Eliæ Carmelitarum Discalceatorum Primitivæ observantiæ.

O. D. C.

In id jam olim religio, et gratitudo induxerant (Doctor Angelice) ut labores nostri, qui tuis semper militarunt, militabuntque impendiis, tuis etiam appenderentur aris, dicarentur obsequiis : neque alterius licet domestici Mecœnatis ambirent favorem : prout hactenus transmissa à nobis posteritati volumina ipso in fronte testantur. Sed cum hocce de peccatis, et vitiis communi seu bono, seu luci paramus, cæspitat mens, et intra angustum timoris penetrale coercita, tuis se altaribus insinuare refugit litatura. Si enim (vetus parænesis fuit) *Profana censetur hostia, quæ ad votum numinis non electa :* Haud acceptum tibi, innocentiæ et puritatis assertori, offeremus libamen, quod non gratiæ, non virtutum (ut alias) sed vitiorum materies subministrat; quin irreligiosum credetur obsequium, quod vel ipsa peccatorum obscuritas improbaret. Ergo, destinatos jamdudum terminos revellemus? Absit : metam transgrediemur religionis jure præfixam? Nequaquam : stat prisca mens : perennabit votum felici sorte conceptum : et ex ipsis adhuc peccatorum lustris sacrificium tibi neque impurum, neque ingratum persolvet.

Enimvero qui mentitam inanium deorum impensius colebant majestatem, ut illorum securius aucuparentur gratiam, iis potissimum de rebus sacra perficiebant, quæ diis ipsis, vel eorum cultoribus odio et abominationi esse noscuntur : probe arbitrantes, nullo magis illorum oculos oblectari, animos demulceri, quam si in testem deitatis vaporem infensa et execrabilia solvi animadverterent. Hinc Apollini sacratus lupus : qui in candidas oves, quas ille quo dam pastor adamavit, sævius excandescit. Hinc Veneri oblatus aper : qui amasium Adonidem obscæno dente percussum immature peremit. Hinc Cereris in ara sus appensus : qui camporum sata virentia, quibus illa tuendis præsidebat, satagit devastare Nam et si horum altaria numinum aliis et aliis redolerent hostiis, ea tamen acceptior credebatur, quæ infesta et inimica, veluti in triumphi signum, diis ipsis coram, in cineres favillasque redigeret.

Quæ cum ita fuerint (liceat a profanis ad sacra gradum facere) non jam perculsi timore, sed piæ expectationis calcaribus concitati, tibi supremo Theologorum Apollini, scientiarum numini, operis hujus sudorem, in quo universa peccatorum moles per ordinem digesta continetur, animo provoluti sacramus : utque tibi jucundum, saltem pro modulo nostro, rependamus obsequium, veluti confectum de subactis tuæ virtutis imperio inimicorum cervicibus, sacrificium persolvimus : rati, hoc a te præ aliis æstimandum, et in deliciis habendum. Novimus quippe, nihil tibi adeo exosum et invisum, sicut vitia et peccata; totum te in eorum stragem conspirasse, splendentesque lauro victorias de illis retulisse. Quin et studiorum tuorum admirabilis ratio eo potissimum collimavit, ut tam ab animo tuo, in quo nullus unquam piaculis gravibus patuit accessus, quam ab aliorum cordibus, quibus haud difficile insinuantur, vitiorum sordes averteres, peccatorum tenebras profligares.

Adest alter priscorum etiam mos, qui dum blandientis sibi fortunæ favor arridebat in prœliis, parta ex hostibus spolia illi inter divos, uti propria, sacrabant, qui sibi ad pugnam facem prætulisset, cujusque auspiciis victoriæ laurum reportassent. Haud aliter (O Doctorum Mavors) tuæ gloriæ hac in palæstra militare conamur, qui te ductore, peccatorum cuneos tenebrarum densitate stipatos adorsi sumus, latentis veritatis spolia præripere gestientes : eoque laboriosius inivimus certamen, quo difficilius tenebræ a tenebris dispelluntur, a lustris obscura separantur. Verum doctrinæ tuæ radiis obarmati, teque ipso facem præferente, conserente manus (sed et illius in primis adspirante gratia, *qui de tenèbris facit lumen splendescere)* caliginosam peccatorum molem utcumque elucidatam arbitramur : et difficultatum agminibus superatis, in amicabilem lucem veritatem assertam non diffidimus. Per te igitur si quis victoriæ splendor affulsit : tu peccatorum tenebras debellasti : disceptationum nubila abstulisti : *Præ fulgore enim in conspectu tuo nubes transierunt* : cui datum est ut quasi stella matutina in medio nebulæ micanti luce quoquoversus effulgeas : et quasi luna plena intempesta nocte perobscura quæque illuminare valeas. Ergo tua tibi rependimus debita, dum ea, quæ obtinuisti manibus nostris, veritatis spolia sacramus.

Quod si vel his nominibus non satis tibi jucundus præsens labor; aliud superest, quo impulsus ad te veniat, dubio procul placiturus : nempe quia ex te alitur, per te vivit, a te informatur : et (ut uno dicamus verbo) quia tuus ipsius est. Nihil sane a tuarum virtutum candore tractatu isto remotius, si peccati turpitudinis, si dedecoris, si malitiæ habenda ratio : sed hæc nostro in opere materia sunt corpus, cadaver : sententiis vero, doctrina, stylo, atque id genus aliis, penes quæ forma, penes quæ anima, penes quæ vita, nil tibi propinquius, nil conformius; quia non aliunde quam ex te. Tuam ipsius imaginem referunt, tuam exprimunt notionem, te exemplar et magistrum ubique repræsentant. Quinimo si quid boni, si quid veri, si quid acuminis, si quid ponderis, aliaque hujusmodi, quæ ad formale doctrinæ spectant, hoc in opere lector offendet, ex limpidissimo Aquinatis fonte, et ditissimo thesauro illico hausta recognoscet. Neque enim nos quæ scimus (ex Chrysost. in Paul. verba mutuamus) *ab ingenii bonitate scimus : sed quòd* tibi *impensè affecti, a tua lectione nunquam discedimus* (1). Tuum ergo est (Præceptor Sanctissime) si quid hoc in munere ad scientiæ frugem adjecimus : tuum si quid pro veritatis elucidatione vel minus inconcinne scripsimus : tuum si quid communem ad eruditionem haud infructuose laboravimus : quia nihil est, quod, te non dirigente, calamus exaraverit. Non alium nisi doctrinæ tuæ odorem scripti hujus lineæ cunctæ respirant, et apices universi protendunt. In illis propria animatus voce auscultaris; non peregrinam mentitus imaginem introduceris : ne in nobis stigma effigietur, quod neothericis quibusdam scriptoribus merito inuritur : qui cum a tua doctrina plane exorbitent, et fucato genere interpretandi tua placita traducant; te ipsum, quasi propria voce tonantem, nituntur adserere. Verum Trojanos istos græco habitu indutos boni Ulysses incursant : quia clypeos, mentitaque tela *agnoscunt, atque ora sono discordia signant.*

Sed de hoc alias : lemma prosequamur. Cujus non alius jam scopus, quam ut præsens munus gratis oculis amplexeris, eo potissimum quod tuum est, quodque a te acceptum, ut grati animi tesseram reddimus, persolvimus, redonamus.

Ast opponat aliquis, gratitudinis lege a te edocta redonanda non modo beneficia, sed et novo cumulata fœnore, et pro viribus aucta. *Nam gratiæ recompensatio* (inquis) *semper tendit, ut pro suo posse aliquid majus retribuat.* Et iterum. *Ut ille qui suscipit beneficium, aliquid supra debitum recompenset.* Unde ergo gratiam jactamus, qui nihil supra debitum, quia supra acceptum nihil reddere valuimus? Sed iterato auscultemus Magistrum. *In compensatione beneficii* (ais) *magis est considerandus affectus, quam effectus.* Et rursus. *Sicut in justitia attenditur æqualitas rerum, ita in gratitudine attenditur æqualitas voluntа-*

(1) In proœmio super epist. ad Rom.

tum. (1) Si itaque voluntatis, non rei, affectus, non effectus in gratitudine habenda est ratio, haud dubitandum, fœnerata (ut illa præcipit) tibi a nobis dona restitui : quia amoris cumulata usuris : dum non unius privati scriptoris, immo neque unius licet pervenerandi Collegii (et cui præ multis lucem tuæ sapientiæ impertiri dignaris) sed omnium Carmelitarum vota et corda in te optime animata hoc in opere a primo ejus volumine consecravimus. Eximius sane erga familiam nostram tui pectoris amor : quam ita beneficiis in dies oneras, ita ardentioris dilectionis nexibus devincis, ut vix aliam majore charitatis impendio prosequi videaris. Illud præcipue ad nos, quod Carmeli peramœnum campum, quasi nativum sibi alveum, tuæ sapientiæ amnis videtur delegisse : eoque uberius cælestis doctrinæ rore fœcundat, et humectat, quo sine murmure et strepitu lenius secretiusque perfundit. Sed et reciprocus in te, eamdemque cælestem tuam doctrinam Carmelicolarum affectus : minime quidem perfunctorius; immo visceribus infixus : utpote omnibus nobis hereditarius, congenitus ab utero, suctus ab uberibus.

Inclyta Mater et Magistra Seraphica Theresia Sanctissima cum spiritu hunc præcipue affectum visa est indidisse : dum ad lydium tuæ doctrinæ lapidem aurum sibi cælitus infusæ sapientiæ semper ambivit consultissime examinari : cujus lumine ductari amicissime satagebat : illud ratum, sanctumque amplectens, quod Angelicæ tuæ Scholæ, et familiæ alumnis firmum videretur, et tutum. Hoc ipsa enutrita lacte, quidni filiis propinaret, quod dulciter biberat? quo salubriter vixerat? Vere Mater, quia genuit in Christo : vere in integrum Mater, quia quos Deo peperit, lacte salutifero enutriri curavit. Cerva charissima, quæ venenatos et impuros præsentiens doctrinæ fontes, ut filiis præcaveret, salutarem et beneficum materna sollicitudine indigitavit. Mater itaque in lacte tui nobis amorem indidit : immo doctrinæ tuæ Angelicæ lac infudit : quid si quam in lacte Matris ebibimus, medullitus retinemus, regustamus libentius, ardentius prosequimur, et tutamur.

Accidit nobis in hac causa, quod in simili Augustino a quo hæc verba. *Quoniam nomen Salvatoris mei in ipso adhuc lacte matris tenerum meum cor pie biberat, et alte retinebat; quicquid sine tuo nomine fuisset, quamvis litteratum, et expolitum, non me totum rapiebat* (2). Quid ni rapiat totos tuum (O Angelice Thoma) tuæque doctrinæ nomen et numen? immo nihil aliud, quamtumvis litteratum appareat et expolitum, nos rapiat : si quod in lacte bibimus Matris, alte retinemus in corde? Rapis ut motrix intelligentia nostræ sacræ Religionis cælestes orbes : rapis sphæram primam, animum videlicet Superiorum, cujus nutu et exemplo stellæ inferiores, subditorum scilicet corda, ut a te simul rapiantur, excitantur, et moventur : atque id demum a te rapti consequimur omnes, ut tuis inhærentes vestigiis, ad veritatis bravium secure, et immobiliter pertingamus : nec sicut in alia sidera errantia, nullum habentia præfixum epiciclum, adaptari in nos possit scomma illi simile, quod in Vitivergensium fidem pro illorum irrequieta volubilitate festive quidam direxit. *Quid hoc anno Vitivergenses credant, scimus : quid anno sequenti crediturі sunt, et ipsi nesciunt.* Hoc igitur morbo (quo non pauci Theologi suis in theorematibus laborant) haud inquinantur, qui ab hac Angelica intelligentia rapiuntur : iisdem quippe insistunt polis, eodemque super axe majoris lunaris cursum indivulse sequuntur. O nos fœlices, qui rapimur, qui ducimur, qui sequimur : immo qui rapti assequimur, fruimur, deliciamur. Ergo (ô Præceptor Sanctissime) opus tot nominibus debitum, ut fidem liberemus : persolvimus, unaque omnium Carmelitarum corda sacramus : ut gratiam, cui nostrum non suppar studium, communis mereatur affectus.

(1) 2, 2, qu. 106, art. 6. — (2) Lib. 3 confess. c. 4.

CRISIS PATRIS ANTONII GONSALII DE ROSENDE,

Ex familia Patrum Clericorum Regularium Minorum, olim apud Complutenses sacræ Theologiæ primarii Professoris, in supremo Fidei Senatu Censoris ex munere, et Philippi IV. Hispaniarum Monarchæ a sacris concionibus.

Jussu Supremi Castellæ Senatus ad calculum meum accedit continuata enucleatio Theologiæ Scholasticæ, quartus nempe tomus Cursus Theologici, qui est secundus in Primam Secundæ S. Thomæ, elaboratus a sapientissimo æque, et religiosissimo Salmantino Collegio Patrum Carmelitarum Excalceatorum, sic ad mentem Angelici Præceptoris expressus, ut si liceret, non tam commentarium, quam ipsius apographum nuncuparem. Et antequam ad Mercurii virgam descendam, clausis oculis albo calculo comprobatam reddo sanitatem doctrinæ, numeris omnibus absolutam ; sed ut videam cogor, iisce enim verbis me adstringit Supremi Senatus imperium ; possemque non incongrue ad rem usurpare visionem Zachariæ cap. 5. *Levavi oculos meos* [ait, *et vidi, et ecce volumen volans : et dixit ad me : quid tu vides? et dixi, ego video volumen volans :* in qua graphice, ut reor, munus meum depingitur : quid viderim ? Rogor, et ut uno verbo tradam, ego vidi volumen volans : ita enim sublimioribus pennis evehitur, ut dum gradiuntur, aut repunt alia, ipsum volet : ea enim est discursus elevatio, et sublimitas, ut non alio convenientiore vocabulo indigitetur. Est in eo sermonis concinnitas, gravitati Socraticæ apprime conformis : et licet sine calceis liber, sermo suos habet calceos, non de illorum genere, de quibus aiebat Cicero, quod quamvis essent habiles, et apti ad pedes, non tamen viriles, quales illorum sunt, qui effeminatum et muliebre eloquium præcipue insectantur : sic voco plurimorum scripta cincinnis, et calamistris maxime placentia, sed quæ ipsis inurantur. Unde jam omnino tersam aut rasam illorum calumniam video, lucum orationis, ut præcipuum scopum, amplectentium, qui de Thomistica soliditate, et veritate Triumphum sibi ipsis decantabant, cum apud pueros illam floci penderent, ut impolitam, et rudem ; quia non voces, ut Magistri prurientes auribus, sed rerum solidarum nucleum antiqui Thomistæ investigarunt. Methodus, quæ ad sermonem subsequitur, claritati, et proprietati omnino consulens, sicut nullam rem e suo loco deturbat, nullam extra rem vocat : omnia suis locis prudenter aptata, et propriis nexibus firma, intellectum sine labore manu ducunt ad optatam vestigationis beatitudinem, in qua non ignobilis sapientum turba hominis felicitatem collocarit. Hæc vidi, hæc miratus sum ; sed audivi quosdam mussitare, non decere viros arctioribus perfectionis vinculis Deo incumbentes, manum ad docendum calamo admovere. Verum o quam turpiter livor huc impegit ! cum qui Deo magis vacent, profundius de veritatibus Theologicis imbuantur, ad nosque limpidissimos sapientiæ latices purius derivent : illud enim eructant, quod in Deo ebibunt, et contra novitates hujus sæculi periculosas, quo religiosiores Theologi, eo aptiores, ut testis est celeberrimus ille Vincentius Lirinensis cap. 9. *Neque hoc sane norum, siquidem mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet.* Unde immerito oblatraret, qui Religiosissimos Carmeli Patres strictioris observantiæ, accinctos cernat ad arcem veritatis propugnandam, adversus eos, qui irrequietæ mentis ausibus, illam funditus subvertere satagunt. Hoc, ut præfixi, meum judicium est quod Altitudinis Vestræ erit, prout libuerit, approbare. Madriti, in ædibus nostris Spiritus Sancti. Iidb. Martii. Anni M.DC.L.VI.

Antonius Gonsalius Rosende Clericorum Regularium Minorum.

FACULTAS ORDINIS.

Fr. Hieronymus a Conceptione Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli primitivæ observantiæ Congregationis Hispaniæ, de consensu nostri diffinitorii Generalis, etc, ut quartus tomus totius cursus Theologici (qui secundus est in primam secundæ S. Thomæ) a nostro Collegio Salmanticensi elaboratus, et a pluribus iisque perdoctis viris nostri Ordinis, quibus examinandum commisimus, sine offensione approbatus, in communem utilitatem typis excussus lucem aspiciat, tenore præsentium licentiam et facultatem concedimus. In quorum fidem præsentes literas manu nostra ac Secretarii nomine subscriptas, sigillique nostri impressione munitas fieri jussimus in hoc nostro conventu Matritensi die XVI. mensis Januarii anno Domini M.DC.LV.

Fr. Hieronymus a Conceptione, Generalis.

Fr. Franciscus a JESU MARIA, Diffinitor et Secretarius.

APPROBATIO REVERENDISSIMI P. M. F. FRANCISCI DE ARAGON

Ordinis Prædicatorum, in Salmanticensi academia primariæ Theologiæ cathedræ dignissimi moderatoris.

De mandato Illustrissimi D. Domini Petri Carrillo de Acuna hujus civitatis Episcopi, electi Archiepiscopi Compostellani, Catholicæ Majestatis a Consiliis, incredibili animi voluptate perlegi ingeniosissimas lucubrationes, sive præclarissima commentaria super Primam secundæ Præceptoris Angelici D. Thomæ Aquinatis, hoc est, de vitiis et peccatis luculentissimas tractationes a sapientissimis, et religiosissimis Patribus Carmelitanis excalceatis primitivæ observantiæ egregie conscriptas, diligenterque elaboratas. In quibus vitium nullum aut peccatum deprehendere potui, nihil bonis moribus dissonum, fidei contrarium nihil; imo tanta collucent divinitus corrivata sapientia, eruditioneque præfulgent ac præcellunt, ut quicquid in eorum laudationem dixero, adumbratio sit defectuosa, non perfecta descriptio, ac potius defecisse me, quam aliquid fecisse censeam. Nempe nihil illis in argumenti tractatione studiosius, nihil in concinnitudine numerosius, nihil in sententiarum magnificentia et varietate constantius, in indaganda mente Præceptoris Angelici solertius, in ejus enucleandis rationibus profundius, in explicando sensu perspicacius, in resolvendis argumentationum fallaciis subtilius, in veritate manifestanda eloquentius, in procul expungendis, longe lateque errorum tenebris dissipandis efficacius adinveniri potest, aut excogitari. Brevissime dicam, quid sentio : hic non vitiorum, et peccatorum est liber, sed totius perfectionis ac virtutis epilogus est atque thesaurus. Quem pretiosiorem reddunt ordo doctrinæ connexus pulcherrima quasi contexta catena, stylus aureus, grata facundia, fluens argento clarior eloquentia, rationes adamante solidiores, multiplicatæ ubique veluti gemmæ periodi. Posuit Deus in thesauris abyssos : posuerunt Patres Salmanticenses in hoc thesauro abyssum Thomam Aquinatem : nihil enim in eo dictum reperies, quod ex Aquinatis purissimo fonte traductum non delibaverint. Id contestatur humanarum atque divinarum peritia literarum incomparabilis, frequentissimi aculei, dicendi genus elegans et ornatum, sermonis majestas, varietas rerum lectione quidem comparata multiplici, disciplina singularis ex abditis Theologiæ penetralibus accepta atque deprompta, opportunitas qua utitur in exemplis, fides in testimoniis, in redarguendo virtus admirabilis, in refutando vis, sinceritas in referendo, in refellendo modestia, proprietas in verbis, in considerationibus pondus, in loquendo flumen, fulmen in impugnando, in totius operis discursu ingeniosa methodus, ac passim in examen revocata D. Thomæ Doctrina : quam mirifice compilarunt, elucidavere

perspicue, suaviter explanarunt, copiose redundanter que profudere, valide ac strenue defensarunt, eam fideliter exprimentes, feliciter vendicantes, firmissimis circumvallantes præsidiis, dissertissime amplificantes, explicantes acutissime, perspicacissime tandem declarantes : quæ licet omnia in cæteris sapientissimorum Patrum libris prælo missis inspiciantur, tamen nescio qua majori ostentatione in hoc diutius desiderato volumine præfulgent, in quo semet ipsos longe superasse existimarem. Nec mirum, in dies enim magis coram sole Aquinate suis pennis ita sese sublimarunt, ut aquilæ tandem evaderent magnarum alarum : Unde liber iste aquilarum partus facile credi potest. Hic illa Aquila ab Evangelista visa Joanne desuper ipsorum quatuor volumina prius edita, illa longe superans altitudine Doctrinæ, ac styli sublimitate. Felices igitur Patres, qui non liberos, sed libros editis nobilissimi animi vestri perpetua monumenta, et intus latentis in pectore erga Præceptorem Angelicum amoris evidentissima signa : nam (ut verba usurpem Cassiodori in proœmio variarum quæstionum) *Contingit dissimilem plerumque filium generari ; oratio dispar moribus, vix unquam potest inveniri : est ergo ista valde certior arbitrii proles.* Felices iterum Patres, qui cum Religiosæ vitæ sanctitate tantam potuistis conjungere sapientiam : quæ duo conspirare simul, commisceri, societatemque contrahere negaverat Aristoteles auctoritate. Sed ille cum cœlestia ignoraret, falsam protulit sententiam : quandoquidem ad divina perscrutanda mysteria religionem apprime conducere, summeque necessariam esse, nemo si sacra auscultaverit eloquia in dubitationem revocabit. Certe legislator optimus Moyses solvit calceamenta de pedibus suis, ut magnum sacramentum attingere promereretur, ardentem scilicet rubum minime combustum. Ita Patres Carmelitani primitivæ observantiæ abstulerunt calceamenta de pedibus suis, neque tantum pedes nudarunt, verum et animum terrenis exuerunt affectibus : quo factum est, ut discalceati profundissima mysteria penetrarent, divina perscrutarentur arcana, latentes investigarent atque assequerentur rerum causas supernarum, rubum incombustum Summam D. Thomæ in perpetuas duraturam æternitates (in qua residet Deus, universaque Theologia describitur) tam alte vereque interpretarentur. Rubus (Isidoro testificante) arbor est implicatissima habens folia : Summa Angelici Magistri arbor est illa nunquam marcescentis sapientiæ, ex qua ramo uno avulso neu deficit alter aureus, et simili frondescit virga metallo : implicata pariter habens folia ob multiplicitatem connexarum inter se quæstionum, et numerum articulorum. Ardebat rubus pariter et lucebat, nec comburebatur ob occultam Dei virtutem : ardet quoque et lucet mirum in modum nec comburitur Summa D. Thomæ : quomodo enim consumi poterat, in cineres favillasque dissolvi, quæ aquas occultat immensæ sapientiæ, quæ in quatuor partes quatuor veluti paradisi dividitur flumina, quæ rigat montes de superioribus suis, de fructu operum suorum terra satiatur ? Accesserunt itaque Patres Carmelitani Moysis, et Eliæ spiritus hæredes, viderunt tam grande portentum, quod nimirum summa D. Thomæ, circum appositis oppugnationum ignibus, concertationum æmulatione succensa, instar rubi arderet et non combureretur. Rem gestam animadvertentes, ab adversariorum telis, ab hæreticorum invidia voluerunt illam vendicare, scriptis elegantissimis insudantes, ut innocentiam illæsam tuerentur, veritatem illibatam custodirent, hostium conatus infringerent ac retardarent. Quod pro sui ingenii perspicacitate, facili sunt negotio consequuti, hoc potissimum de vitiis, et peccatis literis exarato volumine, in quo maximam ostendere dexteritatem. Quamvis enim in fronte operis celeberrimi vitia prælegantur et peccata, id tamen crediderim factum, ut magis virtus elucesceret authoris. Prodeat igitur in lucem, seu ut melius dicam, lucem afferat orbi terrarum universo. Prodeat in publicam utilitatem, in magistrorum gratiam, in discipulorum diligentiam, et eruditionem, in Thomisticæ Doctrinæ decus, et ornamentum, in Dominicanæ familiæ gloriam, in vestræ religionis famam, et immortalitatem, in totius demum Catholicæ Ecclesiæ emolumentum atque splendorem. Vos autem ornatissimi Patres estote securi de præmio vestris laboribus digno : vos palma expectat atque triumphus in cælis, ubi Angelus Thomas serta componit, inserit aureolas, nectit coronas vestris capitibus

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

impositurus : *cum enim* (ut cum Vitruvio auctore antiquissimo concludam) *Tanta munera ab scriptorum prudentia fuerint hominibus præparata non solum arbitror palmas, et coronas his tribui oportere, sed etiam decerni triumphos, et inter Deorum sedes eos dedicandos.* Sic sentio in nostro Salmanticensi Collegio S. Stephani die 24. Junii 1655.

Fr. Franciscus de Aragon.

LICENTIA DEL ORDINARIO.

Don Pedro Carrillo de Acuna ,por la gracia de Dios y de la Santa Sede Apostolica Obispo de Salamanca electo Arcobispo de Santiago, del Consejo de su Magestad, etc. Atento a que aviendo sido visto de nuestra commission y mandado el libro que los Padres Carmelitas Descalzos del Colegio de esta Ciudad desean imprimir con titulo de tomo quarto del curso Theologico Salmanticense de los Padres Carmelitas Descalzos, que contiene el tratado de vitiis et peccatis sobre la Prima secundæ de Santo Thomas, por el mui R. P. M. Fr. Francisco de Aragon, Regente del Convento de S. Esteban de esta Ciudad, del Orden de Predicadores, y Cathedratico de prima de Teulugia en su universidad, parece segun su aprobacion no tener cosa alguna contra la fe Catholica y buenas costumbres, por las presentes damos licentia paraque teniendola de los Senores del Real Consejo conforme a las prematicas y leges de estos reinos, se pueda imprimir por el tiempo que se les concediere. Dada en nuestro palacio Episcopal de Salamanca a 25. de Junio 1655. Anos.

Pedro Obispo de Salamanca.

Por mandado de su Senoria Illustrissima
Secretario del Obispo mi Senor Licenciado, Andres Martinez de Loysa.

EL REY.

Por quanto por parte de vos el Procurador General de la Orden de los Descalzos de N. S, del Carmen de la primitiva observancia nos fue fecha relacion, que el Collegio que la dicha vuestra Religion tenia en la Universidad de Salamanca en prosecucion del Curso Theologico que teñia comenzado sobre las partes del Angelico Doctor Sancto Thomas, de que tenia impressa toda la primera parte, y el primer tomo sobre la Prima secundæ, y para el secundo tenia las aprobaciones necessarias de la Orden, y del Ordinario, y licencias todas para poderlo imprimir suplicandonos, os mandassemos dar licentia para poder hazer la dicha impresion del dicho segundo tomo de la Prima secundœ, y para que por espacio de veynte Anos ninguno otro lo pudiesse imprimir, ni impresso en otros Reynos estranos se pudiesse entrar en estos poniendo sobre ello graves penas, o como la nuestra merced fuesse. Visto por los de nuestro Consexo, y como por nuestro mandado se hizieron las diligencias, que por la Pregmatica pot nos ultimamente fecha sobre la impression de los libros se dispone, fue acordado debiamos mandar dar esta nuestra zedula para vos en la dicha razon, y nos tubimoslo por bien. Por laqual damos licencia y facultad al dicho Colegio de Religiosos Descalzos de N. S. del Carmen de la dicha Universidad de Salamanca paraque por dies anos primeros siguientes y no mas pueda imprimir y vender el, o la persona que su poder hubiere, y no otra alguna el dicho libro intitulado segundo tomo de la Prima secundæ deque va fecha mencion por el original que en el nuestro Conseio se vio que va rubricado y firmado al fin de Miguel Fernandez de Noriega nuestro secretario de

Camara de los que en el residen, conque antes que se venda se trayga ante ellos juntamente con el original, paraque se vea si la dicha impresion esta conforme a el, o se trayga fee en publica forma como por Corrector por nos nombrado se vio y corrigio la dicha impresion por el dicho original, y se tase el precio porque se ha de vender. Y mandamos al impresor que imprimiere el dicho libro no imprima el principio y primer pliego, ni entregue mas que un solo libro con su original el Autor y persona a cuya costa se imprimiere, y para effecto de la dicha correccion, astaque antes y primero el dicho libro este corregido, y tassado por los del nuestro Confesso. Y estandoloy no en otra manera pueda imprimir el dicho principio y primer pliego y segundo, donde se ponga esta nuestra Zedula, y la aprobacion que a cerca de ello se hizo por nuestro mandado, y la tassa y erratas : penas de caer e incurrir en las penas contenidas en la leyes y pregmaticas de estos nuestros Reynos que sobre ello disponem. Y mandamos que ninguna persona sin licencia del dicho Colegio pueda imprimir el dicho libro : y si lo hiziere, aya perdido y pierda todos y qualesquier libros, moldes, y apareios, que de ello tubiere, y mas incurra en pena de cinquenta mil maravedis ; la tercia parte para nuestra Camara, y la otra tercia parte para el juez, que lo sentenciare, y la otra tercia parte para el denunciador. Y mandamos a los del nuestro Consejo Presidentes y Oydores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, Alguaçiles de la nostra Cassa y Corte, y Chancillerias, y a todos los Corregidores, Asistentes, Governadores, Alcaldes mayores y Ordinarios, y otros Juezes y Justicias qualesquier de todos las Ciudades, Villas, y lugares de estos nuestros Reynos y Senorios, y cada uno en su juridiccion que guarden y cumplan esta nostra Zedula, y contra ella no vayan, ny passen, ni consientanir, ni pasar en manera alguna. Dada en Madrid a diez dias de mes del Abril de Mily seyscien- tos, y cinquenta y seys Anos.

Yo el Rey.

Por Mandado del Rey N. Senor
Martin de Villela.

EL REY.

Por quanto por parte de vos el Procurador General de la Orden de los Descalzos de N. S. del Carmen de la primitiva observancia se nos hizo relacion que al Colegio que la dicha Religion tiene en la Universidad de Salamanca en prosecucion del Curso Theologico que tenia comenzado sobre las partes del Angelico Doctor Sancto Thomas le aviamos concedido Privilegio para imprimir por diez anos el secundo tomo sobre la Prima secundæ; y se nos suplico le mandassemos dar licencia para poder hazer la dicha impresion fuera del Reyno. Y visto por los del nuestro Consejo fue acordado debiamos mandar dar esta nuestra Zedula para vos en la dicha razon, y nos lo tubimos por bien. Por lo qual damos licencia y facultad al dicho Colegio de Religiosos Descalzos de N. S. del Carmen de la dicha Universidad de Salamanca para que por esta vez pueda hazer imprimir el dicho libro de que va fecha mencion (paraque tiene licencia y privilegio) fuera de estos nuestros Reynos, y entrarlos en ellos cumpliendo con lo dispuesto por las leyes y pregmaticcas que sobre lo suso dicho tratan imprimiendose al principio de los dichos libros esta nuestra Zedula, y con que despues de impresos los presente en el nuestro Consejo, paraque se tasse el precio a que cada uno de los dichos libros se huviere de vender, que para en quanto alo referido por esta vez dispensamos con las leyes y pregmaticcas que lo prohiben, que dando en su fuerza y vigor para en lo demas adelante. Fecha en Madrid à quatro dias del mes de Julio de Mil y seyscientos y cinquenta y seys Anos.

Yo el REY.

Por Mandado del Rey N. Senor.
Martin de Villela.

LICENTIA VICARII GENERALIS

Illustrissimi Archiepiscopi Lugdunensis.

Antonius de Neuf-Ville, Presbyter, S. Justi Abbas, et Vicarius Generalis in Spiritualibus et Temporalibus, Sedis Archiepiscopatus Lugdunensis : Librum cui inscriptio est; *Collegii Salmanticensis Carmelitarum discalceatorum, Cursus Theologici Tomus IV.* a Theologis approbatum : Ut in lucem edatur facultatem concedo. Lugduni die 19. Januarii 1658.

Antonius de Neuf-Ville.

CONSENSUS PROCURATORIS REGII.

Librum cui titulus est, *Collegii Salmanticensis Carmelitarum discalceatorum Cursus Theologici Tomus IV.* Ego Procurator Regius, typis mandari consentio, Lugduni die 21. Januarii 1658.

Vidaud.

Librum inscriptum, *Collegii Salmanticensis Carmelitarum discalceatorum Cursus Theologici Tomus IV.* a Laurentio Anisson, et Joan. Bapt. Devenet, in lucem dari permittimus, ac simul ne quis citra factam eis ab iisdem potestatem denuo excudat interdicimus. Datum Lugduni die 22. Januarii 1658.

Seve.

TOMUS QUINTUS

ANGELICO DOCTORI

DIVO THOMÆ AQUINATI,

ECCLESIÆ FULGENTISSIMO JUBARI, SACRÆ THEOLOGIÆ PRINCIPI ANTESIGNANO, PRÆCLARO VERITATIS MAGISTRO,

COLLEGIUM SALMANTICENSE

Sanctissimi Vatis Eliæ Carmelitarun Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli.

O. D. C.

Fontes luci sacros, sive Solis nomine insignes ipsa ostendunt eloquii sancti verba divina. Adsit Josue cap. 15. ubi : *Fons Solis* habetur. Adsit et Esther. 10 ubi : *Parvus fons crevit in fluvium, et in lucem, Solemque conversus est.* Quibus testimoniis inter fontem et Solem nexus mirabilis aperitur, ac proditur sympathia. Nec mirum sane, cum lucis fonte aquarum quoque originem maritari, quando ex cœlestis luminis influentia liquidi humoris abundantia scaturit. Hinc jam merito apparet, qua ratione, Doctor Angelice, post de peccatis opus, opus de gratia, tibi iterata veneratione dicamus : dum enim te fulgentissimum solem sapientiæ, lucidis undequaque radiis decorum supplicibus adoramus obsequiis, quid in gratiæ fontem perennem tuis altaribus litaremus ? Est gratia fons aquæ salientis in vitam æternam, irriguusque mentis latex fluido virtutum supernaturalium humore adeo cœlitibus se se ingerit, ut ad usque divinitatis solem rores attentet spargere. Nascitur a natura divina, cujus est indigenita portio, nostrumque derivans ad pectus superam affluentiam, ad eandem originem, a qua exivit, salientes cogit latices elevari. Gratiæ opus fontem gratiæ nuncupari decernimus, dum e tuis operibus fluenta sacra libantes, suo manali, nimirum radiantibus tuis splendoribus sol Aquinas, eadem reverti statuimus sine mora : ut unde manavere gurgites, suæ cognoscant scaturiginis incrementum, et primum allaudent ebullitionis exordium. Vitalis hæc aqua est, quæ ex fonte dilabitur adeo puro. Fatemur equidem nos his laticibus sic nutriri, ut quod sensibilis aqua corpori præstat, hoc et mentibus nostris sapientiæ Thomisticæ fons præclarus. *Ut piscis*, aiebat Ennodius, *aqua abstractus vitalibus indumentis privatus extinguitur, sic ego subductus eloquii vestri fluentis interimor* (1). Ita squamosa animalia vitales halitus mutuantur ab aqua, ut sicco in littore exanimata devivant : sic et nos subducti eloquii Thomistici fluentis interimimur. O quam verum est, te qua solem, qua fontem spiritus nostris animis præstitisse vitales, dum ex doctrinæ tuæ meditatione continua adeo efferimur, ut Angelico potius, quam humano clamemus animo vegetari. Jam diu per campos tuorum operum discurseramus amœnos, jam odorantes mentis tuæ flores ore limpido legeramus, inque vernis paradisi Thomistici floribus, qua fas extitit, velut indefessæ apiculata sollicita diligentia, diligentique sollicitudine succos libaveramus nectareos. Deerat adhuc et quod emananti perenniter gratiæ fonti labra applicarentur sitientia, ut ex inde epotis lymphis sacris, nec tantalico experto supplicio ad solares radios phœbi Aquinatis suavi dulcedine degustandos majori attenderemus conatu. Quod et factum est, Deo auspice. En, Doctor Angelice, gratiæ opus tibi dicamus, et in hoc purissimo fonte tua nobis ad vivum effulget imaginis claritudo. Quid mirum ? cum etiam

(1) 46. epist. 3.

in vitrea limpiditate illibati fluxus aquarum inspiciantur astrorum cœlestium imagines perpolitæ.

Sic ubi tranquillo pellucent sydera ponto
Vibraturque fretis cœli stellantis imago.

Non semper est, ut aiebat Lucillus, *aquarum speculum mendax;* est et aliquoties verissimum, maxime si in gratiæ fonte perenni stabilitate fluentis Aquinatis solis intueamur aspectum, ubi expressissima se se nobis objicit ejus imago : habet enim nitida gratiæ crystallus altum cum virginitate commercium, et quia sol Thomas virgo est, in puris laticibus vibrantem faciem immittit, ut inde vibratus splendor caracterem nobis imprimat tanti solis. Equidem jam in anteactis operibus te satis cognoverat noster amor, et eo ipso circumquaque redolebat tuæ venerationis odorem; ast in gratiæ fonte pellucido tuæ similitudinis sigillum nobis inditur, et figura, utpote quæ excussis radiis vitreo ex latice lineata ad unguem refulget. Hinc ut ab origine nascitur, quod cum hoc opere nexus habeat illud tuæ sanctitatis elogium, pariter et doctrinæ : *Rigans montes de superioribus tuis, de fructu operum tuorum satiabitur terra* Enimvero si ad aquarum fluidum illapsum mentis oculos torque amus ; pro comperto est tuam de gratia doctrinam quasi imbribus sacris ex imprægnanti cœlo disruptis, seu torrentibus aqua fœcundis, et per amœnantes campos crystallinis anfractibus huc, illu dispersis, orbem irrigasse universum, Deique irrorasse sanctam Ecclesiam. Attamen si attendamus ad fructus, qui de tot iniquis laticibus succreverunt in dies, prius ad tenebras sol rueret cubaturus, quam vel minor sufficienti applauderetur eloquio. Utrumque est mirabile, utrumque unicum, utrumque indignum, quod adeo exilibus plausibus celebretur. Scimus utique (et hoc fuit semper omnium nostrum cor unanime, votumque conforme) te suæ gratiæ Deum elegisse vindicem singularem, ut insolentem hæresum turbam gratiæ inimicam funditus extirpares, et ad Ecclesiæ pedes colla traheres monstruosa, sive limpidis roribus illustrando mentes fidelium, sive ardentibus radiis excæcando corda proterva. En qualiter cum hoc opere nectatur illud elogium : *Rigans montes de superioribus tuis, de fructu operum tuorum satiabitur terra.* Quippe qui dum e gratiæ fonte spargis rivulos inundantes, et e cœlo sancto irradias sol luminosus, catholicum viridarium amœnas, atque apostatas acies exturbas. Nec mysterio eget, quod ad sex reduxeris quæstiones gratiæ œconomiam : sunt equidem sex canales, quibus ad nos derivatur hujusce fontis tota affluentia. Sexta hora erat, cum Salvator alloquens peccatrici, Samariæ fontis nomen indidit gratiæ Dei dicens, quod qui biberit ex illa aqua, fieret in eo *fons aquæ salientis in vitam æternam.* Quasi Deus, ut nobis suæ gratiæ ostenderet abundantiam in ætatibus sex, sex quoque eligeret tubulos, seu canales, quibus illaberetur ad pectora nostra tempor is plenitudo : et in hora sexta, id est, sub ardenti sole perageret hoc mysterium, ut nec convenientia deesset fontis, et solis. Igitur cum et nos videamus in sex quæstionibus 1. 2. nempè a quæstione 109. inclusive usque ad 114. omne peractum gratiæ negotium, quid inde sacratius auspicaremur, quam per sex rivulos ad nos effluxisse gratiæ mysterium sub ardenti sole Aquinatis : ut in primo rivulo libaremus gratiæ indigentiam, in secundo naturam, divisionem in tertio, causam in quarto, in quinto, et sexto effectum duplicem justificationis, et meriti, quibus sapide degustatis inter fontem gratiæ, Thomæque solem eructaremus mysticam cohærentiam. Hic est parvus fons, quem numini tuo, Doctor Angelice, provoluta reverentia sacramus, cordatisque, ac repetitis affectibus tua suspendimus ad altaria. Parvus est fons quia noster, magnus quia tuus, dum quia tuus *influvium,* immo *et in lucem, solemque conversus est, et in aqua plurimas redundavit.* Accipe ergo benevola fronte munusculum, quod litamus. Debitum est, non gratia, licet gratiæ titulo coronetur : accipe debitum, quod est gratia, et repende gratiam pro debito, ut dum gratiæ lucidissimæ tanti solis gratiæ fontem sacramus, verum sit, quod alias : *Ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur.*

APPROBATIO R. P. M. F. FRANCISCI RELUZ,

Ordinis Prædicatorum, in Salmanticensi Academia primariæ Theologiæ Cathedræ sapientissimi Moderatoris.

Illustrissimi, et Reverendissimi D. D. D. Francisci Xeixas Episcopi Salmantini, Catholicæ Majestatis a Consiliis, vidi, et avida, diligenti, ac reverenti diligentia evolvi præclara commentaria ad Angelicum Magistrum circa præcipuos Tractatus Primæ Secundæ, et Secundæ Secundæ, non solum sine macula, aut levi ruga, catholicæ doctrinæ, sacris Ecclesiæ præscriptionibus, et sanctorum Patrum documentis minus consona : verum fulgenti, et perpolito stylo, discursibus solidis, firmis demonstrationibus, sententiarum gravitate, amplissimæ eruditionis sanctorum Patrum non vulgari, sed acri indagine, et denique eloquentiæ magistralis floribus universo operi respersis referta, limata, enucleata, et (pro coronide) Angelici Magistri doctrinæ rigida intelligentia supra stuporem conformia : Auctore Religiosissimo, et cordiali affectu mihi colendissimo Collegio Patrum Discalceatorum B. Mariæ de Monte Carmeli Primitivæ Observantiæ. Cujus doctissimi Patres, et Magistri, tutrice aurora Maria, quoniam ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt, ut arbitror, tanquam stellæ in perpetuas æternitates. Disseritur in hoc opere (præmisso jam de peccatorum tenebris tractatu) de gratiæ luce, id est de gratia, justificatione, et merito, sub hac D. Thom. capitali inscriptione : *Consequenter considerandum est de exteriori principio humanorum actuum, scilicet de Deo, prout ab ipso per gratiam adjuvamur ad recte agendum.* Congruus doctrinæ ordo, juxta illud Boëtii :

Gratius astra nitent, ubi Notus
Desinit imbriferos dare sonos.
Lucifer ut tenebras pepulerit,
Pulchra dies roseos agit equos.

In lumine ergo cœlestis gratiæ constituti prædicti Collegii Patres, et Magistri, illique amicabili fœdere uniti tam strenue certamen gerunt, ut pro gratiæ dignitate tuenda vitam agant : in quo ipsius gratiæ jura custodiunt. Etenim si cunctis animantibus insitum est, ut in vitæ discrimine utantur omnibus modis, ac viribus, quibus eam tueri possunt : qua cura impetu, et spiritus vigore satagendum est viro catholico cum non illa vita impugnatur animalibus communis, sed superior, per quam ab hujus vitæ miseriis liberandus est, et æternitate victurus? Quibus autem mediis, et armis uti oporteat ad vitalis gratiæ tutamen, optime noverunt hi sapientissimi, et religiosissimi Magistri, dum ad instar Moysis vocant omnem virum eruditum, cui Dominus dedit sapientiam ad opus Sanctuarii, videlicet cum juvamina petunt a sanctis Ecclesiæ Doctoribus, quibus Dominus jam diu infuderat scientiam subtilem, solidam, et irrefragabilem ad controversias de gratia dirimendas. Inter quos palmam tulisse magnum Augustinum, et Angelicum Thomam, docent Pontifices, et probat plausus totius Ecclesiæ. Thomas vero, quæ Augustinus de gratia fusius docuerat, ad eum ordinem in summa redegit, ut pie credatur Paulum gratiæ Doctorem ipsi revelasse quidquid humana mente capi potest. Unde merito gravissima hæc Patrum Carmelitarum Congregatio Angelicum sibi tum in aliis, tum præcipue in gratiæ controversiis elegit Doctorem, dicens cum Propheta : *Declaratio sermonum tuorum illuminat.* Et, *Os meum aperui, et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.* Ardet enim doctrinæ Thomisticæ amore, et Thomæ spiritum vehementi spiritu attrahit. Petivit Eliseus, ut fieret in eo duplex spiritus magni Eliæ. Cui parens : *Si videris*, inquit, *me quando tollar a te, erit tibi, quod petisti.* Quid meriti in visione? Cur, si videat, duplicatum accipiet spiritum? Quia Eliseus vel jussus a magistro recedere, non recessit; sed pie, religiose, et reverenter ejus præsentiam requisivit : et ascendentem magistrum oculis saltem, et affectu prosequutus fuit : unde dupli-

cem, hoc est, maximum ipsius spiritum meruit. Si ergo Eliseo personalem magistri præsentiam ambienti provisum abundanter est de spiritu patris; quas utriusque filiis, et venerandi Collegii magistris, tot laboribus Angelici Doctoris honori, et mentis investigationi incumbentibus, et tanti præceptoris spiritum anhelo corde, et ore attrahere suspirantibus, ejusque disciplinæ ardenti devotione consecratis, et inter discipulos fidelissimis; quas, inquam, pro tot obsequiis rependet gratias Angelicus ipse Doctor? Omitto fulgentes gloriæ coronas, quas placidus debitor impetrabit. Procul dubio jam concessit duplicatum spiritum pro his commentariis (quæ non satis admiramur) ad strenuam gratiæ defensionem in illustratione intellectus, et purgatione affectus inclusum : quem duplicem spiritum magnum Eliam transtulisse in Eliseum interpretatur D. Bernardus. Aut aliter exponamus hunc duplicem spiritum a D. Thoma sapientissimis Carmelitis Discalceatis concessum. Prior est fidelis, sincera, et vera litteræ D. Thomæ interpretatio. Alter est censoria vis, et aquilina acies ad discernendum inter veros, et fictos, falsos, ac larvatos D. Thomæ discipulos. Petrus apostolorum princeps, quæ sibi, et condiscipulis occurrebant, tanquam alios docturus Magistro statim proponebat. Semel requisivit de præmio. Cui Jesus : *Vos qui secuuti estis me, sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israël.* Judiciariam potestatem in præmium Apostolis assignavit supra universos fideles (infidelis enim jam judicatus est) : quia relictis omnibus, et semetipsos abnegantes Christo præceptori adhæserant. Cur igitur huic perillustri Congregationi cordialiter Angelico Doctori adhærenti, aliorum dictamina relinquenti, et intellectum in tanti Præceptoris obsequium captivanti (quod redolet supremum paupertatis evangeliçæ gradum) denegabimus discretoriam spirituum dignitatem inter veros et falsos discipulos D. Thomæ? Habet profecto in omnibus, et in his præsertim de gratia controversiis. Quare hoc mirabile Opus non solum dignum existimo, ut prælo mandetur; sed quod universæ Scholæ amplectantur, utpote legitimum doctrinæ Thomisticæ partum, et quod vere mentem D. Thomæ ab universo orbe celebrandam continet. Sic sentio in Conventu S. Stephani Salmanticensis, die 28. Octobris, anni 1676.

Fr. Franciscus Reluz.

FACULTAS ILLUSTRISSIMI,

Ac Reverendissimi Domini D. Francisci de Seixas, *et* Losada, *Episcopi Salmanticensis, Regii Consiliarii.*

Nos D. Franciscus de Seixas et Losada, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Salmantinus, Regiusque Consiliarius, etc. Cum ex præscripto nostro R. P. M. Fr. Franciscus Reluz Ordinis Prædicatorum, et in hac Salmanticensi Academia Primariæ sacræ Theologiæ Cathedræ perpetuus Antecessor viderit et approbaverit librum cui titulus est, *Collegii Salmanticensis Fratrum Discalceatorum B. Mariæ de Monte Carmeli Primitivæ Observantiæ Cursus Theologicus juxta miram A. D. D. Thomæ doctrinam, Tomus octavus præcipuos Tractatus Secundæ Secundæ usque ad finem complectens,* nihilque in eo sit inventum, quod sanctæ Ecclesiæ, et bonis moribus adversetur. Tenore præsentium quantum ad nos attinet, facultatem concedimus, ut typis mandetur. In quorum fidem præsentes litteras manu nostra et sigillo munitas, ac per infrascriptum Secretarium nostrum refrendatas expediri jussimus. Salmanticæ, die quinta mensis Novembris, Anno salutis millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto.

Franciscus, Episcopus Salmantinus.

De mandato Illustrissimi Domini mei Episcopi,

Joan. Fernandez de Mourillon, *Secretarius.*

Locus † sigilli.

FACULTAS ORDINIS.

Fr. Sylvester ab Assumptione Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli, Primitivæ Observantiæ, de consensu nostri Diffinitoris Generalis, etc. ut liber cujus titulus est, *Cursus Theologicus, Tomus quintus de Gratia, Justificatione, et Merito,* a nostro Collegio Salmanticensi elaboratus, atque a gravibus doctisque viris nostri Ordinis (quibus ipsum videndum, et examinandum commisimus), recognitus, et approbatus, typis mandetur, et in lucem prodeat; tenore præsentium licentiam, et facultatem concedimus. Dat. Matriti die trisegima Septembris, Anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto.

Fr. Sylvester ab Assumptione, Generalis.

Fr. Nicolaus a Sancto Elia, *Diffinitor, et Secretarius.*

APPROBATIO R. P. M. F. FRANCISCI RELUZ,

Ordinis Prædicatorum in Salmanticensi Academia primariæ Theologiæ cathedræ sapientissimi Moderatoris.

Illustrissimi, et Reverendissimi D. D. D. Francisci Xeixas Episcopi Salmantini, Catholicæ Majestatis a consiliis, vidi, et avida, diligenti, ac reverenti diligentia evolvi præclara commentaria ad Angelicum Magistrum (scopum, et felicem consummationem 1. 2, a quæst. 109. usque ad 114.) non solum sine macula, aut levi ruga, catholicæ doctrinæ, sacris Ecclesiæ præscriptionibus, et sanctorum Patrum documentis minus consona : verum fulgenti, et perpolito stylo, discursibus solidis, firmis demonstrationibus, sententiarum gravitate, amplissimæ eruditionis sanctorum Patrum non vulgari, sed acri indagine, et denique eloquentiæ magistralis floribus universo operi respersis, referta, limata, enucleata; et (pro coronide) Angelici Magistri doctrinæ rigida intelligentia supra stuporem conformia : Auctore Religiosissimo, et cordiali affectu mihi colendissimo Collegio Patrum Discalceatorum B. Mariæ de Monte Carmeli Primitivæ Observantiæ. Cujus doctissimi Patres, et Magistri, tutrice aurora Maria, quoniam ad justitiam eruditunt multos, fulgebunt, ut arbitror, tanquam stellæ in perpetuas æternitates (1). Disseritur in hoc opere (præmisso jam de peccatorum tenebris tractatu) de gratiæ luce, id est de gratia, justificatione, et merito, sub hac D. Thom. capitali inscriptione : *Consequenter considerandum est de exteriori principio humanorum actuum, scilicet de Deo, prout ab ipso per gratiam adjuvamur ad recte agendum* Congruus doctrinæ ordo, juxta illud Boëtii.

Gratius astra nitent, ubi Notus
Desinit imbriferos dare sonos.
Lucifer ut tenebras pepulerit,
Pulchra dies roseos agit equos (2).

In lumine ergo cœlestis gratiæ constituti prædicti Collegii Patres, et Magistri, illisque amicabili fœdere uniti tam strenue certamen gerunt, ut pro gratiæ dignitate tuenda vitam agant : in quo ipsius gratiæ jura custodiunt. Etenim si cunctis animantibus insitum est, ut in vitæ discrimine utantur omnibus modis, ac viribus, quibus eam tueri possunt : qua cura, impetu, et spiritus vigore satagendum est viro catholico cum non illa vita impugnatur animalibus communis,

(1) Daniel, 12. — (2) Boetius, lib. III metro 1.

sed superior, per quam ab hujus vitæ miseriis liberandus est, et æternitate victurus? Quibus autem mediis, et armis uti oporteat ad vitalis gratiæ tutamen, optime noverunt hi sapientissimi, et religiosissimi Magistri, dum ad instar Moysis vocant omnem virum eruditum, cui Dominus dedit sapientiam, ad opus sanctuarii; videlicet cum juvamina petunt a sanctis Ecclesiæ Doctoribus, quibus Dominus jam diu infuderat scientiam subtilem, solidam, et irrefragabilem ad controversias de gratia dirimendas. Inter quos palmam tulisse magnum Augustinum, et Angelicum Thomam, docent Pontifices, et probat plausus totius Ecclesiæ. Thomas vero, quæ Augustinus de gratia fusius docuerat, ad eum ordinem in summa redegit, ut pie credatur Paulum gratiæ Doctorem ipsi revelasse, quidquid humana mente capi potest. Unde merito gravissima hæc Patrum Carmelitarum Congregatio Angelicum sibi cum in aliis, cum præcipue in gratiæ controversiis elegit Doctorem, dicens cum Propheta : *Declaratio sermonum tuorum illuminat.* Et, *os meum aperui, et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.* Ardet enim doctrinæ Thomisticæ amore, et Thomæ spiritum vehementi spiritu attrahit. Petivit Eliseus, ut fieret in eo duplex spiritus magni Eliæ. Cui parens : *Si videris,* inquit, *me, quando tollar a te, erit tibi, quod petisti.* Quid meriti in visione? Cur, si videat, duplicatum accipiet spiritum? Quia Eliseus vel jussus a magistro recedere non recessit; sed pie, religiose, et reverenter ejus præsentiam requisivit : et ascendentem magistrum oculis saltem, et affectu prosecutus fuit : unde duplicem, hoc est, maximum ipsius spiritum meruit. Si ergo Eliseo personalem magistri præsentiam ambienti provisum abundanter est de spiritu patris : quas utriusque filiis, et venerandi Collegii magistris, tot laboribus Angelici Doctoris honori, et mentis investigationi incumbentibus, et tanti Præceptoris spiritum anhelo corde, et ore attrahere suspirantibus, ejusque disciplinæ ardenti devotione consecratis, et inter discipulos fidelissimis; quas, inquam, pro tot obsequiis rependet gratias Angelicus ipse Doctor? Omitto fulgentes gloriæ coronas, quas placidus debitor impetrabit. Procul dubio jam concessit duplicatum spiritum pro his commentariis (quæ non satis admiramur), ad strenuam gratiæ defensionem, in illustratione intellectus, et purgatione affectus inclusum : quem duplicem spiritum magnum Eliam transtulisse in Eliseum interpretatur D. Bernardus. Aut aliter exponamus hunc duplicem spiritum a D. Thoma sapientissimis Carmelitis Discalceatis concessum. Prior est fidelis, sincera, et vera litteræ D. Thomæ interpretatio. Alter est censoria vis, et aquilina acies ad discernendum inter veros, et fictos, falsos, ac larvatos D. Thomæ discipulos. Petrus Apostolorum princeps, quæ sibi, et condiscipulis occurrebant, tanquam alios docturus Magistro statim proponebat. Semel requisivit de præmio. Cui Jesus : *Vos qui sequuti estis me, sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israël.* Judiciariam potestatem in præmium Apostolis assignavit supra universos fideles (infidelis enim jam judicatus est) : quia relictis omnibus, et semetipsos abnegantes Christo præceptori adhæserant. Cur igitur huic perillustri Congregationi cordialiter Angelico Doctori adhærenti, aliorum dictamina relinquenti, et intellectum in tanti Præceptoris obsequium captivanti (quod redolet supremum paupertatis evangelicæ gradum) denegabimus discretoriam spirituum dignitatem inter veros, et falsos discipulos D. Thomæ? Habet profecto in omnibus, et in his præsertim de gratia controversiis. Quare hoc mirabile opus non solum dignum existimo, ut prælo mandetur; sed quod universæ scholæ amplectantur, utpote legitimum doctrinæ Thomisticæ partum, et quod vere mentem D. Thomæ ab universo orbe celebrandam continet. Sic sentio in Conventu S. Stephani Salmanticensis, die 28. Octobris, anni 1676.

Fr. Franciscus Reluz.

TOMUS SEXTUS ET SEPTIMUS

ANGELICO DOCTORI

DIVO THOMÆ AQUINATI,

ECCLESIÆ FULGENTISSIMO JUBARI, THEOLOGORUM PRINCIPI, VERO VERITATIS MAGISTRO,

COLLEGIUM SALMANTICENSE

Sanctissimi Vatis Eliæ Carmelitarum Discalceatorum Primitivæ Observantiæ

O. D. C.

Ad Te jam sextus hic noster Tomus alacri corde festinat (Angelice Doctor) nec velut extera navis peregrinis vocibus portum salutat; sed enim, ut verè est, indigena proles tua reciprocis cumulat altaria muneribus, propriosque Penates adorat. Nam si de mentis tuæ penu fateri necessum est ebibisse insatiabili ore quod damus, quid mirum tuas iterum appendatur ad aras, quod negare nefas est suscepisse? Jam pridem Excalceatus Carmelus studuisse Tibi totis visceribus gloriatur, vixque balbulus cunabula prima libarat, cùm doctrinæ tuæ ulnis exceptus, Tibi soli insudasse merito totus extitit. Olim Deus Sponsæ pectori sui indidisse figuram, ut cœlico amore careret; Angelum quoque signum Thau sculpsisse frontibus Electorum, ut eos filios adoptionis adstrueret, divina fantur eloquia. Habemus et nos Thomæ imaginem tabulis cordis impressam, et in ore Angelicum testimonium, ut quidquid nostri est, tessera sit, quâ doctrinæ Angelicæ nomen damus. Igitur de Virtutibus Theologicis, ac de statu Religioso nostrum hoc sistitur tibi Opus (Angelice Thoma) pluribus Tibi debitum titulis, et mysteriis. Unum, quod justius, excipe innata quadam singularitate concinnum, tuisque meritis nec ad unguem deciscens, nimirum consonam sympathiam, miramque proportionem ad animi tui dotes adeò æqua lance libratam, ut inter virtutum flores vix alii conspectui tuo redolerent fragrantiùs. Enimvero si de *Fide* causa sit, hæc est tuarum apex gratiarum. Quis enim pro ea adeo impensius laboravit? Quis eam de infestis hæresum monstris ita defendit? Quis ejus inextinguibile lumen ad efferas exterasque nationes sic verbo, et opere dilatavit? Clamat Ecclesia Sancta Dei, te Ducem, te Principem, te Doctorem venerata supplicibus ceremoniis, qui Orthodoxum agmen propugnas, vere columna sacra, in qua stabile fore perpetuo auspiciis agitur divis. Clamant ipsa Acatholicorum noxia comitia, in quibus unus, quisquis ille fuit, sic in blasphema verba effutivit : *Tolle Thomam, et dissipabo Ecclesiam;* quasi Te fulciente Catholica Domus stabit divinitus inconcussa, et in dies perennabitur illibata. Fides ergo tuum est patrimonium. Age, et de *Spe* feramus judicium. Sperasti? O! et quid? *Domine nihil, nisi te ipsum.* Sic Crucifixo tenere alloquebaris, cum immensas gloriæ divitias in Te totus erat dispendere larga manu. In Deo summam claudi Beatitudinis normam est in confesso; quamobrem exundanti gloriæ pelago satiari expectabas, cum totum felicitatis pondus spei tuæ anhelitu sacro ambivisti. Sed quid de *Charitate?* Hic jam spatiosa sese offerebat planities, qua et discursus plura expenderet testimonia, et politus tenor eloquii concinnata oratione, et circumtonso stylo uteretur ad plausus. Ardebant cordis tui viscera divini amoris igne succensa, et erumpentes flammas cœlorum fastigiata culmina sæpe sæpius lustrasse, vel ipsi cœlestes raptus, quibus premebaris, ostendunt. Et quid mirum, spiritum igneum Thomæ inflam masse medullas, cui adeo flammatam præstitit eloquentiam, ut velut ignitis linguis in prunas redigeret corda discentium? Experti dicant, quid de Thomæ amore sentiscunt, cum ejus cœlica eruditione rapti pariter, et absorpti Æthnæ divi caloribus aduruntur. Quanti denique apud Te fuerit *monasticæ disciplinæ* arctitudo,

ac *status religiosi* mira perfectio, non ignobiliora suadere satagunt monumenta, Quippe strenuitas illa, qua pompatico fastu abdicato, regalibus deliciis vale dixisti. et inter mundi illecebras pro severo gestamine Religionis Hercule invicto exantlasti labores, manet alta mente reposta; necnon et sapientia divina qua Parisiis rigorem cœnobiticum contra æmulos propugnasti : vel si plura alia desiderii nostri est expromere testimonia, humilitas aderit, qua toties infulas sacras floccifecisti, ut ne ampliori dignitati postponeres quietis religiosæ solatium. En ergo (Angelice Doctor) qualiter Opus hoc Tibi aptissima militat consonantia Nil equidem in eo invenies, quod vivido penicillo non exprimat sacratiorem tui animi cultum. Sunt qui fucatis coloribus gratias colorant, ut sic Mœcenates, quos ambiunt, adulantibus auris insufflent, vanisque favoniis indulgeant. Nos qui de veritatis penu ditamur, nullisque adblandiri docemur populi lenociniis, vera vota sinceris ritibus consecramus. Fama est scripsisse Apollonium inter delubra Apollini sacra, illud gloriæ plausibus auspicari, in cujus structuram volucres plumas, apes vero ceram quasi glutinum, congessissent; ut exinde Apollo sapientiæ Princeps crederetur, et Deus, cui tanquam vectigal, et plumæ, et cera, ingeniorum stemmata, speciali jure servirent. Ast nos neque de gentilico fano, neque de mentito Numine pensum facimus, qui soli disciplinæ Thomisticæ militantes, vero Soli Aquinati reverenti obsequio corda vovemus, et de lucubrationis cera, insuperque scientiarum plumis superas aras struere sic molimur, ut et Thomas Lyceorum semper coronetur adorea, et nos quasi aves, et apes in solius Thomæ venerabile famulitium halitus credamur insumpsisse vitales. Sed cui potius, cui aptius? Adsint veritatis amasii, discantque discernere inter Solem, et solem, ac deposito contagionis æmulæ supercilio ad Solem Thomam sciant nos unanimi sensu aspirare, qui de Solis Thomæ disciplina cœlesti pascimur, et nutrimur. Suscipe igitur Sol Aquinas grata fronte votum, quod libenti corde litamus; et quia Solis Tibi ingenitum est elogium, diffunde circumquaque luminis radios, nostrasque lituras illustra, ut Tibi scientiarum Phœbo de studiorum plumis sit nostri sacrum erexisse fanum, in quo iteratis vicibus sic precemur. *Fave, et Fove.*

FACULTAS ORDINIS.

Fr. Sylvéster ab Assumptione, Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli Primitivæ Observantiæ, de consensu nostri Diffinitorii Generalis, etc. ut liber cujus titulus est, *Cursus Theologicus, Tomus septimus de Fide et Spe Theologicis,* a nostro Collegio Salmanticensi elaboratus, atque a gravibus doctisque viris nostri Ordinis, quibus ipsum videndum, et examinandum commisimus, recognitus, et approbatus typis mandetur, et in lucem prodeat, tenore præsentium licentiam, et facultatem concedimus. Dat. Matriti die trisegima Septembris, Anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto.

Fr. Sylvester ab Assumptione, *Generalis.*

Fr. Nicolaus a Sancto Elia, Diffinitor, et Secretarius.

TOMUS OCTAVUS

FACULTAS ILLUSTRISSIMI,

Ac Reverendissimi Domini D. Francisci de Seixas, *et* Losada, *Episcopi Salmanticensis, Regii Consiliarii.*

Nos D. Franciscus de Seixas et Losada, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Salmantinus, Regiusque Consiliarius, etc. Cum ex præscripto nostro R. P. M. Fr. Franciscus Reluz Ordinis Prædicatorum, et in hac Salmanticensi Academia Primariæ sacræ Theologiæ Cathedræ perpetuus Antecessor viderit et approbaverit librum cui titulus est, *Collegii Salmanticensis Fratrum Discalceatorum B. Mariæ de Monte Carmeli Primitivæ Observantiæ Cursus Theologicus juxta miram A. D. D. Thomæ doctrinam, Tomus octavus præcipuos Tractatus Secunda Secundæ usque ad finem complectens,* nihilque in eo sit inventum, quod sanctæ Ecclesiæ, et bonis moribus adversetur. Tenore præsentium quantum ad nos attinet, facultatem concedimus, ut typis mandetur. In quorum fidem præsentes litteras manu nostra et sigillo munitas, ac per infrascriptum Secretarium nostrum refrendatas expediri jussimus. Salmanticæ, die quinta mensis Novembris, Anno salutis millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto.

Franciscus, Episcopus Salmantinus.

De mandato Illustrissimi Domini mei Episcopi,

Joan. Fernandez de Mourillon, *Secretarius.*

Locus † *sigilli.*

FACULTAS ORDINIS.

Fr. Sylvester ab Assumptione, Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli Primitivæ Observantiæ, de consensu nostri Diffinitorii Generalis, etc. ut liber cujus titulus est, *Cursus Theologicus, Tomus octavus de Charitate et Statu Religioso,* a nostro Collegio Salmanticensi elaboratus, atque a gravibus doctisque viris nostri Ordinis, quibus ipsum videndum, et examinandum commisimus, recognitus, et approbatus typis mandetur, et in lucem prodeat, tenore præsentium licentiam, et facultatem concedimus. Dat. Matriti die trigesima Septembris, Anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto.

Fr. Sylvester ab Assumptione, Generalis.

Fr. Nicolaus a Sancto Elia, *Diffinitor, et Secretarius.*

TOMUS NONUS

PRÆCEPTORI ANGELICO

D. THOMÆ AQUINATI,

DOCTORUM MAGISTRO
ECCLESIÆ FULGENTISSIMO SOLI,
THEOLOGIÆ PRINCIPI,
SAPIENTIÆ ARCI.

SALMANTICENSE COLLEGIUM SANCTISSIMI VATIS,

Ac Protho-Parentis Eliæ Carmelitarum Discalceatorum
Beatæ Mariæ de Monte Carmeli.

D. C. O.

Votum, pro restitutione simulare liceat (Thomas Angelice) aliter enim tuas iterum aras salutare non auderemus. Te namque magistro didicimus eum, *qui beneficium accepit, ad hoc honestatis obligari debito, ut aliquid similiter gratis impendat.* (1) Neque gratis impendere nisi acceptis majora referat. Cum igitur nostrum hoc opus, quicquid ipsum est, ex te prodiisse non dubitemus, ingratitudinis nota inureremur, nisi remittas debitum, ut votum accipias. Sed vel in hoc, quod minora referimus, gratificum ostendimus animum : si enim verum est, quod aiebas, scilicet : *Naturalis ordo requirit, ut ille qui suscepit beneficium, per gratiarum recompensationem convertatur ad benefactorem secundum modum utriusque* (2) tui affluentis est magna concedere, nostri inopum exigua donare. Inutile inquies, votum, cum a te ipso, quidquid illud est, effluxerit. Affectum ergo inspice, non munus, vel pro munere ipsum affectum ; invenies utique potiora tuis neminem obtulisse aris. Nativo pondere hoc opus te Mecænatem exoptat, tuo quippe sub auspicio natum, crescensque feliciter, te sequitur indivulse. Lumina, si quæ habet, a te fulgentissimo Ecclesiæ sole mutuasse fatetur. Quid ni se sibi devoveat ?

Est et alia, qua premimur, ratio, ut te his nostris de sacrosancto Incarnationis mysterio Commentariis optemus Patronum ; Mysterium istud Angelo nuntiante didicimus, teque Angelico Præceptore docente novimus altius. Cui igitur nisi Angelo nostra hæc commentaria dicanda forent ? Te jure optimo quærunt, quod te non favente haud quaquam prodirent in lucem. Fatemur equidem, post aliqua a nobis posteritati transmissa volumina, ad novum aggrediendum opus pene animum defecisse. Continuus tamen pensi exactor existis, nec otium concedis ætati, donec Incarnationis penetralia rimemur. Admovimus ecce manus, fave, ac eadem ipsa lumina, quæ te certum hujus indagatorem effecere Mysterii propina modo. Certum, inquam, ut remunerantis opus Christi verba testantur : *Bene scripsisti de me Thoma.* Pendebat interruptum opus, ac bovino hucusque gradiebatur pede : ast te favente nunc pennas assumpsisse videtur, te forsitan imitatus, qui primæva ætate *Bos mutus,* Angelicis postea super indutus plumis (humano more depingo) *Angelici Præceptoris,* nec immerito, es cognomen adeptus. Vel si cherubicum aliquando te dicere fas est, nunc maxime cum ad Incarnationis Mysterii intelligentiam lumina suggeris, dum ad ipsius limina sistimus. Propheticæ quadrigæ bos ille te, ni fallimur, ad unguem exprimit, nos Propheta, opus hoccine currus. Qui prius bos credebatur post modum est agnitus Cherub, non quidem mutata specie sed altius indagata natura : *Intellexi, quia Cherubim essent* (3). Unde, sciscitamur,

(1) 2, 2, quæst. 106, art. 6, — (2) *Ibid.*, art. 2. — (3) Ezech. 10, 10.

Prophetæ modo tam clara cognitio? Iterato dubio expediamus utrumque. Qui primo capite bos tertio numeratur loco, primus quatuor inter animalia designatur cherub cap. 10. *Facies una facies cherub.* Mutata forma fit ordine primus. Unde quæso? quia unde Cherubim dictus, inde est prælationem adeptus : *In introitu portæ domus Domini Orientalis* (1), qua verus ille sacerdos secundum ordinem Melchisedech ingreditur, et egreditur, stabat, Propheta. Ibi qui prius *Bos* apparebat, Cherub est cognitus : quia fortassis clariora lumina Cherub ipse menti indidit prophetæ. In conspectu equidem gloriæ Domini exorientis bos ille Cherub agnoscitur. Tu vero (Thoma Angelice) in ipsius mysterii limine, agnosceris Cherubim. Dei hominis gloriam currus gestabat ille; nostrum hoc opus totum est in eodem investigando mysterio. Per aera ferebatur currus alarum motu pro pedibus utens, postquam vitulus effectus est Cherub, quasi piguerit vitulino tunc usque processisse pede. Noster hic cursus jam alas videtur assumere, quasi pigeat usque modo difficiles habuisse gressus. Ad cherubici Bovis præsentiam clariora prophetæ illuxere lumina. Prophetarum filiis ad tui conspectum Bos Cherubice, (Sol splendidissime) tua non defutura firmiter speramus.

O nos felices, qui tua sequentes lumina, doctrinæ tuæ beamur splendoribus! *Beati qui seminatis super aquas immittentes pedem boris,* prædixit Isaias, postquam renovati Carmeli pulchritudinem, et amœnitatem expresserat : *Et erit* (aiebat) *desertum in Carmel, et Carmel in saltum reputabitur* (2). Id est, exponebat quidam : *Carmelus amœnus, et fœcundus antea, post tam erit amœnus, et frugifer, ut si prioris temporis specimem spectes, vidisse te putes desertam silvam* (3). Immittimus quidem pedem Bovis, quotquot sapientiæ semina super aquas mittimus doctrinæ tuæ; uberes, ut speramus, posteritati nostræ allatura fructus. Si enim quidquid hucusque, vel exiguum, in nostro Carmelo litterario irrigatum sudore amœnitatis viret; quidquid pulchritudinis splendescit; quidquid floridum eructat, quidquid frugiferum denique in lucem prodiit, id totum ab Aquinatis Bove sumpsisse fatemur originem. Tuam ne credemus protectionem defuturam modo, cum quidquid offerre possumus, tuo rependimus numini, cum tua iterum cumulamus altaria muneribus.

Sed nec quia unice in tuæ doctrinæ juravimus nomen, Magister Angelice, aliorum Patrum nomen despicimus : dum tua quippe vestigia sequimur, verioribus omnium sententiis adhæremus. In te enim velut in capacissimum Oceanum cunctorum sapientiæ flumina congregantur, ut iterum fluant. In te, inquam, qui viam Patrum regiam, et tritam premens, *omnium Doctorum es sortitus intellectum,* ut tui egregius interpres asserit Caietanus (4). Quam bene *Thomas* Hebraïce *Abyssus,* Græce *Divisus* interpretaris! Velut abyssus enim omnia excipis doctrinæ flumina, quæ pernici cursu in te confluunt : tanquam divisus autem in aliorum intueris operibus. Equidem *qui ante nos fuere* (verba damus Chrysostomi) *pro suis viribus inde aquas hauserunt, et similiter qui post futuri sunt, idem tentabunt : neque tamen sic in totum poterunt evacuare, sed magis interim augebunt flumina, majusque accipient incrementum* (5). Igitur, Præceptor Angelice, qui te nobis ita benevolum prodis, accipe ab Eliæ primitivo Musæo temetipsum sapientiæ tuæ coloribus, vel rudi manu, utcumque expressum, cujus vivida imago præfixa semper erit in fronte nostrorum voluminum, ejus index, quæ stabilis manebit in corde, nulla unquam temporis injuria delenda. Fave utique, et quia Magni Parentis Augustini extitisti semper venerator eximius, ipsius tandem verbis precamur : *Ut si quid hic incondite, aut inculte dictum, vel si totum ita esse perspexeris, doctrinæ des operam, calamo veniam* (6). Ac ut aliud hujus operis, et mysterii Incarnationis corpus, cui jamjam manum adhibemus, optatum terminum feliciter attingere valeat, pertæsum diuturno labore calamum recrea, lassatumque animum erige. Neque enim insuetum in Eliana familia de Deo homine rimaturis mysteria, longo

(1) Ezech. 10, v. 14. — (2) Isai. c. 37. — (3) Cornel. *ibi.* — (4) 2. 2 quæ, st. 194, art. 4. — (5) Chrysost. *Hom.* 3 in cap. I. *Genes.* — (6) Aug. *Epist.* 126.

itinere deficientibus excitantem adesse Angelum. Impiæ Jezabelis minas fugiebat sacratus Proto Parens Elias, cum præpropera via deficientibus viribus, ut aliqualem carperet requiem, hispina sub junipero defessos artus, lassataque membra projecit (1). Adstat ecce Angelus, qui mystica dape seniles vires confortans, grandemque illi restare viam annuncians, ut ad montem Dei Horeb ascendere posset, strenuum effecit. Ibi de Deo homine juxta communem sententiam alta cognovit mysteria, *in sibilo auræ tenuis* (2). Ut enim alte observavit Cajetanus : *Vox auditu, qui sensus est disciplinæ, percipitur. Et ideo apte vox doctrinam nos erudientem significat. Et voce quidem eruditio, submissione autem mansuetudo, subtilitate vero penetratio significatur. Sensibiles istæ species formatæ sunt ad instruendum Eliam, et posteros de mysteriis.* Ecce Eliano Musæo, Doctor Angelice, jam longo itinere pene deficienti grandis in altissimo Incarnationis mysterio restat via. Adesto igitur, noster Angele, ac ut optatam metam possimus attingere, et cursum absolvere. Fave, et Fove.

FACULTAS ORDINIS.

Fr. Joannes a Conceptione Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, de consensu nostri Diffinitorii, ut liber cujus titulus est : *Cursus Theologicus, Tomus de Incarnatione, complectens explicationem tertiæ partis Divi Thomæ ab initio, usque ad quæstionem octavam inclusive,* a Collegio nostro Salmanticensi accurate compositus, et a gravioribus, doctisque viris nostri Ordinis (quibus ipsum videndum, et examinandum commisimus) recognitus, et approbatus Typis mandetur, et in lucem prodeat ; tenore præsentium licentiam concedimus. In quorum fidem præsentes manu nostra, ac Secretarii nomine subscriptas fieri jussimus in hoc nostro Conventu Matritensi die quinta Mensis Maii, anno Domini 1686.

Fr. Joannes a Conceptione, Generalis.
Fr. Josephus a Sancta Theresia,
Diffinitor, et Secretarius.

FACULTAS EPISCOPI SALMANTINI.

Nos D. Fr. Petrus a Salazar, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Salmantinus, et in Ecclesia Cordubensi electus, ex regali militari Ordine Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum assumptus, Catholicæ Majestatis Philippi Quarti Concionator, necnon et Caroli Secundi, ejusque Regius Consiliarius, etc. Præsentium tenore facultatem impartimur, ut in lucem edi possit, Typisque mandari liber, cujus titulus est : *Collegii Salmanticensis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Beatæ Mariæ Virginis Cursus Theologici Tomus Nonus in 3 p. D. Thom. a quæst. 1. usque ad Octavam inclusive.* Quatenus ex præscripto nostro examinatus, et approbatus est a R. P. M. F. Josepho Gonzalez, ex prædicto Ordine Beatæ Mariæ de Mercede, hujusce Salmanticensis Universitatis Sacræ Theologiæ Vespertinæ Cathedræ in proprietate moderatore. In quorum fidem has litteras expediri jussimus, et concessimus. Salmanticæ in nostro Palatio Episcopali vigesima octava die mensis Julii, anno Domini millesimo sexcentesimo octogesimo sexto.

Fr. Petrus Episcopus Salmantinus.
De mandato Illustrissimi Domini mei.
D. Marcus a Campo, et Ven. Secr.

(1) *Reg.*, 19. — (2) *Ibid.*

CENSURA

Reverendissimi P. Fr. Josephi Gonzalez, in Sacra Theologia Laureati Magistri, utriusque Castellæ Provincialis, Regalis Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum, Catholicæ Majestatis Theologi, Regalisque Consessus immaculatæ Conceptionis, supremi Senatus sanctæ Inquisitionis Censoris et a secretioribus Consiliis, Toletani Archiepiscopatus Synodalis Examinatoris, Salmanticensisque Academiæ Vespertinæ publici et proprii Professoris.

Jussu Illustrissimi et Reverendissimi D. D. Fratris Petri Salazar Episcopi Salmantini electi Cordubensis ex Regio Ordine nostro assumpti Catholicæ Majestatis Consiliarii et Concionatoris. Vidi librum de altissimo Incarnationis Mysterio (quod est suave et fortissimum divinæ omnipotentiæ opus, dulce revera hominibus reconciliationis cum Deo Sacramentum) a Patribus Collegii Salmanticensis Carmeli Discalceati diligentissime elaboratum, et omnibus suis numeris absolutum. Legi, et evolvi non semel : et toties mihi voluptati fuit mirabile Interpretum Doctissimorum acumen, in abstrusa rerum materie, nodos subtiliter extricando, tricas arte mira solvendo. Nil peritissimis Magistris obest impervisa difficultas, aut sinuosa, aut non satis castigata quæstio; quippe omnem superant, omnem transcendunt, omnem feliciter percurrunt. Porro habent instar Aquilæ mentis acutiem, de qua si patientissimo viro dicere licuit : *In arduis ponit nidum suum, in petris manet, et in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus* (1) : licebit et mihi de illis idem pangere, siquidem in Petra Christo, in prærupta e sinu Patris silice, in rupe etiam Angelis inaccessa, nidum suum posuere ubi hunc nobilem pullum altissimæ Theologiæ foverunt, bono communi, luce publica donandum. An eruditi Patres, humanitate deposita, dum de humanitate a Filio Dei in unitatem Personæ sibi copulatæ, disserunt, sese in Angelos convertere? Reor, nec temere dubito, dum illos Angeli Thomæ pennisequos video; ex cujus frequenti contemplatione et volutatione, non male conjecto, alte ebibisse Spiritum Angeli. Unum mihi est verum bene de Incarnationis arcano, hos elucubrasse et scripsisse Tractatus, in quibus juxta Verbi Incarnati effatum, Thomam de ipso bene scribentem sequuntur. Ab isto Ecclesiæ fulgentissimo sole, mutuati sunt lucem, ut opus claresceret, et omnibus luceret, qui in scholis sacræ invigilant Minervæ. Si enim de illa Mnenonis statua dixit Eusebius : *Clare interdum oportet, loqui, ut Mnenonis statua, cui lingua erat radius solis* (2). Ergo de tantis Magistris id non incongrue dixerim, quod ipsorum calamus fuit Angelici solis radius, nec alio usi sunt atramento, quam ipsius luce. Ab illo etiam decerpserunt ordinis pulchritudinem, styli majestatem, doctrinæ candorem, sapientiæ ubertatem, argumentandi vim, conferendi inter se Patres solertiam; quibus omnibus, ut Physon auro ditissimus, excurrit liber, dignus plane (ut sentio) : *Non equidem censore, sed oratore Pericle.* Quid si eruditissimi Patres, non jam nudipedes, sed digniori socco, vel alto decorati Cothurno incedunt? Hinc blande cogor illud dulcissimi sponsi hemisthichium illis canere : O quam pulchri sunt gressus vestri, Carmeli Patres, Theresiæ Filii (3)! Gressus quidem vestri firmissimi, tuti, speciosi, qui in sublimi atque elevatissima omnipotentia investigabili semita, calceamentum Christi induerunt, idest, arduum Incarnationis iter triverunt et perambulaverunt suaviter! Quæ dico, et quæ scribo, non meæ, sed ex Ruperto sapientissimo Abbate desumo. *Quid est,* inquit, *calceamenta Christi portare, nisi Incarnationis ejus Mysterium palam mundo annunciare* (4)? Ergo pulchri sunt (libenter repeto) gressus vestri, qui calceamenta Christi portarunt, exponentes orbi, sapientia, calamo, scriptis, ejus Incarnationis arcanum. Ulterius ille Pater progreditur : *Fecerunt hoc Apostoli : in omnem terram exivit sonus eorum : et in fines orbis terræ verba eorum.* Fecistis hoc et vos, Religiosissimi Patres; non ero vates dubius : Volitabit in omnem terram operis vestri fama; et in fines orbis terræ vester calamus doctrina et eloquio rutilus. Tandem addit Rupertus : *Hoc facien-*

(1) Job, 39. — (2) Euseb. *Hist.* lib. III, c. 14. — (3) *Cant*, 7. — (4) Rupert., *In Joan.*, c. 1

tes Apostoli, calceamenta Christi in Idumæam, et in omnes alienigenas extensa portaverunt. Hoc facientes et vos, vester de Incarnatione labor, ad omnes, quin pes impingat, percurret dextro omine scholas, tam exteras, quam amicas, seque ad illas protendet tanquam Principatum obtenturus. Solent enim Principes, quando sui Imperii fines longius latiusque propagare prætendunt, calceum in hostium solum projicere, ut diserte adnotavit Balduinus in his vaticinantis Regis verbis : *In Idumæam extendam calceamentum meum : mihi alienigenæ subditi sunt* (1). Utinam, ut in votis habeo, contingat, quod Mysticus calceus, egregium scilicet Verbi Incarnati Opus, per amplas Academicorum aulas ingrediatur ovans, et ibi dominetur Gentibus; Idumæaque cum alienigenis, Religionis cultu, et filiorum metu, veteri servitutis abjurato, calcaneum ejus observet prona, nec amplius cervice rebelli insultet, quin potius, sibi sapiens et prudens, credat fidei subdita, *quod Incarnatus Dominus* (verba sunt Gregiori Magni) *quasi calceatus apparuit corrigias calceamenti, idest, ligatura Mysterii* (2). Hunc nodum Herculeum, perdocti Patres, si non enodastis (Quis possit !) saltem explanastis, dilucidastis, et subtilissimis Commentariis asseruistis. Quamobrem opus censeo dignum luce, ut divites Ecclesiæ pariat proventus, et non parvam scholis gloriam. Matriti in hoc nostro B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum Conventu. Die 17 Martis, anno Domini 1686.

Josephus Gonsalez.

(1) Bened., Bald. *De calc. myst.* cap. 28. Psalm. 39. — (2) D. Greg. Mag. *hom.* 7 in Ezec.

TOMUS DECIMUS

ANGELICO DOCTORI

D. THOMÆ FULGENTISSIMO,

ECCLESIÆ LUMINARI

THEOLOGIÆ FONTI,

THEOLOGORUM APICI,

ET VERISSIMO VERITATIS PRÆCEPTORI.

Collegium Salmanticense Carmelitarum Excalceatorum.

O. D. C.

Cursus noster Theologicus ANGELICE DOCTOR, dum peragitur, et extremas jam lineas attingit, te metam tenere quærit, et ad te velociori gressu properat centrum. Cætera volumina, quibus vel alis vel pedibus in stadio Theologiæ cursum excitavimus, tibi inscripsimus, et in sinu reposuimus tuo, ut ad principium regereremus, unde manaverant, et ab archetypo non laberentur. Modo tibi sistimus ultimum, in quo cæterorum recalescat affectio, et obæratam æterno profiteamur devotionem. Hæc est nostræ fidelitatis tessera, nostræ gratitudinis monimentum, nostri famulitii obsignatio, ut dona ex te accepta redonemus, et auctorem te in cunctis paginis confiteamur. Hoc more cum Mercurio se gerebant Ægyptii, de quibus Jamblicus : *Ægyptii Scriptores putantes omnia inventa esse a Mercurio, inscribebant* (1). Nempe a te instruente, et intercedente est, quidquid calamus noster instillat : et tibi propterea omnes chartæ, omnes labores nostri sacrantur. Tibi, inquam, qui sacratiori mysterio refers expressum, quidquid in Hermete illo delira adumbravit Ægyptus, si Solem cum nocte, et rem cum umbra conferre velimus. Quod paucis insinuare libet.

Mercurio, inquit D. Augustinus, *alas in pedibus, et in capite ponebant.* (2) Et istud est, o ANGELICE DOCTOR, quasi gentilitium insigne tuum, et mysticum Emblema, quod inter omnes Ecclesiæ Doctores depingaris alatus. Sed quibus alis ? Proh Deus ! Angelicis, Cherubicis, de quibus sermo divinus : *Cherubim expandebant alas super locum arcæ, et protegebant arcam* (3), Ecclesiam scilicet, quam sapientiæ, et doctrinæ plumis, aut calamis muniunt, defensant que sacri Doctores, ut S. Bruno mystice exponit (4). Sed tibi specialiter, o THOMA, alas istas defert Ecclesia, ab officio nimirum, quo insigniter illam munis, et circumcirca munitissime operis, ut Summo jure protulerit ipsius caput Paulus V : *Est Angelicus Doctor splendidissimus catholicæ fidei athleta, cujus scriptorum clypeo militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter eludit* (5).

Censebatur præterea Mercurius ille apud Lucilium *Gymnasiorum inspector, et ornamentum* (6). Tu es gymnasiorum præses, Academiarum lumen, universalis Universitatum Doctor, et singularis studiorum coryphæus. Unde Academia Parisiensis proclamavit THOMAM esse fontem doctrinæ, Scholæ Parisiensis, et omnium Universitatum lucidissimum candelabrum, a quo omnes fideles sanctæ vitæ, et sanctæ doctrinæ lumen accipiunt (7). Fingebatur ulterius ille Deorum nuntius. Tu non fingeris, sed es, asserente Clemente VIII. *divinæ voluntatis interpres* (8). De illo dixit Plutarchus : *Associarunt veteres Gratiis Mercurium* (9). Te vero, DOCTOR ANGELICE, non solum ornarunt gratiæ omnes, sed quæsierunt, et centrum in te collo-

(1) *In myster.* — (2) Lib. VII *de Civitate Dei*, c. 14. — (3) *Reg.* 12. — (4) Lib. *de laud. Ecclesiæ*, c. 4. — (5) *In Brev. pro confirm. D. Thomæ in patron. Neap.* — (6) Lib. II epist. 3. — (7) *In epist. ap. Bergom.* — (8) *In Brevi ad Neapolit.* — (9) *In lib. de audiendo*

carunt. Quid enim aliud prædicat Clemens VI. cum profert : *In oculis D. Thomæ apparebat simplicitas, in facie benignitas, in auribus humilitas, in olfactu suavitas, in tactu integritas, in manibus largitas, in incessu gravitas, in toto gestu honestas, in visceribus pietas, in intellectu claritas, in affectu bonitas, in mente sanctitas, in corde charitas* (1). Quid plura? Ex omnibus gratiis in te confluentibus videris processisse pretiosum, limpidissimumque electrum, et ipsarum Charitum polymitum ornamentum, omnigena pulchritudine variegatum.

Atque ut reliqua persequamur : *Quoniam aiunt* (observat Aristophanis Scholiastes) *Mercurium sermonis, et veritatis esse præsidem, ob id effigiem ejus quadratam, et ad formam cubi faciebant : indicantes ejusmodi figuram in quamcumque partem ceciderit, perpetuo rectam manere. Sic veritas, ubicumque sit, similis, et uniformis est ; mendacium multiplex, et varium.* Quæ quadrata forma quam tibi examussim quadret, nemo non viderit, qui sciat assertiones tuas esse, ut testatur Alexander VII. *inconcussa, et tutissima dogmata* (2). Probabunt autem omnes, qui norunt, quanta plusquam adamantis firmitate perstet doctrina tua contra omnes adversariorum adsultus. Impetitur, discutitur, accusatur Thomistica veritas jam ab hæreticis, jam a nonnullis catholicorum : at ipsa immobilis contra ictus, contra fallacias, contra fucos, contra novitates inconcussa perseverat. Serenaque adeo victoria triumphat, quod adversariorum phalanges commutet in trophæum, propria firmitudine asserta, aliena vero, atque lubrica insectantium falsitate protrita. Ita ut (asserente Innocentio VI.) *nunquam qui eam tenuerit, a tramite veritatis deviaverit ; et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus* (3).

Insuper Magnus Augustinus Mercurium inducit, ethnicisque objectat tanquam Verbi, et mysterii Incarnationis assertorem egregium. *Quid agis*, inquit, *Pagane? Aperi aures, noli esse sicut aspis surda, quæ obturat aures, ne audiat vocem incantantis. Non tibi meos authores profero : tuus est Mercurius, cui inter Deos tantus honos, cultusque a vobis allatus est, ut ejus nomine diem domini vocaretis. Ipsum audi, ipse te convincat.* Et quid tandem Mercurius iste? Jam profert Augustinus : *Hermes, qui latine Mercurius dicitur, scripsit librum, qui* λόγος τέλειος *appellatur, id est, verbum perfectum. Magnum nomen libri hujus, quia magnus est, de quo scriptus est liber. Quid enim perfectius Verbo, qui solus est inter mortuos liber* (4)? Sed tu, ANGELICÆ DOCTOR, ter maxime, hunc longissimo intervallo superas Trismegistum. Scripsit ille de Verbo perfecto ; sed imperfecte : tu scripsisti de Verbo perfecto, et perfectissime. Ille aliqua non mala : tu cuncta *bene*. Ille per medias umbras non nihil insinuavit de Filio Dei : tu solaribus radiis Dei Filium, si fas est dicere, clarificas, cum vel carnis nube obvelatum, revelas nobis stylo lucis. Unde ille scribens de Verbo perfecto nullum commendationis verbum a Verbo perfecto audivit : tibi autem Verbum incarnatum hanc præclaram adornavit adoream, *Bene scripsisti de me*. Quo elogio rotunde approbatur in te non materia tantum, in quam velut peregre constitutam caliganti oculo collimaverat Hermes : sed commendatur modus, methodus, stylus, profunditas, subtilitas, claritas : eructasti namque verbum bonum, et *bene* absque minima exceptione, id est (acclamante Clemente VIII.) *absque ullo prorsus errore* (5). O in quantis Trismegistum, ter nempe maximum excessisti !

Denique ut umbratilem hanc similitudinem absolvamus, Mercurius fingebatur Soli amicissimus, quod inter Planetas omnes solaribus radiis fere semper subsit : unde *solatum* vocabant, seu viciniorem, ut monuit Cicero (6). Quam autem tu conjungaris Christo justitiæ Soli, quantumque a Sole isto irradieris inter cætera Ecclesiæ sidera, proclamabit omnis, qui surdus non fuerit ad Solis voces, *Bene scripsisti de me :* bene radios excepisti, bene refudisti. Sed fas sit nobis, et devo-

(1) — *In serm. Dopebat eos* — (2) *In Brevi ad Lovanienses.* — (3) *In sermone : Ecce plusquam Salomon hic.* — (4) In lib. *de quinque hæres.* — (5) *In Brevi ad Neapolit.* — (6) Lib. III *de natura deorum.*

tioni nostræ indulgeas, O THOMA, si te prædicemus sacratiorem Mercurium, conjunctissimum alteri inferiori Soli; lucidissimo tamen Christi Parhelio, Magno nimirum Eliæ Carmelitarum protoparenti. Elias namque, ut docet D. Chrysostomus, Græco idiomate *Solem* sonat : qui propterea igneo curru, et flammantibus equis in aera transvectus, filiis dispensat lucis usuram. Unde accinebat Sedulius :

Quam bene fulminei prælucens semita cœli
Convenit Heliæ : merito qui et nomine fulgens,
Hac ope dignus erat. Nam si sermonis Achivi
Una per accentum mutetur littera, SOL est.

Hic ergo Sol tibi conjunctissimus te suis radiis non tam illustrat, quam subsequitur. Radii sunt Solis partus, et filii, quos Elias, aut Sol noster in hac minima Discalceatorum Carmelitarum sphæra tibi destinat, et tuæ mancipat disciplinæ, ut fidum, atque obsequentem profiteantur discipulatum. Quid ultra? Concurrunt omnes, et lætabundi proferunt : ecce adsumus. Invaluitque adeo hæc vel in Eliæ filiis, vel in Solis radiis, erga te affectio, ut non censeatur inter nos Eliæ filius, qui in THOMAM optime animatus non sit. THOMAM imbibimus, THOMAM scribimus, THOMAM eructamus. In Mysticis, in moralibus, in scholasticis non probamus securum, cui D. THOMAS probatur adversus. Quidquid vivit in hoc Carmeli corpore, hoc totum spiritus veritatis Thomisticæ animat, ut (forte non immerito) aut gratanter, aut hyperbolice ex tuis alumnis protulerit unus : *Piissima Carmelitarum Excalceatorum Religio ardentius Thomistica, quam ipsi Thomistæ.* Et ultra : *Quid interrogas de Theresiana, et Seraphica Excalceatorum doctissima familia, tota Thomistica, nec in hoc zelo ipsis Dominicanis cessura* (1)?

Verum enim vero etsi fidelis iste Carmelitarum discipulatus ubique regnet; nullibi tamen (absit invidia verbo) profundiores, validioresque radices apud nostros egit, quam in isto Salmanticensi Collegio, quod tibi perpetuo sua lumina dicat. Nec id mirum : est enim specialiter sacratum Eliano Soli, tibi, ut præmisimus, conjunctissimo. Nec errabimus, si juxta ejusmodi indaginem accommodemus illud Isaiæ : *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, civitas Solis vocabitur una* (2). Et quænam ea? Heliopolis profecto, id est, Eliæ, vel solis civitas, in qua Herodotus, Plato, Eudoxus, Strabo, et quique alii aliquando floruerunt sapientissimi. Quinque porro sunt in Hispania celebriora Carmelitarum Discalceatorum juxta numerum Provinciarum Collegia, studio divinæ Theologiæ addicta, Complutense, Conimbricense, Oscense, Biatiense, et istud Salmantinum : *sed Collegium solis vocabitur unum.* Unum namque Salmanticense Collegium hoc præcipue titulo fulget, quod Eliæ vere Soli inter cætera consecratur. Et quia inter Solem, et Mercurium specialissimus nitet amicitiæ nexus, qua se aspiciunt, indivulse fovent, et veluti ex fœdere prosequuntur : non immerito gloriamur, quod inter omnes Carmelitas Discalceatos simus D. Thomæ addictissimi; et quod invicem confoveamur a sacratiori hoc Mercurio, Academiarum præside, gymnasiorum antesignano. Hinc factum remur; ut quotquot in isto Collegio floruerunt, fuerint probatissimi D. Thomæ discipuli, et isto zelo zelati suis scriptis sint pro S. Doctoris gloria, illamque pro viribus promovere curaverint. Sic enim in quampluribus operibus Venerabilis ille, omniscius Thomas a Jesu, Coloniensis postea Academiæ splendor : sic in mysticis Nicolaus Centurio : sic in historicis Franciscus a S. Maria : sic in moralibus Andreas a matre Dei : sic in expositione Scripturæ Antonius a matre Dei, et Franciscus a Jesu Maria : sic in philosophicis Joannes ab Annuntiatione : sic denique in hoc Theologiæ cursu Auctores ejus. Nihil enim magis studuerunt, quam libros, folia, et lineas nomine Angelici Doctoris or-

(1) Casalas, *De Candore lilii.* § 4 et § 160. — (2) Cap. 19.

nare : et multo plus, quod libri, folia, et lineæ ejus sententiam imbiberent, atque spongiæ instar incorporarent sibi spiritum Thomæ, ac penitus incordiarent. Quippe non cupimus nova edere, non subruere antiqua; sed puram D. Thomæ doctrinam pure sequi, intelligere, explanare, et pro nostro captu tueri. Ratum namque habemus, et probamus securissimum monitum Lyrinensis, qui expendens illud Apostoli in 1. ad Timoth. 6. *Depositum custodi,* ingeniose subjungit : *Quid est depositum? Quod tibi creditum est, non quod a te inventum est : quod accepisti, non quod excogitasti : rem non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis : rem a te perductam, non a te prolatam : in qua non auctor esse debes, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens. Nolo mihi pro aliis alia subjicias : nolo pro auro aut impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta supponas : nolo auri speciem, sed naturam. Intelligatur te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur : eadem tamen quæ didicisti ita, doceas, ut cum dicas nove, non dicas nova* (1).

Quod ut securius assequeremur, et in hac parte minime falleremur, aliosve, ut alii solent, falleremus solo fuco tui nominis chartis illito; non te tantum, DOCTOR SANCTISSIME, consuluimus, quamvis identidem legerimus; sed vota etiam audivimus Thomistarum, id est, eorum, qui ex affectu, studio, instituto, et fidelitate merito censentur tui indubitanter discipuli, ut Capreolus, Caietanus, Ferrara, Medina, Alvarez, et similes : hos namque par est credere, quod tuos sensus introspexerint, et depositum fideliter custodierint. Non enim probamus illorum artem, qui se dicunt tibi adhærere, et tamen a tuis discipulis distinguuntur, et palam scholæ adversantur. Qui in hac causa non dissimiles se produnt aliquibus sectariis obtendentibus sufficere sibi Scripturam sine Patribus, atque accipienda fore sacra Biblia absque traditionum glossa : nam hi, dum legitimos Interpretes aversantur, textum ipsum, et Auctorem non prosequi facile convincuntur, et sunt omnino de veritate suspecti. Aliter plane, et valde aliter nos instruxit Paulus, qui etsi ab ipso Christo fuisset instructus, ascendit tamen Jerosolymam ad Christi discipulos, *Et contuli,* inquit, *cum illis Evangelium, quod prædico, in gentibus* (2). Nam ut observat D. Augustinus, *ipse Apostolus Paulus post ascensionem Domini vocatus, si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando Evangelium, ejusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi non crederet* (3). Et credemus veras illos D. Thomæ sententias propinare, qui ab ejus discipulis se sejungunt, qui classicum in eos canunt, ad arma provocant, et proritant? Nihil minus. Non magis hi D. Thomæ adhærent, quam Nominales, et Scotistæ illi palam contradicentes; sed eo periculosius fingunt, quo speciosiori, atque vulpino cavillo adversarios se dissimulant, quando pro Thomistico auro plumbum, æramentaque (quod Lyrinensis præcavebat), non bene gnaris venditant, et obtrudunt. Sed longius forte provehimur, quam par erat, et nuncupatorium decebat elogium : nec enim hæc attingere possumus, quin excitemur zelo in nugigerulos illos.

Tu vero, DOCTOR ANGELICE, sereno vultu, id est, tuo suscipe vota nostra, studia, desideria, labores. Tibi hæc sacrantur, quia tua : et tua sunt, quia te auctore, te instructore, atque, ut credimus, te intercessore, ad hanc usque nostri Cursus lineam pervenire potuimus. Fove nostra studia, et novorum forte laborum ingrediemur stadia, ut denuo currentes tuæ approbationis, quam maxime concupiscimus, consequamur adoream, accipiamus brabium. Et quod omni præmio æstimabilius, aliisque beneficiis anteponendum nemo non ducet, enixe rogamus, ut erga fidos discipulos exequaris extremum Mercurii officium. (Sic denique umbratilem ejus conficimus similitudinem) Fingebatur namque ille vectandis in æthera animabus dux, qui eas, ut loquitur Petronius, *duceret, ac reduceret.* Unde Horatius accinit :

(1) In *opusc. adversus hæres.* — (2) Ad Galat. 2. — (3) Lib. XVIII. contra Faustum, c. 4.

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coerces
Aurea turbam. (Satyr. lib. I. Od. 10).

Et ad hæc alludens Tertullianus, cum de anima morientis ageret, dixit præsentire *paraturam sui diversorii de ipsius statim Angeli facie vocatoris animarum Mercurii Poetarum* (1) Hæc itaque obsecramus, ANGELICE DOCTOR, ANGELE DUCTOR, ut sis animarum nostrarum sacratior Mercurius, vocator, instructor, atque protector, qui homunciones humi repentes ad superna excites, et in cœlum tandem tuis gloriosis intercessionibus introducas. Fove igitur, et æternum fave.

Fray Joseph de Santa Teresa definidor General y Secretario del Diffunto General de Carmelitas descalços, dois fe que en Junta Extraordinaria Celebrada en este nuestro Colegio de Alcala a 26. dias de Abril, de 1688. se determino que el Tomo segundo de incarnatione Salmanticense se imprima a Costa del Comun y por la Verdad lo firme de mi nombre en este Colegio a 30. de Abril desobre dicho ano.

Fr. Joseph de S. Teresa, Definidor Secretario.

FACULTAS ORDINIS.

Fr. Joannes a Conceptione, Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum B. Mariæ de Monte Carmeli, de consensu nostri Diffinitorii, ut liber, cui titulus est, *Cursus Theologicus, Tomus decimus a quæstione 9. tertiæ partis usque ad 27. complectens,* a Collegio nostro Salmanticensi accurate compositus, et a gravioribus, doctisque viris nostri Ordinis, (quibus ipsum videndum, et examinandum commisimus) recognitus, et approbatus, typis mandetur, et in lucem prodeat, tenore præsentium licentiam concedimus. In quorum fidem præsentes manu nostra, ac Secretarii nomine subscriptas fieri jussimus in hoc nostro Collegio Complutensi, die 27. Aprilis, anno Domini, 1688.

Fr. Joannes a Conceptione, Generalis.
Fr. Josephus a S. Theresia.
Diffinitor, et Secretarius.

APPROBATIO R. P. M. FR. FRANCISCI BLANCO,

Magistri Theologiæ, et in Universitate Vallisoletana Primariæ cathedræ moderatoris : Theologi, et Concionatoris regii : supremi Fidei senatus Censoris, et a Secretioribus consiliis.

Ex Illustrissimi, ac Reverendissimi D. D. Josephi de Cosio, Catholicæ Majestatis a consiliis, ac Salmantini Antistitis commissione libentissimo animo legendum suscepi Tomum hunc decimum super 3. p. Doctoris Angelici, a celeberrimo, ac vere insigni Salmanticensi Collegio eruditissime elaboratum. In cujus lectione firmissimam subtilitatem admirans, non tam censoris, quam discipuli munus obiens,

(1) Lib. *de anima,* cap. 33.

omnia scitu dignissima reperi, notandum nihil. Opus sane prælo dignissimum, ac communi studentium utilitati aureum plane censeo. In cujus fidem hæc scripsi Matriti in hoc S. Thomæ Aquinatis Conventu, die 15. Julii, anno 1688.

Fr. Franciscus Blanco.

FACULTAS ORDINARII.

Nos D. Joseph de Cosio Barreda Dei, et Apostolicæ sedis gratia Episcopus Salmantinus, Regiusque Consiliarius, etc. tenore præsentium approbamus hunc librum, Cui titulus est: *Collegii Salmanticensis Fratrum Discalceatorum B. Mariæ de monte Carmeli Cursus Theologicus, tomus decimus a quæst. 9. tertiæ partis usque ad 27. complectens :* et quantum ad nos attinet, facultatem concedimus, ut typis mandari queat : quia ex commissione nostra visus, et examinatus est, et nihil continet, quod nostræ Sanctæ Fidei, et bonis moribus adversetur. Salmanticæ in nostro episcopali Palatio, die 21 Julii, anno 1688.

Joseph Episcopus Salmantinus.

De mandato Illustris. Domini mei Episcopi.

D. Dominicus de Austoa, et Zelaya.

AD LECTOREM.

Quod Cursus hic Theologicus jam diu inchoatus serotinum adeo (ut judicabis), progressum fecerit, et plumbeis tandem passibus metam nunc attingat; causa fuit ipsa operis magnitudo. Oportebat namque gravissimas Theologiæ quæstiones non perfunctorie delibare, sed sedulo introspicere, maturoque consilio decidere : ad quæ non minus mora temporis, quam cunctatio studii, et attentionis desideratur. Accessit præterea Tractatus hunc Cursum componentes dictari pro more a Lectoribus, attemperantibus se discipulorum captui : quorum magis profectui, imbecillitati, tarditatique providere, quam gloriabundam aliquam apud alios doctrinæ speciem promovere curarunt : unde opus habuerunt cum morosis morari, et pari passu, nempe lento, ire, atque in dies consummationem operis protelare. Et denique, quod caput est, Cursus hic ab uno Lectore inchoatus, eo moriente, et succedentibus aliis, vel defungentibus, vel ad alia distractis, non semel interruptus fuit, ac præcisus; augescente difficultatem ipsamet Auctorum (et subinde ingeniorum) varietate : qui sæpe sæpius debuerunt propria sensa deponere, aliorum sequi, et Pythagorica quadam metamorphosi præcedentium animas in se transfundere. Quod plurimum addidit laboris, et attentionis, ne vel circa minima in eodem opere discolor ulla absonantia reperiretur. Etsi enim omnes hujus Cursus Auctores tam prodromi, quam consectores fuerint fidelissimi D. Thomæ discipuli, atque erga ipsius doctrinam ab ipsis in Religione unguiculis probatissime adfecti, (quippe Religio non alia ad id muneris probat ingenia, quam Angelicæ disciplinæ velut naturaliter consonantia, atque ex inclinatione obsequentia :) nihilominus cordialis ipse discipulatus aliquas varietates permittit circa intelligentiam Doctoris. Ea namque est humani ingenii debilitas, ut quamvis in veritatem sedulo collimet, ipsam tamen raro intueatur in se : atque ideo vel inviti cogimur multiplices tentare vias, ut optatum finem teneamus. Unde ad vitandum

cujuslibet discordiæ speciem, Lectores sæpe numero obligabantur consulere non solum D. Thomam, sed rimari etiam suorum prædecessorum intentionem, et replere, ut sic loquamur, ideas. Quod absque novo temporis dispendio fieri non potuit. Sed tandem, adfavente Deo, superatis difficultatibus, Cursus hic ad extremam lineam pervenit, et in hoc volumine sistit, et tanquam in centro quiescit.

Ordinem autem, et numerum voluminum, quem primus Cursus Auctor delineaverat Tom. 1. in proœm §. 5. et 6. et 7. non potuerunt alii observare, nec posset ipse : quia in actu experientiæ compertum fuit Tractatus pro rei dignitate exigere plures, ut vocant, tomos, quam ille præconceptæ brevitati intentus curaverat præsignare. Et quia Typographi, aut Bibliopegi majoris forte lucri gratia, debitum ordinem aliquatenus inverterunt, secando nimirum in partes volumina minime dividenda : de re censuimus (quod pro nova impressione admodum referet,) legitimam hic eorum partitionem describere. Continet igitur noster Cursus tomos octo. *Primus* agit de Deo uno in se. *Secundus* de Trinitate, et Angelis. *Tertius* de ultimo fine, de beatitudine, de voluntario, de bonitate, et malitia, ac de virtutibus. *Quartus* de peccatis. *Quintus* de gratia, justificatione, et merito. *Sextus* de virtutibus theologicis, et statu religioso in communi, *Septimus* de mysterio Incarnationis a 1. quæst. tertiæ partis usque ad 9. exclusive. *Octavus* autem hic, sive ultimus continuat considerationem ejusdem mysterii ab ea quæst. usque ad 27. exclusive. Et sic finit totus Cursus. Quod enim deficere cuipiam videbitur, et spoponderat ille, disserere videlicet de Sacramentis, addendum minime duximus : quia alii hujus Collegii Lectores, Franciscus a Jesu Maria, et Andreas a matre Dei, huic parti navarunt operam in Cursu Morali paucis ab hinc annis edito. Et cum hæc Scholastica præcipue scribamus ad propriorum sive domesticorum instructionem, supervacaneum censuimus ea Scholastice disputare, quibus illi non vacant, nisi postquam peracto Theologiæ curriculo, transferuntur ad aliud Collegium, ubi unice circa moralia occupantur, et ex professo quæ ad Sacramenta pertinent, edocentur. Hac igitur ad causa illam considerationem omittendam esse censuimus. Sed nec hac nostra censura cancellos, aut leges aliis prescribimus, qui vel suo nutu, vel superiorum jussione hanc provinciam intentent, et Cursui inserant eam laciniam.

Quam vero approbationem vel ob exactam rerum discussionem, vel ob desideratam cum doctrina D. Thomæ concordiam, Cursus noster habuerit, (si quam meretur;) nostri non est expendere, qui philautia detineri, atque infuscari possemus; sed relinquendum est defæcatiori, saniorique subinde cæterorum crisi. At non omittemus aliquorum placita submittere, quæ haud infimam (licet supra merita) commendationem huic Cursui conciliare apud alios queant. Et primo loco occurrebat integra, elegantissimaque epistola Reverendiss. et doctiss. Patrum Prædicatorum Conventus Tolosani ad Collegium istud directa. Sed quia ex una parte indignum foret ullum ejus apicem detrahere, atque lectori docto invidere; ex alia, vero longior est, quam hic congrue ingeri possit : congruentius judicavimus integram eam post præloquium hoc exscribere. Nunc damus alios. P. P. Hieronymus Vives lib. 1. de scientia media disp. num. 32. allegat cum laude hunc nostrum Cursum, subjungens : *Quod dixerim, ut quoties legeris Cursum Carmelitanum allegatum, adeo egregium quid concipias in schola D. Thomæ, ut hoc solo sententia, cui patrocinatur pro vere Thomistica, sit habenda. Ego enim peculiari Dei benevolentia in D. Thomam, et Prædicatorum familiam, imo et universam Ecclesiam provisum semper existimavi, ut hoc tempore, quo Recentiores Thomisticam doctrinam evertere conati sunt, immensum auctoritatis pondus eidem doctrinæ supervenerit : quo solo plus forte gaudere, et crescere datum fuit, quam de adversantium impetu pati ruinam potuisset :* Et in margine habet. *Cursus Carmelitanus, qui pro decem millibus computandus.* Non absimilia, nec minus elegantia offert Sapientissimus, et R. P. Johannes Gonet dum Cly-

peum Thomisticum editionis sextæ ad aras sacratioris Bellonæ, Divæ scilicet Viraginis, et matris nostræ Theresiæ consecrans, aut suspendens inquit post plura : *Quid de Salmanticensibus Theologis dicam? quibus vix ullum S. Thomæ æmulum ingenio, diligentia, soliditate parem reperire est : quos magis pertimescere Schola Thomistica debuisset, et acriori impetu, majori robore pugnantes persensisset : et ne quid prætéream, quos suam Scholam instituere, seque sequendæ sententiæ auctores constituere potuisse non dubitaverim; nisi præeuntem Angelicum Præceptorem sequi; et suæ Parentis jussis adstricti, et sua erga D. Thomam reverentia sponte adducti maluissent.* Hæc omnia sapientissimi Thomistæ, quibus nullos graviores potuimus, aut debuimus producere testes, qui fidelissimum nostri erga D. Thomam discipulatum tam serio, et adeo gratanter asseverent, atque urgentiori probationis genere evincant : quippe his commendationibus illos minime palparent, a quibus viderent veram, et Thomisticam doctrinam fucato stilo traduci.

Sed quia suspicari, aut objicere quis posset hæc Symbola esse a confœderatis prolata ob eorumdem dogmatum sequutionem : addemus sequestrarium judicium viri ingeniosissimi, nullarumque partium studio addicti, sed liberrimæ sententiæ. Is est Illustrissimus Joannes Caramuel, qui in Comment. ad regulam D. Benedicti, quæst. 34. num. 345. sic loquitur : *Qui Carmelitarum doctrinam admirari voluerit, legat libros, quos temporibus variis ediderunt. Salmanticensi Theologiæ Cursui Thomisticæ sententiæ alias probabiles, debent, quod sint inexpugnabiles, securæ, et certæ. Commendo Scholam, laudo libros : illam, quia nulla melior; illos, quia nulli meliores. Libere dico : si deberem Scholæ alicui nomen dare; illi potius, quam alteri : et in illa illis potius aliis uterer. Sed amo sentiendi libertatem* etc.

Reliquum erat, ac nonnullorum desiderio debitum, ut referremus eorum personas, et nomina : qui Cursui isti concinnando adlaborarunt. At indignum est hæc ab illis expectari, qui nihil ipsa reputant, operisque vestibula, sive frontes similibus titulis studuerunt denudare, et solius Collegii nomine inscribi. Priorem vero (ut votis aliquorum aliquomodo faciamus satis,) qui manum operi adhibuit, prodidit (nobis nec intendentibus, nec approbantibus,) laudatus jam illustrissimus Caramuel in suo politissimo Dominico lib. 7. cap. 6. num. 1126. ubi sub hoc titulo *V. P. Antonius a matre Dei,* elogium ejus sic adornavit : *Hunc dedit mundo ingeniorum feracissima Hispania, et in Hispanias Legio, quam vernacula lingua Leonem dicunt : ut non mireris esse unicum, qui æquivaleat millibus, et dum argumentatur, non vociferari, quod hodie faciunt multi, sed rugire. Ætatis quinto decimo Salmanticæ Carmelum Excalceatum iniit : unde translatus Vallisoletum anno 1603. jan. 19. tyrocinium posuit, et vota Religionis emisit. Cursu postmodum studiorum emenso Philosophiam Compluti, et Theologiam Salmanticæ professus est maxima Auditorum admiratione, plausu, et fructu. Cœpit jam tum omnium oculos ad se convertere, et ipsos etiam sublimium Facultatum Magistros in admirationem pertrahere. Et quidem merito : nam præter insignem, exquisitam, et reconditam eruditionem, summumque ingenium, ac judicium, vir erat integritate singulari, animi candore, libertate, ac alacritate admirandus, patientiæ studiosus, paupertatis cultor, obedientiæ conservator eximius : fuit silentii rigidus observator, humilitatis tenax, ambitionis, omnisque fastus contemptor egregius : ut in illo virtus cum doctrina, humilitas cum ingenio, pietas cum sapientia certare videantur. Utroque certe virtutum, ac litterarum ornamento ita inclaruit, ut illustrissimis nostri seculi Viris possit annumerari. Fuit hic præcipuus auctor Cursus Complutensis, primum in Hispania anno 1624. editi, et postmodum recusi pluries in Gallia, Germania, et aliis locis etc. Non minorem laudem, et applausum sunt meriti, aut sortiti tres priores Tomi Cursus Theologici Salmanticensis, quorum Antonius ipse author primarius etiam fuit etc. Sane huic Viro doctissimo elogio sunt libri doctissimi, quos exaravit, nec laudibus*

aliis indigere videtur. Duos autem alios ejusdem Cursus Auctores, ne penitus Lector desiderio frauderis, recensos habes in Historia Ordinis tom. 4. lib. 18. cap. 60. a num. 5. Hæc te monitum voluimus. Si quid vero utilitatis, si quid lucis, si quid denique ad Thomisticam veritatem affectionis ex hoc opere reportaveris, id a nobis loco summi præmii æstimandum ibit. Sed tu Deo patri luminum, a quo veritas est, et omne bonum grates refer. Nobis autem, quibus ex nobis non nisi defectus est, atque ignorantia, errata condona, et orationum suffragia dona, ut ad probatiora emendemur. Vale, et interim fruere elegantissima epistola jam promissa, quam tibi immediate damus.

Reverendis admodum Patribus Lectoribus sacræ Theologiæ in Collegio Salmanticensi Discalceatorum Fratrum Ordinis de monte Carmeli.

Religiosissimi, et doctissimi Patres, dum universus Orbis Christianus vobis, sibique de vestra eruditione uti jam olim de professionis sanctitate, et conversationis exemplo gratulatur; maximumque agnoscit præsidium, sibi, et ornamentum utroque pietatis, et sapientiæ studio, quod facillime jungitis comparari. Dum libros vestros de rebus Philosophicis, aut Theologicis jam editos avidissime excipit, edendos cupidissime expectat; atque suo favore, et applausu vos sponte currentes ad totius operis Theologici metam incitat : nefas sane putavimus inter tot laudes, votaque communia vestri operis, quibus nullus pene locus vacat; nos vel unum ad quos tamen res ipsa maxime spectat silere, negare suffragium, animique sensus, ac desideria reticere. Equidem dum Sanctissimum Thomam illustrandum, propugnandumque suscipitis : non dubium est quin totius Ecclesiæ causam agatis, cujus ille sit decus, ac columen : ac proinde quod nulli pio labor vester quam maxime probari, expetique non possit. Attamen præter has communes nobis cum quovis boni publici, et veritatis studioso rationes, quæ silentium nostrum abrumpere, propriæ nobis, ac singularissimæ suppetunt, quæ id officii, nec omittere, nec longius differre sinunt. Hic sane maximus vestri laboris fructus, hæc laus, ut existimo, præcipua est : quod de his omnibus sitis optime meriti, qui aliquid Sanctissimo, et communi Magistro debere se fatentur, quibus doctrina ipsius probatur, vel gloria cordi est. Inter hos doctrinæ, et nominis ipsius studiosos, cum nos sine controversia primi simus, quippe qui non solum litterarum amantes, Religionis Christianæ, et Dominicani Ordinis professores (ad quos omnes diverso in gradu res ista pertinet,) sed etiam ejusdem sanctissimi Doctoris custodes simus, et privato titulo clientes, quodque omnium invidia dignum est, præsentem habeamus, ac veneremur : fatendum est nos etiam plus cæteris vobis debere : quidquid enim aliis in hoc beneficio proprium est, nobis commune censemus; quidquid nobis proprium, nullis commune. Si enim tota Respublica litteraria, perpetuum illius doctrinæ commentarium vobis debet, sine quo vix probe intelligi, uti sine ipsa nemo doctus possit existere : si de Religione Christiana optime meriti estis, quod Ecclesiæ Doctorem ad verum, genuinumque sensum, quo fides maxime alitur, et augetur interpretati sitis; si totam denique Prædicatorum familiam multis ultro, citroque collatis, acceptisque beneficiis devinctam novo, firmissimoque vinculo adstrinxistis, his nempe libris, quos merito ipsius gloriæ, id est, Sanctissimi Doctoris Vindicias quis appellarit, horum omnium nos etiam participes simus; et illa seu studiosorum commoda, seu Ecclesiæ, et totius familiæ nostræ ornamenta vobis accepta referimus, non communi tantum grati animi sensu, sed singulari eoque majori affectu, quo nos Sanctissimi Doctoris gloriæ cæteris mortalibus studiosiores esse oportet, quem ut communem Magistrum, et privatum Tutelarem genium veneramur, ac colimus. Cujus etiam præsentia fruimur, tantoque nos cæteris hominibus superiores credimus, quanto aliis partibus inferiores. Nobis igitur tanti Doctoris discipulis, tantique Patroni clientibus gravissima videbatur quorundam audacia, multoque intolerabilior aliorum dolus, et fraus, quorum illi verissimas Sancti Doctoris sententias

totis viribus aperte refellere, isti vero dolo ac veluti cuniculis actis subruere, ac falso, fucatoque interpretandi genere corrumpere nitebantur; pessimum sane genus hostium, qui simulata amicitia gravius nocent, quam bellum professi. His vero vel apertos, vel simulatos hostes multi e nostris debellarunt, vindicata validissime, ab eorum argumentis, et artibus impetu, ac fraude doctrina Thomistica. Sed hoc sæculum, uti præteritis, aliorum vitiorum, ita hujus mali feracius est : itaque quotidie refractæ vires invalescunt, artesque falsorum interpretum, plagiariorum innovantur, nova commentariorum genera digna tenebris in lucem prodeunt, quibus (quod prodigio simile est) Author ipse traducitur, magis quam illustratur : mens ejus aut aperte refellitur, aut clam, et subdole corrumpitur. Sed si novo aucta subsidio vires, atque animum resumit fraus, et audacia, lætamur nos vos veritati, et doctrinæ Thomisticæ milites, ac duces accedere qui viribus adversariis non impares vincant bonitatem causæ. Licet vero e nostris plurimi eorum impetus repressissent, aut detexissent insidias ; nescio tamen quo tandem fato eorum ausibus fortuna favet; causam eorum progressus similem illi existimo, qua errores plerumque serpere solent; quod libros suos diligentissime spargerent, omnibusque opportune, vel importune ingererent : nostri vero minus familiares essent, minusque fidem facerent apud quosdam qui sibi hoc falso persuaserunt, nos in eas interpretationes, et sententias D. Thomæ, quas genuinas esse credimus, necessitate quadam, ac vi nostrarum legum adigi, nec nostro, sed antiquorum Patrum sensu, a quo discedere nefas esset, duci. Sed hos veluti obices, qui veræ doctrinæ incrementa retardabant, vos Patres effregistis his libris, quibus quidquid solidi ac veræ doctrinæ Thomisticæ assertores scripsere, mira brevitate, facili methodo collegistis ; nec antiquis lucem illo ordine addidisse satis fuit, multa etiam magno labore quæsita, et felici inventa ingenio illuc conjecistis ; ita tamen ut veteres sententias novis illis inventis non evertere, ut moderni solent, sed adstruere conati sitis : mens vobis prorsus eadem cum antiquis Thomistis, diversitas si qua sit, ea in methodo, ac rationum numero sita est; plures enim acute excogitastis, quas tamen fere semper ex illa scientiarum abysso Sanctissimo Doctore erutas esse ostenditis : ubi frequenter modestiam vestram mirari subit, sicut quorundam vanitatem, qui gloriam se non posse adipisci putant, nisi aliena, vel pro suis venditent, vel suis inventis, si quæ sint, refellant. Vos vero, ea quibus merito gloriari possetis, communi Magistro accepta refertis; et quidquid recte, ac subtiliter a vobis dicitur, ab eo qui nihil nesciebat, multo ante dictum esse vultis : ut in ejus scientiam id merito convenire vestra industria manifestum sit, quod Psalmista canit : Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam. Multum in ejus indagine Patres nostri laborarunt, nec frustra; plurima enim inde scitu dignissima deprompserunt; sic tamen ut iis multo plura posteris inde eruenda, tanquam ab inexhausto fonte relinquerent; vos eos sequuti aperte ostenditis quæ hactenus in eam dicta fuerant, minimam eorum quæ ibi latent, ac dici possunt, partem esse. Vestris ergo laboribus, ac vigiliis, præter quod maxima ad S. Thomæ gloriam facta est accessio, submota sunt obstacula, quibus veritas Thomistica præpedichatur, ne libero pede curreret; neque enim diversa multorum authorum, aut comparanda erunt, aut legenda volumina (quod paucis, vel propter inopiam, vel ob nimium laborem contingebat,) ut totius doctrinæ Thomisticæ notitia, ac defensio habeatur; ad hæc enim his, quibus omnia nec vacat legere satis superque (etiam si cætera desint) vestri libri erunt, qui paucis multa, ac pene omnia complectuntur; unde cum parabiles, ac lectu faciles sint, atque ab ingentibus expensis, ac laboribus redimant, passim distrahentur, omniumque manibus diu, ac noctu terentur, nec quisquam se eorum usu ac lectione fraudari patietur. Unde maxima veritati, id est doctrinæ Thomisticæ, lux accedet, fidesque astruetur, præsertim cum a vobis longe absit illius rei suspicio, quam nostris alii falso affingunt, quod in sententias Scholæ nostræ necessitate quadam, ac partium studio eamus. Quod licet omnino falsum sit, non ita tamen aperte, ut in vobis verum, qui ne minima quidem suspicione, apud cordatos viros laborare possitis, cum nullo impetu, nulla necessitate obreptos in castra nostra venisse constet apud omnes, qui vos omni humano affectu intactos, aut majores

esse agnoscunt; sed solius veritatis amore; quam illa Theodidata Virgo Mater vestra divinitus sicut plurima alia accepit, monuitque filios suos apud Sanctissimum Doctorem veteremque familiam ipsius (quam Princeps ille veritatis Ordinem appellabat) residere; unde sedem, locumque vobis veluti digito monstravit, ubi quæri oporteret. Illa se Theologiæ Mysticæ natis suis Magistram ac Ducem præbuerat; noluit Scholasticæ præceptorem deesse, itaque Sanctissimum Doctorem indigitavit, ac dedit; præclare profecto, nec potuit sapientius filiorum saluti, ac gloriæ Mater prudentissima in omnem partem consulere. Quid enim ad Religionis præsidium tutius? quid præclarius ad ornamentum? quam utriusque sapientiæ, qua tota salus, ac perfectio continetur duces sequi, qui primas sine controversia obtinerent? Uti enim Theologiæ Scholasticæ Thomas, ita Mysticæ Theresia Princeps habetur : hos itaque duces sectamini, hæc duo vobis exempla perpetuo ob oculos versantur, quæ ad vivum moribus, ac scientia exprimit; itaque, ut ingenue fateamur quod sentimus, licet multi pietate, aut scientia vobiscum fortasse contendere possint; sic tamen ambæ in vobis eminent, ut paucos in utraque pares, nullos ex Ecclesia Catholica superiores habeatis. Hoc sapientiæ Matris, et Thomæ debere vos agnoscitis : qui, sic vos imbuunt, sic informant, ut Religiosæ perfectionis, ac scientiæ studiosis exemplo esse possitis, aliis omnibus admirationi, tot tantisque bonis incrementa, et perennitatem optamus. Tolosæ in Conventu Sancti Thomæ Ordinis Prædicatorum.

Religiosissimi, et doctissimi Patres. Confratres vestri, et in Christo servi

Fr. Guillelmus Matthæus, humilis prior Ordinis Prædicatorum.
Fr. Antonius Alvarus, Supprior.
Fr. Vincentius Usaronius, Lector Theologiæ.
Fr. V. Jammel, Lector Theologiæ.
Fr. Antonius Reginaldus, Lector Philosophiæ.

TOMUS UNDECIMUS

FULGENTISSIMO

ECCLESIÆ SOLI

PRIMICERIO VERITATIS JUBARI

SUMMO THEOLOGIÆ MAGISTRO

ANGELICO DOCTORI

DIVO THOMÆ

SALMANTICENSE COLLEGIUM

Sanctissimi vatis, ac Protoparentis Eliæ, Carmelitarum Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli.

D. C. O.

Sacramenta sacraturi ad Sacrarium properamus. Cui namque aptius quam sacrario sacramenta commendemus? Et quodnam sacratius pro sacramentis repositorium votis nostris præ te (Thoma Doctor Angelice) vestigare valebimus? Ad hominum custodiam hominum factor, Pater cœlestis, Angelos destinavit. Ad sacramentorum, præsertim augustissimæ Eucharistiæ tutelam summus mysteriorum institutor te Angelum, te custodem elegit. Unde te sacrarium, te præsidium quærit nostra de hisce rebus consideratio : et quod versamus, reponitur in te mirabili consonantia. Thomas abyssum personat : abyssus vero profundum refert, occultum, secretum, impermeabile : quod examusim mysterium repræsentat, et sacramentum. Ergo abyssus abyssum invocat, et Thomam nostrum studium istud de abysso, nempe de Sacramentis, et Sacramentorum Sanctissimo.

At incitant etiam, ut te sacrarium quæramus, rationes specialiores. Cui enim de Eucharistia opus litari oportebat? Cui protegendum committi? Profecto tibi, in quo velut in placidissimo centro mysterium ipsum se collocavisse videtur, plausibiliores inde cœlestium ducens adoreas. Cum umbratilis olim hujus præcelsi arcani arca Jordanis undas libero foret tramite tranatura, illius ducibus Josue præcepit : *Cum ingressi fueritis partem aquæ Jordanis, state in ea* (1). Stetit ergo inter medios aquarum turbines arca Domini. Steterunt lymphæ, et placido illam circunvallantes susurro limpidissimum eidem paraverunt hospitium, salientes, turgescentes, et se quoquoversum crispantes, atque tanto hilares pignore vallatam formabant abyssum, ut eam reconderent. Nec minus placide arca ipsa in tanta blandientium vorticu multivaga concretione, pacata tranquillitate gaudebat. Ad quæ alludens Habacuc pangebat *abyssum dedisse vocem suam* (2) : erat enim profundum Jordanis, quo vehebatur arca, non mediocris abyssus. At qua inclamavit voce? Non inveniemus, quam *benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus cœli de super* (3). Sed quam pulchre! Dum arca Domini in abysso conquiescit, intonant cœli benedictiones, concinit benedictiones abyssus. Ibi concrepantium musicorum festiva resonat harmonia : hic gurgitis concentus sonorus correspondet. Cœli spectaculum gratulantur : abyssus vocibus resalutat. Cuncta plaudent, dum arca fœderis sospes in abysso quiescit, cum abyssus arcam summa complectitur reverentia. Nunc a typo libet ad nova ectypa mentis oculos convertere, ad Thomam plane profundam, et pellucidam scientiarum abyssum.

(1) Josue, 3. — (2) Habacuc, cap. III. — (3) *Genes.* 40.

Nam cum inter proceres Parisiensis Academiæ sophos nimis ardua circa Eucharistiæ mysterium versaretur difficultas, aliis adfaventibus, et refragantibus aliis; tibi (o splendidum fidei luminare) theorema committitur discutiendum. Rem innato ingenio, cœlesti splendore lustrasti, et illustrasti adeo, ut de antelucana illa caligine rutilus fulgor eruperit. Sed nihil tibi deferens, quin propriæ lucubrationi diffisus, ad Crucifixi oraculum properas, et in ara codice collocato crisim de exantlato expetis opere. Cumque orationi humilis, et fervidus insistis, cœlestem excipis responsionem : *Bene scripsisti de me.* Idemque responsum iterum, atque iterum audivisti cum post exaratum celeberrimæ festivitatis hujus Sacramenti officium, et post scriptam illam Summæ partem, in qua luculentissime de hoc mysterio disseruisti, *Bene scripsisti de me,* inculcat divinum oraculum. En, quot intonat benedictionibus cœlum, dum cœlestis Manna arca reconditur in abysso. En quales voces suas abyssus dedit, quando arca committebatur ejus præsidio, quando immensi torrentis doctrinæ circumvallabatur aquis. Ad hæc equidem sapienter aliqui Summi Pontifices attendentes, aræ vice tuorum operum partem substituentes sacrosanctum corporis, et sanguinis Christi obtulerunt sacrificium (1). Sic plane resonabant benedictionum plausibus festivæ cœlorum hierarchiæ : et alternis abyssus vicibus concertans, vocem suam velut taciturnam erumpens sonoris polorum concentibus respondebat. Amicabilis adeo emicat nexus inter Thomæ abyssum, et Eucharistiam, ut arca mystica in eo quasi in placido sibi sacrario servetur, et quiescat, applaudentibus universis.

Sed pergimus ad aliud momentum, ut hæ nostræ de Eucharistia elucubrationes tibi sacrentur. Sol veritatis ades, qui ætheream peragrans orbitam omnia sydera pulchriori luce collustras. Unde solis typo pectus foves, quasi radios e lucis centro ad universam Ecclesiam derivans. In medio autem solis corpore rubicundum agnum venerabatur antiquitas, et pro illius cultu celebrem conflavit phialam, in cujus centro aurea agni præsidebat imago, ut refert Herodotus (2). Porro totum solis corpus lyram reperimus nuncupatum. Hæc fabulosa. Sed nos sincera pietate te solem reveremur, atque in te quasi in fulgentissimo luminari, quasi in dulcissima lyra agnum Eucharisticum oblectari, residereque contemplamur. Ad cujus voluptatis incrementa altior tu sacratior Apollo, temperans fide fides, docto, quas pollice pulsas, et ad citharæ concentum mellifluas voces erumpens, gloriosi agni *pangis corporis mysterium.* Illius fabulosi agni causa solem sustinuisse deliquia addebat Pomponius (3). Istius causa agni patientem admirationis deliquia te cernimus aliquando, ubi personas : *O res mirabilis! manducat Dominum pauper, servus, et humilis!* Soli dicatam mensam, infinito refertam cibo refert Mella subdens :*Et quia, ut libet vesci, vescentibus licet, Elio-trapezam appellant* : quam et famosissimam vocavit Hieronymus ad Paulinum (4). En itaque, splendissime veritatis sol, Elio-trapezam, sive famosissimam solis mensam tibi sacramus : ex qua, ut te modulante canit Ecclesia, *sumit unus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille, nec sumptus consumitur* cibus. Nam quia Elio-trapeza, solis est mensa, et soli, fas est, rependatur. Mensa est Eliæ, et quia Elias sol, Elio-trapeza appellatur, et panem subcinericium ostentat. Unde ab Eliæ domicilio, ex Eliano nostro Collegio prodiens solis præsidium quærit, illudque in te minime ambigimus habiturum.

Alio denique specialiori stimulo (alia nunc subticentes motiva, quæ proœmium ad Eucharistiæ tractatum explicabit) urgemur, ut hæc nostra de sacramentis, et Eucharistia operta tibi, Doctor sanctissime, rependamus. Nempe censemus, intimum cordis affectum, et cordialem devotionem, quibus erga Sacramentum Sacramentorum medullicus æstuat minima hæc Carmelitarum Excalceatorum Familia, ex te velut uberrimo erga illud omnigenæ pietatis fonte torrentem ducere, atque in nos elabi. Cum enim olim sanctissima Matriarcha

(1) *Ayala in horto Nominis Mariæ,* arom. 7, areol. 10. — (2) *Apud Athenæum.* — (3) *Ibid.* — (4) Philippus Bervald. anno t.2.

nostra Theresia vel tepore, vel timore, vel nimirum reverenti quadam humilitate a frequenti Eucharistiæ pabulo abstineret, totam præsensit elanguescere virtutem, et ab arrepto aliquando fervoris spiritu exorbitare (1). Sed suavi Sponsi providentia factum est, ut R. P. F. Vincentius Barron. Dominicanæ familiæ Religiosissimus professor, et Thomisticæ doctrinæ fidissimus, et doctissimus assecla Theresiam nostram ad crebram cœlestis panis communionem hortatus fuerit, horrentemque, et non satis in hac causa commendabilem humilitatem sapienti consilio depulerit, calcaria, et ignes applicando ad angelicam alimoniam. Suasionem vero quasi de cœlo elapsam amplectitur Virginis obedientia, et frequentiori cibo gliscit spiritus, pinguescit virtus, roboratur animus, ignescit affectus, totaque interna mentis officina seraphico æstu flagrat, lucet, illuminatur. Hinc factum, ut nihil magis in votis habere videretur, quam hujus mirabilis Sacramenti præsentiam intueri, unione perfrui, commercio liquefieri, atque in omnium cordibus erga ipsum amorem studio pervigili seminare. Hinc ardor in affectibus, exactio in ceremoniis, elegantia in vasibus, suave olens candor in vestibus; ac denique lautitia, puritas nitor in cunctis ad istius Sacramenti cultum et honorem vel remote pertinentibus : quæ in humili hac Carmelitarum Excalceatorum familia splendere nemo non videt. Quinimo (et hinc magis incitamur) Seraphica Mater virile illud propositum ad fundandum Carmeliticam istam Reformationem ab Eucharistia concepit; cum post sacram synaxim audire a Domino meruit, ut eidem adlaboraret : quo oraculo imprægnata Carmelitarum Excalceatorum (non absque mundi stupore demirantis in Virgine, quod Virorum vires, vota, conatus non semel excesserat,) peperit Religionem. Unde filii Theresiæ sumus, si ita fari decet, divinissimæ Eucharistiæ quodammodo filii. Cum igitur Carmelitæ ista a Matre Seraphica, Mater a discipulo Thomæ, Discipulus autem ex te, Doctor Sanctissime, recto tramite duxerimus : pari consequentiæ filo ducimur, ut existimemus, quidquid singularis pietatis, quidquid studiosi luminis erga divinam Eucharistiam participamus, ad te velut primarium nostræ devotionis manale revocandum fore; unde Angelicam bibimus ambrosiam, et cœlesti dape nutrimur. Quid ergo? Tua plane rependimus, cum nostros istos de Sacramentis, et Eucharistia labores videmur offerre. Dona tua sunt a cœlestis aurora tua derorata : a divina nube tua omnis hic cadit imber : a rupe tua saliunt hi rivuli. Et dum progredi videmur, fontem repetimus, unde labimur : atque abysso sicut vestimento amiciri cupientes alarum tuarum umbraculo protegi contendimus. Dum autem securam istam diligentissimi Achatis nostri protectionem promereri satagimus, cantilenam antiquam millies personabimus, et e labris nostris non cadet, *Illumina, fove, et fave.*

FACULTAS ORDINIS.

FRATER ILDEFONSUS A MATRE DEI Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo primitivæ Observantiæ, etc. De consensu nostri Diffinitorii Generalis, ut liber, cujus titulus est. *Tomus XI. Cursus Salmanticensis Tractatus de Sacramentis in genere, et Eucharistia* more Scolastico a Fr. Joanne ab Annuntiatione Rectore nostri Collegii Salmanticensis suis elucubrationibus accurate compositus, et a gravioribus doctisque viris nostri Ordinis (quibus ipsum videndum, et examinandum commisimus) recognitus, et approbatus Typis mandetur, et in lucem prodeat, obtenta facultate Ordinarii, Supremique Senatus; tenore præsentium licentiam concedimus. In quorum fidem præsentes litteras manu nostra, ac

(1) S. Mater, cap. VI *vitæ suæ.*

Secretarii nostri Diffinitorii nomine subscriptas, Sigillique ejusdem Diffinitorii impressione munitas fieri jussimus in hoc nostro Matriti Conventu, die 26. Februarii anno 1694.

Fr. Ildefonsus a Matre Dei Generalis.

Locus ✝ Sigilli.

Fr. Joannes a Jesu Maria
Diffinitor Secretarius.

LICENTIA DE EL ORDINARIO DE SALAMANCA.

Nos los Provisores, y Vicario General de esta Ciudad, y Obispado de Salamanca Sede Episcopal vacante por los senores Dean, y Cabildo de la Santa Iglesia Cathedral de la dicha Ciudad, mediante la censura del Reverendis. P. M. Fr. Raymundo Costa de la Orden de S. Domingo, Cathedratico perpetuo de prima en la Universidad de la Excelentissima Ciudad de Barcelona, y dignissimo Provincial de la Corona de Aragon, en virtud de remission del Ilustrissimo Senor Don Martin de Ascargorta Arcobispo de Granada, Obispo que fue de esta Ciudad (que nos consta.) Por lo que a Nos toca, damos licencia en bastante forma, para que se pueda imprimir el Tomo XI. Escolastico Salmanticense, que contienne las materias de Sacramentis in genere, y de Eucharistia. Dada en Salamanca a cinco dias den mes de Agosto de 1694.

Dr. Frey D. Alonso Murillo Velarde.

REVERENDISSIMI PATRIS M. Fr. RAYMUNDI COSTA Ordinis Prædicatorum, in Universitate Barchinonens strenui, doctissimi, et acclamatissimi sacræ Paginæ Perpetui Moderatoris, Conventus Sanctæ Catharinæ Virg. et Mart. iterum, atque iterum Studia Regentis, olimque illius dignissimi Pastoris, Episcopatus Barchinonen. Examinatoris Synodalis, et nunc totius Provinciæ Aragoniæ dignissimi Provincialis, de hoc opere ex toto affectu approbatio, et censura.

ILLUSTRISSIMI, et Reverendissimi D. D. Antistitis Salmantini obtemperans imperio; non absque eximio mentis, et cordis jubilo, avidissimisque utriusque hominis oculis, vidi, evolvi, legi, perlegi, opus præsens de *Sacrosanctis orthodoxæ Ecclesiæ Sacramentis :* Auctore litteratissimo PP. Carmelitarum Discalceatorum Salmantino Collegio, Sanctissimo Proto Parenti Heliæ consecrato. Sat dixi, dum Auctorem protuli. Quid namque prodiret ex clarissimo Hispaniarum Athæneo (Urbi, et Orbi notissimo) nisi rutilans, limpida, illibata Minerva, Doctrinarum Oliva coronata? Ex sacratissimo sapientiæ, et Sanctimoniæ Sanctuario, quid, nisi responsa, dogmata, oracula? Ex solari, et Angelico litterarum, et litteratorum Cætu, quid nisi fulgetra lumina, cælestesque orirentur intelligentiæ? Ex florulento Heliæ Paradiso, quid, nisi omnigenæ sapientiæ Ganges erumperet? *Qui implet, quasi Phison, sapientiam.* Quid, nisi *lignum scientiæ* germinaret? Quid, nisi *flammeum, atque versatilem* Cherub Aquinatis *Gladium* vibraret, *ad custodiendam viam,* et vehicula Sacramentorum in genere, et in specie de Eucharistia omnium, contra hostiles impetus Sacramentariorum(1)?

(1) *Ecclesiast.* 24, v. 35. *Genes.* 2, v. 17, cap. III, v. 24.

Hoc enim in opere adversus Lutherum, Calvinum, Melanctonem, Zuinglium, similesque sacrilegæ mentis nefarios Auctores, propugnatur, convincitur, demonstratur mirabilia Sacramenta, (majora mundi miracula) septem esse *Columnas,* quibus Catholica sapientiæ *Domus* obnititur; septem esse *Planetas,* quibus Romanum firmamentum collustratur ; totidem *Oculos*, quibus Petri Petra illuminatur; *Lucernas* totidem, quibus Catholicum cunctis rutilat *Candelabrum*; totidem *Lampades,* quibus Ecclesiæ *Thronus* irradiatur; septemque esse Divini Samsonis *Crines,* ad enervandas omnium Abyssi Philistinorum improbas vires. Sic pugnat, sic vincit, sic triumphat, adversus heterodoxos, orthodoxum Salmanticense Collegium. Hanc (uti Johannes) inconcussam Sacramentorum detegit veritatem in *Dextera* illius Angeli; cujus corpus *præcinctum zona aurea* Angelorum; cujus caput, *tanquam nix,* absque erroris nævo; cujus oculi, *tanquam flamma ignis,* ad illuminandum fideles, et comburendum perduelles; cujus vox *tanquam vox Aquarum multarum,* utpote omnium Doctorum; cujus facies *sicut Sol;* cujusque in dextera est *Sacramentum septem Stellarum* vel septem Stellæ Sacramentorum, quæ nulli unquam, post hominum memoriam, ita contigit aperire, detegere, defendere, enucleare, lingua, mente, calamo, corde, sicut Angelico Præceptori (1).

At quia hujus Doctoris Angeli Doctrina *Aurum est optimum* (proclamitante Possevino) Aurifodinaque altissima, et inexhausta; idcirco ex illa, (velut ex obrizo thesauro) profert nova, et vetera Salmanticense Collegium cujus caput, *velut Carmelus,* et uti *Aurum optimum est.* Adeoque *nova,* et vetera hujus voluminis, Angelicæ consonant menti; ut de illo nobis liceat absque trepidatione concinnere.

Arbiter est certus divinæ mentis AQUINAS :
Mentis AQUINATIS certus est iste Liber (2).

Si dubitas, Lector, manibus excipe, *et mente comede volumen istud; et viscera tua complebuntur volumine isto;* ita ut proferas : *Factum est in ore meo, sicut mel dulce.* Verum quo pacto mentis Angelicæ est Arbiter, et Interpres volumen istud? Mirabili prorsus, et securissimo modo. Quamquam enim Angelici Magistri Doctrina vastissimum censeatur, et veneretur Occeanum (sub cujus *Aquis* vel ipsi sapientiæ *gemunt Gigantes*) felicissime tamen enavigatur a dexterrimo Salmantis censium Palinuro; utpote absque periculo, et naufragio; absque scopulis, et syrtibus offensis, nullaque inventa scylla, Charibdive falsitatis : adeoque inofenso percurrunt pede *hoc Mare magnum, et spaciosum manibus,* oculis, et calamis, ut valeant cum Doctore Gentium proclamitare : *Navigantes venimus in locum quemdam, qui vocatur Boniportus,* a divino Verbo adverbio *bene* probatus (3).

Portum ergo bonum suscipit præsens Opus, dum ejus Auctor corde, et ore, undique, et ubique *bonum eructat Verbum.* Sed quomodo non eructaret *Bene* verbum Angelicum Salmanticense Collegium, re, nomine, et omine Helianum, utpote Heliæ consecratum? Helias (apud græcos Helios) *Sol* est apud Chrysostomum. Helias insuper *Angelus* a Patribus vocitatur. Si Helias ergo *Sol,* et *Angelus* celebratur; si *Sol Angelicus* reveretur : mirum utique non sit, quod ejus solare, et Angelicum Collegium Solem adoret Angelicum, velut æcumenicum, et unicum Magistrum. Mirum non sit, quod *Domus Solis* Doctorum Phœbum exambiat; quod Collegium *Angeli* Angelicum Præceptorem plaudat; et quod Heliopolitanum Collegium Academiarum *Helios* consulat, aurea ejus verba recolat; mentem pertingat, libros evolvat, articulosque adeat, et audiat, velut sapientiæ miracula, velut Appollinis oracula, velut Cœli Dogmata, velut Ecclesiæ propugnacula, et uti divina portenta. Si namque *abyssus abyssum invocat; si dies diei eructat verbum; et*

(1) *Proverb.* 9, v. 1. Zachar, v. 3, 9. *Exod.* 25, v. 37. *Apocalyps.* 4, v. 5. Judic, 16, v. 19. *Apocalyps.* 1, v. 13-20. — (2) *Possev. in Appar. sacro. Cant.* 7, vers. 5 et cap. v. 11. — (3) Ezech. 3, v. 1, 3, 4. Job, 26, v. 5. *Psalm.* 103 v. 25. *Actor* 27, v. 8.

nox nocti indicat scientiam : prorsus erat consentaneum, quod Sol Solem, Angelus Angelum, invocet, eructet, indicet, ad miraculum, ad prodigium, ad portentum, supplens, libens, lubens, labio, calamo, silentio (1).

Hocce sympatico *Solis*, et *Angeli* incedens nomine Salmanticense Collegium, *supra senes intellexit,* et supra veteres D. Thomæ Interpretes caput superextulit, flammeo Heliæ *Gladio,* et Angelico armatus *Calamo.* Rem miram! Calamo, et Gladio ambidextros solum agnovit Roma Julium, Græcia Alexandrum; Ægyptus Ptholomeum, Epirotæ Pyrrhum; Castella Alphonsum, Aragonia Jacobum. Attamen inter Religiosorum cætus, interque Minervæ Phalanges, fama solum inclamitat, velut ambidextrum, Salmanticense Collegium; utpote rutilans Hæliæ *Gladio,* et Thomæ *Calamo;* Proto-Parentis Ense, et Architheologi mente. *Ex utroque Cæsar.* Ex utroque Phœnix.

In Theologico PP. Salmanticensium lyceo, et Philosophico Complutensium Athæneo, sacri belli signum extulit, et sapientiæ vexillum evexit signifer Angelicus, literarum Archangelus, et ingeniorum coriphæus. *Plus ultra* Aquinas noster (velut Hercules triumphator, aureis labiorum, et librorum cathenis illustratus) supra cælestia utriusque Collegii cacumina duas sibi erexit immortalitatis *Columnas;* quibus inscripsit lemma illud augustissimum : *Non plus ultra* in Theologia, et Philosophia. Geminum pariter Collegium, æternitati consulens, immortalem sibi (multitudine librorum, et liberorum) Pyramidem erigit, et obeliscum.

Hinc libeat, et liceat proclamitare in Angelici Magistri plausum, et jubilum : *Gloria Libani data est ei, et decor Carmeli,* dum Helianus Carmelus illum orat, exorat, et adorat. Hinc gloriamur, decoramur, et congratulamur fideliores D. Thomæ Discipuli, Carmelitani, nempe, et Dominicani; tanto discipulatus nexu robustiores effecti. *Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi Civitas firma.* Hinc felicissimi utriusque Ordinis Alumni adeo mirabilem ineunt fraternitatem, et unionem; ut illam ipsum aliquando Empyreum potuerit quasi invidere, et æmulari. Angelicam mentium, et affectuum discordiam Cœlum ingemuit, dum *Michael, et Angeli ejus prœliabantnr cum Dracone.* Exulata est a cœlo affectuum discordia, et translata est in concordiam, *dum projectus est draco, et Angeli ejus cum illo.* Verum adhuc invaluit mentium discordia, cum Hebræorum, Persarum, et Græcorum Angelos inter sese vidit Daniel dissidentes, et opinantes; quosque ille, *qui facit concordiam in sublimibus, id est, in Angelis.* (Interprete Hugone) fugavit discordiam. Hac igitur mentium amicitia, quam cælum aliquando suos inter cælites exoptavit, Heli ani, et Domini cani congaudemus in terris. Hæc concordia aliquando desiderata in cœlo, semper prævalet nostro in solo. Sed quid mirum possideamus in terris quod desiderabatur in cœlis? Divisio illa cœlitum. (A lapide testante) ex ignorantia divini Decreti originem duxit : at nos perlustrati Angelicæ mentis intelligentia, non est cur dissideamus; sed potius ut ineamus interminabile fœdus, quod

Nec Jovis ira, nec ignis;
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

Igitur salutemus lætantes Salmanticense Collegium : *Soror nostra es; crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas imimicorum suorum.* Tandem aliquando, ut suscepto muneri satisfaciam, dicam Illustrissimo, et Reverendissimo Præsuli Salmantino, quod olim Plinius rescribebat suo Maximo : *Accipe nunc quid de universis generaliter judicem. Est opus pulchrum, validum, ac sublime, varium, elegans, spatiosum etiam, et cum magna laude diffusum.* Nihil in eo fidei dissonans, aut moribus repugnans; sed est opus sapientia plenum, doctrina repletum, eruditione illustratum, dogmatibus innixum, rationibus nervosum, subtilitati-

(1) *Psalm.* 44, v. 1. Chrysost. hom. de ascensu Eliæ. *Psalm.* 41, v. 8. *Psalm.* 18, v. 3. —

bus irradiatum, cunctis numeris absolutum, cedroque, et immortalitate dignissimum. Sic censeo. Salvo meliori, etc (1). Cæsaragustæ ex Regio Prædicatorum Conventu die 12. Julii Anni labentis 1694.

Fr. Raimundus Costa.

CENSURA ADMODUM R. P. M. Fr. MICHAELIS TEIXIDOR, et de Ferrer Philos. ac Sacrosanctæ Theologiæ Doctoris ac Magistri, Exprovincialis Cathaloniæ, et Majoricarum, Examinatoris Synadolis Diœcesis Barcinonensis nunc Prioris Carmelitarum antiqui Ordinis Conventus Civitatis Barcinonensis.

Ex commissione Admodum R. Francisci Rosal V. J. D. in spiritualibus, et temporalibus, Officialis, et Vicarii Generalis; pro Illustrissimo, et Reverendissimo D. D. Emanuele de Alva, Episcopo Barcinonensi, Regioque Consiliario, *Tomum hunc Undecimum de Sacramentis tam in genere, quam in specie de Eucharistia ab eruditissimo Salmanticensi Collegio elaboratum*, qua potui diligentia vidi, iterum atque iterum perlegi, sermonis elegantia, suavitate dicendi rerum ordine, et materiæ pulchritudine, et utilitate allectus; et ita in nodis, et ænigmatibus Sacramentorum solvendis se gerit, ut vetustis novitatem, obsoletis nitorem, obscuris lumen, fastiditis gratiam, dubiis fidem attulisse videatur. Et illud haud dubium sum cum Poeta dicturus :

Admiror, stupeo nihil est perfectius illo. (Martial : lib v).

Quinimo ea laudum ubertate luxuriat, ut nullus in toto opere nœvus, omnia sanis moribus consona, nihil in eo quod possit Christianæ fidei, et disciplinæ censorum notam vereri; multa, quæ mereantur, vel a severo supercilio, et caperata eruditorum fronte, benigniorem non modo nutum, sed plausum, et annuentem cum lectione laudem : omnis denique in commune scriptio quam deceat.

Ut immemorata ferentem
Ingenuis oculisque legi, manibusque teneri. (Horat. lib. I.Epist. 9).

Ex munere injuncto non censorem egi, dum profiteor me discipulum tanti magistri; aliter quippe fateor me avidum hujus voluminis litteras ebibisse, ut discerem, non ut censerem. Unde optime dicerem huic operi congruere quod cecinit Plini. Jun. *est opus pulchrum, validum, acre, sublime, elegans, purum :* par ergo omnino est, ut in publicum prodeat, et hæc scripta non solum typis Mandanda; verum etiam.

Linenda Cedro, et levi servanda cupresso. (Horat. *in arte poetica).*

Barcinone 30. Augusti 1694.

Fr. Michael Teixidor, et de Ferrer.

Die 11. *Septembris 1694.*

IMPRIMATUR

Rosal Vic. Gen. et Offic.

(1) Isaiæ 35, v. 2. *Proverb.* 18, v. 19. *Apoc.* 12. *Daniel*, c. 10. Job. 25, v. 2. Hugo hist. Corn. *super Dan.* 10. *Genes.* 24, v 60. Plin. *epist.* 20 *ad Max.*

APPROBATIO ADMODUM REVERENDI LUCIANI MARSAL Presbyteri, Philosophiæ, et Sacro Sanctæ Theologiæ Doctoris, Hujusque in Vespertina Divi Thomæ Cathedra Publici jam Jubilati Professoris, nec non examinatoris Synodalis Episcopatus Barcinonen.

Ex Commissione Admodum Illustris. D. D. Michaelis Joannis de Taverner et Rubi, Canonici, et Archidiaconi Metropolitanæ Ecclesiæ Tarraconensis Hispaniarum Primatis, Dignissimi Cancellarii in Regio Supremo Gotolaunico Senatu, etc. Attente vidi, et accurate inspexi Tomum Undecimum quo Præclarissimum illud, ac toto orbe cæleberrimum RR. PP. Discalceatorum Salmanticense Collegium, suum, jam pridem feliciter incæptum, et prospere continuatum, Scholasticæ Theologiæ Cursum, studiose prosequitur, animose protendit. Non licuit tamen ibi, aut imminutum vigorem, aut obtrusam subtilitatem, aut fractam soliditatem, aut obnubilam claritudinem, hujusce Cursus videre; sed omnes potius egregias illas vigoris, subtilitatis, ac claritudinis dotes, quas sibi cursus iste penitus vindicarat, non conservatas modo; sed renovatas, et auctas, præsenti hoc in tomo, concessum est intueri. In eo namque gravisssimæ difficultates, et difficillimæ quæstiones, quæ, scholastico more tractantibus de Sacramentis in genere, et de Admirabili Eucharistiæ Sacramento, passim occurrunt : et dissolvuntur viriliter, et discutiuntur acute; et firmiter comprobantur, et exponuntur dilucide; quin in iis quidquam possit, a fidei regula dissitum, a Religionis candore alienum, a Doctrinæ securitate remotum, aut a veritatis tramite devium, inveniri. Prodeat ergo in publicum liber iste, ut, et tanti Collegi celebritatem perennet, et totius litterariæ Reipublicæ utilitati inserviat, lucem omnibus allaturus. Ita censeo Barcinone 28. Augusti 1694.

Lucianus Marsal Presb. S. T. D.

Die 13. Septembris 1694.

IMPRIMATUR :

Taverner et Rubi Cancellarius.

SUMA DEL PRIVILEGIO

TIENE sacado Privilegio la Religion de Carmelitas Descalcos de los consejos de Castilla, y Aragon, a peticion del R^mo^ P. Fr. Pedro de la Concepcion su Procurador General, para poder imprimir por diez annos el Tomo XI. Escolastico en que se trata *de Sacramentis in genere et de Eucharistia.* A. el R^mo^. P. Fr. Juan de la Anunciacion General que al presente es de dicha Religion. Con prohibicion que nadie en dichos Reynos los pueda imprimir, ni vender los que en otros Reynos se imprimieren, sin el permisso de dicha Religion, debajo de las penas en dichos Privilegios impuestas a los que hizieren le contrario, como mas largamente consta de sus originales, que se guardan en el Archivo de la Orden. El de Castilla *sub data* del dia treze de Agosto 1694. annos. Yel de Aragon a los treinta y uno de dicho mes y anno.

TOMUS DUODECIMUS ET ULTIMUS

THEOLOGORUM PRINCIPI,

AC (1) PARENTI

UNIVERSALIS (2) ECCLESIÆ PRÆFULGIDO LUMINARI.
RADIANTI SACERDOTUM GEMMÆ.
DOCTORUM FONTI. CLARISSIMO DISCIPLINARUM
SPECULO. VITÆ, FAMÆ, ET SCIENTIÆ,
STELLÆ SPLENDIDÆ, AC MATUTINÆ.
INSIGNI CANDELABRO, PER QUOD OMNES
QUI VIAS VITÆ, ET SCHOLAS DOCTRINÆ SANÆ INGREDIUNTUR,
LUMEN VIDENT
DIVO (3) DOCTORI. DOCTORI (4) UNICO. SANCTO. (5)
SANCTISSIMO. (6) CŒLICO. (7) BEATO. (8) GLORIOSO. (9)
GLORIOSISSIMO. (10) PIO. (11) VIRTUOSO. (12)
ECSTATICO. (13) EXIMIO. (14) EGREGIO. (15) SUMMO. (16)
INCOMPARABILI. (17) MIRABILI. (18) MIRABILISSIMO. (19)
PRÆCLARISSIMO. (20) NOBILI. (21) VENERABILI. (22)
INCLITO. (23) ALMIFICO. (24) JURIDICO. (25) NOVO. (26)
FELICI. (27) FIDELISSIMO. (28) SUBTILISSIMO. (29) SAPIENTISSIMO. (30)
SACRO (31) CELEBERRIMO. (32)
DOCTORUM. (33) DOCTORI. MAGISTRORUM (34)
MAGISTRO. MUNDI (35) DUCTORI.
ANGELICO. (36) SERAPHICO. (37) CHERUBICO. (38)
TANTO (39) IGITUR DOCTORI MAGISTRO NOSTRO. (40)

D. THOMÆ.

SALMANTICENSE COLLEGIUM SANCTISSIMI
VATIS, AC PROTHO-PARENTIS ELIÆ
CARMELITARUM EXCALCEATORUM
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS DE MONTE CARMELI.

O. D. C.

(1) *Eccles. in officio D. Thomæ.* — (2) *Epist. Academ. Parisien. laudes D. Thomæ proclamans.* — (3) *Per excellentiam.* Cajetan. *epist. ad univers.* Hcyd. — (4) Pius Apostolus. *Epist. Nunc.* — (5) Pius V. — (6) Cajet. epsti. cit. — (7) Eccles. in offic. — (8) Paulus V. — (9) Epist. Paris. cit. — (10) D. Vincent. Ferrer. *Serm.* D. Th. — (11) D. Antonin. 3 p. *hist.* — (12) *Eccles. in officio* D. Th. — (13) Ignatius Galb. vol. I. — (14) Epist. Paris. cit. — (15) Clemens VIII. — (16) D. Antonin. cit. — (17) Sixtus Senen. lib. IV. *Bibl.* verbo *Thomas.* — (18) Seraph. p. 7. — (19) *Idem.* — (20) Kalend. *fest. D. Thom.* — (21) *Offic. D. Th.* — (22) Seraph. p. 9. — (23) Offic. — (24) Clemens VI. — (25) D. Antonin. — (26) Offic. — (27) *Ibid.* — (28) Seraph. in Gen. *Aser pinguis panis.* — (29) Trithem. *de script.* et Ferrara, *epist. ad Clem. VII.* — (30) Ignat. *Galb. cit.* — (31) M. Gallo, *in orat. Trident.* — (32) Baron, *In Martyr.* — (33) Ignat. Galb. *cit.* — (34) *Idem.* — (35) Seraphin p. b. — (36) Pius V. Sixtus V. Clem. VI. Clem. VIII. Paulus V, etc. — (37) Arriag. *Doctr. D. Th.* lib. I. c. 7. — (38) Gravina tom. III cathol. præscr. — (39) D. Antonin. cit. — (40) *Const. Nostræ* 2 p., cap. 4, num. 8.

Inter plurimas alias Gentiliæ superstitionis vanitates illa nimium Augustino displicuit, quæ inter Janum, et Terminum, duplex Numen, dispari animo cultum dividebat. Jano namque tamquam rebus initia conferenti, rerum primitias dicavit : Termino vero, velut ipsismet perfectionem, et complementum operanti, fidem adhibuit. Et cui hæc munerum discordia non erit ingrata, quæ ipsis probatur Numinibus indecora? Dum enim inter duos dispertitur religionis obsequia, insimul ab utroque deturbat felicitatis auspicia, nec in aliquo patitur integræ potestatis sceptrum, aut illæsum fatetur supremum divinitatis asylum. Quis enim se Numini credat potenti incipere, perficere non valenti? Quis potestati se subdat, quæ alteri incipienti se subjicit, ita ut nisi hæc dederit cæpta, nequiverit illa edere consummata? Unius igitur Numinis sit principium, ejusdem sit identidem complementum : cum non, nisi optimum finem prospiciendo, recte incipere valeamus, nec recte opus perficere, nisi in optimo initio perseverando possimus.

Unde melius alii cum Orpheo Jovi suo canebant : (1)

Primus cunctorum est, et ultimus Jupiter idem.
Jupiter et caput, et medium est. Sunt ex Jove cuncta.

Sic et Virgilius Augusto personabat :

A te principium : tibi desinet (2).

Et Theocritus Ptolomeo :

Laudetur primus, ultimus, medius (3).

Tibi alloquimur (Doctor Angelice) non ut ii suis; sed ut SOLI, a quo splendorem suum mutuantur stellæ. Si enim SOL dicitur, quia SOLUS in syderibus fulget, tibi quem unicum SOLEM mentes nostras Theologico, coruscantique splendore illuminantem agnoscimus, SOLI fas est rependamus quod a te SOLO promanare fatemur (4).

Septem Græciæ sapientes (Plato ait) *facto Concilio de communi consensu Delphici Apollinis templo primitias sapientiæ dedicarunt* (5). At quid sibi laudis obtinuissent, aut Apollini honoris condonassent precoces tantum primitias consecrantes, serotinos vero, maturioresque fructus subtrahentes? Nihil sane aut sibi laudis aut Apollini consuluissent honoris. Sed offerentes quidem primitiarum cultum, quem unice (utpote primi genii sophi) exhibere potuerunt, posteris sapientiæ cultoribus id ipsum perficiendi exempla, simul ac documenta amandarunt; non tam suo facto constituentes principium, quam consignantes et terminum. Profitebantur namque Apollinem intellectualium luminum auctorem, et Patrem, ad eumque, a quo fœtuum semina promanare cognoverant, fœtuum munera ultimo pervenire suadebant.

Meliori Apollini (tibi nimirum Doctor Angelice) nostrum hoc Elianum Salmanticense Collegium suas Scholasticas elucubrationes a primoribus ipsius irradiationibus unanimi, lubentique consensu dicavit, sacravit, addixit. Te sicut litteratorum omnium, ita litterarum suarum *Alpham*, agnovit, ob idque postmodum successuris præsignavit *Omegam. Nova, et vetera servavit tibi :* nam *Id ipsum omnes dicere, Id ipsum sapere*, et spiritus veritatis docet, et æquitatis ratio convincit (6).

Vere ELIANUM non syderi alii, quam SOLI semper, et ubique cohæret, id exprimere exambiens ex animo, quod evulgat ex nomine. SOL *enim Dorico vocabulo ELIOS dicitur, ex eo quod homines in unum congregat*, ut Plato asserit (7). Et quidem optime a congregando, non a dispergendo, SOL ELIOS co-

(1) Orph. *Hymn. ad Jovem.* — (2) Virg. *Eglog.* 8. — (3) Theocr. *in laud. Ptolom.* — (4) Cicer. *de Nat. deor.* — (5) Plato *in Protagora.* — (6). *Cant.* 7, v. 13. I. Cor. 2, v. 10. Rom. 15. v. 5.—(7) Plato *in, Cratilo.*

gnominatur, ut qui unitatis perhibetur auctor, unanimitatis habeatur possessor. Et apertius liqueat SOLIS non esse in muneribus scissionem admittere, nec ELIANI Collegii non unita, ac congregata debita Aquinati soli persolvere. SOL enim in multis syderibus unus constat, et ELIÆ Collegium in Aquinate Sole unum consistit.

Ideo *unum* illum Angelum *stantem in sole,* sive solem Angelicum, aut Cælestem spiritum non minus ac sol splendidissimos quoquoversum radios ejaculantem, quem Joannes in Apocalypsi se vidisse commemorat (1), tui expressam, non adumbratam tantum, similitudinem retulisse jam diu persuasum habemus. Ideo sicut delectamur mysticam ejus pulchritudinem contemplantes, ita accendimur ad obtemperandum illius sermonibus diligentes. Clamavit igitur Sol Angelicus, sive Angelus ille solaris *Dicens omnibus avibus, quæ volant per medium cœli : venite congregamini. Unus* erat, et ad congregandum in unum clamitabat. Quid sol Angelicus, quid sol unicus, nisi unitatem, et sibi præoptaret, et hominibus suaderet? Angelicum enim gaudium pacis, et unionis vinculo sta-, bilitur, et *omne regnum in se ipso divisum desolabitur* (2). *Aves* non quadrupedia terrestriaque convocat animalia : illæ enim ex Dei præscripto integræ, et indivulsæ offerebantur in Holocaustum ; hæc autem, non nisi per partes ferro discissa, apta inveniebantur ad sacrificium (3).

Aves congregat, quæ possint et per medium cœli volare, et solem posum palpebris immotis perspicere; id est, viros contemplativos (ut ipse exponis) *Quorum conversatio in cœlis est* (4). His alloquitur sol Angelicus, hos in sui sequelam promptos, et verbis suis unanimiter, constanterque habere cupit intentos. Quid igitur ni Carmeliticus cætus ex proposito, ex instituto contemplationi addictus huic soli unico, tibi nimirum (Thomas Angelice) exhibeat famulatum? Te semper sequens, tibi indivulse adhærens, seque, et omnia, quæ ex exuberanti luminis tui fonte hausit, unanimi, stabilique consensu tibi ipsi subjiciens. Ideo nunc libentes modum imponimus ubi primicerii nostri suæ erga te gratitudinis, et obsequii paravere seminarium. Primis ergo extrema consentiunt, ut extremis prima servatæ fidei coronam accipiant, seu inter se pristina, postremaque nexa coronam efforment, qua splendidioris, honorabiliorisque sui Phœbi aras venerabunda circumdent. Coronam igitur tibi amoris circino ductam offerimus, in eaque quid præfulgentibus tuis radiis debeantur innuimus : nam

> ..... *Sol sic circinat, in quo*
> *Qui fluxit pridem status, est nunc temporis idem*

Accipe igitur sub protectionis tuæ optatissimo, ac munitissimo asylo postremum hoc cursus nostri tractum, seu tractatum, in quo non rosas, aut violas, eo quod venustiores, fragiliores offerimus, sed ignem vividum, perpetuumque litamus, nedum amoris, quo te prosequimur, verum et Pœnitentiæ, de qua agit. Ignis enim est Pœnitentia, quæ dum pectus conterit, scintillas excutit, quibus cor exuritur, animus imflammatur. In Apollinis templo ignis olim asservabatur perpetuus, sempiternus, inextinguibilis (5). Et ut Pœnitentiæ ignis, tam in nostris, quam in omnium fidelium cordibus (quorum spirituali emolumento præsentem tractatum dirigimus) inextinguibilis perseveret, in sacri Nostri Apollinis delubro confidenter subsidit. Ignis ille sacrilegus, si forsan extingueretur, ut Athenis accidit Aristone tyranno, et Delphis templo a Medis incenso, Romæque civili, ac Mithridatico bello, fas non erat alium ex altero igne succendere, sed novum ex sola solis flamma oportebat elicere. At si forte (quod absit) sacerrimus hic Pœnitentiæ ignis aliquando aut tepesca, aut evaneat, ad Aquinatis Solis purissimam flammam humanum cor properi-

(1) *Apocalyp.* 19, 17. — (2) Lucæ, 11, v. 7. — (3) *Levit.* I. — (4) D. Thom. *in locum Apoc.* — (5) Lib. *de ration. anni.*

ter accedat. Quis enim te de Pœnitentia disserentem legit, et ignitos carbones non ebibit? Quis sanctitatis tuæ miraculum contemplatur, et adversus noxia crimina zelo flagrans non invehitur? Quis denique ad intaminatas tuæ pietatis aras supplex appropinquat, quin exoret, quo orat? Ad te itaque volumen istud evolat, ad quem omnes, qui sacras Pœnitentiæ flammas in pectoribus suis perpetuo conservare desiderant, convolare desideramus. Quin et omnes Pœnitentiæ Ministros tuis luminibus imbui, tuis fulminibus tangi ardenter concupiscimus; quod si assequeremur, votis, et optatis nostris fieret satis. Scimus enim, et sibi magnum lucrum, et Christiano populo non mediocre exinde, accessurum profectum.

Alio denique incitamur stimulo, ut hunc tibi tractatum consecremus : nam quia extremus est, cœlestis tuæ summæ extremas, id est, chariores tibi, quæstiones exponit. Assolent enim parentes filios in senectute genitos aliis impensius diligere, et quia post eos alios non sperant habere, et quia fortis, ac optimæ senectutis indices existunt præclari. Sic Philo (1). Addimus tamen, et quia in eis ultimo expresserunt propriæ probitatis sigillum, et ipsorummet imagini velut ultimam, excultioremque adhibuere manum. Ideo Jacob Josephum, ideo Benjaminum cæteris ardentius amabat, et quos ætas dedit postremos, fecit amor priores (2). Quapropter post præcedentium voluminum gratum tibi (ut existimamus) obsequium, ingratum nimium esset præsens hoc eodem itidem tholo non suspendere. Si enim illa tibi accepta, imo debita, quod a te delibata, et quia qualemcumque elucidationis cultum mentis tuæ fœtibus anterioribus exhibebant, merito judicavimus; per hoc vero quod ultimioribus, tibique dilectioribus eamdem operam navare solicitat, quare idem simul non solicitabimus et officium, et obsequium. Sane in his tuis de Pœnitentiæ virtute, et Sacramento quæstionibus, et robustiorem senectutis tuæ virtutem, et imaginis similitudinem expressiorem, quasi ultimo præmunitam sigillo, quasi postrema perpolitam manu videmus. Quare sic, nisi quia dum proficiebas ætate, proficiebas virtute, proficiebas sapientia, spiritualiumque charismatum abundantia? Ex te id quippe, non tanquam a nobis, proferimus. Morti namque jamjam proximus socio tuo Fr. Reginaldo dixisti : *Licet plus potuissem proficere in scientia, et aliis prodesse in doctrina ex revelatione mihi facta, tamen placuit Deo mihi imponere silentium docendi, quando, sicut nosti, placuit superioris scientiæ revelare secretum* (3). Quæ verba, et propositum firmant, et magnum, inconsolabileque lamentum commovent. Quis enim non mœreat videns aquæ venam interjectam, cum in affluentiores, dulcioresque exuberabat latices? Quis non doleat solem luctuoso peplo amicini, quando rutilantioribus, expeditioribusque luminibus emicabat? Quis non lugeat thesaurum amissum, cum editior, et opulentior apparuit? Attamen quia Deo placuit dicendi silentium imponere, quando superioris scientiæ simul placuit arcanum revelare; ideo nos planctum, dolorem, et mœrorem placamus certi quidem e regalibus sedibus eam te nobis sapientiam adepturum, qua et Deo plene placere, et Christianum populum perfecte instruere, nosque cum eo in cœlestem Hierusalem feliciter pervehi possimus. Suscipe ergo nunc qualecumque munusculum, certaminis nostri metam, cursus nostri consummationem. Quod offerentes ultimam pariter cum Apostolo illis nosmetipsos verbis commendemus *Bonum* certamen certavimus, cursum comsummavimus, fidem servavimus. Sin autem, affectum potius accipias, quam sensum : Scis enim animum nostrum erga te, ac doctrinam tuamfidissimum semper constitisse. *Si quid autem hic incondite, aut inculte dictum, vel si totum ita esse perspexeris, doctrinæ des operam, calamo veniam* (4).

---

(1) Philo. lib. *de Abraham.* — (2) *Genes.* 37 et 44. — (3) *Joan. a S. Thoma in approbat. doctrinæ D. Thomæ*, tom. I in prim. parte disp. I, art. 3. — (4) August. *serm.* 126.

FACULTAS ORDINIS.

Fr. Joannes a Spiritu Sancto, Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, de consensu nostri Diffinitorii, ut liber, cujus titulus est : *Cursus Theologicus Carmelitarum Discalceatorum, Summam Theologicam Doctoris Angelici complectens*, a Collegio *nostro Salmanticensi accurate compositus*, et a gravioribus, doctisque viris nostri Ordinis (quibus ipsum videndum, et examinandum commisimus) recognitus, et approbatus typis mandetur, et in lucem prodeat, obtenta facultate Ordinarii, ac Supremi Senatus, tenore præsentium licentiam concedimus. In quorum fidem præsentes manu nostra, ac Secretarii nomine subscriptas fieri jussimus, in hoc nostro Conventu Matritensi, die secunda Februarii 1630.

Fr. Joannes a Spiritu Sancto, Generalis.

Fr. Joseph a Matre Dei, Secretarius.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

El Licenciado Saldaña Provisor y Vicario General, en la Ciudad y Obispado de Salamanca, por su Señoria Don Antonio Corrionero Obispo del dicho Obispado, del Consejo del Rey nuestro Señor, etc. Por la presente damos licencia à qualquier impressor, para que pueda imprimir un libro intitulado : Curso Theologico sobre las partes de Santo Thomas, compuesto per los Lectores del Colegio de San Elias de Salamanca, de los Carmelitas Descalzos, atento que esta visto y examinado, y no contiene cosa contra nuestra Santa Fe Catholica, fin que por ello incurra en pena alguna ; guardando las prematicas Reales. Dada en Salamanca à 20 de Junio de 1630.

El Licenciado Saldaña.

Por su mandado :

Anacleto Delencina.

APPROBATIO HUJUS OPERIS

Per R. P. Magistrum Fratrem Gasparem a Regibus, Cathedræ Sancti Thomæ in alma Salmanticensi Academia moderatorem dignissimum.

Pulchrum, ac præclarum Opus hoc, cui Titulus est: *Collegii Salmanticensis S. Eliæ Prophetæ, Fratrum Discalceatorum B. Mariæ de Monte Carmeli, Cursus Theologicus Summam Theologicam Doctoris Angelici complectens,* ex commissione Domini D. de Saldana, Vicarii Generalis illustrissimi Domini D. Antonii de Gorrionero, Salmanticensis Præsulis, accurate, mature, magnaque voluptate perlegi. Post exactam igitur ejus expensionem, Fidei orthodoxæ, aut bonis moribus neque apicem adversantem inveni, quin potius ubique floridam, ubique fructuosam sanctorum Patrum doctrinam redolet, eorumque verbum bonum eructat, præcipue vero ita divi Augustini, et Angelici Doctoris mentem in omnibus ad vivum exprimit, ita quæ in sacro pectore latitabant, perspicue ostendit, ut utriusque sanctissimi Præceptoris mentis, et pectoris clarissimum videatur speculum, ipsisque dictantibus exaratum, ita utriusque madet doctrina, scatet sententiis, abundat præclaris dictis, ut illud *catenam* quamdam *auream* ex eorum testimoniis recte adductis, acute, et alte perpensis, suisque locis congruenter, et apte dispositis quasi ex quibusdam pretiosissimis gemmis contextam appellare possem [et debeam]. Ita utriusque antiquissimam doctrinam, nova, et recenti quadam ratione, non quidem aliunde, sed ex eorum visceribus subtilissime exhausta explicat, et exornat, ut totum hoc Opus vetustissima antiquitate, maximaque novitate mirabili quodam nexu inter se cohærentibus plenum appareat, et merito de ejus Opifice illud Matthæi 13 proferri queat, simile esse Patrifamilias, qui *profert de thesauro suo nova, et vetera.* Opus sane excelsum, ac numeris omnibus absolutissimum, omnia in eo pulchra, strenue structa, adamussim perfecta. Hic in excitandis gravissimis quæstionibus non modica cura, in referendis aliorum opinionibus, omnibusque eorum fundamentis summa fidelitas, in refellendis ingens energia, et efficacia, in seligendis sententiis prudens, ac maturum consilium, et quod fructuosius est, in eis clare, atque perspicue (adversantium incursibus nervosissime fractis) enucleandis, et gravissimis rationibus ex sanctis Patribus, præcipue vero D. Thomæ confirmandis maxima præstantia, sic tandem omnia ad unguem, adeo clare, dilucide, acute, profundeque discutiuntur, ut plura, quæ mentem meam hucusque effugerant, nunc intelligere, ac penetrare valeam. Qui igitur thomisticæ doctrinæ, limpidissimo, ac suavissimo lacte refici desiderat, Opus hoc sedulo consulat, sæpeque evolvat; in eo enim angelicæ doctrinæ lactens fons perenniter, et suaviter fluit; quare non solum censeo dignum esse, ut in utilitatem Ecclesiæ, in hæreticorum damnum, in novitatum eversionem typis mandetur; verum ab hoc doctissimorum Patrum Collegio, ut quantocius reliqua opera ad Cursum hunc Theologicum spectantia in lucem edant, enixe precor. Datis in hoc nostro Collegio Sanctissimæ veræ Crucis, Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, die 20 Junii, anno Domini 1630.

Frater Gaspar a Regibus.

APPROBATIO R. P. M. F. LUDOVICI DE CABRERA,

Prioris S. Philippi Matritensis.

Tomus hic primus Cursus Theologici a religiosissimo Collegio Salmantino Patrum Discalceatorum de Monte Carmeli elaboratus, de mandato Supremi Senatus a me recognitus, nihil continet Sacrosanctæ Fidei, aut bonis moribus adversum; quin potius mirum est, quanta eruditione, ac sapientia, quanto pondere, acumine, et efficacitate rationum; insuper quam mirabili perspicuitate plura in eo reperiantur denuo excogitata, et discussa, et super hæc quam conformiter omnia ad mentem Angelici Doctoris. Quare meritissime in communem utilitatem lucem aspiciet. Ita sentio in Conventu hoc D. Philippi Matritensis, die 6 Augusti 1630.

Frater Luisius Cabrera.

D. THOMÆ AQUINATI,

DOCTORI ANGELICO,

ECCLESIÆ FULGENTISSIMO SIDERI,
S. THEOLOGIÆ PRIMARIO LUMINI, VERITATIS VERE MAGISTRO.

COLLEGIUM SALMANTICENSE

SANCTISSIMI VATIS ELIÆ CARMELITARUM DISCALCEATORUM BEATÆ MARIÆ DE MONTE CARMELI.

O. D. C.

In Lampadrodomico certamine a Promethæo instituto lusit antiquitas, non illuxit. In quo Lampadophorori lampades manibus ferentes, certatim currebant; si tamen lampadem inexstinctam, metam usque non pertulissent, eam alteri tradere moris erat. *Hinc lampada cursu tradere* in proverbio est. *Nunc cursu lampada tibi trado* (inquit Varro), quo significaret, se alteram sermonis partem Merulæ tradere, ut is in dicendi vicem succederet. Quorsum hæc? Cucurrerunt Lampadophorori nostri Complutenses, ex instituto Majorum, suo illo philosophico cursu, te splendidissimam Ecclesiæ lampadem (o Sol Angelice) manibus gestantes, imo præferentes : te namque duce, te luce ad te inoffenso, nudo licet pede, tamquam ad metam sui cursus feliciter pervenere. En te lampadem, non quidem exstinctam, sed pro viribus illustratam, *cursu nobis tradunt,* Theologici in stadio cursus iterum manibus, oculis, calamo, præferendam. Te ambabus ulnis suscipit Salmantinum Discalceatorum Collegium sanctissimo Vati ELIÆ Carmeli Protoparenti, Monastici instituti Protopatriarchæ sacratum. Te Seraphicæ THERESLÆ Virginis, orationis Magistræ Salmantina proles corde complectitur. Fausto (ut auguramur) omine, Elias namque (inquit Chrysostomus) græco idiomate Solem sonat, igneoque curru, equisque flammantibus in cœlum tranvectus, quasi fons luminis ignita lumina filiis dispensat. Theresia Albæ sidus, id est stella matutina, Hispaniæ decus, orbis lumen, Ecclesiæ illuminatrix, prudentissima virgo, quo lampadem, Sponso cœlesti in finem usque mundi vivida luce fulgidam, jugiter inexstinctam conservaret, non solum oleum in vase provida dispensatione reposuit, sed (quod mirum, notumque toti orbi est) virgineum corpus perennem miraculosi olei fontem proficuis scaturiginibus ebullientem esse, a cœlesti Sponso, illi gratissima, obtinere promeruit. Igitur ut lumini, et oleo superabundantissimo tuæ fulgentissimæ lampadis lumen, et oleum addamus, et lumen, et oleum præ manibus nobis est; alterum cœleste, miraculosum alterum, alterum domi, alterum prope. Domi siquidem ignei parentis Eliæ (vere Helios) in cœlum evolantis cœleste lumen nobis affulget : oleum miraculosum e Sanctissimæ Theresiæ corporis fonte divite vena scaturiens Alba Salmanticæ vicinum oppidum, quasi de proximo subministrat. Concreditam jam nobis, (o Theologiæ sidus) tuæ doctrinæ lampadem fulgentissimam, manibus acceptam nostris a primo limine cursus Theologici, quem aggredimur, usque ad ultimam lineam, seu cursus metam, Elia admovente cœleste lumen, Theresia infundente virgineum oleum, quam accensam accepimus, præfulgidam perlaturos

Varro, lib. 3 de Re rust., c. 16.

Serm. 3 de Ascensione Eliæ.

speramus, si tamen sic nobis affulgeas, ut fulgeas omnibus. Nebulam offundere tuæ splendidissimæ doctrinæ radiis, quantumvis minimi, quantumvis pauperculi, et nudis incedentes pedibus minime formidamus : ut enim inquit Ambrosius : *Ideo fortasse Apostoli nudis mittuntur pedibus, ne obumbretur eorum disputatio, sed eluceat.* Nec nudis licet pedibus curramus tuo freti ductu, offendiculum pertimescimus : te namque præeunte, via alioqui difficilis, aspera, difficultatibus plena, stratur, dirigitur, complanatur, ac pervia redditur, et jucunda, ad quam velociter currendam, et percurrendam feliciter, nuditas pedum, affectuum scilicet animi, quam corporis nuditas indigitat, non officit, sed proficit. *Induto summo Sacerdoti* (inquit Nisenus) *nullum calceamentum imponitur, ne tardior ad currendum sit, aut vix mobilis, pelles secum trahens animalium mortuorum : nam impedimento calceamenta fuerunt Moysi, cum ad ardentem rubum accederet.* Ardentem rubum plus mysteriis fidei divinæ, quam flammis inaccessum, te ductore, nudis pedibus adire contendimus. In Sancta Sanctorum arcanorum sacræ Theologiæ, te doctore, excalceati reverenter aggredimur introire. Nec adversantium ventorum flatum, nec multarum irruentium aquarum impetum formidantes, lampadem nostram, tuam, omnium manibus gestaturi : lampadem nempe tuæ angelicæ doctrinæ *lampadem ignis, atque flammarum, ignis* (inquam) qui aquarum impetu vividius accenditur ; *flammarum,* quæ adverso flante vento vehementius exardescunt, quinimo cum (ut ex Septuaginta legit Ambrosius) *alæ ejus, alæ sint ignis, atque flammarum,* dum lampadem manibus sumimus ut curramus, non solum calamos, quibus scribamus, accipimus ; sed etiam alas igneas, quibus jam non currere, sed fulgide volare possimus, obtinemus, alas, sub quibus protecti, lucem pariter, et umbram nacti (quia lux, quoad patrocinium attinet, etiam obumbrat) illuminatione, et patrocinio perfruimur ; ut ad destinatum veritatis adipiscendæ bravium sub inconcusso veritatis Magistro strenue contendamus, perveniamus feliciter. A te ergo accipimus, quod tibi offerimus. Tua tibi rependimus. Ut nostra non despicias, aspicias tua. Ut tuis fave. Ut tua fove, quo sub tanti cœlestis jam Solis benigno aspectu Carmelus noster Salmantinus uberiora divinæ sapientiæ incrementa in dies, annuente Deo, tibi, et Ecclesiæ progerminet.

Serm. 17 in Ps. 118.

Lib. de Vita Moys.

Cant. 8.

Serm. 19 in Ps. 118.

PRO

DOCTORIS ANGELICI

DOCTRINÆ COMMENDATIONE,

AD EJUSQUE AMOREM, ET VENERATIONEM,

ORATIO EXHORTATORIA.

Qui spiritualis studii fervore nobiliter æstuat, et superni sacræ doctrinæ fontis perspicuam sitit bibere puritatem, non virulenti erroris lacte nutriri, sed inviolatæ veritatis oportet dulcedine pasci : qua cunctis pravorum dogmatum erroribus obviet, et ad splendorem veræ fidei, ad lumen æternæ gratiæ, ac cœlestis gloriæ præmia subv. 12, levetur. At quia, Salomone testante, *Qui* n. 1. *diligit scientiam, diligit disciplinam,* necesse est, ut doctoris, et magistri disciplinæ subjaceat, nec prius sibi cogitet Magistri convenire coronam, quam debitæ subjectionis clientelam : *Quis enim* (exclamat Augustug. ib. tilit. endi ad nora-, cap. t 17. *in sanctos libros sine duce irruat? et de iis sine præceptore audeat ferre sententiam? et cum unaquæque disciplina, etsi vilis, et facilis, ut percipi possit, magistrum requirat? Quid temerariæ superbiæ plenius, quam divinorum sacramentorum libros ab interpretibus suis nolle cognoscere?* Liquet igitur oportere discipulum, magistro tota se prorsus docilitate committere, qui suscipiens illum velut in sua subjectione clientem, rectam illi viam ostendat, per quam ad veritatis notitiam pervenitur.

Sed quia dux itineris, si in præcipitium labitur, necesse est, ut quisquis ejus vestigia sequitur, in ejusdem ruinæ profundo mergatur, illum toto mentis ardore debet sapientiæ studiosus habere magistrum, qui cunctis nobilitatis titulis insigniatur. *Pribros. mus namque discendi ardor* (inquit Amb. 2 bros.) *nobilitas est magistri.* Quid autem de ginib. nobilius Doctore Angelico? quid splendidius eo, quem divinus splendor elegit? Quisquis ergo in sacra Theologia, et in aliis scientiis, eidem famulantibus magistrum quærit omnimoda nobilitate illustrem, qui radios sanctæ conversationis emittens, ac cœlestis eloquii fluentis abundans veræ doctrinæ tribuat puritatem; quisquis vera, præclara, honesta, utilia, et jucunda simul discere cupit, in hoc clarissimo Doctore totum defigat suæ mentis obtutum; ex hoc sapientiæ fonte sumat sitibundi pectoris haustum; miram ejus doctrinam velut coruscam in tenebris lampadem semper suis gressibus præferat; summo ardore sequatur, et prosequatur doctrinam Magistri tanta nobilitate ornati, tanto splendore affecti, ut aliquid illi addere, decerpere sit.

Ne autem hoc per exaggerationem hyperbolice, aut gratis, et ex affectu, non autem ex æquitate prolatum esse videatur, proprias, et legitimas omnimodæ nobilitatis librare mensuras, easque plenas, confertas, coagitatas, et supereffluentes in Angelico Doctore exstitisse, ejusque proinde doctrinæ summo studio omnino adhærendum esse, modo, divino favente Numine, ipsoque, de quo loquimur, patrocinante demonstrare, cunctosque Sacræ Theologiæ, et scientiarum eidem famulantium studiosos, ad ejus amorem, et venerationem allicere intendimus.

§ I.

Nobilitas hujus doctrinæ ab illustrissima ipsius angelici Doctoris prosapia.

Quamvis nobilitas, quæ a clarissimorum splendore natalium desumitur, sæcularis, et terrena, atque adeo abjecta videatur, re tamen vera despicienda non est; quippe, quæ procul dubio animum ad magna, et egregia fortiter impellit : *Homines enim* (inquit Abulens.) *qui se a nobilibus ortos cognoscunt, a generis nobilitate coguntur, ut magna, et convenientia nobilitati suæ faciant.* Quæ autem nobilibus magis consentanea? *Subtilissima ingenia* (auctor est Plato) judicium sanum, quod ipsum nobilitatis nomen cum re per illud significata convenire facit : nam (ut sapientibus placet) nomen nobilis *a noscendo* in activa significatione derivatur.

Abul. sup. cap. 30, Genes. q. 8.

Plato, lib. de Natur. homin.

Quis autem in hac illustrissimorum parentum prosapia, et sanguine splendidior Thoma? Fuit quidem (ut ipsius narrat historia) ex Imperatorum prosapia, et illustrissima Comitum Aquinatum stirpe progenitus; regum Siciliæ, et Aragoniæ Pronepos; de imperiali radice, coronatum germen, generosus fructex ex generoso semine processit, ut bonæ arboris ramus per accipiendæ gratiæ cœlestis, et acquirendæ sapientiæ incrementa succrescens, dignos generi suo doctrinæ, ac sanctitatis fructus afferret. Quid clarius? Quid nobilius? *Cum in genere humano* (sunt divi verba Damiani) *ille dicatur nobilis, qui claris majorum titulis insignitur.*

Damian. tom. 2, ser. 3 de Nat. Virg. in fin.

Hoc autem veræ nobilitatis ornamento non cæca fortuna, sed oculatissima Dei providentia (cujus nutu omnia et condita sunt, et eodem hucusque tenore perseverant) Angelicum Doctorem illustravit, quem efformare decreverat nobilissimum magistrum, et a nemine jure declinandum : ut corpus ejus per præclara membrorum lineamenta distinctum, idoneos sensus subtilissimo præberet intellectui, qui per ipsos velut limpidissimos auri canales, totum Ecclesiæ nemus exundantibus sapientiæ venis irrigaret.

§ II.

Nobilitas a gratia, et sanctitate.

Chrysos. in Matt. apud

Nec nocet ei (sunt verba Chrysost.) *generatio vilis, quem mores adornant : non prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara.* Erat ergo parum Angelicum Magistrum apud homines, ob generis excellentiam sanguinis claritate fulgere, nisi terrenæ prosapiæ lineam divinæ imaginis nobilitate transcenderet. Nam, ut egregie dixit Nazianz. : *Nobilitas ex sanguine profecta corruptibilis est; vera, quæ virtute, Dei conservat imaginem.* Cui non dissimile carmen illud Ovidianum :

Flores Sanctorum lit. *Nobilitas.*

Nazian. orat. 11 et 18. Ovid. lib. de Vetula. Hier. ep. ad. Celantiam.

Nobilitas hominis, mens, et Deitatis imago :

quæ sola nobilitas hominem apud Deum illustrem facit : *Summa namque* (inquit Hieron.) *apud Deum nobilitas, est clarum esse virtutibus.*

Vultis scire quanta sit in Angel. Doct. vera hæc summa et Christiana nobilitas? Virtutes ejus recensete, et singulas, si fieri potest, debite perpendite. Vultis autem breviter, et compendiose (ne nimia longitudo fastidium generet) scire quot, et quales virtutes illius mentem exornaverint? Audite Clem. VI Pontif. Maximi judicium, et testimonium : *B. Doctor Tho.* (inquit) *fuit typus, et exemplar omnis virtutis, omnia corporis membra erant manifesta virtutum exempla; in oculis ejus apparebat simplicitas, in facie benignitas, in auribus humilitas, in olfactu suavitas, in tactu integritas, in manibus largitas, in incessu gravitas, in toto gestu honestas, in visceribus pietas, in intellectu claritas, in affectu bonitas, in mente sanctitas, in corde charitas.* Hæc ille. En numerus virtutum compendiose traditus : en D. Thom. intus et foris divinis charismatibus perfusus. Quanta est ergo hæc virtutum, tanta est in D. Thoma Christianæ divinæque nobilitatis copia, et perfectio, quæ ad excipiendam sapientiam, optima est dispositio. *Sapientia namque* (ut est apud Salom.) *in animas sanctas se transfert : in malevolam autem animam non introibit, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

Clem. VI in ser. qui incipit : *Docebat cos de regno Dei.*

Sap. 7.

Hujus autem tam abundantis sanctitatis, et gratiæ, jam ab incunabulis, imo et a materno utero, in Angelico Doctore præsagia non parva præcesserunt. Illum siquidem adhuc in visceribus maternis inclusum fax splendida, splendidum fore ominabatur. Tenellum deinde infantem ad ubera adhuc manentem, chartam salutationis Angelicæ verba continentem devorasse scimus : quod quidem abundantissimæ gratiæ, qua ejus anima ditata, et ditanda erat, illustre indicium exstitit. In substantiam quippe aliti

non solum chartæ materiam, sed etiam verborum chartæ substantiam convertisse designat. Unde ejus membris, sensibus, potentiis, virginitas illustris, phantasmata splendida, intellectiones, et affectus Angelici aggenerata fuerunt. Virgo namque purissima dum salutationem sui honoris originem, Thomæ infantulo in charta mittere dignatur, ipsum adhuc infantulum sublimiter decorasse ostendit, ut natalitia illius ex se illustrissima tanto honore redderet illustriora, nativamque nobilitatem insigniter augeret. Hinc Magisterio Thomæ etiam ab incunabulis plena laudatio. Ungebatur profecto in illis ab ipsa Virgine Thomas, et amplissimo mens ejus Magisterio parabatur.

§ III.

Nobilitas ab ingenii præstantia.

Ingenii eminentiam, atque præstantiam, ad scientias promptius, ac perfectius addiscendas, sublimiusque, et copiosius edocendas, plurimum conducere in dubium revocari nequit. *Veritatis namque, et rationis* (verba sunt D. Laurent. Justiniani) *qui perspicacitatem habet intellectus, magis est capax, quam qui est rudis ingenii, et ad discendum tardus.*

Laur. ust. nstit. Reg. ela. 22.

Plura sane, et vix credibilia dicere oporteret, si de Angelici Doctoris ingenii præstantia, atque excellentia pro dignitate loquendum esset. Ne igitur propter ipsam rei magnitudinem oratio nostra aliquam de veritate suspicionem subeat, non nostro, sed præclaro Divi Antonini testimonio veritatem hanc placuit comprobare : *Subtilitate* (inquit) *intellectus, et ingenii Sanctus Thomas pollebat. Unde dixisse fertur, non ad ambitum inanis gloriæ, sed ad præconium divinæ laudis, et gratiæ, quod numquam librum legerat, quem divino adjutus Spiritu non intelligeret, et intime penetraret.* Post pauca addit : *Ejus ingenii subtilitatem, et acumen intelligentiæ, ac rectitudinem judicii evidenter ostendunt multitudo librorum, quos edidit, et sententiarum novitas, quas invenit, sensusque Scripturarum absconditi, quos produxit in lucem. Fuit quoque idem Doctor magnæ memoriæ, tantæque capacitatis, ac retentivæ virtutis, ut id, quod semel legendo caperet, perpetuo retineret : quod evidenter patuit in illo mirabili opere, quod ad præceptum Domini Urbani Papæ super quatuor Evangelia de dictis Sanctorum memoriter composuit, et texuit. Veridica etiam socii sui fratris Reginaldi relatione compertum est, quod de diversis materiis, tribus, et interdum quatuor scriptoribus eodem tempore dictabat. Alius etiam refert scriptor, quod interdum cum sibi, et aliis duobus Thomas dictaret, licet præ labore fessus dormitus maneret, non tamen ideo a dictando cessabat.* Hæc Antoninus, domesticus quidem testis, sed admittendus, utpote veridicus, fidelissimus, sanctissimus, et omni exceptione major.

An- on. p. stor. . 23, 10.

Hinc jam (ut modo rationes alias prætercamus) illud manifeste cernitur, videlicet quam merito Divus Thomas Angelici Doctoris nomen sit adeptus. Enimvero, si saltim per impossibile, angelo juberetur a Deo, ut assumpto corpore per conversionem ad phantasmata, componendo, dividendo, discurrendo intelligeret, nec celerius Thoma, nec subtilius, neque perfectius intellecturum procul dubio existimamus; cum nec ingenii acumen, nec intellectus præstantia, nec specierum acquisitarum copia, nec memoriæ conservantis fidelitas, nec discursus velocitas amplior in humano, seu puri hominis corpore juxta naturæ cursum existere potuisse videatur, ut merito cum Innocent. VI Pontif. Maximo dicere de D. Tho. liceat : *Ecce plus quam Salomon hic.*

§ IV.

Nobilitas doctrinæ D. Thomæ a veritatis splendore.

Cum veritas fons sit, et totius nobilitatis origo, hic omnes animi fibras atque ora laxemus, ut dum fons patuerit, unde claritatis rivi nascuntur, cæteros excellentiæ t tulos facilius demonstremus. Hunc autem florentis arboris truncum ostendit Paulus, dum in discipulo suo legitimos Ecclesiæ magistros, ac doctores erudiens : *Sollicite* (inquit illi) *cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.* Nec docet illum insanientium poetarum fabulosa commenta, nec tumentium tragicorum cothurnata discrimina, quinimo statim subjungit, *Profana autem, et vaniloquia devita;* sed tantum illi persuadet, *recte tractare verbum veritatis.* Veritas enim fons clarissimus est, qui pleno semper gurgite fluit, nec umquam siccatur. Nihil efficacius mentem impinguat, ut inundantis pluviæ copiam abundanter erumpens, arentia humanorum

2. ad Tim. 2. 15. D. Thom. ibi lect. 2, in fine. Aug. lib. 4 de Doctr. Chris. c. 11. Aristot. 8. Topic. c. 5. Brev. Roman. Pii V et Clem. VIII, in lect. S. Thom. Jul. Pp. ut refert

Seraphi. n prologquio .Thom. in ejus officio. n Actis jusdem Concilii. oa. 22. in Bul. suæ anoniz. .Ant. 3. p. hist. tit. 33, cap. 7, § 12. n serm. de laudib. D. Th. cujus nitium : ecce plus quam Salomon hic. In Bul. transl. corp. S. Th. de monasterio Fossæ novæ ad Tolosan. In Bul. qua annumeravit D. Thom. inter celebrior. DD. Eccles. In Brev. ad Proreg. et Nobiles Neap. super election. D. Th. in Patronum. In episto. in lau. S. Th. an. 1325, habetur apud Bergomens. in tabul. autrea. In scholiis ad Martyrolog. 7 die Martii. Ægid. floruit circa an. 1300. In præfato

cordium arva nobilissimæ doctrinæ fluentis infundat. Quid est autem ille Magister, *qui recte tractat verbum veritatis? qui vera docet?* Exponit Angelicus Doctor : is profecto præstantissimi ingenii apertissimum exhibet signum. Nam, ut Augustinus loquitur, *Bonorum ingeniorum est verum amare.* Quod etiam Ethnici cognoverunt, quorum princeps Aristoteles ait : *Verum ingenium in eo est, ut possis verum recte sequi.*

Hoc autem summo splendore D. Thomæ doctrinam mirabiliter præfulgere, ex diversis, honorificentissimisque titulis, quibus decoratur, manifestissime constat. Etenim est ex ore veritatis, *bona;* ex ore Genitricis Dei, *integra;* apud Ecclesiam, *mira, et divinitus tradita;* apud Tridentinum Concilium, *spiritualis Thesaurus;* apud supremum Ecclesiæ judicem in ultimo suæ sanctitatis examine, *miraculosa;* imo, *quot articuli, tot miracula, Ecclesiam rigans, et terram satians, perfecta; et non sine speciali infusione Spiritus Sancti;* apud Divum Antoninum! *illustrans Ecclesiam fulgoribus suis;* apud Innocentium VI : *præ cæteris, excepta canonica, habens veritatem sententiarum, ita ut numquam qui eam tenuerit, a tramite veritatis deviaverit, et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus;* apud Urbanum V et Pium identidem V : *æque ac Augustini doctrina Ecclesiam Dei illustrans, et exornans;* apud Clementem VIII : *divina, cœlestis, et admirabilis, et sine ullo prorsus errore;* apud Universitatem Parisiensem : *sana, lucida, splendida, refulgens;* apud Cæsarem Baronium : *illibata;* ac denique (nam si cuncta testimonia omni exceptione majora, quæ huic assertioni congrua reperiuntur, tentaremus apponere, ante fortasse tempus, quam illorum copia numerosa deliceret) apud illustrissimum, æqueque sapientissimum Cardinalem, et Archiepiscopum Bituricens. Ægidium Sacræ Religionis S. Augustini Generalem : *veritate plena, Spiritu veritatis scripta, et ipsa veritas.*

Ergo cum de tam perspicuis, et authenticis testimoniis ambigere nemini liceat, coguntur omnes necessario fateri D. Thomæ doctrinam supereminenti veritatis nobilitate decorari. Quo semel supposito, ad profluentes ex hac originalis plenitudine fontis hauriendos rivos, et reliquos doctrinæ claritatis titulos ex hac radice demonstrandos procedamus.

§ V.

defensorii.

Nobilitas doctrinæ D. Thomæ ab inconcussa firmitate.

Labium veritatis (sic loquuntur Salomonis labia) *firmum erit in perpetuum.* Hoc enim ejus natura deposcit, ut cum omne mendacium sempiterna sit oblivione sepultum, veritas per omnem sit æternitatem duratura. *Talis est* (sunt verba Chrysost.) *conditio falsitatis, vel erroris, ut etiam nullo sibi assistente, consenescat, ac defluat. Talis autem e diverso veritatis status, ut etiam multis impugnantibus suscitetur, et crescat.* Quod etiam ex communi gentilium philosophorum plausu constat, ex quibus dixit eloquentiæ princeps : *Ita perspicua est veritas, ut eam infirmare nulla res possit.* Sed in digna rerum ponderatione nulli secundus Seneca : *Magna* (inquit) *est vis veritatis, quæ contra omnium ingenia calliditatem, solertiam, et fictas hominum insidias, facile per se ipsam defendit.*

Proverb. 12, n. 19.

Chrysos. in laudib. Pauli, to. 3.

Cicer. pro Cluent.

Seneca apud Flores Sanctorum litt. *Veritas.*

Hinc ergo divi Thomæ doctrinæ nobilitas mirifice splendet, cum adversus omnes catholicæ veritatis, quam ipsa defendit, impugnatores inconcussa manens, firmissimum semper robur obtineat. Est enim doctrina hæc campus divini prælii, spiritualis arena certaminis, palæstra viriliter dimicantium, luctatorum, fortiumque præsidium et munitio. Est ille Mosaicus serpens, qui incantatorum colubres sorbet, hoc est, omnium errorum venena consumit, ne catholicæ fidei quatiant fundamentum. Quæ enim falsa hæreticorum dogmata, quæ Ariana perfidia, quæ Judæorum væsana malitia, quæ gentilium philosophorum versutia; quæ denique schismaticorum abominanda scissura, beati Thomæ non sunt eloquio superata, ejusque doctrina evidenter attrita? Si quando enim ab inimicis veritatis objiciuntur nobis volumina quæstionum, illico Thomas accedit in medium, Angelicus Doctor occurrit, et silentium verbosis imponit. Quoties siquidem de vera humanitate, ac divinitate Christi Domini certamen quæstionis aboritur, ad divi Thomæ doctrinam curritur, divi Thomæ in pugna patrocinium quæritur; et sic mox cuncta litigiosi certaminis jurgia conquiescunt. Testis est illud mirabile Pii Quinti testimonium : *Ab ipso* (loquitur de Sancto Doctore) *sunt exstirpatæ infinitæ hæreses, imo et eæ omnes, quæ post mortem, et canonizationem ejus exortæ sunt, vi, et auctoritate suæ doctrinæ, omnino sunt*

Exodi 7 n. 12.

Pius V ubi supra.

eversæ. Testis similiter est aliud, nec minus grave, nec minus admirabile Pauli itidem Quinti Romani Pontificis testimonium : *Est* (inquit) *Angelicus Doctor splendidissimus Catholicæ fidei athleta, cujus scriptorum clypeo militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter eludit*. Cujus etiam veritatis ipsi adhuc inimici testimonium, vel inviti perhibent ; adeo namque doctrinæ hujus veram firmitatem, et robur pertimescunt, ut insignis quidam Hæresiarcha audacter affirmare non dubitaverit : *Tolle Thomam, et dissipabo Ecclesiam*. Ingens sane blasphemia : nam adversus Dei Ecclesiam numquam portæ inferi poterunt prævalere, maxima tamen Angelici Doctoris laus ab ipsiusmet inimici testimonio desumpta, quod nimirum adeo sit ecclesiastici ædilicii firmissima basis, ut eo sublato, juxta hæreticorum judicium, totum illud periclitaretur, nutaret, et rueret. Cum ergo nihil his omnibus certius, firmius, ac illustrius pro hujus nobilitatis titulo in divi Thomæ doctrina demonstranda queat ab ullo postulari, quis poterit miræ ejus doctrinæ firmitatis ornamenta negare ?

Quod quidem adhuc clarius innotescet, si diligenter attendatur, eam esse firmæ, inconcussæque veritatis proprietatem, ut sicut pro humilitatis gloria demonstranda vere protulit Bernardus, ipsam quoque superbiam, se humilitate palliare appetere, ne vilescat, ita pro firmæ veritatis excellentia ostendenda affirmare liceat ipsum quoque mendacium se colore veritatis obtegere, ut in audientium animis gratum sibi paret hospitium : *Mendacium namque* (inquit Maximus) *nisi speciem veritatis pro fundamento habeat, fidem non facit*. Nil sane thomisticæ doctrinæ firmam veritatem, veramque firmitatem apertius demonstrat. Quis enim aut Doctor in cathedra, aut scriptor in libro, aut in thesibus præses, doctrinam, quam defendit, quamvis re vera thomisticæ contrariam, glorioso D. Tho. nomine, et clypeo ne vilescat, vel inter impugnationum jacula deficiat, et cadat, protegere, ac palliare non cupiat? quo manifestissime, vel inviti ostendunt, nullam aliam celsioris firmitatis nobilitate fulgere.

---

§ VI.

Nobilitas doctrinæ divi Thomæ ab antiquitate, antiquitatisque veneratione.

Cum doctrina firmissimæ veritatis titulis illustrata, venerandæ sit antiquitatis alumna, quarumlibet novitatum debet exuere superficiem, et quæ sunt a sanctis Patribus dicta, integra, et illibata servare : *Non enim* (sunt profunda verba Damiani) *jam licet ultimis Ecclesiæ membris, quod sibi potissimum videtur eligere, sed necesse est antiquitus ordinata servare. Hæresis enim electio dicitur, et illi merito notantur hæretici, qui præsumunt, quòd sibi melius videtur eligere, dedignantur autem in iis, quæ a sanctis sunt instituta Patribus, permanere.* Dam. to. 1, li. 5, ep. 18, in initio.

Sed heu (proh dolor !) sunt nonnulli (Cassiodoro testante) *qui putant esse laudabile, si quid contra antiquos sapiant, et aliquid novi, ut periti videantur, inveniant*. Contra quos lamentabiliter, et graviter invehitur Patianus sic scribens : *Quid? parva nobis de Apostolicis viris, parva de primis sacerdotibus currit auctoritas? an volumus docere Doctorem? an sapientiores illo sumus? et nostram potius auctoritatem Patres sequentur? et emendanda Sanctorum cedet antiquitas, etiam putrescentia vitiis tempora, canos Apostolicæ auctoritatis eradent?* Nullo modo. Corripiantur hujusmodi (inquit Cælestinus Papa) *non sit eis liberum habere pro voluntate sermonem, desinat novitas incessère vetustatem*, etc. De qua Cælestini sententia loquens D. Prosper, sic habet : *Tanto manifestavit eloquio, evidenter pronuntians quantum sibi istius præsumptionis novitas displiceret, qua auderent quidam adversus antiquos Magistros insolenter insurgere, et indisciplinata calumnia prædicationi veritatis obstrepere.* Lib. Insit. cap. 11. Epist. 1 ad Simphrosianum. In epis. decretali. Prosper in prim. ii. contra Collat.

Ille ergo nobilissimus erit magister, *qui* (verba sunt Vincentii Lyrinensis diligenter adnotanda, utpote probatissimum magistralis nobilitatis exemplar continentia) *quidquid universaliter antiquitus Ecclesiam Catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum, credendumque decernit : quidquid vero ab aliquo deinceps uno, præter omnes, vel contra omnes Sanctos novum, et inauditum subinduci senserit, id non ad Religionem, sed ad tentationem potius intelligit pertinere*. Hæc Lyrinensis, cujus aliud adhuc notatu dignissimum testimonium subjicere placuit : explicans enim verba ad Timoth. Vincentius Lyrinensis, 2 p. to. 5. Bibl. vit. Patr. in 1, communi, cap. 25. Tim. 6.

6 : *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates*, etc., sic habet : *Depositum, inquit, custodi. Quid est depositum ? id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum : quod recepisti, non quod excogitasti : rem non ingenii ; sed doctrinæ : non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis : rem ad te perductam, non a te prolatam : in qua non auctor debes esse, sed custos : non institutor, sed sectator, non ducens, sed sequens. Depositum (inquit) custodi Catholicæ fidei talentum inviolatum, illibatumque conserva, quod tibi creditum est. Hoc penes te maneat, hoc a te tradatur : aurum accepisti, aurum redde : nolo mihi pro aliis alia subjicias : nolo pro auro, aut impudenter plumbum, aut fraudulenter ferramenta supponas. Nolo auri speciem, sed naturam. Plane, o Timothee, o Sacerdos, o Doctor, si te divinum munus idoneum fecerit ingenii exercitatione, doctrina esto spiritualis tabernaculi Beseleel : pretiosas divini dogmatis gemmas sculpe fideliter, coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem : intelligatur te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur : per te posteritas intellectum gratuletur, quod antea vetustas non intellectum venerabatur : eadem tamen, quæ didicisti, ita doce, ut cum dicas nove, non dicas nova. Devitans, dicebat Apostolus, profanas vocum novitates, non dixit antiquitates, non dixit vetustates : imo plane, quid e contrario sequeretur ostendit : nam si vitanda est novitas, tenenda est antiquitas : et si profana est novitas, sacrata est vetustas*, et paucis interjectis. *Quodcumque igitur in Ecclesiæ paradiso, Dei agricultura, Patrum labore satum est, hoc idem filiorum industria colatur, floreat, maturescat, perficiatur : et prisca illa cœlestis Philosophiæ dogmata a posteris excurrentur, limentur, poliantur : sed nefas est, ut commutentur, detruncentur, mutilentur, humanorumque ingeniorum quasi extranea additamenta recipiant.* Hactenus Lyrinensis. Et merito quidem a doctrinæ bonitate novitatem sic relegandam censuit : consideravit namque summum, quod novæ doctrinæ amatoribus imminet periculum. Hinc enim Eusebius de lamentabili cujusdam Pauli in hæresin casu loquens, huic soli causæ eum adscribit, inquiens : *Quia in congregationibus Ecclesiasticis volebat a viris, et mulieribus sibi nova dicenti applaudi, et acclamari, antiquis autem Patribus, scriptoribus, et defunctis insultari.* Hinc etiam citatus jam Vincentius Lyrinensis de Origene sic fatur : *Quamobrem hic idem Origenes tantus, ac talis, dum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio nimium indulget, sibique satis credit, dum parvipendit antiquam Christianæ Religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones, et veterum magisteria contemnens, quædam Scripturarum capitula nove interpretatur, meruit, ut de se quoque Ecclesiæ diceretur : Si surrexerit in medio tui Prophetæ*, etc.

Euseb. lib. 7 Ecclesi. hist.

Vincen. Lyrinen. cap. 23

Commonitorii.

Nimis fortasse fuerimus in proferendis de re tam aperta tantorum Patrum eloquiis : sed utinam, vel ipsis præbeatur fides, quæ nostris verbis nude prolatis forsitam subtraheretur. Sed videamus jam quantum in hac antiquitatis veneratione, et sequela doctrina divi Thomæ præemineat. Angelicus sane Doctor inter suæ ætatis procellosæ novitatis discrimina, antiquæ doctrinæ anchoram figens, naviculam studiorum suorum in tutissimo veterum Patrum portu collocavit. Quod admirabilis illa visio, qua lumen Ecclesiæ Augustinus simul cum divo Thoma Alberto de Brixia apparuit, optime ostendit. Cum enim Albertus, stupefactus quid illa visio significaret, supplex ab illis quæreret ; sic ille, qui Pontificalibus ornamentis erat insignitus, respondit : *Quid miraris, Alberte ? Ego sum Augustinus Doctor Ecclesiæ, qui sum missus ad declarandam gloriam sancti Thomæ : is est, qui mecum est, qui doctrinam meam, et apostolicam in omnibus secutus est, quique totam Dei Ecclesiam suæ doctrinæ fulgoribus mirabiliter illustravit.* Huic autem testimonio consonat aliud Summi Pontificis Urbani V sic de D. Th. testantis : *Beati Augustini vestigia insecutus, Ecclesiam doctrinis, ac scientiis, quamplurimis adornavit.*

Apud D. Ante. 3. p. hist. tit. 33, c. 7, § 12.

Urban. V, in Bul. transl. corpor. D Thom.

Nec Augustini solum, sed et cæterorum omnium antiquorum Patrum doctrinam summa veneratione prosecutus fuit : *Ideoque omnium sacrorum Doctorum intellectum* (verba sunt Cajetani) *quodammodo sortitus est.* Sed unde sortitus est ? *Quia illos* (inquit) *summe fuit veneratus.* Et hoc quidem in omnibus operibus suis evidenter ostenditur : quoties siquidem pro defensione veritatis argumentum format, fere illud semper de thesauro antiquæ veritatis profert : jam enim ex ipsis divinæ puritatis eloquiis testimonium ducit : jam ex Conciliorum decretis auctoritatem carpit : jam sanctorum Patrum germanum sensum aperiens, ipsorum dicta defendit : jam denique illustrium philosophorum definita custodit.

Cajc. 2. 2, q. 184, ar. 4.

Hinc jam merito Angel. Doctori id, quod

...sos. D. Chrysost. de Apostolorum principe Petro protulit, possumus adaptare. Expendens namque illud, quod in 2. Act. Apost. cap. de Petro scribitur, nimirum : *Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam, et locutus est eis*, sic quærit : *Quid est cum reliquis undecim?* Cui quæsito tale ipsemet præbuit responsum : *Communem quidem vocem edebant, at Petrus omnium erat os, sed astabant illi undecim, testimonio suo comprobantes ea, quæ ab illo dicebantur.* Sic igitur de Angelico Doctore apte satis proferre licebit : Communem quidem cum illo Concilia, antiqui Patres, et Doctores, illustresque Philosophi vocem edebant : at Thomas omnium erat os, sed astabant illi cæteri omnes, testimonio suo comprobantes ea, quæ a Thoma dicebantur.

...an. V, ...i supra. ...et., ...bi ...pra. Magnum sane nobilissimi Doctoris exemplum, et veris quibusque magistris assidua meditatione recolendum dignus sane Præceptor : *Qui Ecclesiam Dei doctrinis, ac scientiis plurimis adornaverit, qui sancti Augustini, et vestigia Apostolorum secutus ;* imo (quod summæ nobilitatis privilegium est) *omnium sacrorum Doctorum sortitus fuerit intellectum, quippe qui illos fuit semper summe veneratus.* Quis ergo doctrinam Angelici Magistri venerandæ antiquitatis insigniis illustratam, etsi assequi non valeat, non exoptet sequi? quæ pro defensione majorum, novelli, atque inutilis dogmatis non litteras, sed lituras infuso cœlitus, et humanitus acquisito antiquæ veritatis imbre delevit, quæque pro veneranda antiquitate in fœderabili certamine luctans Judæos ferit non credentes, et hæreticos hinc inde ...us V, ...ubi ...pra. (Pio V testante) concludit a regula veræ fidei declinantes.

§ VII.

Nobilitas doctrinæ divi Thomæ ab ejus pulchra varietate, et copia.

Si divina oracula consulamus, constat nobilissimam fuisse Salomonis sapientiam : ...Reg. ...4, 33. quia disputavit super lignis a cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete, et disseruit de jumentis, de volucribus, reptilibus, piscibus, cognovitque universas naturas cum dispositione simul orbis terrarum : insuper, quod majus omnibus est, vaporem virtutis Dei, et emanationem claritatis divinæ, candorem lucis æternæ, et speculum sine macula majestatis Dei, et imaginem bonitatis illius. Qua rerum varietate sic hominum animos delectabat, et alliciebat, ut (sacro textu affirmante) venirent de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, et ab universis regibus terræ, qui audiebant sapientiam ejus.

Sed divus Thomas plus quam Salomon (ut intonat Innocentius VI) est felicissimus hortus exuberantium fructuum fertilitate fœcundus, ubi felices virgæ florum, et fructuum gloria cumulantur, ubi mollioris auræ gratia frequenter aspirat, et vernans amœnitas allicit intuentes : *Ubi ejus doctrina* (admirabile est Clementis Papæ testimonium) *est fructuosissimus palmes, uberes in Dei Ecclesia ferens fructus, quibus ipsa fulcitur, et delectatur.* Ubi magnæ paradisi fluvius universam latitudinem orbis exuberantis doctrinæ fluentis inundat, et Ecclesiam Dei ad proferenda spiritualium frugum germina, uberrima fertilitate fœcundat : sic supremus evulgavit Antistes Joannes XXII, inquiens : *Illud psalmi, Rigans montes de superioribus, de fructu operum tuorum satiabitur terra, in Thoma verissime impletur.* Sed videamus jam oportet, quam inundantis pluviæ copiam abundanter eruperit, et spiritu intelligentiæ repletus qualium germinum disciplinæ propagines pullulando diffuderit.

Innoc. VI ubi supra. Clem. VI. Joann. XXII, in Bull. Canoniz. S. Thom.

In dialectica, et metaphysica super entibus disputavit ab ente reali, quod creata, et increata transcendit, usque ad ens rationis, quod ab intellectu fingitur. Disseruit de actibus, ab iis, qui sunt in homine, secundum quod est rationalis, et appellantur actus humani, usque ad eos, qui dicuntur passiones, egredientes ab ipso, secundum quod animal est. Deinde instituit eumdem hominem in ordine ad se in Ethicis : in ordine ad familiam in Œconomicis : in ordine ad civitatem, et rempublicam in politicis. Disseruit in physicis, et theologicis de naturis rerum a natura divina, quæ est purissimus actus, et plenitudo essendi in tribus personis, usque ad naturam materiæ primæ, quæ est pura potentia, et prope nihil. Disputavit de virtutibus a charitate, quæ est maxima, et in supremo appetitu, usque ad naturalem temperantiam, quæ est infima, et in sensitivo appetitu existens. De peccatis a mortali ad veniale : de legibus ab æterna, usque ad eam, quæ ab humana egreditur potestate : de justitia a distributiva, quæ est in publicis, usque ad commutativam, quæ est in privatis personis : de statibus ab episcopali, usque ad conjugalem : demum de sacramentis ab Eucharistia ad Matrimonium.

Porro ut de scholastica theologia (quæ

magis ad nostrum pertinet institutum) aliquid specialius proferamus, sicut quatuor flumina ex uno paradisi fonte procedunt, quæ in totius mundi partes influunt, ita quatuor illæ summæ theologiæ partes (hoc enim numero eas merito recensemus juxta receptissimum jam usum, quo secunda pars in duas bipartita est) de angelici Doctoris ingenio quasi totidem gurgites profluunt, et arentia humanorum cordium arva doctrinæ suæ miris, et variis fluentis infundunt. Hæc sane admirabilis sacræ Theologiæ summa *quadriga est Aminadab*, concordissima quatuor partium diversitate compacta, quam sane quadrigam Thomas auriga disponit, et quadrifidam mundi machinam, agillima famæ celeritate percurrit, sicut per Psalmistam dicitur : *Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus.*

Genes. 2, n. 10.

Cantic. 6, n. 11.

Psal. 147, n. 4.

Crevit autem in angelico Doctore theologiæ scholasticæ varietas ex adjuncta positivæ theologiæ varietate, quæ tanta fuit, ut ex libris legis Genesim, ex historialibus Machabæos, ex Psalmis quinquaginta, ex sapientialibus Canticum Canticorum, ex Prophetis plurimos : ex novo Testamento (si Apostolorum Actus excipias) ab Evangelio Matthæi, usque ad Joannis Apocalyp. atque adeo totum ipsum novum Testamentum mirifice exposuerit. Quibus adjuncta expositione Dionysii de Divinis nominibus, additisque sermonibus, inveniemus Angelicum Magistrum inter omnes alios Ecclesiæ Doctores, omnimoda theologia, nimirum scholastica, morali, positiva, mystica, et concionatoria variegatum, quasi Josephum inter duodecim fratres penultimum, polymita, et multicolori tunica a parente Jacob præ nimio ejus amore decoratum præfulgere.

Huc spectat varietas, quæ ex doctrina per modum textus ab auctore, et per modum glossæ, et commentariis ab expositore tradita desumitur. Cum enim alterutro modo tradita, suas, easque graves difficultates afferat, et statim offerat, utpote cum auctor suo textu primus viam aperiat, et per illam sine duce incedat, commentator autem alienis vestigiis insistat, eademque semel impressa exprimere, et alienæ mentis fœtus sæpe informes, instar ursæ suos catulos lambendo effingere, efformareque teneatur : inde fit, ut non angusta, et mollia, sed valida, et augusta ingenia ad difficultates utrinque emergentes superandas sufficiant : ac proinde, ut ea, quæ utrumque munus suscipiunt, magnam sibi nobilitatem merito apud omnes concilient, si utriusque muneris partes constanter sustineant, et omnibus exacte satisfaciant.

O virile, o augustum, o angelicum divi Thomæ ingenium! quod neque auctor esse timuit, nec alios auctores commentare recusavit, quin potius utroque munere audacter assumpto, et constanter peracto, omnia utrique debita persolvens, feliciter absolutum evasit. Constat enim summam contra Gentes, et summam theologiæ ab hoc auctore tanta dexteritate per modum textus confectas processisse, ut cum expositore non indigere videantur, prior tamen summa ab insigni commentatore Ferrariensi : posterior vero ab omnibus theologicis nostri temporis scriptoribus, commentariis illustrata, a posterioribus etiam illustranda relinquatur.

Quid de munere commentatoris exactissime præstito dicemus? Constat enim Angelicum commentatorem non solum canonicis auctoribus ex debito fidei catholicæ, aut humanis catholicis, gravissimis tamen scriptoribus, Dionysio, Magistro sententiarum, Boetio, ex debito cujusdam pietatis, et observantiæ, sed ethnico auctori Aristoteli indivulse adhæsisse, nec ab eo, nisi Deo per doctrinam fidei, aut eidem affinem retrahente deflexisse, ipsumque suis commentariis ita illustrasse, ut ex muto loquentem reddiderit. Unde merito affirmare possumus angelicum Doctorem summum commentatricis nobilitatis gradum obtinuisse, quippe cum non qualescumque, sed nobilissimos, et quasi in suo ordine primos, et obscurissimos auctores exponendos susceperit : tales enim sunt canonici, utpote divini : talis est Dionysius in mysticis, Magister sententiarum in Theologicis, Aristot. in dialecticis, physicis, metaphysicis, et moralibus : hocque est adeo perspicuum, ut nemo id in controversiam vocare possit.

Hinc etiam apparet, quam merito hac quoque de causa Angelici Doctoris nomen sit adeptus. Ipse est enim mystice Angelus ille, quem Joannes Apost. prævidens, ait : *Vidi alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem, et tribum, et linguam, et populum.* Vere Angelus sanctus Thomas, quia, etsi corpore tenebatur in terra, anima tamen, et spiritu erat in cœlo : degens enim in carne, angelicam, et vere cœlestem vitam ducebat : quamvis cum homini-

Apoc. 14

bus conversaretur, humana, et publica pertractaret negotia, mente tamen, et desiderio jugiter ferebatur in cœlum : absens corpore ab Angelorum consortio erat in cœlo, sed spiritu præsens, ita ut cum Apostolo dicere posset : *Conversatio nostra in cœlis est.* Ant. p. lit. § 8. *Erat mirabile* (inquit beatus Antoninus loquens de sancto Thoma) *videre hominem utentem sensibus, et cum sensibilibus conversantem, subito rapi, et abstrahi, et ab omnibus separari, et ad cœlestia elevari, quasi non esset ubi corporaliter sisteret, sed ubi mentaliter inhæreret.* Volasse autem perhibetur Angelus iste habens Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem, et tribum, et linguam, et populum : quia in omnem terram exivit sonus ejus : magnus fuit volatus illius, nam per quatuor mundi plagas suorum librorum alas extendit, ut ex eis omnis populus, omnis tribus, omnis lingua, omnis status alimonia sanæ doctrinæ fulciatur, et sustentetur. In libris enim hujus sancti Doctoris habet gentilis unde illuminetur, Judæus unde emolliatur, hæreticus unde reducatur, devotus unde ædificetur, tepidus unde incalescat, contemplativus unde sursum agatur, indoctus unde instruatur, doctior unde perficiatur, doctissimus unde consummetur. Tanti hujus Doctoris libros, dialecticæ, atque philosophiæ candidati semper evolvunt, moralis disciplinæ studiosi consultissimos habent animarum vulneribus medicaturi, ab eis pigmenta mutuantur divini Verbi præcones, quæ populum doceant, ab eis excipiunt : theologi scholastici, ut contra hæreticos omnium armorum genere induantur, ad eos confugiunt. Undejam merito illud, quod de divo Augustino protulit Volusianus, nimirum *Legi Dei deest, quidquid Augustinum contigerit ignorare,* possumus divo Thomæ adaptare, ita ut dicere liceat : dialecticæ, philosophiæ, metaphysicæ, ac theologiæ deest, quidquid D. Thomæ in suis operibus contigerit non tractare.

Quem igitur tam gratiosa omnimodæ sapientiæ nobilitas non delectet? Quem non attrahat, et devinciat ejus amori? Omnium magistrorum personas implet, officia, atque doctrinas comprehendit. Quatuor illa symbolica animalia triumphalem in Ezechiele trahentia currum, scintillanti fulgore, et oculorum abundantia omnimodam sapientiam, et universos Ecclesiæ Doctores adumbrantia, in unicum quadruplici forma compositum, et textus sacer revocare videtur, et gravissimi expositores asseverant. Quorsum hæc? ut divum Thomam Cherubinum, cunctorum faciem habentem, esse demonstrent, et nobilissimo magisterii dono (Cherub etenim, teste Hieronymo, magisterium sonat) cunctorum magistrotum implesse personas, officia, atque doctrinas comprehendisse pateat, et triumphali gloria dignissimum habeamus, palmamque ut omnium principi reddamus : id enim tam miræ varietatis pulchritudo deposcit. Hier. tom. 4, lib. 3, in c. 10 Ezechiel in fine.

§ VIII.

Nobilitas doctrinæ Divi Thomæ ab ejus indeficienti unitate.

Ex sapientibus nullus ignorat, quam sit humanæ salutis immane periculum, animarum pernicies, ingeniorum cancer, omni vento doctrinæ concitari. Quod damnum sanctissimus Doctor Hilarius toto lacrymarum fonte lugebat : *Periculosum* (inquiens) *nobis, atque etiam miserabile est tot nobis doctrinas esse, quot mores.* Nam, ut dixit Seneca : *Per multa vagari non ire istud, sed errare est.* Ne ergo tam lubrica, et tam præceps ruendi pateat occasio, nec scissura mentium, nec oppositio debet esse doctrinarum, sed ad unius veræ doctrinæ cognitionem in communione sapientum, oportet convenire. Quod subtiliter satis ipse Angelicus Doctor adnotavit : *Qui cognoscunt veritatem, conveniunt in una sententia; sed illi, qui ignorant, dividuntur per diversos errores.* Cujus profundissimam alibi reddens ipse rationem : *Cum veritas* (inquit) *consistat in medio, ejus est unitas, ideo uni vero multa falsa opponi possunt.* Sicut ergo doctrina sententiarum discretione turbata, in errores necesse est prolabatur, ac proinde summæ ignobilitatis notetur infamia, sic illa, quæ in sentiendi unanimitate conspirat, supereminenti nobilitatis gloria cumulatur. Hilar. contra Constantium. D. Thom. sub cap. 4, lib. Diony. de div. no. Idem p. c. 23, epist. ad Hebræ., lect. 2, in initio.

O vere in omnibus una, atque adeo vere vera Angelici Præceptoris doctrina! Quamvis enim (ut jam diximus) per ubertatis copiam doctrina hæc diversorum constet compage dictorum, sed unum procul dubio mysticum sapientiæ corpus unius veritatis soliditate fundatur : licet sententiarum sit multiplicitate diversa, tamen nec in una solitudinem recipit, nec in pluribus scissuram admittit. Nam in regno veritatis (qualis est doctrina Thomistica) nec unitas excludit

multitudinem, nec multitudo violat unitatem. Quia et unum corpus per multa membra dividitur, et ex diversis membris unum corpus impletur : nec in unitate corporis membrorum multitudo confunditur, nec in pluralitate membrorum unius corporis integritas violatur. Una est ergo vera D. Tho. doctrina, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur : quomodo etsi rami arboris multi, robur tamen unum tenaci radice fundatum.

§ IX.

Nobilitas doctrinæ divi Thomæ ab admirabili claritate in obscurissimis sensibus exponendis.

Cum textus a commentatore exponendus, ab ipso elucidandus, et sensus in eo contentus, et in commentario illustratus tanquam verus propugnari debeat, consequens est, ut pro obscuritate textus generositas, ubertas, acumen, et multa his similia in commentatoris ingenio requirantur : quoniam singula suum doctrinalis nobilitatis gradum vendicant : omnia autem grande quoddam illius pondus inducunt, et indicant. Idque tunc potiori titulo contingit quando commentator textui ex se obscurissimo simul retenta genuini sensus veritate claritatem, et lucem tribuit, ita ut dum obscurus textus accipit evidentiam, lucem, et distinctionem, retineat tamen sensus plenitudinem, et integritatem, verborumque proprietatem. Quod sane in Doctore, divino munere ad doctrinale officium exercendum assumpto potissimum reperiri debere aurea illa Lyrinensis verba supra relata apte satis ostendunt : *O Doctor* (inquit), *si te divinum munus idoneum fecerit ingenii exercitatione, doctrina, esto spiritualis tabernaculi Beseleel pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem : intelligatur te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur : per te posteritas gratuletur intellectum, quod antea vetustas non intellectum venerabatur : eadem tamen, quæ didicisti, doce, ut cum dicas nove, nec dicas nova.* Doctrina ergo, quæ antiquæ veritati obscurissime traditæ, sensus integritate verborumque proprietate servata, splendorem, distinctionem, et evidentiam addit, novo claritatis titulo jure decoratur.

Lyrinens. ubi supra, p. 27.

Quis autem nesciat quantum in hoc Angelici Doctoris doctrina præemineat? Cum enim præclarus hic Doctor ex sacris implicatissimam Genesim, Machabæos locorum, et temporum computatione, et continuatione difficillimos, et Apocalypsim septem sigillis clausam : ex mysticis elevatissimum, et præ quadam exstasi balbutientem Dionysium : in dialecticis autem, et aliis jam recensitis mutum Aristotelem admirabili distinctione, et perspicuitate exposuerit, ex mutoque loquentem fecerit, et legitimi expositoris muneri satisfecerit, constat profecto illum ex hac parte suam aliis titulis comparatam, et auctam magistralem nobilitatem mirum in modum provexisse.

Joann. XXII, in Bulla canoniza. S. Thom.

Quæ omnia egregio Summi Pontificis Joannis XXII testimonio magis confirmata manebunt. Is enim cum vita, et mors Divi Thomæ pro ejus canonizatione in supremo examine constitutæ essent, in Bulla, quam tunc expedire jussit, in hoc prorupit nobilissimi, atque sanctissimi Doctoris elogium : *In primitivis scientiis, et diversis philosophiæ partibus, ut non esset otiosus, sed operaretur terram, necnon in sacræ Scripturæ pagina tam super novum, quam super vetus Testamentum scripta, plurimaque alia Dei opera in Dei laudem, fideique dilatationem, eruditionemque studentium clara (cum sciens esset) famosa (cum cognitus) non absque speciali Dei infusione perfecit. Doctrina quippe prudentium facilis, et omnino scientis signum est posse docere.*

§ X.

Nobilitas doctrinæ divi Thomæ a styli, et methodi venustate.

Quemadmodum doctrinæ methodus, et scriptoris stylus multa complectitur, nimirum ordinem, claritatem, brevitatem, profunditatem, uniformitatem, et alia his similia, quæ audientes, aut loquentes sua honestate, utilitate, et suavitate invitant, et alliciunt : ita etiam nobilitas ex stylo scriptoris proveniens, magna, et insignis est : Quam de divo Thoma, ejusque doctrina merito sic expressit Sixtus Senensis : *Quatuor inter se implacabiliter pugnantia indissolubili pacis fœdere conjunxit, videlicet copiam, brevitatem, facilitatem, et securitatem, quas nulli unquam litterarum professori, vel ante, vel post eum contigit simul potuisse connectere. Ac primum tanta inest ei rerum omnium copiosa ubertas, ut nihil fere ex universo theologiæ, ac*

Six. Senens. l. Bibl.

philosophiæ ambitu desiderari queat, quod non ipse ditissimis scriptis suis fuerit copiosissima varietate complexus. Brevitas deinde, cujus exiguis angustiis copiæ amplitudo contineri non potest, ea est, ut quæ tot veteres, ac recentes auctores vix innumeris, et immensis voluminibus comprehendere potuerunt, hic intra unius strictæ epitomes, hoc est, Summæ theologicæ compendium, locupletissima brevitate, plenissimeque concluserit. Brevitati vero, quæ obscuritatis mater est, et comes individua, ita facilitatem, omni seclusa difficultate, copulavit, ut ordinis dispositione, sententiarum perspicuitate, et verborum splendidâ claritate scriptores omnes longo post se reliquerit intervallo, et quod multo admirabilius est, cum in scriptis ecclesiasticis multorum magni nominis Patrum caute, ac suspenso pede, legentibus progrediendum sit, ne in sententias quasdam parum tutas imprudenter impingant, huic uni vere divino viro tanta assertionum, sententiarumque securitas divinitus obtigit, ut in lectione ejus lector, omni suspicione erroris liber, citra ullam offensam tutus, et securus expedito gradu exspatiari possit, veluti per viam regiam, communi ecclesiasticorum Patrum incessu tritam, longe a deviis illis particularum sectatorum semitis, ac diverticulis, quæ sæpe incautos abducunt in ambages inextricabiles, et errores irremeabiles.

Hanc etiam supereminentem methodicæ nobilitatis excellentiam agnovit Innoc. VI, qui miram hujus Magistri doctrinam, usque ad sidera extollens, sic inter alia dixit : *Ejus doctrina habet proprietatem verborum, modum dicendorum.* Clemens itidem VI : *In ejus intellectu apparebat claritas ;* Clem. VIII : *Brevissimo* (inquit) *tempore in omni fere disciplinarum genere singulari ordine, et mira perspicuitate conscripsit.* Perpendantur, quæsumus, singula illa verba : *In ejus intellectu claritas, in doctrina verborum proprietas, dicendorum modus, et in omni disciplinarum genere singularis ordo, et mira perspicuitas.* His enim quid clarius, quid illustrius pro methodica nobilitate evidenter ostendenda?

Nec minus ipsa Angelici Doctoris eloquia recte perpensa evidentissimum hujus veritatis testimonium præstant. Etenim alternato suæ doctrinæ ordine jam divina subtiliter intonant, jam vero humana plane quodammodo, sed efficaciter asseverant. Sic per omnem sui seriem styli modum temperant, et quadam vicissitudine miræ varietatis alternant, ut modo humana pronuncient, modo divina revelent, modo exempla naturæ naturaliter inserant, modo divinitatis arcana quadam sublimium, ac subtilium verborum clara majestate depromant : tantaq. locutionis arte verborum vim temperant, ac librati moderaminis sobrietate dispensant, ut nec divinitatis occulta vulgari, nec ea, quæ ad veram mysteriorum fidei agnitionem necessaria sunt, patiantur abscondi. Deinde dum sacræ historiæ verba contexunt, velut per tenuissimas rimas ejusdem divinitatis fulgorem ad oculos hominum coruscare permittunt : sicque dum tenuissimo lucis æternæ radio oculus mentis nostræ perstringitur, ad indagandum mox illud inaccessibile summæ veritatis lumen perspicacius aperitur . Plura sane alia dicere possemus de insigni D. Tho. in quibusvis rebus ; etsi difficillimis claritate, dicendi proprietate, styli uniformitate, pulchra varietate, rebus ipsis, de quibus agit, adaptata, permixta : ac denique de admirabili illo ordine, et methodo, qua universam doctrinam theologicam in sua Summa per quæstiones, et articulos disposuit : sed hæc omnia ad sui debitam perpensionem, longiorem, quam præsentis orationis promittit institutum, sermonem postulabant : et ideo in eis diutius non immoramur, ut jam ad alia, quæ supersunt, properemus.

§ XI.

Nobilitas doctrinæ D. Tho. ab insigni, et universali approbatione, in primisque ab Academiis approbantibus.

Si scriptorum approbatores tales sunt, quales ex præscripto juris esse oportet, vix dici potest quantum ad gloriam, et nobilitatem scriptorum generandam, vel augendam eorum approbatio conferat, juxta illud : *Exaltent eum in Ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum ;* et alibi : *Collaudabunt multi sapientiam eorum, et laudem eorum enuntiabit Ecclesia.* Audacter dicimus, et demonstrare pollicemur, nullum doctorem, nullam doctrinam, canonica excepta, quantum ad nobilitatem, et splendorem ex vi approbationis provenientem cum Angelico Doctore, ejusque doctrina posse cum aliqua victoriæ spe contendere, sin minus aperiat quicumque voluerit os suum, et implebimus illud, sive petat tantæ nobilitatis signa in cœlo sursum, sive in terra deorsum, quippe cum ad satisfaciendum tantæ promissioni, et ad liberandam fidem, quam dedi-

mus, quamplurimos præclarissimos testes, et fidejussores habeamus. Nimirum integras Academias, multarum illustrium Religionum decreta, Summorum Pontificum encomia, Conciliorum acclamationem, cœlestemque, imo et ipsius Dei expressam approbationem. Sed jam singula demonstremus a minoribus ad majora (ut sic recte procedamus) gradum facientes. Prius ergo de Academiarum approbatione dicamus.

Pro Academiis igitur adsit in primis Parisiensis, quia antiquissima, et theologiæ scholasticæ officina, parens, et nutrix : illa enim peperit, et aluit ipsum Doctorem Angelicum, ex quo præclara Thomistarum : Scotum ex quo subtilis Scotistarum : et Gabrielem, atque Occam, ex quibus, et aliis nominata Nominalium familia prodiit. Hæc igitur nobilissima omnium theologicarum familiarum parens, et (ut sic dicamus) ipsemet totius Theologiæ truncus, et radix, cum doctrinam D. Thomæ recenter scriptam, et evulgatam aliqua ex parte notasset, et recenti, ac viridi judicio repulisset, postea vero adolescente, et maturescente eodem judicio, ex ipsis S. Doctoris scriptis sæpe, et attente lectis deprompto, primum tanquam immaturum, et acerbum retractare decernens, non solum omnes suos candidatos, et laureatos adstrinxit, sed etiam Parisiensem Episcopum, totumque Clerum, præsente Viennensi Archiepiscopo Metropolitano, excitavit ad proclamandum, et præclaris titulis, et encomiis decorandum Divum Thomam prædicans : *Illum esse splendidissimum lumen Ecclesiæ, gemmam radiantem clericorum, fontem doctrinæ, speculum tersum, ac perlucidum, Scholæ Parisiensis, et omnium Universitatum lucidissimum candelabrum, a quo omnes fideles sanctæ vitæ, et sanctæ doctrinæ lumen accipiunt.* Et tandem concludit Sanctissimum istum Doctorem numquam docuisse, vel scripsisse aliquid, quod sanæ doctrinæ, et probis moribus adversetur.

In epist. quadam, quæ habetur in tabula aurea Bergomensi.

O insigne insignis Academiæ testimonium, o approbatio eo magis decantanda, quo magis per illam viri adeo graves, re melius inspecta, palinodiam recantarunt, et acerbi antea reprobatores, postmodum maturius doctrinam D. Thomæ expendentes, illam simul cum suo Angelico auctore tot modis, et præclarissimis titulis approbarunt! sicut scriptum est : *Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, et detrahebant tibi, adorabunt vestigia pedum tuorum.*

Hinc obiter discant, si qui sunt, qui D. Thomæ scripta perfunctorie, distracte, aut exiguo piæ affectionis condimento percurrentes, in aliquam doctrinæ partem impingunt, ad eamdem recurrendam, et meditandam, et cum legitimis ejus interpretibus, et discipulis antiquis, et recentioribus consulendam se ipsos provocare. Si exemplo scholæ Parisiensis hoc egerint, mutabunt sine dubio fortitudinem, assument pennas, ut Aquilæ current, et non laborabunt; ambulabunt, et non deficient; et quæ prius odivit anima eorum, postea erunt illis salutaris et suavis cibus, et potus, ac tandem exaudient, feliciterque intelligent vocem hujus Angelici incantatoris, et venefici incantantis sapienter.

Deinde Tolosana etiam Academia S. Thomæ doctrinam pro viribus tutatur, veneratur, et colit, utpote ad id adstricta præcepto Summi Pontificis Urbani VI, qui hujus S. Doctoris excellentem doctrinam admirans, ad illam addiscendam gravissime hortatur, et Tolosanæ Academiæ theologis, ut in disputationibus, et suis de fide, ac moribus responsis, hanc potissimum sequantur, præcipit. Insignis etiam Academia Complutensis, insigni quoque pietate et cultu Sancti Thomæ doctrinam reveretur, et colit : ad eam enim propugnandam primariam theologiæ cathedram, quæ S. Thomæ dicitur, a sui ortus initio fundavit, dignitate, et excellentia omnes alias cathedras totius Universitatis, cujuscumque facultatis sint, longe, lateque excedentem, stipendii autem nulli inferiorem. Insuper ad eumdem finem duæ aliæ cathedræ, primaria scilicet, et vespertina sunt institutæ, ad quas nullis, nisi solis Prædicatoribus, seu Dominicanis licet ascendere. Hæc denique nostra Salmanticensis Academia non solum in nostra Hispania, sed apud exteras etiam gentes celeberrima, tanti facit doctrinam S. Thomæ, ut in ea non una tantum cathedra titulo, et nomine hujus S. Doctoris, ut ejus doctrina ab omnibus addiscatur, sit instituta; sed aliæ duæ, primaria scilicet, et vespertina, ut a solis Dominicanæ familiæ Magistris uberibus D. Tho. indivulse adhærentibus regantur, et moderentur, postea fuerint fundatæ. Hujus quoque almæ Academiæ celeberrimi Magistri, et Doctores, qui modo sunt, et fuerunt, quique toti Hispaniæ, imo et orbi ceu fulgentissima astra lumen dedere, perpetuoque dabunt, doctrinæ S. Thomæ addictissimi fuerunt, ejusque veneratio, et amor in dies feliciter in ea crescit. Sed

jam Religiosæ familiæ dato signo ab Academiis ad claustra vocamur.

§ XII.

Nobilitas doctrinæ D. Thomæ a Religionum approbantium decretis.

Ex Religiosis ergo familiis, quæ maturo consilio, proprio, vel (quod felicius est) alieno periculo cautæ, decreverunt, ne sui, quos optime doctrinæ lacte nutrire, et solido cibo roborare satagunt, doctrinam Divo Thomæ contrariam degustent, consulto prætermittimus ipsam quantumvis illustrissimam Prædicatorum familiam, ne testes alicui exceptioni ex honestissimis tamen causis provenienti expositos proferamus. Ex multis autem aliis, quas præclare possemus afferre, quæ D. Thomæ doctrinam tuentur, reverentur, et colunt, in quibusque lege a majoribus facta cavetur, ut lectores Artium, Theologiæ officio nullus fungatur, qui D. Thomæ doctrinæ assecla non fuerit, quarum omnium decreta in particulari referre propter brevitatem, quam intendimus, nequaquam possumus, unius dumtaxat, vel alterius decreta ipsorummet verbis adducemus.

Sitque prior sacra Jesu Societas multis sanctitate, doctrina, et prudentia præstantibus viris, illustris : cujus Sanctissimus fundator, et Patriarcha Ignatius, spiritu plane cœlesti, et vere divino sequendi doctrinam Divi Thomæ constitutionem reliquit : in quarta enim parte, cap. 14, § 1 constitutionum hujus sacræ Religionis, hæc verba habentur : *In Theologia legatur vetus, et novum Testamentum, et doctrina Scholastica D. Thomæ.* Quæ constitutio in quinta congregatione generali ejusdem Religionis canone 9 est innovata, et urgentius observari præcepta : congregationis verba hæc sunt : *Sequantur nostri Doctores in scholastica Theologia doctrinam D. Tho. juxta præxim libro* de Ratione studiorum *ponendam, et a Patre Præposito Generali explicandam. Neque deinceps ad Cathedras Theologicas promoveantur, nisi qui D. Tho. doctrinæ bene affecti fuerint, ab ea vero alieni, a docendi munere repellantur.* Hæc pie, graviter, et religiose, pii, graves, et Religiosi Patres.

Alia Religio, quæ sequendi doctrinam D. Thomæ inviolabili lege tenetur, affectu erga Sanctum Doctorem nulli secunda, est nostra Excalceatorum Carmelitarum familia, quæ non solum præcipit Artium, et Theologiæ lectoribus, ut S. Thomæ doctrinam sequantur, et colant, sed contrarium sub pœna privationis officii eis interdicit : verba hujus legis habentur in secundæ partis nostrarum constitutionum cap. 4, ubi in § 6 ita sancitur : *Ad hoc munus* (sermo est de officio lectorum Theologiæ) *personæ virtutibus, et litteris idoneæ omnino assumantur, qui operam dabunt sacram doctrinam a Sanctis Patribus, præcipue a Divo Thoma traditam edocere, idemque lectores Artium observent, sin minus ab officio lectorum priventur, studeantque subtiliores quæstiones, quæ neque utilitatem, neque ædificationem afferunt, aliasque periculosas novitates a nostra Religione arcere.* Cujus constitutionis observantiæ ita Pastores nostri invigilant, ut quidam Provincialis vir sane scientia et Religione conspicuus, cum sui prædecessoris (more apud nos solito) visitationem ageret, voce elata, vultuque gravi, et mœsto de illo conquereretur hanc culpam in illo se deprehendisse, scilicet, quod in sui muneris administratione remissius se gessisset, eo solum, quod quemdam Artium lectorem, qui unicam tantum opinionem contra Thomistarum receptam sententiam, non tamen suo judicio contra Sancti Thomæ mentem, suos edocuisset discipulos ab officio non removisset. Is in nostra Religione Sancti Thomæ doctrinæ honor defertur, hac veneratione colitur : sed jam Summis Pontificibus supplices occurramus.

§ XIII.

Nobilitas doctrinæ D. Thomæ a Summis Pontificibus approbantibus.

Majus est Summorum Pontificum, utpote non solum publicum, et solemne, sed etiam generale totius Ecclesiæ in suo capite loquentis testimonium, et præclarissimum Doctoralis nobilitatis signum. Cum autem plura eorum adduci possent testimonia, et aliqua in hujus orationis decursu jam adducta sint, pauca quædam prolixitatis evitandæ gratia referre, cetera vero indicare sufficiet. In primis igitur celebre est illud Joannis XXII eloquium, quo D. Tho. sanctitatem et doctrinam sic commendavit : *Etsi nulla alia exstarent miracula, ob quæ Sanctus hic canonizari posset, quælibet quæstionum, quas determinavit, et quilibet articulorum, quos scripsit, unum est pro se miraculum : tot igitur miracula fecit, quot articulos scripsit : quia omnes resolvit lumine* Refert Gerson.

plus quam humano. Unde pro numero plusquam bis millesimo articulorum, erit numerus miraculorum.

Innoc. VI, in ser. de laudib. D. Tho. cujus initium est: *Ecce plus quam Salomon.*

Nec minus eamdem doctrinam commendat Innoc. VI, cujus verba notatu dignissima hæc sunt : *Hujus Doctoris doctrina præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut numquam qui eam tenuit, inveniatur a tramite veritatis deviasse, et qui eam impugnavit, semper fuit de veritate suspectus.* Quid illustrius in hujus doctrinæ commendationem? Quidve adversus ejus impugnatores terribilius? Sane juxta Pontificis Maximi testimonium, quisquis D. Thomæ doctrinam impugnaverit, ipsemet prædictæ suspicionis notam sibi inuret.

Clem. VIII, in Brevi ad nobiles civit. Neap. super electio. S. Th. in ejus regni Patr.

Nec prætermittere possumus Clem. VIII præclarissimum testimonium, in hunc modum D. Thomæ doctrinam commendans : *Doctrinæ quidem testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore in omni fere disciplinarum genere, singulari ordine, ac mira perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscripsit.* Verba illa, *sine ullo prorsus errore*, perpendantur : apparebit utique neminem sine magna audacia, posse vel minimi erroris notam Doctoris Angelici doctrinæ tribuere. Plura alia Summorum Ecclesiæ Antistitum præclarissima exstant testimonia, quæ D. Thomæ doctrinam mirifice commendant. Eam namque Joannes XXII : *ex speciali Dei infusione provenientem;* Urbanus V : *universam Ecclesiam illustrantem;* Pius V : *hæreses confundentem et convincentem;* Clem. VIII : *cœlestem, et divinum eloquium;* Paulus V : *hæreticorum tela feliciter elidentem*, prædicant. Sed in his omnibus latius referendis et perpendendis amplius immorari non possumus, ne promissam brevitatem excedamus.

Joan. XXII, in Bul. cano. S. Tho. an. 1325. Urb. V, in Bul. translat. cor. S. Thom. de monast. Fossæ-novæ ad Tolos. Pius V, in Bull. qua S. Tho. adnumerav. inter celebriores Doct. Ecclesiæ.

§ XIV.

Nobilitas doctrinæ D. Tho. a Conciliorum approbatione.

Clem. VIII, in Brevi ad Progem Neapolit. Paul. V, in quodam Brevi, quo prædictum patronatum, et electionem confirmavit.

Pro Conciliis, quorum auctoritas generalis, et propter concursum Episcoporum et aliorum Prælatorum Ecclesiæ, procerum et magnatorum, illustrissima est, abunde sufficit novissimum, nulli tamen inferius, Tridentinum, in quo Patres, quantumvis ex promissa Spiritus Sancti assistentia sibi ad diffinienda fidei dogmata et damnandas hæreses sufficientes essent, nihilominus eodem Spiritu sic disponente taliter doctrinam D. Thom. suspexerunt, ut multa ex ipso quasi transcripta, plurima eidem consona, nihil vero illi contrarium diffinierint. Unde merito illustrissimus Cardinalis, et Ecclesiasticus historiographus Cæsar Baronius sic scriptum reliquit : *Vix quisquam enarrare sufficeret, quot vir Sanctissimus atque doctissimus Theologorum præconiis celebretur, quantumque illius illibatæ doctrinæ a Sanctis Patribus in Sacrosancto Œcumenico Conc. Trid. considentibus, fuerit acclamatum.* Hæc Baronius, quæ nullo alio, nisi justo quodam rerum ac verborum æstimatore, ac ponderatore indigent.

Cæs. Bar. in scholiis ad Martyrol. Rom. 7 die Martii.

Quod non minori sententiarum pondere, quam verborum facundia, sacer ejusdem Concilii Tridentini orator in oratione coram gravissimis illis, ac summe venerandis Concilii Patribus (quæ in ejusdem Concilii circumfertur actibus) in hunc modum affirmat : *Non potuit D. Tho. Ecclesiasticis interesse Conciliis morte præventus, verum ecce superstes, atque in æternum victurus vobis adest, bona sua spiritualis doctrinæ thesauros hæreditario jure vobis delegavit. Nulla proinde ab ejus felici transitu Concilia, sine sacro Doctore celebrata sunt. Ut enim de cæteris sileam, quod audimus, quod videmus, quod manibus nostris contrectamus, quidni aperta voce ad ejus laudem testemur? Vestra comitia perpendite. Ex plurimo eoque honorabili Doctorum cœtu, quotus quisque consultor accedit, qui D. Thomæ auctoritate veluti splendente gemma, suam sententiam non exornet? At in consultissimo Patrum recessu, Doctor hic sententiam rogatus frequentissime censet, ad quem ut ad lydium lapidem, si quid ambiguitatis, aut controversiæ fuerit exortum, communibus votis referendum existimetis, et qui eum sui placiti patronum obtinuerit, incertam judiciorum aleam non sit habiturus, quin secundum eum sententia ferenda sit. Atque adeo, hujus Religionis nomine, gravissimæ vestræ auctoritati gratias agere libeat, quod Doctoris Thomæ nomen ubique celeberrimum, vestra in eum observantia celebrius posteritati reliqueritis.* Singula quæsumus verba, maxime vero illa : *Nulla ab ejus felici transitu Concilia sine sacro Doctore celebrata sunt; ad quem ut ad lydium lapidem si quid ambiguitatis, aut controversiæ fuerit exortum, communibus votis referendum existimetis,* matura meditatione perpendantur : nam ea in statera mentis appensa neminem a tanti Doctoris Magisterio declinare sinent.

In oratione habita ad Patres Conc. Tri.

§ XV.

Nobilitas doctrinæ Divi Thomæ ex approbatione cœlesti et divina.

Compleat et concludat hanc Magistralis nobilitatis longam probationem cœlestis, et divina approbatio, quam cumulatissime D. Thomæ doctrina obtinuit. Etenim non solum a D. August. (ut supra vidimus), sed etiam non semel ab Apostolorum Principibus Petro et Paulo, necnon ab Angelis, quos visibiliter sibi apparentes, secumque colloquentes, ac dubia sibi occurrentia dissolventes, plures habere D. Thom. meruit, et quod majus est, ab ipsa Deipara Virg. Maria insignem approbationem et commendationem ejus doctrina obtinuit. Quæ omnia ex elogiis primæ classis, quæ nostrum Complutense Collegium initio suæ Logicæ adducit, quæque hic referre necessarium non est, satis constant.

Breviar. Roma. et Bull. suæ anonizationis.

Sed adhuc præclarius pro hujus doctrinæ commendatione superest testimonium, nempe divinum; ipsiusmet Christi Domini, veri Dei et hominis, qui in quadam sui in cruce pendentis imagine, cui supplex altissimæ contemplationi vacans Doctor Angelicus adhærebat, hæc ad illum verba direxit : *Bene scripsisti de me, Thoma.* O præclarum, et nunquam satis celebratum testimonium! *Bene* (inquit) *scripsisti.* Bene quoad substantiam, profunditatem, claritatem, stylum, methodum, ordinem. Bene quoad auditores, Magistros, mediocres, sublimes. Bene quoad Concilia, Pontifices, Religiones, Principes, Academias. Bene adversus hæreticos, gentes, novitates. *Bene scripsisti de me,* hoc est de essentia, de attributis, perfectionibus, personis divinæ meæ naturæ, et creaturis a me conditis. Bene de natura humana a me Verbo Æterni Patris assumpta, de sacramentis a me institutis, de virtutibus, et donis, gratiam meam comitantibus. Bene de iis omnibus, quæ in meo Evangelio ad mores hominum pie, et recte instituendos docui, ut vitam æternam obtineant. *Bene scripsisti de me,* id est de omni eo, quod meum undequaque dici potest, vel ad me directe, aut reductive spectat. Hoc totum adverbium, *Bene,* indefinite dictum ostendit : sicuti per illud Isaiæ : *Dicite justo quoniam bene,* justus omnimodæ bonitatis dotibus exornatur. *Quam ergo mercedem accipies? Non aliam, nisi te, Domine,* respondit Thomas. Solo Deo præmiari, ejusque dumtaxat ore, ipsius doctrinam commendari desiderat, et in hac approbatione quiescit. Quid illustrius in hujus doctrinæ laudem potest excogitari? Sane cum divina veritas dicat, *Bene scripsisti de me, Thoma,* quisquis Divum Thomam non bene scripsisse, ausus fuerit affirmare, non ipsi, sed divinæ veritati contradicere merito creditur. Si ergo Deus pro hac doctrina est, quis contra illam? Si Deus eam approbat, quis reprobet? Si Deus eam commendat, quis non commendet? imo et quis commendet? cum satis probata sit, quam Deus commendat. Ecce quam supra promisimus supereffluentem nobilitatis mensuram, *os enim Domini locutum est,* sileat a facie ejus omnis terra, quia scriptum est : *Te decet silentium, Deus, in Sion.*

2. Cor 10.

Isai. 1 20. Psal. 6 num. 2

PERORATIO.

Eant ergo, et totum orbem circumeant, quotquot bonarum facultatum addiscendarum amore accensi, et stimulati nobilissimum Magistrum perquirunt : quia primus, et vehementissimus discendi ardor nobilitas est magistri; quærant ergo, et requirant illum, et si alium a Divo Thoma pluribus et melioribus nobilitatis signis insignitum, et titulis illustrem invenerint, veniant ad nos cum gratiarum actione occursuros, et nobis renuncient; ibimus enim doctrinæ illius inhiantes, et ab ore illius pendebimus. Quod si non invenerint, ut prorsus non invenient, alium aut nobiliorem, aut æque nobilem, cujus doctrina et sapientia vere sit alia a doctrina Angelici hujus Præceptoris, quamque ipse non biberit, consequens est, ut unum e duobus eligant, aut sine magistro discere, quod difficillimum, prolixum et periculosum videtur, aut (quod tutissimum et prudentissimum est) eligant Thomam Angelicum Doctorem, parentum regali prosapia illustrissimum, claritate adhuc nativa divinos radios emittentem, vitæ sanctitate, ac religione eximium, præstantissimo ingenio clarum, cujus doctrina propter integerrimam veritatem, inconcussam stabilitatem, antiquitatem, antiquitatisque venerationem, copiam, varietatem, individualsam unitatem, in obscurissimo textu explicando perspicuitatem, præclaram methodum, ac styli venustatem, universalissimamque Academiarum, Religionum, Pontificum, Conciliorum, cœlestemque, et divinam approbationem, supremum post canonicam, nobilitatis atque excellentiæ

gradum sibi optimo jure vendicat. Hunc ergo celeberrimum Sanctissimumque Doctorem omnes summo animi affectu eligant, apprehendant, et teneant, nec dimittant donec introducantur in domum matris suæ et in cubiculum genitricis suæ. Hæc est enim cœlestis Jerusalem, quæ est mater nostra. Ad hanc ergo majores nostri nos per constantem Divi Thomæ doctrinam ducere prudentissime sanxerunt : non quia nobis non suppeterent illustrissimi et Sanctissimi Doctores Ecclesiæ, nempe, Basilius, Athanasius, Damascenus, Cyrillus Episcopus Alexandrinus, alterque etiam Cyrillus Constantinopolitanus, pluresque alii, quibus sacra nostra Religio Carmelitana abundantissime floruit : non quia nobis deesset alter Thomas, scilicet Ubaldensis nobilissimus, et piissimus Doctor, cujus vestigiis tuto et utiliter insistere possemus ; non quia inter plures alios insignes Theologos et scriptores, non haberemus viginti quinque expositores Magistri Sententiarum, quos refert Possevinus in sua Bibliotheca selecta ; sed quia Pastores nostri pro eximia in suos subditos charitate et providentia, meliora charismata æmulantes, non qualicumque quantumvis domestico, et bono, sed optimo doctrinæ lacte, et pane, non alieno, sed communi, non humano, sed Angelico eos alere et nutrire optarunt ; in Angelico Magistro voluerunt defigere totum suæ mentis obtutum, ab illo sapientiæ fonte sumere sitibundi pectoris haustum, ut in visceribus suis illius vitalis poculi vigore concepto, Angelicæ doctrinæ madore virentes, in alios distillantia fontis irrigui fluenta transfunderent : illam enim sapientiam quærere decreverunt, illam doctrinam totis visceribus ardenter amplecti, ex qua valerent sapere, vivere, ac per eam sine fine gaudere.

AD LECTOREM.

En, studiose Lector, post cursum Artium a Religiosissimo nostro Collegio Complutensi Patrum Discalceatorum B. Mariæ de Monte Carmeli diligentissime elaboratum, doctrina Divi Thomæ, undequaque refertum, et non nisi Angelicum Doctorem passim eructantem, cursum alterum, nempe Theologicum, juxta miram ejusdem Sanctissimi Præceptoris doctrinam tibi offerimus. Nam Theologica machina Philosophicis dogmatibus, quasi quibusdam fundamentis quodammodo fulcitur, et Thomistica Theologia, quam in hoc cursu trademus, Thomisticam Dialecticam, et Philosophiam sibi cohærentem exoptabat, et ita semel fundamentis Thomisticis a nostro Collegio Complutensi in suo cursu Artium jactis, merito Theologicus iste cursus in lucem prodit, et Theologica, ac Thomistica dogmata, Theologicamque ex Angelico Doctore desumptam molem superimponit, ut ejusdem Sacri Præceptoris mira, ac Angelica doctrina in utraque Academia, Complutensi scilicet, et Salmanticensi, et in utroque cursu, nimirum Artium, et Theologiæ Carmelitico ore hinc illinc sonet, et resonet. Unde licet duo isti cursus diversis manibus elaborati, et conscripti sint, re tamen vera in illis, ut nostrum Collegium Complutense in suis libris *de Anima* te, benevole Lector, admonuit, solummodo manus elaborantes, et conscribentes distinguendæ sunt, unica tamen in utroque cursu doctrina, unica in ambobus anima, et spiritus unicus ubique fons in eis scaturiens agnoscetur. Tum, quia in utroque sola Angelici Doctoris, ac Doctoris nostri doctrina, et vox, in qua Sanctorum Patrum voces ad unicam vocem redactæ, ac mirabili harmonia dispositæ sunt, iterum, atque iterum tamquam anima, spiritus, vita, et fons utriusque cursus intonabit. Tum etiam (id, quod ex præcedenti originem trahit) quia adeo impense, et sollicite cursus iste Theologicus in decisionibus Theologicis omnino ad cursum Artium nostri Collegii Complutensis consone tradendis incumbit, ut ex hoc capite diversæ manus utriusque Collegii satis difficulter : vox autem, et anima utramque manum movens, quippe omnino unica, nulla ratione discerni valeat. Quapropter in his duobus cursibus id vice versa accidet, quod Isaac jam jam morituro contigisse Sacra Scriptura testatur : Ibi enim invitatus Jacob ad epulas, ut eis peractis, illum benediceret, nequivit manus ejusdem Jacob hœdinis pellibus obtectas distinguere, bene tamen vocem, et ita exclamavit, dicens : *Vox quidem vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esau.* Hic autem e contra continget. Nam manus conscribentes distingui, et discerni, licet difficulter, poterunt, non tamen utriusque cursus vox, et doctrina, unde merito sic inclamare poteris : *Manus conscribentes hos Artium, et Theologiæ cursus utriusque Collegii Complutensis, et Salmantini duæ sane sunt, vox autem spiritualis Jacob, Angelici nimirum Doctoris, unica dumtaxat est.*

Hanc igitur, amice Lector, utriusque cursus unicam vocem benevolo, ac grato animo audias, precamur : et sicut dum primo tuis auribus in Artium cursu intonuit, non parum gratum ei præstitisti auditum ; ita modo dum hæc eadem vox iterum in hoc cursu Theologico sonat, et resonat, benignis auribus eam suscipe. Sic enim et tibi Angelici Doctoris, et Sanctorum Patrum vocem, quam cursus iste semper eructabit, benigne audiendo consules, et nos ad reliquos Tomos totius nostri cursus Theologici in lucem edendos fortiter, suaviter tamen, allicies. Vale.

COLLEGII
SALMANTICENSIS
FRATRUM
DISCALCEATORUM
BEATÆ MARIÆ DE MONTE CARMELI

CURSUS THEOLOGICUS.

Proœmium, & partitio totius Operis.

Num. 1. Quia Proœmium, et divisio totius operis non parum solet ad ejus intelligentiam conducere, ideo utrumque primo loco tradimus.

§ I.

Cur totum hoc opus Cursus Theologicus *inscribatur?*

Merito opus hoc : *Cursus Theologicus Summam Theologicam Angelici Doctoris D. Thom. complectens*, inscribitur. Nam sicut artium cursus, nuncupatur, *Cursus*, deducta metaphora ab actu currendi, quo celeriter pergimus, iter brevi tempore conficientes : et appellatur *Artium*, nomine hoc in latiori significatione accepto, prout quasdam philosophiæ partes complectitur, ideoque ut nomenclatura hæc non sit dissona rei, quæ per eam inscribitur, debent cuncta, quæ in eo discutiuntur breviter, et succincte, quantum commode fieri possit, tradi : ita totum hoc opus, *Cursus Theologicus* inscribitur. *Theologicus* quidem, quia tractatus de Deo, seu Theologici in eo continentur. *Cursus* vero, quia prædicti tractatus (licet varii, et diversi, ac alias satis diffusi, in quibus plusquam duodecim tomi consumi merito possent) relictis, tum pluribus adversariorum parvi momenti opinionibus : tum etiam non paucis exigui ponderis pro vera sententia rationibus, quæ ex D. Thom. visceribus non desumuntur, breviter, et succincte quantum materia, de qua agitur, et debita ejus divisio patitur, in sex tomos sicut cursus ille artium in quatuor, in hoc opere distribuuntur : ut ita omne hoc Theologicum iter alias longissimum, et itinere artium multo longius, latius, et profundius, non longo tempore peragi, et percurri pos-

sit : et sic totum hoc opus nomine cursus Theologici, sicut cursus ille artium cursus titulo, merito insigniatur.

Unde sicut in artium cursu illæ solum disputationes excitantur quæ in scholis communiter circumferuntur, quamvis dux earum Aristot. plura alia tetigerit : ita cursus iste Theologicus Summam Theologicam Angelici Doctoris complectens, muneri suo satisfaciet, si ex tota Summa Theologica ejusdem D. Thom. omnes illas quæstiones et articulos, quæ in scholis communiter agitari, et discipulis dictari solent, explicuerit, et tractatus, ac disputationes ad eorum exactiorem intelligentiam desiderata excitaverit, licet Theologiæ Princeps D. Thom. plura alia in sua Summa Theologica adduxerit. Nam quemadmodum in prædicto artium cursu (ut ita in adducto exemplo persistamus) discussis, et explicatis difficilioribus, omittuntur alia, vel quia secundum se facilia, vel quia etsi secundum se difficultatem ingerentia, attamen ex aliis difficilioribus, jam tamen explicatis, et a magistro acceptis, possunt facile, vel adhibito proprio, et modico labore addisci : ita in Theologico cursu, agitatis, et explicatis omnibus difficilioribus quæstionibus D. Tho. quæ in scholis communiter circumferuntur, tunc consulto aliæ omittentur, vel quia secundum se faciles, vel quia etsi secundum se difficiles, attamen semel discussis, ad examenque vocatis omnibus aliis jam dictis, facili negotio, vel proprio, ac temperato labore, ac sine magistri ope potest in earum intelligentiam deveniri.

§ II.

Cursus iste Theologicus, et cursus artium nostri Collegii Complutensis erunt inter se consoni, mutuoque se fovebunt.

2 Cæterum, quia cursus artium, et Theologicus, ita inter se coordinantur, ut ille præeat, et Theologico cursui viam paret; iste vero subsequatur, et sit veluti complementum, et forma alterius : ille sit quasi lucifer prænuntians istum, iste vero quia Theologicus, non quia noster, sit (ut sic dicamus) Sol post suum luciferum subsecutus : ita tamen ut unus alium, quamvis dispari ratione, foveat, et uterque ad peritum Theologum, veluti formandum, ille quidem adinstar dispositionis, iste vero per modum quasi formæ necessarius sit : propterea cursus hic Theologicus, quem cursus artium Collegii Complutensis nostræ Religionis præivit, cuique iter stravit, ita cum eo nectetur, mutuoque se ad invicem fovebunt, ut inter se omnino consoni, et pacem habentes sint : et quæ in artium cursu explicata, et agitata fuerunt, ex quibusque aliæ Theologicæ difficultates, vel omnino perspicuæ manent, vel facillimo negotio deducuntur, iterum in Theologico cursu ad examen non vocabuntur. Sicut etiam quæ ad artium cursum spectantia, et ibidem justas ob causas omissa fuerunt, quæque ad Theologicos tractatus valde conduxerint, ea in hoc Theologico cursu discutientur.

§ III.

Cur in hoc opere non incipitur ab explicatione primæ, et secundæ quæstionis 1 par. D. Tho., sed a tertia.

3 Hinc ergo plurium sufficiens redditur ratio. Primo quidem, cur in Theologico isto cursu priorem, et proœmialem quæstionem Angelici Doctoris, necnon et secundam ei annexam, intactam, et inexplicatam relinquimus. Nam quod in priori illa quæstione præcipue solet discuti, est, quodnam sit Theologiæ objectum ? an ipsa sit scientia ? et an una secundum speciem ? utrum sit una simplex qualitas ? an subalternetur scientiæ beatæ ? et quid ad hanc subalternationem desideretur ? et deinde quomodo cum subalternatione ad illam, et in evidentia principiorum, quam habet, stet eam vere esse scientiam ? et alia hujusmodi. At ista ex iis, quæ nostrum Collegium Complutense in sua Logica, disp. 19, per totam luculenter, et fuse adduxit, et peculiariter Sacræ Theologiæ applicuit, explicans, quomodo Deus sit ejus objectum, et habeat unitatem atomam, satis perspicue constant. Et propterea Theologicus iste cursus ab his iterum discutiendis abstinebit. Sicut etiam quia illa, quæ D. Thom. in 2 qu. adducit, sunt satis in se facilia, et expositione non indigentia, maxime suppositis iis, quæ in prædicta disp. a nostro Collegio Complutensi traduntur, et illis, quæ a nobis in hoc 1 tom. dicentur : ideo circa eam, peculiarem disputationem non instituemus.

4 Secundo vero ex dictis redditur ratio, cur cursum hunc Theologicum ab explicatione quæst. 3 Angelici Doctoris exordium sumit, et hoc quidem propter duo jam tacta.

tacta. Primo, quia post duas quæst. priores, quas ob rationem dictam intactas reliquimus, recto ordine hæc 3 qu. subsequitur. Et ideo semel illis relictis, huic specialem ingerenti difficultatem, peculiaremque tractatum ad sui explicationem exposcenti, primus locus debebatur. Deinde, quia in ea tangitur maxima illa controversia de principio individuationis substantiæ materialis, et accidentium illius, ac proinde de principio distinctionis pure individualis cujusvis entis : quæ a nostro Collegio Complutensi ob justas causas, et ut brevitati consuleret, consulto fuit omissa : quæque ad plures, et gravissimas difficultates valde conducit, et in scholis agitari solet. Et propterea cursus iste, qui cursum illum artium fovere, et ab eo foveri debuit, non potuit non hanc tertiam D. Thom. quæstionem, quoad hoc fuse explicare.

§ IV.

Unde totum hoc opus dividendum, et quid in primo, et secundo ejus tomo continebitur?

5 Tertio deinde ex dictis deducitur, cur, et quomodo Theologicus iste cursus, ex sex tomis integrandus, debeat dividi, et in diversa veluti membra secari. Nam, ut nuper dicebamus, objectum ejus est Deus : et quia participatio scientiæ debet esse juxta partitionem objecti, vel diversam ejus considerationem : idcirco juxta diversas, quas in Deo possumus excogitare rationes, cursus iste secandus erit. Deus igitur potest considerari, vel secundum se, vel ut dicit ordinem, aut quasi ordinem ad creaturas, ita quidem ut consideratio Dei secundum se præeat considerationem sui, ut quasi respicit creaturas : et ideo primo loco in nostro Theologico cursu de Deo secundum se agemus.

Quia vero ipse secundum se potest bifarie sumi, vel ut est Unus, vel ut Trinus : et ea, quæ ad Deum ut Unum spectant, sunt priora iis, quæ ad ipsum ut Trinum pertinent : idcirco prius de Deo ut Uno, quam de illo ut Trino sermo instituetur. Et ita hunc primum cursus nostri Theologici tomum Deo, ut Uno dabimus, et in eo quinque tractatus adjiciemus. Et in primo de Principio individuationis substantiæ materialis, et distinctionis pure individualis cujusvis entis, circa tertiam quæstionem hujus 1 par. D. Thom. disputabitur, ut ita de divina unitate, simplicitate, ac spirituallitate constet. Nam, ut D. Thom. hæc omnia explicet, quasi per antithesin, eam ante oculos proponit, explicando quomodo in hoc distinguitur substantia spiritualis, maxime vero divina, a substantia materiali, quod ista ex materia, ut ex prima radice individuatur; illa vero ex se ipsa : et rationes, quæ urgent ad ostendendum modum materialem individuationis ex materia petitum, convincunt opposito, et spiritualiori modo substantiam immaterialem, maxime vero Deum esse individuandum. In secundo vero de visibilitate Dei prout est in se ab intellectu creato, seu de visione Dei, una cum Angelico Doctore, q. 12. In tertio de scientia Dei, circa q. 14 sanctissimi Præceptoris. In quarto de voluntate Dei explicantes quæstionem 19 ejusdem D. Thom. In quinto tandem de prædestinatione una cum Angelico Doctore quæst. 23 suæ 1 part. sermo texetur. Nec de aliis attributis divinis peculiariter in hoc 1 tomo agetur, tum quia in scholis non solet communi usu hoc in speciali discuti, et discipulis dictari : tum etiam, quia quidquid circa alia attributa difficultatem ingeret, totum ex iis, quæ circa hæc Dei attributa jam insinuata dicemus, constabit.

6 Quia vero, ut dicebamus, in consideratione Dei secundum se, statim post Deum ut Unum, subsequitur ipse ut Trinus, ea de causa secundus tomus nostri cursus Theologici de Deo ut Trino, una cum D. Tho., a quæst. 27 usque ad quæst. 43 suæ 1 par., sermonem instituet. Nec ibi sistet, sed ad tractatum de Angelis, a qu. 50 ejusdem 1 par. usque ad qu. 64, et a qu. 106 usque ad 108, simul cum SanctissimPræceptore progredietur.

Ratio vero, propter quam post tractatum de Deo ut Trino, istum tractatum de Angelis adjiciemus, est, quia, ut supra asserebamus, post conceptum Dei secundum se, ut Unius, et Trini, recto ordine ad ipsum, ut dicit quasi ordinem ad creaturas, devenitur. Et quia iste quasi ordo est duplex, vel causæ efficientis, vel finalis, et ordo, aut quasi ordo causæ efficientis est prior quoad esse existentiæ simpliciter talis, nempe quoad esse existentiæ naturalis, et non solum intentionalis : propterea primo de Deo, ut est causa efficiens creaturarum agitur.

Et licet Deus possit considerari, vel secundum quod est causa creaturarum, non determinando in particulari, quarumnam fuerit causa, vel secundum quod est causa creaturarum in speciali, earum nimirum,

quas de facto produxit : quia tamen illud prius, nec solet in scholis communiter agitari, nec suppositis iis, quæ nostri Complutenses in lib. Physic. dixere, et aliis, quæ circa Deum, ut est causa creaturarum in particulari asseremus, nova indiget expositione : ideo licet de hoc D. Thom. ante quæstiones de Angelis egerit, nihilominus nos speciales disputationes circa rem istam in nostro 2 tom. non excitabimus : sed solum circa Deum ut est causa efficiens creaturarum in particulari, nempe Angelorum, ac proinde de ipsis Angelis ab eo procedentibus agemus. Et licet etiam de homine, et ejus anima plures possent moveri disputationes, et specialis de eo tractatus institui, ut mentem D. Tho. in hac 1 par., a quæst. 75 usque ad quæst. 90, explicaremus; quia tamen circa hoc plura satis luculenter nostrum Collegium Complutense in suo cursu Artium in lib. *de Anima* tradidit : idcirco nihil de hoc in nostro cursu Theologico ex professo dicetur.

§ V.

Quid in tertio, et quarto tomo tradetur.

7 Deinde tomum tertium considerationi Dei, ut est ultimus finis creaturæ rationalis, et beatitudo illius : necnon actibus humanis, sive bonis, sive malis, et peccaminosis, in communi tamen consideratis, quibus ad Deum ultimum finem pervenitur, vel ab eo receditur : ac tandem principio supernaturali bonorum actuum, quo vitam æternam meremur, nempe gratiæ, dabimus. Et ita tomus iste complectetur : tum tractatum de ultimo fine, et beatitudine, circa ea, quæ Divus Thom., a quæst. 1 suæ primæ secundæ usque ad quæst. 5, discutit, licet in his parum immorabimur : quia plurima ibidem contenta, ex his, quæ in hoc 1 tomo tractatu de visione Dei dicemus, constabunt. Tum etiam tractatum de actibus humanis in communi, circa quæstiones aliquas, in quibus Angelicus Doctor de eis in eadem prima secundæ agit. Tum deinde tractatum de peccatis, complectentem ea, quæ sanctissimus Præceptor ibidem, a quæst. 73 usque ad 89, disputat. Tum denique tractatum de gratia in communi, de gratia sanctificante, seu de justificatione, et merito, ac proinde continentem, et explicantem illa, quæ Angelicus Doctor, a quæst. 109 usque ad quæst. ultimam suæ primæ secundæ, nempe quæst. 114, adducit. Quamvis etiam forte ante tractatum de gratia, alium de legibus adjiciemus.

8 Quia vero post considerationem in communi eorum, quibus ad Deum ultimum finem pervenitur, vel ab eo receditur, restat consideratio eorum in particulari, quibus hoc ipsum fit : idcirco quartus tomus nostri cursus Theologici, de hoc ex professo disputabit. Et licet ad id exacte præstandum, necessarium esset de omnibus virtutibus, et vitiis in particulari agere; nihilominus in hoc 4 tomo solum de tribus virtutibus Theologicis, nempe fide, spe, et charitate sermo texetur : quia de his solum solent communiter in scholis tractatus, et disputationes agitari, et discipulis dictari. Maxime quia suppositis iis, quæ circa primam secundæ D. Thom. in 3 tom. dicentur, et illis, quæ in particulari circa has tres Theologicas virtutes in hoc 4 tomo in lucem edentur, facile, et absque magistri ope cæterorum notitia poterit haberi. Et ideo quartus iste nostri cursus Theologici tomus ea, quæ circa istas virtutes in D. Tho. in sua secunda secundæ tradit, quæque in scholis communiter edoceri, et dictari solent, complectetur, et explicabit.

§ VI.

Quid in quinto, et sexto tomo discutietur.

9 Cæterum, quia viam hanc virtutum, per quam ad cœlestem patriam recto tramite itur, et a qua peccando recessimus, Redemptor noster Christus, qui peccatores salvos facere venit, quique datus est in Ducem, et Præceptorem gentium, nobis in se ipso demonstravit : et per eum omnia beneficia, et dona gratiæ a Deo in nos derivantur : propterea ad consummationem totius Summæ Theologiæ oportuit, ut Angelicus Doctor de hoc Salvatore nostro, et beneficiis peculiaribus ejus pertractaret. Et ideo nos cum illo huic tanto nostræ salutis auctori quintum nostri cursus Theologici tomum dabimus, et in eo per diversos tractatus totam materiam Incarnationis, a quæst. 1 tertiæ par. D Thomæ usque ad 26 explicabimus.

10 Quia vero specialia organa, quibus Christus Dominus suam nobis gratiam communicat, sunt sacramenta, propterea Divus Thom. de his in genere agit, a quæst. 60 usque ad 65 suæ tertiæ partis, et postea de Baptismo, a quæst. 66 usque ad 71. De Confirmatione vero, quæst 72; de Eucharistia

charistia autem, a quæst. 73 usque ad 83. Quæstiones vero de Pœnitentia inchoavit a quæst. 84 et continuavit usque ad quæst. 90, quæ est de partibus Pœnitentiæ, licet morte præventus illas perficere non potuerit : sed quæ defuerunt usque ad consummationem operis, additæ sunt ab ejus discipulis ex aliis ejus scriptis : quæ ob hanc causam additiones ad tertiam partem nuncupantur : et in eis, a quæst. 1 usque ad 28, traduntur ea, quæ ad completum de Pœnitentia tractatum desiderabantur. Deinde a quæst. 29 usque ad 33 de Extrema Unctione, et de Ordine a quæst. 34 usque ad 40. Ac tandem de Matrimonio a quæst. 41 usque ad 68 agitur.

Unde hujus nostri cursus Theologici tomus sextus totus erit in explicatione Sacramentorum, per quæ tamquam per cœlestia quædam organa, et instrumenta, divina gratia a Christo in nos derivatur. Non tamen ideo in hoc ultimo tomo de omnibus Sacramentis agemus, sed solum de Sacramentis in genere, de Sacramento Eucharistiæ, et Pœnitentiæ : quoniam de Baptismo, de Confirmatione, de Ordine, et Extrema Unctione non solet in scholis communiter discuti, nec tractatus de his Sacramentis a magistris discipulis dictari. Sicut nec de Matrimonio solet communiter apud scholasticos Theologos tractatus institui, licet apud morales Theologos non modicæ disputationes circa illud excitentur. Nos autem cursum scholasticæ Theologiæ potius, quam moralis tradere intendimus : et propterea de Eucharistia, et Pœnitentia, in quibus quam plurimæ scholasticæ quæstiones involvuntur, in hoc nostro Theologico cursu sigillatim agemus. Quare non mirum, quod de Matrimonio, in quo pauca, vel nulla difficultatem novam ingerentia, et ad scholasticam Theologiam spectantia continentur, disputationes non texamus, maxime quia, ut sæpe diximus, semel traditis aliis tractatibus jam dictis, quæ in toto hoc cursu Theologico continentur, facile cuncta, quæ ad Theologiam moralem spectant, addiscentur, et ex Divo Thoma eruentur.

11 Ex quibus etiam fit, ut hoc ultimo tomo a nobis in lucem edito, nullus alius ad ea, quæ in 3 par. D. Thom. post quæstiones de Sacramentis traduntur, desideretur. Nam licet Sanctissimus Præceptor, a quæst. 69 usque ad 99, quæ est ultima additionum, in quaque finiuntur omnes quæstiones totius suæ summæ Theologicæ, egerit de pertinentibus ad resurrectionem corporum, et finalem statum, necnon et de morte, quæ resurrectionem præcedit, et de judicio finali, quod subsequitur, de præmiis et pœnis resurgentium; nihilominus, quia aliqua ex his, constabunt ex illis, quæ in hoc 1 tomo tract. de visione Dei, et 3 tom. trac. de beatitudine dicentur : et alia ad scholasticas scholas non solent vocari : idcirco a sermone de eis faciendo abstinebimus et in hoc 6 tomo totus noster Theologicus cursus finietur.

§ VII.

Duces hujus nostri cursus assignantur, et simul cur a nostri Complut. Collegii artium cursu non dissidebit, amplius explicatur.

12 In eo tamen, ut jam innuimus, duo semper ante oculos habebimus. Primum quidem, ut vox Sanctorum Patrum, præcipue vero August. et D. Thom. semper in ipso sonet, et resonet : semper eorum doctrinam floridam, et uberem eructet : semper de eorum limpidissimo, et dulcissimo fonte bibat, et aquas semel inde bibitas refundat. Non enim profundissimum hoc Theologiæ pelagus, nisi ipsis ducibus transfretare aliquis poterit. Secundum vero, ut cuncta, quæ in hoc cursu Theologico discutientur, semper sint valde consona ad ea, quæ in suo cursu artium Collegium Complutense sacri Ordinis nostri nuper edidit. Cum enim, tam iste, quam ille cursus ex visceribus Divi Thomæ haustus sit, et viscera Angelici Doctoris sibi ipsis non contradicant, sed inter se mirabili nexu cohæreant; nec cursus artium, et iste Theologicus sibi contradicent, sed amicabili fœdere, et intimæ pacis osculo se invicem osculabuntur.

QUÆSTIO III

DIVI THOMÆ

De simplicitate Dei.

Cognito de aliquo an sit? inquirendum restat, quomodo sit? ut sciatur de eo quid sit. Sed quia de Deo scire non possumus quid sit, sed quid non sit, non possumus considerare de Deo quomodo sit, sed potius quomodo non sit.

ARTICULUS I.

Utrum Deus sit corpus?

1 Ad primum sic proceditur. Videtur, quod Deus sit corpus; corpus enim est, quod habet trinam dimensionem : sed sacra Scriptura attribuit Deo trinam dimensionem : dicitur enim Job 11 : *Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? longior terra mensura ejus, et latior mari* : ergo Deus est corpus.

2 Præterea, omne figuratum est corpus : cum figura sit qualitas circa quantitatem : sed Deus videtur esse figuratus, cum scriptum sit Genes. 1 : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram* : figura enim imago dicitur, secundum illud Heb. 1 : *Cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus* : id est, imago : ergo Deus est corpus.

3 Præterea, omne quod habet partes corporeas est corpus : sed Scriptura attribuit Deo partes corporeas : dicitur enim Job 41 : *Si habes brachium ut Deus* : et in Psalm. : *Oculi Domini super justos* : et *dextera Domini fecit virtutem* : ergo Deus est corpus.

4 Præterea, situs non convenit nisi corpori : sed ea, quæ ad situm pertinent, in Scripturis dicuntur de Deo : dicitur enim Isaiæ 6 : *Vidi Dominum sedentem*, et Isaiæ 3 : *Stat ad judicandum Dominus* : ergo Deus est corpus.

5 Præterea, nihil potest esse terminus localis *a quo* vel *ad quem*, nisi sit corpus, vel aliquod corporeum : sed Deus in Scriptura dicitur esse terminus localis, ut *ad quem*, secundum illud Psalm. : *Accedite ad eum, et illuminamini*, et ut *a quo*, secundum illud Jerem. 17 : *Recedentes a te in terra scribentur* : ergo Deus est corpus.

Sed contra est, quod dicitur Joan. 4 : *Spiritus est Deus.*

Respondeo dicendum, absolute Deum non esse corpus, quod tripliciter ostendi potest.

Primo quidem, quia nullum corpus movet non motum, ut patet inducendo per singula : ostensum est autem supra, quod Deus est primum movens immobile : unde manifestum est, quod Deus non est corpus.

Secundo : quia necesse est id, quod est primum ens, esse in actu, et nullo modo in potentia : licet enim in uno, et eodem, quod exit de potentia in actum, prius sit potentia, quam actus tempore, simpliciter tamen actus prior est potentia : quia quod est in potentia, non reducitur in actum, nisi per ens actu : ostensum est autem supra quod Deus est primum ens : impossibile est igitur, quod in Deo sit aliquid in potentia : omne autem corpus est in potentia : quia continuum in quantum hujusmodi divisibile est in infinitum : impossibile est igitur, Deum esse corpus.

Tertio : quia Deus est id, quod est nobilissimum in entibus, ut ex dictis patet : impossibile est autem, aliquod corpus esse nobilissimum in entibus : quia corpus, aut est vivum, aut non vivum. Corpus autem vivum manifestum est, quod est nobilius corpore non vivo : corpus autem vivum non vivit in quantum corpus : quia sic omne corpus viveret : oportet igitur, quod vivat per aliquid aliud, sicut corpus nostrum vivit per animam. Illud autem, per quod vivit corpus, est nobilius quam corpus. Impossibile est igitur, Deum esse corpus.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut supra dictum est, sacra Scriptura tradit nobis spiritualia, et divina sub similitudinibus corporalium. Unde, cum trinam dimensionem Deo attribuit sub similitudine quantitatis corporeæ, quantitatem virtualem ipsius designat, utpote per profunditatem, virtutem ad cognoscendum occulta : per altitudinem, excellentiam virtutis super omnia : per longitudinem, durationem sui esse : per latitudinem, affectum dilectionis ad omnia. Vel, ut dicit Dionys. 9 cap. de div. nom., per profunditatem Dei, intelligitur incomprehensibilitas ipsius essentiæ; per longitudinem, processus virtutis ejus omnia penetrantis : per latitudinem vero, superextensio ejus ad omnia, in quantum scilicet sub ejus protectione omnia continentur.

Ad secundum, dicendum, quod homo dicitur esse ad imaginem Dei, non secundum corpus, sed secundum id, quo homo excellit alia animalia : unde sequitur Genes. 1, postquam dictum est : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris*, etc., excellit autem homo omnia animalia quantum ad rationem, et intellectum : unde secundum intellectum, et rationem, quæ sunt incorporea, homo est ad imaginem Dei.

Ad tertium, dicendum, quod partes corporeæ attribuuntur Deo in Scripturis, ratione suorum actuum secundum quamdam similitudinem. Sicut actus oculi est videre : unde oculus de Deo dictus significat virtutem ejus ad videndum, modo intelligibili, non sensibili : et simile est de aliis partibus.

Ad quartum, dicendum, quod etiam ea, quæ ad situm pertinent, non attribuuntur Deo, nisi secundum quamdam similitudinem, sicut dicitur sedens propter suam immobilitatem, et authoritatem, et stans propter suam fortitudinem ad debellandum omne, quod adversatur.

Ad quintum, dicendum, quod ad Deum non acceditur passibus corporalibus, cum ubique sit : sed affectibus mentis, et eodem modo ab eo receditur : et sic accessus, et recessus sub similitudine localis motus designat spiritualem affectum.

ARTICULUS II.

ARTICULUS II.

Utrum in Deo sit compositio formæ et materiæ?

1 Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod in Deo sit compositio formæ, et materiæ. Omne enim, quod habet animam, est compositum ex materia, et forma : quia anima est forma corporis : sed Scriptura attribuit animam Deo. Introducitur enim ad Hebræos 10, ex persona Dei : *Justus autem meus ex fide vivit : quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ ;* ergo Deus est compositus ex materia, et forma.

2 Præterea, ira, gaudium, et hujusmodi sunt passiones conjuncti, ut dicitur 1 de anima ; sed hujusmodi attribuuntur Deo in Scriptura. Dicitur enim in Psal. : *Iratus furore Dominus in populum suum ;* ergo Deus ex materia, et forma est compositus.

3 Præterea, materia est principium individuationis : sed Deus videtur esse individuum : non enim de multis prædicatur : ergo est compositus ex materia, et forma.

Sed contra, omne compositum ex materia, et forma est corpus : quantitas enim dimensiva est, quæ primo inhæret materiæ ; sed Deus non est corpus, ut ostensum est : ergo Deus non est compositus ex materia, et forma.

Respondeo dicendum, quod impossibile est in Deo esse materiam.

Primo quidem : quia materia est id, quod est in potentia : ostensum est autem, quod Deus est purus actus non habens aliquid de potentialitate : unde impossibile est, quod Deus sit compositus ex materia, et forma.

Secundo : quia omne compositum ex materia, et forma, est perfectum, et bonum per suam formam : unde oportet, quod sit bonum per participationem, secundum quod materia participat formam. Primum autem, quod est bonum, et optimum, quod Deus est, non est bonum per participationem : quia bonum per essentiam prius est bono per participationem ; unde impossibile est, quod Deus sit compositus ex materia, et forma.

Tertio : quia unumquodque agens agit per suam formam ; unde secundum quod aliquid se habet ad suam formam, sic se habet ad hoc, quod sit agens ; quod igitur primum est, et per se agens, oportet, quod sit primo, et per se forma : Deus autem est primum agens, cum sit prima causa efficiens, ut ostensum est. Est igitur per essentiam suam forma, et non compositus ex materia, et forma.

Ad primum ergo dicendum, quod anima attribuitur Deo per similitudinem actus, quod enim volumus aliquid nobis, ex anima nostra est : unde illud dicitur esse placitum animæ Dei, quod est placitum voluntati ipsius.

Ad secundum dicendum, quod ira, et hujusmodi attribuuntur Deo secundum similitudinem effectus : quia enim proprium est irati punire, ejus ira punitio metaphorice vocatur.

Ad tertium dicendum, quod formæ, quæ sunt receptibiles in materia individuantur per materiam, quæ non potest esse in alio, cum sit primum subjectum substans. Forma vero quantum est de se, nisi aliquid aliud impediat, recipi potest a pluribus ; sed illa forma, quæ non est receptibilis in materia, sed est per se subsistens, ex hoc ipso individuatur, quod non potest recipi in alio, et hujusmodi forma est Deus : unde non sequitur, quod habeat materiam.

Conclusio utriusque articuli est negativa.

ARTICULUS III.

Utrum sit idem Deus, quod sua essentia, vel natura ?

1 Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod non sit idem Deus, quod sua essentia, vel natura ; nihil enim est in se ipso : sed essentia, vel natura Dei, quæ est deitas, dicitur esse in Deo : ergo videtur, quod Deus non sit idem, quod sua essentia, vel natura.

2 Præterea effectus assimilatur suæ causæ, quia omne agens agit sibi simile : sed in rebus creatis non est idem suppositum, quod sua natura : non enim idem est homo, quod sua humanitas ; ergo nec Deus est idem, quod sua deitas.

Contra de Deo dicitur, quod est vita, et non solum, quod est vivens, ut patet Joan. 14 : *Ego sum via, veritas, et vita.* Sicut autem se habet vita ad viventem, ita deitas ad Deum ; ergo Deus est ipsa deitas.

Respondeo dicendum, quod Deus est idem, quod sua essentia, vel natura. Ad cujus intellectum sciendum est, quod in rebus compositis ex materia, et forma necesse est, quod differant natura, vel essentia, et suppositum : quia essentia, vel natura comprehendit in se illa tantum, quæ cadunt in diffinitione speciei. Sicut humanitas comprehendit in se ea, quæ cadunt in diffinitione hominis : his enim homo est homo : et hoc significat humanitas, hoc scilicet, quo homo est homo : sed materia individualis cum accidentibus omnibus individuantibus ipsam non cadit in diffinitione speciei : non enim cadunt in diffinitione hominis hæc carnes, et hæc ossa, aut albedo, vel nigredo, vel aliqua hujusmodi: unde hæc carnes, hæc ossa, et accidentia designantia hanc materiam non concluduntur in humanitate ; et tamen in eo, quod est homo, includuntur : unde id, quod est homo, habet in se aliquid, quod non habet humanitas : et propter hoc non est totaliter idem, homo, et humanitas : sed humanitas significatur, ut pars formalis hominis ; quia principia diffinientia habent se formaliter respectu materiæ individuantis : in his igitur, quæ non sunt composita ex materia, et forma, in quibus individuatio non est per materiam individualem, id est per hanc materiam, sed ipsæ formæ per se individuantur, oportet quod ipsæ formæ sint supposita subsistentia : unde in eis non differt suppositum, et natura. Et sic, cum Deus non sit compositus ex materia, et forma, ut ostensum est, oportet quod Deus sit sua deitas, sua vita, et quidquid aliud sic de Deo prædicatur.

Ad primum ergo dicendum, quod de rebus simplicibus loqui non possumus, nisi per modum compositorum, a quibus cognitionem accipimus, et ideo de Deo loquentes utimur nominibus concretis, ut significemus ejus subsistentiam : quia apud nos non subsistunt nisi composita, et utimur nominibus abstractis, ut significemus ejus simplicitatem. Quod ergo dicitur deitas, vel vita, vel aliquid hujusmodi esse in Deo, referendum est ad diversitatem, quæ est in acceptatione intellectus nostri, et non ad aliquam diversitatem rei.

Ad secundum dicendum, quod effectus Dei imitantur ipsum non perfecte, sed secundum quod possunt, et hoc ad defectum imitationis pertinet, quod id, quod est simplex, et unum, non potest repræsentari, nisi per multa : et sic accidit in eis compositio, ex qua provenit, quod in eis non est idem suppositum, quod natura.

Concusio est affirmativa.

ARTICULUS IV.

Utrum in Deo sit idem essentia, et esse ?

1 Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod in Deo non sit idem essentia, et esse : si enim hoc sit, tunc ad esse divinum nihil additur : sed esse, cui nulla sit additio, est esse commune, quod de omnibus prædicatur : sequitur ergo, quod Deus sit ens commune prædicabile de omnibus. Hoc autem est falsum secundum illud Sapientiæ 14 : *Incommunicabile nomen lignis, et lapidibus imposuerunt ;* ergo esse Dei non est ejus essentia.

2 Præterea, de Deo scire possumus an sit, ut supra dictum est ; non autem possumus scire quid sit : ergo non est idem esse Dei, et quod quid est ejus, sive quidditas, vel natura.

Sed contra est, quod Hilar. dicit in 6 de Trinitate : Esse non est accidens in Deo, sed subsistens veritas : id ergo, quod subsistit in Deo, est suum esse.

Respondeo dicendum, quod Deus non solum est sua essentia, ut ostensum est, sed etiam suum esse ; quod quidem multipliciter ostendi potest.

Primo quidem : quia quidquid est in aliquo, quod est præter essentiam ejus, oportet esse causatum, vel a principiis essentiæ, sicut accidentia propria consequentia speciem, ut risibile consequitur hominem, et causatur ex principiis essentialibus speciei, vel ab aliquo exteriori, sicut calor in aqua causatur ab igne : si igitur ipsum esse rei sit aliud ab ejus essentia, necesse est, quod esse illius rei, vel sit causatum ab aliquo exteriori, vel a principiis essentialibus ejusdem rei : impossibile est autem, quod esse sit causatum tantum ex principiis essentialibus rei : quia nulla res sufficit, quod sit sibi causa essendi, si habeat esse causatum : oportet ergo, quod illud cujus esse

est aliud ab essentia sua, habeat esse causatum ab alio. Hoc autem non potest dici de Deo : quia Deum dicimus esse primam causam efficientem. Impossibile est ergo, quod in Deo sit aliud esse, et aliud ejus essentia.

Secundo : quia esse est actualitas omnis formæ, vel naturæ : non enim bonitas, vel humanitas significatur in actu, nisi prout significamus eam esse : oportet igitur, quod ipsum esse comparetur ad essentiam, quæ est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam : cum igitur in Deo nihil sit potentiale, ut ostensum est supra, sequitur, quod non sit aliud in eo essentia, quam suum esse : sua igitur essentia est suum esse.

Tertio : quia sicut illud, quod habet ignem, et non est ignis, est ignitum per participationem ; ita illud, quod habet esse, et non est esse, est ens per participationem : Deus autem est sua essentia, ut ostensum est : si igitur non sit suum esse, erit ens per participationem, et non per essentiam : non erit ergo primum ens, quod absurdum est dicere : est igitur Deus suum esse, et non solum sua essentia.

Ad primum ergo dicendum, quod aliquid, cui non fit additio, potest intelligi dupliciter : uno modo, ut de ratione ejus sit, quod non fiat ei additio. Sicut de ratione animalis irrationalis est, ut sit sine ratione. Alio modo intelligitur aliquid, cui non fit additio : quia non est de ratione ejus, quod sibi fiat additio, sicut animal commune est sine ratione : quia non est de ratione animalis communis, ut habeat rationem, sed nec de ratione ejus est, ut careat ratione. Primo igitur modo esse sine additione, est esse divinum : secundo modo esse sine additione, est esse commune.

Ad secundum dicendum, quod esse dupliciter dicitur : uno modo significat actum essendi : alio modo significat compositionem propositionis, quam anima adinvenit conjungens prædicatum subjecto. Primo igitur modo accipiendo esse, non possumus scire esse Dei, sicut nec ejus essentiam, sed solum secundo modo. Scimus enim quod hæc propositio, quam formamus de Deo, cum dicimus, Deus est, vera est : et hoc scimus ex ejus effectibus, ut supra dictum est.

Conclusio est affirmativa.

ARTICULUS V.

Utrum Deus sit in genere aliquo ?

1 Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod Deus sit in genere aliquo. Substantia enim est ens per se subsistens : hoc autem maxime convenit Deo : ergo Deus est in genere substantiæ.

2 Præterea, unumquodque mensuratur per aliquid sui generis, sicut longitudines per longitudinem, et numeri per numerum : sed Deus est mensura omnium substantiarum, ut patet per Commentatorem 10 Metaphys. : ergo Deus est in genere substantiæ.

Sed contra, genus est prius secundum intellectum, eo, quod in genere continetur : sed nihil est prius Deo, nec secundum rem, nec secundum intellectum : ergo Deus non est in aliquo genere.

Respondeo dicendum, quod aliquid est in genere dupliciter : uno modo simpliciter, et proprie, sicut species, quæ sub genere continentur ; alio modo per reductionem, sicut principia, et privationes, sicut punctus, et unitas reducuntur ad genus quantitatis, sicut principia ; cæcitas autem, et omnis privatio reducuntur ad genus sui habitus : neutro autem modo Deus est in genere.

Quod enim non possit esse species alicujus generis, tripliciter ostendi potest.

Primo quidem : quia species constituitur ex genere, et differentia : semper autem id, a quo sumitur differentia constituens speciem, se habet ad illud unde sumitur genus, sicut actus ad potentiam : animal enim sumitur a natura sensitiva per modum concretionis. Hoc enim dicitur animal, quod naturam sensitivam habet : rationale vero sumitur a natura intellectiva : quia rationale est, quod naturam intellectivam habet : intellectivum autem comparatur ad sensitivum, sicut actus ad potentiam, et similiter manifestum est in aliis : unde cum in Deo non adjungatur potentia actui, impossibile est, quod sit in genere tanquam species.

Secundo : quia cum esse Dei sit ejus essentia, ut ostensum est, si Deus esset in aliquo genere, oporteret, quod genus ejus esset ens : nam genus significat essentiam rei, cum prædicetur in eo, quod quid est. Ostendit autem Philosophus in 3 Metaphys. quod ens non potest esse genus alicujus : omne enim genus habet differentias, quæ sunt extra essentiam generis : nulla autem differentia posset inveniri, quæ esset extra ens : quia non ens non potest esse differentia : unde relinquitur, quod Deus non sit in genere.

Tertio : quia omnia, quæ sunt in genere uno, communicant in quidditate, vel essentia generis, quod prædicatur de eis in eo, quod quid est : differunt autem secundum esse. Non enim idem est esse hominis, et equi, nec hujus hominis, et illius hominis, et sic oportet, quod quæcumque sunt in genere, differant in eis esse, et quod quid est, id est, essentia. In Deo autem non differt, ut ostensum est : unde manifestum est, quod Deus non est in genere sicut species.

Ex hoc patet, quod non habet genus, neque differentiam, neque est diffinitio ipsius, neque demonstratio, nisi per effectum : quia diffinitio est ex genere, et differentia ; demonstrationis autem medium est diffinitio.

Quod autem Deus non sit in genere per reductionem, ut principium, manifestum est ex eo, quod principium, quod reducitur in aliquod genus, non se extendit ultra genus illud : sicut punctum non est principium, nisi quantitatis continuæ, et unitas quantitatis discretæ. Deus autem est principium totius esse, ut infra ostenditur ; unde non continetur in aliquo genere, sicut principium.

Ad primum ergo dicendum, quod substantiæ nomen non significat hoc solum, quod est per se esse : quia hoc, quod est esse, non potest per se esse genus, ut ostensum est : sed significat essentiam, cui competit sic esse, id est, per se esse : quod tamen esse non est ipsa ejus essentia, et sic patet, quod Deus non est in genere substantiæ.

Ad secundum dicendum, quod objectio illa procedit de mensura proportionata : hanc enim oportet esse homogeneam mensurato : Deus autem non est mensura proportionata alicui : dicitur tamen mensura omnium, ex eo, quod unumquodque tantum habet de esse, quantum ei appropinquat.

Conclusio est negativa.

ARTICULUS VI.

Utrum in Deo sint aliqua accidentia ?

1 Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod in Deo sint aliqua accidentia. Substantia enim nulli est accidens, ut dicitur in 1 Physic. : quod ergo in uno est accidens, non potest in alio esse substantia ; sicut probatur, quod calor non sit forma substantialis ignis ; quia in aliis est accidens : sed sapientia, virtus, et hujusmodi, quæ in nobis sunt accidentia, Deo attribuuntur : ergo et in Deo sunt accidentia.

2 Præterea, in quolibet genere est unum primum ; multa autem sunt genera accidentium. Si igitur prima illorum generum non sunt in Deo, erunt multa prima extra Deum ; quod est inconveniens.

Sed contra ; omne accidens in subjecto est ; Deus autem non potest esse subjectum ; quia forma simplex non potest esse subjectum, ut dicit Boet. in lib. de Trinit. : ergo in Deo non potest esse accidens.

Respondeo dicendum, quod secundum præmissa manifeste apparet, quod in Deo accidens esse non possit.

Primo quidem : quia subjectum comparatur ad accidens, sicut potentia ad actum : subjectum enim secundum accidens est aliquo modo in actu. Esse autem in potentia omnino removetur a Deo, ut ex prædictis patet.

Secundo : quia Deus est suum esse, ut Boet. dicit in lib. de Hebdom. ; et licet id, quod est aliquid, aliud possit habere adjunctum, tamen ipsum esse nihil aliud adjunctum habere potest : sicut, quod est calidum potest habere aliquid extraneum, quam calidum, ut albedinem : sed ipse calor nihil habet, præter calorem.

Tertio : quia omne, quod est per se, prius est eo, quod est per accidens : unde cum Deus sit simpliciter primum ens, in eo non potest esse aliquid per accidens ; sed nec accidentia per se in eo esse possunt, sicut risibile est per se accidens hominis : quia hujusmodi accidentia causantur ex principiis subjecti. In Deo autem nihil potest esse.

esse causatum, cum sit causa prima : unde relinquitur, quod in Deo nullum sit accidens.

Ad primum ergo dicendum, quod virtus, et sapientia non univoce dicuntur de Deo, et de nobis, ut infra patebit : unde non sequitur, quod accidentia sint in Deo, sicut in nobis.

Ad secundum dicendum, quod cum substantia sit prior accidentibus, principia accidentium reducuntur in principia substantiæ, sicut in priora, quamvis Deus non sit primum contentum in genere substantiæ, sed primum extra omne genus respectu totius esse.

Conclusio est negativa.

ARTICULUS VII.

Utrum Deus sit omnino simplex?

1 Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod Deus non sit omnino simplex. Ea enim, quæ sunt a Deo, imitantur ipsum : unde a primo ente sunt omnia entia, et a primo bono sunt omnia bona : sed in rebus, quæ sunt a Deo, nihil est omnino simplex : ergo Deus non est omnino simplex.

2 Præterea, omne, quod est melius, Deo attribuendum est : sed apud nos composita sunt meliora simplicibus : sicut corpora mixta elementis, et animalia plantis : ergo non est dicendum, quod Deus sit omnino simplex.

Sed contra est, quod Augustinus dicit sexto de Trinitate, quod Deus vere, et summe simplex est.

Respondeo dicendum, quod Deum omnino esse simplicem, multipliciter potest esse manifestum.

Primo quidem per supra dicta in quæstione : cum enim in Deo non sit compositio, neque quantitativarum partium, quia corpus non est, neque compositio formæ, et materiæ, neque in eo sit aliud natura, et suppositum, neque aliud essentia : et esse, neque in eo sit compositio generis, et differentiæ, neque subjecti, et accidentis, manifestum est, quod Deus nullo modo compositus est, sed est omnino simplex.

Secundo : quia omnem compositum est posterius suis componentibus, et dependens ex eis; Deus autem est primum ens, ut supra ostensum est.

Tertio : quia omne compositum causam habet : quæ enim secundum se diversa sunt, non conveniunt in aliquod unum, nisi per aliquam causam adunantem ipsa; Deus autem non habet causam, ut supra ostensum est, cum sit prima causa efficiens.

Quarto : quia in omni composito oportet esse potentiam, et actum, quod in Deo non est : quia, vel una partium est actus respectu alterius; vel saltem omnes partes sunt sicut in potentia respectu totius.

Quinto : quia omne compositum est aliquid, quod non convenit alicui suarum partium, et quidem in totis dissimilium partium manifestum est; nulla enim partium hominis est homo; neque aliqua partium pedis est pes. In totis vero similium partium, licet aliquid, quod dicitur de toto, dicatur de parte, sicut pars aeris est aer, et aquæ aqua : aliquid tamen dicitur de toto, quod non convenit alicui partium : non enim si tota aqua est bicubita, et pars ejus. Sic igitur in omni composito est aliquid, quod non est ipsum : hoc autem, etsi possit dici de habente formam, quod scilicet habeat aliquid, quod non est ipsum : puta in albo est aliquid, quod non pertinet ad rationem albi : tamen in ipsa forma nihil est alienum; unde cum Deus sit ipsa forma, vel potius ipsum esse, nullo modo compositus esse potest. Et hanc rationem tangit Hilarius de Trinit. dicens : Deus, qui virtus est ex infirmis non continetur, neque qui lux est ex obscuris coaptatur.

Ad primum dicendum, quod ea, quæ sunt a Deo, imitantur Deum, sicut causata primam causam. Est autem hoc de ratione causati, quod sit aliquo modo compositum; quia ad minus esse ejus est aliud, quam quod quid est, ut infra patebit.

Ad secundum dicendum, quod apud nos composita sunt meliora simplicibus; quia perfectio bonitatis creaturæ non invenitur in uno simplici; sed in multis; sed perfectio divinæ bonitatis invenitur in uno simplici, ut infra ostenditur.

Conclusio est affirmativa.

ARTICULUS VIII.

Utrum Deus in compositionem aliorum veniat?

1 Ad octavum sic proceditur. Videtur, quod Deus in compositionem aliorum veniat. Dicit enim Dionys. 4 cap. Cœlest. hierarch. : Esse omnium est, quæ super esse est deitas : sed esse omnium intrat compositionem uniuscujusque : ergo Deus in compositionem aliorum venit.

2 Præterea, Deus est forma : dicit enim Augustin. in lib. de Verb. Domini, quod Verbum Dei, quod est Deus, est forma quædam non formata : sed forma est pars compositi : ergo Deus est pars alicujus compositi. Serm. 38 sup illud: *In principio erat Verbum*, tom. 10.

3 Præterea, quæcunque sunt, et nullo modo differunt, sunt idem : sed Deus, et materia prima sunt, et nullo modo differunt : ergo penitus sunt idem : sed materia prima intrat compositionem rerum : ergo et Deus. Probatio mediæ. Quæcumque differunt, aliquibus differentiis differunt, et ita oportet ea esse composita : sed Deus, et materia prima sunt omnino simplicia : ergo nullo modo differunt.

Sed contra est, quod dicit Dionys. 2 cap. de div. nom., quod neque tactus est ejus, scilicet Dei : neque alia quædam ad partes commiscendas communio.

Præterea dicitur in lib. de causis, quod causa prima regit omnes res præterquam commisceatur eis.

Respondeo dicendum, quod circa hoc fuerunt tres errores. Quidam enim posuerunt, quod Deus esset anima mundi, ut patet per Augustin. lib. 7 de Civit. Dei : et ad hoc etiam reducitur, quod quidam dixerunt, Deum esse animam primi cœli. Alii autem dixerunt, Deum esse principium formale omnium rerum, et hæc dicitur fuisse opinio Almarianorum. Sed tertius error fuit David de Dinando, qui stultissime posuit, Deum esse materiam primam. Omnia enim hæc manifestam continent falsitatem : neque est possibile Deum aliquo modo in compositionem alicujus venire, nec sicut principium formale, nec sicut principium materiale.

Primo quidem : quia supra diximus, Deum esse primam causam efficientem. Causa autem efficiens cum forma rei factæ non incidit in idem numero, sed solum in idem specie, homo enim generat hominem. Materia vero cum causa efficiente non incidit in idem numero, nec in idem specie : quia hoc est in potentia, illud vero in actu.

Secundo : quia cum Deus sit prima causa efficiens, ejus est primo, et per se agere; quod autem venit in compositionem alicujus, non est primo, et per se agens, sed magis compositum; non enim manus agit, sed homo per manum, et ignis calefacit per calorem : unde Deus non potest esse pars alicujus compositi.

Tertio : quia nulla pars compositi potest esse simpliciter prima in entibus, neque etiam materia, et forma, quæ sunt primæ partes compositorum : nam materia est in potentia : potentia autem est posterior actu simpliciter, ut ex dictis patet : forma autem, quæ est pars compositi, est forma participata : sicut autem participans est posterius eo, quod est per essentiam : ita et ipsum participatum, sicut ignis in ignitis est posterior eo, quod est per essentiam. Ostensum est autem, quod Deus est primum ens simpliciter.

Ad primum ergo dicendum, quod deitas dicitur esse omnium effective, et exemplariter, non autem per essentiam.

Ad secundum dicendum, quod Verbum est forma exemplaris, non autem forma, quæ est pars compositi.

Ad tertium dicendum, quod simplicia non differunt aliquibus aliis differentiis, hoc enim compositorum est : homo enim, et equus differunt rationali, et irrationali differentiis : quæ quidem differentiæ non differunt amplius ab invicem aliis differentiis : unde si fiat vis in verbo, non proprie dicuntur differre, sed diversa esse : unde secundum Philosophum 10 Metaphys., diversum absolute dicitur, sed omne differens aliquo differt : unde si fiat vis in verbo, materia prima, et Deus non differunt, sed sunt diversa se ipsis : unde non sequitur, quod sint idem.

Conclusio est negativa.

Notationes circa omnes articulos hujus tertiæ quæstionis Divi Thomæ.

In primis ergo ex iis, quæ in Proœmio hujus operis diximus, satis constat, cur cursus hic Theologicus a qu. 3 hujus 1 par. D. Thomæ incipiat : et ideo quoad hoc nihil modo dicendum superest.

Deinde advertendum est, quod circa quæstionem hanc D. Thom. plura possent in dubium vocari. Primum quidem, an Deus sit corpus, et compositus ex materia, et forma? Secundum vero, an sit idem, quod sua essentia, vel natura? necnon, et idem quod sua existentia? Tertium, an sit in genere aliquo? Quartum vero, an sit in se simplex? et an possit in compositionem aliorum venire? Quintum, an in illo sint aliqua accidentia? Sextum, an se ipso individuetur? Septimum denique, an substantiæ materiales ex materia tanquam ex primo principio suæ individuationis individuentur? Quia ut in Proœmio dicebamus, inde probat D. Thomas, Deum se ipso esse individuum, et non ex materia : quia in hoc distinguuntur substantiæ spirituales a materialibus, quod illæ ex se, istæ vero ex materia, ut ex prima radice individuantur. Cæterum, quia de primo, secundo, quarto, et quinto, ex iis quæ in tractatu de Scientia, et Voluntate Dei dicemus, de tertio ex illis, quæ nostrum Collegium Complutense in 3 Physic. tradidit constare poterit, propterea, solum de sexto, et septimo aliquid dicendum restat. At vero, quia de sexto nulla est specialis difficultas, sed solum de septimo, et quæ circa illud tradenda erant, consulto a nostro Collegio Complutensi ob justas causas omissum est, idcirco propter illa, quæ in Proœmio hujus operis numero secundo tradidimus, in explicationem hujus quæst. unicum tantum modo tractatum instituemus : in quo de principio individuationis substantiæ materialis : et accidentium ejus, ac proinde de principio distinctionis pure individualis agemus. Nam sola materia, quæ est principium individuationis respectu substantiæ materialis, ut ex infra dicendis patebit, potest esse prædictæ distinctionis prima radix, et origo : ut inde etiam colligatur, quomodo Deus se ipso individuetur, et nequeat ab alio per distinctionem pure individualem distingui.

TRACTATUS

TRACTATUS

PRIMUS.

De principio individuationis substantiæ materialis, et accidentium ejus.

Ut complete tradatur principium individuationis rerum materialium, placuit in hoc Tractatu discutere, tam de principio individuationis substantiæ materialis, quam accidentium ejus.

DISPUTATIO I.

De principio individuationis substantiæ materialis, et accidentium ejus.

Quia substantia materialis dignitate præit sua accidentia, et ejus individuatio est radix individuationis eorumdem accidentium : idcirco primo loco de principio individuationis prædictæ substantiæ disputamus.

DUBIUM I.

Utrum forma substantialis se ipsa sit individua, et primum principium individuationis, et distinctionis pure individualis totius compositi?

Notandum. Nazarius. Gonzalez.

1 Pro tituli intelligentia notandum est cum Nazario, 1 parte, quæst. 3, art. 2, controvers. unica; Gonzalez, quæst. 11, disp. 23, num. 12, et communi Thomistarum schola, quod de principio individuationis substantiæ materialis possumus loqui dupliciter : uno modo de primo principio totali, et adæquato, nempe de omnibus essentialiter, et in recto concurrentibus ad constitutionem individui materialis, ut talis, nempe de hac forma, et de hac unione, necnon de hac materia, et unione ejus ad hanc formam : ac proinde in sententia Divi Thomæ, de materia aliquo modo signata quantitate, per quam materia ipsa redditur *hæc*, ut infra videbimus. Secundo de principio radicali, quod sit prima radix, ad quam ultimate reducitur tota individuatio.

Titulus ergo hujus dubii, necnon et totius disputationis non intelligitur de illo priori, sed de hoc posteriori principio individuationis, et distinctionis pure individualis, qua unum compositum ab alio distinguitur : quia principium hoc collatum cum omnibus aliis, habet potiori ratione esse primum, et radicale principium, ut ex terminis ipsis constat, et ex infra dicendis amplius patebit. Diximus : *Distinctionis pure individualis* : quia in præsenti non loquimur de distinctione individuali admixta distinctioni specificæ, et ex ea quodammodo ortum ducente : qua ratione hic homo, v. g., et hic equus distinguuntur ; sed de distinctione individuali non habente admixtam distinctionem specificam, atque adeo pure sistente intra latitudinem distinctionis individualis.

Unde non loquimur de principio individuationis metaphysice sumpto. Tum, quia certum est, quodlibet individuum materiale individuari metaphysice per suam differentiam individualem, et metaphysicam constituentem illud sub specie, et distinguentem ipsum ab omni alio, quod prædictam speciem atomam participat. Tum etiam : quia satis constat, differentiam, sive principium individuale hoc modo sumptum,

debere desumi ab aliquo principio physico, quod sit prima origo, primaque radix rationis individualis metaphysicæ, ita ut ad illud ultimate prædicta individuatio reducatur : et ita perinde est inquirere de primo principio absolute tali, ac inquirere de primo principio individuationis materialis in ordine physico considerato.

Scotus. Fonseca. 2 Quare nec Scotus, 2 Sententiarum, dist. 3, quæst. 3, nec Fonseca, 5 Metaphysic., cap. 6, quæst. 5, sect. 1, punctum difficultatis, qui in tota hac disput. a Doctoribus controvertitur, attigerunt, dum disputationem hanc decidentes, solum inquiunt hæcceitatem, sive differentiam individualem metaphysicam esse principium individuationis. Nam, ut modo dicebamus, controversia, et difficultatis punctum tantum est de primo, et fontali individuationis principio, in quod tota ipsa resolvitur; ac proinde de primo principio, et radice physica, ut nuper dicebamus.

Addimus autem in titulo particulam illam, *intrinsecum*, ut per hoc innueremus non fieri in præsenti sermonem de primo principio extrinseco, qualiter causa efficiens, et peculiariter Deus est primum principium individuationis cujuslibet creaturæ, sed de primo principio intrinseco individuationis totius compositi substantialis.

§ I.

Proponitur prima sententia.

3 Prima sententia asserit, formam substantialem esse se ipsa iudividuam, et primum, sive præcipuum individuationis radicale principium. Ita Nimphus, 5 Metaphys., disput. 5; Sebastian. Perez. Episcopus Oxomens., 3 de anima, conclusione 1; Zimara, theoremate 97; Suarez, disput. 5 Metaphysic., sect. 4, pro qua etiam referuntur : Averroës, 1 de anima, cap. 7 et 3, Physicor. comment. 60, et lib. 4, comm. 38; Avicena, 6 naturalium, parte 1.

Nimphus. Perez. Zimara. Suarez. Averroes. Avicena.

Argumentum primum. Probatur primo. Nam primum, et radicale principium (de quo loquimur) individuationis, et distinctionis pure individualis compositi substantialis debet habere duo : primum est, esse intrinsecum ipsi composito : secundum vero esse maxime proprium illius, ut est *hoc*, et individuum : ergo hoc principium erit forma substantialis, et non aliquid aliud. Antecedens patet. Nam sicut primum principium specificationis ejusdem compositi non potest non esse intrinsecum, et maxime proprium illius, ut in sua specie constituti, ita primum principium individuationis prædicti compositi debet intrinsece constituere illud in esse individui, et esse valde proprium ipsius in esse talis considerati. Consequentia autem probatur, et explicatur. Quoniam forma habet has duas conditiones, ut intuenti constabit, et nihil aliud, præter illam, eis gaudet, ex eo quod nec accidentia queunt esse intrinseca prædicto composito, ut est *hoc*, et individuum, alioqui in esse talis non esset unum per se, ut ex se, et ex infra dicendis magis patebit : neque materia, licet sit intrinseca composito, potest esse maxime propria illius : siquidem eademmet, quæ nunc constituit unum individuum substantiale, potest statim aliud constituere.

Confirmatur primo. 4 Confirmatur primo. Nam illud est primum, et radicale principium individuationis compositi substantialis, quod est primum principium respectu *esse* illius : et propterea D. Thom., quæstione unica de anima, artic. 1 ad secundum, dixit : unumquodque secundum idem habere *esse*, et individuationem : ergo forma habebit rationem prædicti principii. Patet consequentia. Quia sola forma est primum, et radicale principium existendi, et ideo materia non habet ex se propriam existentiam, sed solum ratione formæ, ut in libro Physicor., disp. 3, num. 70, nostri Complut. docent.

Confirmatur primo. D. Thom. Complu.

Confirmatur secundo. Confirmatur, et explicatur secundo. Quia aliquid esse actu primum principium individuationis, ac proinde distinctionis individualis, supponit esse primo ens in actu : ergo ratio talis principii soli formæ substantiali conveniet. Antecedens patet. Quia sicut esse utcumque principium alicujus supponit entitatem principii, ita esse primo in actu principium, supponit illud esse ens primo in actu. Consequentia vero probatur. Quia materia quantum est ex se solum est ens in potentia, ex eo quod solum habet esse puram potentiam : forma vero sola est, quæ primo est ens in actu, quippe quæ sola est secundum se, et essentialiter actus, sicut sola materia est essentialiter pura potentia.

Secundum principale. 5 Secundo, et principaliter. Nam primum et radicale principium unitatis specificæ est sola forma : ergo etiam individuationis. Antecedens communiter recipitur a Philosophis, et Dialecticis, et constat ex iis, quæ nostri Complut. in Logica, disput. 5, num. 75, asserunt. Consequentia vero probatur. Nam ideo unitas specifica compositi substantialis

Complut.

stantialis sumitur a forma, ut a primo, et radicali principio, quia licet nequeat dari sine materia, nihilominus præsupponit eam, ut quid potentiale, et indifferens : forma autem tollit prædictam indifferentiam, tribuitque ultimum complementum essentiale, et specificum : ergo cum eadem forma tribuat ultimum substantiale complementum composito substantiali, ut est *hoc*, et individuum (et propterea Aristot., 1 de anima, capite 1, dixit formam esse, quæ constituit hoc aliquid) præsupponatque materiam, ut quid potentiale, et indifferens, consequens erit, ut sit etiam primum, et radicale individuationis principium.

Tertium. 6 Tertio. Nam hæc determinata forma non respicit hanc determinatam materiam, ita, ut in ea solummodo possit, quantum est ex vi ipsius naturaliter recipi : ergo non est *hæc*, et individua ratione illius, sed ratione sui : ergo ipsa erit primum, et radicale principium individuationis totius compositi. Hæc ultima consequentia patet ex priori. Quoniam ideo formæ posset denegari ratio prædicti principii primi, et radicalis, quia ipsa non esset individua ratione sui, sed ratione materiæ : ac proinde materia deberet esse prima individuationis radix. Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Nam si forma esset individua ratione materiæ, et non ratione sui : tunc ideo forma esset *hæc*, quia petit recipi in hac determinata materia, et non in alia : ac proinde si eademmet forma naturaliter potest recipi in alia, signum est, eam non esse *hanc*, et individuam ratione materiæ, sed ratione sui.

Antecedens autem probatur. Tum quia eademmet determinata materia, quæ est sub forma embrionis, est postea sub forma animalis, verbi gratia, equi : ergo etiam eademmet forma quæ nunc est in hac materia, posset quantum est ex vi formæ esse in alia materia : quia actus, et potentia secundum id, quod quantum est ex se habent, debent sibi mutuo correspondere. Tum etiam : quia si hæc anima, v. g., equina, tantum esset apta ex se ad informandum hanc numero materiam, tunc omnes animæ equinæ, quæ possent illam numero materiam informare diversis temporibus, haberent inter se aliquam convenientiam realem, quam non haberent cum animabus equinis informantibus alias materias : quia omnes illæ haberent aptitudinem ad informandam hanc numero materiam, quam aliæ animæ equinæ informare non possent; atque ita sub conceptu specifico posset dari conceptus objectivus substantialis, et communis multis individuis illius speciei, et non aliis, quod videtur absurdum.

Confirmatur. 7 Confirmatur. Quia si eadem numero forma substantialis diversis temporibus informet diversam materiam, tunc compositum inde resultans esset idem numero, ac illud, quod prius ex alia materia, et eadem forma constabat; ergo signum est, formam esse primum et potissimum individuationis totius compositi principium, ad cujus variationem, vel invariationem individuatio prædicti compositi variatur, vel manet eadem. Consequentia non indiget probatione. Antecedens autem probatur. Nam propterea in resurrectione generali resurgent singuli homines cum sua unitate numerica, quia licet sorte contigerit, quod duo habuerint eamdem materiam, et hæc uni tantum ex illis tribuatur, ut contingit in iis, qui carnibus humanis aluntur; nihilominus cuique tribuetur sua propria anima rationalis, et hæc trahet quamcumque materiam ad suam propriam unitatem.

Quartum. 8 Quarto. Nam si ob aliquam rationem forma non esset primum principium individuationis, et distinctionis pure individualis totius compositi, maxime, quia forma ipsa limitatur per materiam : at hæc ratio est nulla : ergo, etc. Major videtur perspicua. Quoniam cum differentia individualis sit ex se limitativa, et determinativa rationis specificæ provenientis ab ipsa forma, optime colligetur prædictam formam non esse primum principium illius, si non habet ex se limitari : sed a materia, ut a primo principio limitanda est. Minor autem probatur. Nam alioqui nec materia, ac proinde nihil aliud posset esse primum principium prædictæ individuationis. Nam sicut materia limitat formam, ita forma materiam, et sic de aliis ad individuationem concurrentibus, ut ex se, et ex iis, quæ Divus Thomas, 1 part., quæst. 7, docet, satis constat. D.Thom.

Ultimum. Ultimo. Quia saltim anima intellectiva est a se ipsa individua, et primum individuationis principium : et propterea D. Thom., 2 contra gentes, c. 75, in solutione primæ rationis, et c. 81, ait, quod sicut *esse* animæ intellectivæ non causatur per se a materia, ita neque ejus unitas, aut individuatio.

§ II.

Sententia Aristotelis, et D. Thomæ magis placet.

Conclusio. 9 Dicendum tamen est, formam substantialem non esse se ipsa individuam, ita ut sit primum, et radicale principium individuationis, et distinctionis pure individualis tam respectu sui, quam totius compositi : ac proinde ita, ut in eam ultimate tota individuatio, et distinctio prædicta reducatur. Ita Aristot., 5 Metaphysic., cap. 6, in fine : ubi, inquit, distinctionem individuorum intra eamdem speciem provenire ex divisibilitate materiæ. Et lib. 12, cap. 8, asserit, quod ea, quæ sunt multa numero, habent materiam : et ex hoc concludit, primum motorem esse unum non solum ratione, sed etiam numero : quia cum sit actus, non habet materiam. Si autem forma substantialis esset se ipsa individua, ita ut haberet rationem primi, et fontalis principii individuationis, et distinctionis individualis, tam respectu sui, quam totius compositi, tunc ex ea potius quam ex materia, et divisibilitate ejus proveniret distinctio numerica. Et similiter loquens Aristotel. de materia physica, ut ex contextu constat, et bene ostendit Nazarius. 1 part., quæst. 50, art. 4, controversia 1 ; Ferrara, 2 contra gentes, cap. 93, ratione secunda, non recte inferret primum motorem non posse numero multiplicari, ex eo, quod non haberet materiam physicam, scilicet materiam primam, ut ex contextu constat : siquidem si semel forma substantialis est se ipsa una numero, ita ut tam sibi, quam composito sit prima ratio únitatis, et distinctionis pure numericæ, potiori ratione hoc haberet respectu sui forma completa, et per se subsistens, qualis est primus motor.

Probatur primo, ex Aristot.

Nazar.

Ferrara.

Probatur secundo ex Aristot. Idem etiam asserit Philosophus, 10 Metaphysic., text. 25, ubi assignans primum, et fontale principium unitatis, et distinctionis specificæ, et individualis, inquit, formam esse primum principium unitatis, et distinctionis specificæ; materiam vero distinctionis individualis, et ita inquit : *Quoniam hæc quidem est ratio, hæc autem materia : quæcunque quidem in ratione sunt contrarietates, specie faciunt differentiam : quæ vero in conceptu cum materia, non faciunt.* Quæ verba sic explicat Divus Thomas ibidem, lect. 11 : *Quia in composito est materia, et forma, hæc quidem est ratio, id est forma, quæ constituit speciem : hæc autem est materia, quæ est individuationis principium : quæcunque contrarietates sunt in ratione, id est, ex parte formæ, faciunt differre secundum speciem. Illæ vero quæ sunt ex parte materiæ, quæ sunt propria individui, quod est acceptum cum materia, non faciunt differre secundum speciem.*

D.Thom.

Probatur ex D.Thom. 10 Et hoc ipsum etiam docuit Sanctus Doctor secundo contra gentes, capite 93, ratione secunda, his verbis : *Quæcunque sunt idem specie, differentia autem numero, habent materiam, differentia autem, quæ ex forma procedit, inducit diversitatem speciei ; quæ autem est ex materia, inducit diversitatem secundum numerum.* Idem etiam docet prima parte, quæst. 50, artic. 4, de ente, et essentia, capit. 6 et in 2 distinct. 3, quæst. 1, artic. 4, ubi, ut redderet rationem, propter quam Angeli non possunt distingui solo numero, hoc ipso, quod sint immateriales, sic inquit : *Si enim immateriales ponuntur, cum nulla forma, vel natura multiplicet numerum, nisi in diversitate materiæ, oportet, quod forma simplex, et immaterialis non recepta in aliqua materia sit una tantum. Unde quidquid est extra eam, est alterius naturæ, eo quod distet ab eo secundum formam, non secundum materiale principium, quod ibi nullum est.* Et tandem hanc eamdem doctrinam sæpissime repetit D. Thom., ut constabit ex locis num. 43 referendis. Unde tam Aristotelem, quam Angelicum Doctorem sequuntur communiter ejus discipuli, et plures alii, quos num. 44 referemus.

§ III.

Explicatur sententia Aristotelis et D. Thomæ et prima pro ea ratio discutitur.

11 Sed quia assertio indiget aliquali explicatione, propterea antequam probetur, breviter explicanda est. Etenim in ea consulto addita est particula illa limitans, scilicet : *Ita ut sit primum, et radicale principium distinctionis pure individualis tam respectu sui*, etc. Ut per hoc denotaretur, in ea non negari, quin forma se ipsa, et per suam intrinsecam entitatem sit proxime individua : siquidem se ipsa, et per suam intrinsecam entitatem, habet proxime, et immediate respicere hanc materiam, et non illam, et ratione hujus habitudinis est immediate, et proxime singularis. Sed quod negamus, est, prædictam formam habere

bere a se ipsa, ut a primo, et radicali principio esse individuam, aut individuare compositum : ac proinde totam hanc rem aliunde, ut a prima fonte, et radice originem trahere.

Et licet assertio sic explicata, satis efficaciter probetur ex secunda illa ratione Divi Thomæ, quam dubio sequenti, numero 52, adducemus ad probandum materiam signatam quantitate, esse primam radicem individuationis jam dictæ, nihilominus in hoc, et sequenti §, eam duplici alia ratione ostendemus.

Probatur conclusio ratione fundamentali ex Arist. et D.Thom.

12 Ratio autem prior, et fundamentalis adducta est a Philosopho, et Angelico Doctore locis citatis, quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam unitas, et distinctio proveniens a forma, ut a primo, et radicali principio, est unitas, et distinctio specifica : ergo non est unitas, et distinctio pure individualis, de qua sola loquimur : ac proinde forma non erit primum, et fontale principium unitatis, et distinctionis præcise individualis. Hæc secunda consequentia ex priori aperte sequitur. Prior vero ex antecedenti. Antecedens autem, præterquam quod est expressum Divi Thomæ locis citatis, potest probari, ex eo, quod unitas, et distinctio specifica est unitas, et distinctio formalis, quia est distinctio secundum essentiam, quæ est quid formale in unaquaque re : unitas vero, et distinctio numerica est unitas, et distinctio materialis : ergo cum distinctio, quæ provenit a forma, ut a primo principio sit formalis, non vero materialis, quippe cum hæc oriatur a materia, ut a prima radice, fit inde, ut unitas, et distinctio proveniens a forma, ut a prima radice, sit unitas, et distinctio specifica.

Evasio ex duplici exemplo.

13 Quæ ratio est adeo efficax, ut ea recte expensa facile corruant omnes evasiones, quibus adversarii illi occurrunt. Nam in primis aliqui respondent, non omnem unitatem, et distinctionem provenientem a forma, esse formalem. Nam sicut duo actus, et formæ, aut duæ animæ rationales possunt distingui, ut actus, et formæ, et nihilominus illa distinctio non est formalis, sed materialis : et similiter duo Angeli, qui sunt formæ separatæ nihil habentes de materia, distinguuntur individualiter, ita possunt aliqua distingui penes formam, et ratione illius, non tamen distingui formaliter, sed materialiter.

Corruit.

Hæc igitur solutio, si ratio facta recte expendatur, facile corruit. Quoniam re bene inspecta repugnat unitatem, et distinctionem provenientem a forma, non esse formalem, ac proinde specificam. Quod quidem sic declarari, et explicari potest. Quia distinctio proveniens a materia, quatenus materia est, et ut a primo, et radicali principio, non potest quatenus ab illa provenit esse formalis, sive specifica : ergo nec distinctio proveniens a forma, quatenus forma, tanquam a prima radice poterit esse materialis : sed necessario debet esse formalis, et consequenter specifica.

14 Consequentia ex paritate rationis videtur constare, et similiter exemplo distinctionis provenientis ab albedine, aut calore : quæ quia provenit ab illis, ut talibus, non potest non esse in ratione albi, aut calidi, ex eo quod hi effectus sunt proprii effectus formales albedinis, aut caloris : sicut proprius effectus formalis formæ substantialis est tribuere *esse* formale substantiale. Antecedens est Divi Thomæ loco citato ex 10 Metaphysic., lect. 11, ubi sic inquit : *Unde si quæratur utrum materia faciat diversa specie aliquo modo? Videtur quod faciat : quia hic equus ab hoc homine est diversus specie, et tamen manifestum est, quod ratio utriusque est cum materia individuali, et sic videtur, quod materia aliqualiter faciat differre specie. Sed tamen manifestum est, quod hoc non contingit propter diversitatem materiæ : sed quia contrarietas est ex parte formæ : sic igitur apparet quod contrarietas, quæ est ex parte ipius formæ, facit differre specie, non autem illa, quæ est ex parte materiæ.* Et deinde idem antecedens suaderi potest. Tum ex eo, quod effectus non potest esse ultra suam causam, atque adeo unitas, et distinctio formalis nequit provenire, ut a prima radice, nisi a forma. Tum etiam ex eo, quod in substantiis materialibus, licet ratio generica posset provenire a materia, secundum id, quod prædicta ratio habet de potentialitate, et materialitate, non tamen secundum id, quod retinet de actualitate, et formalitate : quandoquidem secundum istam rationem provenit a forma substantiali, quatenus tali : ergo signum est, quod *esse*, aut distinctio formalis nequit provenire a materia quatenus tali. D.Thom.

Confirmatur et explicatur.

15 Confirmatur, et explicatur. Quoniam aliud est, quod distinctio exerceatur in formis : aliud vero, quod proveniat ab ipsis formis, quatenus talibus. Sicut aliud est, quod habere partes entitativas exerceatur : et reperiatur in substantia materiali : aliud vero quod habere illas proveniat ab eadem

substantia, quatenus tali. Unde sicut non repugnat prædictas partes inveniri, exerceri, et communicari substantiæ ab alio, ut a prima radice, scilicet a quantitate; et quod nihilominus non sint de formali substantiales, sed quantitativæ, ut in libro de Generatione, disput. 5, num. 58 et deinceps late et docte nostri Complutenses docent: secus tamen si prædictæ partes exerceantur in substantia, et a substantia, ut a causa formali provenirent, nam eo ipso non possent non esse formaliter substantiales; ita debita tamen proportione servata, licet non repugnet distinctionem exercitam in formis substantialibus, aliunde tamen scilicet a materia provenientem, non esse formalem, sed materialem; secus tamen si in prædictis formis exerceatur, et ab illis proveniat: quoniam eo ipso talis distinctio debet esse similis suæ causæ, ac proinde debet esse formalis.

Objectio solvitur.

16 Diximus: *Debita tamen proportione servata*, ut objectio quædam desumpta ex exemplo allato, quæ hic fieri poterat, soluta maneat. Quia in præsenti solum comparamus rem, de qua agimus, cum prædicto exemplo in hoc, quod sicut partes entitativæ substantiæ deberent esse de formali substantiales, si a substantia provenirent, et non haberent solum exerceri in substantia; secus tamen si solum exerceantur in illa: ita distinctio proveniens a forma non potest non esse formalis, quamvis distinctio in illa exercita, et aliunde scilicet a materia proveniens, possit non esse formalis, sed materialis.

Ratio disparitatis.

Cæterum cum hoc stat, ut sit sua disparitas inter exemplum, et rem, de qua loquimur, orta ex eo, quod distinctio prædicta exercita in formis provenit a materia, ut a termino quodammodo extrinseco, id est, non constituente essentialiter formam: et ideo forma individuatur, et distinguitur proxime ab alia forma per se ipsam, id est, per habitudinem quam dicit ad materiam. At partes entitativæ substantiæ proveniunt a quantitate, ut a causa formali intrinseca eo modo, quo esse album provenit ab albedine: et ita non habet partes, nec distinctionem earum per se ipsam, id est, per solam habitudinem ad quantitatem, ut ad causam formalem extrinsecam, sed præcise, ut subest quantitati, et quatenus ea informatur.

Ad primum exemplum.

Nec primum illud exemplum, quod de duplici anima rationali in hac solutione affertur, aliquid convincit. Quoniam duæ animæ rationales, ideo possunt differre materialiter, licet sint actus, et formæ, quia individuantur per materiam, tanquam per primum, et radicale principium suæ individuationis. Unde licet illa distinctio exerceatur in formis substantialibus, non tamen provenit ab illis: et ita potest non esse formalis, et specifica, sed materialis, et pure individualis.

Ad secundum

17 Nec etiam secundum exemplum de duplici Angelo, ratione suarum differentiarum individualium numerice distincto, aliquid probat. Tum quia, ut infra dicemus distinctio, quæ est inter duplicem Angelum ratione suarum differentiarum individualium, non est distinctio pure individualis, et a differentiis pure individualibus orta: quia in eis unitas, et distinctio specifica, et individualis non distinguuntur virtualiter, aut cum fundamento in re, sed solum ex parte nostri modi concipiendi: ut in tractatu de Angelis Deo dante dicemus. Et ita illa ipsissima (ut sic loquamur) distinctio individualis, est distinctio specifica, ac proinde potest, et debet oriri a forma, quatenus forma: in præsenti autem non loquimur, ut jam tetigimus, nisi de unitate, et distinctione pure individuali, quæ hoc ipso quod talis, debet esse materialis, et a materia provenire.

Tum etiam: quia adhuc gratis admisso, quod in Angelis distinguatur virtualiter eorum differentia, individualis a differentia specifica, nihilominus hoc non enervat vim nostræ rationis, ut ex iis, quæ infra numero 56 et 57 dicemus, amplius constabit; ubi rem hanc testimoniis Divi Thomæ elucidabimus.

Ali evasi

Ex quo etiam corruet alia solutio ab adversariis adhibita ratione Divi Thomæ: scilicet differentiam provenientem a forma esse formalem, et specificam, quando oritur ab ea, secundum id, quod formale est in ipsa; non vero quando procedit ab illa secundum id, quod est materiale in ea, quamvis utrumque sit proprium talis formæ, et conveniat ipsi, quatenus tali. Cæterum, quia individuatio totius compositi debet provenire a forma substantiali, secundum id, quod est materiale in ipsa, non vero secundum id, quod est formale, ideo distinctio proveniens a forma, secundum hanc rationem, scilicet, secundum differentiam individualem, seu hæccéitatem ipsius potest esse materialis, et numerica, non vero formalis, et specifica.

Corr

Ex dictis igitur hæc evasio, non minus, quam

quam præcedens corruit. Quod, ut melius intelligatur, recolendum est in memoriam id, quod num. 1 dicebamus, scilicet ideo non fieri sermonem de differentia individuali, seu de ratione materiali, aut principio individuationis metaphysice sumptis, sed de individuatione, seu ratione materiali, et principio individuationis physice acceptis, quoniam quævis ratio metaphysica debet fundari in entitate physica, et physice accepta, ab eaque, ut a prima radice desumi.

Eadem evasio evanescit, et ratio D. Thom. exprimitur.

18 Hinc ergo major expensio rationis Divi Thomæ, per quam prædicta evasio evanescit, desumitur. Nam, vel forma substantialis physice accepta, et secundum, quod est physice individua, et individuationis principium, dicit aliquid materiale physice supra se ipsam, ut est primum principium specificationis, et distinctionis specificæ? vel nihil reale physice materiale addit supra se, ut est physice forma, et dicit esse formale physicum, ut *quod?* si hoc secundum dicatur, ergo forma secundum, quod pertinet ad ordinem physicum, et habet rationem principii physici respectu compositi, tantum erit radix distinctionis formalis specificæ : siquidem in isto ordine nihil addit supra se ipsam, quod physice sit materiale, sed quidquid in ea reperitur, est physice quid formale, ut *quod*. Si vero primum asseratur, ergo illud materiale, quod est physice tale, debet oriri, tanquam a prima radice a materia : ac proinde licet exerceatur, et reperiatur in forma ipsa substantiali (de qua sola in hoc dubio loquimur) non debet provenire ab illa, sed a materia : quandoquidem, sicut esse formale, et physice tale, nequit aliunde, quam a forma provenire, ita esse materiale, quod physice habet rationem talis, nequit ab alio tanquam a primo principio, nisi a materia ordinem ducere.

Confirmatur, et explicatur primo.

19 Confirmatur, et explicatur ex iis, quæ nuper dicebamus, in hac tamen forma expensis. Quoniam hoc ipso, quod in substantiis materialibus reperiatur aliquid materiale, et metaphysicum respectu compositionis metaphysicæ, scilicet genus, non potest non prout quid materiale est, oriri tanquam a prima radice ab ipsa materia, non vero a forma, ut ex Aristot. et D. Thom. et ratione efficaci in Logica, disp. 5, num. 75, et deinceps nostri Complut. ostendunt : ergo hoc ipso, quod in forma substantiali, nec non, et in composito ex illa consurgente reperiatur aliqua alia ratio materialis in ordine metaphysico, scilicet differentia pure individualis talis formæ, et compositi, ab alio ejusdem speciei, non poterit non prædicta differentia oriri, ut a primo principio a materia, non vero ab ipsa forma : atque adeo quævis differentia orta a forma, quatenus tali, ut a primo principio physico, in quod talis effectus ultimate reducitur, debet oriri ab eadem forma, secundum quod physice dicit *esse* formale, ut *quo :* et consequenter non potest non talis differentia esse simul formalis, et specifica.

Confirmatur secundo.

Confirmatur tandem. Nam licet forma materialis habeat in se *esse* materiale, modo a nostris Complutens. in 1 et 2 Physic. tacto, et similiter materia : attamen facta collatione inter utramque, tunc primus (ut sic dicamus) fons materialitatis prædictæ formæ est ipsa materia, non vero e contra : ergo signum est, quod totum *esse* materiale formæ substantialis, et compositi, ac proinde differentia individualis utriusque, debet a materia, ut a prima radice oriri. Consequentia videtur legitima. Antecedens vero probatur. Nam hæc causalis est vera : *Quia forma educitur a materia, vel quia pendet secundum suum esse ab illa, ideo prædicta forma est materialis ;* non vero e converso. Quia cum *esse* materiale sit *esse* potentiale, ex eo, quod opponitur actualitati, et formalitati, debet provenire, ut a prima radice, a primo hujus generis, scilicet a prima, et pura potentia, nempe a materia, juxta illud Aristotelicum axioma : primum in unoquoque genere est causa eorum, quæ sunt post in illo genere.

§ IV.

Proponitur secunda ratio pro Aristotelica, et Thomistica doctrina.

20 Secunda, et principalis ratio pro assertione, per quam præcedentes solutiones adhibitæ præcedenti rationi, magis eliduntur, potest ad hanc formam reduci. Quoniam forma ex natura sua subsistens, omnino separata a materia, ut a receptivo, non potest esse nisi una numero, seu non potest non habere plene totam speciem, ac proinde non poterit in ea assignari aliquid metaphysice, aut physice materiale, ratione, cujus sit radix distinctionis pure individualis a quavis alia : ergo hoc ipso quod aliqua forma sit talis conditionis, ut possit numero multiplicari, et esse principium aliquo modo individuationis, ac multiplicationis compositi, ac proinde esse in ea aliquid materiale phy-

sice, aut metaphysice, ratione cujus queat in utroque ordine esse aliquo modo principium distinctionis pure numericæ, et individualis, debet hoc oriri tanquam ex primo principio, ex eo, quod forma illa non est omnino separata a materia, ut a receptivo; sed ducit ordinem ad illam, ut ad receptivum, et primam rationem, ac radicem talis multiplicationis, et distinctionis individualis pure individualis, ac proinde prædictum receptivum erit prima ratio talis multiplicationis, Sicut, quia visus est talis, quatenus respicit visibile, propterea visibile est prima radix, et origo cæterorum, quæ ad ordinem visibilem spectant: et ideo hæc causalis est vera, et a priori : *Quia datur visibile, ideo datur visus, et visio.* Antecedens patet in Angelis, qui ex eo, quod sunt formæ ex se subsistentes, et omnino separatæ a materia, ut a receptivo, habent omnia, quæ in eodem antecedenti referuntur. Potestque hoc ipsum explicari exemplo albedinis adducto a Divo Thoma, 1 part., quæst. 50, artic. 4, quæ non posset esse nisi una numero, si esset a subjecto tam actu, quam aptitudine separata, ita ut nullo modo ad illud habitudinem importaret : quia eo ipso non haberet unde multiplicaretur secundum numerum.

Prima vero consequentia ex antecedenti videtur aperte sequi. Nam quoties negatio est causa adæquata negationis, toties affirmatio est etiam causa adæquata affirmationis : et ita si negatio multiplicationis pure individualis alicujus formæ, atque adeo quod tantum possit esse una numero, colligitur adæquate ex carentia materiæ, et receptivi, non est cur multiplicatio pure individualis ipsius, ac proinde, quod sit in alia aliquid materiale, ratione cujus possit sic multiplicari, et esse aliquo modo principium similis multiplicationis in toto composito, non colligatur tanquam ex prima radice ex positione materiæ, et receptivi talis formæ, seu ex eo, quod forma habeat materiam, et receptivum, in quo recipiatur.

D.Thom. 21 Quæ ratio desumitur ex D. Thoma, loco citato, et 1 part., quæst. 41, art. 6, e quæst. 44, art. 1, necnon quæst. 75, art. et 3 de anima, lect. 8, quam ipse ex Aristot. ibidem text. 8, sub his verbis deprompsit : *Natura speciei individuatur per materiam, unde principia individuantia, et accidentia individua sunt præter essentiam speciei : et ideo contingit sub una specie inveniri plura individua, quæ licet non differant in natura speciei, differunt tamen secundum principia individuantia : et propter hoc in omnibus habentibus formam in materia non est omnino idem, et res, et quod quid est ejus : Socrates enim non est sua humanitas. In iis vero, quæ non habent formam in materia, sicut sunt formæ simplices, nihil potest esse præter essentiam speciei, quia ipsa forma est tota essentia, et ideo in talibus non possunt esse plura individua unius speciei, nec potest in eis differre res, et quod quid est ejus.*

Potestque tota hæc ratio magis elucidari ex eodem Sancto Doctore. Quoniam individua ejusdem speciei conveniunt in perfectione intrinsece spectante ad essentiam specificam, ita ut cuncta illa perfectio reperiatur in eorum quolibet, et solum discriminentur in diversis modis substantialibus habendi eam : sed ubi natura specifica est ex natura sua subsistens, et omnino, seu tam actu, quam aptitudine separata a materia, et a receptivo, nequit dari pluralitas, aut diversitas modorum habendi eam : ergo nec pluralitas, et distinctio individuorum : ac proinde quoties hæc datur, signum est, formam constituentem talem naturam non esse omnino separatam a materia, et receptivo, sed esse multiplicabilem numero per ordinem ad diversas materias, et receptiva, tanquam ad primas radices talis multiplicationis. Eluci tur ex e dem

Hæc ultima consequentia patet ex priori, et ex nuper dictis. Prior vero ex utraque præmissa etiam liquet. Minor autem, in qua est difficultas, potest sic explicari, et probari. Quoniam ad diversitatem illorum modorum desideratur, quod singula ex illis individuis participent naturam specificam limitate, id est non adæquate, et quantum participari potest ex parte modi participandi : alioqui nequirent illi modi esse inter se distincti, et inæquales : sed ubi natura specifica habet esse omnino separatam a materia, nihil reperitur, a quo valeat hujusmodi limitatio provenire : nam cum unumquodque limitetur per suum oppositum, ut actus per potentiam, oportet limitationem, et coarctationem actus, qualis est natura specifica respectu individuorum, fieri etiam per oppositum, scilicet per potentiam, aut materiam : ergo neque poterit ibidem reperiri multiplicitas prælictorum modorum. Sed circa hæc videantur ea, quæ de limitatione potentiæ per suum actum nostri Complut. Comp tenses in libris Physic., disput. 9, num. 15 et 16, docent, necnon et ea, quæ infra num. 28 dicemus.

22 Confirmatur, et explicatur tandem. Quoniam Con mat

Quoniam ipsum *esse*, seu ipsa existentia per se subsistens non potest esse, nisi una tantum numero : quoniam est omnino irrecepta, et ex consequenti illimitata ; et propterea, quia natura divina est sua existentia per se subsistens, nequit numero multiplicari : ergo eadem ratione quævis forma omnino irrecepta nequibit numero multiplicari : et per consequens, si quæ forma potest numero multiplicari, et inadæquate participari ratione diversorum modorum individualium participandi illam, hoc illi proveniet ex subjecto, et receptivo, ratione cujus limitatur et coarctatur, ne adæquate, et quantum haberi potest ex parte modi habendi, habeatur.

Hæc secunda consequentia ex priori aperte sequitur. Prior vero ex antecedenti, ut intuenti patebit. Unde propter hanc rationem Angelicus Doctor multoties asserit, quodlibet individuum naturæ Angelicæ habere infirmitatem intra suam speciem : et ita non posse dari aliud intra illam. Quorum verborum non est sensus, quod intra latitudinem illius speciei possit ita esse perfectum, ut habeat perfectionem positive infinitam (quo pacto Scotus, et alii Sanctum Doctorem interpretantur) sed solum, quod habeat naturam specificam infinite negative ex parte modi habendi eam, hoc est, adæquate, et sine determinatione ad aliquem modum, modo dicto limitatum, participandi illam : ex eo, quod non habet formam receptam in materia ; et proprium est materiæ, quod sit radix prædictæ limitationis, et multiplicationis individualis. Et ita quoties forma distinguitur pure individualiter ab alia, non potest non talis distinctio, atque adeo, et individuatio, a materia, et receptivo, ut a receptivo radicali ei provenire.

Objectio. 23 Nec refert si objicias, quod differentiæ specificæ in formis per se subsistentibus, et omnino separatis a materia, quales sunt Angeli, habent esse limitatas secundum se, et limitare, et contrahere naturam generi-cam : ergo pari ratione erunt dabiles in illis prædicti modi individuales, qui secundum se, et ex propriis sint limitati, ac proinde idonei, ut limitent, et determinent naturam specificam, licet sit omnino separata a materia : et per consequens in iis naturis, quæ habent formam in materia, non orietur distinctio modorum individualium, et limitatio eorum, a materia, in qua prædicta forma recipitur, tanquam ex primo, et radicali principio limitationis, et individuationis illius.

Respondetur enim concedendo antecedens, et negando utramque consequentiam, et ratio disparitatis est. Quod differentiis specificis potest in Angelis assignari sufficiens radix, seu fundamentum suæ limitationis, scilicet propria essentia actualis eorumdem Angelorum, ex eo, quod prædictis differentiis competit, ut sint formales et actuales, sicut essentia Angelica. Cæterum respectu prædictorum modorum, seu differentiarum individualium, nequit simile fundamentum dari : quia competeret illis esse limitatos per modum materiæ, et potentiæ, ut ostensum est ; et eadem natura specifica omnino separata a materia, ac proinde non includens formam receptibilem in potentia materiæ, nequit esse radix, aut fundamentum limitationis adeo diversæ. Diluitur. Disparit.

Potestque hæc eadem disparitas magis elucidari, ex eo, quod, ut modo innuebamus, differentia specifica in Angelis ideo est conceptibilis, ut limitans, et contrahens gradum genericum, quoniam coarctat illum per modum actus, et formæ : ac proinde potest concipi, ut recepta in eo, et actuans ipsum, ut ex se patet. At modus, seu differentia individualis, nisi habeat *esse* materiale, seu a materia, aut receptivo desumptum, non est conceptibilis, ut coarctans naturam specificam : nam cum conferatur cum ea tanquam cum actu, et forma, nequit illam limitare, nisi per modum potentiæ passivæ, aut tanquam conditio ipsius, seu tanquam aliquid se tenens ex parte materiæ, et receptivi, ab eoque ut a prima radice ortum ducens : ut ita salvetur, unumquodque limitari per suum oppositum, ut actum per potentiam, sive per aliquid a potentia, et receptivo, ut a primo principio originem trahens. Elucidatur disparitas.

§ V.

Diluuntur argumenta primæ sententiæ præter ultimum.

24 Ad primum concesso antecedenti, negan-da est consequentia. Et ad probationem negandum est formam substantialem, ut est *hæc*, esse maxime propriam compositi, ut est *hoc*, quandoquidem forma est *hæc*, ratione materiæ : ac proinde est propria totius compositi ratione ejusdem materiæ, ut est *hæc* : et ita materia, ut *hæc*, erit maxime propria prædicti compositi, quatenus *hoc*, juxta illud Aristotelicum axioma : *Propter quod, unumquodque tale, et illud magis.* Ad primum.

Unde falsum est id, quod ibidem dicitur, scilicet eamdemmet materiam, quæ nunc constituit unum individuum substantiale, posse statim aliud constituere, si intelligatur de materia prima, ut est *hæc* positive, ut infra explicabitur : secundum quam rationem est primum, et radicale principium individuationis, quamvis cum hoc stet, ut eadem materia, ut est una numero negative, diversa tamen positive, possit successive constituere diversa individua substantialia.

Ad primam confirmationem.

25 Ad primam confirmationem negandum est antecedens : quia existentia, quippe actus secundus, et valde perfectus, convenit composito ratione formæ, individuatio vero debet convenire illi ratione materiæ, ut ostensum est. Neque oppositum hujus vult D. Thom. loco ibidem citato, sed tantum, quod idem sit susceptivum existentiæ, et individuum, ut *quod*, quamvis individuatio, et distinctio pure individualis ex diversa radice ortum ducat.

Ad secundam confirmationem.

Ad secundam confirmationem negandum est antecedens. Et ad probationem dicendum est, aliud esse, quod primum principium, et radix individuationis, et distinctionis pure individualis sit actu principium, seu principium in actu, et ens in actu : aliud vero, quod sit re ipsa verum principium, a quo re ipsa individuatio ortum ducat, ac tandem quod re ipsa habeat veram entitatem, licet sit principium, et entitas, quæ sit potentia. Dicimus ergo, quod primo principio individuationis, si proprie, et in rigore loquamur, convenit hoc posterius, non tamen illud prius, ut constat ex iis, quæ inl ib. Physicor., disput. 3, num. 18, nostri Complut. asserunt, et ex iis, quæ in hoc dub. tetigimus, et infra dicemus. Unde non mirum, quod materiæ primæ conveniat ratio primi principii, et radicis individuationis : et quod ipsa propter hanc rationem puræ potentiæ, et quia non habet existentiam, a quo ratio entis desumi solet, nuncupetur ens in potentia, ut loco cit. num. 19 et 20 nostri Complut. explicant.

Complut.

Ad secundum principale.

26 Ad secundum principale concesso antecedenti, neganda est consequentia. Et ad probationem dicendum est, ideo formam esse primam radicem positivæ specificationis materiæ, et totius compositi, quia non solum complet illam; sed etiam primo tribuit prædictam speciem, ex eo, quod materia, ut præsupponitur ad formam, ut præcise tribuentem talem specificationem est indifferens, et tantum una unitate specifica negativa. Cæterum eadem forma, ut est *hæc*, secundum quam rationem poterat esse radix individuationis materiæ, solum habet complere; non vero primo tribuere individuationem tam materiæ, quam composito : quia materia, ut *hæc*, et determinata, ac appropriata huic formæ, et composito potius, quam alteri, præsupponitur ad illa tanquam radix utriusque : ex eo, quod, ut nuper diçebamus, individuatio, et distinctio pure individualis, est unitas, et distinctio materialis : specificatio vero, et distinctio specifica, est unitas, et distinctio formalis : et ideo illa a materia, hæc vero a forma, ut a primo principio debet provenire.

A tertii

27 Ad tertium negandum est antecedens, si intelligatur de materia, ut est *hæc* numero positive. Nam forma, ut *hæc*, ita est coaptata, cum hac numero materia, ut est *hæc* positive, id est, ut sigillata per hanc, seu ad hanc numero quantitatem, ut nequeat in materia, quæ sit alia numero positive recipi. Et ad primam probationem in contrarium negandum est antecedens, intellectum de eademmet materia, ut est eadem numero positive, quamvis eademmet, identitate, et unitate negativa, sit sub forma embrionis, et postea sub forma animalis, v. g., equi, ut in lib. Physicor., disput. 3, num. 34, et disput. 6, num. 11, et in lib. de Generatione, disput. 5, num. 38, nostri Complut. docent. Unde in eodem proportionali sensu debet negari consequentia.

Comp

Ex quo ad secundam probationem negandum est id, quod in ea videtur supponi, scilicet esse aliquam collectionem animarum equinarum, quæ possit recipi in hac numero materia, ut est *hæc* positive. Quia licet omnes formæ substantiales, et sublunares possint recipi in hac numero materia, prout præcise dicit unitatem numericam negative, ex eo, quod omnis materia sublunaris tantum est una numero negative, attamen si consideretur, ut est una numero positive, quævis materia, ut est *hæc*, petit hanc formam, et non aliam : et nequit respicere alteram, nisi prædicta materia fiat alia per distinctam sigillationem ad aliam diversam quantitatem.

28 Ad confirmationem satis constat ex iis, quæ in lib. Physic., disput. 6, num. 9 et deinceps nostri Complut. dicunt, ubi explicant quomodo non sufficiat ad hoc, ut resurgat idem numero homo, quod tantum tribuatur

tribuatur ei eadem numero anima : et qua ratione fiat distributio materiæ in iis, qui carnibus humanis vescuntur, ita, ut unusquisque cum propria materia, et forma resurgat.

Ad rtum. Ad quartum concedenda est major juxta ea, quæ toties insinuavimus ; et neganda est minor. Et ad probationem neganda est sequela. Ad cujus probationem negari debet, quod sicut materia limitat formam, ita forma materiam : non quidem ad hunc sensum, quod forma nulla ratione limitat materiam ; sed quod sit omnimoda paritas inter utramque quoad prædictum munus. Nam materia limitat formam per modum potentiæ, et primi subjecti non receptibilis in alio, ut in subjecto ; et ita debet in eam, ut in primum principium limitans refundi limitatio ad *esse* individuale ; quia non qualecunque oppositum limitans ; sed oppositum hoc modo limitans aliud sibi oppositum, est accommodatum ad limitandum per modum primi principii ad *esse* individuale, et distinctionem pure individualem, ut ex dictis patet, et infra late expendemus. Cæterum forma limitat diversa ratione, scilicet per modum actus, et formæ communicabilis ; et ita non potest limitare suum oppositum ad *esse* individuale, sed ad *esse* specificum ex se communicabile alteri, ut superius suo inferiori, ut ibidem magis explicabitur.

29 Itaque, cum in composito substantiali sit, ut supra insinuavimus, *esse* limitatum secundum speciem, et secundum numerum, et hæc duo sint inter se adeo, secundum has duas rationes, et modo insinuato diversa, oportet dari duo principia limitantia, et diversæ rationis, duoque opposita, in quæ tanquam in primam radicem prædicta limitatio refundatur. Unde cum hæc opposita se invicem limitantia, tantum possint esse duo, scilicet actus primus, nempe forma substantialis, et potentia prima, nimirum materia ; et unum ex illis, nimirum prima potentia, non possit per suam limitationem esse prima radix unitatis specificæ, ut communiter Doctores tuentur, fit inde ut ex limitatione formæ respectu materiæ, solum sequatur prædictam formam limitare ad *esse* specificum : ac pro nde materiæ solum superesse, quod limitet ad *esse* numericum.

§ VI.

Solvitur ultimum argumentum primæ sententiæ.

30 Ad ultimum fatendum est, unumquodque ita esse individuum, sicut est ens, et habet *esse* : et propterea sicut anima rationalis non est ens, aut habet *esse* dependenter a corpore tanquam a causa materiali, ex cujus potentia educatur, sic nec habet individuationem dependenter ab eodem corpore, sive materia, ut a causa materiali ex cujus potentia educatur. Cæterum, quia eadem anima rationalis, licet non sit educta de potentia materiæ, est tamen sicut illa, pars essentialis hominis, eamque ab intrinseco habet respicere, ut compartem, et materiam, non ex qua fiat, sed in qua recipiatur : et similiter licet non sit educta, est tamen occasionata ex corpore, et materia, ut in lib. Physicor., disput. 4, num. 20, nostri Complut. docent, et naturaliter saltim nequit creari, nisi desumpta occasione ab illo, eo quod nequit fieri nisi recepta in ipso : propterea ejus individuatio sumitur, ut a prima radice, ab eadem materia, seu corpore, ut a termino suæ habitudinis, et a puro receptivo, et limitativo ipsius per se, et indispensabiliter semper inspecto : et insuper eadem individuatio est occasionata ex eodem corpore, et naturaliter saltim nequit incipere nisi desumpta occasione ab illo. Quamvis, quia habet *esse* absolutum, seu independens a corpore secundum se sumptum, ex eo, quod est per se subsistens, ideo ejus *esse*, et individuatio semel producta non pendeat ab illo tanquam ab occasione, nisi tantum, quoad sui initium, non vero in sui fine, id est, non ita pendet a corpore, ut eo pereunte, ipsa etiam anima, et ejus individuatio pereant.

Ad ultim

Complut.

31 Quæ solutio, quoad utramque sui partem desumitur ex Divo Thom. Quoad primam quidem, scilicet animam rationalem individuari ex habitudine ad materiam, et corpus singulare, atque adeo ab eodem corpore, ut a prima radice, et termino prædictæ habitudinis, eam docuit Angelicus Doctor quæst. de spiritualibus creaturis, art. 9, his verbis : *Dicendum, quod licet corpus non sit de essentia animæ, tamen anima secundum suam essentiam habet habitudinem ad corpus, in quantum hoc est ei essentiale, quod sit corporis forma : et ideo in diffinitione animæ ponitur corpus : sicut*

D.Thom.

ergo de ratione animæ est, quod sit forma corporis : ita de ratione hujus animæ, in quantum est hæc anima, est, quod habeat habitudinem ad hoc corpus.

Quoad secundam vero partem, nimirum eamdem animam rationalem individuari a corpore, ut ab occasione, et modo dicto, docuit etiam eamdem solutionem Angelicus Doctor de ente, et essentia, cap. 6, ubi loquens de individuatione prædictæ animæ, sic ait : *Licet individuatio ejus ex corpore occasionaliter dependeat quantum ad sui inchoationem, quia non acquiritur sibi esse individuatum, nisi in corpore, cujus est actus : non tamen oportet, ut destructo corpore individuatio pendeat : quia, cum habeat esse absolutum, ex quo acquisitum est sibi esse individuatum, ex hoc, quod facta est forma hujus corporis ; illud esse semper remanet individuatum : et ideo dicit Avicenna, quod individuatio animarum, et multiplicatio dependet ex corpore quantum ad sui principium, sed non quantum ad sui finem.*

Objectio. 32 Nec refert si dicas, quod sicut anima rationalis quantum ad suum finem habet esse per se subsistens, ita quantum ad suum principium : at hoc non obstante requiritur corpus ad ejus individuationem, quoad sui principium : ergo etiam, quoad sui finem : ac proinde sicut ejus individuatio, et *esse* pendent a corpore quoad sui initium, tanquam ab occasione, ita quoad sui consistentiam, et finem : vel si, quoad sui consistentiam non pendet, nec quoad initium.

Solvitur. Respondetur enim negando utramque consequentiam : est enim dispar ratio, quam adduxit D. Thom. de potentia, quæst. 3, art. 10, ex eo, quod anima facta est per creationem, et ita inquit : *Res creatæ sunt a Deo in sua naturali perfectione : perfectum enim naturaliter præcedit imperfectum, secundum Philosophum, etc. Anima autem non habet perfectionem suæ naturæ extra corpus, cum non sit per se ipsam completa species alicujus naturæ, sed sit pars humanæ naturæ : alias oporteret, quod ex anima et corpore non fieret unum nisi per accidens. Unde non fuit anima humana extra corpus creata.* Quia tamen semel creata anima cum sua naturali perfectione, quæ ei accrescit ex unione ad corpus, non inconvenit, ut postea eam amittat, quia unita est corpori corruptibili, et unioni amissibili, ex eo, quod non satiat totam capacitatem materiæ, propterea potest amittere hanc perfectionem : et quia semper habet esse per se subsistens, queit ea amissa, adhuc cum suo *esse*, et individuatione permanere.

DUBIUM II.

Utrum materia secundum se, et præcise sumpta, an vero materia signata quantitate sit primum radicale principium individuationis totius compositi substantialis ?

33 Ex dictis dub. præcedenti satis constat, materiam esse primum, et radicale principium individuationis totius compositi, ac proinde et formæ substantialis. Hoc autem semel explicato, statim pulsat animum inquirere, an materia secundum se, et præcise sumpta, an vero, ut signata quantitate habeat rationem prædicti principii primi, et radicalis ? Et hoc semel explicato, tota hæc res dilucidata manebit. Quia licet ad individuationem adæquatam compositi concurrat etiam in recto unio materiæ, et formæ, attamen certum est, non posse in eam, ut in primum principium, tandem resolvi individuationem, tam ipsius totius, quam materiæ, aut formæ : siquidem unio singularis, et individua, ut se tenet ex parte materiæ, certum est, quod debet eam præsupponere individuam. Et similiter unio individua formæ non potest non eamdem, ac proinde etiam materiam, ut singularem, ac individuam supponere : siquidem ideo talis unio est *hæc*, et non *illa*, quia est hujus formæ : et ideo est hujus formæ, quia hæc forma est hujus materiæ, ut ex dictis constat : et propterea peculiare dubium, quoad hoc circa unionem non excitamus. Cæterum quia dubii titulus aliquid ambiguitatis præ se fert, ideo antequam adversariorum sententiam proponamus, oportet illum explicare.

§ I.

Explicatio tituli.

Animadversio. 34 Pro tituli ergo explicatione notandum est, nomine materiæ signatæ quantitate, tria posse intelligi. Primum quidem compositum quoddam accidentale consurgens ex materia, et quantitate ipsa actu, et in exercitio habita. Secundum vero materia ipsa, non, ut de formali, et in recto dicit quantitatem, sed ut dicit modum quemdam eidem materiæ superadditum, ratione cujus determinatur, seu signatur certa quantitate, id est, hac quantitate, et non illa : atque adeo importat quoddam concretum, aut quasi concretum ex prædicto modo, seu sigillatione,

gillatione, et materia ipsa consurgens, ratione cujus dicitur signari prædicta quantitate. Unde licet modus iste, et determinatio, seu signatio per illum causata, et consequenter materia, ut consignata importetur in recto : nihilominus mediante illo dicitur signari quantitate, quia quantitas ipsa in obliquo importatur, nec potest sine illa sic importata, reddi materia signata ad certam, et determinatam formam substantialem, nec ad certam, et determinatam quantitatem. Et ita tota ista res optime explicatur, per hoc, quod materia signata quantitate sit principium primum individuationis, siquidem in hoc complexo tam materia, quam modus, et signatio ponuntur in recto, quantitas vero in obliquo.

Tertium vero materia ipsa, ut dicit puram, et nudam entitatem materiæ absque prædicto modo ei superaddito, et ex natura rei ab illa diverso, cum quodam tamen connotato, id est, prout dicit materiam ipsam, ut præhabentem per modum primæ radicis hanc quantitatem, et non illam : seu (ut multi volunt) quatenus per modum principii primi, et radicalis dicit connexionem, vel habitudinem ad hanc quantitatem, et non ad illam : nam ratione hujus designatur, et determinatur ad hanc formam, et hoc compositum, potius, quam ad illud.

35 Titulus ergo dubii non intelligitur de materia signata quantitate, prout peculiariter, et determinate dicit aliquam ex signationibus nuper recensitis, sed, ut abstrahit ab omnibus illis, et dicit materiam signatam, seu determinatam quantitate, sive hæc determinatio fiat hoc, vel illo modo ex nuper dictis. Explicabimus tamen in sequentibus dubiis, quonam ex illis debeat signari ad hoc, ut sit primum, et radicale individuationis principium, ut ita certiora, et magis recepta a non ita certis, et receptis separemus. Nam, quod materia signata quantitate, sit individuationis principium, est certius, et communiter receptum inter Thomistas : quamvis non sit ita certum, et receptum, quonam ex his modis prædictis signetur, seu determinetur quantitate, ad hoc, ut sit primum radicale principium individuationis.

Ex quo etiam intelligitur, cur D. Thom. et ejus discipuli utuntur hoc complexo scilicet, *materia signata quantitate* ad inquirendum, an materia, ut aliquo ex modis dictis affert quantitatem, habeat rationem primi, et radicalis principii individuationis? Quia nimirum, ut infra dicemus, et modo tetigimus, proprium est materiæ, ut aliquo ex modis dictis importat quantitatem, reddi appropriatam, determinatam, et signatam ad habendum hanc potius formam, quam illam, et ad hoc, quod sit pars hujus compositi potius, quam illius, atque ad hoc, ut sit radix tam hujus formæ, quam hujus compositi, ut sunt *hæc*, et individua.

36 Potestque hoc magis explicari : ex eo, quod idem est inquirere, an materia signata quantitate, sit prima radix individuationis? ac inquirere, an materia, ut est *hæc*, et modo sibi debito est omnino singularis media quantitate, sit principium prædictæ individuationis? quia idem est esse materiam omnino singularem, ac esse materiam signatam : quandoquidem sola materia singularis potest quantum est ex se, et secluso alio designari, et propterea Dialectici ad significandum singulare, seu individuum omnino determinatum, utuntur nomine individui signati. Unde quia si materia, ut aliquo ex modis dictis affert quantitatem, potest esse principium individuationis, debet esse, quia ut illam importat, fit *hæc*, et omnino singularis, ac proinde fit materia signata, propterea ad inquirendum, utrum materia, ut aliquo modo ex explicatis affert, seu involvit quantitatem, sit prima radix, et principium individuationis? optime D. Thom. et ejus discipuli utuntur hoc inquirendi modo, scilicet an materia signata quantitate, seu (quod idem est) facta, modo sibi debito, *hæc* determinata, et singularis, ac designata media quantitate, sit primum principium prædictæ individuationis.

§ II.

Adducitur prior sententia.

37 Prima sententia asserit, materiam secundum se præcise sumptam, non vero, ut sigillatam quantitate, esse primum, et radicale principium individuationis totius compositi substantialis. Ita Albertus relatus a Flandria, 7 Metaphysic., quæst. 22, art. 1, cui ex parte consentiunt Suarez, et alii, ut ex dictis dub. præcedenti constat. Albertus Suarez.

Probatur primo. Nam Divus Thomas absolute affirmat, materiam esse primum principium individuationis compositi substantialis, nulla facta mentione quantitatis, aut signationis mediante illa, 1 part., quæst. 3, art. 2 ad tertium, et pluribus aliis locis relatis in tabula aurea, verbo *individuum*, Probatur primo, ex D.Thom.

num. 21, et peculiariter opusculo de Principio individuationis, his verbis : *Illud ergo quod est primum subjectum omnium in via generationis : et incompletum, quod de nullo illius generis prædicatur, materia scilicet, necessario erit primum principium esse incommunicabilis, quod est proprium individui.*

Confirmatur primo ex eodem.

Confirmatur primo. Nam in eodem opusculo non solum absolute dixit materiam esse primum principium individuationis, sed addidit, ei soli rationem talis primi principii convenire; et ita ait : *Materia enim sola est principium individuationis, quoad illud, in quo salvatur ratio primi.*

Confirmatur secundo ex eodem Sancto Doctore, part. 1, quæst. 29, art. 1, ubi constituit discrimen inter individuationem accidentium, et substantiæ, quod substantia individuatur per seipsam, secus vero accidentia : et ita ait : *Licet universale, et particulare inveniantur in omnibus generibus, tamen speciali quodam modo individuum invenitur in genere substantiæ : substantia enim individuatur per se ipsam, sed accidentia individuantur per subjectum, quod est substantia : dicitur enim hæc albedo, in quantum est in hoc subjecto. Unde etiam convenienter individua substantiæ habent aliquod speciale nomen præ aliis.* Quod etiam docuit quæst. 9 de Potentia, art. 1 ad 8, dicens : *Accidentia non individuantur, nisi ex suis subjectis : sola autem substantia per se ipsam individuatur, et per propria principia, et ideo convenienter in solo genere substantiæ, particulare habet proprium nomen.* Quare si semel materia est primum principium individuationis totius substantiæ materialis, ut dub. præcedenti diximus, non poterit habere rationem talis principii, ut importat accidentia, sed secundum se, et præcise sumpta.

Confirmatur secundo ex eodem.

Probatur secundo ratione.

38 Secundo probatur ratione. Quoniam materia secundum se, et præcise sumpta est prima pars, primaque radix compositi substantialis : ergo eodem modo erit prima pars, primaque radix, et principium individuationis illius. Antecedens videtur perspicuum. Quoniam ut in lib. Physicor., disput. 15, num. 19 et deinceps nostri Complutenses docent, facta collatione inter materiam, et formam, quæ solæ sunt partes compositi substantialis, prior est materia, quam forma : ex eo, quod hæc ex potentia illius educitur. Consequentia vero probatur. Quoniam cum unumquodque sit in se unum, et individuum, sicut est ens, sit inde, ut quod se ipso cum præcisione sumpto, est prima pars, primaque radix compositi substantialis, sit etiam prima pars, primaque radix unitatis individualis, atque adeo individuationis illius.

Compl.

Prob tertii

Tertio. Nam sicut specificatio sumitur a forma, ita individuatio a materia, ut ex dictis dub. præcedenti constat : ergo individuatio compositi substantialis sumetur, ut a prima radice a materia secundum se, et non, ut aliquo modo affert quantitatem, seu, ut signata quantitate. Patet consequentia. Quia specificatio, hoc ipso, quod sumatur a forma, ut a prima radice, sumitur ab illa sola secundum ea, quæ per se, et ex propriis meritis præcise spectatis affert : ergo hoc ipso, quod individuatio sumatur a materia, ut prima radice, debet ab illa secundum se, et secundum ea, quæ præcise ex suis meritis affert, non vero, ut aliquo modo importat quantitatem, desumi.

Quart Compl

39 Quarto. Nam unitas generica sumitur ut a prima radice a materia sola, juxta ea, quæ in Logica, disp. 5, num. 75, nostri Complut. optime docent : ergo etiam individuatio, seu individualis unitas, ratione cujus unum individuum differt solo numero ab alio. Consequentia ex paritate rationis patet. Nam ideo unitas generica sumitur a sola materia, ut a prima radice, quia talis unitas est materialis : ex eo, quod est propria rationis genericæ, quæ se habet ad instar materiæ, et potentiæ respectu differentiarum specificarum : ergo cum unitas individualis sit etiam materialis, consequens erit, ut etiam sumatur a sola materia. Maxime, quia unitas individualis est materialior, quam generica : quandoquidem genus numeratur inter gradus formales respectu speciei, licet habeat se ad instar materiæ respectu differentiæ specificæ : individuatio vero, et individualis unitas solum se habet per modum conditionis, sive determinationis materialis respectu speciei.

Confirmatur.

Confirmatur. Nam materia de se est incommunicabilis alicui eo modo, quo ratio superior est in inferioribus : quia de se est irreceptibilis in aliquo alio : ergo de se, et ex propriis meritis præcise erit prima radix individuationis. Patet consequentia. Quoniam quod potissimum est in individuo, ut tali, est ratio omnimodæ incommunicabilitatis jam dictæ : et ita satis erit ad illud per modum primæ radicis id, quod ex propriis meritis est, modo insinuato, incommunicabile.

40 Quinto.

Quinto. 40 Quinto. Nam materia prima prius, quam actu recipiat in se hanc potius quantitatem, quam aliam, vel per aliquem modum, ab illa ex natura rei distinctum determinetur ad eam, vel præhabeat in se radicaliter illam, seu dicat habitudinem, connexionemve cum ipsa, debet præintelligi singularis, et individua : ergo ipsa secundum se, et cum præcisione sumpta, erit individua, et prima radix individuationis totius compositi. Antecedens ex se videtur constare. Quoniam hæc potius quantitas, quam illa seu (quod idem est) quantitas singularis, et individua, nequit recipi nisi in materia singulari. Sicut neque materia communis, sed sola materia singularis potest esse determinata, aut dicere habitudinem ad hanc potius quantitatem, quam ad illam, aut continere eam per modum radicis : quandoquidem materia communis, est de se indifferens ad quamlibet quantitatem.

Consequentia vero quoad primam ejus partem ex antecedenti constat. Nam hoc ipso, quod materia præsupponatur individua antequam aliquo modo importet quantitatem singularem, non potest ulla ratione reddi singularis per eam, sicut neque per hanc potius formam substantialem, quam per illam, aut quodlibet aliud accidens singulare : siquidem etiam forma substantialis, et omnia accidentia singularia recipiuntur in materia singulari : ac proinde præsupponunt illam singularizatam : ergo oportebit, ut materia sit ex se individua.

Quoad secundam vero partem eadem consequentia etiam constat. Quoniam materia est prima pars compositi substantialis : et ita hoc ipso, quod ipsa ex se, et non signata quantitate sit individua, non potest non esse prima radix individuationis compositi : sicut ratione sui est prima radix materialitatis ipsius.

Ultimo. 41 Ultimo. Quoniam materia non potest esse prima radix individuationis compositi, quatenus actu afficitur quantitate, et includit illam, nec quatenus per aliquem modum superadditum, et ex natura rei ab ea distinctum determinatur ad hanc potius quantitatem, quam ad illam, nec tandem, ut aliquo modo præhabet hanc numero quantitatem : ergo nullo modo poterit esse principium individuationis, ut est sigillata quantitate. Consequentia non indiget probatione, suppositis iis, quæ in explicatione tituli diximus : siquidem, ut ex se, et ex ibidem dictis constat, materia solum his tribus modis potest signari quantitate, et sic signata esse prima radix individuationis.

Antecedens vero quoad primam partem videtur certum. Quoniam nullum accidens potest requiri ad individuationem compositi substantialis, tanquam quid actu, et in exercitio habitum, aut intrinsece inclusum in ipso individuo, aut individuationis principio : et ita si Deus separaret quantitatem, et cætera accidentia a Petro, maneret nihilominus cum sua individuatione. Sicut licet in Sacramento Eucharistiæ separet accidentia panis ab ipso pane ; nihilominus accidentia illa manent individua, et singularia. Quod potiori ratione de ipsa substantia ab eisdem accidentibus separata dicendum est : siquidem minus pendet ab illis, quam accidentia ab ipsa.

Quoad secundam vero partem, etiam liquet. Quoniam ultra materiam, formam, et unionem, nulla alia entitas, aut substantialis modus invenitur in composito substantiali, ut ex dicendis dub. 4 magis constabit. Quoad tertiam vero partem idem antecedens etiam constat. Quoniam prius introducitur in materia hæc numero forma substantialis, quam hæc numero quantitas : siquidem ut patet ex iis, quæ nostri Complut. docent in lib. de Generatione, disput. 2, num. 68 et 76, quantitas non recipitur in sola materia, sed in toto composito : ergo materia prius continebit per modum radicis hanc formam substantialem, quam hanc quantitatem : ac proinde cum materia, ut in illo priori præhabens hanc numero formam non possit non esse in eodem priori singularis, nequibit individuari per hoc quod hanc numero quantitatem, potius, quam illam præhabeat. Complut.

Confirmatur. 42 Confirmatur. Nam si materia, ut signata quantitate est individuationis principium, fieret inde, quod tam ipsa, quam forma, ut re ipsa, et in executione tribuit primum gradum, scilicet *esse* substantiale non sint aliquid singulare, sed solum aliquid commune : hoc autem est absurdum : ergo, etc. Minor ex se constat : quandoquidem quidquid actu, et in exercitio datur a parte rei, debet esse aliquid singularizatum. Sequela vero probatur. Nam, ut ex Aristot. docet D. Thom., 1 part., quæst. 76, art. 6, forma immediate unitur materiæ, quantum ad primum gradum, quem illi confert, ita, ut ad hoc quantitas non requiratur etiam per modum dispositionis, aut in genere Aristot. D.Thom.

causæ materialis : ex eo, quod materia ex se ipsa est determinata ad recipiendum primum gradum, qui ei a forma substantiali potest provenire, scilicet *esse* substantiale : ergo si materia non est individua, nisi ut sigillata quantitate, nequibit in illo priori, in quo re ipsa, et in executione recipit formam secundum dictum gradum, esse singularis : ac proinde, nec forma illum in eodem priori tribuens erit singularis.

§ III.

Vera, etantiqua Aristotelis et D. Thomæ sententia.

Conclusio. Probatur ex Arist.

43 Dicendum tamen est, materiam sigillatam quantitate aliquo ex tribus illis modis in explicatione tituli a num. 34 usque ad numerum 37 recensitis, esse primum, et radicale individuationis totius compositi substantialis, ac proinde et ipsius formæ substantialis principium. Ita Aristot., 5 Metaphysic., text. 12, his verbis : *Amplius autem alia secundum numerum sunt unum, alia secundum speciem, alia secundum genus, alia secundum analogiam : numero quidem, quorum materia una*, etc. Quæ verba sic explicat D. Thom. ibid. lect. 8 : *Ponit aliam divisionem unius, quod quædam sunt unum numero, quædam specie, quædam genere, quædam analogia. Numero quidem sunt unum, quorum materia est una. Materia enim secundum quod stat sub dimensionibus signatis, est principium individuationis formæ, et propter hoc ex materia habet singulare, quod sit unum numero ab aliis divisum.* Et eodem modo exponit hoc idem testimonium Philosophi Angelicus Doctor super Boetium de Trinitate, quæst. 4, art. 2 ad primum, his verbis : *Cum dicit Philosophus, numero sunt unum, quorum materia est una, intelligendum est de materia signata, quæ subest dimensionibus; alias oporteret dicere, quod omnia generabilia, et corruptibilia sunt unum numero, cum eorum sit materia una.*

D.Thom.

Probatur ex D.Thom.

Idem etiam docet Angelicus Doctor de ente, et essentia, cap. 2, littera H, ubi sic loquitur : *Et ideo sciendum est, quod materia non quomodolibet accepta, est principium individuationis, sed solum materia signata. Et dico materiam signatam, quæ sub certis dimensionibus consideratur. Hæc autem materia in diffinitione hominis in quantum homo non ponitur, sed poneretur in diffinitione Socratis, si Socrates diffinitionem haberet, in diffinitione autem hominis ponitur materia non signata. Non enim in diffinitione hominis ponitur hoc os, et hæc caro, sed os, et caro absolute, quæ sunt materia hominis non signata.* Et in opusculo citato super Boetium, quæst. 4, art. 2, in solutione ad secundum : *Dimensiones cum sint accidentia per se, non possunt esse principium unitatis individuæ substantiæ, sed materia prout talibus dimensionibus substat, intelligitur esse principium talis unitatis, et multitudinis.* Et in solutione ad 4 sic asserit : *Illa quæ differunt numero in genere substantiæ, non solum differunt accidentibus, sed etiam forma, et materia : sed si quæratur, quare hæc forma differt ab illa? non erit alia ratio, nisi quia est in hac materia signata, nec invenitur alia ratio, quare hæc materia sit divisa ab illa, nisi propter quantitatem : et ideo materia subjecta dimensioni intelligitur esse principium hujus diversitatis.*

44 Quod etiam docuit Angelicus Doctor in 4 sentent., dist. 12, quæst. 1, art. 1, quæstiuncula 3 ad tertium, et 3 part., quæst. 77, art. 2, ubi duo petit in individuationem rei materialis, nempe subjectum, seu materiam, et quantitatem. Et tandem hoc ipsum tuetur 1 part., quæst. 3, art. 2 ad tertium; quæst. 30, art. 3; quæst. 50, art. 4; quæst. 54, art. 3 ad secundum; quæst. 56, art. 1 ad secundum; quæst. 75 et 85, art. 1 ad secundum, et 1 contra gent., cap. 21, et 2 contra gent., cap. 92, et quæst. de malo, art. 1 ad octavum, et alibi sæpissime. Unde tam Aristot. quam S. Doctorem sequuntur Capreolus in 2, dist. 3, quæst. 1, art. 2, conclus. 2, et art. 3, in solutione ad argumenta Scoti secundo loco adducta contra eamdem conclusionem. Cajetan., de ente et essentia, cap. 2, quæst. 5; Soncinas, 7 Metaphysic., quæst. 33 et 34; Ferrara, 1 contra gent., cap. 21; Flandria, 7 Metaphys., quæst. 22, art. 3; Javellus, 5 Metaphysic., quæst. 15; Abulens., 2 tom. super cap. 23; Exodi, quæst. 60, circa medium; Bannez, 1 part., quæst. 3, art. 2 ad secundum, et 1 de Generat., cap. 5, quæst. 3, art. 8, asserens, assertionem nostram, ut jacet, ab omnibus, qui se D. Thom. discipulos profitentur, esse acceptandam. Idem etiam tuetur Nazar., 1 part., quæst. 3, art. 2, controv. unica; Gonzal., quæst. 11, art. 1 ad 2, disp. 23, § 2, conclus. 9; Ripa, quæst. 3, art. 2; Petrus a Jesu Maria, alias Serna Hispalens., in sua Logica, disp. 3, sect. 5, quæst.

D.Thom. Capreol. Cajetan. Soncin. Ferrara. Flandria. Javellus. Abulens. Bannez. Nazar. Gonzalez Ripa. Petrus a Jesu.

5, quæst. 3, art. 1, asserens, hanc esse indubitatam Aristot. et Divi Thom. sententiam, et tandem alii quamplures.

Re-
ponsio
uarez.

45 Nec refert si cum Suarez respondeas, Aristotelem non videri unquam ex professo et metaphysice investigasse, et declarasse principium individuationis, sed solum ex sensibilibus physico more, et tanquam a signo docuisse unum individuum materiale distingui numero ab alio per quantitatem, et alia accidentia sensibilia, sive per materiam signatam quantitate : et ita prædictam materiam solum, quoad *cognosci*, et *sentiri*, non vero, quoad *esse*, habere rationem prædicti principii. Quo etiam modo inquit intelligendum esse Divum Thomam dum toties assignat pro primo principio individuationis substantiæ materialis materiam ipsam quantitate signatam.

ejicitur

Non itaque hoc refert. Tum quia mirum esset quod Aristot. simul, et in eodem textu egerit, tam de unitate analoga, generica, et specifica, quam numerica, et quod illis prioribus proprium principium, et radicem, quoad *esse* assignaverit : soli vero unitati numericæ, principium, quoad *cognosci*, non vero quoad *esse* dederit. Tum etiam : quia Aristot. in Metaphysic. et metaphysico more egit de unitate ut sic : ex eo, quod habet se ad instar passionis respectu entis, quod est proprium objectum Metaphysicæ. Et deinde, quia ratio unitatis, ut sic, valde innotescit ex eo, quod cognoscantur diversi illi modi unitatum, scilicet analogæ, genericæ, et specificæ, propterea in eadem Metaphysica, et metaphysico more de illis egit, assignando proprium principium, quoad *esse* earum : ergo dum in eodem loco simul loquitur de unitate numerica assignans principium ejus, etiam egit de illa, et ejus principio, quoad *esse*, et metaphysico more : siquidem cognitio hujus unitatis, quoad suum *esse*, et sui radicem non minus conducit ad exactam notitiam unitatis, quam cognitio aliarum unitatum. Maxime, quia, ut ex eodem Aristot. dub. præced. vidimus, proprium principium, quoad *esse* prædictæ unitatis, nequit esse forma, sed materia, ut determinata ad hoc individuum, seu compositum substantiale, quod, ut ex statim dicendis constabit, nihil est aliud, quam materia aliquo ex modis prædictis signata quantitate.

46 Ex quo etiam fit, non posse expositionem hanc Patris Suarez adaptari testimoniis Divi Thomæ. Tum quia eodem modo loquuntur Aristotel. et Angelicus Doctor. Tum etiam : quia rationes, quas dub. præcedenti ex Aristotel. et Divo Thoma adduximus, vel nihil probant, vel suadent, materiam signatam quantitate esse principium individuationis quoad *esse*, et non solum quoad *cognosci*, ut eas intuenti constabit. Tum deinde, quia Sanctus Præceptor, tam in loc. citato ex 3. part., quæst. 77, art. 2, quam opusculo 70, quæst. 4, art. 2, et alibi sæpe, inde colligit, materiam non qualiter cunque sumptam, sed signatam quantitate, esse primum principium individuationis totius compositi substantialis : quia quantitas ex se ipsa, ut ex prima radice quodammodo habet quamdam individuationem : et ideo recte materia prout subest (modo num. 116 et deinceps dicendo) quantitati, debet esse primum principium individuationis, juxta illud commune proloquium, scilicet, nihil est tale, nisi ex se ipso sit tale, vel aliquo modo subsit ei, quod ex se est tale. Hæc autem ratio (ut de se patet, et ex dicendis num. 49, 91 et 92, et disp. sequenti a num. 21 usque ad 27, necnon num. 38, magis constabit) probat, materiam prout subest quantitati, seu quantitate signatam habere rationem primi principii individuationis, non solum quoad *cognosci*, sed etiam quoad *esse*.

Tum denique : quia expositio hæc Patris Suarez aperte contradicit pluribus testimoniis Divi Thomæ, quæ num. 9 et 10 adduximus, ut perspicienti constabit. Præcipue vero testimonio ejusdem Sancti Doctoris opuscul. 70, quæst. 4, art. 2, ubi sic habet : *Materia secundum se considerata non est principium diversitatis secundum speciem, nec secundum numerum : sed sicut est principium diversitatis secundum genus prout subest communi formæ, ita est principium diversitatis secundum numerum, prout subest dimensionibus interminatis : et ideo cum hæ dimensiones sint de genere accidentium, quandoque diversitas secundum numerum reducitur in diversitatem materiæ, quandoque in diversitatem accidentium, et hoc ratione dimensionum prædictarum. Alia vero accidentia non sunt principium individuationis, sed sunt principium cognoscendi distinctionem individuorum, et per hunc modum etiam aliis accidentibus individuatio attribuitur.*

47 Si autem materia signata quantitate, ac proinde quantitas, non esset quodammodo, et in sensu infra num. 116 et deinceps explicando, principium individuatio-

nis substantiæ materialis, quoad *esse* : tunc nulla esset diversitas illa, quam Divus Thomas, loco nuper adducto constituit inter quantitatem, et alia accidentia : siquidem etiam cætera accidentia sunt signum a posteriori individuationis compositi substantialis : et redditur demonstrabile per illa.

D.Thom. Unde contra hoc non urgent duo illa testimonia ex D. Thom., opusc. 32, de natura materiæ, et dimensionibus interminatis, cap. 3, et opusc. 29, de principio individuationis, quæ Suarez, disp. 5 suæ Metaphysic., sect. 3, pro se adducit, ut constabit ex iis, quæ infra num. 75 adducemus, quin potius nobis magnopere favent, ut amplius ex iis, quæ num 139 dicentur, patebit.

Suarez.

§ IV.

Aristotelis, et Divi Thomæ sententia ratione quadam fundamentali fulcitur.

Idem. 48 Quia Franciscus Suarez loco citato, disput. 5, sect. 3, num. 4, de assertione nostra (quam esse ipsam Arist. et D. Thom. mentem testimoniis ex eisdem petitis ostendimus) inquit, se fere nullum invenire pro ea fundamentum, quod ad Aristot. authoritatem non revocetur, propterea, postquam prædictam assertionem testimoniis Aristotelis, et Divi Thomæ stabilivimus : et simul explicuimus, quomodo expositiones a Suarez (ne videantur contra Philosophum, et Angelicum Doctorem incedere) eis adhibitæ, non recte illis adaptentur, placuit duplicem rationem fundamentalem in hoc, et sequenti §, expendere, et radicitus explicare, ut ita appareat, an sententia Aristotel. et Divi Thomæ solidis fundamentis sit stabilita, necne?

Ratio fundamentalis prima pro conclusione ex D. Thom. Prior ergo, et fundamentalis ratio assertionis desumitur ex Divo Thoma loco citato super Boetium, libro de Trinitate, art. 2, quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam forma non potest esse prima radix individuationis totius compositi substantialis, sed hoc necessario debet materiæ convenire : at materia secundum se, et præcise sumpta nequit habere rationem prædicti principii et radicis : ergo ipsamet ut signata quantitate erit primum principium, et radix talis individuationis. Major constat ex iis, quæ num. 11 et deinceps diximus. Minor autem etiam liquet. Quoniam materia secundum se, et præcise sumpta est communis omnibus formis, et compositis sublunaribus, et ita nequit esse propria alicujus individui potius quam alterius, atque adeo nec prima radix individuationis hujus compositi magis quam illius.

Consequentia autem ex utraque præmissa aperte videtur sequi. Tum, quia probabile est, quod nomine quantitatis, per quam signatur. materia, non intelligitur quantitas mathematice, sed physice accepta, id est, una cum qualitatibus, et accidentibus sensibilibus, quibus affecta est. Constat autem quod si individuatio compositi substantialis nequit sumi, tanquam a prima radice, ab ipsa forma substantiali, neque ab ipsa materia præcise sumpta, tunc non superest aliquid aliud a quo sumatur, nisi ab ipsa materia, ut signata accidentibus, quæ disponunt ad hanc potius formam substantialem, quam ad illam, seu (quod idem est) signata quantitate sensibili, et physice accepta.

49 Tum etiam ut maxime : quia ut disp. sequenti, num. 24 et deinceps expendemus, quantitas hoc habet speciale inter reliqua accidentia, ut quodammodo ex se habeat esse radicem propriæ individuationis : et ideo materia, quæ secundum se, et præcise sumpta, non est prima radix individuationis, nisi ei aliquid superaddatur, poterit habere rationem prædictæ radicis, si determinetur, et signetur per quantitatem. Nam sicut quia ignis est calidus ex se, et per naturam, propterea nihil potest esse calidum, nisi vel sit ignis, vel præhabeat illum, vel aliquo modo participet, ut dicat connexionem, ordinemve ad ipsum, ita quantitas ex se habet quodammodo individuationem materialem, et quodammodo est prima radix illius, ideo nihil habet in rebus materialibus rationem individui, nec primæ radicis illius, nisi vel sit quantitas, vel præhabeat illam, aut dicat connexionem, habitudinemve ad ipsam (quod quidem in idem redit) cum materia aliquo modo signata quantitate, ut ex dictis num. 34 constat.

Tum denique. Quia hoc ipso quod prima radix individuationis compositi substantialis debeat esse materia, et non nude sumpta, oportet ut sit eadem materia, ut importat aliquod accidens materiale ex parte illius se tenens, et in ordine ad receptionem formæ quodammodo concurrens, ut ita salvetur, quod prima radix individuationis non est forma substantialis, sed materia ut talis : siquidem nihil aliud præter prædictum accidens potest esse aliquid materiale ex parte materiæ se tenens, et ad prædictam receptionem

receptionem quodammodo, et juxta infra num. 116 dicenda concurrens : cumque quantitas sit primum accidens materiale, quod ex parte materiæ (modo tamen in libris de Generat. a nostris Complut., disp. 2, num. 97 et deinceps explicato) se tenet, ut a num. 119 usque ad num. 124 dicemus, oportet, quod materia ut aliquo modo importat prædictam quantitatem, et signatur per illam, sit prima radix, primumque principium individuationis totius compositi materialis.

50 Confirmatur, et explicatur ratione, quam innuit idem Angelicus Doctor. Quoniam illud est prima radix individuationis compositi substantialis, quo posito, primo ponitur individuatio : sed posita materia signata per quantitatem, seu (quod idem quoad præsens est) signata hac quantitate, et non illa, primo ponitur individuatio totius compositi : ergo materia, ut signata prædicta quantitate erit prima radix talis individuationis. Major cum consequentia satis liquent. Minor autem etiam ex nuper dictis constat. Quoniam hoc ipso quod detur materia signata hac quantitate, datur materia primo determinata ad hanc potius formam, et ad hoc compositum, quam ad illud : materia autem primo determinata ad hanc potius formam, et compositum, quam ad illud, est id, quo posito, primo ponitur individuatio formæ substantialis, et prædicti compositi : ac proinde materia ut signata prædicta quantitate, erit id quo posito, primo ponitur talis individuatio.

Nec refert si contra rationem hanc objicias, quod si aliquid probat, convincet utique quantitatem esse primam, et potissimam radicem individuationis, non vero materiam primam, quæ quantitate signata est : hoc autem videtur absurdum : quandoquidem prima et potissima radix individuationis substantialis, non potest non esse aliquid substantiale : ergo, etc. Sequela probatur. Quia licet materia signata quantitate sit principium individuationis, attamen facta collatione inter quantitatem, et materiam signatam per illam, tunc materia (ut in hac ratione dicitur) non secundum se, sed ut signata quantitate, habet esse primam radicem individuationis : ergo ratione quantitatis id habebit : ac proinde quantitas erit potissima radix prædictæ individuationis.

51 Respondetur enim, quod si semel verum est, per materiam signatam quantitate intelligi materiam, ut radicaliter præhabentem hanc potius quantitatem, quam illam, tunc concedenda est major de quantitate sic sumpta, quæ modo infra num. 133 dicendo, est idem cum ipsa materia, ut illam præhabente. Nam considerata materia secundum se, et ut radicaliter præhabens hanc potius quantitatem, quam illam, tunc materia ut præhabens concurrit principalius ad individuationem, quam ipsamet secundum se sumpta, ut num. 116 et deinceps dicemus : quia ipsa ut præhabet prædictam quantitatem est una numero positive : at secundum se ad summum est una numero negative.

Cæterum si per materiam signatam quantitate intelligatur materia ut actu affecta quantitate, et ut ab ea per modum formæ inhærentis informatur, tunc neganda est. Quia si semel verum esset (de quo dubio sequenti) materiam in hoc sensu signatam, esse radicem individuationis, tunc quantitas actu habita vel solum concurreret in obliquo, materia vero in recto, atque adeo principalius : vel si quantitas in recto concurreret, non influeret per se primo in id, quod est prius, et essentialius in individuatione, sed in id quod est posterius et habens se ad modum proprietatis : et ita quantitas actu inhærens, minus principaliter influeret, ut ex dicendis dub. sequenti patebit.

§ V.

Eadem sententia alia ratione satis efficaci stabilitur.

52 Secunda autem, et potissima ratio pro eadem assertione desumitur ex Divo Thoma locis citatis, et præcipue opusculo de natura materiæ, quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam primæ substantiæ materiales habent a materia signata quantitate, tanquam a prima radice, quod sint primæ substantiæ materiales quatenus tales : ergo materia, ut signata quantitate erit prima radix individuationis illarum. Consequentia videtur evidens : quandoquidem ratio primæ substantiæ materialis quatenus talis, consistit in hoc, quod sit substantia individua, et singularis, ut ex Aristot. in prædicamentis, cap. de substantia constat : et ita, quod fuerit prima radix primitatis earum, habebit rationem etiam primæ radicis, et individuationis ipsarum.

Ratio secunda ex D. Thom. pro conclus.

Aristot.

Antecedens autem probatur, et explicatur. Nam primæ substantiæ materiales

constituuntur in ratione primarum per hoc, quod nec sint in subjecto, nec de subjecto dicantur : hoc autem in illis provenit, tanquam a prima radice a materia prima signata quantitate, juxta illud Philosophi Idem. 2 Metaphys., text. 30. Primum in unoquoque genere est causa, et radix eorum, quæ sunt post in illo genere : quandoquidem materia signata quantitate est id, cui primo convenit non esse in subjecto, nec de subjecto aliquo dici : ex eo, quod ipsa est primum subjectum, primaque potentia omnino irreceptibilis in quolibet alio.

Confirmatur primo. 53 Confirmatur, et explicatur ratione illa, quam, supra ex Divo Thoma tetigimus, ad præsens tamen in hunc modum applicata. Nam ex eo, quod ratio generica substantiæ materialis consistit in ratione quadam metaphysica, habente se per modum, potentiæ metaphysicæ respectu rationis differentialis, propterea ratio generica in illis desumitur, ut a prima radice a materia prima, quæ est prima, et pura potentia physica : ergo, quia ratio individualis, et metaphysica ejusdem substantiæ materialis, seu ratio ipsius, ut habet in suo ordine esse primam substantiam, consistit in hoc, quod metaphysice loquendo, nec sit in subjecto, ac proinde, nec de subjecto dicatur, consequens erit, ut desumatur tanquam a primo principio, et radice physica, a materia prima signata quantitate : siquidem ipsa est, cui primo physice convenit esse primum subjectum, primaque potentia : cui hoc ipso, quod talis, per se, et essentialiter repugnat, quod sit aliquo modo in subjecto, atque adeo, quod de subjecto aliquo dicatur.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo, et magis hoc ipsum explicatur. Quoniam illud est individuum, quod est incommunicabile inferioribus similibus : sed materia signata quantitate est primum fundamentum hujus incommunicabilitatis : ergo etiam erit primum fundamentum individuationis. Consequentia cum majori satis constant. Minor autem probatur. Nam forma cum sit actus, de se communicabilis est : materia autem, cum sit prima potentia, de se est incommunicabilis : et ita forma cum recipitur in materia signata quantitate, ita coarctatur per hanc receptionem, ut nequeat alteri aliquo modo communicari.

D. Thom. 54 Quæ confirmatio desumitur ex D. Thoma, opuscul. super Boetium de Trinitate, quæst. 4, art. 2, his verbis : *Nulla autem forma in quantum hujusmodi, est hæc ex se ipsa : dico autem in quantum hujusmodi, propter animam rationalem, quæ quodammodo ex se ipsa est hoc aliquid, sed non in quantum forma : intellectus vero quamlibet formam, quam possibile est recipi in aliquo, sicut in materia, vel sicut in subjecto, natus est attribuere pluribus, quod est contra rationem ejus, quod est hoc aliquid : unde forma fit hæc per hoc, quod recipitur in materia, et materia efficitur hæc, et signata, secundum, quod est sub dimensionibus.*

Solutio. Estque ratio hæc una cum suis confirmationibus adeo efficax, ut ex ipsa sola, recte tamen expensa, evanescant solutiones, quæ ei ab adversariis adhibentur. Nam in primis ex ejus expensione facile corruit solutio illa, qua Suarez huic secundæ ratio- Suarez. ni principali disput. citata, sect. 3, num. 7, occurrit, dicens, eam non habere efficaciam, ex eo, quod est longe diversa ratio de subjecto inhæsionis, et de subjecto prædicationis, seu inferioritatis. Et ita, quamvis excogitari possit quædam proportio inter hæc duo subjecta, nam superius comparatur ad inferius sibi subjectum, ut forma dans *esse*, attamen simpliciter non sunt ejusdem rationis, neque unum fundatur in alio : et propterea in simplicibus, et separatis substantiis, ut in Angelis, est subjectio, seu subordinatio inferiorum ad superiora, sine subjecto inhæsionis, aut informationis. Unde ex hoc, quod prima substantia, ut talis, non sit in alio, sicut in subjecto inferioritatis, vel prædicationis, seu eo modo, quo universale est in suis inferioribus, male colligitur individuationem illius desumi, tanquam a prima radice a materia, seu primo subjecto physico signato quantitate.

Refutatur. 55 Hæc igitur solutio facile corruit, si ea, quæ dicta sunt, recte expendantur. Nam sicut non obstante, quod alia sit ratio generis, seu potentiæ metaphysicæ ejusdem generis, et alia generis physici, seu materiæ primæ, nihilominus potentialitas metaphysica illius sumitur, tanquam a prima radice a potentialitate physica materiæ, ut in Logica, disput. 5, num. 75, nostri Complut. optime explicant : ita licet sit di- Complut. versa ratio primi subjecti, primæque potentiæ physicæ, et subjecti inferioritatis, sive prædicationis, debet propter rationem factam ratio primæ substantiæ materialis, consistentis in hoc, quod dicat rationem quamdam substantialem, ita incommunicabilem, ut non sit in aliquo, tanquam in subjecto inferioritatis, aut prædicationis, desumi tanquam a prima radice a materia signata

signata quantitate : de cujus ratione est esse primum subjectum physicum : ac proinde, quod nullo modo sit physice in alio tanquam in subjecto.

'hom. Unde D. Thom. opuscul. de natura materiæ, c. 3, rationem primæ substantiæ materialis, importantis, quod nec in subjecto sit, nec de subjecto dicatur, seu (quod in idem redit) hoc, quod est talem substantiam esse partem subjectivam speciei substantialis, fatetur oriri ex materia prima, ut in ordine physico est primum subjectum, his verbis : *Cum enim subjectum in aliqua specie, seu aliqua pars subjectiva sit prima substantia, quæ individuum dicitur, illud quod tenet rationem primi subjecti est causa individuationis, et divisionis speciei in suppositis : primum autem subjectum est quod in alio recipi non potest.*

arez. 56 Nec id, quod pro se adducit Suar. de individuatione substantiarum simplicium, nempe Dei, vel Angelorum, ei favet. Nam ad hoc optime occurrit Angelicus Doctor, opusc. citato : ubi constituens differentiam inter individua substantiæ compositæ, seu receptæ secundum suam formam in alio, ut in subjecto, et individua substantiæ simplicis, seu separatæ, ita post verba nuper relata (in quibus asseruit, quod primum subjectum est, quod in alio recipi non potest) prosequitur. *Et ideo formæ separatæ eo ipso, quod in alio recipi non possunt, habent rationem primi subjecti, et ideo se ipsis individuantur, et cum in ipsis non sit, nisi forma, est in eis forma secundum rationem formæ : et ideo cum in eis sit idem suppositum, et forma, ex quo se ipsis individuantur in quantum habent rationem primi subjecti, ad multiplicationem suppositorum, multiplicatur in eis forma secundum rationem formæ, secundum se, et non per aliud : quia non recipiuntur in alio : omnis enim talis multiplicatio multiplicat speciem, et ideo in eis tot sunt species, quot sunt individua, in aliis vero formis ubi est multitudo formæ per receptionem in alio, quod habet rationem primi subjecti, et non secundum rationem formæ, manet eadem species in diversis suppositis : hoc autem recipiens est materia, non qualitercunque accepta, ut dictum est, sed secundum, quod habet rationem subjecti primi.*

iom. 57 Quod etiam eleganter explicuit Divus Thomas prima parte, quæstione 3, art. 2 ad tertium, his verbis : *Dicendum, quod formæ, quæ sunt receptibiles in materia individuantur per materiam, quæ non potest esse in alio, cum sit primum subjectum substans : forma vero quantum est de se, nisi aliquid aliud impediat, recipi potest a pluribus, sed illa forma, quæ non est receptibilis in materia, sed est per se subsistens ex hoc ipso individuatur, quod non potest recipi in alio, et hujusmodi forma est Deus : unde non sequitur, quod habeat materiam.*

Solutio. Suarez. Ex duplici instantia.

Et similiter facile corruit ex dictis solutio, quam idem Suarez tradit secundæ confirmationi hujus rationis. Ait enim, quod materiam esse radicem incommunicabilitatis petitæ ad individuationem, et consistentis in hoc, quod individuum sit incommunicabile alteri, eo modo, quo superius est communicabile alicui, ut inferiori, male colligitur ex eo, quod prædicta materia sit primum subjectum, ac proinde non sit in alio, tanquam in subjecto physico. Et rationem reddit. Nam formæ substantiales, et accidentales sunt individuæ, et singulares, et nihilominus sunt communicabiles alteri, ut subjecto physico : et materia prima est communis, et universalis respectu omnium materiarum, cum tamen sit incommunicabilis alteri, ut subjecto physico : et ita prædicta incommunicabilitas, aut communicabilitas nec refert, nec obest ad universalitatem, vel ad singularitatem, aut radicem illius.

Ad primam instantiam respondetur.

58 Ex dictis igitur facile etiam corruit hæc solutio. Nam ad primam instantiam constat, quod, ut ex Angelico Doctore innuebamus, licet formæ incompletæ, sint singulares, et individuæ, non tamen hoc habent ex se, sed quia recipiuntur, sive receptibiles sunt in materia : ipsæ autem, ut receptæ, vel receptibiles in hac numero materia, nequeunt recipi in alia, ut in subjecto : et propterea sunt incommunicabiles alteri, ut subjecto : et ita hoc ipso habent realiter, et physice illam incommunicabilitatem physicam, quæ requiritur ad hoc, quod possint fundare rationem incommunicabilitatis formaliter petitam ad singularitatem metaphysicam, scilicet, quod non possint communicari alteri eo modo, quo superius communicatur suo inferiori, quam tamen non possent aliter fundare. Nam sicut quævis forma singularis, et incompleta, atque adeo receptibilis in subjecto, respicit hoc potius subjectum, quam illud, ex eo, quod est commensurata cum isto, et non cum illo, ita hoc ipso, quod prædicta forma non respiciat aliquod determinatum subjectum, tanquam id, in quo est recepta, vel receptibilis, non erit forma singularis, ut

talis : sed quantum est de se erit communis, et universalis, et potens fundare rationem universalis, ut sic. Sed de his videantur ea, quæ num. 7, disp. sequenti, dicuntur.

Ad secundam.

59 Et deinde ad secundam instantiam de materia prima satis liquet, quod licet materia secundum suam essentiam sit quodammodo communis (modo tamen in 1, Physicor., disp. 3, num. 34, et disp. 6, num. 11, a nostris Complut. explicato) et similiter pertineat (modo jam tacto) ad communem rationem speciei compositi substantialis, attamen eadem materia non est positive individua, ac proinde, nec primum principium individuationis ex se sufficiens (de quo solo in præsenti loquimur) secundum suam essentiam sic præcise sumptam, sed secundum aliam peculiarem rationem, scilicet secundum, quod est signata quantitate : quia non habet rationem prædicti principii, in quod cætera alia principia reducuntur, nisi quatenus est hoc determinatum subjectum primum, et non illud, seu nisi quatenus dicit rationem quamdam positive singularem, quæ ex se, et physice habeat non esse in alio tanquam in subjecto physico. Constat autem ex dictis, materiam non habere prædictam rationem, nisi ut est aliquo modo signata quantitate : et ita quoties est principium diversarum individuationum sibi succedentium concurrit secundum diversam rationem ad illas, nimirum, ut diversimode signatur per diversas quantitates.

Complut.

Itaque in hoc distinguitur forma a materia, quod forma, tam secundum suam essentiam, quam secundum sui rationem ad lineam formæ, ut talis pertinentem, et ab eadem linea proveniente, habet quantum est de se esse communem, et universalem ; quia quantum est de se, est communicabilis alteri, ut subjecto, et solum redditur incommunicabilis, et singularis tanquam a prima radice, ab eo, quod participat a linea subjecti : ex eo, quod subjectum recipit illam, ut explicatum est. Cæterum in materia, alia est sua essentia, quæ potest esse communis pluribus materiis : et alia sua ratio, vel suæ rationes, per quam, aut per quas est radix alicujus peculiaris individuationis, vel plurium individuationum sibi succedentium : et hæc ratio, sive rationes istæ consistentes in diversis quodammodo præcontinentiis diversarum quantitatum (modo tamen numero 116 et deinceps dicendo) quamvis a posteriori certificentur per quantitates, non, ut præcontentas, sed secundum suum *esse* formale sumptas, et actu inhærentes in illis individuis, attamen si secundum se considerantur, pertinent ad lineam materiæ, ut in hac disp., num. 118 et num. 133 et deinceps magis explicabimus : et secundum nullam ex illis potest esse communis, et universalis.

D.Thom.

60 Quæ solutio desumpta est ex Divo Thoma, opuscul. 29, de principio individuationis : ubi cum Sanctus Doctor sibi objecisset, quod materia de sui natura communis est, sicut et forma, cum una materia possit sub pluribus formis esse, ac proinde hæc communitas possit impedire ipsam, ne sit principium individuationis, respondet in hæc verba : *Sed sciendum est, quod impossibile est, formam uniri materiæ, quin sit particularis, et quod eam sequatur quantitas determinata, per quem modum non est ultra communicabilis materia alicui alteri formæ : quia hæc quantitas cum alia forma reperiri non potest cum eadem determinatione, et ideo materia non est communicabilis secundum eamdem determinationem, sicut forma est, ut dictum est. Ratio enim materiæ sub forma aliqua est alia a ratione sua sub alia forma : quia certificatur ratio sua per determinationem quantitatis, quæ in diversa proportione, et dimensione requiritur ad diversas formas : essentia enim materiæ non diversificatur sub diversis formis : sicut ratio sua* (illa scilicet, secundum quam est radix individuationis, nimirum ipsamet, ut signata quantitate). *Ratio enim materiæ non est una, et communis, sicut sua essentia est : ratio enim formæ in diversis materiis est una, licet secundum se sit diversa, et ideo communitas secundum essentiam tantum, quæ est ipsius materiæ, et non secundum rationem, non impedit materiam esse primum principium individuationis.*

§ VI.

Occurritur argumentis primæ sententiæ.

Ad primum, et primam ejus confirmationem, ex D.Thom desumptum.

61 Ad primum, et ejus confirmationem ex Divo Thoma desumptum, constabit ex iis, quæ a num. 91 usque ad num. 98 dicemus. Adde, quod si semel verum est, materiam signatam quantitate non dicere materiam, ut affectam quantitate, sed solum, ut radicaliter præhabentem hanc quantitatem potius, quam illam (de quo dub. 5 agitur) tunc materiam esse signatam quantitate, non dicit aliquid re ipsa distinctum ab ipsa materia, sed eamdem materiam,

materiam, ut radicaliter præhabentem illam : quia effectus, ut habet esse in sua causa, non distinguitur realiter ab illa. Et ita optime dicit, materiam solam esse radicem individuationis, licet materia signata quantitate sit principium illius : quatenus per hoc excluditur, nihil aliud realiter distinctum ab ipsa materia, esse, saltim in recto, radicem talis individuationis. Quomodo autem cum hoc cohæreat, quod in quantitatem ipsam, ut in primam radicem quodammodo reducatur, seu attribuatur ei individuatio substantiæ materialis, quoad esse divisam ultima divisione a quolibet alio, infra num. 91 et 92 nuper citatis explicabitur.

Ad ecundam nfirmaonem.

Per quod etiam ad secundam confirmationem constat. Nam facta prædicta suppositione, scilicet per materiam signatam quantitate, intelligi materiam, ut præhabentem radicaliter hanc quantitatem, et non illam : ac proinde sic sumptam, esse primam radicem individuationis (quam veram esse dub. 5 ostendemus) optime salvatur, quomodo etsi materia ut in hoc sensu signata quantitate, sit principium individuationis, nihilominus per hoc non tollitur, quominus substantia individuetur per se ipsam, tanquam per primam radicem, id est, tanquam per aliquid sui generis, ut explicatum est. Cæterum accidentia omnia habent individuari per aliquid extra proprium genus, scilicet per subjectum : quamvis, quoad, sic aliqualis disparitas inter quantitatem secundum suum *esse* formale sumptam, et inter reliqua alia accidentia disput. sequenti, num. 21 et sequentibus explicanda.

Ad ecundum.

62 Ad secundum, quod licet materia secundum se, et præcise sumpta, id est, prout non signatur per hanc quantitatem potius, quam per illam, sit prima pars compositi substantialis secundum suam speciem, et in communi considerati, non tamen est pars ipsius, ut est, *hoc*, et individuum, nisi, ut habet esse *hanc*, et signatam aliquo modo per quantitatem, propter rationes dictas. Unde juxta hæc debet concedi antecedens, et negari consequentia. Cujus probatio nihil convincit, suppositis iis, quæ modo diximus, ut intuenti patebit.

Ad ertium.

Ad tertium concedendum est antecedens, si tamen debita proportio inter extrema ibidem relata servetur. Et deinde neganda est consequentia. Ad cujus probationem dicendum est, esse disparem rationem. Quia forma de se, et cum præcisione sumpta, est determinata ad tribuendam hanc specificationem, potius, quam illam : quia tantum est nata tribuere semper unicam, et eamdem. Cæterum materia, si secundum se, et præcise sumatur, non habet sufficientem determinationem ad tribuendam hanc potius individuationem, quam illam : ex eo, quod sic sumpta potest reperiri in pluribus individuis : et ita oportet, quod aliquo modo determinetur, et signetur per quantitatem, ad hoc, ut sit principium, et radix hujus individuationis, potius, quam illius.

Ad quartum.

63 Ad quartum concesso antecedenti, negari debet consequentia. Et ad ejus probationem negandum est antecedens. Nam ratio, propter quam unitas generica substantiæ materialis sumitur a sola materia, tanquam a prima radice (modo tamen in Logica, disp. 5, num. 75 et deinceps a nostris Complut. explicato) non est, quia illa unitas est materialis, quatenus per hoc præcise denotatur, quod est rei habentis se adinstar materiæ, et potentiæ : sed quia est unitas potentiæ metaphysicæ ex se indifferentis, ad hoc, ut contrahatur, et determinetur per hanc potius differentiam specificam, quam per illam : et ita non petit materiam aliquo modo determinatam per hanc potius quantitatem, quam per illam : at unitas individualis, est unitas materialis rei ultimate determinatæ, et divisæ ultima divisione. Unde non mirum, quod petat tanquam primam radicem materiam, non quidem indifferentem, et indeterminatam, seu materiam secundum se, et cum præcisione jam dicta, sed eamdemmet, ut aliquo modo signatam, et determinatam per quantitatem. Per quod ad cætera, quæ in eodem argumento adducuntur, satis constat. Complut.

Ad confirmationem.

Ad confirmationem concedendum est antecedens, si intelligatur de incommunicabilitate negativa, non vero si intelligatur de incommunicabilitate positiva. Nam cum hæc incommunicabilitas, de qua in antecedenti fit sermo, sit idem, quod unitas numerica, et individuatio rei, quæ incommunicabilis dicitur, fit inde, ut materia, quæ secundum se, et cum præcisione jam dicta, solum est una unitate negativa, debeat eodem modo, scilicet incommunicabilitate negativa esse incommunicabilis. Et deinde negari debet consequentia. Nam id, quod potissimum est in individuo, ut tali, non est incommu-

nicabilitas negativa, sed positiva : quæ proinde non potest provenire a materia, ut a prima radice, et principio, nisi ipsa præsupponatur una, et incommunicabilis unitate, et incommunicabilitate positiva, atque adeo aliquo modo signata per quantitatem.

Ad quintum. 64 Ad quintum constabit ex dicendis dub. 5. Pro nunc tamen negandum est antecedens, saltem, quoad ultimam ejus partem. Et ad probationem dicendum est, quod licet hæc potius quantitas, quam illa nequeat actu recipi, nisi in materia singulari : nec materia communis, sed singularis habeat connexionem cum ista quantitate, et non cum illa, aut præcontineat hanc quantitatem potius, quam illam : nihilominus, quoad hoc intercedit suum discrimen. Nam materia prout actu recipit quantitatem, præsupponitur singularis, et individua : non tamen per prædictam receptionem exercitam fit singularis. At ex eo, quod habeat connexionem infra numero 116 explicandam, seu præcontineat per modum primæ radicis hanc quantitatem magis, quam illam, fit; non vero præsupponitur singularis, et individua : ac proinde redditur, et non supponitur prima individuationis radix : et ita nunquam materia secundum se, et præcise sumpta, id est, prout præscindit ab hoc, quod sit aliquo modo signata per quantitatem, potest esse singularis positive, nec prima radix individuationis.

Ad ultimum. Ultimum argumentum petit, ut explicemus, quonam modo ex tribus illis, quibus in explicatione tituli hujus dub. diximus, posse intelligi materiam signari per quantitatem, debeat esse signata, ad hoc, ut sit prima radix individuationis. Quia vero, ut hoc exacte explicetur, plures sunt tangendæ difficultates quarum exacta decisio non parum difficultatis habet, propterea tribus sequentibus dubiis discutiemus, quonam ex tribus modis prædictis, signetur materia per quantitatem, ad hoc, ut sit prima, et sufficiens radix individuationis tam formæ substantialis, quam totius compositi : ac proinde ad hoc, ut modo sibi proportionato, sit positive *hæc*, et individua.

DUBIUM III.

Utrum materia signata quantitate, prout dicit compositum quoddam ex materia, et quantitate, tanquam ex forma inhærente, et constituente, sit prima radix individuationis compositi?

65 In his tribus dubiis sequentibus non cum extraneis, id est, cum eis, qui sunt extra scholam Divi Thomæ, sed cum Thomistis, et discipulis ejusdem sancti Doctoris est nobis lis, et disceptatio ineunda. Quoniam licet omnes Thomistæ conveniant in hoc, quod materia signata aliquo modo quantitate, sit principium individuationis, ut ex dictis dub. præcedenti patet, attamen non parum dissidii inter ipsos est, quidnam intelligatur per materiam signatam quantitate, an nimirum sit materia, ut dicit compositum illud, de quo in titulo dubii fit sermo ? Vel an sit materia involvens aliquo alio modo quantitatem? Quod quidem in tribus dubiis sequentibus examinabimus.

§ I.

Proponitur sententia affirmans.

Ferrara. Soncin. Nazar 66 Partem affirmantem tuentur aliqui ex discipulis Divi Thomæ non inferioris notæ, ut Ferrara, primo contra gentes, capit. 21; Soncin., 7 Metaphysic., quæst. 34; Nazarius, prima parte, quæst. 3, art. 2, controvers. unica. Eam autem explicant, distinguentes duo in individuo, scilicet *esse* indivisum in se ultima divisione, seu *esse* incommunicabile eo modo, quo superius communicatur inferiori, et *esse* eodem modo divisum a quolibet alio. Ex quibus illud prius, inquiunt, provenire a materia, hoc vero posterius a quantitate, ut a forma actu inhærente, et constituente illud in ratione divisi modo dicto : atque ita primum principium sufficiens, et adæquatum individuationis compositi substantialis, esse tam materiam, quam quantitatem, ut formam actu inhærentem, et informantem materiam saltim in suo toto : et per consequens prædictum compositum ex materia, et quantitate in sensu explicato coalescens.

Probatur ex D.Thom. Probatur primo variis testimoniis Divi Thomæ. Nam in primis multoties, ut constat ex locis a nobis dub. præcedenti relatis,

tis, ait, per materiam signatam quantitate, intelligi materiam sub certis dimensionibus : materia autem sub certis dimensionibus, dicit ipsam actu recipientem illas, et dimensiones ipsas actu informantes, et inhærentes in ea : alioqui non posset esse sub illis : ac proinde materia signata quantitate, ut a D. Thoma ponitur esse principium individuationis, dicit compositum quoddam ex materia, et quantitate, tanquam a forma actu inhærente coalescens.

. Thom. 67 Et deinde : quia idem sanctus Doctor, opuscul. de principio individuationis, et opusc. 32, c. 3, asserit, quod illud, in quo salvatur ratio primi, seu individui materialis in genere substantiæ nequit reperiri sine quantitate. Si autem quantitas non tribueret prædictæ substantiæ *esse* individuale, quoad *esse* saltim divisum ab aliis, et non qualitercumque, sed per modum formæ actu inhærentis, non esset cur substantia non posset separari ab illa, et sic separata permanere, sicut ab aliis accidentibus hoc modo separabilis est. Unde propter hanc rationem idem S. Doctor quod-
. Thom. lib. 7, art. 10, de albedine, et aliis qualitatibus materialibus, inquit, eas esse inseparabiles a quantitate, his verbis : *Possibile est imaginari duas lineas separatas ejusdem speciei numero diversas, secundum diversum situm : alias linea non esset divisibilis ex ipsa ratione sui generis : non enim dividitur linea, nisi in lineas : plures autem albedines, ejusdem speciei sine subjecto imaginari est impossibile : et sic patet quod albedo non individuatur, nisi ex subjecto, et propter hoc non posset esse individua, nisi esset in aliquo subjecto ad minus in quantitate.*

1 confirmatio ex Thom. Confirmatur, primo. Nam S. Doctor, 3 part., quæst. 77, art. 2, et in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 1, quæstiuncula 3 ad 3, inquit, quod cum duo sint de ratione individui, scilicet incommunicabilitas, et distinctio ab aliis, unius horum principium est materia : alterius vero, scilicet distinctionis, quantitas : et sic totale principium individuationis esse materiam signatam quantitate. Quare sicut materia actu communicata in suo genere composito, et non aliter, est prima radix individuationis quoad *esse* incommunicabile, quia hoc est proprius effectus illius, ita quantitas actu communicata in suo genere, scilicet in genere causæ formalis, et inhærentis materiæ in suo toto, et non aliter, erit causa, et prima radix individuationis ejusdem quoad *esse* divisum ab aliis; quandoquidem individuatio quoad prædictum *esse*, est proprius effectus illius, ut primæ radicis : sicut *esse* incommunicabile, et ultima divisione indivisum in se tribuitur materiæ, ut primæ radici.

Secunda ex Arist. 68 Confirmatur secundo ex Aristot., 10 Metaphys., c. 3, text. 4,, ubi tantum constituit duplex distinctionis genus : aliud quidem secundum formam, per quam aliqua distinguuntur essentialiter : aliud vero secundum quantitatem, per quam aliqua distinguuntur numerice : ergo sicut distinctio essentialis proveniens a forma, debet oriri ab illa, tanquam a causa informante, ita distinctio numerica proveniens a quantitate, debet etiam procedere ab illa, tanquam a forma inhærente, et informante, ut ex paritate rationis constare videtur. Maxime quia quantitas non videtur esse majoris efficacitatis ad tribuendum suum effectum, scilicet distinctionem numericam, quam quævis alia forma ad causandum effectum illi correspondentem : et ita si aliæ formæ indigent inhærentia, sive informatione, ad causandam distinctionem essentialem, etiam quantitas indigebit illa ad tribuendam distinctionem numericam : ac proinde hoc ipso, quod materia signata quantitate, sit ratione hujus signationis prima radix individuationis quoad *esse* divisum ab alio, erit utique radix illius per quantitatem illi in suo toto inhærentem, et cum ipsa prædictum compositum accidentale constituentem.

Secundo probatur ratione. 69 Secundo probatur ratione. Quia materia non potest esse *hæc*, et individua, ac proinde nec radix individuationis quoad *esse* divisum, nisi ipsa sit divisa ab alia parte materiæ, ut ex terminis ipsis constare videtur : at materiam dividi in partes, convenit illi ratione quantitatis; tanquam formæ accidentalis inhærentis, et informantis illam in suo toto substantiali : ergo materiam esse radicem individuationis quoad *esse* divisum a quolibet alio : convenit illi ratione quantitatis, tanquam formæ inhærentis : ac proinde cum dicitur, materiam signatam quantitate, esse primum principium invididuationis, debet intelligi de materia, et quantitate, ut ex illa tanquam ex subjecto, et ex hac tanquam ex forma accidentaliter inhærente, compositum quoddam accidentale resultat.

Fulcitur ex D.Thom. Quam rationem adduxit D. Thom. in favorem suæ sententiæ super Boetium, opusc. 70, de Trinitate, quæst. 4, art.

2, his verbis : *Forma fit hæc per hoc, quod recipitur in materia : sed cum materia in se considerata, sit indistincta, non potest esse quod formam in se receptam individuet nisi secundum quod est distinguibilis. Non enim forma individuatur per hoc, quod recipitur in materia, nisi quatenus recipitur in hac materia, vel illa distincta, et determinata ad hic, et nunc : materia autem non est divisibilis, nisi per quantitatem. Unde Philosophus dicit 1 Ethicorum, quod] submota quantitate remanet substantia indivisibilis : et ideo materia efficitur hæc, et signata, secundum, quod est sub dimensionibus.* Quod etiam repetit D. Thom. pluribus in locis, præcipue vero 1 part., quæst. 50, art. 2, et, in 2, dist. 3, quæst. 1, art. 4, et 2 ; contra gent., cap. 49 et 50, necnon de spiritualibus creaturis, art. 1, et alibi sæpe.

Tertio. 70 Tertio. Nam cum dicitur, materiam signatam quantitate, esse primam radicem individuationis, vel per hoc, quod sit signata prædicta quantitate, ponitur in materia aliqua forma, seu aliquis modus distinctus ab ipsa materia, scilicet quantitas ei inhærens ? vel nihil ei per prædictam signationem additur ? Si primum, habetur intentum. Si vero secundum asseratur, fiet inde, ut sicut materia secundum se, et præcise sumpta absque prædicta signatione, non poterat esse sufficiens principium, et radix individuationis, ita nec cum signatione : siquidem hæc signatio nihil addit ipsi materiæ, ac proinde nec immutat illam : et per consequens sicut sine illa erat insufficiens principium, et radix individuationis, sic et cum illa.

Corroboratur. Confirmatur. Quia nulla potentia limitatur, et determinatur, nisi per aliquem actum informantem illam, ac proinde, nec appropriatur alicui, nisi per prædictum actum, siquidem per illam appropriationem limitatur, et coarctatur : sed materia prima, est simpliciter potentia : ergo non accipit determinationem, et appropriationem, nisi per aliquem actum informantem ipsam : ergo cum materia non sit principium individuationis, nisi signata quantitate determinante, et appropriante illam ad hoc potius compositum, quam ad illud, fiet inde, ut quantitas eamdem determinans, tribuat hoc per modum formæ informantis : ex qua, et ex materia unum compositum accidentale coalescat. Utraque consequentia cum minori videtur perspicua. Major vero etiam constat. Quoniam quousque potentia informetur, et actuetur per aliquem actum in speciali, est indifferens, et indeterminata ad omnes, nec potest esse appropriata huic composito, in ordine ad quod determinatur, potius quam illi.

Solutio. 71 Nec refert si dixeris, materiam signatam quantitate dicere ipsam materiam, non quidem, ut actu informatam per quantitatem, sed, ut dicit ordinem ad hanc potius quantitatem, quam ad illam, vel, ut præhabet, et radicaliter continet, aut dicit connexionem cum hac quantitate magis, quam cum ista. Quia ad hoc, ut una materia censeatur divisa ab alia, et limitata ad hoc compositum potius, quam ad illud, satis est prædictus ordo, continentia, aut connexio : ex eo, quod dictum illud Aristot. actus est, qui distinguit, aut limitat, intelligitur de actu, vel de ordine ad actum.

Replica. Nam contra hoc est. Tum quod materia indifferens est, ad hanc potius quantitatem, quam ad illam præhabendam : ergo si nihil ei addatur, ratione, cujus approprietur huic potius quantitati, quam illi, non est cur potius unam, quam aliam præhabeat. Tum etiam : quia, ut arguit Nazarius, quantitatem aut quodlibet aliud accidens, esse in sola potentia, vel causalitate materiæ, est esse indistincte, ac proinde esse in illa modo improportionato, ad hoc, ut causet distinctionem.

Ultima ratio. 72 Ultimo. Nam quantitas est quodammodo ex se, et ex propriis meritis, tanquam ex prima radice, individua individuatione materiali, saltim quoad *esse* divisum a quolibet alio, ut disp. seq., num. 24, dicemus : ergo nequit materia esse radix individuationis compositi, saltim, quoad *esse* divisum, nisi prout participat quantitatem, et actu informatur per illam. Patet consequentia. Quoniam, quod ex se, et ex propriis meritis est tale, ita habet rationem talis, ut ipsum solummodo, vel id, quod ipsum actu participat, sit tale.

Enodatio. Nec sufficiet si dixeris, satis esse ad hoc, ut quantitas sit quodammodo primum principium individuationis, quoad *esse* divisum, quod materia signata quantitate, prout dicit præhabere per modum primæ radicis hanc quantitatem, potius, quam illam, quamvis actu non informetur per ipsam, sit prima radix individuationis : quia eo ipso tota series principiorum individuationis reducitur in ipsam quantitatem, quoad prædictum effectum.

Explodi-tur. 73 Nam contra hoc urget, quod compositum substantiale, non virtualiter, sed formaliter habet rationem individui : ergo primum

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

primum, et fundamentale suæ individuationis principium, debet esse, non quidem virtualiter, sed formaliter singulare, et habere formaliter rationem talis principii : ergo si semel quantitas est primus fons individuationis quoad *esse* divisum, debebit hoc illi competere secundum suum *esse* formale sumptæ, et secundum, quod est forma actu informans rem illam, quæ ab ipsa habet individuari, seu esse divisam a quolibet alio. Antecedens videtur perspicuum. Prima vero consequentia ex antecedenti sequitur. Quoniam licet id, quod est formaliter tale, possit oriri in genere causæ efficientis a principio virtualiter tali : non tamen in genere causæ materialis, aut formalis, ut in præsenti contingit. Et ita, quia homo est formaliter vegetativus , ideo anima rationalis est formaliter, ut *quo* vegetativa

Ultima vero consequentia ex illa priori videtur sequi. Quoniam sicut hoc ipso, quod ignis sit calidus per naturam, et omnia alia sint calida per participationem ab illo, propterea nihil potest esse, non quidem virtualiter, sed formaliter calidum, nisi, vel sit ignis, vel participet id, quod formaliter reddit calidum secundum *esse* formale, nempe calorem formaliter talem, et actu informantem : ita si semel quantitas est prima radix individuationis, quoad *esse* divisum, tunc quidquid formaliter fuerit singulare materiale, et formaliter divisum ab alio, non vero solum virtualiter, debebit esse quantitas : vel habere id, quo aliquid redditur quantum formaliter, scilicet ipsam quantitatem actu inhærentem.

§ II.

Sententia negativa, ut Aristoteli, et D. Thomæ conformior, præfertur.

Assertio. 74 Dicendum tamen est, materiam signatam quantitate, prout dicit compositum quoddam ex materia, et quantitate ipsa, tanquam ex forma actu inhærente, et informante coalescens, non esse primum principium, et radicem individuationis formæ, aut compósiti substantialis : ac proinde individuationem istam non includere quantitatem secundum suum *esse* formale sumptam, tanquam aliquid constituens intrinsece Aristot. individuum substantiale. Ita Aristotel. in prædicamentis ubi primam substantiam seu individuum substantiale collatum cum secundis substantiis, appellat maxime substantiam. Si autem prædictum individuum in sui conceptu includeret quantitatem, ut formam intrinsece constituentem, tunc primæ substantiæ, maxime si conferantur cum secundis, non essent dicendæ maxime substantiæ, sed potius e contra : siquidem secundæ substantiæ non includunt in suo conceptu aliquod accidens, tanquam formam inhærentem, et constituentem; secus vero primæ substantiæ.

Idem etiam tenet Angelicus Doctor opusc. D.Thom. 70 super Boetium, quæst. 4, art. 2 ad secundum. Nam cum sibi sic objecisset : *Item dicit Philosoph., 4 Metaphysic., quod idem est rebus causa substantiæ, et unitatis : sed acci-* Aristot. *dentia non sunt individuo causa substantiæ : ergo neque unitatis, neque pluralitatis secundum numerum.* Respondet his verbis : *Ad secundum dicendum, quod dimensiones, cum sint accidentia per se, non possunt esse principium unitatis iudividuæ substantiæ, sed materia prout talibus dimensionibus subest intelligitur esse principium talis unitatis, et multitudinis.* Si autem quantitas esset radix individuationis substantialis totius compositi, per modum formæ inhærentis, et intrinsece constituentis illud, tunc quantitas ipsa secundum suum *esse* formale sumpta, diceretur causa individuæ substantiæ : et per se, aut potiori jure, quam materia ipsa, prout talibus dimensionibus subest, seu (quod idem est, ut ex se, et ex infra dicendis amplius patebit) prout per modum radicis ei substernitur, vel radicaliter eas præhabet, esset dicenda principium unitatis, et multitudinis pure numericæ.

75 Idem etiam docuit Sanctus Doctor D.Thom. opuscul. 29, ubi loquens de iis, quæ conveniunt individuo essentialiter, et de illis, quæ ei competunt ratione quantitatis secundum suum *esse* formale sumptæ, et secundum, quod comparatur per modum formæ inhærentis, et intrinsece constituentis cum illo compositum accidentale jam dictum, sic ait : *Est enim individuum in sensibilibus ipsum ultimum in genere substantiæ, quod de nullo alio prædicatur, imo ipsum est prima substantia, secundum Philosophum in prædicamentis, et primum fundamentum omnium aliorum, etc. Materia enim sola* (modo tamen infra num. 91 et deinceps amplius elucidando) *est principium individuationis, quoad illud, in quo salvatur ratio primi in genere substantiæ : quod tamen impossibile est reperiri sine corpore, et quantitate. Et ideo quantitas determinata dicitur principium indivi-*

duationis, non quod aliquo modo causet subjectum suum, quod est prima substantia, sed concomitatur eam inseparabiliter, et determinat eam ad hic, et nunc : illud ergo, quod cadit sub ratione particulari, est hoc aliquid per naturam materiæ, quod autem cadit sub sensu exteriori, est per quantitatem.

D.Thom. Et tandem hoc ipsum asseruit D. Thom., opusc. 32, cap. 3, ubi sermonem faciens de materia signata quantitate, prout dicit compositum quoddam ex materia ipsa, ut ex subjecto, et ex dimensionibus, tanquam ex causa formali intrinsece constituente illud, ut intuenti patebit, sic loquitur : *Dicitur, quod materia sub certis dimensionibus est causa individuationis, non quod dimensiones causent individuum, cum accidens non causet suum subjectum ; sed quia per dimensiones certas demonstratur individuum hic, et nunc, sicut per signum proprium, individui, et inseparabile.* Cum tamen, ut ex dictis constat, et ex infra num. 76 et deinceps dicendis patebit, sumpta quantitate non quidem hoc modo, sed eo, quem dubio 5 explicabimus materia signata quantitate sit prima, et radicalis ratio individuationis, et non signum tantummodo ipsius. Idem etiam docuit Sanctus Doctor ibid. his verbis : *Cum ergo forma recipitur in materia circumscriptis omnibus per intellectum dimensionibus, fit aliquid existens in genere substantiæ, et ultimum, completam habens rationem individui in substantia, sed non fit hic, et nunc demonstrabile sine dimensionibus determinatis, et certis.*

Flandria. Capreol. Unde sententiam hanc sequuntur Flandria 7 Metaphysic., quæst. 29, art. 4; Capreol. in 2, distinct. 3, quæst. 1, art. 3, quatenus asserit, substantiam sine quantitate actu inhærente individuam, etiam quoad *esse* divisum : non tamen habere individuationem eo modo, quo illam nunc habet, scilicet modo sensibili : quamvis in eodem articulo in oppositam sententiam etiam inclinet.

Ægidius. Javellus. Zumel. Gonzalez Bannez. Suarez. Ægidius quodlibet 1, quæst. 5, art. 1; Javellus, 5 Metaphysic., quæst. 15; Zumel, 1. part., quæst. 3, art. 2, tract. de principio individuat., conclus. 2; Gonzalez, 1 part., quæst. 11, art. 1, disp. 23; Bannez, 1 part, quæst. 3, art. 2; Suar., 1 tom. suæ Metaphysic., disput. 5, sect. 3, num. 10 et sequentibus;

Cajetan. Cajetan., 1 part., quæst. 29, art. 1, ubi valde invehitur contra oppositam sententiam inquiens, chimericum esse, hos actus constituendi individuum substantiale, et materiale, et distinguendi illud a quolibet alio, separare secundum rem. Et tandem hoc ipsum tuentur plures ex discipulis D. Thom. (ut referunt Ferrara, et Nazar. ubi sup. et multi alii).

Ratio assertionis. 76 Assertio hæc duplici posset ratione D. Thomæ probari. Cæterum, quia prior ex illis etiam probat, per materiam signatam quantitate non posse in via Divi Thomæ intelligi materiam, ut actuatam per aliquem modum, adhuc substantialem, ex natura rei a materia distinctum, per quem determinetur ad habendam hanc potius quantitatem, quam illam; et de hoc in dubio sequenti erit specialis difficultas ; propterea eam in prædicto dubio adducemus, et assertionem istam hac unica ratione a Divo Thoma opusc. 32 citato tacta, et ad hanc brevem formam redacta suadebimus. Quoniam prima substantia materialis, est unum per se ponibile in prædicamento substantiæ tanquam fundamentum cæterorum hujus prædicamenti : ergo non constituitur in esse primæ substantiæ, seu in esse substantiæ per aliquod accidens, scilicet per quantitatem tanquam per formam inhærentem, et intrinsece constituentem illam in esse individui. Patet consequentia : quia alioqui prima substantia esset ens per accidens, quippe quæ constaret ex rebus diversorum prædicamentorum, scilicet ex substantia, et quantitate ut forma inhærente, et constituente.

Confirmatur primo. 77 Confirmatur, et explicatur. Quoniam id, quod pertinet ad aliquam lineam, maxime si sit fundamentum cæterorum illius lineæ, nequit constitui per aliquid extra prædictam lineam : alioqui esset, et non esset extra talem lineam : quia res constituta non potest non pertinere ad lineam sui constitutivi : ergo cum prima substantia, ut talis, pertineat ad lineam substantiæ, ut fundamentum totius lineæ, repugnabit, illam constitui in esse talis, seu in esse substantiæ primæ, per aliquid extra propriam lineam, scilicet per quantitatem.

Roboratur secundo. Confirmatur secundo. Quoniam in illo priori, in quo materia præsupponitur ad receptionem actualem formæ substantialis, et quantitatis actu, et in exercitio recipiendarum, tunc debet prædicta materia esse singularis, et individua, ita, ut sit *hæc*, et non *illa* : quandoquidem formæ illæ singulares non recipiuntur, aut actuant materiam in communi, sed materiam singularem, scilicet, *hanc*, et non *illam* : ergo materia non habebit esse *hanc*, ac proinde, nec radicem individuationis,

individuationis, etiam, quoad *esse* divisum, prout actu subest quantitati, sive prout actuatur per quantitatem, tanquam per formam inhærentem, et intrinsece constituentem individuum substantiale, aut materiam ipsam, ut individuam, et individuationis principium. Patet consequentia : quoniam id, quod convenit alicui ratione alterius, ut formæ inhærentis, et intrinsece constituentis, non potest ei convenire in illo priori, in quo præsupponitur ad talem formam.

§ III.

Evasiones adversariorum, et præclusio earum.

Primum effugium Ferrara.

78 Occurrit primo Ferrara, tam ad rationem hanc, et primam ejus confirmationem, quam ad secundam. Ad primam quidem, et ejus primam confirmationem, quod duo pertinent ad unitatem individualem, scilicet esse indivisum in se ultima divisione, seu esse incommunicabile : et esse eodem modo divisum a quolibet alio : et quod ex iis duobus primum illud pertinet ad essentiam prædictæ unitatis, et individui : hoc vero posterius habet se ad instar proprietatis illius. Quare ex hoc, quod quantitas constituat per modum formæ inhærentis, et intrinsece constituentis prædictam unitatem, et individuum, quoad *esse* divisum a quolibet alio, non inde fiet, individuum substantiale essentialiter sumptum (secundum quam rationem pertinet ad lineam prædicamentalem) non esse unum per se, sed solum non habere prædictam unitatem, quatenus simul constat suis proprietatibus (secundum quam rationem non pertinet directe ad prædicamentum).

Secunda evasio.

Ad secundam confirmationem respondet, quod causæ invicem sunt causæ : et ita licet in illo priori non præsupponatur quantitas in genere causæ materialis per se primo receptivæ ; præsupponitur tamen in genere causæ formalis disponentis ad receptionem hujus formæ, et non illius : et ita potest in eodem genere esse causa individuationis materiæ, et totius compositi quoad *esse* divisum.

Rejicitur utraque.

79 Cæterum neutra ex his solutionibus satisfacit. Non quidem prima. Quoniam hoc ipso, quod *esse* indivisum in se ultima divisione, pertineat ad constitutionem individui, ut talis, non potest non pertinere re ipsa ad eamdem constitutionem, quod sit eodem modo divisum a quolibet alio, quamvis prior illa ratio aliquo modo præcedat hanc posteriorem : ergo, etc. Antecedens probatur. Quia ut communiter docent Philosophi cum Aristot. et D. Thoma idem est re ipsa constitutivum, et distinctivum alicujus rei : ergo hoc ipso, quod *esse* individuum pertineat re ipsa ad intrinsecam constitutionem individui, ut talis, non potest non pertinere re ipsa ad eamdem constitutionem *esse* divisum a quolibet alio. Et ita si quantitas tribuit per modum formæ inhærentis *esse* divisum, pertinebit ad intrinsecam constitutionem ejusdem individui : imo ipsa etiam erit, quæ re ipsa tribuit *esse* indivisum in se, seu *esse* incommunicabile, per quod per prius, licet inadæquate, individuum constituitur. Aristot. D.Thom.

Confirmatur primo.

Confirmatur primo. Nam ad intrinsecam constitutionem unitatis essentialis, et specificæ, non potest non pertinere, constituere speciem, et distinguere illam specifice a quolibet alio : et ita quidquid distinguit specifice essentiam aliquam a quolibet alio, habet re ipsa constituere illam : ergo eodem proportionali modo in unitate individuali philosophandum est, ut ex paritate rationis constare videtur : ac proinde si quantitas distinguit numerice substantiam materialem per modum formæ inhærentis, eodem modo constituet : et eo ipso talis unitas, erit unitas per accidens, ut ostensum est.

Confirmatur secundo.

80 Confirmatur, et explicatur secundo. Quoniam illud ipsum, quod reddit incommunicabile individuum, et materiam ipsam constituit in esse incommunicabilis alteri formæ, et composito, vel potest secundum se, et præcise spectatum, esse in alia materia, et composito, præterquam in hoc, quod reddit individuum, et incommunicabile ? vel non potest ? Si primum, ergo non potest intrinsece constituere hoc individuum, et hanc materiam in esse *hujus* numerice talis : siquidem id, quod potest inveniri in alio individuo, et constituere illud in esse talis, nequit prius illud individuum in esse individui constituere : alioqui ratio illa individualis, esset, et non esset propria sui individui, quod apertam involvit contradictionem. Si autem dicatur secundum, ergo illud ipsum, quod reddit materiam, et individuum incommunicabile, reddet illa distincta a quolibet alio : quandoquidem eo ipso, quod tale individuum habeat aliquid reale, ut constitutivum sui, quod nequit reperiri in aliquo alio, non potest non ex propriis ejus meritis distingui a quocumque alio. Non enim aliunde colligimus, diffe-

rentias specificas esse sufficientes rationes ad hoc, ut sit alia, et alia species, nisi quia una ex illis ita convenit uni speciei, ut intrinsecum ejus constitutivum, ut nequeat reperiri in alio : ergo eadem ratione hoc ipsum, proportione servata, de *esse* incommunicabili constitutivo unius individui, propter rationem modo dictam, colligemus.

Additamentum notatu dignum.

Accedit, quod etiam si demus, unitatem individualem quoad *esse* divisum habere se adinstar proprietatis individui quoad *esse* indivisum, et eam quoad priorem illam rationem provenire ab aliquo alio principio realiter distincto, adhuc non posset oriri a quantitate, ut a forma inhærente, et intrinsece constituente : et ita *esse* divisum proveniens a quantitate non posset non advenire per accidens unitati individuali, et substantiali : siquidem præsupponeret illam complete unam, scilicet tam quoad *esse* incommunicabile, quam quoad *esse* divisum.

Ratio additamenti.

81 Ratio autem, ob quam, adhuc in illo eventu, non posset unitas prædicta quoad *esse* divisum per se primum illius, de quo loquimur, provenire a quantitate, est. Quoniam duo individua substantialia in ratione talium, non possunt non distingui distinctione formaliter substantiali, id est, distinctione, quæ non solum exerceatur in substantia : ac proinde de materiali sit substantialis, in eo sensu, in quo communiter dicitur, quod substantia habet partes entitativas substantiales a quantitate ; sed quæ de formali sit substantialis : at distinctio, non solum de materiali, sed etiam de formali substantialis, nequit provenire ab aliquo accidenti, tanquam a forma inhærente, et tanquam a ratione intrinseca talis distinctionis : ergo, etc. Major probatur. Quia alioqui inter illa individua, nulla esset distinctio formalis substantialis, et ita quoad substantialia formaliter considerata, eadem prorsus esset substantia individualis Judæ proditoris, et humanitatis Christi Domini : ac proinde eadem prorsus substantia individua quoad substantialia præcise considerata, licet non quoad quantitativa, cruciaretur modo in inferno, et in cœlis bearetur : et esset unita personalitati Verbi, et personalitati creatæ Judæ. Sicut quia substantia materialis, quæ modo est sub unica quantitate, tantum habet partes entitativas, seu ejusdem rationis, formaliter a quantitate, ut a forma inhærente, et intrinsece constituente illam in esse divisibilis in tales partes quantitativas, propterea eadem substantia quoad substantialia præcise considerata, non distinguitur actu formaliter substantialiter a se ipsa, prout est sub diversis partibus quantitatis : sed eademmet realiter, actualiter, et substantialiter, habet præcise quoad substantialia, esse sub prædictis partibus quantitatis, a quibus ipsa habet partes non de formali substantiales, sed de formali quantitativas, et de materiali substantiales, ut latius in lib. de Generat., disp. 5, a num. 32 usque ad num. 95, peculiariter vero num. 57, nostri Complut. satis acute docent. Complut.

Idem.

Minor autem satis constat ex iis, quæ disp. citata ex lib. de Generat., num. 58 nostri Complut. adducunt. Nam cum quantitas sit accidens, nequibit per modum causæ formalis intrinsecæ, sive inhærentis, tribuere effectum aliquem formaliter substantialem : quandoquidem causa formalis intrinseca, seu inhærens non causat nisi dando se : ac proinde si ipsa sit forma accidentalis, non potest tribuere nisi *esse* accidentale : et per consequens non valebit tribuere distinctionem de formali substantialem.

Nazari solutio evanescit

82 Ex quo etiam corruit solutio, quam Nazarius controvers. citata adhibet dicens, maximam illam, scilicet idem esse re ipsa constitutivum, et distinctivum, debere intelligi de principio formali, non vero radicali, qualis est (quoad præsens) quantitas. Hæc igitur solutio ex nuper dictis, ut intuenti constabit, facile corruit. Tum, quia hoc ipso, quod principium radicale constituat aliquid, ita, ut nequeat quidpiam aliud constituere, non potest non distinguere illud ab omni alio, quod a tali principio constitui non valet. Tum etiam : quia, juxta hunc dicendi modum, non assignatur principium substantiale, a quo distinctio formalis substantialis individuorum procedat.

Solutio Ferrariæ ad 2 conf. refellitur. Complut.

83 Nec deinde solutio, quam Ferrara adhibet secundæ confirmationi, satisfacit. Tum, quia, ut in libro de Generat., disput. 2, a num. 105 usque ad numerum 108, nostri Complut. docent, materia prout recipit formam hanc potius, quam illam, est simpliciter, et absolute prior, quam, quod hæc numero, quantitas actu recipiatur, actuque informet ; nam hæc quantitas actu recepta, et informans, non requiritur ad hoc, ut hæc forma simpliciter recipiatur, sed ad hoc, ut materia prædictam formam modo connaturali recipiat : ergo

in

in illo priori, in quo præsupponitur præcise cum omnibus requisitis ad absolute, et simpliciter recipiendam hanc numero formam substantialem, et non aliam; in quoque præsupponitur individua, et singularis, non potest habere suam individuationem a quantitate, tanquam a forma informante, et actu inhærente : ac proinde prædicta individuatio nequibit ulla ratione ab eadem quantitate, modo dicto considerata desumi.

Tum etiam : quia saltim supernaturaliter potest individuum substantiæ separari a quantitate, et in rerum natura consistere : ergo potiori ratione poterit dari aliquod prius, in quo materia præintelligatur, ut recipiens hanc numero formam, et non illam, in quoque præintelligatur hoc compositum substantiale, et non illud, ut absolute, et simpliciter independens ab hac potius quantitate, quam illa, ut actu recepta, et informante. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem constat ex eo, quod anima rationalis individuatur per materiam signatam quantitate, ut num. 16 dicebamus, et satis constat ex dictis pro nostra sententia dub. 1 hujus disputationis : et tamen non requiritur, ut prædicta materia sit actu informata per illam numero quantitatem, per quam signata esse dicitur.

Alia opparens solutio.

84 Secundo occurrunt alii nostræ rationi fundamentali, eam ad summum probare : compositum consurgens ex quantitate, et materia, actu recipiente illam in suo toto, non esse radicem individuationis, si compositum illud ita sumatur, ut dicat in recto quantitatem actu inhærentem, et receptam : secus tamen, si dicat illam in obliquo : quia nihil obest ad unitatem per se alicujus rei ponibilis in recta linea prædicamentali, et substantiali, quod importet in obliquo aliquid extra proprium prædicamentum. Et ita licet *esse* divisum a quolibet alio pertineat intrinsece ad individuum substantiale, poterit prædictum *esse*, non obstante unitate per se ejusdem individui, ab ipsa quantitate modo dicto provenire.

onfutatur.

Cæterum, nec hæc solutio vim rationis Divi Thomæ enervat. Quia licet non tollat unitatem per se rei pertinentis ad unum prædicamentum, quod concernat in obliquo, et tanquam connotatum extrinsecum aliquid pertinens ad aliud prædicamentum : secus, tamen si illud afferat, tanquam obliquum, et connotatum intrinsecum, a quo saltim in obliquo intrinsece constituatur : ergo repugnabit compositum substantiale esse unum per se, si saltim in obliquo constituatur in esse individui per quantitatem actu inhærentem. Consequentia patet : quoniam quantitas non potest non esse, juxta hunc modum dicendi, connotatum, et obliquum intrinsecum constituens hoc modo individuum substantiale in esse divisi a quolibet alio.

1 Probatio antecedentis.

Antecedens autem probatur. Tum, quia propterea accidentia in abstracto, pertinent per se directe ad sua propria prædicamenta, et singula ex illis habent suam unitatem per se, quia licet dicant, in obliquo saltim, aliquid extra proprium prædicamentum, scilicet substantiam, ex eo, quod sunt entis (id est substantiæ) entia; nihilominus afferunt illam tanquam obliquum extrinsecum, et adhuc in obliquo modo non constituentem illa intrinsece, sive extrinseco modo, ita, ut accidentia sint aliquid constitutum, sive conflatum ex substantia, tanquam ex aliquo obliquo intrinseco, et ex ipsis accidentibus, eo proportionali modo, quo persona dicitur constitui intrinsece per personalitatem in recto, et naturam in obliquo importatam. Et similiter propterea eadem accidentia in concreto non pertinent directe ad proprium prædicamentum, ut in Logica, disp. 5 et disp. 11, num. 60, nostri Complut. docent, quia albedo, v. g., dicit ex parte modi significandi subjectum, tanquam obliquum intrinsecum : ergo, etc.

Complut.

2 Probatio.

Tum etiam : quia id, quod involvit duas essentias omnino integras, et completas ad diversa prædicamenta directe spectantes, non potest esse unum per se, sive utramque afferat in recto, sive unam in recto, et aliam in obliquo. Quia ratio, propter quam ex rebus diversorum prædicamentorum nequit fieri unum per se, est : quia ex duabus rebus omnino integris, et totalibus non potest coalescere unum per se ex eisdem intrinsece constitutum. Constat autem quod per hoc, quod aliquid importetur in obliquo, non tollitur ab eo aliquid de sua totalitate, et integritate.

Fulcitur.

85 Accedit, quod si semel quantitas in obliquo importata, et ut actu inhærens, potest esse radix individuationis per modum connotati, sive obliqui intrinseci, multo melius id poterit per modum obliqui extrinseci, quod potest re ipsa inhærere, non tamen actu inhæret, aut informat. Et ratio videtur aperta. Quia prius est, quod materia radicaliter possit recipere hanc quantitatem potius, quam aliam, sive quod radicaliter præhabeat illam,

quam quod actu recipiat ipsam, et per eam informetur, ut ex terminis ipsis constare videtur : at materia secundum id, quod habet præcise ex vi illius prioris, habet tunc primo esse *hanc*, et singularem : siquidem per nihil aliud anterius ad se ipsam, ut in potentia radicali ad hanc potius quantitatem, quam ad illam (seu, ut est radix hujus potius quantitatis, quam illius) potest esse primo singularis, et individua, ut ex se, et ex dictis patet : ergo præcise ex vi illius, quod habet in illo priori, erit potiori ratione radix individuationis : ac proinde potiori jure habebit rationem talis radicis, connotando prædictam quantitatem, tanquam connotatum extrinsecum, quod potest re ipsa inhærere, non tamen actu inhæret.

Prima consequentia ex utraque præmissa constat. Nam materia est potiori jure radix individuationis ex vi illius, per quod primo intelligitur *hæc*, et singularis positive : quod quidem competit ei ex vi illius, quod habet in illo priori, ut intuenti patebit. Secunda vero consequentia ex hac priori aperte sequitur. Quia materia ex vi illius, quod habet in illo priori, connotat quantitatem, non quidem per modum connotati intrinseci, et actu inhærentis, sed extrinseci, et quod re ipsa potest inhærere : ergo si potiori jure est radix individuationis secundum id, quod habet in illo priori, consequens erit, ut potiori jure sit radix illius, non connotando quantitatem, ut connotatum intrinsecum, sed extrinsecum, et modo dicto.

§ IV.

Solvitur primum argumentum in favorem primæ sententiæ allatum.

86 Quia primum argumentum pro prima sententia, et ejus confirmatio aliquibus testimoniis difficilibus constat, ideo placuit in gratiam Arist. et Sancti Doctoris, et ut mens eorum magis pateat, sigillatim illa solvere.

Exponitur, primum testimonium pro prima sententia.

Ad primum igitur testimonium prædicti argumenti respondetur, quod, ut patebit ex iis, quæ num. 116 adducemus, cum Sanctus Doctor in primo testimonio inquit, per materiam signatam quantitate intelligi materiam sub certis dimensionibus, non loquitur de ea prout actu subest illis, sed de eadem, ut est fundamentum, et radix earum, et ut per modum radicis continet has potius dimensiones, quam illas. Et ita non est necesse, ut actu prædicta materia informetur quantitate, sed sat erit, quod habeat potentiam radicalem, per quam exigat informari hanc potius quantitate, quam illa. Cur autem materia, ut præcedit quantitatem prædictam, et formam ipsam substantialem, præhabeat per modum radicis istas potius dimensiones quam illas? jam in libro de Generatione, disput. 2, a num. 88 usque ad num. 92, nostrum Collegium Complut. id explicuit, et in hac eadem disp., num. 133 et deinceps, latius explicabitur. Complut

Explicatur 2 et 3 testimonium.

Ad secundum testimonium ejusdem argumenti constat ex modo dictis, quomodo Sanctus Doctor non loquatur de quantitate actu habita, sed præhabita in materia, tanquam in radice. Nam licet sine hac nequeat inveniri individuatio compositi substantialis, bene tamen sine illa.

87 Ad tertium testimonium in favorem ejusdem primi argumenti, negandum est cum Capreolo in 2, dist. 3, quæst. 1, art. 3, Divum Thomam velle ibidem, quod albedo, v. g., quoad suam individuationem præcise, quoad intrinseca spectatam, non possit separari a quantitate : sed solum, quod eadem albedo, ut est *hæc* sensibiliter, nequeat dari sine quantitate, ut ex sequenti expensione context. S. Doctoris aperte constabit.

Nam cum ibidem interrogasset, utrum albedo, vel alia qualitas corporalis possit a Deo separari ab omni quantitate? Respondet, quod, ut hoc sciatur, præsupponendum est, quod in albedine, et qualibet alia qualitate corporali, est duo considerare, scilicet ipsam naturam ejus, per quam speciem sortitur, et individuationem ipsius, secundum, quod est hæc albedo sensibilis ab alia albedine sensibili distincta. Et hoc supposito inquit, quod posset fieri divino miraculo, ut natura albedinis subsisteret absque omni quantitate : illa tamen albedo non esset sicut hæc albedo sensibilis.

Ac proinde ejus mens est. Tum, quod hæc albedo quoad intrinseca, et indispensabilia suæ individuationis potest separari a quantitate : alias nequiret secundum sui naturam subsistere divino miraculo absque omni quantitate : siquidem juxta communem Philosophorum, maxime vero D. Thomæ sententiam, quidquid a parte rei potest subsistere divina virtute, debet esse aliquid singulare. Tum etiam, quod quoad extrinseca individuationis ejusdem albedinis,

nis, scilicet, quoad singularitatem in ratione singularitatis sensibilis, seu sensu externo perceptibilis, non posset ab ea separari : ex eo, quod nihil potest sensu prædicto sentiri, nisi sit quantum. Et ita cum in verbis in argumento relatis videtur absolute dicere, albedinem non posse esse individuam, nisi sit aliquo subjecto, ad minus in quantitate, loquitur de individuatione albedinis modo explicata : ut hoc modo omnia, quæ Sanctus Doctor ibidem docet, inter se consonent, et decisio articuli correspondeat iis, quæ ad illius decisionem præsupposuit.

Fugium parens.

88 Nec refert, quod D. Thom. statim addiderit, quod albedo sic separata, esset forma quædam intelligibilis, ad modum formarum separatarum, quas Plato posuit. Non itaque hoc refert. Quia mens Sancti Doctoris non est æquiparare quoad omnia albedinem separatam cum prædictis ideis, ita, ut esset universalis in essendo, sicut illæ : quandoquidem juxta propriam sententiam asseruit, posse albedinem secundum sui naturam subsistere divino miraculo absque omni quantitate ; et ut nuper dicebamus, in via Sancti Doctoris sola singularia possunt subsistere etiam supernaturaliter. Sed tantum æquiparavit albedinem in eo eventu existentem,et individuam cum prædictis ideis, quoad hoc, quod est non esse formam sensibilem, abstrahereque a materia sensibili, licet non a materia intelligibili, sicut ideæ illæ Platonicæ, ab illa, non vero ab ista materia abstrahebant. Et similiter ob eamdem rationem, et in eodem sensu idem Sanctus Doctor in solutione ad primum dixit, quod si albedo sine quantitate esset, jam non esset corporalis qualitas, sed spiritualis, spiritualitate videlicet, quæ præcise opponitur materialitati sensibili : quia quantitas actu subjacens albedini, solum requiritur ad eam, ut individuam individuatione sensibili : et ideo statim Sanctus Doctor dixit : *Sed, quod hæc albedo sensibilis individua esset sine quantitate fieri non potest.*

Aliud fugium repellitur.

89 Nec etiam refert si secundo objicias, quod D. Thom. ibidem distinguit quantitatem ab albedine, quod illa quodammodo individuatur a se, id est, quodammodo non per substantiam, ut infra explicabitur : albedo vero non individuatur a se, sed a suo subjecto : ergo cum quantitas propter hanc rationem possit manere individua, quoad intrinseca, et indispensabilia ad individuationem, fiet inde, ut propter rationem oppositam nequeat albedo manere individua, etiam quoad necessaria ad individuationem absolute consideratam, si a quantitate separetur : et ita non poterit ab ea separari.

Non igitur hoc refert. Nam Divus Thomas ibidem tantum intendit constituere discrimen inter quantitatem sensibilem, et ejus sensibilem individuationem, et inter individuationem sensibilem albedinis, in hoc, quod individuatio sensibilis albedinis nequit reperiri sine suo subjecto; scilicet quantitate : quia albedo non nisi dum est divisibilis, potest oculo corporeo videri : et cum non fiat divisibilis nisi ratione quantitatis, in qua actu est, inde est, ut non nisi dum est in illa, valeat sentiri : ac proinde, nec in alio eventu habere individuationem sensibilem.

90 Cæterum quantitas ex se est divisibilis in partes : et propterea etiam separata a substantia potest habere individuationem sensibilem, et informari accidentibus, quæ sensibilem eam reddant. Et ita Sanctus Doctor in fine corporis non conclusit, posse per miraculum esse hanc quantitatem etiam absque subjecto : sed dixit : quod potest per miraculum esse hæc quantitas sensibilis, etiam absque subjecto, ut patet in corpore Christi. Cæterum, quia nequit quantitas in aliquo eventu habere individuationem, ut sensibilem; nisi habeat individuationem absolute talem, quamvis hæc posterior non sufficiat, licet sit prærequisita ad illam priorem : ideo D. Thom. præsupposuit illud prius discrimen inter quantitatem, et albedinem, quod illa ex se est quodammodo individua, secus vero ista. Non quidem, ut negaret, albedinem posse esse individuam individuatione absolute tali, etiam si separetur a quantitate, licet non ab ordine ad illam : sed, ut ostenderet quomodo quantitas, quia habet individuationem quodammodo a se, id est, quodammodo non per substantiam, nec per ordinem ad illam (modo tamen disp. sequenti, num. 21 et deinceps explicando) ex eo, quod habet partes positionem habentes, ita separari potest a substantia, ut maneat individua individuatione sensibili; non vero albedo.

§ V.

Occurritur duabus confirmationibus primi argumenti.

Prima solutio primæ confirmationis.

Ad primam confirmationem respondetur primo, sensum verborum Sancti Doctoris non esse, quod distinctio ab aliis, quæ convenit composito substantiali, ut est *hoc*, et individuum, proveniat a quantitate, ut habita, et actu informante, sed ut præhabita : ut constabit ex iis, quæ num. 116 dicemus. Et ita quantitas, ut actu communicata composito, non quidem secundum suum *esse* formale sumpta, sed, ut præhabita in materia, desiderabitur ad individuationem ejusdem compositi, ut talis, et quoad *esse* divisum illius.

Objectio contra hanc 1 solutionem.

91 Nec refert si objicias, non posse solutionem hanc cohærere cum contex. Sancti Doctoris : in quo, sicut tribuit quantitati, quod sit radix individuationis compositi quoad *esse* divisum, ita tribuit materiæ, quod sit principium radicale ejusdem individuationis, quoad *esse* incommunicabile : ergo, etc. Antecedens videtur certum. Nam si quantitas secundum suum *esse* formale, et, ut actu habita, non est radix prædictæ distinctionis, sed tantum ut præhabita a materia, ut a prima radice illius, tunc materia non nisi ut signata prædicta quantitate, seu, ut præhabens illam, erit radix talis distinctionis : siquidem materia, ut præhabens hanc quantitatem, seu quantitas, ut in ea præhabita, nihil est aliud, quam materia, ut signata quantitate, ea signatione, quæ ad individuationem desideratur : ut ex dictis, et ex num. 116 et deinceps dicendis constabit : ergo nihil superest, quod sit radix hujus individuationis quoad *esse* incommunicabile, nisi materia ipsa secundum se : ergo cum hoc aperte pugnet cum natura materiæ secundum se sumptæ, quippe quæ secundum hanc rationem non est magis propria hujus, quam illius individui, nequibit salvari id, quod sanctus Doctor in contex. præ licti testimonii asserit : scilicet, quod sicut *esse* divisum provenit a quantitate, ita *esse* incommunicabile, seu *esse* in se indivisum ultima divisione, provenit a materia.

Enodatio.

Respondetur enim, re vera utrumque munus præstari a materia, ut signata quantitate : atque adeo ab eodem realiter principio, scilicet ab ipsa materia, ut radicaliter præhabente in se quantitatem, ut ex rationibus in favorem assertionis factis constat. Cæterum cum hoc stat, quod *esse* incommunicabile posset per quam lam accommodationem tribui absolute materiæ : et *esse* divisum, quantitati. Ratio autem hujus accommodationis, et attributionis, quoad *esse* incommunicabile attributum materiæ, deducitur ex dictis. Nam individuatio quoad *esse* incommunicabile dicit negationem incommunicabilitatis illius, qua universale communicatur alteri, ut subjecto inferioritatis, et prædicationis : atque a leo dicit negationem essendi in alio, ut in subjecto jam dicto. Unde merito, dum hæc ratio per accommodationem, et attributionem attribuenda est alteri, ut primo principio physico, absolute attribuitur materiæ primæ. De cujus ratione est, ut nullo modo sit in alio, tanquam in subjecto priori : ex eo, quod de ejus ratione est esse primum subjectum, quamvis re vera non sit radix præ lictæ incommunicabilitatis, nisi ut peculiariter præhabet hanc numero quantitatem, et non illam.

Ratio autem accommodationis, et attributionis quoad *esse* divisum ab aliis, attributum quantitati, est. Nam in materia signata quantitate, seu præhabente hanc quantitatem per modum radicis, includitur ipsa quantitas, ut radicaliter præhabita. Quia vero proprium est quantitatis habere quodammodo ex se esse individuam, et habere ex se *esse* divisum : ex eo, quod ex propriis meritis habet distinctionem, et divisionem partium, et esse divisibilem in plura ejusdem rationis, ut num. 21 et sequentibus, disp. 2, expendemus, propterea quantitati attribuitur absolute loquendo, quod sit radix individuationis compositi substantialis, quoad *esse* divisum ab aliis : licet re vera non præstet quoad præsens hunc effectum ad individuationem necessario petitum, nisi, ut præhabita in ipsa materia : ac proinde non tribuat hunc effectum, nisi materia, ut illam radicaliter præhabens.

Elucidatur hoc ipsum ex Cajetano.

92 Hoc autem optime explicuit Cajetan, 1. part., quæst. 29, art. 1, ubi postquam dixit materiam, ut præhabentem hanc quantitatem, potius, quam illam, esse radicem individuationis, quoad *esse* indivisum in se, seu quoad *esse* incommunicabile, et similiter quoad *esse* divisum ab aliis, statim, ut explicaret, quomodo hoc non obstante tribuitur absolute quantitati, quod sit radix individuationis, quoad *esse* divisum addidit : *Nec propterea nego illam maximam ex sensibus*

sibus Aristotelis, et Sancti Thom. habitam, scilicet, quod distinctio numeralis materialis primo convenit quantitati, et consequenter per illam cæteris secundum doctrinam Posteriorum : quoniam participare naturam ejus, cui primo convenit aliquid, pluribus modis contingit. Nec oportet illam formaliter salvari in omnibus ipsam participantibus : ut primo Posteriorum ostendimus. Materia autem, quæ radix fundamentumque est quantitatis, non est etiam in illo priori extra participantia quantitatis naturam, imo (ut melius loquamur) est quasi præhabens quantitatis naturam, et quoniam magis est præhabere, quam participare, si participantia naturam aliquam, quoquomodo possunt in effectum illius, quanto magis præhabentia naturam illam, hoc poterunt, oportet enim omnem effectum primo alicui convenientem, ab illo in se, vel suis participantibus, aut præhabentibus fieri. Seu (ut inquit Bannez explicans, 1 de Generat., cap. 5, quæst. 3, art. 8, hæc eadem Cajetani verba) ad hoc, ut salvetur, effectum aliquem convenire alicui, satis est, quod reducatur in illud secundum *esse* formale, vel in formaliter participantia ipsum, vel tandem in aliquid, in quo radicaliter, et virtualiter præcontineatur.

Alia objectio contra eamdem solutionem.

93 Nec etiam refert, si ad ostendendam insufficientiam fundamenti assignati in ordine ad attributionem, et accommodationem dictam, urgeas, quod hoc ipso, quod lumen gloriæ, v. g., et intellectus creatus efficiant per modum unius indivisibilis principii visionem beatam, et nihilominus visio secundum communem intellectualis visionis rationem, tribuatur, et accommodetur absolute intellectui, et ut est visio Dei prout est in se tribuatur absolute lumini, debet intellectus habere secundum se vim ad communem rationem visionis intellectualis, et lumen debet etiam secundum se habere virtutem ad eamdem visionem prout est Dei : et si semel non haberent prædictam virtutem, non possent illis absolute tribui prædicti effectus per illam attributionem, et accommodationem : ergo cum materia secundum se præcise spectata, non possit esse radix individuationis quoad *esse* incommunicabile, consequens est, ut nequeat illi absolute concedi etiam per attributionem, et accommodationem explicatam, quod sit radix prædictæ incommunicabilitatis.

Solutio 1.

Respondetur enim primo, attributionem, et accommodationem effectuum non semper, et eodem fundamento attribui suis causis, Et propterea, dato, quod ad attributionem, quæ respectu intellectus, et luminis gloriæ fit, debeat reperiri illud fundamentum, quod in objectione refertur : non tamen ad omnem, et quamlibet attributionem : sed satis est (quoad præsens) fundamentum, et ratio a nobis pro singulis ex his attributionibus ibidem adducta : ut ex iis, quæ ex Cajet. adduximus, constat. Sicut etiam loquondo universaliter de attributione, et accommodatione videmus, quod ex aliis capitibus possunt aliqua attribui diversis, licet res habita sit omnino eadem in illis. Et ideo videmus, quod propter fundamentum, longe diversum ab enumeratis, tribuitur Patri in divinis omnipotentia, et Filio sapientia essentialis, et Spiritui Sancto amor etiam essentialis : quamvis omnibus tribus personis conveniat, quod habeant eamdem omnipotentiam, sapientiam, et amorem essentialem.

Adde, quod licet visio Dei secundum communem rationem visionis, sive intellectionis attribuatur absolute intellectui; non tamen se solo est sufficiens principium ejusdem visionis modo dicto consideratæ : sed necessario indiget, tum specie intelligibili ad eam secundum prædictam rationem causandam, ut constat ex iis, quæ in tractatu de visione Dei, disp. 2. num. 83. dicemus : tum etiam lumine gloriæ : ex eo, quod nulla est ratio in visione Dei, quæ non sit supernaturalis, ac proinde, quæ non indigeat principio supernaturali.

Secunda solutio ejusdem confirmationis.

94 Secundo ad eamdem confirmationem (per quod etiam tota solutio præcedens, maxime vero quoad enodationem replicæ nuper adductæ, magis elucidatur). Respondetur, quod loquendo non de iis, quæ, quoad præsens attinet, contingunt per attributionem, et accommodationem jam dictam, sed re ipsa, et non curando de prædicta accommodatione; tunc licet materia præcise sumpta, seu, ut consideratur non considerata præhabitione, qua præhabet hanc potius quantitatem, quam illam, non sit sufficiens principium, et radix individuationis quoad *esse* incommunicabile, seu quoad *esse* indivisum in se ultima divisione : attamen secundum hanc rationem habet rationem primæ radicis; licet ex se non sufficientis, respectu prædictæ incommunicabilitatis : ex eo, quod etiam secundum hanc considerationem est una numero negative. Et ita licet secundum quod est una unitate specifica negativa, non sit primum etiam insufficiens principium individuationis, aut specificationis, attamen, ut

est una numero negative, potest esse prima, licet non sufficiens individuationis radix.

95 Explicatur hoc. Etenim in hoc differt unitas numerica totius compositi ab unitate specifica, quod unitas specifica incipit ab unitate specifica positiva, et a primo, et fontali principio illius, scilicet forma substantiali, ex eo, quod est unitas formalis : atque adeo debet incipere a principio formali, quamvis debeat terminari ad materiam, ut est una unitate specifica negativa, quatenus tribuit illi, quod sit una unitate specifica positiva.

Cæterum unitas numerica radicalis incipit ab unitate numerica negativa : ex eo, quod cum hæc unitas numerica sit materialis, debet tanquam a prima radice, licet ex se non sufficienti, oriri a materia secundum id, quod ex se habet, quatenus est una numero negative. Et ita non mirum quod *esse* incommunicabile proveniat a materia secundum præcisionem jam dictam, et modo explicato, licet non proveniat ab ea, ut a principio sufficienti : et quod ab eadem, ut a præhabente hanc quantitatem potius, quam illam, oriatur eadem individuatio quoad *esse* divisum. Quæ solutio desumitur ex Divo Thoma, opusc. 32, c. 3, et eam indicat Capreol. in 2 Sent., dist 3, quæst. 1, art. 3, ad argumentum Scoti, et Durandi tertio loco contra secundam conclusionem.

D. Thom Capreol

96 Potestque tota illa elucidari exemplo illo intellectionis, in præcedenti solutione nuper adducto : quæ, ut intellectio est, procedit, ut a primo principio sub intellectu : et secundum suam specificationem ducit ortum, tanquam a prima radice ab specie intentionali. Non quidem ita, ut sola species intelligibilis, sit sufficiens ad influendum in prædictam specificationem absque intellectu : nec ita, ut solus intellectus absque specie sit sufficiens ad producendam eamdem intellectionem, ut intellectio est : sed quia prima (ut sic dicamus) radix, licet se sola insufficiens, ad attingendam intellectionem, ut talem, est intellectus ; et prima radix attingendi illam secundum suam specificationem, est species intelligibilis.

Objectio

Nec refert si urgeas, quod si hoc ita esset, et in hoc sensu locutus fuisset D. Thom. in prædicto testimonio, tunc eadem ratione potuisset dicere, quod *esse* divisum ab aliis ultima divisione, provenit etiam a materia : quia re vera, ipsa est prima, licet insufficiens, radix distinctionis illius, qua unum individuum substantiale distinguitur pure numerice substantialiter ab alio : siquidem per id aliquid distinguitur aliquo modo ab alio, per quod eodem modo constituitur.

97 Respondetur enim concedendo sequelam. Cæterum congruentius D. Thom. locutus est, dum in priori parte illius testimonii tantum assignavit expresse principium insufficiens incommunicabilitatis : et in posteriori adduxit principium primum, et sufficiens distinctionis a quolibet alio, in quodque cætera alia principia reducantur. Nam cum in doctrina ipsius idem sit constitutivum, et distinctivum, fit inde, ut hoc artificioso modo loquendi assignaverit expresse in priori hujus testimonii parte principium insufficiens indivisionis in se, seu incommunicabilitatis, per quam perprius individuum constituitur, et implicite, ac virtualiter principium etiam insufficiens distinctionis ab alio : et similiter in secunda parte ejusdem testimonii adduxerit expresse principium sufficiens jam dictum distinctionis a quolibet alio, et implicite, ac virtute principium etiam sufficiens incommunicabilitatis, seu indivisionis ultimæ perprius constitutivæ individui. Solvitur.

Ad secundam confirmationem initio adductam concesso absolute antecedenti, quoad primam ejus partem, et quoad secundam in sensu explicato, scilicet de quantitate, ut radicaliter præhabita in materia, neganda est consequentia. Quia, ut consequens esset verum, requirebatur, quod antecedens, quoad secundam partem esset verum, etiam si de quantitate secundum suum *esse* formale, et ut est forma inhærens intelligeretur. Et ita satis est ad individuationem compositi, quod materia, ut præhabens hanc potius quantitatem, quam istam, illi communicetur. Per quod ad reliqua, quæ in eadem confirmatione adducuntur, satis constat. Occurritur secundæ confirmationi.

§ VI.

Diluuntur cætera argumenta pro contraria sententia adducta.

98 Ad secundum ex ratione petitum, distinguenda est major : *Nisi ipsa sit divisa ab alia parte materiæ*, id est, nisi distincta sit ab illa, eo modo, quo una pars integralis, seu entitativa, et ejusdem rationis ab alia, aut duo tota integralia inter se distinguuntur, et sunt divisa, neganda est : *Nisi ipsa sit divisa ab alia parte materiæ*, id est, nisi sit Fit satis argum. secundo.

sit distincta ab illa, eo modo, quo una pars subjectiva, aut quasi subjectiva distinguitur, et est divisa ab alia, concedenda est. Et deinde minor in priori sensu intellecta concedi debet, negari vero in posteriori. Et tandem neganda est utraque consequentia : quia, ut utrumque consequens esset verum, desiderabatur, ut major esset vera in primo sensu, et minor in secundo.

Explicatur solutio.

Explicatur hoc. Etenim duplex est genus partium, et totorum. Aliæ enim sunt partes entitativæ, et ejusdem rationis, seu integrales, quibus correspondet suum totum continuum : aliæ vero partes subjectivæ, aut quasi subjectivæ, et ejusdem rationis, quibus correspondet suum totum universale, aut quasi universale, et atomum. Partes autem istæ nihil sunt aliud, quam plura individua, aut partes singulares alicujus individui solo numero diversæ, quæ sub specie, aut quasi specie aliqua atoma continentur. Quæ ideo appellantur partes subjectivæ, quia totum aliquod, aut quasi totum universale dividitur in illa, tanquam in sibi inferiora, et subjecta participantia eamdem, aut saltim quodammodo eamdem, atomam naturam : quamvis forte contingat, quod utraque pars, seu utrumque ex his inferioribus, aut quasi inferioribus fit in se verum totum actuale, licet de se utraque pars, seu utrumque ex his inferioribus, aut eorum aliquod non habeat partes entitativas, et ejusdem rationis. Et ita duo possunt inter se distingui : vel eo modo, quo una pars integralis distinguitur ab alia : et per consequens facta divisione inter utramque possunt distingui, et esse divisæ tanquam duo tota integralia : vel eo modo, quo una pars subjectiva, et ejusdem rationis, contenta sub aliqua specie, aut quasi specie, condistinguitur, et dividitur ab altera.

99 Licet ergo, quod materia sit distincta ab alia parte materiæ per modum partis, et partis entitativæ, et integralis vel quod ab alia materia, quæ alias est quasi pars subjectiva, sit divisa eo modo, quo unum totum integrale habens in se pluralitatem partium integralium, et inter se continuatarum est distinctum, et divisum ab alio simili toto, proveniat a quantitate, ut a forma inhærente, et informante : quia substantia ex se nullas habet partes entitativas, vel integrales nisi tantum ratione quantitatis, ut formæ intrinsecæ, ut in lib. de Generat, disp. 5, num. 32 usque ad num. 95, nostri Complut. eleganter explicant : attamen, quod una materia distinguatur ab alia, eo modo, quo una pars subjectiva, aut quasi subjectiva jam dicta distinguitur, et est divisa ab alia consimili parte subjectiva, aut quasi subjectiva, non est effectus formalis quantitatis, ut formæ inhærentis. Et ita, nec talis pars, et distinctio, ac divisio ejus ab alia requirit, quod pars sic distincta, et divisa, habeat in se multitudinem partium entitativarum componentium unum, et idem totum entitativum : quod tamen esset necessarium, si talis pars subjectiva divisa ab alia esset talis ratione quantitatis inhærentis, ut ex se constat. Sed ratio talis partis potest inveniri absque quantitate determinata inhærente, et habita, licet non absque quantitate certa, et determinata, ac radicaliter tantummodo prædicta : ut si Deus separet totum substantiale a quantitate quod esse possibile ex dictis num. 87 et 88 constat.

Complut.

Cæterum quia ad hoc, ut materia sit principium, et radix individuationis, non requiritur, ut sit distincta ab alia parte materiæ, ut pars, et pars integralis, vel quod sint inter se divisæ, ut totum, et totum integrale ex prædictis partibus in suo toto substantiali, ratione quantitatis actu inhærentis coalescens, ut statim num. sequenti magis explicabimus, et ex dictis pro assertione constat; sed sufficit, quod duæ illæ materiæ sint distinctæ et divisæ, ut pars, et pars subjectiva, aut quasi subjectiva : propterea ipsamet, ut radix individuationis non dicit quantitatem, ut formam inhærentem, nec divisionem illam priorem, sed solum quantitatem, ut prædictam, et hanc posteriorem divisionem ortam ex eademmet materia, ut prædicente quantitatem hanc potius, quam illam, seu ortam ex prædicta quantitate, ut prædicta.

Solvitur id, quod ex D.Thom. adducebatur.

100 Ad illud autem, quod ex Divo Thoma ibidem adducitur, dicendum est, quod ex hoc, quod materia non sit principium individuationis, nisi, ut distinguibilis (quod ibidem fatetur Sanctus Doctor) id est, nisi secundum, quod est hæc pars, aut quasi pars subjectiva, et non illa : et ex hoc, quod materia non sit divisibilis, seu distinguibilis in partes entitativas, nisi ratione quantitatis, ut formæ inhærentis (quod etiam ibi fatetur Angelicus Præceptor, et testimonio Aristot. id confirmat) non sequitur, quod materia efficiatur *hæc*, et signata, ac proinde hæc quasi pars subjectiva, et non illa, secundum, quod est sub dimensionibus actu habitis, et eam in toto suo substantiali infor-

mantibus : sed solum secundum, quod per modum radicis habet vim, et potentiam radicalem, ad hoc ut potius sit sub istis dimensionibus, quam sub illis.

Et ratio est aperta ex dictis. Nam ex hoc, quod materia non sit divisibilis in partes entitativas ejusdem rationis, nisi solum ratione quantitatis, tanquam formæ inhærentis, solum sequitur, quod quantitas per se, et ratione sui sit, modo alibi dicto, divisibilis in prædictas partes : atque adeo, quod per se, et ratione sui sit, quodammodo individua, et secundum aliquam sui considerationem sit radix individuationis respectu substantiæ materialis, et partium physicarum ejus, etc., ut num. 91 tetigimus, et num. 21 et deinceps disput. sequenti expendemus. Ex hoc autem, quod ipsa secundum aliquam sui considerationem, sit prima radix individuationis respectu prædictæ substantiæ, et partium physicarum ejus, non sequitur materiam effici *hanc*, et signatam, seu hanc potius partem, aut quasi partem subjectivam, secundum, quod actu informatur per quantitatem, et habet partes entitativas, ratione ipsius, ut formæ inhærentis, ita, ut per illam hoc modo sumptam, et per partes entitativas, quas ab ea habet, constituatur in ratione partis, aut quasi partis subjectivæ contentæ sub specie, aut quasi specie materiæ sublunaris, ut sic, ac proinde fiat *hæc*, et non *illa* : quandoquidem, ut ex dictis constat, radix individuationis substantialis debet esse substantialis, sicut, et ipsum compositum, ut est *hoc*, et individuum, est substantiale : sed solum sequitur quod fiat *hæc*, et signata, ac proinde hæc, et non illa pars, aut quasi pars subjectiva, secundum, quod radicaliter præhabet quantitatem, et per modum primæ potentiæ radicalis petit hanc potius quantitatem, quam illam. Quia, ut modo dicebamus, ex quo capite quantitas ex eo, quod est prima ratio habendi partes entitativas, debet esse prima ratio individuationis materiæ, oportet, quod quantitas aliquo modo, sive, ut habita, sive, ut præhabita, influat per modum radicis : et ex quo capite illud individuum est quid substantiale, non potest esse quantitas, ut habita, quæ est accidens, sed, ut præhabita, secundum quam rationem est quid substantiale. Per quod ad alia D. Thom. testimonia ibidem adducta, proportione servata, satis constat. Sed hæc amplius infra explicantur.

Respondetur ad tertium.

101 Ad tertium patebit ex dicendis num. 133 et sequentibus, quomodo per materiam signatam quantitate, secundum ea, quæ indispensabiliter importat, ut sit radix individuationis, non intelligatur materia, ut addit in recto aliquid realiter distinctum ab ipsa materia : sed solum aliquid pro connotato, et in obliquo, scilicet hanc potius quantitatem, quam illam, non quidem actu receptam, et habitam, sed petitam, et debitam, et non ita, ut prædicta quantitas sit connotatum intrinsecum, sed extrinsecum. Nam sicut hoc ipso, quod Deus sit causa creaturarum, ut virtualiter præhabet illas, involvuntur ibidem ipsæ creaturæ, non ut connotatum intrinsecum, sed extrinsecum, cum quibus Deus, ut omnipotens habet connexionem, nec involvuntur prædictæ creaturæ, ut actu factæ, sed secundum rationem possibilium : ita in proposito, proportione servata, jam insinuata, philosophandum est.

Et contra hoc non habet vim probatio ibidem adducta. Quia satis est, quod materiæ addatur connotatum, ut petitum, et debitum, atque adeo, ut in sequenti signo quantum est ex vi causarum naturalium (licet non indispensabiliter) futurum, ad hoc, ut licet sine illo non possit esse radix individuationis, bene tamen cum illo. Quia eo ipso præhabet hanc potius quantitatem, quam illam : ac proinde petit subesse huic formæ substantiali, et non illi. Sed hæc magis patebunt ex dicendis numero nuper citato, et sequentibus, ubi ex professo explicabitur, quomodo eadem materia absque eo, quod intrinsece immutetur, secundum id, quod habet in recto (quod in eadem probatione tangitur) possit modo præhabere hanc quantitatem, et non illam, et postea illam, et non hanc.

Ad confirmat.

102 Ad confirmationem bene respondetur ibidem. Et ad primam probationem in contrarium constat ex iis quæ num. præcedenti diximus, et num. 133 dicemus. Ad secundam vero probationem, quod sicut aliquem effectum præcontineri in sua causa efficienti, ita, ut non magis iste, quam alius præcontineatur, dicit modum continendi indistincte, cæterum præcontineri in illa, ut determinata ad hunc potius effectum, quam illum efficiendum, dicit talem effectum esse aliquo modo distincte, seu determinate in prædicta causa : ita quantitatem præcontineri, tanquam in radice in materia prima, taliter ut in ea non magis hæc, quam illa præcontineatur, dicit modum essendi in illa indistincte, seu indeterminate, attamen prædictam quantitatem esse in illa, ita

ut

ut hæc potius, quam ista quantitas in ea præcontineatur, et ab eadem petatur, importat prædictam quantitatem esse in eadem materia aliquo modo distincte, et determinate : ut ex terminis ipsis constare videtur.

Ad ultimum. Ad ultimum bene occurritur ibidem. Et ad probationem in contrarium dicendum est, quod probaret intentum, si individuatio (ut sic loquamur) formaliter talis, quæ ratione quantitatis (modo tamen num. 116 et deinceps explicando) convenit materiæ, ut primæ radici individuationis, necnon et composito substantiali non solum esset (ut sic dicamus) formaliter talis, sed etiam esset ejusdem rationis atomæ cum individuatione ipsius quantitatis. Tunc enim non posset non materia esse *hæc*, et individua, ratione quantitatis, ut formæ inhærentis, si semel tribuitur quantitati, quod sit prima radix prædictæ individuationis.

103 Cæterum, quia licet tam materia, quam compositum substantiale, sint (ut sic dicamus) formaliter quid individuum, et singulare, prout ly *formaliter*, opponitur contra hoc, quod est tantum virtualiter habere rationem individuationis ; nihilominus habent individuationem diversæ rationis ab individuatione ipsius quantitatis, licet ipsi, ut primæ radici, in sensu supradicto tribuatur, et ab ea causetur : propterea non debent esse individua ratione quantitatis, ut formæ inhærentis, et formaliter, ac intrinsece constituentis, sed ratione quantitatis, ut radicaliter præhabitæ : ut ita individuatio quantitatis secundum suum *esse* formale sumpta, et individuatio materiæ, et compositi sint diversæ rationis. Sicut per impossibile daremus duos calores formaliter tales, et specie diversos, quorum unus esset talis, quatenus præhabet virtualiter alium : tunc calor præhabitus non posset formaliter, et per modum formæ inhærentis constituere calorem præhabentem, alioqui non essent specie diversi ; sed ad summum posset quodammodo pertinere ad alterum, ut in ipso virtualiter præhabitum.

DUBIUM IV.

Utrum materia signata quantitate, prout dicit modum quemdam substantialem, ex natura rei diversum a materia, et eam determinantem ad hanc potius quantitatem, quam ad illam habendam, sit prima radix individuationis substantiæ materialis, et formæ substantialis, illius ?

104 Ut melius explicemus propriam Divi Thomæ mentem, quoad id, quod ipse intelligit per materiam signatam quantitate, de qua inquit esse principium individuationis, non parum conducet, quod prius in hoc dubio discutiatur, an per prædictam materiam intelligatur materia, ut per aliquem modum substantialem, ex natura rei diversum ab illa, et derminatur ad habendam hanc potius quantitatem, quam illam? et ideo, ut clarius, et distinctius procedamus, placuit dubium hoc prius sigillatim, et breviter discutere.

§ I.

Proponitur prior sententia.

Suarez. Fundamentum. 105 Partem affirmantem tuentur aliqui, quos refert Suarez primo tomo suæ Metaphysic., disput. 5, sectione 3, numero 22. Fundamentum est. Nam materia prima in ratione primi principii, et causæ individuationis, non est purus actus, sed potius pura potentia : ergo, ut re ipsa, et in exercitio sit causa, et radix individuationis, debet illi superaddi saltim aliquis modus : ergo modus iste debet esse quid substantiale, ex natura rei a materia distinctum, per quod determinetur ad habendam hanc quantitatem potius, quam illam, et ratione cujus dicatur esse sigillatam quantitate. Hæc secunda consequentia patet ex prima. Nam quod hoc ipso, debeat materiæ addi aliquis modus, ut re ipsa sit principium individuationis, non potest esse quid accidentale, ne individuum inde coalescens, scilicet compositum substantiale, sit ens per accidens : ut ex dictis dub. præced. constat. Et similiter debet a materia ex natura rei distingui : siquidem realiter advenit illi, et periit, non pereunte materia. Ac tandem non potest non determinare eamdem materiam ad habendam hanc potius quantitatem, quam illam, seu (quod idem est) signare materiam

quantitate, quatenus mediante prædicta determinatione est signata, et determinata ad habendam prædictam quantitatem : siquidem modus iste ad nihil aliud potest in ordine ad individuationem deservire, ut intuenti constabit, et ex dictis duobus præcedentibus dubiis constat.

Complut

Prima vero consequentia ex antecedenti, et ex dictis a nostris Complutens. in libro Physicorum, disp. 6, num. 21 et deinceps, videtur sequi. Nam ideo materia indiget modo unionis superaddito ad causandam re ipsa formam : et rursus forma ad causandam existentiam, et speciem positivam materiæ : et tandem efficiens creatum indiget actione, quæ sit saltim modus quidam desideratus ad producendum effectum, quia nihil horum est actus purus, sed aliquid admixtum potentialitate : et ideo, ut sint in actu secundo indigent saltim aliquo modo superaddito.

Confirmatur.

106 Confirmatur. Nam per materiam signatam quantitate, non potest intelligi materia, ut intrinsece constituta per quantitatem, tanquam per formam inhærentem, ut ex dictis dubio præcedenti constat : ergo intelligitur materia, ut determinata, saltim per aliquem modum substantialem, ad hanc potius quantitatem, quam illam. Patet consequentia : quia hoc ipso, quod quantitas, ut actu habita per modum formæ inhærentis, non concurrat ad individuationem, atque adeo, nec per materiam sic signatam, intelligatur materia, quæ est principium individuationis, debet per prædictam materiam intelligi materia, ut quodammodo petens quantitatem hanc potius, quam illam, ut ex se constare videtur : ergo cum materia de se non petat magis istam quantitatem, quam illam, oportet, quod determinetur per aliquem modum substantialem, per quem eam petat : ac proinde oportebit etiam, quod per materiam signatam quantitate, intelligatur materia, ut ratione prædicti modi eam exigit.

§ II.

Juxta Aristotelis, et Divi Thomæ mentem dubium deciditur.

Conclusio.

107 Dicendum tamen est, materiam signatam quantitate, prout dicit prædictum modum substantialem determinantem eam ad hanc potius quantitatem, quam ad illam habendam, non esse primam radicem individuationis substantiæ materialis completæ, aut formæ substantialis illius. Ita Aristotel. et Div. Thom. locis in dubiis præcedentibus relatis, ut statim expendemus. Maxime id docuit D. Thom. locis a numero 55 usque ad 58 citatis : quos, omnes Doctores numero 116 referendi sequuntur.

Aristot. D. Thom.

Ratio assertionis.

Rationem autem fundamentalem hujus assertionis tetigit Divus Thomas opuscul. de natura materiæ capite tertio, quæ potest sub hac forma proponi. Nam materia est primum principium individuationis totius compositi, ac proinde formæ substantialis, quatenus habet rationem primi subjecti non recepti, nec receptibilis in alio : ergo non ratione alicujus modi substantialis eidem realiter superadditi : ergo per materiam signatam quantitate, quæ ponitur principium individuationis, non potest intelligi materia, ut habens prædictum modum. Antecedens constat ex dictis num. 5 et deinceps. Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Nam de ratione prædicti modi esset, quod actuaret materiam, et reciperetur in illa : ergo prædictus modus non posset tribuere materiæ, quod esset prima radix individuationis : siquidem haberet rationem oppositam rationi illi, per quam materia habet esse primam radicem individuationis : scilicet irreceptabilitati in alio, tanquam in subjecto. Secunda vero consequentia ex hac priori aperte sequitur. Unde D. Thom. ibidem concludit, quantitatem ipsam secundum suum *esse* formale sumptam, quatenus habet rationem formæ inhærentis, non posse esse primam radicem individuationis : ex eo, quod secundum istam rationem est in alio, ut in subjecto, et id quod est prima individuationis ratio, non potest, ut talis esse in alio, ut in subjecto.

Confirmatur primo.

108 Confirmatur primo. Quoniam modus iste non posset esse modus singularis, et physicus, ut ex se constat : ergo non posset non recipi in materia singulari, et præsupponere illam singularem : et per consequens materia ratione illius non esset singularis, nec prima singularitatis radix. Hæc ultima consequentia ex priori patet : prior vero ex antecedenti. Nam hæc est differentia inter actum metaphysicum, et physicum, quod licet actus metaphysicus singularis non supponat potentiam metaphysicam singularem, sed eam actuando reddat illam singularem, et propterea petreitas, v. g., supponit potentiam specificam, scilicet naturam humanam, non vero singularem, sicut differentia specifica, et metaphysica supponit solum

solum potentiam genericam, et constituit potentiam specificam : attamen actus physicus, et singularis, re ipsa secundum suum *esse* formale receptus, non potest non præsupponere potentiam physicam, et singularem.

Tum, quia id inductive constat. Tum etiam : quia informatio, quæ est inter potentiam physicam, et actum physicum, est realis actualis : atque adeo debet esse inter extrema realiter actualiter, et a parte rei distincta : et per consequens inter extrema, quorum quodlibet sit vere singulare, ut ab altero distinguitur : siquidem distinctio a parte rei, seu realis actualis non potest non esse inter singularia. At vero actuatio, qua actus metaphysicus actuat suam potentiam metaphysicam, tantum est actuatio secundum rationem cum fundamento in re : ista autem actuatio non petit, ut sit inter extrema actu distincta a parte rei, sed solum secundum rationem ratiocinatam : ac proinde, nec petit extrema, quorum quodlibet sit singulare, sed eorum unum potest, quantum est de se esse universale, aliudque singulare : quia hoc modo possunt universalia distingui a suis singularibus.

Confirmatur secundo.

109 Confirmatur, et explicatur secundo ratione illa Divi Thomæ, quam numeris nuper citatis adduximus. Nam ex communicatione, qua forma, aut actus communicatur materiæ, sequitur suo modo communicatio superioris respectu sui inferioris : ergo ex eo, quod modus aliquis supperaddatur materiæ, et informet illam, non reddetur materia singularis, nec prima singularitatis radix : sed potius quantum est ex vi illius communicationis, reddetur apta ad hoc, ut possit fieri universalis. Consequentia ex antecedenti videtur constare. Antecedens autem probatur. Tum quia propter hanc rationem Divus Thom. num. 54 citato dixit, formam alteri, ut subjecto communicabilem, esse quantum est de se universalem, et communem multis. Tum etiam : quia ex eo, quod aliquid sit in alio, oritur, quod possit de illo (modo alibi insinuato) prædicari : et ita superius habet se veluti forma respectu inferioris. Quod quidem est adeo verum, ut etiam si genus prædicetur per modum partis materialis, materialitas illa attenditur penes differentiam, de qua non prædicatur : non vero respectu inferioris, ut sic, de cujus ratione est, ut subjiciatur superiori, et veluti in se illud recipiat.

Evasio.

110 Nec refert si dixeris, modum istum substantialem, per quem materia determinaretur ad hanc potius quantitatem, quam illam, identificandum esse cum materia : et ita fore irreceptibilem, sicut illa, posseque non supponere ipsam positive singularem. Sicut propter hanc identificationem, singularitas metaphysica non supponit suam potentiam, scilicet speciem, tanquam aliquid singulare. Et tandem sicut materia non dicitur informare se ipsam, ex eo, quod est idem sibi ipsi, ita nec modus prædictus haberet actuare, seu informare eamdem materiam.

Præclusio.

Non itaque hoc refert. Quoniam hinc ad summum sequitur, quod modus iste realiter entitative non distinguatur a materia, non vero quod realiter formaliter, seu ad minus ex natura rei, et secluso intellectu non distinguatur ab illa, ut constat ex jam dictis in titulo hujus dubii, et ex iis, quæ in Logica, disp. 14, num. 48 et sequentibus, et in libro Physicorum, disp. 19, num. 27 et deinceps, nostri Complut. dicunt : ergo licet identice, et ratione materiæ habeat eas conditiones, quæ in hac evasione referuntur, non tamen formaliter, et ex propriis meritis : sed potius ex se, et ex propriis meritis habebit ex natura rei, et secluso intellectu, quod recipiatur in materia, quod sit actus physicus, et quod eam per modum actus informet. Et ita materia ratione prædicti modi non habebit esse individuam, et primam individuationis radicem : sed si id tunc haberet, conveniret illi aliunde, vel ex propriis meritis.

§ III.

Fit obviam fundamento primæ sententiæ.

111 Ad fundamentum adversariorum concesso antecedenti, neganda est prima consequentia, si intelligatur de modo aliquo, materiæ realiter superaddito, a quo formaliter, et in recto habeat esse re ipsa, et in exercitio primam radicem individuationis. Et ad probationem dicendum est, esse disparem rationem. Nam actualis causatio materiæ respectu formæ, et e converso, necnon et causalitas causæ efficientis habent ex genere suo esse actus secundus. Et ita nulla forma, nullumque efficiens potest actu causare, sine novo saltim modo, nisi talis forma, taleque efficiens sint actus purus : ac proinde si materia re ipsa causaret formam sine aliquo modo superaddito, scilicet sine unione ex natura rei ab ea dis-

tincta, esset quantum est ex hoc capite actus purus. Cæterum esse re ipsa, et in exercitio primam radicem individuationis substantiæ materialis : ac proinde primam radicem hujus causalitatis materialis, potius quam illius, non est ex genere suo, et in recto actus secundus, sed potius ex genere suo dicit rationem puræ potentiæ omnino irreceptibilis in alio, quamvis habeat nexum cum actu primo, et secundo. Et propterea ex hoc, quod materia per se, id est, sine aliquo modo realiter superaddito, a quo formaliter, et in recto habeat esse primam radicem individuationis, possit esse prima radix prædictæ individuationis, non sequitur illam fore actum purum, sed potius habituram esse rationem puræ potentiæ.

Diximus : *Sine aliquo modo realiter superaddito, a quo formaliter, et in recto habeat re ipsa, et in exercitio esse primam radicem individuationis*, quia sicut ad hoc, ut prædicta materia sit re ipsa, et in exercitio radix, requiritur, quod actu componat totum, et subjiciatur formæ, quia nequit exercere prædictum munus, nisi adsit ibi forma, et compositum substantiale, quæ ab eadem materia, ut a prima radice individuanda sunt, ita etiam requiritur modus unionis ex parte materiæ, et formæ, qui una cum prædicto toto ab ipsa materia individuandus est. Quamvis nec forma nec compositum, nec prædictus modus requirantur, ut tribuentes materiæ esse primam radicem individuationis, sed solum requirantur tanquam effectus materiæ habentes connexionem cum illa, ut re ipsa, et in exercitio est prima radix individuationis. Taliter tamen, ut re ipsa, et in exercitio prius habeat materia esse radix hujus potius unionis ex parte illius se tenentis, quam hujus formæ : et rursus prius habeat esse radicem hujus formæ, quam hujus compositi. Sed circa hæc videantur illa, quæ in lib. Physic., disp. 6, quæst. 2, nostri Complut. docent. Complut

112 Potestque hoc aliqualiter explicari : tum exemplo ejusdem materiæ, ut dicit appetitum desiderii respectu formæ nondum habitæ : quam tamen naturaliter potest habere. Nam ad hoc, ut re ipsa, et in exercitio habeat prædictum appetitum, non est necesse, ut id habeat in recto ratione alicujus superadditi, sed ratione suæ potentialitatis, connotando tamen privationem ejusdem formæ, ut ex dictis 1 Physicorum, disp. 3, num. 94, a nostris Complut. constat : quia talis appetitio ex genere suo, et in recto non est actus secundus. Tum etiam ex dicendis dub. sequenti. Nam materia ratione suæ potentialitatis in recto, et connotando aliqua alia ibidem insinuanda, præcontinet re ipsa, et in exercitio hanc quantitatem potius, quam illam. Constat autem, quod eo ipso, quod materia præcontineat hanc potius quantitatem, quam aliam, habet re ipsa et in exercitio esse principium individuationis hujus compositi, et non alterius : siquidem eo ipso petit componere hoc compositum, et non aliud, et hæc petitio est satis ad hoc, ut sit re ipsa, et in exercitio radix individuationis hujus compositi, et non alterius. Complut.

Ad confirmationem concedendum est antecedens, et neganda consequentia. Et ad probationem patet ex dictis, et ex dicendis num. 133. quomodo licet materia de se non petat magis hanc quantitatem, quam illam, nihilominus non sit necesse ei superaddi aliquem modum substantialem, ratione cujus habeat formaliter, et in recto esse primam radicem individuationis : sed satis sit ipsamet, connotando ea, quæ ibidem innuimus, et loco citato dicemus, ad hoc, ut possit præhabere hanc potius quantitatem, quam illam. Occurritur confirmation.

DUBIUM V.

Utrum materia signata quantitate, prout dicit materiam ut præhabentem per modum radicis, hanc potius quantitatem, quam illam, sit prima radix individuationis substantiæ materialis completæ, atque adeo formæ substantialis illius ?

Quamvis decisio hujus dubii non difficulter colligatur ex dictis in præcedentibus, quia tamen ad sui majorem explicationem, opus est, ut aliqua denuo addantur, et aliquibus objectionibus satisfiat, propterea, necnon, et ob ea, quæ supra innuimus, illud sigillatim excitamus.

§ I.

Refertur sententia negans.

113 Partem negantem tuentur Suarez, disp. 5 suæ Metaphys., sect. 3, et omnes Doctores, quos num. 3 pro contraria sententia retulimus. Fundamentum præcipuum hujus sententiæ jam supra tactum est, quod quidem potest sic amplius urgeri, et explicari. Primum fundamentum.

cari. Nam materia prius continet per modum radicis hanc numero formam substantialem, potius, quam illam, quam contineat hanc numero quantitatem potius, quam istam : ergo prius, quam præcontineat hanc numero quantitatem, potius quam illam, erit singularis, et individua, et radix individuationis totius compositi : et per consequens non habebit rationem prædictæ radicis, prout signata quantitate, quatenus hoc importat eamdem materiam, prout radicaliter præhabentem hanc potius quantitatem, quam illam. Hæc secunda consequentia patet ex prima. Prima vero ex antecedenti. Antecedens autem etiam constat : quoniam eo ordine, præcontinentur effectus in causa materiali, quo illos causat, et recipit : quandoquidem non aliter eos causat, nisi eo modo, quo illos præcontinet : at materia prius habet causare, et recipere hanc numero formam substantialem, quam hanc numero quantitatem ; ergo prius præcontinet illam, quam istam.

on-
atur.

Confirmatur. Quoniam materia prius respicit hanc numero formam, quam hanc numero quantitatem : ergo prius continet in se illam, quam istam : ergo cum materia, prout in illo priori præcontinet hanc numero formam, sit individua, ut ex se constat, ac proinde prima individuationis radix, nequibit hoc per se primo habere, ut continet hanc numero quantitatem. Hæc ultima consequentia ex prima videtur constare. Prima vero ex antecedenti : quia eo ordine præcontinentur effectus in causa, quo ab illa respiciuntur.

Antecedens autem probatur. Tum, quia materia respicit formam, tanquam potissimum ejus actum : constat autem, quod actus potissimus alicujus potentiæ prius inspicitur ab illa, quam quivis alius. Tum etiam : quia ea, quæ pertinent ad prædicamentum subs antiæ, prius respiciunt illa, quæ complent ipsa intra proprium prædicamentum, quam illa, quæ sunt extra illud : quandoquidem ea, a quibus complentur intra proprium prædicamentum, sunt ipsis intimiora, ac proinde prius inspecta : constat autem formam substantialem complere materiam intra proprium prædicamentum, secus vero quantitatem. Tum denique, quia materia non respicit hanc numero quantitatem, nisi propter hanc numero formam, et ratione illius : siquidem non res icit illam, nisi, ut mediante ea recipiat hanc numero formam substantialem : ergo prius respicit istam, quam prædictam quantitatem.

114 Secundo probatur eadem sententia. Nam si mater a signata quantitate, id est, prout per modum primæ radicis præcontinet hanc numero quantitatem, esset radix individuationis : vel hoc haberet, quatenus præcontinet hanc numero quantitatem terminatam, vel interminatam? at nullo ex his modis : ergo, etc. Major, cum consequentia sunt satis perspicuæ. Minor vero, quoad primam partem est Divi Thomæ, opusculo 70, quæstione quarta, articulo secundo, ubi inquit : ex dimensionibus interminatis reddi materiam *hanc*, et signatam, et sic individuare formam; non vero ex dimensionibus terminatis? id, quod probat ex eo, quod alias Petrus puer, et idem Petrus vir, non esset unum, et idem numero individuum : siquidem quantitas cubitalis, quæ est in Petro puero, non manet in eodem viro ; sed fit bicubitalis. Secundum. D.Thom.

Quoad secundam vero partem, eadem minor etiam constat. Quoniam quantitas non est certa, et determinata, nisi ratione formæ. Nam, ut docet Aristotel. primo Physicorum, cap. 4, et adducitur a Divo Thoma prima parte, quæst. 7, ideo hæc quantitas est tanta, ac proinde certa, et determinata, quia materia habet hanc formam, et non illam : et ideo variata hac forma, variatur tantitas quantitatis; ergo materia non erit individua, neque individuationis radix, prout præcontinet hanc quantitatem, ut tantam, et determinatam : siquidem tantitas, et determinatio quantitatis non provenit ab illa, sed a forma. Aristot. D.Thom.

115 Tertio. Nam pro hac sententia urget id, quod supra tetigimus, scilicet materiam non habere unde præcontineat hanc potius quantitatem, quam illam, nisi postquam jam est *hæc* individua, et individuationis radix : ergo non erit individua, ac proinde, nec individuationis radix, ut præcontinet hanc potius quantitatem, quam illam. Consequentia ex antecedenti constat. Antecedens vero probatur. Nam materia ex se est indifferens ad hanc, et illam quantitatem : alioqui non posset recipere nisi hanc numero quantitatem : ergo ex se non habet unde præcontineat hanc potius quantitatem, quam illam, sed si eam præcontineat, erit ratione hujus formæ, quam prius recipit : et per consequens eam præcontinebit, postquam est jam individua, et prima individuationis radix. Tertium.

§ II.

Vera Aristotelis, et D. Thomæ sententia præfertur.

Conclusio. 116 Dicendum tamen est, materiam signatam quantitate, prout dicit materiam per modum radicis præhabentem hanc potius quantitatem, quam illam, esse primam radicem individuationis substantiæ materialis completæ : ac proinde formæ substantialis illius. Ita Aristot. et D. Thom. locis dub. 1 et 2 pro nostra sententia citatis, ut statim expendemus. Idem etiam peculiariter docet Sanctus Doctor, opusculo 70, quæst. 4, art. 2, ubi postquam in solutione ad secundum dixit, dimensiones ex eo, quod sunt accidentia per se, seu secundum suum *esse* formale, non posse esse principium individuationis substantiæ, statim in solutione ad tertium addidit, materiam esse radicem individuationis ratione dimensionum in eadem præintellectarum, id est, in illa per modum radicis præcontentarum : alioqui jam dimensiones, ut sunt accidentia, essent causa, et radix individuationis substantiæ, quod in prædicta solutione ad secundum Sanctus Doctor expresse negavit. Unde tam Aristot. quam Angelicum Doctorem sequuntur Cajetan., 1 part., quæst. 29, art. 1 ; Gonzalez, 1 part., quæst. 11, disp. 23; Javellus, 5 Metaphysic., quæst. 15, et alii quamplures ex junioribus Thomistis : et tandem Bannez, 1 de Generat., c. 5, quæst. 3, art. 8, fatetur sententiam hanc esse valde subtilem, et probabilissimam, et satis ad mentem Divi Thomæ.

Aristot. D.Thom. Cajetan. Gonzal. Javellus. Bannez.

Prima ratio pro assertione. 117 Ratio autem prior, et fundamentalis hujus assertionis deducitur ex iis, quæ ex Aristot. et D. Thom. in præcedentibus dubiis diximus : quæ quidem potest sub hac forma proponi. Nam licet individuatio materiæ, et totius compositi sit valde distincta ab individuatione quantitatis ; nihilominus prima radix individuationis prædicti compositi debet esse materia aliquo modo signata quantitate, ut dub. 2 ostendimus : at non potest esse materia signata quantitate, ut dicit compositum ex materia, et quantitate, ut forma inhærente, et intrinsece constituente illam in esse prædictæ radicis, aut prout dicit eamdem quantitatem, quatenus actu habitam, et per modum connotati intrinseci, ut dub. 3 probavimus : nec tandem, ut affert modum aliquem superadditum, et ex natura rei distinctum a materia, per quam determinetur ad hanc potius quantitatem, quam ad illam : ergo erit materia signata quantitate, ut dicit materiam præhabentem per modum primæ radicis hanc numero quantitatem.

Patet consequentia. Tum quia non superest alius modus signationis per quantitatem, per quam materia sit prima radix individuationis. Tum etiam : quia inter omnes modos imaginabiles, quibus materia potest signari hac potius quantitate, quam illa, hic est prior, et magis accommodatus. Prior quidem, quia prius est, quod materia præcontineat per modum radicis hanc numero quantitatem, quam, quod quolibet alio modo importet illam. Magis vero accommodatus, quia per id, per quod primo materia signatur hac numero quantitate, debet esse individua, et individuationis radix, si semel materia, ut signata quantitate, hæc habet. Maxime, quia materia quatenus sic signata, nec extrahitur extra rationem materiæ, et puræ potentiæ, ac subjecti omnino irreceptibilis, nec extra rationem substantiæ : et ita est valde accommodata, ut sit prima radix individuationis substantialis totius compositi.

Secunda ratio ex D.Thom. 118 Secunda ratio ejusdem assertionis, quam supra aliquoties insinuavimus, deducitur ex Divo Thoma, 3 parte, quæst. 77, art. 2 et quarto contra gentes, cap. 65, necnon opusc. 70, quæst. 4, art. 2 ad tertium, et in aliis locis. Quæ potest ad hanc formam reduci. Nam quantitas est quodammodo ex se individua, et ita quodammodo est sibi ipsa prima radix suæ individuationis, ut disput. sequenti, num. 21 et deinceps ostendemus : ergo materia erit individua, et prima individuationis radix, quatenus per modum primæ radicis præcontinet hanc quantitatem, potius, quam illam. Patet consequentia : quia hoc ipso, quod materia secundum se, et præcise sumpta non possit esse sufficiens radix suæ individuationis, et totius compositi substantialis ; et alias debeat necessario esse re ipsa individua, et prima individuationis radix, ut ostensum est, optime tribuitur ei hoc munus, quatenus præcontinet id, quod est ex se quodammodo individuum, et est sibi ipsi prima individuationis radix, scilicet hanc numero quantitatem : maxime, quia non potest id habere, quatenus actu, et formaliter per eam informatur, ut dubio tertio probavimus.

§ III.

§ III.

Respondetur priori argumento, et ejus confirmationi pro prima sententia adductis.

119 Ad primum ergo patet ex dictis numeris præcedentibus, negandum esse antecedens. Nam cum materia non præcontineat hanc numerò formam substantialem, potius, quam illam, nisi ex eo, quod materia ipsa est *hæc*, et individua ; et individuationem hanc non habeat nisi quatenus præcontinet hanc numero quantitatem, et non illam, consequens est, ut eadem materia prius præcontineat hanc numero quantitatem, quam hanc numero formam. Et ad probationem in contrarium respondetur, cum Bannez, 1 part., quæst. 3, art. 2, et Gonzalez, necnon cum pluribus aliis ex junioribus Thomistis, majorem illam intellectam (ut re vera intelligitur) de materia, ut collata cum suis effectibus omnino in singulari sumptis, distinguendam esse : *Eo ordine præcontinentur effectus in causa materiali, quo illas causat, et recipit*, in genere causæ materialis pure receptivæ, negatur : *Quo illos causat, et recipit* in genere causæ materialis dispositivæ, et determinativæ, seu in ordine ad hoc, quod maneat primo disposita, et determinata per dispositionem, et determinationem ex se permanentem, conceditur. Ad id autem, quod ibidem statim additur ad probationem hujus majoris propositionis, constabit ex iis, quæ in hoc eodem dubio adducemus.

Et deinde distinguenda est eodem proportionali modo minor. Et si sensus illius sit, quod materia prius habet causare in genere causæ materialis pure receptivæ hanc numero formam, quam hanc numero quantitatem, concedenda est : secus vero si sensus illius fuerit, quod prius habet causare hanc numero formam, quam hanc quantitatem in genere causæ materialis dispositivæ, seu in ordine ad hoc, quod maneat disposita, sive determinata ad hanc numero formam substantialem, quam ad aliam. Et tandem neganda est consequentia : quia, ut esset legitima, desiderabatur, ut consequens esset verum in hoc posteriori sensu.

120 Explicantur hæc. Etenim, ut in lib. de Generat., disp. 2, num. 111, nostri Complut. tetigerunt, sicut in opinione probabili multorum causa finalis potest dividi in diversa genera, scilicet in finem *cujus*, et finem *cui* : et aliquid potest esse prius alio in genere finis *cujus*, et esse posterius in genere finis *cui*, ut ibidem explicatum est : ita causa materialis potest dividi in diversa genera causæ materialis, scilicet in causam materialem pure receptivam, in qua non curatur, an potentia receptiva sit disposita, et determinata vel non ? sed per abstractionem pure præcisivam præscinditur ab hoc, et solum curatur de iis, in quibus immediate recipitur forma : et in causam materialem dispositivam, sive recipientem aliquid, ad hoc, ut potentia receptiva maneat disposita, et determinata ad potissimum actum illius : in quo genere causalitatis non curatur de iis, in quibus immediate recipitur talis dispositio, sed præscinditur ab hoc, et solum concipitur id, per quod materia ipsa disponitur, et determinatur, et ipsa materia, ut disposita, et determinata : et ita in hac præcisione non curatur, an talis materia disponatur per hoc, quod immediate, vel mediate recipiat illam dispositionem, et determinationem ? quamvis re ipsa non disponatur, et determinetur formaliter per prædictam determinationem, nisi mediate, et in suo toto illam recipiat.

121 Et ita aliquid potest causari, et recipi prius in uno genere hujus causæ, et recipi, ac causari posterius in alio, ut contingit in forma substantiali, et quantitate. Ex quibus illa causatur prius in genere causæ materialis pure receptivæ, quam hæc : siquidem forma substantialis recipitur immediate in materia ; quantitas vero non nisi mediate, et post receptam formam : ex eo, quod recipitur immediate in toto composito substantiali. Et contra vero in genere causæ materialis dispositivæ, et determinativæ, sive in ordine ad hoc, quod materia maneat disposita, et determinata in ordine ad recipiendum potissimum actum, scilicet formam, prius recipitur quantitas, quam ipsa forma. Quia materiam esse dispositam non pendet a forma, ut a dispositione, et determinatione in ordine ad hunc effectum. Et in hoc genere causæ non curatur pro tunc, an forma ipsa sit prius recepta, et ab illo pendeat talis dispositio ? siquidem dispositio, et determinatio ad formam, ut pendens ab illa, non pertinet ad genus causæ dispositivæ, sed est quodammodo effectus formæ, ut prius receptæ, et pertinet ad aliud genus causæ materialis : sed solum attenditur ad id, quod habet materia ex vi prædictæ disposi-

tionis, sive alias talis dispositio pendeat, quoad suum *recipi*, ab anteriori receptione formæ, sive non.

122 Cæterum licet facta collatione inter prædictas receptiones, et causationes, habeant inter se ordinem assignatum in diverso illo genere causæ jam dicto; imo facta collatione inter eas, quoad prioritatem, et posterioritatem simpliciter, prior sit receptio formæ substantialis, quam quantitatis disponentis ad ipsam, ut ex dictis in libro de Generat., disput. 2, num. 105, a nostris Complutensibus constat: attamen facta comparatione inter præcontinentiam hujus formæ substantialis, et hujus dispositionis, et determinationis per se primæ ad illam, scilicet hujus quantitatis, tunc ordine inverso philosophandum est. Nam ad judicandum, an materia prius præcontineat hunc numero effectum, omnino in singulari sumptum, scilicet hanc numero formam substantialem, quam illum etiam in singulari acceptum, nempe hanc numero quantitatem? non est curandum, an prius recipiat illum in genere causæ materialis pure receptivæ, vel an recipiat illam simpliciter prius? sed an recipiat illum in genere causæ materialis dispositivæ, determinativæ, seu in ordine ad hoc, quod maneat primo disposita, et sufficienter determinata per dispositionem, et determinationem jam dictam, ad recipiendum potissimum ejus actum, scilicet formam substantialem?

Complut.

Ratio explicationis.

Et ratio est aperta ex dictis. Quia cum materia ex se non sit determinata in genere causæ materialis, ad hoc, ut præcontineat hanc numero formam substantialem potius, quam illam, ut ex iis, quæ asseruimus dub. 2 hujus disput. constat, oportet, ut debeat prius præcontinere aliquid, quod eam determinet ad illam præhabitionem hujus formæ substantialis, potius, quam alterius: hoc autem nihil aliud esse potest, nisi id, per cujus receptionem disponitur, et primo determinatur per determinationem ex se permanentem, ad habendam hanc potius formam substantialem, quam illam.

123 Quare cum quantitas sit id, quod primo recipitur in genere causæ materialis dispositivæ ex se permanentis, seu per modum causæ permanenter dispositivæ, et determinativæ: ac proinde secundum hanc considerationem sit id, quod recipitur præcise, quoad hoc, quod est modo dicto disponere, et determinare materiam: ex eo, quod quantitas ex propria ratione sua habet esse primam, et permanentem dispositionem, et determinationem materiæ, et ipsa ex se est quodammodo determinata, et individua: propterea hæc numero quantitas prius præcontinetur in materia, quam hæc numero forma substantialis, licet in genere causæ materialis pure receptivæ prius recipiatur in materia forma substantialis, quam quantitas: quia quantitas, ut præcise est effectus receptus, recipitur in toto, licet, ut est dispositio, non exerceat suam causalitatem erga illud, sed præcise erga materiam, ac si in illa solummodo reciperetur.

Concluditur intentum.

124 Ex quibus omnibus fit, quod universaliter loquendo non est absolute verum, quod eo ordine præcontinetur effectus in sua causa, quo causatur ab illa, ita, ut qui prius causatur, prius præcontineatur. Nam regula hæc saltim fallit, quando præcontinentia unius effectus, scilicet illius, qui ultimo causatur, est talis conditionis, ut quodammodo compleat causam ad præcontinendum, et causandum illum, qui prius ab ea procedit. Ut contingit, tum juxta valde probabilem sententiam, in causa efficienti collata cum effectu per se primo producto, et intento ab ea, et cum mediis, sive dispositionibus ad illum. Nam licet effectus per se primo intentus, posterius mandetur exsecutioni, attamen prius continetur in illa, quam media, aut dispositiones. Et ita hæc causalis est vera: *Quia efficiens est potens ad effectum per se primo intentum, propterea habet esse potens ad media, et ad dispositiones ad illum.* Et hujus nulla alia est potior ratio, quam ea, quæ tacta est, scilicet, quod præcontinentia effectus per se primo intenti, quodammodo complet causam ad præcontinenda media. Tum etiam in præsenti: siquidem, ut nuper dicebamus, materia non nisi, ut individua positive, præcontinet hanc numero formam: et non redditur sic individua, nisi per præcontinentiam radicalem hujus quantitatis.

Cæterum cum his stat, ut licet materia non eo ordine causet, et recipiat suos effectus secundum suum *esse* formale sumptos, quo illos præcontinet, si de omnimoda, et adæquata præcontinentia loquamur, attamen non aliter, id est, non alio ordine prioritatis, et posterioritatis, causat, et recipit illos secundum suum *esse* formale acceptos, nisi eo ordine, quo in genere causæ pure receptivæ eos præcontinet: ita ut effectus, qui prius continentur in materia, ut in potentia

tentia pure receptiva, præscindendo ab hoc, quod sit, vel non sit disposita per dispositionem actu habitam, secundum suum *esse* formale consideratam, prius recipiantur, quam illi, qui præcontinentur in ipsa in genere causæ materialis dispositivæ, seu in ordine ad hoc, ut maneat disposita, et determinata ad habendam hanc formam potius, quam aliam, secundum suum *esse* formale sumptam. Quamvis, ut dicebamus, facta collatione inter præcontinentiam hujus formæ substantialis, ut hujus, et hujus quantitatis, et determinationis, etiam ut hujus, prius sit præcontinentia prædictæ quantitatis, quam prædictæ formæ : ac proinde loquendo de omnimoda, et adæquata præcontinentia effectuum in sua causa materiali, nempe materia prima, non eo ordine causantur, et recipiuntur secundum suum *esse* formale sumpti, quo in eadem materia præcontinentur.

125 Unde (per hoc tacitæ cuidam objectioni fiat satis) quantitas ipsa, ut radicaliter præhabita, et ut secundum suum *esse* formale recepta, et actu habita, aliter, et aliter comparatur cum forma substantiali. Nam ut radicaliter præhabita dicit rationem quamdam identificatam cum materia, determinantem illam, et veluti disponentem ipsam, non solum ad receptionem puram formæ substantialis, sed etiam ad præcontinendam illam, ut est *hæc* : ac proinde est prior absolute, et simpliciter ipsa forma substantiali, et receptione illius, etiam absolute sumptis; si tamen ut sunt quid singulare considerentur. Cæterum ipsamet quantitas secundum suum *esse* formale, et ut actu habita, distinguitur realiter a materia, recipiturque in toto, et disponit, et determinat ad formam, ut *hanc*, non quidem ut absolute, sed ut connaturaliter recipiendam : siquidem per divinam potentiam potest absolute sine illa recipi : et ita est posterior receptio illius in genere causæ materialis pure receptivæ : imo, et simpliciter est posterior receptione formæ : quia, ut sic non reddit materiam individuam, sed supponit eamdem individuam ratione præcontinentiæ radicalis prædictæ quantitatis.

126 Diximus, quantitatem, ut radicaliter præhabitam esse rationem quamdam veluti disponentem materiam non solum ad receptionem formæ substantialis, sed etiam ad præcontinendam illam, ut est *hæc*, quia cum quantitas, ut præcontenta non distinguatur a materia, ac proinde, nec a præcontinentia formæ substantialis in eadem materia, non potest esse propria dispositio ad prædictam præcontinentiam : siquidem dispositio proprie sumpta, involvit distinctionem, saltim ex natura rei, inter illam, et rem dispositam, et in ordine, ad quod disponit. Et ita prædicta quantitas, ut præcontenta, solum habet veluti disponere ad præcontinentiam formæ substantialis, quatenus facta collatione inter materiam, ut exprimit præcontinentiam hujus quantitatis, et ut expresse affert præcontinentiam hujus numero formæ substantialis, tunc materia intelligitur determinari per priorem illam rationem inadæquatam ad habendam hanc posteriorem. Et ita ratio illa prior reddit materiam ultimate, et proxime capacem ad habendam hanc ultimam rationem : ac proinde, quoad hoc quodammodo analogatur cum dispositione proprie tali, quæ reddit subjectum ultimate capax ad habendum aliquid aliud.

127 Nec refert si urgeas, quod materia non præhabet hanc numero quantitatem, nisi, ut formam secundam, scilicet, ut formam accidentalem : ergo prius præhabet in se hanc numero formam substantialem, quæ est actus primus. Patet consequentia : quia præhabitio formæ secundæ, ut talis, necessario præsupponit præhabitionem primæ formæ, nempe substantialis. Replica.

Non igitur hoc refert. Quia licet quantitas in sui ratione imbibat, quod sit forma secunda, scilicet accidentalis, non tamen hæc est adæquata ejus ratio : quia quatenus est forma secunda, ut secunda dicit se ipsam, ut pendentem a forma prima nempe substantiali, et eam præsupponentem. At certum est non esse adæquatam rationem quantitatis, quod habeat prædictam dependentiam, sed insuper habet suam peculiarem rationem, secundum quam habet esse primam dispositionem, et determinationem materiæ, et esse ex se ipsa quodammodo individuam : ac proinde esse id, a quo materia ipsa, necnon et forma substantialis pendent. Unde eadem quantitas, ut est forma secunda receptibilis secundario, et post formam substantialem in materia, præcontinetur in eadem materia posterius natura, quam forma substantialis. Quia secundum hanc rationem non attenditur, si formalissime loquamur ad eamdem quantitatem, ut est prima dispositio, et determinatio materiæ, et ut est ex se quodammodo individua; sed ad eamdem, ut adhuc secundum suam ultimam rationem (inadæquatam tamen) est Solutio.

forma secunda susceptibilis in materia post primam. Cæterum prædicta quantitas, ut secundum aliam rationem suam inadæquatam, et convenientem etiam ei secundum suam ultimam rationem, est prima dispositio, et determinatio materiæ, et ex se est quodammodo individua, præcontinetur in eadem materia, prius quam hæc numero forma substantialis, ut dictum est.

Elucidatur. 128 Potestque hoc explicari exemplo contritionis, et gratiæ sanctificantis, si conferantur cum Deo, ut per modum primæ causæ illas præcontinet. Nam contritio, ut est dispositio ad gratiam, ut justificantem omnino animam, prius præcontinetur in Deo, quam eademmet gratia, ut omnino justificans, et tribuens consortium divinæ naturæ per modum naturæ, et in esse quieto : quamvis eademmet contritio, ut formata, et terminata, ac tandem, ut meritoria de condigno mercis æternæ, sit posterius præcontenta, quam eademmet gratia, ut habet rationem naturæ, formans contritionem, et tribuens ei prædictam condignitatem.

Ad confirmationem adductam Complut. Ad confirmationem constat etiam ex insinuatis a nostris Complut. in libro Physicorum, disput. 10, num. 23 et 28, concedendum esse antecedens. Cæterum neganda est co. sequentia. Siquidem, ut nuper dicebamus, ex eo respicit materia hanc numero formam substantialem, potius, quam aliam, quia ipsa materia est *hæc*, et non *illa*, et hoc habet ex præcontinentia, qua præcontinet hanc potius quantitatem, quam illam. Unde in illo priori, in quo intelligitur materia præcontinere hanc numero quantitatem, nihil concipiendo de præcontinentia hujus numero formæ substantialis, non concipitur materia cum habitudine ad hanc numero quantitatem, licet concipiatur, ut connexa cum illa. Quia quantitas licet sit capax præcontinentiæ passivæ jam dictæ, non tamen terminandi per se primo habitudinem materiæ ad illam : ex eo, quod habitudo substantialis materiæ, ut habitudo illius est, debet per se primo terminari ad aliquid proprii prædicamenti.

Et ad probationem ejusdem consequentiæ dicendum est, eam ad summum esse verum in effectibus, qui ex se sunt capaces terminandi per se primo habitudinem suæ causæ ad ipsos, quod in præsenti non contingit, propter illa, quæ loco citato ex libro Complut. Physicorum nostrum Collegium Complut. optime docuit. Quomodo autem aliquid possit esse connexum, cum alio, aut præcontentum in illo absque eo, quod absolute, vel in aliquo priori loquendo, non sit habitudo causæ ad illum? Jam in lib. Physic., disp. 23, num. 17, a nostro Collegio Complut. explicatum est. Idem.

Ad probationes antecedentis ut possunt retorqueri contra nos. 129 Cæterum, quia duæ illæ posteriores probationes antecedentis hujus confirmationis possunt retorqueri ad probandum, non præcontineri in materia hanc numero quantitatem, prius quam hanc numero formam : ex eo, quod ea, quæ sunt proprii generis, et prædicamenti substantiæ, quippe, quæ sunt intimiora, videntur esse prius in materia, quam ea, quæ sunt extranea, et extranei prædicamenti, ac proinde prius præcontinendam esse in materia hanc numero formam substantialem ; quam hanc numero quantitatem : et similiter cum hæc quantitas præcontinetur propter formam ipsam substantialem, et ut determinatio ad illam, videtur prius præcontinendam esse ipsam formam : ideo ad primam ex his probationibus, quatenus sic contra nostram sententiam urgeri possunt, occurrendum est ex dictis, prioritatem, vel posterioritatem in prædicta præcontinentia non attendi penes hoc, quod ea, quæ præcontinentur, sint secundum suum *esse* formale intimiora, vel non intimiora : quia omnia, ut præcontenta, et ut ad lineam præcontentorum, ut talium sectant, identificantur cum ipsa materia præcontinente, et ad genus substantiæ spectant : sed saltim inter alia attendi penes hoc, quod unum ex præcontentis sit ex se, et secundum suum *esse* formale determinatio, et dispositio prima ad aliud : nam tunc præcontinens absque anteriori continentia talis determinationis, non poterit aliud præcontinere. Et ita quia quantitas ex se est determinatio materiæ ad hanc formam, et præcontinentia quantitatis est suo modo determinatio ad præcontinendam formam, propterea illa debet prius, quam hæc præcontineri.

Ad secundam vero probationem respondetur, nihil obesse, quod hæ duæ præcontinentiæ, nempe hujus quantitatis potius, quam alterius, et hujus formæ substantialis, potius quam illius in materia, sint inter se ratione distinctæ : et quod ita inter se comparentur, ut præcontinentia hujus numero quantitatis potius, quam alterius quodammodo ordinetur ad præcontinentiam hujus numero formæ substantialis. Quia hinc ad summum sequitur prædictam præcontinentiam hujus numero formæ substantialis esse aliquo modo quasi priorem

in

in genere causæ, aut quasi causæ finalis, quam præcontinentia hujus numero quantitatis, non vero in genere causæ materialis.

§ IV.

Occurritur secundo argumento ejusdem sententiæ.

Ad secundum. 130 Ad secundum principale concedenda est major, quoad posteriorem ejus partem, scilicet, materiam, ut præcontinentem hanc numero quantitatem interminatam, esse primam radicem individuationis. Quia quantitas, ut terminata, supponit totum compositum jam individuum : ex eo, quod non intelligitur terminata, nisi, ut est quodammodo effectus formæ substantialis jam receptæ in materia. Et propterea, ut docuit Thom. D. Thomas, opusc. 70, eadem quantitas, ut terminata, quodammodo individuatur a se ipsa, ut præintellecta in materia, secundum, quod non intelligitur terminata.

Explicatur solutio. Hoc autem melius intelligetur, si notetur, quod nomine quantitatis interminatæ, non intelligitur quantitas, quæ re ipsa nullum habeat terminum, ac proinde sit infinita; sed quantitas quatenus non intelligitur terminata, et quasi formata per formam substantialem, quæ est terminus, et complementum ejus; sed intelligitur præcedere ad illam. Nam sicut contritio, v. g., quia est dispositio ad gratiam, non intelligitur esse formata, et terminata, nisi quatenus est posterior ipsa, et ut intelligitur esse prior, non concipitur terminata, et formata, quia terminus, et complementum dispositionis est forma, ad quam disponit : ita quia quantitas est dispositio ad formam substantialem, non intelligitur terminata, nec (ut sic dicamus) formata, nisi postquam intelligitur forma substantialis, et per eam intelligitur terminari, compleri, et veluti informari. Et propterea D. Thom. in 4, dist. Thom. 11, quæst. 1, art. 1, quæstiuncula 3, ad quartum dixit : *Dimensio, quæ præintelligitur ante formam substantialem in materia, non habet esse completum : quia non est dimensio terminata : terminatio enim dimensionis est per formam.*

131 Unde, sicut quantitas in illo priori, in quo secundum suum *esse* formale præintelligitur ante formam substantialem in materia (id est præsupponitur disponere, et determinare materiam, antequam intelligatur forma ipsa, modo alibi dicto recepta in ipsa) habet simul hoc speciale, ut non intelligatur habere certam tantitatem, nec figuram, quamvis re ipsa illam habeat : quia in illo priori, et in illo genere causæ non curatur, an habeat, vel non habeat terminum : ex eo, quod illa prioritas, et illud genus causalitatis tantum est prioritas, et genus causalitatis dispositivæ tenentis se ex parte materiæ; non vero est prioritas causalitatis formæ substantialis, a qua illa dispositio, scilicet quantitas habet certam tantitatem (id est, illam, quæ intra latitudinem *maximi, quod sic* ab illa numero forma substantiali, attentis omnibus circumstantiis petiti, ei debetur) ita quantitas, ut in illo priori præcontenta, non intelligitur præcontineri sub certo termino, et figura; sed ab hoc per præcisionem pure præcisivam præscinditur : et tantum curatur de præcontinentia hujus quantitatis potius, quam illius, ratione cujus materia ipsa determinatur ad hanc numero formam, potius, quam ad illam, et habet esse individuam, et radicem totius individuationis. Per quæ ad omnia, quæ in argumento adducuntur, satis patet.

Objectio. Ex quo etiam fit, nihil obesse id, quod junior quidam objicit, scilicet quantitatem terminatam, et interminatam, esse realiter unam et eamdem : ergo sicut illa supponit totum compositum individuum, ita, et hæc siquidem utraque est essentialiter accidens.

Dissolvitur. Respondetur enim ex dictis, quod licet eadem realiter sit quantitas, quæ est terminata, et interminata, attamen in diverso genere causæ est prior, et posterior ipsa forma substantiali, et ratione hujus prioritatis, et posterioritatis dicitur terminata, vel interminata. Sicut etiam ratione hujus prioritatis, et posterioritatis, quam secundum suum *esse* formale habet collata cum forma, ortum habet, ut prius, vel posterius præcontineatur in materia, quam ipsa forma, ut explicatum est. Unde non inconvenit, imo est necessarium, quod in illo priori, in quo non consideratur terminata, sed interminata, non supponat substantiam individuam : bene tamen quando consideratur terminata : ex eo, quod tunc est posterior illa.

Adde quod, ut dicebamus, quantitas, ut interminata, est quodammodo ex se individua, ita ut ipsamet, ut terminata, quodammodo individuetur a se, ut interminata. Et ita secundum, quod interminata, non supponit totum substantiale individuum, sed est radix modo dicto, id est, ut præconten-

ta in materia individuationis ejusdem compositi.

Replica. 132 Nec tandem refert, si objicias, Divum Thomam opusculo de principio individuationis dixisse, materiam signatam quantitate determinata, esse principium individuationis.

Solutio. Non itaque hoc refert. Nam aliud est quantitas determinata, aliud vero terminata. Quantitas enim determinata dicit quantitatem, ut *hanc* numero, et non *illam*, non curando an sit terminata, et completa per formam substantialem, nec an habeat hanc tantitatem, vel illam : et sic est principium individuationis, quatenus in materia præcontenta. Quantitas vero terminata dicit eamdem, ut posteriorem naturam, quam forma substantialis, per quam terminatur, et formatur : et similiter involvit secundum hanc rationem, quod habeat certam tantitatem, v. g., bicubitam : et sic sumpta non est principium individuationis.

Esse autem has duas rationes quantitatis aliquo modo distinctas, inde liquet. Quoniam manente quantitate invariata, quoad esse determinatam, id est, quoad esse *hanc*, et non *illam*, potest variari, quoad hoc, quod est esse actu terminatam, et completam per formam substantialem : ut si, vel ab illa separetur per divinam potentiam, vel si varietur præcise, quoad tantitatem et figuram : ut si vivens, v. g., paululum augeatur secundum eandem numero quantitatem, vel paululum secundum eam mutet figuram.

§ V.

Fit satis ultimo argumento ejusdem sententiæ.

Ad tertium 133 Ad tertium negandum est antecedens. Et ad probationem concesso antecedenti, neganda est consequentia, quoad secundam partem. Quia superest aliud, ratione cujus materia præcontineat hanc numero quantitatem, potius, quam illam, scilicet pura, et nuda potentialitas materiæ : connotando tamen, si compositum illud fiat per generationem, quod in tempore immediate antecedenti præcesserint hæ numero dispositiones, et non aliæ : ac proinde, quod fuerint introductæ ab hoc potius agente, quam ab illo, et in hoc tempore, in istoque composito corrumpendo, et non illo : si vero fiat per creationem, quod subdatur Deo actu creanti per actus infinitos sui intellectus, et voluntatis, ut virtualiter, et eminenter continet hoc compositum, potius, quam illud. Nam his positis connotatis, habet materia tale (ut si dicamus) ingenium, ut se ipsa absque aliquo alio intrinseco in esse entis ei superadlito, præhabeat hanc potius quantitatem, quam illam. Quia hoc ipso, quod determinetur per has dispositiones antecedentes, et non illas, ac proinde introductas in hoc composito corrumpendo, et non in alio, atque ab hoc agente in hoc tempore, etc., cum quibus hæc quantitas denuo introducenda habet naturalem connexionem : datur sufficiens connotatum, ad hoc ut ipsamet materia, absque aliquo alio ei addito in esse entis, præhabeat hanc potius quantitatem, quam illam. Sed de his videantur ea, quæ in lib. de Generat., disp. 2, num. 87 et seq. nostri Complut. dicunt. Complut.

Elucidatur. Potestque hoc amplius elucidari exemplo relationis paternitatis in Petro residentis : quæ, ut in Logica, disput. 14, num. 92 et 93, et in lib. de Generat., disput. 4, num. 167, nostri Complutens. optime docent, Complut. terminatur quantum est ex se ad omnes filios ab eodem Petro generatos : et posita generatione primi filii, et non alterius, terminatur ad illum, potius, quam ad alterum : et rursus pereunte hoc, et advenienti in eodem instanti alia generatione secundi filii, terminatur tunc absque additione alicujus alterius intrinseci ei in esse entis superadditi, ad secundum filium : ex eo, quod ponitur novum hoc connotatum : et sic de aliis. Et similiter species Angelica repræsentat existentiam exercitam hujus singularis, potius, quam alterius : quam tamen antea non repræsentabat, licet ei in esse entis nihil superaddatur, sed solum ponatur novum illud connotatum productionis, et exercitii existentiæ ejusdem singularis repræsentati. Et tandem eadem materia prima nunc appetit appetitu desiderii has potius formas, quam illas, eas nimirum, quas numquam recepit, potest tamen eas recipere : nunc vero appetit illas appetitu complacentiæ, et non desiderii, nimirum dum eas actu habet, cum tamen ad hæc solum sit necessarium, ut nova connotata ei superaddantur, ut ex dictis in libro Physicorum, disp. 3, num. 94, a nostris Com- Complut.
plut. constat.

Objectio. 134 Ex quo etiam fit, nihil obesse id, quod junior quidam objicit : scilicet, quod si dispositiones antecedentes determinant

ad

ad præcontinendam, et postea habendam hanc potius quantitatem, quam illam, fiet inde, quod radix individuationis potius erunt prædictæ dispositiones, saltim una cum aliis jam recensitis, et determinantibus, quam quantitas denuo producenda, et in illo priori naturæ præhabita. Sicut facta collatione inter ipsam quantitatem, quæ alias subsequitur ad formam generandam, et inter formam ipsam, propterea quantitas modo dicto considerata, est potiori jure radix individuationis, quia determinat materiam ad eamdem formam substantialem.

vitur. Respondetur enim ex dictis negando sequelam. Tum, quia dispositiones antecedentes una cum aliis recensitis, solum pro connotato importantur : quantitas autem subsequens, si consideretur, ut præhabita in materia, affertur in recto : quia est ipsamet materia, ut determinata ad hanc numero formam, absque additione alicujus novæ realitatis inhærentis in ipsa. Constat autem ex dictis primam radicem individuationis substantiæ materialis, debere esse, saltim in recto, puram, et nudam potentiam irreceptibilem in alio, ut in subjecto, nec involventem formam ipsam, ut receptam, cujus oppositum tam in dispositionibus, quam in aliis recensitis invenitur. Tum etiam : quia omnia prædicta solum extrinsece determinant materiam, non autem intrinsece, sicut quantitas, ut præhabita : cum tamen prima radix individuationis debeat esse materia, ut intrinsece determinata, ut ex iis, quæ toties innuimus, satis liquet. Tum deinde : quia determinatio, quæ fit per quantitatem subsequentem ut præhabitam, est de se permanens, et in *facto esse*; non tamen, quæ fit per alia enumerata : at determinatio per se, et in recto petita a prima radice individuationis debet esse hujus posterioris conditionis, ut ita determinatio sit proportionata cum re, ad quam determinat, et radix individuationis recte congruat cum individuo ipso substantiali, et individuatione ejus ex se permanenti, ac in *facto esse*. Tum denique : quia cum cæteræ dispositiones non sint ex se quodammodo individuæ; secus tamen quantitas, inde est, ut materia congruentius reddatur determinata, et individua, ac individuationis radix, per hoc, quod subditur, modo dicto, quantitati, quam per hoc, quod aliis rebus subdatur. Et ita si quæ alia ad talem individuationem, et individuationis totius compositi radicem suo modo desiderantur, non influent eo modo, quo quantitas, ut præhabita, sed alio inferiori : quatenus nimirum sunt connotatum requisitum ad præhabitionem hujus quantitatis potius, quam alterius; ac proinde hoc modo eidem quantitati deserviunt.

135 Nec tandem obest, si urgeas, quod materia prima secundum se, tantum est una unitate negativa, ut constat ex iis, quæ in libro Physicorum, disp. 3, a num. 27 usque ad num. 45, nostri Complut. docent : ergo nisi ei aliquid addatur in recto, nequibit essa una unitate positiva. Sicut si relatio paternitatis residens in Petro, tantum haberet vim negativam extendendi se ad plures filios, id est, nihil haberet unde extenderetur ad illos; cum tamen in ea nihil esset ratione, cujus talis extensio ei repugnaret, tunc non posset extendi ad respiciendum positive filium denuo genitum ab eodem Petro, nisi ei aliquid in recto adderetur. Urgetur. Complut.

Non igitur hoc obest. Quoniam hoc est proprium (ut sic loquamur) ingenium materiæ (ut patet ex iis, quæ in libro de Generatione, disp. 2, num. 89, nostri Complutens. optime dicunt) quod in actu signato habeat quidquid ex parte recti requiritur ad unitatem positivam numericam, secundum quam est radix hujus individui substantialis potius, quam alterius, id est, habeat omnem realitatem in esse entis in recto desideratam ad rectum unitatis positivæ numericæ, secundum, quam materia habet esse radicem hujus potius individui substantialis, quam alterius; licet hoc non sit ibidem in actu exercito, et sub conceptu recti, id est, licet hoc non sit ibidem exercens rationem recti, ac proinde, nec sub conceptu recti nisi ponatur in obliquo, et modo dicto id, quod pro connotato desideratur, seu aliquod ex prælictis connotatis, quæ num. 133 hujus dubii recensuimus. Nam ad hoc, ut realitas illa materiæ, habens quidquid in esse entis desideratur in recto ad suam unitatem numericam jam dictam, exerceat rationem recti, requiritur prædictum connotatum : sicut etiam tale connotatum desideratur ad hoc, ut sit ibidem sub conceptu recti : quia rectum sub conceptu recti debet afferre tuum obliquum, seu connotatum. Unde materia prima ex se dicitur una unitate negativa : quia ex se præcise sumpta non est nexa cum tali connotato : et ita eo ipso, quod prædictum connotatum ponatur, habebit materia hoc exercitium, et rationem recti sub conceptu recti unitatis positivæ, et radicis individuationis totius compositi. Solutio. Complut.

Ratio solutionis.

136 Cur autem (ut sic loquamur) ingenium, materiæ attribuimus, constat ex ratione nuper facta, scilicet quia materia est una numero negative : ex eo, quod non magis est connexa cum hac numero quantitate, quam cum illa. Quare cum posito connotato jam dicto, tunc ipsamet absque additione aliqua in esse entis sit in recto magis connexa cum hac quantitate, quam cum illa, inde est ut ipsa ex se habeat quidquid ad talem unitatem positivam ex parte illius, quod alias est habiturum rationem recti, sub conceptu recti desideratur.

Elucidatur.

Potestque hoc amplius elucidari ex eo, quod unitas positiva, individualis tamen materiæ, debet esse unitas puræ potentiæ, et primi subjecti irreceptibilis in alio, ut ex dictis liquet . Et ita non potest in recto importare aliquid materiæ superadditum in esse entis : quia hoc non posset non habere rationem actus recepti in ipsa materia, quod quidem eo ipso non esset idoneum ad rationem recti talis unitatis, ut supra asserebamus : ac proinde quidquid in esse entis desideratur ad rationem illius, quod futurum est rectum respectu unitatis prædictæ, debet semper præce lere in materia, non quidem ita, ut sit ibi semper sub conceptu recti, et exercens rationem unitatis positivæ, qua est radix individuationis hujus compositi substantialis potius, quam alterius, v. g., Petri; sed ita, ut detur semper ibidem in actu signato. Quia, ut innuebamus, ad prædictum exercitium, et ad conceptum recti sub ratione recti desideratur aliquod ex duobus illis connotatis jam recensitis.

Diximus multoties, quod materiæ non est addendum aliquid intrinsecum in esse entis, quod antea ibidem, et modo explicato non præesset : quia licet nihil ei addatur intra hanc lineam; bene tamen intra lineam recti sub conceptu recti : ad hunc dumtaxat sensum, quod nimirum ei addatur, ut modo habeat rationem recti sub conceptu recti, sive recti in actu exercito; non tamen antea : licet ad hoc non sit necessarium, nisi, quod addatur aliquod ex prædictis duobus connotatis num. 133 recensitis. Quia eo ipso potentialitas materiæ manet determinata, et sub conceptu recti hujus unitatis positivæ potius, quam alterius : ex eo, quod linea recti sub conceptu recti non petit indispensabiliter ulteriorem aliam additionem, ad hoc, ut rectum sub conceptu recti denuo dicatur esse, denuoque exerceri.

Explicatur amplius.

Possuntque omnia ista amplius explicari. Tum exemplis relationis paternitatis speciei Angelicæ, et appetitus materiæ primæ, num. 133 hujus dubii adductis, in quibus hoc proportionali modo philosophandum est. Tum etiam exemplo alio altiori, nempe potentiæ generativæ in divinis : quæ in recto dicit divinam essentiam et in obliquo Paternitatem. Et licet prædicta essentia secundum se, habeat quidquid in esse entis in recto desideratur ad rectum potentiæ generativæ; non tamen secundum se præcise exercet rationem recti, nec est in Patre sub conceptu recti, nisi addatur obliquum, et connotatum illius, nempe relatio Paternitatis : et propterea ex defectu hujus connotati non habet essentia divina in Filio rationem potentiæ generativæ . Unde quamvis addita Paternitate nihil addatur essentiæ, quod tribuat ei aliquid in esse entis in recto desideratum, ad hoc ut habeat rationem recti respectu potentiæ generativæ : additur tamen ei in recto aliquid, quod pertineat ad lineam recti, quatenus per hoc præcise denotatur, addi ei, quod habeat rationem recti sub conceptu recti, sive recti in actu exercito. Quia conceptus recti sub conceptu recti, sive recti in actu exercito, debet afferre secum in recto, quod dicat habitudinem ad aliud, ut ad id, quod ab eo in obliquo importatur : sive habere connexionem cum illo, tanquam cum aliquo importato per modum connotati : quamvis hæc habitudo, sive connexio in esse entis nihil sit aliud, nullamve aliam realitatem, seu formalitatem dicat, præter essentiam divinam secundum suum *esse* absolutum sumptam, et relationem Paternitatis : alioqui esset in Deo aliqua alia formalitas, aut realitas in esse entis requisita ad rationem potentiæ generativæ. Cujus oppositum ex Divo Thoma in tract. de Trinitate, dicemus.

§ VI.

Corollaria notatu digna, et ad concilianda plura loca Divi Thomæ non parum necessaria adducuntur.

Corollarium primum D. Thom.

137 Ex dictis in tota hac disputatione satis clare deducitur, quomodo concilianda sint plura loca Divi Thomæ circa principium individuationis substantiæ materialis, quæ primo aspectu inter se pugnare videntur; cum tamen re ipsa mirabili nexu inter se cohæreant. Quæ licet in discursu totius hujus

hujus disput., eo ordine, quo necessitas urgebat, a nobis explicata sint, placuit tamen in gratiam Sancti Doctoris, et ut certo constet quomodo ipsammet Divi Thomæ mentem plane, et perspicue, quoad cuncta secuti simus, omnia illa simul in hoc § colligere, et veram eorum intelligentiam simul proponere.

D.Thom. Ex dictis ergo in primis colligitur, quid sibi velit Sanctus Doctor, dum aliquando absolute asserit, materiam esse primum principium, et radicem individuationis, ut 1 part., quæst. 54, art. 3 ad secundum, et pluribus aliis locis, quæ habentur in tabula aurea verbo *individuum*, num. 25, imo opusc. 32, inquit, materiam solam esse principium individuationis. Aliquando vero inquit, materiam primam, et quantitatem dimensivam, esse principium individuationis prælictæ, ut 3 part., quæst. 77, art. 2, et in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 1, quæstiuncula 3 ad 3, et alibi sæpe.

Nam in prioribus locis loquitur de primo principio individuationis, quod intra lineam illius principii est omnino primum, licet ex se non sit omnino sufficiens, ut a num. 94 usque ad 98 explicuimus : in posterioribus vero de principio primo, et ex se omnino sufficienti intra latitudinem primi principii prædictæ individuationis, ut ibidem innuimus . ita tamen, ut non loquatur de quantitate utcunque, sed ut præhabita in materia, ut num. 86 et 116 diximus.

D.Thom. 138 Adde : posse etiam Sanctum Doctorem aliter explicari, idque non parum ad ipsius mentem. Nam in prioribus testimoniis loquitur de primo principio individuationis, cui individuatio ipsa, quoad *esse* incommunicabile, sive, quoad *esse* indivisum in se ultima divisione, per quam lam accommodationem, et attributionem absolute tribuitur; quamvis revera a quantitate, ut præcontenta radicaliter in materia proveniat, ut a num. 91 usque ad num. 94 ostendimus. In ultimis vero de principio individuationis, cui eadem individuatio, quoad esse *divisum* ultima divisione, a quovis alio, eodem proportionali modo attribuenda est, ut ibidem diximus.

Vel tandem in primis locis, solum vult Doctor Angelicus, materiam solam esse in recto primum principium individuationis, quamvis quantitas, juxta ea, quæ in posterioribus testimoniis docet, in obliquo desideretur, non quidem habita, sed petita, et in sequenti signo, quantum est ex vi causarum secundarum, licet non omnino indispensabiliter subsequenda, ut a num. 133 usque ad 135 explicuimus.

Secundum. 139 Secundo deducitur, quomodo intelligendus sit idem Sanctus Doctor, dum semel inquit, materiam quantitate signatam, seu ut subest dimensionibus non esse principium individuationis, ac proinde, nec quantitatem ipsam eamdem signantem; sed tantum esse signum inseparabile ipsius, et principium, quoad *cognosci*, et *demonstrari* respectu ejusdem individuationis, quia quantitas ex eo, quod accidens, non causat subjectum suum, ut opusc. 32, cap. 3, et opusc. de Principio individuationis : semel vero, imo multoties vult, materiam signatam, esse re ipsa primum, et fontale principium individuationis quoad *esse*, ut opusc. de Ente et Essentia, et opusc. 70, quæst. 4, art. 2, in corpore, et in solutionibus argumentorum, necnon et in aliis locis quæ a num. 43 usque ad 48 adduximus.

Ex dictis igitur hæc duo inter se valde cohærere constat. Nam materia signata quantitate, diversimode tamen accepta, est, et non est primum principium individuationis, quoad *esse*, et quoad *cognosci*. Nam ipsa, ut signata quantitate, quatenus per hanc signationem significatur ipsamet, ut præhabens per modum radicis, et fundamenti hanc potius quantitatem, quam illam, atque adeo prædicta quantitas, non ut habita, nec ut sumitur per modum causæ formalis intrinsecæ, seu actu inhærentis, sed, ut præhabita, et radicaliter contenta, est prima radix individuationis, quoad *esse*, ut num. 86 et a num 116 usque ad num 137 explicatum est. Cæterum eademmet materia signata quantitate, ut per hoc significatur materia ipsa, ut actu, et in exercitio habens quantitatem, et ab eadem actu informata, non est primum principium individuationis quoad *esse*, sed quoad *demonstrari*, et *cognosci*, et quoad hoc, quod est dependere a certis circumstantiis, a loco, etc., ut ibidem, et a num. 74 usque ad 86 diximus, et per consequens quantitas ipsa secundum hanc rationem erit tantum hoc modo principium individuationis, ut loco citato explicuimus.

Tertium. 140 Tertio colligitur, quomodo concilianda sint loca illa ejusdem S. Præceptoris, in quorum aliquibus velle videtur dimensiones interminatas, atque adeo materiam eis signatam, non vero dimensiones terminatas, nec materiam, ut eis signatur, esse primum principium individuationis, ut

opusc. 70, quæst. 4, art. 2, in aliis vero dimensiones determinatas, et materiam eis signatam, esse primam individuationis radicem, ut opusc. 29, in fine illius, et alibi.

Respondetur enim ex dictis, dimensiones esse interminatas, dicere dimensiones, ut non intelliguntur completæ, et terminatæ per formam, quæ est earum terminus, et complementum, atque adeo, ut non præcontinentur in eadem forma, nec sunt quid posterius ipsa, sed, ut præeunt eamdem secundum præcontinentiam in materia, secundum quam rationem non intelliguntur pro illo priori terminatæ, nec habentes certam mensuram, et figuram. At per dimensiones determinatas, intelligit eamdem quantitatem, ut est singulare quoddam determinatum, id est, ut est hæc numero quantitas, et non illa, non curando de illa terminatione per formam nuper explicata. Constat autem nullam esse contradictionem in hoc, quod quantitas illo modo interminata, et hoc modo determinata, sit prima radix individuationis, ut num. 131 otensum est, imo id esse necessarium constat ex iis, quæ a num. 130 usque ad num. 133 asseruimus. Si quidem hoc ipso, quod materia sit prima radix individuationis, oportet, quod quantitas, ut ad rationem prædictæ radicis concurrit, sumatur, ut pendens, et ut præhabita a materia, non vero, ut pendens, et ut præhabita ab ipsa forma, alioqui individuationis radix non in materiam, sed in prædictam formam esset primo reducenda, cujus oppositum ostensum est.

Quartum. 141 Quarto infertur, quomodo intelligendus sit Sanctus Doctor, dum aliquando videtur velle, substantiam materialem individuam non posse separari a quantitate: aliquando vero, quod possit. Nam in testimoniis id negantibus loquitur de potentia ordinaria, in affirmantibus vero de absoluta : vel in illis sermonem facit de quantitate, ut radicaliter præhabita, in his de eadem, ut actu habita : vel in illis de substantia materiali, ut est individua individuatione sensibili, in his autem secundum, quod præcise est individua, secundum ea, quæ ad ejus individuationem absolute sumptam desiderantur, ut a num. 87 usque ad num. 90 tetigimus. Per quæ omnia optime plura alia testimonia D. Thomæ facile conciliantur.

Corollarium ultimum. Ultimo, ex dictis deducitur, sententiam nostram, quam in præcedentibus dubiis circa primam radicem individuationis substantiæ materialis, ac proinde formæ substantialis explicuimus, esse ipsam sententiam, et mentem Angelici Præceptoris : quandoquidem secundum eam, ut a nobis declarata est, optime consonant, et mirabili nexu inter se cohærent. omnia dicta ejusdem Sancti Doctoris, imo loca, et testimonia ipsa, quæ prima facie videbantur inter se pugnare, eamdem elucidant : atque adeo illam cæteris aliis sententiis hucusque relatis præferendam esse constat.

DISPUTATIO II.

De principio individuationis accidentium.

1 Semel explicata individuatione substantiæ materialis, et illius radice, statim pulsat animum inquirere de principio individuationis accidentium illius : et sicut in disputatione de prima radice individuationis totius compositi substantialis, non discutitur expresse, et formaliter, an substantia ipsa sit re ipsa, et intrinsece individua, quia hoc satis perspicuum est : nec quodnam sit principium metaphysicum, per quod redduntur individuæ, quia, ut certum apud omnes supponitur, dandas esse differentias individuales metaphysicas, ratione saltim a differentiis specificis distinctas, quæ in ordine isto sint principium earumdem substantiarum in esse individuarum, quæque illas in esse talium constituant : sed solum de primo principio, et radice physica prædictæ individuationis in quod cætera alia resolvuntur : ita, quoad individuationem accidentium supponimus ea a parte rei esse individua; et habere suum principium metaphysicum, scilicet suas differentias individuales metaphysicas, per quas in ordine isto constituuntur. Et ideo solum de primo principio, et fundamento physico ejusdem individuationis disputationem hanc excitamus. Quapropter, ut ex dictis disp. præcedenti, num. 1, constat, et optime advertit Suarez, disput. 5 suæ Metaphysicæ, sect. 7, num. 1, nulla est nobis, quoad præsens controversia cum Scoto, qui suis hæcceitatibus, quæ nihil sunt aliud, quam differentiæ individuales metaphysicæ, disputationem hanc terminandam esse censuit. Nos enim easdem differentias individuales admittentes ulterius progredimur, et physicam earum radicem inquirimus.

DUBIUM I.

DUBIUM I.

Utrum subjectum sit prima radix, et principium individuationis accidentium, et distinctionis pure individualis eorum?

Decisio hujus dubii fere constat ex iis, quæ in præcedenti disput., dubio 1 et 2, diximus. Cæterum ut mens Divi Thomæ magis pateat, et aliquibus objectionibus, quæ adversarios urgent, plenius satis fiat, propterea dubium hoc sigillatim excitamus.

§ I.

Refertur sententia negans.

urand. uarez. 2 Partem negantem tuentur Durandus loco supra relato, et Suarez, disput. 5 suæ Metaphysicæ, sect. 7, et alii plures. Unde sentiunt, rationem a priori, et primam radicem individuationis accidentis esse ipsummet, ut est talis entitas actu, vel aptitudine.

rimum gumen- lum. Fundamenta hujus sententiæ ad hanc formam reducit Suarez ibidem, num. 4. Primo quidem. Quia unaquæque res per illud idem formaliter, et intrinsece est una numero (quoad fundamentum unitatis, seu negationis, quam dicit unum) per quod est ens actu in rerum natura, vel aptum ut sit hujusmodi : quia omne tale ens est singulare : sed omnis res per suam entitatem est intrinsece, et formaliter hujusmodi ens actu : ergo per eamdem est singulare quid, et individuum : ergo et accidentia hoc habent.

onfir- atur. Et confirmatur. Quia subjectum non potest esse principium individuans accidentia : ergo tantum esse potest hujusmodi principium intrinseca entitas ipsorum accidentium. Antecedens patet : quia in primis subjectum non potest dici principium intrinsecum individuationis accidentis, tanquam intrinsece, et per se componens accidens : quia nunc non agimus de composito ex subjecto, et accidenti, sed de ipsa accidentali forma : quam constat, non componi intrinsece ex ipso subjecto ; nec subjectum hoc modo esse principium intrinsecum ejus : rursus nec subjectum potest dici principium individuans accidens, tanquam terminus habitudinis, seu aptitudinis talis accidentis ad informandum tale subjectum : quia respectu ejusdem subjecti numero possunt duo accidentia solum numero distincta, habere aptitudinem ad informandum illud : ergo illæ aptitudines non possunt distingui numero ex subjecto : ergo ex se ipsis.

Secundum. 3 Secundo hoc maxime videtur convinci ex quibusdam accidentibus, quæ secundum habitudinem suam sistunt in subjecto, sed illud referunt, vel aliquo modo in aliud ducunt : ut sunt relationes, actus, habitus, et similia. Si enim accidens dicitur individuari a subjecto, quia respicit illud naturaliter ; cur hæc accidentia non dicentur potius individuari ab ultimis terminis, quos naturaliter respiciunt, maxime cum ab illis sumant essentialiter specificas rationes suas ?

Tertium. Tertio. Quia sine fundamento dicitur, hoc accidens numero habere naturalem coaptationem, et habitudinem tantum ad hoc subjectum. Nam licet fortasse per naturales causas in solo illo fieri possit; nihilominus tamen ipsum de se aptum est, ut informet quodvis subjectum capax talis accidentis : sicut e contrario accidere potest, ut hoc subjectum naturaliter non habeat, nisi hanc albedinem, vel hanc quantitatem : et tamen non propterea capacitas ejus intelligenda est ita ex se limitata, et determinata ad hoc accidens, ut non sit de se sufficiens ad similia accidentia recipienda.

Quartum. 4 Quarto posset suaderi hæc sententia ex eo, quod alioqui omnia accidentia, quæ essent successive in eodem subjecto, essent saltim successive idem numero : et ita calor, qui modo est in aqua, et perit, et calor, qui postea introducetur in ea, non distinguerentur numero quod quidem contra communem Philosophorum sententiam est. Sequela probatur. Tum quia ubi est eadem radix, et ratio individuationis saltim successive, debet eodem modo esse eadem individuatio. Tum etiam : quia quæ habent eamdem formam specie saltim successive, non possunt non saltim eodem modo habere eamdem unitatem specificam : ex eo, quod prima radix unitatis specificæ est prædicta forma : ergo si subjectum est prima radix individuationis accidentium, consequens erit, ut accidentia habentia idem subjectum saltim successive, sint eodem modo idem numero.

Ultimum. Ultimo. Quoniam si accidentia a suis subjectis individuarentur, tunc duo inde inconvenientia sequerentur. Primum est, quantitatem non posse esse ex se individuam, sed ex subjecto, quippe quæ est verum

accidens, non minus quam cætera alia accidentia : hoc autem non potest cohærere cum iis, quæ disp. præced. diximus : quandoquidem ideo substantia materialis individuatur a materia signata quantitate, quia quantitas inter res materiales ex se est individua : et ita quidquid inter illas fuerit individuum, vel debet esse quantitas, vel quantitatem aliquo modo participare. Secundum est, quod duo accidentia solo numero differentia non possent esse simul in eodem subjecto, ut ex se constat, et ex dicendis num. 57 amplius patebit : sicut quia materia signata quantitate est radix individuationis formæ substantialis; propterea non potest duplex forma esse simul in eadem materia : hoc autem est falsum, cum plures species visibiles diversorum alborum sint simul in eadem pupilla : ergo, etc.

§ II.

Ex mente Arist. et D. Thomæ dubium deciditur.

Conclusio. 5 Dicendum tamen est, primam radicem, et principium individuationis, et distinctionis pure individualis accidentium, esse subjectum ipsorum formaliter sumptum : ac proinde accidentia habentia diversum formaliter subjectum, esse numero diversa, sicut si haberent idem subjectum modo dicto acceptum, non essent numero distincta. Ita Aristot. locis disp. præced., dub. 1 et 2 relatis, et 5 Metaphys., text. 15, ubi etiam D. Thom. et 1 part., quæst. 29, art. 1, his verbis : *Accidentia individuantur per subjectum : dicitur enim hæc albedo, in quantum est in hoc subjecto* : et quæst. 39, art. 3, ubi loquens de unitate, et multiplicitate individuali, sic ait : *Accidentia autem sicut esse habent in subjecto, ita ex subjecto suscipiunt unitatem et multitudinem* : et opusc. 29, ubi inquit : *Sed advertendum est, quod accidentia non individuantur per materiam primam, sed per subjectum proprium, quod est ens actu, individuantur : sicut et formæ substantiales per materiam primam, quæ est earum subjectum.*

D. Thom. Aristot.

Idem. Idem etiam docet Sanctus Doctor : tum 3 part., quæst. 77, art. 2, inquiens : *Cum subjectum sit principium individuationis accidentium, oportet id, quod ponitur aliquorum accidentium subjectum, esse aliquo modo individuationis principium.* Tum etiam pluribus aliis locis, quæ habentur in tabula aurea verbo *accidens*, num. 24, ubi sententiam hanc communiter tuentur omnes Thomistæ : et propterea supervacaneum esset illos in particulari referre.

Ratio assertionis. 6 Ratio autem potissima hujus assertionis nulla est alia præter eas, quas disp. præced., dub. 1, adduximus. Nam sicut illæ probant, individuationem formæ substantialis, et compositi per illud constituti debere sumi a materia signata quantitate, ut a prima radice, ex eo quod distinctio pure individualis est distinctio materialis, ac proinde sumi a materia, ita propter eamdem rationem individuatio, et distinctio pure individualis accidentium, quippe materialis, non potest non a materia eorum, scilicet a subjecto formaliter sumpto, ut a prima radice desumi : alioqui ut ibidem, ratione 1 et 2, expendimus, talis distinctio hoc ipso quod esset formalis, et a forma ut tali proveniens, esset specifica, et non pure individualis.

Explicatur. Ipsemet. Potestque hoc explicari, et confirmari ex iis, quæ ex Divo Thoma disp. præced. tetigimus. Nam accidentia habent a subjecto suum *esse* indivisum in se ultima divisione, seu *esse* incommunicabile alteri, ut subjecto inferioritatis, et prædicationis : et etiam distingui ab aliis accidentibus ejusdem speciei : ergo et habebunt ab eodem subjecto individuationem, ut a proprio principio illius.

Probatur prima pars antecedentis. 7 Consequentia est evidens. Antecedens autem quoad primam partem probatur, et explicatur. Quia cum accidentia, ut talia, sint actus et formæ, sunt quantum est de se communicabiles alteri, ut subjecto inhæsionis : et ita secundum hanc rationem formalissime sumptam, non possunt fundare negationem illam, quæ est propria individui, scilicet non posse esse in altero, a se aliquo modo ex parte rei conceptæ distincto, sicut in subjecto inferioritatis, et prædicationis : ex eo, quod ratio ista præsupponit rem illam, quæ eam fundat, et ut est fundamentum illius consideratam, habere quodammodo non recipi in alio, ut in subjecto inhæsionis, aut informationis, ut a num. 53 usque ad 61 disp. præcedentis diximus, et infra tangemus. Cæterum hoc ipso, quod prædicta accidentia actu, vel aptitudine sint connaturaliter, id est, secundum communem cursum sui ordinis in hoc subjecto potius, quam in illo, sunt prorsus irreceptibiles saltim connaturaliter in alio subjecto inhæsionis : et ita secundum istam solam rationem (cum limitatione tamen, quoad quantitatem dub. seq. explicandam)

candam) sunt incommunicabiles alteri a se aliquo modo distincto, eo modo, quo universale communicatur alteri, a se quodam modo diverso, tanquam subjecto inferioritatis, et prædicationis.

ecunda
rs sua-
detur.

Ex quo etiam idem antecedens quoad secundam partem satis constat. Tum quia, ut disp. præced., num. 79 et deinceps expendimus, per id ipsum, per quod est aliquid incommunicabile alteri, modo insinuato, tanquam per principium, et radicem primam ex se sufficientem talis individuationis, debet re ipsa esse diversum a quolibet alio ejusdem speciei. Tum etiam : quia sicut in communi ratione accidentis ponitur subjectum in communi per modum differentiæ : ut quando dicimus : *Similas est curvitas nasi*, ut in Logica, disput. 5, quæst. 2, nostri Complut. late expendunt, ita si accidens in singulari diffiniendum esset, deberet poni ad instar differentiæ subjectum in singulari : ut si diceremus : *Hæc similas est hæc curvitas hujus nasi* : ergo signum est, primam individuationis radicem eorumdem etiam, quoad *esse* divisum, esse subjectum ipsorum quatenus idem subjectum est etiam, a quolibet alio ultima divisione divisum, secundum quam ratione de illo in præsenti loquimur.

omplut.

§ III.

Objectio notanda, et solutio illius.

8 Sed objicies, non recte hæc cohærere cum illis, quæ circa individuationem substantiæ materialis disputat. præcedenti diximus. Nam si substantia, ut individua, et divisa ultima divisione a quolibet alio, est prima radix individuationis accidentium, et hæc est individua, ratione materiæ signatæ quantitate, tanquam primæ radicis, consequens erit, ut potius materia ipsa signata, esset dicenda prima radix individuationis eorumdem accidentium, juxta illud : *Propter quod unumquodque tale, et illud magis.*

olutio.

Respondetur, objectionem hanc ad summum convincere intentum de primo principio, ex se non sufficienti ad individuationem accidentium : non tamen de primo principio, ex se sufficienti, de quo in præsenti loquimur, de quoque locutus est D. Thom. opusculo de principio individuationis, cum materiæ primæ rationem prælicti principii denegavit, et eam subjecto, *quod* eorumdem accidentium concessit. Nam cum accidentia sint formæ secundæ, et ut tales debeant individuari a subjecto, oportet, ut tanquam primam radicem individuationis suæ præsupponant subjectum, saltim includens formam, scilicet formam substantialem, per quam sint primo in actu simpliciter : quandoquidem *esse* secundum quid, quod præstandum est a forma accidentali non potest esse tale, nisi præsupponatur *esse* simpliciter proveniens a forma substantiali : alioqui esset re vera *esse* simpliciter, et substantiale, ut in lib. de Generat., disp. 2, num. 78, nostri Complutens. optime docent. Complut

9 Nec etiam refert, si contra solutionem hanc urgeas, quod ex materia prima signata quantitate redditur sufficiens ratio, ob quam debeant dari hæc accidentia potius, quam illa : ita, ut in eamdem materiam, tanquam in radicem sufficientem resolvatur tota individuatio illorum : ergo, etc. Antecedens probatur. Nam ex eo, quod detur hæc materia signata hac quantitate, debet dari hæc forma substantialis, et non illa ; et hoc compositum, non vero illud : ac tandem hæc accidentia, non vero illa. Unde si inquiratur, cur dantur hæc accidentia? optime respondebitur, id contigisse, quia datur hoc compositum, quod est eorum subjectum, et non aliud, et ideo dari hoc compositum, et non aliud, ac proinde hæc, et non illa accidentia, quia præsupposita est hæc materia signata, et non illa : et propterea, ea præsupposita, non possunt naturaliter loquendo alia accidentia in eodem composito pro tunc, atque adeo in eodem formaliter sumpto, ut infra explicabimus, recipi : ergo, etc. Replica.

Respondetur, antecedens esse verum, si intelligatur de sufficienti ratione intra ordinem illativum, seu de sufficienti ratione innitenti in bonitate, et infallibilitate consequentiæ, non vero de sufficienti ratione intra ordinem rei, seu innitenti in sufficientia antecedentis in esse rei. Et ad probationem respondetur, distinguendo eodem proportionali modo antecedens, et negando consequentiam. Solvitur.

10 Explicatur hoc. Etenim sicut ex negatione auxilii efficacis ad actum cadentem inexcusabiliter sub præcepto, redditur sufficiens ratio intra ordinem illativum peccati, tunc commissi ab eo, cui prælictum auxilium denegatur : ex eo, quod per optimam consequentiam deducitur, illum peccaturum, si semel tale auxilium ei denegatum est : non tamen potest hinc reddi sufficiens ra- Elucidatur.

tio in esse rei, seu innitens in sufficientia antecedentis, scilicet de negatione prædicti auxilii, imo, nec aliqua ratio, quæ possit in hoc ordine esse aliquo modo radix peccati formaliter sumpti, ex eo, quod Deus est incapax hujus concursus : ita ex positione materiæ signatæ, ponitur sufficiens ratio intra ordinem illativum, seu sufficiens ratio innitens in bonitate consequentiæ : siquidem (connaturaliter saltim loquendo) deducitur per bonam consequentiam, quod si materia prima, est signata hac quantitate, et non illa, dabuntur in composito hæc accidentia, non vero illa : non tamen ponitur sufficiens ratio intra ordinem rei, seu innitens in sufficientia solius antecedentis in esse rei, propter rationem in numero præced. tactam.

Unde sicut non potest subsequi peccatum illud, nisi operetur creatura, et ei, ut primo principio, ac fonti peccati tribuatur, ita non poterit dari hoc accidens, et non illud, nisi detur subjectum illius, scilicet totum compositum ; et ei in esse rei, tanquam principio ex se sufficienti tribuatur, quod sit prima radix individuationis illius. Et quemadmodum satis est ad illam bonitatem consequentiæ, quæ circa peccatum sit, negationem illam auxilii efficacis habere nexum cum hoc defectu creaturæ, quatenus Deo denegante auxilium, statim culpa sua, et non ex defectu Dei auxilia sufficientia tribuentis, creatura deficiet, ita ad bonitatem consequentiæ, per quam posita materia signata recte infertur, danda esse hæc numero accidentia, et non illa in composito, sufficiet nexus ille, qui est inter hoc principium ex se insufficiens in esse rei, cum altero comprincipio, ex quibus coalescet integrum, et sufficiens principium, scilicet totum compositum.

Additamentum.

11 Adde, non improbabiliter posse aliter responderi ad priorem objectionem, et replicam ejus, ex eis ad summum probari, materiam primam signatam quantitate, esse primum principium *quo*, primamque in hoc ordine radicem individuationis accidentium, non tamen primum principium *quod* : in præsenti autem loquimur de primo principio *quod*, non vero de primo principio *quo*. Quia in iis, quæ habent primum principium *quod*, re ipsa distinctum a principio *quo*, ut in præsenti contingit, optime, dum de principio eorum absolute inquiritur, ad principium *quod*, non vero ad principium *quo* recurritur. Sicut in causis efficientibus, dum absolute de principio, et causa actionis ab eis procedentis agitur, potiori ratione ad principium agendi *quod*, quam ad principium *quo*, recurri solet. Et propterea communiter dicitur, actiones esse suppositorum, non vero formarum : quia hæ sunt principium *quo*, illa vero principium *quod*, earumdem.

§ IV.

Solutio argumentorum primæ sententiæ.

Ad primum.

12 Ad primum patet ex dictis disp. præced. quomodo ad summum probet, accidentia individuari proxime per suas entitates, ut sunt *hæc* : quia individuantur ex eo, quod respiciunt hoc numero subjectum formaliter sumptum, non vero aliud : et hic respectus non distinguitur realiter a sua entitate ; non tamen individuari a se ipsis, ut a primo, et radicali principio : quin potius ex eo, quod subjectum sit *hoc*, provenit accidentia esse *hæc* : et ex eo, quod prædicta accidentia sint talia numero, et numerice solummodo distincta, ex habitudine prædicta, optime sequitur, subjectum esse primam radicem talis individuationis, et distinctionis. Sicut in simili de forma substantiali dici solet : quæ proxime est *hæc*, ratione habitudinis ad materiam signatam, radicaliter autem ratione ejusdem materiæ primæ signatæ quantitate. Nam ex eo, quod materia sit *hæc*, sequitur à priori formam fore *hanc* : et ex eo, quod hæc materia, et non illa respiciatur ab hac forma, colligitur a priori, talem formam esse *hanc* numero, et materiam etiam per modum termini per se inspecti, esse primam radicem talis individuationis, ut dubio 1 et 2 disp. præced. diximus.

Ad confirmationem.

Ad confirmationem negandum est antecedens. Et ad probationem concesso antecedenti, quoad priorem ejus partem, debet negari, quoad secundam, juxta ea, quæ modo dicebamus. Nec oppositum convincit ejus probatio : quæ tantum est vera loquendo de eodem subjecto materialiter, et in esse rei sumpto, quia hoc potest à pluribus, et diversis numero accidentibus respici ; non tamen de eodem subjecto formaliter, et intra lineam subjecti formaliter sumpto : ac proinde, ut in esse subjecti connotat hoc tempus potius, quam illud, etc. Nam subjectum hoc modo sumptum, solum respicitur ab unico, et eodem numero accidenti ; et ita, quot fuerint accidentia, tot eis correspondent subjecta per se inspecta, quæ materialiter, et in esse rei possint

esse

esse idem, non vero formaliter, et in esse subjecti, ut a num. 15 usque ad num. 18 magis explicabimus.

13 Ad secundum respondetur, accidentia, quæ non sistunt in subjecto, sed referunt quodammodo illud ad aliquod aliud extrinsecum, qualia sunt naturales potentiæ, et habitus operativi, sumere suam individuationem a subjecto, quamvis suam rationem specificam ab eisdem terminis extrinsecis accipiant. Et ratio disparitatis constat ex dictis num. 5 et 6 hujus dubii, et disp. præced. num. 12 et deinceps. Quoniam prædicti termini extrinseci comparantur per modum causæ formalis extrinsecæ respectu eorumdem accidentium, secundum suam speciem sumptorum : et ita sunt idonei ad tribuendam eis speciem, quæ a causa formali, tam intrinseca, quam extrinseca potest ducere ortum ; non vero ad tribuendam individuationem, cujus prima, et potissima radix debet in genere causæ materialis ad illam concurrere : et propterea optime talis individuatio tribuetur subjecto accidentium, tanquam primæ fonti, et origini illius.

14 Ad tertium negandum est antecedens. Et ad probationem dicendum est, quod licet demus, hoc numero accidens connaturaliter, aut secundum communem cursum sui ordinis, respiciens hoc numero subjectum formaliter sumptum, posse per divinam potentiam recipi in alio numero subjecto ; non tamen ita, ut prælictum accidens habeat aptitudinem connaturalem, aut secundum communem cursum sui ordinis, ad hoc, ut recipiatur in tali subjecto : et ita adhuc existens in extraneo subjecto, semper respicit, semperque petit connaturale subjectum, aut illud, quod secundum communem cursum sui ordinis sibi saltim quodammodo debetur : et ex hac habitudine accipit proxime suam individuationem, et remote, ac tanquam a prima radice eam desumit a subjecto.

Diximus, quod *semper petit connaturale subjectum, aut illud, quod secundum communem cursum sui ordinis sibi saltim quodammodo debetur*, ut inter accidentia ordinis naturalis, et supernaturalis debita constituatur distinctio. Nam illis potest assignari subjectum connaturale *quod* : secus vero istis ; quamvis re vera saltim quodammodo exigant secundum communem cursum sui ordinis peculiare aliquod subjectum *quod* : et propterea hæc numero charitas recepta in Michaele, nequit secundum communem cursum sui ordinis supernaturalis recipi in Gabriele.

Ad id, quod ibidem additur.

15 Ad illud autem, quod ibidem additur, scilicet, hoc numero subjectum non respicere connaturaliter hoc numero accidens tantummodo, sed posse plura, et diversa accidentia connaturaliter suscipere, ac proinde etiam vice versa hoc numero accidens poterit connaturaliter in diversis subjectis recipi, constat ex dictis disp. præcedenti. Quoniam licet antecedens possit esse verum de eodem subjecto materialiter, et in esse rei sumpto et modo alibi tacto : non tamen de eodem subjecto formaliter, et in esse subjecti accepto, et ut connotat hanc potius differentiam temporis, quam illam, etc. Nam secundum hanc rationem, ita mutuo inter se subjectum, et accidens coaptantur, et commensurantur, ut neque hoc subjectum ad aliud accidens, neque hoc accidens ad aliud subjectum possit connaturaliter terminari : ut in simili de materia signata hac quantitate, et de forma substantiali inter se collatis dicebamus, et ex dicendis in tribus numeris immediate sequentibus magis patebit. Cæterum cum hoc stat, ut subjectum in esse rei, et materialiter acceptum, et accidens ipsum in hoc eodem ordine consideratum, non habeant prædictam commensurationem mutuam : ex eo quod hoc numero subjectum sic sumptum, ex sua peculiari ratione habet majorem amplitudinem, et indifferentiam. Quæ a posteriori satis colligitur ex eo, quod experimento comperimus, scilicet, posse idem materialiter subjectum, saltim successive, naturaliter recipere plura accidentia numero diversa : cum tamen idem numero accidens nequeat, adhuc materialiter acceptum, recipi secundum communem cursum, adhuc successive, in diversis subjectis.

Ad quartum.

16 Ad quartum neganda est sequela. Et ad primam probationem dicendum est, eam esse veram de eadem radice formaliter, et in esse radicis sumpta : non vero de eadem radice materialiter, et in esse rei accepta, ut in præsenti contingit. Ex quo, ad secundam probationem constat, quod si possibile esset, eamdem formam in specie, materialiter et in esse rei acceptam, sucessive informare : ita tamen, ut esset diversa secundum speciem in esse formæ, et radicis unitatis specificæ : tunc non tribueret etiam successive eamdem unitatem specificam. Et ita hinc nihil contra nos convincitur, qui diversis numero accidentibus, successivè in eodem subjecto materialiter, et in esse rei sumpto, receptis, tribuimus plura numero subjecta,

formaliter, et in esse radicis individuationis eorum accepta.

Elucidatur. Explicatur hoc. Etenim ad unitatem numericam accidentis non solum requiritur, ut sit in hoc subjecto, materialiter, et in esse rei accepto, sed etiam identitas temporis : non secus, proportione servata, ac ad unitatem numericam motus desideratur, juxta doctrinam Aristotelis communiter receptam, et in lib. Physicorum, disp. 23, Complut. num. 22, a nostro Collegio Complut. traditam, unitas termini, et ejusdem temporis : et ita variato tempore colligitur variari individuationem accidentis, et quod licet subjectum in esse rei sit idem ; non tamen in esse subjecti formaliter sumpti. Quia idemmet subjectum in esse rei variatur formaliter in esse subjecti per hoc, quod subsit diversæ circunstantiæ temporis. Et ita quoties pereunte unica albedine Petri, denuo albefit idem Petrus, toties variatur albedo, et alia numero denuo, et sucessive producitur. Quia licet maneat idem Petrus in esse rei, non tamen manet idem in esse subjecti formaliter sumpti, vel in esse recti talis subjecti : ex eo, quod subest, aut connotat diversam temporis circumstantiam.

17 Potestque hoc amplius elucidari exemplo superficiei ad rationem loci una cum relatione distantiæ ad centrum terræ, et polos mundi concurrentis. Quæ licet in esse rei multoties non varietur, ut si locatum eadem superficie in esse rei circum latum moveatur, attamen in esse rationis materialis loci formaliter sumptæ, multoties variatur, ut in eventu nuper dicto contingit : et consequenter tunc etiam variatur locus ipse quia prædicta superficies subest diversæ relationi distantiæ et ipsamet, ut subest tali distantiæ, dicit rationem materialem loci formalissime acceptam. Sic ergo, quoad præsens, debita proportione servata, philosophandum est : quamvis, ut intuenti constabit, suum discrimen inter exemplum allatum, et rem, de qua agimus, intercedat.

Objectio quædam solvitur. Neque hinc fiet, ut ex dictis disp. præced., num. 134, colligi potest, individuationem accidentium reducendam esse, ut in primam radicem, in tempus ipsum : quia ut in simili de quantitate circa individuationem substantiæ dicebamus, tempus solum concurrit per modum connotati extrinseci : subjectum autem licet non includatur in recto in ipso accidenti, est tamen id, quod in esse radicis in recto individuat accidens. Nam ad hoc, ut habeat hoc munus, non requiritur includi intrinsece, et essentialiter in illo : sed satis est esse primam radicem materialem ipsius irreceptibilem in alio, ut in subjecto priori : et esse talis conditionis, ut secundum hanc rationem sit intrinsece, id est, per receptionem ipsius accidentis unibile cum illo ; quæ, duo subjecto accidentium, non vero tempori, ut ex se constat, conveniunt.

Alia objectio solvitur. 18 Poteritque hoc ipsum explicari, et simul objectio quædam, quæ hic fieri poterat, solvi exemplo causæ efficientis hujus numero accidentis, puta hujus numero caloris producti ab hoc igne, qui ab alio igne produci nequit, juxta ea, quæ in lib. Physic., disput. 15, num. 50, nostri Complut. docent. Complut Nam licet hoc ipso, quod producatur ab illo numero igne, non possit non distingui ab alio calore producto ab altero igne, quia tamen neuter ex his ignibus concurrit in genere causæ materialis, sed efficientis, atque adeo omnino extrinsece, propterea, et propter alias rationes, quæ ex nuper dictis cuique obviæ erunt, et in hac eadem disp. tangentur, non in ignem producentem, sed in subjectum recipiens præfictum calorem, et modo dicto consideratum, reducimus, ut in primam radicem, in individuationem illam. Quoniam in præsenti non de quacumque radice, scilicet radice omnino extrinseca per habitudinem ad quam individuatio non sumitur ; sed de radice aliquo modo intrinseca, ac proinde de illa per habitudinem ad quam individuatio accipitur, sermonem teximus.

Ad ultimum. Ad ultimum dicendum est, tangere duplicem difficultatem, scilicet an quantitas habeat hoc peculiare inter cætera alia accidentia, et formas substantiales receptibiles in materia, ut ex se sit quodammodo individua? et an duo accidentia solo numero diversa possint esse simul in eodem subjecto? Quia tamen utraque ex his difficultatibus est ex se satis gravis, et plura ad sui decisionem petit, ut ex dicendis constabit, propterea cuilibet ex illis unicum dubium dabimus.

DUBIUM II.

Utrum quantitas hoc sibi peculiare vendicet, ut quodammodo ex se, tanquam a prima radice individuetur?

Ex hujus difficultatis exacta intelligentia, et decisione cuncta fere, quæ de individuatione substantiæ materialis diximus, et plura,

ra, quæ in gravissimis aliis difficultatibus in via D. Thomæ dici solent, dependent : et ideo tam propter nuper dicta, quam propter rationem istam, sigillatim dubium hoc excitamus.

§ I.

Sententia negans.

19 Partem negantem tuentur Durandus; Aureolus apud Capreol. in 2, dist. 3, quæst. 1, art. 2; Scotus, quæst. 4; Suarez, disput. 5 suæ Metaphysic., et alii. Præcipuum autem hujus sententiæ fundamentum est illud, quod circa alia supra tactum est : quodque potest ad hanc formam reduci, scilicet quantitatem non esse magis ex se ens, quam plura alia accidentia : ergo non magis erit ex se individua, quam illa. Antecedens videtur perspicuum. Nam potius accidentia ex se perfectiora quantitate, habent ex se magis de entitate, quam quantitas : ex eo quod entitas est radix perfectionis, et id quod ex se est ens perfectius, etiam ex se est magis ens. Consequentia vero etiam constat. Quoniam unumquodque ita est unum quavis unitate reali, sicut est ens ; ergo, quod ex se non habet esse magis ens, quam alia, non erit ex se magis unum unitate reali, scilicet individuali, quam illa.

Secundo probatur eadem sententia. Nam forma substantialis non habet ulla ratione ex se esse tanquam ex prima radice individuam, ut ex dictis disput. præcedenti, dub. 1, constat : ergo multo minus id habebit quantitas. Patet consequentia. Tum quia forma substantialis est nobilior quantitate; et ita si hac nobilitate non obstante, non potuit ita elevari supra materiam, ut ex se aliquo modo tanquam a prima radice individuaretur, sed solum a materia, multo minus id poterit quantitati convenire. Tum etiam : quoniam forma substantialis, ideo non est ex se individua, ut ex prima radice, quia est forma receptibilis in materia : ex eo, quod hæc forma est ex se communis, et communicabilis pluribus, ut dub. præcedenti dicebamus : sed quantitas etiam est forma receptibilis in subjecto; ergo, etc.

20 Tertio. Nam, vel hoc convenit quantitati, quia accidens, vel quia tale accidens? at neutro ex his modis : ergo nullo. Antecedens quoad primam partem non indiget probatione : alioqui omnia accidentia essent eodem modo ex se individua, cujus oppositum dub. præcedenti docuimus. Quoad secundam vero partem probatur. Quoniam quantitas, quatenus tale accidens talitate specifica, dicit esse extensionem substantiæ, et quatenus tale accidens talitate numerica, importat esse hanc extensionem, et non illam, respectu hujus substantiæ, et non respectu illius; ergo secundum utramque rationem sumit tanquam a prima radice totum suum *esse* a substantia, quam respicit : siquidem ideo alia accidentia non possunt ex se, ut ex prima radice esse individua, quia, ut sint *hæc*, non possunt non respicere suum subjectum determinatum.

Ultimo. Quoniam alias nullum esset inconveniens in hoc, quod saltim supernaturaliter possent duæ quantitates esse simul in eodem subjecto : hoc autem admitti nequit, ut constabit ex iis, quæ num. 57 dicemus : ergo, etc. Sequela patet. Nam si quantitas est ex se individua, et ejus unitas numerica ex unitate subjecti non desumitur, non est cur existente unico tantum subjecto, non possent ibidem duæ quantitates supernaturaliter existere : siquidem in eo eventu ex nullo capite id repugnaret, nisi tantum ex impenetrabilitate unius quantitatis cum alia. Quæ tamen repugnantia solum est in ordine ad potentiam Dei ordinariam : non vero in ordine ad absolutam, et supernaturalem, ut ex dictis in lib. Physic., disp. 19, num. 56, a nostro Collegio Complutens. constat. Ultimum. Complut.

§ II.

Vera Aristotelis, et D. Thomæ sententia.

21 Dicendum tamen est, hoc esse peculiare quantitati inter omnia alia accidentia, et inter cunctas alias formas in materia receptibiles, ut ex se tanquam ex prima radice quodammodo individuetur. Hæc est Aristotel., locis disp. præced. citatis. Nam hoc ipso, quod quantitas sit, modo ibidem insinuato, radix individuationis substantiæ materialis, oportet ut ipsa ex se sit quodammodo individua, ut ibidem expendimus, et ex Divo Thoma dicemus. Conclusio. Aristot.

Idem etiam docuit D. Thom, opusc. 70, quæst. 4, art. 2 ad tertium, his verbis : *De ratione individui est, quod sit in se indivisum, et ab aliis divisum ultima divisione : nullum autem accidens habet in se propriam rationem divisionis nisi quantitas : unde dimensiones ex se ipsis habent quamdam* D. Thom.

rationem individuationis secundum determinatum situm, prout situs est differentia quantitatis, et sic habet duplicem rationem individuationis, unam ex subjecto, sicut, et quodlibet aliud accidens : aliam ex se ipsa in quantum habet situm, ratione cujus in abstrahendo a materia sensibili imaginamur hanc lineam, et hunc circulum.

Idem. 22 Et hoc ipsum tuetur idem Sanctus Doctor, 3 parte, quæst. 77, art. 2, ubi etiam ex eo quod quantitas est radix, modo tamen supra explicato, individuationis aliarum formarum, colligit, eam esse ex se quodammodo individuam; atque adeo non a subjecto secundum prædictam rationem individuari : et ita postquam dixit esse de ratione individui, ut non possit in pluribus esse, statim addidit : *Quod quidem contingit dupliciter : uno modo, quia non est natum esse in aliquo, et hoc modo formæ immateriales separatæ per se subsistentes, sunt etiam per se ipsas individuæ. Alio modo ex eo, quod forma substantialis, vel accidentalis est quidem nata in aliquo esse, non tamen in pluribus : sicut hæc albedo, quæ est in hoc corpore. Quantum igitur ad primum, materia est individuationis principium omnibus formis inhærentibus : quia cum hujusmodi formæ, quantum est de se, sint natæ in aliquo esse sicut in subjecto, ex quo aliqua earum recipitur in materia, quæ non est in alio, jam nec forma ipsa sic existens potest in alio esse. Quantum autem ad secundum dicendum est, quod individuationis principium est quantitas dimensiva : ex hoc enim aliquid est natum esse in uno solo, quod illud est in se indivisum, et divisum ab omnibus aliis : divisio autem accidit substantiæ ratione quantitatis, ut dicitur in primo Physicorum : et ideo ipsa quantitas dimensiva est quoddam individuationis principium hujusmodi formis, in quantum scilicet diversæ formæ numero sunt in diversis partibus materiæ. Unde, et ipsa quantitas dimensiva secundum se habet quamdam individuationem; ita, quod possumus imaginari plures lineas ejusdem speciei differentes positione, quæ cadit in ratione hujus quantitatis : convenit enim dimensioni, quod sit quantitas positionem habens.*

Ipsemet. 23 Et tandem hoc ipsum asseruit Sanctus Præceptor, 4 contra gentes, cap. 65, in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 1, quæstiuncula 2, et quodlib. 7, art. 10, his verbis : *Quantitas non individuatur solum ex subjecto, sicut alia accidentia, sed etiam ex situ, qui est de ratione ipsius quantitatis dimensivæ, quæ est quantitas positionem habens : et ideo possibile est imaginari duas lineas separatas ejusdem speciei numero diversas, secundum diversum situm : alias non esset divisibilis ex ipsa ratione sui generis : non enim dividitur linea nisi in lineas : plures autem albedines ejusdem speciei sine subjecto imaginari est impossibile : et sic patet, quod albedo non individuatur, nisi ex subjecto.* Unde Sanctum Doctorem sequuntur Capreolus in 2, dist. 3, quæst. 1, art. 3; Cajet. 1 part., quæst. 29, art. 1; Ferrara, 4 contra gentes, cap. 65; Bannez, 1 de Generat., cap. 5, quæst. 3, art. 8, in 1 solutione ad tertium, Gonzalez, 1. p., disp. 23. num. 13, et alii plures ex Thomistis.

Capreolus. Cajetan. Ferrara. Bannez. Gonzalez.

§ III.

Sententia D. Thomæ explicatur et probatur.

Explicatur assertio. 24 Cæterum quia assertio hæc indiget explicatione propter illam particulam, *quodammodo*, in eadem positam, propterea prius explicanda, quam probanda est. Etenim sicut in materia de Trinitate, quæst. 40, art. 2, communiter, maxime vero in schola Divi Thomæ dici solet, quod relatio divina, verbi gratia, *Paternitas*, adhuc secundum suam ultimam rationem considerata, potest in duos conceptus inadæquatos partiri, scilicet in se ipsam, ut habet rationem formæ hypostaticæ, et in se ipsam, ut exprimit *ad* proprium ejusdem relationis Paternitatis : et quod secundum priorem rationem exercet quoddam munus, quod secundum posteriorem exercere nequit, nam considerata constitutione personæ Patris secundum analogiam ad constitutionem personarum creatarum (de qua constitutione in præsenti loquimur), tunc persona Patris constituitur per Paternitatem divinam, secundum suam quasi atomam rationem consideratam in esse primæ personæ, quatenus prædicta Paternitas habet rationem form hypostaticæ, non vero secundum, quod exprimit *esse ad*, scilicet ad Filium, quia munus istud, et conceptus inadæquatus referendi Patrem ad Filium concipitur quodammodo posterius generatione activa, et passiva Filii : et ratio personæ Patris jam constitutæ debet concipi aliquo modo prius ipsa generatione activa Filii : siquidem actiones, sive productiones sunt suppositorum, sive personarum jam constitutarum : et propterea nequit relatio illa secundum prædictum munus constituere modo

modo dicto Patrem; bene tamen eumdem jam constitutum referre ad Filium.

25 Ita ergo quantitas considerata, non quidem secundum communem accidentis, sed secundum propriam sui rationem potest bipartiri in duos conceptus inadæquatos, scilicet tum in se ipsam, ut extensio, et hæc extensio hujus substantiæ, et non alterius, ac proinde ut exprimit hanc habitudinem ad hanc substantiam potius, quam ad illam : tum etiam in se ipsam, quatenus exprimit hoc, quod est habere determinatum situm ortum ex partialibus sitibus suarum partium : ac proinde quatenus prædictæ partes, ita conferuntur cum illa, ut retineant rationem materiæ, sive principii materialis respectu illius : et ideo ipsa constat ex illis, ut ex materia ejusdem, non qualicumque, sed tribuente ei, quod ratione earumdem partium habeat peculiarem positionem seu situm. Et licet quantitas sic sumpta non possit omnino præscindi ab ordine ad subjectum : non tamen ut consideratur sub hac expressa, et inadæquata ratione curatur (saltim per se primo, et in recto) de ordine isto, sed de eo, quem prædictæ partes ad quantitatem illam totalem dicunt, et de quantitate ipsa, ut præcise exprimit esse rem quamdam talis conditionis, et naturæ, ut habeat prædictas partes, et prædicto modo cum illa collatas : non curando (saltim per se primo, et in recto) an eadem quantitas, ut ex illis constat, dicat habitudinem ad hanc substantiam potius, quam ad illam.

Quod ergo in assertione una cum Sancto Doctore volumus, est, quod quantitas hoc habet peculiare inter alia accidentia, et quascunque formas receptibiles in materia, quod ipsa in diversos quodammodo conceptus inadæquatos sui bipartita, habet quodammodo esse individuam a subjecto, et quodammodo individuam a se, tanquam a prima radice. Nam illud prius convenit ei, secundum priorem illum conceptum ex nuper recensitis; hoc vero posterius competit eidem secundum posteriorem. Et ideo
ɔm. D. Thom. in locis pro assertione adductis tali verborum serie usus est, ut hoc ipsum manifeste denotaret, ut intuenti patebit.

a- 26 Assertio ergo sic explicata, quoad illud, quod innuit, scilicet quantitatem secundum quod exprimit rationem extensionis, et hujus extensionis substantiæ, ac proinde secundum priorem illum conceptum inadæquatum individuari a subjecto, ut a prima radice, constat ex dictis dub. præcedenti. Quia secundum hanc rationem consideratur per modum formæ, et non qualiscumque, sed communicabilis suo subjecto, non minus quam cætera alia accidentia : et propterea non potest aliunde, quam ex suo subjecto, tanquam ex prima radice individuari, ut ex ibidem dictis patet.

Quoad secundam vero partem non alia ratione præter eam, quam Sanctus Doctor in testimoniis allatis affert, probanda est : quæ quidem potest sub hac forma proponi. Quoniam quantitas ex se ipsa, tanquam ex prima radice habet esse divisibilem in plures partes ejusdem rationis, seu in plures partes entitativas solo numero diversas : ergo ex se ipsa, tanquam ex prima radice habet quodammodo esse individuam. Antecedens constat ex dictis a nostro Collegio Complut. Complut.
in Logica. disput, 13, num. 30 et deinceps, et in lib. de Generat., disp. 5, num. 32 et sequentibus, ubi ostendunt, quomodo conveniat quantitati, *secundum quod ipsa*, habere partes entitativas, ita ut nihil eas habeat, nisi vel ipsa, vel ratione ipsius. Consequentia vero probatur. Tum quia hoc ipso quod quantitas habeat ex se partes ejusdem rationis, seu sola numero differentes, habet etiam ex se ipsa unde quodammodo sit una numero. Tum etiam : quia hoc ipso, quod habeat prædictas partes, habet utique eas secundum distinctam positionem, et eo ipso possunt inter se numero distingui ex illo distincto situ et positione : et similiter una quantitas poterit ab alia numero differre ex determinato situ, et positione, quam habet. Et ideo si darentur duæ lineæ separatæ ab omni subjecto, possent intelligi, et esse numero diversæ : ex eo quod una haberet distinctum situm ab alia.

§ IV.

Objectiones adversariorum contra rationem Divi Thomæ.

27 Cæterum contra rationem hanc objiciunt primo adversarii, male colligi ex eo, Objectio prima.
quod quantitas habeat ex se partes ejusdem rationis, quod ipsa sit quodammodo ex se individua, et prima radix suæ individuationis : ergo, etc. Antecedens probatur. Quoniam totum hoc pertinet ad conceptum ejus specificum, ut præcisum ab ejus individuatione, et radice illius : et propterea omnes quantitates conveniunt specifice in hoc, quod habeant partes ejusdem rationis : ergo

ratione hujus non poterit quantitas esse ex se individua, nec suæ individuationis, et distinctionis pure individualis radix : quandoquidem per id, quod pertinet ad conceptum specificum alicujus formæ, ut præcisæ a sua individuatione, nequit individuari, aut esse radix unitatis, et distinctionis pure individualis.

Confirmatus primo.

28 Confirmatur primo. Nam ex eo individuum vagum non potest ex se esse individuum determinatum, et omnino singulare, sed ratione alterius, ut primæ radicis, quia ex se dicit rationem singularis in communi sumptam : sed per hoc, quod quantitas ex se, et ex vi suæ speciei habeat partes solo numero diversas, solum sequitur, quod habeat illas diversas diversitate numerali in communi sumpta : siquidem in hoc omnes quantitates conveniunt : ergo ex hoc modo habendi partes, nequit colligi, quod ex se sit individua individuatione hac, seu individuatione determinata, de qua in præsenti fit sermo.

Confirmatur secundo.

Confirmatur secundo. Quia alioqui in quantitate, non distingueretur adhuc virtualiter, sive cum fundamento in re, unitas specifica ab unitate numerica, nec possent duæ quantitates solo numero distingui : hoc autem est aperte falsum : ergo, etc. Sequela probatur. Nam propterea in Angelis non distinguitur unitas specifica cujuslibet ab unitate numerica ejusdem, nec possunt solo numero inter se distingui, quia sunt formæ quædam ex se individuæ, ut disput. præced., num. 17, innuimus, et in tract. de Angelis latius ex D. Thoma dicemus : ergo si quantitas ex se ipsa est individua, non poterit in ea unitas illius specifica a numerica virtualiter distingui, nec erit distinguibilis numerice ab alia quantitate, quam specie ab eadem distinguitur.

Secunda.

29 Secundo objiciunt. Nam quidquid est in quantitate, et ei secundum, quod tali competit, quale est habere ex se partes entitativas, et quævis alia ratio intrinseca quantitati, tantum potest esse peculiaris ratio talis formæ, et ad lineam formæ spectans : ergo eo ipso erit ineptum ad hoc, ut quantitas ratione illius sit ex se individua, aut individuationis radix. Antecedens videtur certum. Nam cum quantitas secundum suam rationem superiorem sit forma quædam, non potest secundum suam peculiarem rationem constituentem illam importare aliquid, quod non sit peculiaris ratio talis formæ, et ad lineam formæ spectans. Sicut quia forma substantialis, v. g., leonis secundum suam rationem superiorem, habet rationem formæ, propterea nequit secundum suam peculiarem rationem, ei secundum, quod tali convenientem, importare aliquid, quod non sit peculiaris ratio talis formæ, et ad lineam formæ spectans. Consequentia vero probatur. Quia, ut ex dictis disput. præcedenti constat, ideo forma substantialis leonis, ut talis, secundum nullam sui rationem potest ex se tanquam ex prima radice esse individua, quia quidquid ei competit secundum hanc rationem, tantum potest esse peculiaris ratio talis formæ.

Tertia.

30 Tertio. Nam ratio totius integralis, et partium ejus est longe diversa a ratione totius universalis, qualis est species atomi, et partium subjectivarum ejus, scilicet individuorum : ergo ex eo, quod quantitas sit ex se totum quoddam integrale constans suis partibus integralibus, male infertur, quod etiam habeat ex se unde possit fundare rationem totius universalis, scilicet speciei atomæ, et simul absque aliquo alio dividi in diversas partes subjectivas sub prædicto toto contentas. Consequentia videtur certa. Nam ex eo, quod aliquid habeat propria unius totius, non sequitur habiturum ex se propria alterius totius diversæ rationis ab illo. Antecedens autem probatur. Quoniam totum integrale est talis conditionis, ut debeat realiter distingui a suis partibus, secus vero totum universale, et propterea illud quatenus tale nequit prædicari de sua parte, sed hæc est falsa : *Dimidia pars ulnæ est ulna* ; bene tamen totum universale : et propterea hæc propositio est vera: *Ista numero quantitas, est quantitas* : ergo, etc.

Quarta.

Quarto. Nam ex eo, quod quantitas gaudeat partibus habentibus diversos situs, ac proinde ex diversitate situum possint, tam diversæ partes ejusdem quantitatis inter se, quam diversæ quantitates totales, ut diversæ lineæ inter se numero distingui, male colligitur, quod quantitas sit sibi quodammodo radix suæ individuationis : ergo, etc. Antecedens videtur certum. Nam cum situs pertineat ad distinctum prædicamentum, non poterit inde colligi, quod quantitas ex se, sed aliunde sit individua, ac proinde, quod aliquid aliud sit ei radix suæ individuationis.

§ V.

Solutio objectionum contra rationem D. Thomæ.

Ad primam objectionem.

31 Ad primum negandum est antecedens. Et ad probationem distinguendum est antecedens. Et si sensus ejus sit, quod totum illud in communi sumptum, pertinet ad conceptum specificum quantitatis, concedendum est : secus vero si sensus fuerit, quod totum illud in particulari, et omnino determinate acceptum, spectet ad specificum conceptum ejusdem quantitatis. Et eodem proportionali modo distinguendum est consequens, ac juxta modo dicta debet negari, vel concedi consequentia. Nam licet quantitas nequeat esse sibi prima radix individuationis, per hoc præcise, quod habeat partes ejusdem rationis in communi; bene tamen per hoc, quod habeat illas in particulari, et omnino determinate acceptas.

Explicatio solutionis.

Itaque quantitas, et alia accidentia partim conveniunt, et partim differunt, quoad individuationem. Conveniunt quidem : quia sicut albedo individuatur proxime, et intrinsece per illud idem realiter, per quod habet suam speciem, parculariter tamen acceptum: et ideo solum ei additur differentia quædam individualis virtualiter distincta a sua specificatione, scilicet esse *hanc*, et non *illam*, ita etiam quantitas. Et propterea solum ei additur differentia individualis eodem modo distincta, scilicet, quod sit *hæc*, et non *illa*, ac proinde habeat has partes, et non illas.

32 Differunt autem : quia albedinem esse *hanc*, et ejus individualis differentia oritur ab alio, scilicet a subjecto, ut a prima radice : atque adeo prædicta differentia individualis non est sibi prima radix sui proprii muneris ; sed subjectum est id, quod per se primo, et in recto est primus fons, et radix illius. At in quantitate, eam esse *hanc*, et non *illam*, quodammodo habet oriri ab eadem quantitate, ut a prima radice : et ita illa eadem differentia individualis physice considerata, est sibi, saltim in recto, prima radix sui proprii muneris, constituentis quantitatem in esse *hujus*.

Additur solutio explicationis.

Et ratio est. Nam sicut hoc ipso, quod materia, non quidem secundum se (sic enim pertinet ad conceptum specificum totius compositi substantialis, modo tamen a nostris Complutensibus, in lib. Physic., disp. 6, num. 8, insinuato), sed, ut quodammodo importans quantitatem in communi, sit prima radix individuationis, ut sic, et eademmet, ut quodammodo importat eamdem quantitatem, vage etiam acceptam, sit prima radix ejusdem individuationis vage consideratæ, non potest non ipsámet, ut quodammodo affert eamdem quantitatem, ut est *hæc*, et non *illa*, esse primæ radix hujus individuationis omnino determinatæ : ita eo ipso, quod quantitas seipsa, et ratione suæ differentiæ specificæ, connotando tamen subjectum ratione communi subjecti, ut sic, sit prima radix habendi partes solum diversas diversitate numerali, ut sic, oportet, ut ratione suæ differentiæ individualis vage acceptæ, et sub connotatione subjecti eodem modo sumpti, sit etiam prima radix habendi easdem partes numerice vage distinctas. Ac tandem ratione suæ differentiæ individualis, omnino in particulari consideratæ, connotando tamen hoc subjectum, et non illud omnino determinate consideratum, erit prima ratio habendi has partes, et non illas, et diversas hac diversitate numerali, et non illa, ac proinde erit etiam prima radix hujus, quod est esse hanc quantitatem, et non illam. Et ideo hoc ipso, quod prædicta quantitas connotet prædictum subjectum, nihil ei deerit ad hoc, ut in exercitio sit sibi quodammodo radix suæ individuationis, et distinctionis pure individualis.

33 Quare sicut materiæ primæ non tollitur, quominus sit prima radix individuationis compositi, quamvis requirat aliquid pro connotato, ut quod fuerit disposita per has dispositiones, et non illas, ac proinde acceptas in hoc numero composito corrumpendo, et non in illo, ita in præsenti (servata tamen ea proportione, quam jam innuimus) philosophandum est.

Additamentum.

Accedit, quod hoc ipso, quod materia, ut præhabens hanc quantitatem, et non illam, connotando tantum prædictas dispositiones, sit prima radix individuationis substantiæ materialis, fit inde, quod etiam quantitas secundum suum *esse* formale sumpta, connotando etiam, tanquam connotatum easdem dispositiones, poterit sibi ipsi esse quodammodo, propter rationem tactam, radix suæ individuationis.

Ad primam confirmationem.

34 Ex quo, ad primam confirmationem satis constat. Solum enim probat, individuum vagum non posse esse individuum determinatum, nisi aliquid virtualiter ab eo distinctum superaddatur, scilicet differentia quædam individualis, et signata : non tamen, quod illa debeat aliunde ut a prima radice desumi, sed ab illamet linea

(modo tamen nuper explicato) a qua desumpta est differentia individualis vage accepta : ut in individuatione totius compositi substantialis, et quantitatis accidere diximus. Unde confirmatio hæc potius nobis prodest, quam obest.

Ad secundam confirmationem patet etiam ex dictis, negandam esse sequelam. Et ad probationem esse disparem rationem. Quoniam Angeli sunt formæ subsistentes, et irreceptibiles in alio, tanquam in subjecto : et propterea, nec ex subjecto, tanquam ex prima radice, neque ex eodem, tanquam ex connotato possunt individuari, atque adeo nec habere distinctionem pure individualem : secus vero quantitas : quæ, quatenus ex se, quodammodo individuatur, connotat subjectum, ut explicatum est.

Ad secundam objectionem.

35 Ad secundum concedendum est antecedens, sumpta linea formæ, prout dicit formam ex se habentem multitudinem partium entitativarum, et ejusdem rationis specificæ, diversæ tamen secundum numerum, seu petentium distinctam positionem in suo toto. Et deinde neganda est consequentia. Ad cujus probationem patet ex dictis. Nam peculiaris ratio formæ leonis secundum se consideratæ, non pertinet ad lineam formæ habentis ex se partes prædictas, sicut quantitas ad eam spectat : et propterea nequit secundum ullam sui rationem esse sibi prima radix suæ individuationis.

Itaque in hoc distinguitur quantitas ab aliis formis, quod cum ipsa ex se habeat partes entitativas ejusdem rationis, seu quæ præcise sint diversæ secundum numerum, debet quodammodo ex se habere unde distinguatur specifice, et numerice. Numerice quidem, ex eo, quod partes prædictæ illam disponentes, habent se per modum materiæ respectu ejusdem, atque adeo est in illa aliquid, per modum principii materialis, unde, tanquam ex prima radice unitas ejus numerica, et distinctio pure individualis, modo dicto, desumatur. Maxime, quia tales partes non sunt utcunque partes, sed habentes distinctam positionem, sive situm, ac proinde talis conditionis, ut licet sint ejusdem rationis, sive speciei, nihilominus aliquo modo distinguantur : et ita ratione hujus possunt, ut jam tetigimus, esse quodammodo prima radix prædictæ individuationis.

Et similiter debet ex se habere unde distinguatur specifice, nempe quatenus est forma quædam directe pertinens ad suum prædicamentum, ratione cujus habet sufficiens *esse* formale, a quo ejus specificatio desumatur. Cæterum cum aliæ formæ non habeant ex se prædictam distinctionem partium, et per consequens neque pertineant ex se ad lineam formæ illas habentis, propterea non est in eis sufficiens radix, unde tanquam ex primo principio unitas earum specifica, et individua is accipiatur.

Ad tertium.

36 Ad tertium, quod licet illa duo tota sint distincta, sunt tamen ita inter se nexa ut accidens illud, quod ex se habuerit totalitatem illam entitativam, possit ex se, et modo dicto dividi divisione totius universalis in suas partes subjectivas : ita, ut absque aliquo alio, quod sit a terius prædicamenti, et in recto importetur, possit prædicta divisio fieri (ut ex dictis pro assertione constat) cum tamen alia accidentia non possint secundum ullam sui rationem sic dividi divisione totius universalis in partes subjectivas; sed hoc ex subjectis, ut a primis radicibus habeant.

Ad ultimum.

Ad ultimum negandum est antecedens. Quia non sit in hac ratione sermo de sitibus formaliter sumptis, et pertinentibus ad prædicamentum situs, sed de situ, prout est differentia quantitatis, prout dicitur constare ex partibus habentibus positionem, quæ alias a posteriori optime explicantur, per hoc, quod habeant diversos situs. Quæ solutio desumitur ex D. Thom., opusc. 70, quæst. 4, art. 2, in solutione ad tertium, et alibi sæpe.

Replica

37 Nec refert, si urgeas, saltim hinc fieri quantitatem, ut ratione suarum partium præhabet virtualiter distinctos situs ad peculiare prædicamentum situs spectantes, esse quodammodo primam radicem individuationis ejusdem quantitatis, atque adeo totam hanc rem esse reducendam, tanquam in primam radicem in prædicamentum situs : quandoquidem quantitas non nisi, ut petit, aut fundat distinctos situs, habet numerice distingui ab alia quantitate.

Enodatio

Respondetur enim, negando sequelam. Et ad probationem negandum est antecedens. Nam licet eadem quantitas habeat distinctam positionem suarum partium in ordine ad se, et simul distinctam positionem earum in ordine ad locum, sive distinctum situm pertinentem ad prædicamentum situs, et prior illa ratio petat hanc posteriorem, et fundet ipsam, sicut petit, et fundat alias proprietates, sive affectiones illius, nihilominus quantitas non est quodammodo prima radix suæ individuationis, ex hoc, quod peculiariter præhabeat virtualiter prædictos

dictos situs, sed quatenus per se, et formaliter habet distinctam positionem suarum partium in ordine ad se. Nam cum situs isti non habeant ex se distinctionem partium entitativarum, seu ejusdem rationis etiam in ordine ad locum, quandoquidem solum prædicamentum quantitatis eis gaudet, fit inde, ut non possint quodammodo esse sibi prima radix suæ individuationis : et per consequens, quod nec quantitas, ut illos præhabet virtualiter quasi in radice, sit quodammodo sibi fons primus suæ individuationis : sed potius e contra, situs ipsi habentes partes ejusdem rationis seu solo numero diversas, ratione quantitatis individuantur quodammodo ab illa. Quamvis quia distincta positio partium in ordine ad totum, valde innotescit per distinctos situs, propterea possit optime per illos explicari.

§ VI.

Corollaria animadversione digna.

rolla- m pri- ium. zarius

38 Ex his omnibus deducitur primo, cum Nazario, 1 part., quæst. 3, art. 2, controversia unica, et aliis quam plurimis ex gravioribus Thomistis, non ita ad mentem D. Thomæ philosophari aliquos (paucos tamen) qui radicem individuationis substantiæ materialis reducunt, tam in materiam, quam in formam substantialem, in unamquamque tamen, ut in primam radicem in suo genere, nulla facta mentione quantitatis : ita quidem, ut materia connotando formam, sit prima radix individuationis in genere causæ materialis : forma vero, connotando materiam, habeat hoc ipsum in genere causæ formalis : et facta collatione inter utramque, non fiat resolutio in aliquam earum; tanquam in radicem absolute, et simpliciter priorem : ex eo, quod materia est *hæc*, et radix individuationis, quia respicit hanc formam : et rursus forma est *hæc*, ex eo, quod respiciat hanc materiam : ita ut neutra habeat esse *hanc*, ex eo, quod sit signata quantitate.

Ratio ollari.

Ratio autem hujus corollarii deducitur ex modo dictis. Nam hoc ipso, quod quantitas habeat ex se partes entitativas, ac proinde sit ex se tanquam ex prima radice modo dicto individua, non potest materia prima, v. g., esse in via Divi Thomæ individua, atque adeo, nec prima radix individuationis, nisi, ut aliquo modo ex iis, quos disput. præced., a num. 34 usque ad num. 36 recensuimus, est signata quantitate. Quia, ut optime concludit S. Doctor, opusc. 70 super Boethium, de Trinitate quæst. 4, art. 2 ad tertium, ex eo, quod quantitas habeat ex se partes ejusdem rationis, et ita ex se quodammodo sit individua, recte infertur, quod materia convenit individuare alias formas ex hoc, quod, modo supra explicato, subditur illi formæ, scilicet quantitati, quæ ex se ipsa habet individuationis rationem. D.Thom.

39 Accedit, quod, ut constat ex dictis disp. præced., num. 9 et deinceps, forma substantialis in via Divi Thomæ non potest esse prima radix individuationis. Quia, ut ex eodem latius expendemus, unitas, et distinctio proveniens a forma substantiali, tanquam a prima radice, et per consequens ab eadem, ut saltim in recto considerata, est unitas, et distinctio specifica.

Confirmatio illius.

Ex quo etiam, et ex dictis disp. præced. major confirmatio ejusdem corollarii deducitur. Nam hoc ipso, quod forma non sit ex se individua, nec individuationis radix, et materia secundum se, et præcise sumpta non possit hoc habere, siquidem secundum istam considerationem, solum pertinet ad conceptum speciei, fit inde, ut materia, quatenus præhabet aliquid aliud, debeat esse prima individuationis radix : ac per consequens quatenus præhabet hanc quantitatem : siquidem nullius alterius rei præhabitio in materia potest esse ad hoc munus aptior, quam illius, scilicet quantitatis, quæ ex se, et modo explicato sit individua.

Corollarium secundum.

40 Secundo deducitur, non posse ita plene, juxta vestigia Angelici Doctoris, in hac materia de principio individuationis substantiæ materialis, et quantitatis incedere, nec rationes, quibus Sanctus Doctor ducitur, adeo ad unguem defendere eos, qui substantiæ materiali suas proprias partes entitativas, et distinctionem earum in ordine ad se tribuunt, ita, ut hæ non proveniant a quantitate, ut a forma inhærente, et intrinsece constituente eamdem substantiam in ratione totius entitativi, constantis ex prædictis partibus. Nam hi non possunt ita plene defendere, quantitatem, modo explicato, esse sibi quodammodo rationem individuationis, et materiam signatam quantitate esse primam individuationis radicem.

Radix illius.

Et ratio est. Quoniam, ut in lib. de Generatione, disput. 5, a num. 39 usque ad 42, optime nostrum Collegium Complut. Complut.

docet, hoc ipso, quod substantia materialis haberet ex se proprias partes entitativas ejusdem rationis, ac proinde solo numero diversas, tunc prima radix habendi illas non esset quantitas, ut ex terminis ipsis constat : sed potius quantitas haberet eas ratione substantiæ, tanquam primæ radicis earumdem : quia in illo eventu substantia materialis perprius haberet partes ejusdem rationis, quam quantitas. Et ratio, ob quam quantitas, et cætera accidentia materialia eas haberent, esset, quia perprius substantia materialis, et materia prima, a qua, ut a primo principio, *quo* quantitas dimanat, eis gauderent. Et ita, nec quantitas esset ex se prima suæ individuationis radix, nec substantia materialis esset individua ratione materiæ primæ signatæ quantitate. Siquidem potissima ratio, et fundamentum, quo Angelicus Doctor innititur ad perpetuo asserendum, quantitatem esse ex se, et modo dicto individuam, et primam radicem individuatio, nis substantiæ materialis esse materiam primam, non, utcunque, sed signatam quantitate, est, quia quantitas ex se tanquam ex prima radice habet partes ejusdem rationis, ut constat ex locis num. 22 relatis, et ex iis, quæ S. Doctor, 4 contra gent., cap. 65, docuit, et ex ratione, quam ex eis, in favorem nostræ assertionis deduximus.

D.Thom.

Additamentum.

41 Accedit, quod D. Thomas est perpetuus in hoc, quod tribuat peculiari ratione quantitati, quod sit ex se, et modo dicto individua, non vero reliquis aliis accidentibus, ut constat ex locis nuper citatis. Si autem substantia materialis ex se haberet partes entitativas, tunc etiam cætera accidentia materialia eis ex se gauderent, ut communiter docent omnes illi, qui substantiæ materiali proprias partes entitativas ei ex se competentes tribuunt : ut ita una pars prædictorum accidentium possit recipi in una parte substantiæ, et quantitatis, et alia in alia, ne (ut ipsi inquiunt) accidens materiale inhæreat indivisibiliter, id est, inhærendo secundum se totum in tota substantia, et quantitate, et secundum se totum in quavis parte, et indivisibili utriusque : ac proinde prædicta accidentia non minus, quam quantitas haberent quodammodo ex se individuari. Siquidem in via Sancti Doctoris unicum fundamentum propter quod quantitas habet hoc peculiare, ut ex se quodammodo individuetur, est, quia ex se habet partes ejusdem rationis, seu (quod in idem, quoad præsens redit) quia habet diversos situs partiales, prout situs est differentia quantitatis, ut constat ex omnibus locis, in quibus S. Doctor de hac re agit.

Evasio.

Ex quibus omnibus fit, nihil referre, si dixeris, non qualescunque partes entitativas, sed peculiariter partes entitativas, quæ sunt de genere quantitatis, posse esse primam radicem individuationis : et ideo D. Thomas non fecit mentionem, nisi de partibus entitativis habentibus distinctum situm, sive positionem. Istæ autem solum sunt partes entitativæ, et quantitativæ : unde merito partes hæ, ut diversimode situatæ (seu petentes distinctos situs, in quibus speciaiiter splendet distinctio numerica) non vero aliæ dicuntur esse prima radix individuationis.

Præclusio prima.

42 Ex dictis igitur constat, hoc nihil referre. Tum quia propterea Divus Thomas, ut explicaret, cur sit proprium solius quantitatis inter formas materiales, esse ex se individuam ratione suarum partium, fecit mentionem de partibus entitativis habentibus distinctum situm, seu positionem, quæ est de ratione quantitatis. Quia juxta ejus sententiam, nihil aliud præter quantitatem potest ulla ratione habere partes entitativas, et distinctionem earum, sed quidquid eis gaudet, debet illas a quantitate, ut a causa formali, et inhærente participare, ut ex eodem S. Doctore late in lib. de Generat., disp. 5, num. 32 et deinceps, nostrum Collegium Complut. ostendit. Tum etiam : quia ut ex D. Thoma quodlib. 7, art. 10, diximus, et 4 contra gent., cap. 65, docet, situs iste, et diversitas eorum, non est situs, et diversitas de prædicamento situs, sed positio, et diversa positio partium in toto. Constat autem, quod si substantia ex se haberet partes entitativas componentes unum, et idem totum entitativum, et substantiale, tunc prædictæ partes haberent positionem in toto : alioqui non componerent illud, et eo ipso quod essent distinctæ in ordine ad se, et ad totum, non possent non tam inter se, quam in ordine ad idem totum, habere distinctam positionem, sive unionem.

Complut D.Thom.

Præclusio secunda.

Præclusio ultima. D.Thom.

43 Tum denique. Quia Angelicus Doctor, 4 contra gentes, cap. 65, ex eo præcise colligit, quantitatem gaudentem partibus habentibus positionem in toto, esse ex se individuam, quia repugnat aliquid habere partes ejusdem speciei, et eo ipso non esse ex se, seu ex vi propriæ lineæ individuum. Et ita postquam dixit : *Habet autem, et hoc proprium quantitas inter accidentia reliqua, quod ipsa secundum se individuatur, quod ideo*

ideo est, quia positio, quæ est ordo partium in toto, in ejus ratione includitur : est enim quantitas positionem habens : statim, ut hujus redderet rationem, præcise attendit ad diversitatem partium ejusdem speciei, et ideo solum addidit : *Ubicunque autem intelligitur diversitas partium ejusdem speciei, necesse est intelligi individuationem : nam quæ sunt unius speciei non multiplicantur, nisi secundum individuum : et inde est, quod non possunt apprehendi multæ albedines, nisi secundum, quod sunt in diversis subjectis* (intellige actu, vel aptitudine), *possunt autem apprehendi multæ lineæ, etiam si secundum se considerentur.* Unde apud ipsum, gaudere partibus habentibus diversum situm, non quidem de genere, et præ licamento situs, sed, prout dicit partes ejusdem speciei habentes positionem præcise in toto, seu (quod idem est) ponentes se ipsas in illo per distinctam numero communicationem sui tam respectu totius, quam respectu sui adinvicem, idem prorsus est, ac habere partes præcise ejusdem speciei : alioqui solum ex eo, quod de ratione habentis partes ejusdem speciei, est, esse ex se individuam, ad quod in verbis immediate relatis tantum attendit, non redderet sufficientem rationem ad hoc, ut quantitas gaudens partibus positionem habentibus, sit ex se individua.

onfirtio ulmæ - eclusio nis.

Et merito sane Angelicus Doctor tantum attendit ad hoc, quod est quantitatem præcise habere partes ejusdem speciei, ac proinde solo numero diversas, ad hoc, ut inde sufficienter colligeret, esse quodammodo ex se individuam : siquidem ut num. 32 ostendimus, ab eodem realiter principio, et prima radice debet oriri, quod aliquid sit ex se unum numero, ut sic, et unum numero vage, ac tandem esse omnino unum numero determinatum. Constat autem, quod hoc ipso, quod aliquid concipiatur, ut habens partes, ut sic, quæ sint distinctæ, et simul sint ejusdem speciei, ac proinde solo numero distinguantur, concipitur unum numero, ut sic, et radix suæ unitatis numericæ, ut sic ; alioqui non haberet ex se partes distinctas solo numero, ut sic ; ergo illud idem realiter erit, hoc ipso, quod a parte rei existat individuum determinatum, et radix suæ individuationis.

spon- ur ad quod s ad- cebat asio.

44 Unde id, quod pro se hæc solutio adducit, scilicet distinctionem numeralem maxime splendere in partibus petentibus distinctum situm de prædicamento situs, et per consequens solas has partes posse esse primas radices suæ individuationis, nihil ei favet. Nam eadem ratione contra sui authores probaretur, solam quantitatem habere partes entitativas, non vero substantiam ex se ipsa, et ex vi propriæ lineæ : siquidem partes solius quantitatis petunt distinctos illos situs, in quibus maxime distinctio partium entitativarum elucet. Accedit, quod prædicti situs de prædicamento, et genere situs, nec secundum se, nec, ut præhabiti possunt esse radix individuationis, ut num. 36 diximus. Et ideo ex eo, quod quantitas illos petat, non potest habere hoc speciale, ut scilicet sit suæ individuationis radix.

Alia evasio.

Ex quo etiam manet impugnata alia solutio, qua posset rationibus pro nostro corollario adductis occurri, nempe ideo quantitatem esse ex sua ratione individuam, ratione suarum partium, licet substantia ex se habeat partes entitativas, quia licet substantia non habeat illas a quantitate, ut habita, habet tamen easdem ab eadem quantitate, ut radicaliter præhabita ; et ita, quod ratione suarum partium sit individua, non tollit quominus quodammodo individuetur a quantitate, ut a prima radice, et quantitas ipsa sit sibi prima radix suæ individuationis.

Rejicitur eximultis capitibus.

45 Ex dictis itaque hæc solutio corruit. Primo quidem, quia si per impossibile repugnaret quantitas, manente tamen possibilitate substantiæ materialis : nihilominus prædicta substantia in sententia adversariorum haberet partes entitativas ejusdem rationis : siquidem in eorum sententia hoc ipso, quod non esset spiritualis, non esset in ordine ad se indivisibilis. Tum etiam : quia alia accidentia materialia non præhabent in se radicaliter quantitatem : et nihilominus habent partes ejusdem rationis, ut adversarii fatentur : ergo signum est, substantiam non habere ex se partes entitativas, ex eo, quod præhaberet in se quantitatem : siquidem non minus habet illas ex se, quam cætera alia accidentia materialia.

Tum deinde (id quod ex præcedenti sequitur) : nam hoc ipso, quod aliquid convenit rebus diversorum prædicamentorum, non competit illis ob peculiarem aliquam rationem alicujus ex illis prædicamentis, sed ob rationem analogice communem omnibus illis, ut ex se, et inductione facta constat : ergo cum hoc, quod est, habere proprias partes ejusdem rationis, tam substantiæ materiali, quam quantitati, et reliquis accidentibus materialibus juxta adversarios,

conveniat, consequens erit, ut non conveniat uni ratione alterius, sed secundum rationem aliquam generalem, et ita quidquid habet prædictam entitatem materialem, gaudet etiam ex se partibus entitativis.

Tum denique : quia sicut implicaret, materiam, ut præhabentem quantitatem, esse primam radicem individuationis substantiæ materialis ; si ipsa ex se secundum suam speciem, aut quasi speciem, et secundum id, quod formaliter loquendo exprimit, haberet unde esset prima radix prædictæ individuationis, ut constat ex iis, quæ disp. præced. dub. 2 et 5 diximus ; ita quia substantia materialis secundum suam essentiam ; et secundum id, quod exprimit, sortitur unde habeat partes entitativas ejusdem rationis, scilicet rationem entis materialis, ut distincti contra ens spirituale, fit inde, ut etiam implicet habere prædictas partes ex quantitate ipsa, virtualiter, seu radicaliter præhabita, sed præcise ex eo, quod ex se exprimit prædictam rationem entis materialis ; et ideo quidquid est materiale, debet, in contraria sententia, propriis partibus entitativis gaudere.

Additamentum primum.

46 Accedit, quod hoc ipso, quod habere partes proprias, sive partes ejusdem rationis, seu entitativas, conveniat substantiæ, et quantitati, ratione entis materialis, ut sic, non potest non convenire eis ratione materiæ, quæ est prima radix materialitatis. Quare cum *esse* materiale materiæ per prius reperiatur in genere substantiæ, secundum suum (ut sic dicamus) formale, seu expressum, quam secundum, quod præhabet *esse* materiale, ut tale aliorum generum, inde est, ut per prius reperiantur partes in genere substantiæ, si semel in hoc genere habeat illas, ut sibi proprias, quam in genere quantitatis.

Aliud additamentum.

Accedit tandem, quod facta collatione inter partes entitativas substantiæ, et quantitatis, secundum, quod præcise dicunt partes ejusdem rationis, et inter se aliquo modo, scilicet numerice distinctas, non considerato, quod sint, vel non sint impenetrabiles in ordine ad locum, tunc partes substantiæ sunt ex se nobiliores, et potiores, quam partes quantitatis : ergo non est cur istæ conveniant substantiæ ex quantitate, ut virtualiter præhabita, sed ex vi suæ essentiæ, et ejus, quod exprimit, secundum quod alias præhabet virtualiter prædictas partes.

§ VII.

Satisfit argumentis pro prima sententia adductis.

Ad primum initio ad ductum.

47 Ad primum transeat antecedens, et negetur consequentia. Et ad probationem distinguendum est antecedens. Et si sensus illius sit, quod unumquodque ita est unum proxime, et immediate, sicut est ens, concedendum est : et propterea, quod habuerit magis de entitate, seu fuerit nobilius in ratione entis, erit etiam proxime, et immediate magis numerice unum, id est, habebit unitatem numericam aliquo modo nobiliorem. Si vero sensus fuerit, quod id, quod habuerit magis de entitate, potiori ratione habebit esse magis unum radicaliter, ita, ut non supponat aliquid aliud, ut primam radicem suæ unitatis numericæ, negandum est : quia hic modus essendi magis unum numero, non sequitur ad entitatem eo ipso, quod est nobilior. Et ideo licet forma substantialis sit nobilior, quam materia ; nihilominus non est hoc modo magis una, quam illa, ut ex dictis disput. præcedenti dub. 1 et 2 constat : sed consequitur ad peculiarem modum entitatis, scilicet ad entitatem, quæ sit ex se primum subjectum, vel sit forma non receptibilis in subjecto, vel tandem sit aliquid habens ex se, et ex vi propriæ lineæ partes entitativas ejusdem rationis, et speciei, quæ proinde ab intrinseco habeant, ut solo numero inter se differant.

Ad secundum quo ad primam probationem.

48 Ad secundum concesso antecedenti, neganda est consequentia. Et ad primam probationem patet ex nuper dictis, quomodo esse ex se tanquam ex prima radice quodammodo individuum, non consequatur ad ens, quia nobilius, sed ad peculiarem modum, seu rationem habendi entitatem aliquo ex modis nuper recensitis.

Ad secundam probationem.

Ad secundam vero probationem distinguenda est major : *Quia est forma receptibilis in materia*, utcumque, neganda est : *Quia est forma receptibilis in materia*, ita, ut ex se, et ex propria linea non habeat simul aliquod principium materiale sibi intrinsecum, et eam intrinsece componens, quodque se habeat per modum materiæ respectu illius. concedenda est. Et eodem proportionali tamen modo distinguenda est minor. Quoniam licet quantitas sit ex se forma receptibilis in subjecto, habet tamen prædictum

tum principium materiale, scilicet partes entitativas, et ejus lem rationis : et licet forma receptibilis quantum est ex hoc capite sit communis, si tamen habeat ex se partes entitativas, quæ comparantur per modum materiæ respectu illius, et insuper connotando et hoc subjectum, potius, quam illud, habet ex se in recto, et secundum rationem jam dictam individuari, ut explicatum est.

Thom. Unde maxima illa, quæ ex Divo Thoma opusc. supra citato desumitur, scilicet, quod forma receptibilis in subjecto non est ex se, ut ex prima radice individua, intelligitur de individuatione, quæ ab eadem, ut a prima radice adæquate, et solummodo proveniat. Quod quidem non convenit quantitati : quia solum quodammodo, et in sensu explicato, est ex se, ut ex prima radice singularis. Vel potest intelligi de individuatione, quæ etiam quodammodo proveniat a forma prædicta, ut a prima radice, non connotando hoc potius subjectum determinatum, quam illud : secus vero si talis forma habuerit in se sufficiens principium materiale, et connotaverit prædictum subjectum.

Ad tium. 49 Ad tertium concedenda est major, quoad secundam partem, et in sensu explicato, et neganda minor, quoad eamdem partem. Et ad probationem distinguendum est antecedens. Et si sensus illius sit, quod adæquata ratio quantitatis, secundum, quod est talis talitate specifica, vel numerica, sit esse ex se extensionem, vel hanc extensionem substantiæ, vel hujus substantiæ, quatenus per hoc præcise significatur per se, et in recto habitudo prædicta ad substantiam, vel ad hanc substantiam, negandum est : secus vero si sensus illius fuerit, quod habitudo jam dicta, et modo explicato, tantum est inadæquata ratio ejusdem quantitatis, ut talis talitate specifica, vel numerica. Et deinde neganda est consequentia, si intelligatur de utraque ratione secundum id, quod adæquate dicit, et non solum secundum rationem inadæquatam nuper dictam. Et ad probationem distingui debet eodem proportionali modo antecedens. Nam propterea alia accidentia non sunt ex se individua sicut quantitas, quia eorum adæquata ratio, ut sunt *hæc*, sita est per se, et in recto in habitudine ad suum subjectum : quod tamen non convenit quantitati, ut num. 25 diximus.

cida- o. Explicantur ista. Etenim in hoc distinguitur quantitas, ut est *hæc*, et alia accidentia, ut etiam sunt *hæc*, quod tota ratio istorum, ut sunt *hæc*, non dicit habitudinem ad aliquid aliud, ex quo intrinsece, et realiter componantur, ut ad principium materiale, sed tantum ad subjectum : et propterea non habent esse ex se, ut ex prima radice aliquo modo individua, sed ex subjecto. At tota ratio quantitatis ut est *hæc*, non est respicere solum ad subjectum, ut ad principium materiale, ita, ut non respiciat aliquid aliud, ex quo componatur, ut materiale sui principium. Nam cum ex se, et intrinsece constet ex partibus ejusdem rationis, ac proinde numero diversis, et habentibus distinctam positionem in toto, quæ comparantur per modum materiæ respectu illius, inde est, ut ultra rationem illam inadæquatam respiciendi subjectum, habeat etiam hanc eidem inadæquatam, per quam prædictas partes per modum principii materialis respiciat. Et licet habitudo hæc, ut supra tetigimus, non possit omnino præscindi ab habitudine ad subjectum, non tamen, ut inadæquate concipitur sub hac expressa, et inadæquata ratione, curatur per se primo expresse, et in recto de ordine isto, sed de eo, quem prædicta quantitas ad suas partes, ut ad principium sui materiale importat. Et propterea quantitas potest esse quodammodo ex se individua, et quodammodo ex subjecto : ex se quidem quodammodo, quatenus respicit suas partes, ei ex se convenientes, ut materiam sui, has nimirum, et non illas, connotando tamen subjectum omnino determinatum : ex subjecto vero quodammodo, ut ex prima radice, quatenus secundum alium conceptum inadæquatum, habet adhuc secundum suam ultimam rationem exprimere per se, et in recto habitudinem extendendi hanc substantiam, et non illam, et per consequens dicit expresse, et in recto habitudinem ad hoc subjectum.

Unde cætera accidentia semel tantum petunt subjectum ad sui individuationem, scilicet ad hoc, ut influat in eam per modum primæ radicis, at vero quantitas exigit illud semel per modum primæ radicis; et iterum per modum connotati. Nam cum ipsa quodammodo individuetur a subjecto, et quodammodo a se ipsa, ut a prima radice, oportet, ut subjectum semel concurrat per modum primæ radicis, et semel per modum connotati : et ita nisi ponatur prædictum connotatum, non poterit quantitas exercere, quod sit sibi ipsi quodammodo radix suæ individuationis, quoad illam rationem inadæquatam, secundum quam est

se ipsa individua.

50 Diximus, quod, ut inadæquate concipitur sub illa expressa, et inadæquata ratione, sub qua ex se individuatur, non curatur expresse per se primo, et in recto de ordine ad subjectum, quia licet quantitas posset expresse, et inadæquate concipi, ut res quædam est, constans partibus suis, ut ex materia, ex qua componitur, non concipiendo expresse habitudinem ad subjectum, ut ad materiam, in qua recipitur, vel ex qua educitur, ut intuenti constabit, attamen non potest omnino præscindi a tali habitudine, sed eam, et subjectum debet adhuc tunc implicite, et in obliquo involvere. Sicut licet Paternitas, ut constituit primam personam divinam, secundum analogiam ad constitutionem personæ creatæ, non exprimat alium conceptum *ad*, id est, respiciendi expresse Filium, attamen implicite semper dicit ordinem ad illum, ita, ut secundum nullam sui inadæquatam rationem possit ab illo omnino præscindi.

Major explicatio cujusdam testimonii D. Thom.

Ex quo etiam magis intelligitur, quare Divus Thomas in ultimo testimonio pro assertione adducto constituerit discrimen inter duas quantitates, et duas albedines, quod illæ possunt separatæ a subjectis imaginari unius speciei, et distincte numero, secus vero duæ albedines. Non enim sensus ejus est, non posse tam albedines, quam quantitates separari re ipsa a subjecto per divinam potentiam, ut ex dictis disput. præc. num. 87 constat : sed, quod conceptis duabus quantitatibus, non concepto expresse subjecto, nec ordine ad illud, atque adeo quodammodo separatis ab illo, tam actu, quam aptitudine, possunt ratione suæ aliqualis eminentiæ, quam, quod hoc habent, concipi expresse, ut distinctæ præcise secundum numerum, quia sunt conceptibiles cum fundamento, et ratione jam dictis, et modo explicato, suæ individuationis, et distinctionis numericæ, eodem proportionali modo separatis a subjectis : at conceptis duabus albedinibus sine suis subjectis actu, et aptitudine, impossibile est eas imaginari, ut duas ejusdem speciei, distinctas secundum numerum : quia ex sola habitudine ad subjectum habent individuari. Sed de hoc testimonio videatur etiam alia explicatio, quam disp. præced. num. 87 et deinceps tradidimus.

DUBIUM III.

Utrum essentialiter repugnet distinctioni pure numericæ accidentium, ut tali, quod duo ex illis numero solum diversa, sint simul in eodem subjecto?

51 Consulto in titulo posita est illa particula, *essentialiter repugnet*, ut denotetur, in eo non fieri sermonem de sola repugnantia in ordine ad potentiam Dei ordinariam, sed etiam ad absolutam. Addita vero est alia particula, scilicet *distinctioni pure numericæ accidentium, ut tali*, ut significetur universaliter de omnibus *accidentibus* solo numero differentibus, hoc ipso, quod talibus, non vero solum peculiariter de aliquibus ex illis, secundum suam peculiarem rationem consideratis, titulum intelligendum esse.

§. I.

Sententia negans.

52 Partem negantem tuentur Aureolus in 1, dist. 7, quæst. 2, art. 1 ; Scotus relatus a Capreolo, ibidem, art. 2, et a Cajet., 3. part., quæst. 35, art. 5 ; Suarez, 1. tom. suæ Metaphys., disput. 5, sect. 8, et alii, quos ibidem refert. Aureolus. Scotus. Suarez.

Probatur primo. Nam una, et eadem causa efficiens potest simul elicere plures actiones solo numero distinctas, ut cum ignis calefacit simul p ura ligna : et similiter idem finis (modo tamen alibi dicto) finalizat tunc simul prædictas actiones : et tandem eadem forma substantialis potest simul informare, saltim supernaturaliter, duplicem materiam solo numero diversam : ex eo, quod forma substantialis, quantum est de se non respicit magis hanc materiam, quam illam : et propterea de potentia Dei absoluta poterit in utraque simul esse : ergo eadem ratione eadem causa materialis accidentium, scilicet subjectum poterit simul recipere duo accidentia solo numero distincta : et per consequens non repugnabit essentialiter distinctioni pure individuali eorumdem, quod simul in eodem subjecto recipiantur. Hæc ultima consequentia ex priori aperte sequitur. Prior vero ex paritate rationis, quæ inter consequens illius, et inter antecedens versatur. Quoniam non est minoris virtutis causa materialis in suo genere, quam aliæ causæ in suo : ergo si illæ possunt, saltim supernaturaliter, simul causare plures effectus Suadetur primo.

tus solo numero diversos, etiam causa materialis valebit illos simul causare, seu (quod idem, quoad præsens est) recipere.

cun-
lo.

53 Secundo hoc ipsum probatur pluribus instantiis ad ordinem cognoscibilem spectantibus. Nam species visibiles repræsentantes duo alba solo numero diversa, non possunt distingui plusquam numero : siquidem earum objecta, a quibus suam unitatem, et distinctionem desumunt, solum individualiter distinguuntur, et tamen sunt simul in eodem oculo, et propterea simul potest utrumque album per visiones solo numero diversas videri : sicut etiam prædictæ species sunt simul in eadem parte medii, per quod deferuntur ab objecto, usque ad oculum : et ideo applicato oculo ad quamvis partem medii, immutatur per species utriusque albi, quod tamen contingere non posset, nisi in quavis parte ejusdem medii esset utraque species.

Item in phantasia reservantur innumeræ species plurium, et diversorum individuorum solo numero differentium, et simul solent plura ex illis ab eadem phantasia percipi, cum tamen prædictæ species, et istæ actiones phantasiæ solo numero debeant propter rationem nuper tactam distingui, et deinde semel ab intellectu cognito unico singulari per speciem abstractam a phantasmatibus, producitur in illo alia species intelligibilis repræsentans idem singulare,
nplut. ut disput. 18, numero 99, nostri Complut. dicunt in lib. de Anima : ac proinde cum postea cognoscitur per priorem illam speciem abstractam a phantasmatibus aliud singulare, tunc producitur etiam nova species in eodem intellectu repræsentans hoc idem singulare, quæque simul sit in intellectu una cum præexistenti specie repræsentativa prioris singularis, et solo numero ab ea diversa. Et tandem idem intellectus solet plura numero solum distincta, et per consequens per intellectiones solo numero diversas, intelligere, ut cum simul cognoscit Petrum, et Joannem.

nfir-
atur. 54 Confirmatur. Quoniam licet accidentia, quæ habent idem munus, ut duæ albedines, non possent simul esse in eodem subjecto de potentia Dei ordinaria, ex eo, quod unico ex illis præstante illud munus, superflueret aliud ad illud præstandum, et natura abhorret superfluitatem : attamen quoties accidentia solo numero diversa differunt in munere, et officio, et illud, quod ab uno eorum præstatur, nequit ab alio causari, poterunt simul in eodem subjecto esse, siquidem nullum eorum superfluit ; at omnia accidentia relata in argumento præcedenti, licet solo numero differant, habent tamen simul differre in munere, et officio ; et ideo species unius albi, solum repræsentat illud, et non aliud : et similiter visio illius, ut talis, solum est perceptio ipsius, et non alterius, et sic de aliis : ergo bene poterunt simul, et naturaliter in eodem subjecto esse : sicut etiam supernaturaliter poterunt quævis alia accidentia simul reperiri in eodem subjecto, licet munere, et officio non differant : quia possent propter alias rationes a Deo ibidem poni, et ipsa inter se non habent contrarietatem, et oppositionem, ut in duabus albedinibus constat.

Tertio. 55 Tertio hoc ipsum probatur aliis instantiis adordinem entitativum, et naturalem pertinentibus. Nam in eodem medio possunt simul esse plura lumina solo numero diversa, ut cum duplex luminosum hinc, et illinc idem medium illuminant. Cujus signum est, quod si corpus opacum inter unum, et aliud luminosum interponatur, tunc duæ umbræ causantur : quod tamen non contingeret, sed tantum unica umbra appareret, si duplex lumen numero diversum ibidem non produceretur. Et similiter Petro habente unicam relationem paternitatis ad priorem filium, si postea simul cum præexistenti secundum filium habeat, tunc nova relatione paternitatis, ac proinde simul existente cum priori relatione ad illum referretur : quandoquidem hoc ipso, quod uterque filius existat, non potest non simul referri ad utrumque : et eo ipso, quod prædicta relatio sit talis conditionis, ut fundetur super distinctum *genuisse*, scilicet hujus secundi filii, et non alterius, non potest non esse distincta a relatione paternitatis præexistenti, quæ in distincto *genuisse*, scilicet prioris filii, et non alterius fundata est. Maxime, quia alioqui idem posset simul perire, et non perire, ut si mortuo primo filio, manet secundus : nam tunc periret relatio ad illum, et maneret relatio ad istum ; cum tamen in sententia opposita, eadem esset relatio utrumque respiciens.

Quarto. 56 Quarto. Nam subjectum potest simul recipere plura accidentia numero distincta, quæ alias sint etiam specie diversa : ergo etiam poterit simul recipere plura accidentia solo numero differentia. Antecedens ex se patet. Consequentia vero probatur. Quoniam per hoc, quod unitates individuales albedinis, et nigredinis sint simul conjunctæ cum unitatibus, et differentiis specificis

carumdem, vel non sint conjunctæ cum illis, non variantur in esse unitatum individualium : et ideo per eamdemmet differentiam individualem, per quam hæc albedo differt individualiter ab hac nigredine, habet etiam distingui numerice ab alia albedine : ergo sicut subjectum potest simul recipere plura accidentia numero diversa, quæ alias specie distinguantur, ac proinde esse simul radix eorum in esse individuorum, ita etiam poterit recipere illa, et esse radix eorum in esse singularium, etiam si solo numero differant.

§ II.

Sententia Aristotelis, et D. Thomæ præfertur.

Conclusio. 57 Dicendum tamen est, repugnare essentialiter individuationi accidentium, ut tali, quod plura solo numero diversa, quæcunque ea sint, recipiantur simul in eodem subjecto, ac proinde non posse per potentiam Dei absolutam id fieri. Assertio hæc Aristot. colligitur ex Arist., 5 Metaphys., text. 15, ubi adducens diversos modos, quibus aliqua diversa specie dicuntur, adducit 5 loco distinctionem specificam plurium accidentium hoc ipso, quod in eodem subjecto simul sint : et ideo concludit : *Et quæcunque in eadem substantia differentiam habent.* Quod testimonium exponit D.Thom. D. Thom. ibidem, lect. 12, his verbis : *Hic ostendit quot modis dicantur aliqua diversa specie, etc. Et quintus modus est, quando aliqua accidentia sunt in eodem subjecto, et tamen differunt adinvicem, eo quod impossibile est, plura accidentia unius speciei in eodem subjecto esse.*

Idem. Idem docet S. Doct., 3. part., quæst. 35, art. 5, ubi ex eo, quod plura accidentia solo numero diversa non possunt simul esse in eodem subjecto, probat non posse plures paternitates ejusdem rationis esse simul in eodem patre : et ita ait : *Quia plures formæ ejusdem speciei non possunt simul in esse eidem subjecto, non est possibile, quod sint plures paternitates in eo, qui est pater plurium filiorum generatione naturali; secus autem esset,* si esset pater unius generatione naturali, *et alterius per adoptionem.*

Idem. 58 Quod etiam docuit in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 3, ubi arguens contra eos, qui dicebant, quod peracta consecratione panis, dimensiones illius, et reliqua accidentia fundabantur in aere, sicut in subjecto, et per consequens dimensiones aeris, et panis consecrati, et desinentes esse, recipi simul sicut in subjecto in ipso aere, sic ait : *Cum ergo omnes dimensiones sint ejusdem speciei, in quacunque materia sint, quia materia non intrat in diffinitionem earum, si dimensiones panis iterum sint sicut in subjecto in aere, sequitur, quod duo accidentia ejusdem speciei sunt in eodem subjecto, quod est contradictoria esse simul, quia accidentium ejusdem speciei numeratio non est nisi ex subjecto. Unde si subjectum sit unum, sequitur illa accidentia esse plura, et non plura.*

Et ideo Sanctum Doctorem sequuntur ejus discipuli Capreol. in 1, dist. 7, quæst. 2, art. 3; Cajetan., 3 part., quæst. 35, art. 5; Hervæus quodlib. 3, quæst. 9; Palud. in 3, dist. 8, quæst. 2; Flandria, 5 Metaphysic.; Soncin., 7 Metaphysic., quæst. 4; Navarrete, Nazar., Gonzal. et alii plures. Capreolus. Cajet. Hervæus. Paludan. Flandria Soncin.. Navarrete, Navar. Gonzalez.

59 Fundamentalis autem ratio assertionis, nulla est alia præter eam, quæ a D. Thom. locis citatis adducta est, scilicet, quod si duo accidentia solo numero differentia, possent esse simul in eodem subjecto, tunc essent, et non essent duo : essent quidem, ut supponitur; non essent autem, quia nec distinguerentur essentialiter, seu formaliter, alioqui non essent ejusdem speciei; nec numerice, siquidem primum principium, et radix distinctionis pure numericæ est subjectum : et ita eo immultiplicato, ut in eo eventu contingeret, non possent illa accidentia numero multiplicari. Sicut non possent aliqua duo distingui essentialiter, et specifice, quin primum principium, et radix illius distinctionis, scilicet forma essentialiter multiplicetur : ex eo, quod universaliter repugnat, aliqua duo inter se aliquo modo distingui, absque proportionali multiplicatione diversorum principiorum, et radicum causantium talem distinctionem. Fundamentalis ratio ex D.Thom.

§ III.

Duæ solutiones adversariorum et earum præclusio.

Prima solutio. 60 Occurrunt primo adversarii huic rationi, eam non convincere universaliter quoad omnia accidentia, sed ad summum quoad accidentia connaturalia alicui subjecto, non vero quoad alia, quæ essent connaturalia aliis subjectis, et supernaturaliter unirentur, et reciperentur simul in altero : ut si duæ albedines, quarum una esset connaturalis Petro, et alia Paulo, supernaturaliter

pernaturaliter reciperentur simul in Joanne. Nam hæ possent optime distingui numero inter se, etiam si simul essent in prædicto subjecto : ex eo, quod non individuarentur, nec distinguerentur ab eo, sed a propriis subjectis, in quibus connaturaliter esse petunt, ad quæque, ut ad principia individuantia, et distinguentia, semper habitudinem dicerent.

pug-
tur
mo.

61 Sed contra. Nam licet demus, albedinem connaturalem Petro posse recipi supernaturaliter in Joanne, ut multi probabiliter volunt; nihilominus non potest hoc fieri, nisi ex parte Joannis, et unionis ejusdem cum ipsa corresponderet illi propriis, et peculiaris modus unionis, et receptionis; non quidem ex illis, qui connaturaliter possunt esse in Petro, sed ex eis, qui connaturaliter debent esse in Joanne : et per consequens si duplex albedo esset simul ponenda in illo, non posset non recipi ex parte Joannis per uniones, et receptiones connaturales illi, quæque ab eodem individuarentur : ita ut si hæ non possent in eodem subjecto simul multiplicari, nec albedines illæ valerent in eodem simul recipi : at repugnat receptiones illas ex parte Joannis se tenentes, esse simul in eodem subjecto, et numero multiplicari : ergo etiam repugnabit, duas illas albedines in Joanne simul subjectari.

Consequentia videtur certa, maxime quia alioqui illæ albedines in Joanne receptæ, essent duæ, ut supponitur, et non essent duæ : quandoquidem repugnat, albedines receptas esse duas, et receptionem earum esse unicam. Minor autem ex ratione D. Thom. et ex iis, quæ hæc solutio admittit, est satis perspicua : quandoquidem receptiones illæ ex parte Joannis se tenentes essent ex modis, qui a Joanne connaturaliter individuarentur, ac proinde ex iis, qui stante unitate subjecti et simultate in illo, nequeunt numero multiplicari.

Major autem probatur ex peculiari natura modi a cunctis Philosophis communiter recepta. Nam licet forma habens propriam et veram entitatem, prout distinguitur a modo, posset a subjecto divinitus separari, et (ut modo juxta probabilem multorum sententiam admittimus) in alio subjecto recipi; non tamen modus. Tum quia de essentia illius est, actu modificare rem, cujus est modus. Tum etiam : quia (ut communiter recipiunt Philosophi) in hoc distinguitur distinctio proprie entitativa, a distinctione modali, quod in illa potest utrumque extremum (quantum est ex vi distinctionis) separari, et sine altero esse; secus vero in ista : et propterea repugnat sessionem Petri esse nisi in Petro : ergo etiam repugnabit albedines illas recipi in Joanne per modos unionis connaturales Petro, aut Paulo : sed neccessario debent uniri per uniones, seu receptiones, quæ sint connaturales Joanni : ita ut si istæ repugnent multiplicari simul in eodem subjecto, eodem modo implicet recipi prædictas albedines : siquidem nequeunt recipi sine modis unionis, et receptionis in subjecto.

62 Deinde. Nam licet probabile sit, ut in lib. de Generat., disput. ultima, num. 15, nostrum Collegium Complut. tangit. posse albedinem Petri supernaturaliter recipi in Joanne; nihilominus probabilius est oppositum : ergo ratione horum accidentium non manebit infirma ratio, quam ex D. Thom. adduximus. Consequentia est satis perspicua. Impugnatur. secundo Complut.

Antecedens autem probatur ex iis, quæ in lib. Physic., disput. 15, num. 50, nostrum Collegium Complut. docet. Nam sicut non quælibet causa efficiens, verbi gratia, non quilibet ignis potest producere quemlibet alium ignem, sed singulis ignibus designanda est collectio quædam infinita syncategorematice individuorum, quæ ab illis possint produci; et ideo repugnat etiam per divinam potentiam, quod unus ignis per suam nativam virtutem producat alium ignem, nisi sit ex contentis in collectione illa ei correspondente, ut loco citato latius nostri Complut. docent : ita etiam, semel divisis per quantitatem (modo alibi dicto) duobus subjectis, debent eis correspondere distinctæ collectiones infinitæ in potentia syncategorematice diversorum accidentium : ita ut nullum eorum possit recipere aliquod accidens per suam nativam virtutem, seu ratione suæ entitatis, nisi sit ex iis, quæ continentur in serie, sive collectione illa, quæ ei correspondet. Nam quemadmodum causa efficiens ex vi suæ virtutis, sive entitatis, non potest extendi extra suum objectum adæquatum, sic nec materialis ex vi suæ nativæ virtutis, et entitatis extra suum : ex eo, quod in unoquoque genere causæ debet esse omnimoda commensuratio inter causam, et ejus objectum. Complut. Complut.

63 Secundo respondent alii. S Doct. rationem ad summum probare de accidentibus absolutis, non vero respectivis : nam cum illa non respiciant aliquid aliud præter subjectum, oportet, ut hoc ipso, quod sint simul Secunda solutio.

in unico, et eodem subjecto, non habeant unde distinguantur. Cæterum cum ista, quantumvis sint simul in eodem subjecto, respiciant diversum terminum, inde est, ut ratione prædicti termini per se inspecti possint distingui.

Impugnatur. Verum, nec hæc solutio vim rationis Angel. Doct. minuit, sed ex iis, quæ ex eodem in hac disput., num. 6, et in præced., num. 12, adduximus, satis impugnata manet. Quoniam distinctio numerica, quippe materialis, debet desumi ex parte subjecti, et eorum, quæ ex parte ejus se tenent, non vero ex parte formæ; alioqui esset formalis, et specifica : at termini per se inspecti ab accidentibus respectivis, et distinctis a subjectis, in quibus recipiuntur, concurrunt in genere causæ formalis extrinsecæ ad illorum *esse*, et non se tenent ex parte subjecti, sed potius ex parte eorumdem accidentium : ergo nequibit inde distinctio numerica illorum desumi.

§ IV.

Ultima solutio adversariorum et impugnatio illius.

64 Occurrunt alii, quod ex vi rationis S. Doctoris non convincitur intentum, quando duo illa accidentia connaturaliter petunt esse in diverso tempore. Nam cum ad unitatem accidentis non solum requiratur unitas subjecti, sed etiam temporis, inde est, ut ex diverso tempore connaturaliter inspecto, seu (ut melius dicatur) ex eodem subjecto connotante diversum illud tempus, possint prædicta accidentia inter se distingui. Maxime quia, juxta nostram sententiam, idem subjectum sub diverso tempore est idem solum in esse rei, diversum tamen formaliter in esse subjecti : et ita poterit ex eo multiplicitas illorum accidentium, in ipso simul existentium, desumi.

Præcluditur Sed contra. Quoniam repugnat, unum, et idem prorsus subjectum, et per eamdem formaliter potentiam in esse rei, connotare simul diversa illa tempora in hac solutione recensita, ratione, cujus fiat formaliter multiplex in ratione subjecti, cum tempus non nisi ut connotatum a subjecto, concurrat ad individuationem.

65 Ratio autem hujus essentialis repugnantiæ est. Quoniam, quod unum, et idem prorsus subjectum in esse entis, connotet simul diversa illa tempora, et fiat multiplex in ratione subjecti, excedit naturalem ejus virtutem, ita, ut ex vi propriæ entitatis naturalis non possit hoc habere : sed nihil ei potest addi, per quod sit idoneum, ad hoc, ut simul connotet tempora illa distincta, fiatque multiplex in ratione subjecti : ergo nulla ratione poterit, adhuc supernaturaliter, illa connotare, et fieri multiplex.

Major videtur certa. Quia, si idem subjectum in esse rei posset simul ex vi sua connotare diversa illa tempora, et fieri multiplex in ratione subjecti, ita, ut hoc non excederet naturalem ejus virtutem, non esset cur potentia subjecti, ad hoc, ut calefiat, v. g., ut sex, expleretur naturaliter per unicum calorem ut sex, ita, ut non posset simul alium calorem omnino similem naturaliter recipere : siquidem posset ex vi sua connotare illa duo tempora simul, et fieri multiplex in ratione subjecti : ac proinde ratione illius alterius potentiæ, formaliter sumpta, fieri naturaliter capax alterius caloris simul in eodem recepti, ut infra magis explicabimus : maxime cum neuter ex illis caloribus sit ex se incomposibilis cum altero, et multitudo, ac copia calorum non esset superflua, sed aliquo modo posset conducere ad fortius agendum : sicut multitudo materiæ ad id conducit : at hoc evidenti experientiæ, et rationi philosophicæ repugnat, ut constat ex iis, quæ a N. Col leg. Complut. in lib. de Generat., disput. 8, num. 5 et deinceps dicta sunt : ergo, etc. Complut.

Minor autem etiam constat. Quoniam subjectum, solum posset connotare simul duo illa tempora, et fieri multiplex ratione suæ entitatis naturalis : siquidem per id debet ea connotare, et fieri multiplex, per quod est radix individuationis : at ratione suæ entitatis naturalis habet esse radicem illius : ergo quidquid ei additum fuerit præter suam intrinsecam entitatem naturalem, non reddit illud magis idoneum, ad hoc, ut connotet simul illa duo tempora, fiatque multiplex in ratione subjecti, quam si ei non adderetur.

66 Confirmatur, et explicatur. Nam inter alias rationes, propter quas eadem materia prima in esse entis, non potest simul fieri multiplex in ratione subjecti, respectu plurium formarum substantialium in ea simul recipiendarum, una est : quia materia prima, ut *hæc*, et singularis non potest naturaliter esse una, et eadem in esse entis, et fieri multiplex formaliter in ratione subjecti, ac proinde, nec supernaturaliter : et ita nequit simul illas recipere, ut in lib. Physic., disp. 4, num. 66, nostri Complut. docent : ex eo, quod materia, tantum recipit formam per exhibitionem Confirmatio. Iidem.

exhibitionem propriæ entitatis naturalis : et ita si naturaliter non potest, quantum est ex vi suæ entitatis, illas simul recipere, et in ordine ad hoc fieri mult plex, nec supernaturaliter id poterit : ergo cum hæc eadem ratio urgeat in præsenti, debet idem cum proportione affirmari.

67 Nec refert si objicias, quod subjectum aliquod potest supernaturaliter recipere aliquod accidens semel corruptum, ut, v. g., visum, atque adeo simul connotare tempus præsens, in quo subjectum existit, et tempus præteritum, in quo accidens illud connaturaliter extitit, ad quodque dicit naturalem habitudinem : ergo non est inconveniens, quod idem subjectum in esse rei, sit simul multiplex formaliter in esse subjecti : ac proinde possit simul recipere plura accidentia solo numero diversa, etiam si ista a suo subjecto individuentur.

Respon letur enim, concedendo antecedens, et negando consequentiam. Et ratio disparitatis est duplex. Prima quidem, qu a in eo eventu unum ex his temporibus connotatur a subjecto in esse rei considerato : aliud vero tantummodo ab eodem in esse subjecti formaliter sumpto, ita, ut non habeat rationem talis, nisi, ut subest prædicto tempori : et propterea tale subjectum manet idem in quocunque tempore existat, dummodo connotet tempus illud alias præteritum, licet non, ut præteritum. At, ut idem subjectum simul recipiat duo accidentia solo numero distincta, et sit radix diversitat.s illorum, requiritur, quod in ratione subjecti connotet simul diversa tempora : siquidem subjectum non multiplicatur formaliter in esse subjecti, nisi connotet prædicta tempora, et tali subjecto non multiplicato formaliter in esse subjecti, nequit stare multiplicitas secundum numerum prædictorum accidentium in illo, ut ex dictis constat.

68 Diximus, quod cum subjectum recipit supernaturaliter accidens semel corruptum, tunc in esse subjecti, tantum connotat formaliter unicum tempus, scilicet tempus alias præteritum, non vero connotat illud, ut præteritum, quia licet subjectum quantum est ex vi suæ entitatis naturalis respiciat illud priori modo, non tamen posteriori, scilicet, ut præteritum. Nam sicut ex vi suæ entitatis naturalis non respicit visum, ut restitutum, sed illum, qui restitutus est, ac proinde, nec respicit ex vi ejus lem entitatis illum, ut antea extinctum, et post ea recuperatum, ita, nec connotat tempus illud, ut præteritum, licet connotet tempus idem, quod præteritum est : hoc autem sufficit ad hoc, ut illudmet accidens semel extinctum possit ab illo recipi. Quoniam tempus illud non concurrit ad individuationem, quia præteritum ; alioqui dum fuit præsens, non potuisset concurrere ad individuationem illius numero accidentis, quod extinctum est, et postea reproducitur : sed influit secundum illam numero entitatem, quæ alias est præterita. Per quod etiam objectio quædam tacita, quæ hic fieri poterat, mater soluta.

Secunda disparitatis ratio.

69 Secunda vero disparitatis ratio, per quam præcedens magis illustratur, est. Quia licet ad receptionem acci lentis semel corrupti, requiratur aliquid supernaturale ex parte principii, ex eo, quod non est sufficiens virtus in causis naturalibus, ad hoc, ut possit per virtutem earum fieri regressus de privatione ad habitum, seu ad hoc, ut valeat id, quod semel est corruptum reproduci, attamen ex parte subjecti, secundum suam entitatem considerati, est sufficiens virtus illa, quam ex se, et naturaliter habet ad illud recipiendum. Quia visus, v. g., supernaturaliter acquisitus, et naturaliter productus, si sumatur secundum se, est ejusdem omnino rationis : et ita ex parte subjecti præcise sumpti, et formæ accidentalis, aut temporis præcise consideratorum, non requirit majorem virtutem, quam sit virtus naturalis ejusdem subjecti : nec quod subjectum præstet duplicem influxum, aut majorem, quam si naturaliter produceretur.

Et propterea sicut prædictum subjectum, quantum est ex vi suæ entitatis naturalis, habet (modo insinuato) virtutem ad recipiendum omnes, et quoscunque visus sibi correspondentes, non quidem ita, ut omnes, aut aliquos eorum simul, sed solum successive recipiat, ita eodem proportionali modo, ex vi ejusdem entitatis naturalis habet, connotare omnia illa tempora, in quibus connaturaliter recipiendi sunt : ac proinde licet simul respiciat illa, ut propria connotata, non tamen, ut simul, sed ut successive tantum connotabilia. Sicut licet ad hoc ut duo contraria in summum, sint simul in eodem subjecto, requiratur aliquid supernaturale ex parte principii, hoc non provenit, ex eo, quod subjectum quantum est ex vi sua, non habeat sufficientem virtutem naturalem ad recipiendum utrumque, aut quia petatur ab illo duplicatus influxus, aut major, ac est ille, qui est necessarius ad recipiendum naturaliter duo accidentia spe-

cie distincta, et inter se composibilia : sed id tantummodo repugnat propter incomposibilitatem inter utrumque, ex ex parte eorumdem se tenentem : et ideo virtute supernaturali superante, et devincente prædictam incomposibilitatem, fieri potest, ut unum, et idem subjectum simul subsit duobus illis accidentibus inter se contrariis, et habentibus summam intensionem.

70 Cæterum subjectum, quantum est ex natura sua, et quantum est ex virtute nativa ejusdem subjecti, nequit duplex accidens solo numero diversum recipere, et fieri naturaliter multiplex, ac tandem, nec ex vi propriæ entitatis naturalis valet duplicatum illum influxum præstare, ut dictum est : et ita etiam si ex parte principii ponatur aliquid supernaturale, seu etiam per divinam potentiam, nequibit id fieri.

Alia objectio diluitur.

Diximus autem (ut sic tacitam aliam objectionem diluamus) quod subjectum cum limitatione prædicta, scilicet quantum est ex parte subjecti, et formæ accidentalis, aut temporis præcise consideratorum, habet sufficientem virtutem naturalem ad recipiendum accidens semel corruptum, et prædictum tempus connotandum, quia inspectis omnibus, et in sensu composito præteritionis talis accidentis, vel temporis, non habet absolute, et simpliciter potentiam connaturalem ad recipiendum illud, et connotandum præteritum tempus : quia hæc virtus naturalis, modo insinuato accepta, respicit causam efficientem, ut operantem secundum communem cursum ; non vero, ut operantem ex parte principii, et modi operandi supernaturali modo, ut a

Complut.

nostro Colleg. Complut. in lib. Physic., disp. 3, num. 93, dictum est. Cæterum adhuc supernaturaliter, et per modum operandi supernaturalem non posset causa efficiens introducere prædictum accidens naturale in subjecto, nisi eis, modo dicto, et limitatione insinuata collatis, haberet subjectum ex vi suæ entitatis naturalis sufficientem virtutem ad illud recipiendum.

Replica.

71 Nec refert si hinc urgeas, quod si subjectum potest supernaturaliter recipere accidens præteritum, licet non habeat potentiam, et capacitatem inspectis omnibus, et absolute, ac simpliciter naturalem ad illud sic recipiendum, eadem ratione poterit simul recipere per divinam potentiam duo accidentia solo numero distincta, licet non habeat potentiam naturalem ad illa sic recipienda.

Dirimitur.

Respondetur enim ex dictis, quod, ut subjectum recipiat per divinam potentiam accidens, ut præteritum, non requiritur aliquid amplius ex parte subjecti, quam ad recipiendum illud absolute : sed solum aliquid ex parte principii effectivi, et modi producendi illius se tenens. At, ut semel recipiat duo accidentia solo numero diversa, non sufficit entitas propria subjecti. Quia alioqui naturaliter posset habere albedinem, v. g., quæ secundum communem cursum hodie habenda est, et ea retenta recipere cras aliam albedinem, quæ tunc secundum eumdem cursum producenda erat, ac proinde naturaliter loquendo connotare simul crastino die tempus illud præsens, ut tale, et simul tempus præteritum, in quo prior albedo incepit esse : et consequenter connaturaliter loquendo, et secundum eamdem numero potentiam receptivam esset etiam multiplex in ratione subjecti. Siquidem, ut num. 65 tetigimus, nihil esset propter quod ex parte causæ efficientis requireretur aliquid supernaturale, ut in restitutione, et reproductione ejusdem accidentis requiritur, sed omnia requisita ad talem reproductionem essent naturaliter possibilia, ut intuenti constabit.

§ V.

Respondetur argumentis primæ sententiæ.

Ad primum.

72 Ad primum, concesso antecedenti, quoad causam efficientem, et finalem, negandum est quoad formalem, ut constat ex iis, quæ in lib. Phys., disp. 4, num. 61, N. Complutens. dicunt ; eo quod etiam causa

Complut.

formalis causat ratione suæ intrinsecæ entitatis naturalis sive nativæ, sicut causa materialis : et propterea hic etiam ratio illa, quam contra materiam primam num. 66 tetigimus, urget. Nec oppositum convincit ejus probatio, ut ex dictis constat. Et deinde neganda erit consequentia.

Ratio autem disparitatis desumitur ex dictis. Quia diversitas illa numerica effectuum non sumitur ab aliis causis, scilicet ab efficienti, et finali, ut a prima radice, et principio quodammodo intrinseco, imo nec desumitur, ut a primo fonte, a causa formali : bene tamen, ex subjecto. Et ita non requirit multiplicem causam efficientem, v. g., formaliter sumptam : bene tamen multiplex subjectum formaliter acceptum, ad hoc, ut inde in prædictos effectus numerica simul distinctio refundatur. Quare cum subjectum eis correspondens nequeat simul esse formaliter

maliter multiplex, ut ostensum est, fit inde, ut ex eo non possit in prædicta accidentia distinctio illa numerica simul derivari. Nec amplius probat probatio consequentiæ ibidem adducta : quia unaquæque causa debet esse potens in proprio genere, juxta naturam proprii generis. At natura proprii generis materialis petit hanc multiplicitatem, ad hoc, ut causet distinctos numero effectus : non vero natura proprii generis causæ, v. g. efficientis, ut talis ; quia numerica distinctio eorum non sumitur per ordinem ad illam.

Ad cun- m. etan.

73 Ad secundum respondetur cum Cajet., 3 part., quæst. citata, omnia illa accidentia specie distingui. Quia specificatio et natura speciei visibilis repræsentantis hoc numero album, sita est in repræsentatione *hujus*, quatenus est etiam *hoc*, ita, ut essentialiter commensurata ad repræsentandum illud, et non aliud numero diversum. Et ideo prædictum album, quatenus est *hoc* ingreditur in objecto formali ejusdem speciei : et per consequens prædictæ species, quippe distinctæ ex objectis formalibus, distinguuntur non solum numero, sed etiam specie : et prædicta singularia licet in esse rei solo numero distincta sint, attamen in esse objecti sensibilis petentis, et desiderantis sibi hanc speciem visibilem habentem prædictam essentiam commensuratam cum ipso, et non cum alio, distinguentur essentialiter. Quod idem cum proportione de cæteris aliis instantiis ibidem enumeratis (si verum est, omnia illa accidentia posse simul esse in eodem subjecto) dicendum est.

li- hoc.

74 Explicatur magis hoc. Etenim objecta visus, v. g., possunt sumi dupliciter. Primo in esse rei : et sic hoc, et illud album sunt ejusdem speciei. Secundo in esse objecti sensibilis : et sic sunt diversarum rationum, distinguuntur atque specie. Tum propter rationem modo dictam : quia essentia illius speciei consistit etiam in repræsentatione differentiæ individualis objecti : ex eo, quod, ut a nostro Colleg. Complut. in lib. de Anima, disp. 9, num. 24, et disp. 18, num. 104, dictum est, in hoc differt sensus ab intellectu, quod ille habet pro objecto quid singulare, hoc vero quid universale. Tum etiam, quia sicut in esse naturæ illa tantum dicuntur unius speciei, quorum quidquid habet essentialiter unum, habet essentialiter aliud, ita in repræsentando illa tantum dicentur esse ejusdem speciei, seu essentiæ, quorum quidquid, secundum suam rationem atomam, et eamdem formalitatem, repræsentat unum, illud idem representat modo dicto alterum : et hujusmodi sunt duæ species visibiles, quæ ab eodem albo immittuntur ad duplicem oculum : ac proinde istæ erunt ejusdem speciei, quia non differunt in repræsentando. At vero duæ species, quæ a duobus individuis immittuntur, differunt necessario in repræsentando : ex eo, quod una earum, secundum suam rationem atomam, et eamdem prorsus formalitatem, repræsentat hoc numero album, pertingendo usque ad *esse* numericum illius ; alia vero eodem modo repræsentat aliud : et propterea non quidquid una secundum eamdem atomam formalitatem repræsentat potest alia repræsentare.

ut.

Ad alias instantias.

Per quod etiam ad cæteras instantias ibidem contentas constat. Nam licet visiones duorum alborum non sint formaliter repræsentativæ illorum, ut constabit ex iis, quæ in tractatu sequenti, disp. 2, num. 215 et deinceps dicemus ; attamen specifi antur ab speciebus intentionalibus, mediis quibus eliciuntur : et ita his essentialiter multiplicatis, non possunt non visiones ipsæ essentialiter multiplicari. Quod idem cum proportione de pluribus intellectionibus versantibus circa plura individua, solo numero diversa, dicendum est. Nam istæ, vel fiunt mediis speciebus essentialiter, et realiter distinctis, vel media unica realiter specie, ut inspectis omnibus, quæ connotat, est eminenter plures (ut constat ex iis, quæ a N. Complut. in lib. de Anima, disp. 18, quæst. 6, et disp. 21, quæst. 6, dicunt er) ac proinde secundum diversam formaliter rationem habet illas specificare, de quo etiam videatur Capreolus loco citato.

Complut

Ad confirmationem.

75 Ad confirmationem negandum est antecedens quoad secundam partem de illis accidentibus ibidem recensitis, et distinctis in munere, et officio. Quia illa eadem distinctio in munere, et officio, est materialis, et numerica : et ideo non potest aliunde, quam a subjecto provenire, quæ tamen nequit ab illo ortum ducere, si illa accidentia simul in eo reciperentur, ut ostensum est.

Accedit, nullum esse accidens, quantumvis simile alteri, quod non distinguatur ab eo in munere, et officio. Nam una albedo, v. g., quæ videbatur non sic distingui ab alia albedine, re vera distinguitur ab illa : siquidem munus, et officium ejus non est utcunque reddere subjectum album, sed per hoc determinatum *esse* album, ut *quo*, et non per aliud. Unde sicut hæc diversitas

muneris, et officii non trahit secum, quod duæ albedines possint simul recipi, ex eo, quod tota hæc diversitas non excedit vires diversitatis materialis, et numericæ : ita quævis alia diversitas in munere, et officio, dummodo non afferat secum nisi tantum diversitatem, contentam intra latitudinem diversitatis materialis, et numericæ, non erit sufficiens ad hoc, ut prædicta accidentia possunt simul in eodem subjecto recipi.

Ad tertium. omplut.

76 Ad tertium, quoad primam ejus instantiam constat ex iis, quæ a nostro Colleg. Complut. in lib. Physic., disp. 15, num. 42 et 43 dicta sunt. Et quoad secundam patet ex illis, quæ ab eisdem in Log., disp. 14, num. 92 et 93, asserta fuere. Quoniam terminus formalis hujus paternitatis non est hic filius, quia *hic*, sed quia filius hujus patris : et ratio fundandi non est hoc, *genuisse*, quia est hujus filii, v. g., primogeniti, sed quia est, *genuisse*, hujus patris, sive per illud, *genuisse*, producatur hic numero filius, sive alius. Et ideo eadem met paternitas potest extendi ad quemcumque filium, dummodo sit ab hoc patre genitus ; et pereunte unico filio ex duobus jam genitis, non perit relatio quoad illum, qui remanet : quia permanet ibidem suus terminus formalis. Et ita non sequitur, quod idem possit simul perire, et non perire ; sed, quod, connotando generationem, et existentiam prioris filii, terminetur ad illum : et connotando generationem, et existentiam secundi, et corruptionem præexistentis, eademmet absque sui mutatione, et per solam mutationem diversorum connotatorum, quæ in adæquate ab eadem connotantur, possit extendi ad secundum filium, et non terminari ad priorem.

Ad ultimu

77 Ad ultimum respondetur esse disparem rationem. Quoniam subjectum per diversam formaliter potentiam in esse rei, individuat accidentia specie distincta, ita ut unica formaliter potentia in esse entis, correspondeat omnibus albedinibus, et alia omnibus nigredinibus, et sic de aliis : et ideo non mirum, quod existente in eodem tempore, diverso formaliter (adhuc in esse rei) subjecto individuante, possint accidentia illa simul in illo recipi, et inter se numerice distingui.

Ratio autem, ob quam prædictæ potentiæ, formaliter, et modo dicto distinctæ, debent dari, est : quia cum subjectum, quatenus est principium individuationis, solum respiciat individuationem ipsam, et distinctionem pure individualem accidentium, inde est, ut per unicam formaliter potentiam (adhuc in esse rei) solum respiciat accidentia ejusdem speciei, et per aliam altera, quæ inter se collata non distinguantur specie. Utrum autem prædictæ potentiæ in esse entis distinctæ, habeant simul distingui ex natura rei secluso intellectu, vel solum virtualiter? alia quæstio est, alibi, Deo dante, discutienda.

TRACTATUS SECUNDUS

IN QUÆST. XII PRIMÆ PARTIS D. THOMÆ

De Visione Dei.

Quia ex dictis in proœmio hujus operis constat, cur post tractatum præcedentem, hunc statim adjicimus, idcirco, quoad hoc in præsenti non immorabimur.

Animadversio notatu digna.

nnota- ones. Antequam tamen illius explicationem aggrediamur, admonere placuit Lectorem, quomodo tractatum hunc de visione Dei perdoctus pariter, ac gravissimus quidam Magister ex Religiosa quadam familia, a nobis mutuo accepit. Nos enim ad hoc coegerunt, tum ejus iterata petitio, tum, et maxime beneficiorum ejus erga nos, et devotionis vincula, quibus propter gratitudinis nexum tenebamur. Qui quidem tractatus, adeo apud ipsum honore habitus fuit, ut eodem fere sermonis tenore, et doctrinæ stylo discipulis suis (licet non pluribus) dictare, et legere non sit dedignatus. Non quia ipse ditiori scientiæ, et sapientiæ supellectili non abundaret, vel, ut sic forte doctrinæ nostræ aliquem præstaret splendorem. Hoc autem libuit in medium proferre, ut lector inoffenso pede cursum nostrum Theologicum percurreret, ne forsan si noster iste tractatus a prædicto sapientissimo Magistro suis discipulis dictatus, ad ejusdem lectoris manus aliquando pervenerit, de illius vero, et primordiali authore dubius remaneat; sed potius sciat, quidquid in hoc cæterisque hujus tomi tractatibus tradimus, ex D. Thom. scientiæ, et sapientiæ torrente, proprio studio, et labore nos hausisse. Quod, ut lectori facilius reddatur creditu, Deum testem adhibemus, nos in his, quæ in præsenti affirmavimus, veritatem omnino fuisse testatos.

IN QUÆST. XII ANGELICI DOCTORIS

Quomodo Deus a nobis cognoscatur.

Quia in superioribus consideravimus, qualiter Deus sit secundum se ipsum, restat considerandum, qualiter sit in cognitione nostra, id est, quomodo cognoscatur a creaturis.

Postquam D. Thom. in præcedentibus quæstionibus explicuit qualiter Deus sit secundum se ipsum, incipit agere de modo, quo est in cognitione nostra, seu quomodo cognoscatur a creaturis. Dividit autem hanc quæstionem in 13 articulos, ut ita uberius, et clarius totam hanc rem explicet.

Merito autem Angelicus Doctor quæstionem hanc sub titulo modi, quo Deus cognoscitur a nobis, proponit: quia licet cognoscibilitas Dei in summa ejus actualitate quasi fundetur; ni-

hilominus ex modo cognitionis, quo cognoscitur, colligitur optime a posteriori qualis sit ejus cognoscibilitas ; ac proinde cognoscibilitatem illius, prout est in se ipso, esse superexcedentem, imo, et infinitam, ex eo, quod a nullo intellectu creato, hoc ipso, quod sit finitus, potest propriis viribus attingi, et multo minus adæquari, nec prout est in se ipso per speciem creatam repræsentari.

Egit autem D. Thom. in hac prima parte de cognoscibilitate Dei, non vero de illius amabilitate : tum quia ea, quæ hic dicuntur de modo cognoscendi Deum, possunt proportionaliter applicari ad modum amandi : tum etiam, quia in 2a 2æ, a quæst. 23 usque 44, agit de amore, quo voluntas creata tendit in bonitatem divinam. Remisit autem tractatum hunc in prædictum locum, quia intentio illius partis est agere de motu creaturæ rationalis in Deum, et proprium est amoris, quod per eum moveatur voluntas in rem amatam, sicut et cognitionis, quod per eam trahatur res cognita ad cognoscentem, ut docet idem S. Doct., quæst. 82, art. 3, hujus primæ partis.

ARTICULUS I.

Utrum aliquis intellectus creatus possit Deum videre per essentiam ?

1 Ad primum sic proceditur. Videtur, quod nullus intellectus creatus possit Deum per essentiam videre. Chrysostomus enim super Joannem exponens illud, quod dicitur Joan. primo, *Deum nemo vidit unquam,* sic dicit : Ipsum, quod est Deus, non solum Prophetæ, sed nec Angeli viderunt, nec Archangeli. Quod enim creabilis est naturæ, qualiter videre poterit, quod increabile est ? Dyonis. etiam 1. cap. de div. nomin. loquens de Deo dicit : Neque sensus est ejus, nec phanthasia, nec opinio, nec ratio, nec scientia.

2 Præterea, omne infinitum in quantum hujusmodi, est ignotum : sed Deus est infinitus, ut supra ostensum est : ergo est secundum se ignotus.

3 Præterea, intellectus creatus non est cognoscitivus nisi existentium, primum enim, quod cadit in apprehensione intellectus est ens : sed Deus non est existens, sed supra existentia, ut dicit Dyonis. : ergo non est intelligibilis, sed est supra omnem intellectum.

4 Præterea, cognoscentis ad cognitum oportet esse aliquam proportionem, cum cognitum sit perfectio cognoscentis : sed nulla est proportio intellectus creati ad Deum, quia in infinitum distant : ergo intellectus creatus non potest videre essentiam Dei.

Sed contra est, quod dicitur I, Joan. 3 videbimus Deum, sicuti est.

Respondeo dicendum, quod cum unumquodque sit cognoscibile secundum, quod est in actu, Deus, qui est actus purus, absque omni permixtione potentiæ, quantum in se est, maxime cognoscibilis est. Sed, quod est maxime cognoscibile in se, alicui intellectui cognoscibile non est propter excessum intelligibilis supra intellectum. Sicut Sol, qui est maxime visibilis, videri non potest a vespertilione propter excessum luminis. Hoc igitur attendentes quidam posuerunt, quod nullus intellectus creatus essentiam Dei videre potest. Sed hoc inconvenienter dicitur. Cum enim ultima hominis beatitudo in altissima ejus operatione consistat, quæ est operatio intellectus, si numquam essentiam Dei videre potest intellectus creatus, vel numquam beatitudinem obtinebit, vel in alio ejus beatitudo consistet, quam in Deo, quod est alienum a fide. In ipso enim est ultima perfectio rationalis creaturæ, quod est ei principium essendi. In tantum enim unumquodque perfectum est, in quantum ad suum principium attingit. Similiter etiam est præter rationem. Inest enim homini naturale desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectum : et ex hoc admiratio in hominibus consurgit. Si igitur intellectus rationalis creaturæ pertingere non possit ad primam causam rerum, remanebit inane desiderium naturæ : unde simpliciter concedendum est, quod beati Dei essentiam videant.

Ad primum ergo dicendum, quod utraque authoritas loquitur de visione comprehensionis. Unde præmittit Dionysius immediate ante verba proposita, dicens : omnibus ipse est universaliter incomprehensibilis, et nec sensus est, etc., et Chrysost. parum post verba prædicta subdit : visionem hic dicit certissimam Patris considerationem, et comprehensionem tantam, quantam Pater habet de Filio.

Ad secundum dicendum, quod infinitum, quod se tenet ex parte materiæ non perfectæ per formam, ignotum est secundum se, quia omnis cognitio est per formam : sed infinitum, quod se tenet ex parte formæ non limitatæ per materiam, est secundum se maxime notum. Sic autem Deus est infinitus, et non primo modo, ut ex superioribus patet.

Ad tertium dicendum, quod Deus non sic dicitur non existens, quasi nullo modo sit existens ; sed, quia est supra omne existens, in quantum est suum esse. Unde ex hoc non sequitur, quod nullo modo possit cognosci, sed, quod omnem cognitionem excedat, quod est ipsum non comprehendi.

Ad quartum dicendum, quod proportio dicitur dupliciter. Uno modo certa habitudo unius quantitatis ad alteram, secundum quod duplum, triplum, et æquale, sunt species proportionis. Alio modo quælibet habitudo unius, ad alterum proportio dicitur. Et sic potest esse proportio creaturæ ad Deum, in quantum se habet ad ipsum, ut effectus ad causam, et ut potentia ad actum ; et secundum hoc intellectus creatus proportionatus esse potest ad cognoscendum Deum.

Conclusio. Possibile est intellectum creatum videre Deum per essentiam.

Notationes circa hunc articulum.

1 Pro intelligentia tituli, et aliorum, quæ infra dicenda sunt, prænotare oportet tres illos terminos in titulo articuli a D. Thom. positos. Primus est, *intellectus creatus,* ut per hoc innuat titulum de intellectu creato in communi, sive humano, sive Angelico intelligendum esse. Secundus est *ly possit,* absolute sumptum, non determinando, an per vires naturæ, an vero ex gratia talis intellectus possit Deum videre : nam de hoc infra in hac eadem quæstione agendum est. Tertius est, *videre Deum per essentiam,* quo significatur specialis modus videndi Deum, scilicet per essentiam, id est, videndo ipsum immediate, seu per propriam speciem repræsentantem totam ejus quidditatem, non vero videndo illum, mediate in alio objecto creato prius viso, aut per speciem alicujus alterius rei, seu, ut optime explicat Cajetanus in præsenti, intelligendo ipsum quidditative, ita, ut sic videns Deum, complete sciat terminare quæstionem, *quid est* de illo, extendens se ad omnia prædicata quidditativa illius.

2 Et ratio est aperta. Nam si species illa solum repræsentaret aliquod prædicatum peculiare, aut attributum Dei, non posset per illam complete terminari quæstio, *quid est* de ipso Deo, ut ex se constat ; ac proinde, nec absolute, et simpliciter videri per essentiam. Sicut si species prædicta esset propria alicujus creaturæ, vel mediante ea cognosceretur Deus mediate in aliquo objecto creato prius viso, tunc prædicta species solum repræsentaret divinam essentiam secundario, deficienter, ac diminute, et secundum convenientiam analogam, quam haberet cum tali creatura : et ita non posset Deus per illam quidditative complete cognosci, imo nec ullo modo quidditative.

Quoniam

Quoniam licet per discursum, sive formalem, sive virtualem, posset inde colligi, Deum esse omnipotentem, infinitum, actum purum, etc., quia tamen species illa, quippe deficiens, non posset repræsentare modum illum, quo hæ perfectiones sunt in Deo, ideo solum posset repræsentare illas quoad *an est*. Sicut licet per species quidditatum materialium cognoscamus plura prædicata substantiarum spiritualium : nihilominus, quia nescimus, quomodo sint in illis, ideo solum attingimus ea, quoad *an est*, non vero quoad *quid est*, et ita scimus conjunctionem eorum prædicatorum cum suis subjectis, non vero qualis sit hæc conjunctio : nec possumus illa explicare, imo, nec apprehendere, prout in se sunt, longeque aliter conciperemus ea, si immediate, et prout in se sunt, a nobis viderentur.

3 Deinde notandum est, quod licet ad cognitionem intuitivam amplius requiratur, quam ad quidditativam, et ideo possit dari cognitio quidditativa, sed abstractiva alicujus rei : attamen in præsenti cognitio quidditativa Dei, de qua loquimur, coincidit cum intuitiva, seu cum visione ipsius. Quoniam cum existentia exercita, sit re ipsa de essentia Dei, et alias divina essentia sit secundum suam existentiam sufficienter præsens cuilibet intellectui, creato ad movendum, et immutandum illum in ordine ad prædictam cognitionem, consequens est, ut cognitio quidditativa Dei coincidat cum intuitiva. Nam hoc ipso, quod cognoscatur res quoad *quid est*, seu quidditative, et, ut in actu exercito existens, ita, ut res secundum suam existentiam sit sufficienter præsens ad movendam, et immutandam potentiam, oportet, ut cognitio illa non sistat intra limites quidditativæ, sed sit etiam intuitiva, ut de se constare videtur. Utrum autem hæc duo non solum sufficiant, sed etiam desiderentur ad notitiam intuitivam, alia quæstio est, alibi Deo dante tangenda.

DISPUTATIO I.

De possibilitate, et appetibilitate visionis Dei per essentiam a creatura intellectuali.

Cuncta, quæ in hoc tractatu dicenda sunt, ex possibilitate visionis divinæ essentiæ ab intellectu creato pendent ; et ideo merito D. Thom. in primo articulo hoc ipsum inquirit, et nos primam disputationem de eadem possibilitate instituimus. Quia vero S. Doctor nonnihil de inclinatione naturali creaturæ rationalis in visionem Dei attingit, propterea etiam nos id in hac prima disputatione tangemus.

DUBIUM I.

Utrum visio clara Dei per essentiam, sit possibilis intellectui creato?

Titulus hujus dubii satis constat ex iis, quæ in annotationibus super hunc articulum diximus : et ita majori non indiget explicatione.

§ I.

Sententia Hæreticorum.

1 Partem negantem tuentur aliqui Hæretici, quos D. Gregorius, lib. 12 Moral., cap. 38, suppresso nomine refert, et D. Thom. in præsenti refutat : et ideo asserebant posse videri ab intellectu creato claritatem quandam a Deo diffusam, et splendorem ipsius divinitatis, non vero ipsam divinitatem immediate, et in se.

Probatur authoritate.

Probari autem potest ex illo 1. ad Timoth. 1 : *Regi sæculorum immortali, et invisibili* ; et ibidem, cap. 6 : *Lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Unde sicut ex eo, quod Jerem. 32 dicitur, Deum esse incomprehensibilem, asserimus a nullo intellectu creato posse comprehendi, ita ex eo, quod dicatur invisibilis, debemus fateri, a nulla creatura posse videri.

Prima ratio pro eadem sententia.

Deinde ratione probatur primo. Quoniam essentia divina, prout est in se ipsa, non clauditur intra latitudinem objecti specificativi intellectus creati : ergo nequit etiam supernaturaliter prædictus intellectus elevari ad videndam illam, prout est in se ipsa. Consequentia patet. Quia nulla potentia potest ferri extra latitudinem sui objecti specificativi : et ideo, nec visus ad percipiendum sonum, nec auditus ad sentiendum saporem, nec denique potentiæ cognoscitivæ materiales ad cognoscendas res pure spirituales elevari possunt : quia omnia hæc sunt extra latitudinem objecti specificativi prædictarum potentiarum.

Antecedens vero probatur. Nam cum essentia divina, prout est in se ipsa, tam in genere entis, quam in genere objecti, sit infinita, nequit intellectus creatus, quippe in utroque ordine finitus, habere proportionem, et commensurationem cum illa : quia finiti ad infinitum nulla est proportio : ergo, nec essentia divina continebitur intra latitudinem objecti specificativi illius : quandoquidem quævis potentia habet proportionem, et commensurationem cum suo objecto specificativo, ac proinde cum iis, quæ intra latitudinem ejus continentur, ut in omnibus potentiis cognoscitivis inductive constat.

Confirmatur primo.

Confirmatur primo. Magis distat Deus, prout est in se ipso ab intellectu creato, quam Angelus a potentia visiva : sed ob

hanc distantiam non continetur Angelus intra latitudinem objecti visus, ut docet D. Thom. in hac quæstione, art. 3 et 4 ad tertium, et cum eo communiter Theologi : ergo, nec Deus, prout est in se ipso continebitur intra latitudinem objecti intellectus creati. Minor cum consequentia satis constat. Major vero etiam patet. Nam potentia visiva, et Angelus continentur intra rationem entis creati, et sunt ejusdem ordinis naturalis, Deus vero, ut est in se ipso, est extra omne ens creatum, et transcendit omnem ordinem naturalem.

Confirmatur secundo.

2 Confirmatur secundo. Quia intellectus creatus essentialiter est potentia naturalis : ergo ejus objectum specificativum, tantum est ens naturale : ac proinde Deus, prout est in se ipso non continebitur intra latitudinem sui objecti. Hæc ultima consequentia videtur evidens : quia Deus prout est cognoscibilis in se ipso, est objectum supernaturale, ut ex se, et ex infra art. 4 dicendis constabit. Prima vero consequentia etiam patet. Quia talis est potentia, quale est ejus objectum : et ita si potentia est essentialiter naturalis, etiam objectum debet esse naturale, non vero aliquid abstrahens a naturali, et supernaturali, vel utrumque includens : alioqui specificatio illius potentiæ, vel non esset naturalis, vel non contineretur complete, et perfecte intra ordinem naturæ ; sed partim esset intra, et partim extra. Antecedens vero etiam liquet. Quoniam intellectus creatus, v. g., humanus, est connaturalis ipsi animæ, quæ est ordinis naturalis, et consequenter est potentia intellectiva ordinis naturalis : sicut ipsa anima est hujus ordinis : quia in hoc distinguuntur accidentia supernaturalia a naturalibus, quod hæc, quippe connaturalia suis subjectis, sunt ejusdem ordinis naturalis cum eisdem subjectis : secus vero illa.

Secunda ratio.

3 Secundo. Quoniam objectum intellectus, v. g., supremi Angeli, debet esse per se unum, et univocum : at si Deus, prout est cognoscibilis in se ipso, contineretur intra latitudinem objecti illius, non esset objectum prædicti intellectus per se unum, et univocum : ergo nequit sub illo contineri : atque adeo, nec ab eodem intellectu videri, prout est in se ipso. Utraque consequentia non indiget probatione. Major vero videtur certa ex iis, quæ nostrum Collegium Complut. in Log., disp. 19, num. 45, docet. Minor autem etiam constat. Tum quia objectum illud esset quid naturale, quatenus continet res ordinis naturalis, et simul quid supernaturale, prout includit essentiam divinam, ut est in se, quæ dicit aliquid supernaturale, ac proinde tale objectum esset aliquid analogum. Tum etiam : quia Deo, et creaturis, nec in esse entis, nec in esse cognoscibilis potest dari aliquid commune univocum : alioqui Deus secundum illam rationem contineretur sub aliquo genere, et specie, quod ejus infinitati, et puritati ab omni potentialitate repugnat, ut ostendit nostrum Collegium Complut. tum in Log., disp. 12, num. 34, tum in 3 Physic., disp. 18, num. 20 et 21.

Confirmatur.

Confirmatur. Quoniam alias intellectus divinus, Angelicus, et humanus non distinguerentur essentialiter, quod, ut constat, est absurdum. Patet sequela. Quia si Deus, prout est in se ipso, et per consequens, ut est objectum supernaturale, continetur intra latitudinem intellectus creati, ut sic, jam objectum intellectus creati, et divini esset ens in omni sua communitate, prout abstrahit a Deo, et creaturis, ab ente naturali, et supernaturali : atque ita non esset unde distinguerentur : sicut quia quilibet intellectus humanus respicit connaturaliter quidditatem materialem, ut sic, ideo non est unde specie differant.

Tertia ratio.

4 Tertio. Intellectus creatus nequit elevari ad cognoscendum simul, et in proprio genere totam collectionem creaturarum possibilium : ergo, nec ad videndum Deum prout est in se ipso. Antecedens patet. Quia ad talem cognitionem requiritur virtus, et lumen infinitum, ut ostendit D. Thom. in hac quæst., art. 8 et 3 part., quæst. 10 et 11, lumen autem creatum, et infinitum est prorsus impossibile, ut nostri Complut. 3 Physic., disp. 18, quæst. penultima, docent. Consequentia videtur perspicua. Nam difficilius est, cognoscere divinam essentiam immediate, et prout est in se ipsa, quam totam collectionem creaturarum possibilium seorsum sumptarum : quandoquidem, essentia divina, ut est in se, habet esse infinite perfectiorem, tam in esse entis, quam in esse objecti omnibus creaturis possibilibus ; cum earum entitas, ac proinde cognoscibilitas, non sit infinita per essentiam, sicut entitas, et cognoscibilitas essentiæ divinæ, prout est in se ipsa.

---

§ II.

Vera sententia stabilitur.

Conclusio.

5 Dicendum tamen est, intellectum creatum posse elevari ad videndum Deum per essentiam. Hæc est de fide. Nam Matt. 5 dicitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt;* et cap. 18 : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*; 1 ad Corinth. 13 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem;* 1 Joan. 3 : *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus : quia videbimus eum, sicuti est.* Quæ testimonia proprie accipienda esse, et non ad metaphoram detorquenda declaravit Ecclesia : et ita in cap. *Damnamus de summa Trinitate*, et in Concil. Florent. sess. ultima, in literis sanctæ unionis diffinitum est, beatas animas clare intueri Deum Trinum et Unum, ut est in se. Quare cum in actu videndi Deum, ut est in se, necessario includatur possibilitas ad eandem visionem, consequens est, ut in prædictis testimoniis maneat diffinita, et certa tanquam de fide assertio nostra.

Prima ratio pro vera sententia.

6 Deinde probatur assertio triplici ratione, quarum primá desumitur ex quæst. 8 de Veritate, art. 1. Quia Deus est principium essendi creaturæ intellectualis : ergo ejus perfectio, ac proinde beatitudo consistet in conjunctione ejus cum ipso juxta modum suum, seu in conjunctione per intellectum cum ipso, prout est in se : ergo talis conjunctio, seu (quod in idem redit) visio intellectualis ipsius, prout est in se, erit possibilis prædictæ creaturæ. Hæc ultima consequentia patet ex priori. Quia possibile est creaturæ intellectuali consequi suam beatitudinem, alioqui esset pejoris conditionis, quam ceteræ aliæ creaturæ. Prima vero consequentia ex antecedenti constat, potestque sic explicari. Quia unumquodque in tantum est perfectum, in quantum conjungitur cum suo primordiali principio juxta modum suum. Ita quidem ut si talis res sit inferioris ordinis, quia non attingit supremum gradum entium, scilicet gradum intellectualem, conjungatur cum illo juxta modum suum, scilicet deficienter, et imperfecte, quatenus conjungitur cum suo peculiari ultimo fine, ut est participatio Dei, et ad illum ordinatur : ut patet in lapide, qui eatenus est perfectus, et suo modo beatus, quatenus modo dicto conjungitur cum centro. Si vero talis res fuerit in supremo, et perfectissimo ordine entium, scilicet intellectuali, conjungatur cum suo primordiali principio juxta modum suum, nimirum perfectissime, et intellectualiter, ac proinde videndo ipsum, prout est in se : quia inter modos creatos intellectualis conjunctionis cum Deo, modus iste videndi illum prout est in se, finito tamen et limitato modo, seu (quod in idem redit) modus iste conjungendi se intellectualiter cum illo, est perfectissimus, et supremus modus conjunctionis cum ipso : et hoc ipso, quod sit finitus, non repugnat, ut intellectui creato communicetur.

Secunda.

7 Secunda ratio pro assertione desumitur ex D. Thom. in præsenti, et potest ad hanc formam reduci. Nam visis effectibus, inest, v. g., in homine naturale desiderium videndi, et cognoscendi causam secundum suam essentiam : et ex hoc admiratio in hominibus consurgit : ergo visis effectibus Dei, consurget etiam naturale desiderium videndi ipsum secundum suam essentiam : ergo talis visio erit possibilis. Patet hæc ultima consequentia : quoniam alias desiderium naturæ esset inane, et frustraneum.

Roboratio ejusdem ex D. Th. Aristot.

Confirmatur, et explicatur ratione ejusdem S. Doctoris 1ª 2æ, quæst. 3, art. 8. Quia teste Arist., 3 de Anima, objectum intellectus est, *quod quid est*, hoc est, essentia rei : ergo quamdiu intellectus solum cognoscit Deum ex effectibus, et non immediate in se ipso secundum suam essentiam completam, semper ei deest aliqua perfectio in cognitione talis objecti : et per consequens erit, in homine, ver. gr., naturale desiderium cognoscendi hoc modo divinam essentiam. Antecedens satis constat. Prima vero consequentia probatur. Quia ex effectibus nequit cognosci Deus, nisi, vel quoad *an est*, vel ad summum (de quo alibi) quoad illam præcisam rationem, quæ desideratur ad hoc, ut sit causa talis effectus, quod est cognoscere illum imperfecte, quoad suam essentiam. Secunda vero consequentia constat, quia unaquæque res naturaliter desiderat suam propriam perfectionem.

Tertia.

8 Tertiam tandem rationem innuit D. Thom. in hac quæst., art. 4 ad 3, quæ potest sub hac forma proponi. Divina essentia, prout est in se, continetur sub objecto adæquato intellectus creati : ergo intellectus creatus potest elevari ad attingendam eam, prout est in se, Consequentia est aperta. Quoniam quævis potentia potest elevari ad attingendum quodvis objectum, quantumvis excellens, dummodo sub suo objecto adæ-

quato contineatur, et ideo visus Noctuæ potest elevari ad videndum pulcherrimum aliquod visibile excedens ejus virtutem, scilicet Solem prout est in se ipso, quia continetur sub objecto adæquato illius. Antecedens vero probatur, et explicatur sic. Nam licet intellectus humanus sit aliquo modo in materia, et ita ejus objectum proportionatum sit quidditas materialis; nihilominus, quia non est in materia, ut in subjecto, ideo secundum suam substantiam est spiritualis, et ratione hujus immaterialitatis potest concipere, et præscindere formam sine materia : et similiter licet intellectus Angelicus sit permixtus cum potentialitate, et ita ejus objectum proportionatum sit quidditas involuta cum potentialitate, ac proinde habens esse creatum, et determinatum per illam : attamen potest naturali virtute secernere *esse*, ab essentia, et concipere illud, nihil concipiendo de essentia illa distincta ab eodem *esse* : ergo cum Deus nihil sit aliud, quam forma, et actus quidam purus sine materia, et *esse* quoddam maxime abstractum, et purissimum, quia est ipsum *esse per essentiam* ; consequens est, ut contineatur intra latitudinem objecti adæquati prædictorum intellectuum.

Confirmatio ex S. Thom.

9 Confirmatur ex eodem S. Doctore. Nam intellectus creatus ratione suæ immaterialitatis potest utcumque concipere Deum, scilicet imperfecte, et confuso modo per analogiam, ad proprium objectum proportionatum, ut experientia constat : ergo poterit supernaturaliter elevari ad cognoscendum eum clare, et prout est in se. Patet consequentia : quia quoties potentia utcumque, et imperfecto modo potest in aliquod objectum ferri, non repugnat eam elevari ad attingendum illud perfectiori, et elevatiori modo : et ita visus Noctuæ, qui percipit lucem utcumque, est elevabilis ad videndam eam clare, et perfectiori modo in sua plenitudine. Et hæc de probationibus nostræ assertionis. Utrum autem omnes istæ rationes sint efficaces, an vero solum sint congruentiæ, et conjecturæ probabiles ad possibilitatem visionis Dei per essentiam, utcumque, et supposita fide suadendam ? constabit ex dicendis dub. 3 et 4.

§ III.

Diluuntur argumenta hæreticorum.

Ad fundamentum

10 Ad fundamentum ergo ex locis Scripturæ desumptum respondetur, quod cum Paulus inquit Deum esse invisibilem, loquitur de invisibilitate per oculum corporeum ; vel in hac vita mortali, et secundum communem cursum ; vel tantum vult non posse videri visione comprehensiva. Quo etiam modo possunt exponi plura alia testimonia, quæ solent in contrarium adduci, accommodando cuilibet ex illis unam, vel plures ex his expositionibus, quæ contextui magis consonæ fuerint. Ita Aug. epist. 111 et 112, et communiter Sancti Patres. Ad illud autem, quod in calce argumenti additur, dicendum est esse disparem rationem : quia Deus ita dicitur Jerem. 32 et alibi sæpe, incomprehensibilis, ut nullibi dicatur esse comprehensibilis a creatura, seu adæquate cognoscibilis ab illa : et ideo non est sufficiens fundamentum in sacra pagina ad id asserendum. Deus autem licet in testimoniis citatis dicatur invisibilis, attamen in pluribus aliis jam adductis asseritur, esse visibilem, et de facto videri a beatis. Unde, ut omnia inter se cohæreant, debent prædicto modo exponi. ex Script.

Ad primum ex ratione.

11 Ad primum vero ex ratione desumptum, negandum est antecedens. Ad probationem vero respondetur ex D. Thoma in hoc articulo in solutione ad 4, quod, licet ex infinitate divinæ essentiæ colligatur non esse porportionem propriam, et mathematicam inter eam, et intellectum creatum ; non vero non esse proportionem impropriam, sive in genere potentiæ, et objecti inter utrumque. Nam proportio mathematica debet esse inter certas, et determinatas quantitates sive molis, sive perfectionis, et ita debet certis terminis claudi : et consequenter nequit versari inter rem finitam, et infinitam ; secus vero proportio in genere potentiæ, et objecti. Cujus ratio est. Quia ad hanc proportionem solum desideratur, ut potentia sit secundum suam essentiam accommodata, et coaptata in ordine ad tale objectum : at intellectus creatus sicut ratione suæ immaterialitatis, est secundum se accommodatus ad percipiendum ens in communi, et ut suo modo abstrahit ab ente creato, et increato ut dictum est ; ita secundum suam essentiam (modo tamen infra latius dicendo) erit coaptatus ad percipiendum quodlibet ens quantumvis infinitum, quod sub ente, ut sic contineatur : quandoquidem potentia, quæ attingit aliquod objectum, secundum rationem quandam communem, habet etiam coaptationem et commensurationem essentialem ad attingendum, saltim ex divi-

na

na elevatione, quidquid sub tali objecto continetur.

Ad imam confirmationem idem.

12 Ex quo ad primam confirmationem satis patet. Nam major illius solum est vera de distantia in genere entis, non vero de distantia in genere potentiæ, et objecti. Nam hæc non attenditur in potentiis pure spiritualibus penes infinitatem objecti : quia potentiæ spirituales hoc ipso, quod tales, possunt in *esse* intelligibili fieri omnia, ut ostendit D. Thom. infra, quæst. 14, art. 1, sed ex alio capite, scilicet ex eo, quod non contineatur res illa sub objecto adæquato potentiæ : tunc enim ita distat potentia a tali re, ut nequeat illam attingere. Quare cum Angelus non contineatur sub objecto potentiæ visivæ, secus vero Deus sub objecto potentiæ intellectivæ creatæ, ut dictum est, consequens est, ut intellectus creatus, et Deus, prout est in se, minus distent in ratione potentiæ, et objecti, quam Angelus, et potentia visiva.

Ad secundam confirmationem solutio prima.

13 Ad secundam confirmationem respondetur primo, quod, ut communiter docent juniores Thomistæ, 3 part., quæst. 13, in uno, et eodem intellectu debet duplex formaliter potentia distingui : alia essentialiter naturalis, quæ formaliter loquendo solum terminetur ad ens naturale ; alia vero obedientialis, quæ licet entitative, et identice habeat *esse* naturaliter, formaliter tamen sit supernaturalis, et saltim radicaliter terminetur ad ens supernaturale, ut tale : unde licet Deus non contineatur sub objecto illius potentiæ, bene tamen sub objecto istius : et ita poterit ab ea attingi. Diximus *radicaliter*, quia licet hæc potentia sit formaliter, et secundum suam substantiam supernaturalis, si consideretur ut distincta ab altera potentia ordinis naturalis, non tamen est proxime elicitiva actuum vitalium, et supernaturalium, sed solum remote, et radicaliter : et ideo si semel actuetur per aliam virtutem proximam, et supernaturalem, poterit ipsa ut sic actuata, active, et proxime concurrere ad illos.

Secunda solutio.

14 Secundo respondetur, aliud esse, an intellectus creatus sit potentia naturalis ; aliud vero an hoc sit de conceptu essentiali illius ? sicut aliud est, an intellectus sit potentia obedientialis ad percipienda objecta supernaturalia, ut talia ; aliud vero, an hæc potentia obedientialis pertineat ad conceptum quidditativum illius ? Etsi ergo intellectus sit potentia naturalis, habeat que prædictam potentiam obedientialem, non tamen hæc pertinent ad ejus essentiam : quia intellectus secundum sua essentialia præcise consideratus, tantum dicit ordinem ad ens, ut sic, prout abstrahit a naturali, et supernaturali : seu tantum consistit in coaptatione, seu commensuratione essentiali, et radicali ad percipiendum ens secundum rationem communem suæ analogiæ, et quodlibet peculiare ens quatenus habet rationem entis. Unde sicut secundum istam rationem non respicit ens, ut naturale, vel, ut supernaturale, sed, ut abstrahit, ita etiam in suo conceptu quidditativo abstrahit a ratione potentiæ naturalis, aut supernaturalis, vel obedientialis, ut tales sunt.

Solutio probationis.

Nec contra hoc obest probatio ibidem adducta. Quia non negamus intellectum creatum, v. g., humanum, esse ordinis naturalis, seu esse potentiam naturalem per ordinem ad proprium subjectum, scilicet animam, ut etiam habet esse quid naturale, cum sit propria ejus passio ; aut per ordinem ad objectum sibi proportionatum, et connaturale, quod aliquo modo distinguitur ab objecto specificante : sed negamus, quod de essentia ejus sit esse potentiam naturalem, ac proinde habere rationem prædictæ potentiæ per ordinem ad objectum specificativum præcise sumptum. Unde hoc ipso, quod non sit potentia naturalis hoc posteriori modo, atque adeo hoc ipso, quod secundum suam essentiam respiciat, ut proprium objectum specificativum ens naturale præcise, ut tale, sed, ut abstrahit a naturali, et supernaturali, poterit elevari ad videndum Deum per essentiam : quippe cum Deus sic sumptus contineatur (modo statim magis explicando) sub objecto adæquato, et specificativo illius.

15 Si autem inquiras quidnam dicat intellectus, prout est potentia naturalis, quidve, prout est potentia obedientialis ? Respondetur, quod intellectus, prout est potentia naturalis, concipitur, ut peculiariter connotat suum objectum proportionatum, et connaturale, quale est ens naturale, ut lumine naturali, ac propriis viribus cognoscendum : et consequenter addit supra se ipsum, secundum sua essentialia præcise consideratum, efficacitatem proximam ad percipiendum ex se prædictum objectum. Cæterum quatenus concipitur sub ratione potentiæ obedientialis, consideratur ut specialiter connotat objecta supernaturalia quatenus talia, vel ut dicit

quodammodo ordinem puræ capacitatis ad illa : non qualitercunque, sed ita, ut ex se non habeat efficacitatem proximam ad attingendum ipsa, nec sit ei debitum, quod illa attingat, sed requirit divinam elevationem, per quam prædicta efficacitas illi tribuatur, et mediante qua sit ei debita attingentia prædictorum objectorum. Unde sicut intellectus secundum suam essentiam præscindit a ratione potentiæ naturalis, vel supernaturalis, ita respicit proprium objectum specificativum præcise, ut est objectum intelligibile, atque adeo præscindendo secundum hanc rationem, et ut sub prædicta reduplicatione, ab hoc, quod ex se, vel ex divina elevatione habeat efficacitatem proximam ad percipiendum illud, et ea, quæ sub illo continentur. Et ideo aliquando respicit ipsum media elevatione, et sub ratione quadam supernaturali, ut dum percipit objecta supernaturalia quatenus talia : aliquando vero per propriam, et nativam virtutem naturalem, ut cum terminatur ad objecta naturalia, et ad objectum intelligibile, ut sic, sub ratione tamen quadam naturali. Nam prædictum objectum quatenus sic sumitur, est formaliter, et in ratione objecti aliquid naturale. Sed circa hæc, et ea, quæ supra diximus, et infra etiam dicemus, videantur ea, quæ nostri Complutenses in libris de Anima, disput. 17, quæst. 1 et 2, docent.

Ad secundum principale.

16 Ad secundum concedenda est major, sed neganda minor. Et ad primam probationem dicendum est, quod licet ratio formalis *quæ*, inspecta ab intellectu supremi Angeli, sit ratio analoga; non tamen ratio formalis *sub qua* : et hoc sufficit, ut objectum specificativum illius sit per se unum, et univocum : ut patet in Metaphysica, cujus objectum specificativum, ut tale, est per se unum, et univocum : quia licet ratio formalis, *quæ* sit quid analogum : non tamen ratio *sub qua*. Sed circa hæc videantur quæ nostri Complutenses in Logica, disp. 19 jam citata, dicunt.

Nec verum est illud, quod ibidem innuitur, scilicet essentiam divinam prout includitur in objecto specificativo prædicti intellectus, et pertinet ad illud, dicere quid supernaturale : quia, ut præcise spectat ad objectum specificativum intellectus creati, non dicit aliquid naturale, vel supernaturale, quatenus talia, sed suo modo præscindit ab utroque, et solum dicit se ipsam, ut est objectum intelligibile. Nam, ut modo innuebamus, objectum intellectus dicitur naturale, ut est attingibile virtute, et efficacia proxima naturali ; supernaturale vero, ut potest attingi virtute supernaturali, quod tamen non competit prædictæ essentiæ, ut præcise spectanti ad ordinem objecti specificantis, ut talis, sed, ut pertinenti ad latitudinem objecti improportionati, v. g., respectu luminis naturalis, ut talis, ac proinde respectu efficacitatis proximæ illius : secundum quam rationem prædicta essentia aliquid addit supra objectum specificativum quatenus tale, ut jam innuimus, et infra magis dicemus.

17 Ad secundam vero probationem dicendum est, quod etsi Deus, et creaturæ non possint univoce convenire in aliqua una ratione formali *quæ*, et eisdem intrinseca, bene tamen in aliqua una ratione formali *sub qua*, seu in hoc, quod est attingi sub illa, quia talis ratio non est necesse, ut sit intrinseca, seu inhærens in Deo, sed satis erit, quod sit extrinseca consistens in speciali modo, quo intellectus attingit prædictam rationem *quæ;* ita tamen ut hic idem modus refundatur in ipsam. Unde divina relatio pertinet ad rationem *sub qua* objecti fidei : quia specialis modus tendendi hujus virtutis est tendere in Deum, et in cætera alia, ut cadunt sub divina revelatione : et nihilominus talis revelatio est quid extrinsecum rebus creditis : et ita ex hac parte nihil obesset quominus in illa ratione jam dicta, tam Deus, quam cætera alia objecta creata univoce convenirent.

Ad confirmationem.

18 Ad confirmationem neganda est sequela, et ad probationem dicendum est, intellectum divinum habere pro objecto adæquato, et specificativo essentiam divinam, ut infra, quæst. 14, ostendi solet : et ita ex hac parte potest distingui essentialiter ab intellectu creato. Deinde intellectus Angelicus, et humanus licet respiciant ens in tota sua latitudine, ut rationem formalem *quæ* ; nihilominus possunt essentialiter distingui, ex eo, quod respiciunt prædictum objectum sub distincta ratione *sub qua*.

Potestque hæc diversa ratio *sub qua*, explicari ex eo, quod ens non specificat, nec distinguit prædictos intellectus, nisi quatenus sunt tali, vel tali modo perfectibiles per ipsum. Qui quidem modus non potest aliter explicari, nisi per hoc, quod modus immutandi, et perficiendi intellectum humanum sit talis, ut si connaturaliter illa immutatio, et actuatio fiat, debeat esse (saltim pro hoc statu) media specie immateriali,

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

li, abstracta a quidditate sensibili relucente in phantasmate : et in altero statu connaturaliter immutetur mediante specie intelligibili animæ rationalis , sive per essentiam animæ, ut habet rationem speciei intelligibilis respectu proprii intellectus : et similiter modus perficiendi, et fœcundandi intellectum Angelicum sit talis conditionis, ut petat pro objecto connaturalissimo perficiente ipsum, propriam substantiam Angelicam, ita, ut cætera alia objecta, seu species connaturaliter illum afficientes, et eidem infusæ, habeant esse magis, vel minus immateriales, juxta majorem, vel minorem immaterialitatem prædictæ substantiæ, ut habet rationem objecti motivi talis intellectus.

19 Secundo, et satis probabiliter respondetur cum Alberto, 1 de Anima, cap. penult. ; Cajet., 1 part., quæst. 77, art. 3 ; Ferrara, 2 contra Gentes, cap. 94 ; Thienens, 2 de Anima, text. 9, et tandem cum nostro Collegio Complut. in libro de Anima, disp. 17, num. 11, pluribusque aliis ex Thomistis, intellectum humanum, v. g., posse considerari dupliciter, scilicet, vel in ratione potentiæ formaliter sumptæ, vel in ratione proprietatis : et si consideratur secundum priorem rationem, esse ejusdem speciei cum intellectu Angelico in ratione potentiæ formaliter considerato , si vero accipiatur secundum posteriorem rationem, esse diversæ speciei. Quare cum potentiæ in ratione potentiarum specificentur ab objectis, fit inde , ut tam intellectus humanus, quam Angelicus debeant habere unum, et idem objectum adæquatum extensionis ; licet quia proprietates, ut tales habent suum *esse* per ordinem ad naturam, a qua fluunt, debeant prædicti intellectus, quatenus in ratione proprietatum considerantur, fluere a diversis naturis, easque respicere.

Cæterum hæc solutio displicet Francisco Suarez, 2. tom. Summæ Theologiæ , tractat. 3, lib. 4, cap. 1, num. 7, et aliis ex junioribus, et ideo contra eam plura objiciunt. Sed quia eorum objectiones nostrum Colleg. Complut. a num. 11 nuper citato usque ad num. 21 adducunt, et aliquas alias addunt, omnesque optime solvunt, propterea in eis afferendis , et solvendis non immoramur : quia ibi cum voluptate, et fructu videri possunt.

20 Ad tertium concedendum est antecedens, et neganda consequentia. Et ad probationem respondetur , difficilius esse , cognosci ab intellectu creato totam collectionem creaturarum possibilium, quam Deum, prout est in se : quia prior illa cognitio, et virtus luminis elicientis illam extendi posset ad comprehendendum Deum prout est in se, quoniam virtus comprehendens totum objectum alicujus potentiæ potest etiam extendi, quatenus est ex se, ad comprehendendam illam potentiam. Unde cum tota collectio creaturarum possibilium sit adæquatum objectum divinæ omnipotentiæ, consequens esset ut cognitio illa creata, et virtus illius luminis cognoscentis totum illud objectum, posset extendi ad comprehendendam eandem omnipotentiam, ac proinde Deum ipsum : et consequenter esset, et non esset creata. Quare cum sit difficilior comprehensio Dei, quam visio ipsius prout est in se, etiam erit difficilior prædicta cognitio creaturarum, quam visio Dei.

Adde, perfectionem, et infinitatem objecti, non extrahere illud extra latitudinem objecti potentiæ finitæ, si finito modo actuet illam. Quia ergo licet Deus, prout est in se sit infinitus, nihilominus non obstante hac infinitate potest uniri finito modo in ordine ad hanc visionem, ut infra dicemus ; ideo non obstante infinitate, remanet intra latitudinem objecti intellectus : quia vero tota infinitas creaturarum non potest in proprio genere uniri intellectui creato, nisi infinite, id est, mediis infinitis speciebus, ac proinde postulantibus infinitam attentionem, ideo prædicta infinitas extrahit creaturas illas, ut simul cognoscendas, a latitudine intellectus creati non potentis infinitam præstare attentionem.

DUBIUM II.

Utrum Sancti Patres cognoverint, possibilem esse intellectui creato visionem Dei per essentiam?

Quia una ex præcipuis probationibus mysteriorum nostræ fidei est unanimis consensus Patrum circa illam, et alias non deest sua dubitandi ratio, an iidem Patres possibilitatem visionis Dei per essentiam ab intellectu creato (quæ est quasi basis plurium aliorum mysteriorum) cognoverint ? ideo postquam ostendimus posse prædictum intellectum videre Deum per essentiam, placuit sigillatim examinare quid circa hoc Patres senserint.

§ I.

Recens opinio.

21 Vazq., 1 part., disp. 37, cap. 4, sentit omnes fere Patres adeo perspicuis verbis negasse possibilitatem visionis Dei per essentiam ab intellectu creato, ut si sincere loqui velimus, vix possint in bonum sensum interpretari.

Primum argumentum. Ambros. Hieron.

Probatur primo. Nam Ambrosius, lib. 1 in Lucam, cap. 1, asserit, Deum natura sua esse invisibilem. Hieronymus, in Commentariis Isaiæ, lib. 3, in illa verba : *Vidi Dominum*, post medium, sentit hominem,

Basilius.

Deum videre non posse. Basil., lib. 1 contra Eunomium post medium : *Dei substantiam præterquam Unigenito esse invisibilem.*

August.

August., tom. 4, in libello de essentia divinitatis : *Posteriora* (inquit) *id est, Incarnationem meam videbis, divinitatem autem*

Theodor.

meam videre non poteris. Theodor. in dialogo immutabilitatis : *Non enim vident* (scilicet Angeli) *substantiam divinam, quæ nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest.*

Secundum. Chrysost.

22 Secundo probatur ex Chrysost. (quem Vazquez potissime refert pro errore Anomæorum). Nam homil. 14 super Joan. paulo post principium (inquit) : *Id, quod est Deus, non modo Prophetæ non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli, sed si eos percontaberis, nihil ab his de Dei substantia audies, sed tantum referentes : gloria in altissimis Deo, quod si omnis natura creata est, quanam ratione increatum videre poterit?* Item tom. 5, homil. 3, de incomprehensibili Dei natura disertis verbis affirmat, nullam creaturam, sive humanam, sive Angelicam, posse Deum cernere.

Solutio. D. Thom.

23 Nec satis erit, si cum D. Thom. dicas, Chrysostomum solum velle negare visionem comprehensivam, non tamen quidditativam et intuitivam : quandoquidem ibi disputat contra Anomæos asserentes se comprehensive attingere Deum.

Prima replica.

Nam contra hoc est primo, Anomæos non asseruisse se cognoscere Deum comprehensive, sed tantum quidditative : ergo si Chrysostomus contra eos loquitur, non negat Angelis cognitionem comprehensivam solummodo, sed etiam quidditativam qualis est visio Dei per essentiam. Consequentia est aperta. Antecedens vero probat Vazquez : quia Anomæi non erant adeo amentes, ut hoc sibi possent persuadere, unde quando dixerunt se tam bene, et exacte cognoscere Deum sicut ipse se ipsum cognoscit, solum volunt, se cognoscere Deum quidditative : quia cognitio quidditativa est æqualis ex parte objecti respectu omnium, quatenus omnes videntes Deum vident illum secundum omnia, quæ sunt formaliter in ipso.

Secunda Chrysost.

Deinde. Quia Chrysostomus in illa homilia 14 super Joann. denegat Angelis omnem eam cognitionem, quæ sit illis satis, ad hoc, ut de Dei substantia, prout est in se ipsa requisiti, possent aliquid respondere, ut constat ex verbis jam adductis : ergo cum ad hoc sufficiat Angelis visio Dei, prout est in se ipso (ut ex se patet) consequens est, ut hanc, et non solum comprehensivam illis deneget.

Tertia. Idem.

24 Et similiter in illa homilia 3 de incomprehensibili Dei natura non solum negat visionem Dei comprehensivam, sed etiam quidditativam, et intuitivam : quia censet, a nullo intellectu Angelico substantiam Dei videri, sed aliquid solum ab ipsa derivatum, quod aperte pugnat cum visione Dei per essentiam, quæ immediate tendit ad Deum, prout est in se ipso, ut ex dictis constat. Unde ibidem expendens visionem Isaiæ, cap. 6, inquit : ideo Seraphim velare faciem duabus alis, quia eximium Dei splendorem ferre non poterant. Subditque. *Quamquam non ipsam meram videbant lucem, nec ipsam sinceram substantiam, sed quæ videbant, condescensus erant, et indulgentia.* Ubi aperte videtur negare visionem intuitivam Dei, prout est in se, quia hæc est visio puræ, et sinceræ substantiæ Dei, et solum concedere visionem alicujus a Deo condescendentis.

Confirmatio.

Confirmatur, et explicatur. Nam, ut ostenderet quidnam sit iste condescensus, addidit : *Cum Deus non, ut est se ostendit, sed quoad videre is potest, qui aspectum hujusmodi meruit eatenus firmitate videntis suam repræsentationem metitur, ac temperat, condescendere illum tantisper dicimus, et hujusmodi rem condescensum nominamus, et indulgentiam.* Subditque, Prophetas vidisse condescensum illum, obscurius tamen, quam Angelos. Quare cum attemperatio, et condescensus Dei respectu mentis Prophetarum sit talis, ut non se illis, prout est in se, ostendat, sed medio alio longe inferiori, et eorum mentibus proportionato, idem etiam erit dicendum de Angelis, quippe qui solum vident Deum sub isto condescensu, et attemperatione.

§ II.

§ II.

Opposita sententia, ut omnino certa stabilitur.

25 Dicendum tamen est, Patres vere cognovisse, intellectum creatum posse supernaturaliter elevari ad videndum Deum per essentiam. Ita communiter scholastici, uno dempto Gabriele Vazquez. Et ideo aliquem in particulari recensere supervacaneum esset.

Assertio hæc posset probari adducendo ad unguem testimonia cunctorum Patrum. Sed, quia omnia illa de verbo ad verbum recensere longum esset : ideo aliqua tantummodo hic referentes innuemus loca, ubi alii Patres hoc ipsum fatentur.

In primis ergo id docet Nazianz., orat. 2 de Theologia, dicens : *Quid tandem Deus natura sua, atque essentia sit, nec mortalis unquam invenit, neque inveniri in hac vita queit, mea quidem sententia, tunc demum hoc inveniet, cum Deiforme hoc, atque divinum* (hoc est mentem nostram, et rationem) *Deus rei cognatæ, et familiari adjunxerit, et imago nostra ad exemplar illud suum, cujus nunc desiderio flagrat, accenderit.*

Deinde August., tom. 2, epist. 6, id docet, et epist. 112, cap. 15. *Si quæris* (inquit) *utrum etiam sicuti est possit aliquando videri Deus ? Respondeo, hoc filiis esse promissum, de quibus dictum est, scimus, quia cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Si quæris unde eum videbimus? Respondeo, unde Angeli vident, quibus tunc erimus æquales.* Origenes etiam, lib. 7 contra Celsum, col. 15, ait : *Nunc videri Deum per speculum, postea facie ad faciem.*

26 Et similiter Chrysost. (quem ut ducem plurium aliorum Patrum pro opposita sententia refert Vazquez) hoc ipsum, epist. 5 ad Theodor. lapsum, fatetur his verbis : *Si Petrus, qui vidit obscuram quandam imaginem futurorum, omnia continuo rejecit ab animo propter voluptatem inditam animæ a tali aspectu, quid dicemus quando verum veritas aderit, quando regiis cubilibus adapertis, contueri licebit ipsum Regem, non per ænigma, nec per speculum, sed facie ad faciem, non amplius, inquam, per fidem, sed per speciem.* Quo nihil clarius pro confessione veræ beatitudinis nostræ, in visione Dei clara consistentis, dici potuit.

Tandem id fatetur Dionys., cap. 4 de Cœlesti Hierarchia ; Ignatius, epist. ad Romanos ; Aug., de Civitate Dei, cap. 30 ; Epiphanius, lib. 3 contra hæreses, hæres. 70 ; Nissænus, lib. de Beatitudinibus, in explicatione illius : *Beati mundo corde* ; Isidorus, lib. 1 Sent., cap. 26 ; de Divin. Officiis, cap. de regula fidei ; Bern. serm. 31 in Cantica, et lib. 5 de Consider. ; Theophylactus, in 1 caput Joann. ; Euthymius ibidem, et alii plures.

Et confirmari possunt hæc omnia ex dubio præcedenti. Nam ibidem diximus, veritatem hanc, scilicet beatos videre Deum per essentiam, ac proinde visionem istam esse illis possibilem, diffinitam fuisse ab Ecclesia : ergo signum est hanc fuisse mentem Patrum, et consequenter consensum unanimem eorum pro opposita sententia minime stare : alioquin Ecclesia secum pugnaret, quia everteret firmissima sui præsidia, quibus munitur, et defenditur, scilicet dicta Patrum, quos in hujusmodi diffinitionibus mature, et sedulo consulit, ut inde etiam ad veritatem ipsam diffiniendam melius disponatur. Confirm.

§ III.

Solvuntur argumenta initio adducta.

27 Ad primum ergo respondetur cum D. Thoma in 4, dist. 49, quæst. 2, art. 1, ad 1, et August., epist. 111 et 112, prædictos Patres, et quosvis alios exponendos esse uno ex tribus modis in dubio præcedenti dictos, scilicet de visione in hac mortali vita, vel per oculum corporeum, vel tandem de visione comprehensiva ; ita tamen, ut cuivis adaptetur ille, qui contextui magis consonus fuerit. Ad primum.

Unde Ambros., Hieron., Basil. et August. locis citatis vocant Deum invisibilem, vel quia in hac mortali vita secundum communem cursum videri nequit, vel quia oculis corporeis invisibilis est, ut per hoc significarent, Deum non esse corporeum, et ideo non posse videri, tanquam corpus, etiam ab Angelis. Et ita in hoc sensu explicat Augustinus loco citato prædictos Patres. Per quod etiam ad alia, quæ contra hanc expositionem adducit Vazquez, obiter patet.

28 Ad secundum optima est solutio ex D. Thoma data ibidem. Tum quia in ea homilia 14 super Joan. versatur Chrysostomus in explicatione illius testimonii, *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Quod quidem non de visione qualicumque, sed de visione Ad secundum.

comprehensiva intelligendum est. Tum etiam : quia id docent Ambrosius, lib. 5 in Lucam, cap. de apparitione Angeli Sacerdoti Zachariæ ; Epiphanius, hæresi 70 ; August., epist. 112 de videndo Deum, cap. 5 et 6, dicens intelligendum esse quantum ad plenitudinem divinitatis, quia nemo præter Filium, qui est verus Deus, comprehendit divinitatem.

Tum deinde : quia Joannes ibi, ut ex contextu constat, volebat explicare discrimen, quod inter Moysen et Christum versabatur, quatenus Moyses fuit minister legis, ut servus ; Christus autem Author gratiæ, tamquam Filius unigenitus. Unde, ut ostendat illum esse Deum, ac proinde æqualem Patri, ait : Deum a nulla creatura comprehensive videri ; bene tamen a Filio, quippe qui est in sinu Patris, ut unius naturæ cum illo, et ita ipse quæcumque sunt Patris, quantumvis absconsa, enarravit. Unde Chrysostomus vim hujus testimonii penetrans, et consequenter loquens de visione comprehensiva, merito dixit non posse creaturam videre increatam Dei naturam ; et ut omnino explicaret hanc esse suam mentem, ideo parum post prædicta verba addidit, visionem hic dici certissimam Patris considerationem, et comprehensionem tantam, quantam Pater habet de Filio.

Tum denique : quia, ut suprà innuimus, Chrysost. in illa homilia, et in cæteris aliis de incomprehensibili Dei natura disputat contra Anomæos, qui, ut constat ex Theodoreto, lib. 4 hæreticarum fabularum, et ex eodem Chrysostomo, loco statim referendo, asserebant se nihil de Deo ignorare, sed ipsam Dei substantiam ita exacte cognoscere, ut eandem de Deo, ac ipse Deus de se ipso, cognitionem haberent, ac proinde non utcunque, sed comprehensive attingere divinam essentiam. Unde hunc solummodo errorem vult ibidem confutare, ut constat ex iis, quæ in eodem libro, hom. 4 sequenti, idem S. Doctor docet his verbis : *Satis jam esset, fratres charissimi, si postea quam nuper ostendimus, Deum incomprehensibile esse hominibus, atque etiam Cherubim et Seraphim, molestia hominum hæreticorum levati, nihil ulterius moneremus.*

Ad primam replicam. 29 Quare ad primam probationem contra solutionem ibidem a D. Thom. assignatam, respondetur negando antecedens. Et ad probationem ejus negandum est etiam antecedens. Quoniam Anomæi, non solum insani, sed etiam furiosi ab Epiphanio, hæresi 76, appellantur : imo Chrysost., hom. 5 de incomprehensibili Dei natura, eorum delirium referens, ait : *Id genus hominum, non secus, quam deliros, et insanos despicere, aspernarique debemus.*

Adde, quod verba Anomæorum in hac solutione relata adeo sunt expressa ad affirmandam comprehensionem, ut eisdem utantur scholastici, et plures ex Patribus ad eam explicandam : ac proinde omnibus inspectis, benignam quoad hoc interpretationem non patiantur : secus vero testimonia Patrum ; imo in eis veritas Catholica continetur, ut ex dictis, et statim dicendis amplius constabit.

Ad secun dam 30 Ad secundam probationem respondetur, Chrysost. ibidem solum velle, quod solus Unigenitus, quippe, qui est in sinu Patris, et unius naturæ cum illo, potest requisitus de Dei substantia aliquid respondere, aut si ipsi placuerit enarrare : non quidem utcunque, sed tanquam Author et Doctor hujus doctrinæ. Munus autem Angelicum non est esse Doctores et authores prædictæ doctrinæ, sed illius ministros et Dei collaudatores, qui proinde semper intonant : *Gloria in excelsis Deo.*

Esse autem hanc Chrys. mentem constat : quia ut dicebamus, ibi versabatur in explicatione illius testimonii Joann. : *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ubi sicut solum tribuit Unigenito visionem comprehensivam Dei, ac proinde distinguit eum a Moyse, in hoc, quod Moyses fuerat minister legis, ut servus : Christus autem author gratiæ tanquam Unigenitus, ut jam ostendimus, ita ibidem tantum vult Christum posse respondere, aut enarrare aliquid de Dei substantia tanquam Doctorem et authorem hujus doctrinæ, secus vero alios.

31 Addendum tamen : illa, quæ sunt Dei, nemini pro dignitate esse nota, nisi Deo ipsi, et ita a nemine pro dignitate posse enarrari nisi ab illo. Unde non mirum, quod ex defectu hujus condignæ enarrationis, quæ in Angelis reperiri nequit, dixerit Chrysostomus, non posse Angelos de Dei substantia requisitos respondere : non secus, ac Paulus post visionem divinæ essentiæ asseruit : *Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui*, quoniam ea pro dignitate enarrare non poterat. D. Pa 2. Co 12.

Ad tertiat Ad tertiam probationem respondetur, Chrysostomum non dixisse, ut vult Vazquez, Angelos solum videre aliquid derivatum a divina essentia, ut intuenti textum constabit. Quamvis licet hoc dixisset, nihil inde contra

contra D. Thom. sequeretur. Nam sensus esset : illos solum posse comprehensive attingere aliquid ab essentia Dei derivatum ; non tamen ipsam essentiam, prout est in se.

Fatemur deinde verba illa ex visione Isaiæ cap. 6 desumpta, esse Chrysostomi : in illis tamen tantum vult, Seraphim non videre comprehensive miram illam lucem, et sinceram Dei substantiam, sed proportionate ad lumen gloriæ, per quod non solum confortatur intellectus, sed etiam attemperatur objectum, quatenus juxta mensuram, et firmitatem luminis unitur essentia divina in ratione speciei cum intellectibus beatorum, ut ex infra dicendis constabit.

32 Hoc autem optime explicuit Chrysostomus. Tum in illis verbis in confirmatione adductis, scilicet : *Eatenus firmitate videntis suam repræsentationem metitur, ac temperat.* Tum etiam nomine, *condescensus.* Quia essentia divina in ratione speciei considerata, unitur in supremo gradu unionis, et identificationis cum intellectu divino, ac proinde tota, et totaliter, ac in ordine ad comprehensionem ; at vero intellectui creato beato non nisi in gradu inferiori, et condescendenti ab illo supremo : quia licet uniatur ei tota, non tamen totaliter. Et similiter quamvis identificetur in *esse* intelligibili, et modo infra dicendo, cum illo ; attamen hæc identificatio est longe minor, et infinite deficiens ab illa priori : et ideo hic modus condescensus tollit comprehensionem, non vero visionem : quia essentia divina, prout est in se ipsa, unitur utrique intellectui.

Unde idem Chrysostomus in illo eodem libro de incomprehensibili Dei natura, hom. 4, ex professo explicat, quomodo hic condescensus, tantum tollat cognitionem comprehensivam Dei, dicens : *Cum itaque dicat Deum quamvis condescendentem, minime ferre illas virtutes potuisse, nihil aliud docet, nisi ejus cognitionem expressam, amplam, et integram, non potuisse recipere ;* et subdit statim : *Hinc etiam Evangelista certior, neque humanæ naturæ interesse, rem tantam scire, neque ipsis virtutibus superis Deum esse comprehensibilem.* Ubi ut constat, solum docet, quod hic condescensus tollit ab Angelis cognitionem, quæ simul sit expressa ampla, et integra, id est, adæquata Deo, et ita extensa in ratione cognitionis, sicut est Deus in ratione cognoscibilis ; et ideo addidit illa ultima verba : *Neque ipsis virtutibus superis Deum esse comprehensibilem.* Per quod ad confirmationem satis patet.

33 Neque contra hoc obstat id, quod ultimo loco in eadem confirmatione additur, scilicet, Prophetas caruisse visione divinæ essentiæ, et nihilominus vidisse prædictum condescensum, licet obscurius, quam Angeli. Quoniam Chrysostomus gradum cognitionis divinæ, quam Deus unicuique tribuit, sive in hac vita, ut in Prophetis, et aliis hominibus, sive in futura, ut in beatis, appellavit condescensum, et indulgentiam : non quia in beatis non sit visio divinæ essentiæ, ut ex eodem Chrysostomo supra vidimus, aut quia in omnibus tam beatis quam non beatis sit æqualis ; sed quia est inferior cognitione adæquata divinæ essentiæ, quæ est comprehensiva, et in utroque limitatur juxta Dei beneplacitum, et indulgentiam, ut ex prima radice, et juxta naturam luminis, sive obscuri, sive clari, quod a Deo confertur. Et ita quamvis eadem cognitio in Prophetis sit obscura, quia lumen Propheticum non est ostensivum Dei, prout est in se ; non tamen in beatis : licet in eis etiam deficiat ab illa claritate, quam petit cognitio comprehensiva Dei : et ideo solum in comparatione ad illam, dicitur aliquo modo obscura. Quam (ut sic dicamus) obscuritatem innuit Chrysostomus, dum dixit : Prophetas vidisse etiam prædictum condescensum, obscurius tamen, quam Angelos. Ad confirmationem tertiæ replicæ.

DUBIUM III.

Utrum possibilitas visionis Dei per essentiam ab intellectu creato possit evidenter cognosci per lumen naturæ.

Semel explicata possibilitate visionis beatificæ, eamque fuisse a Sanctis Patribus lumine fidei perfusis cognitam, statim pulsat animum inquirere, an etiam lumine naturæ sit evidenter cognoscibilis ? et ideo post duo præcedentia dubia merito istud statim excitamus.

§ I.

Proponitur prior opinio.

34 Prima sententia affirmat, ratione naturali lumine fidei omnino destituta posse evidenter cognosci possibilitatem visionis claræ Dei, prout est in se. Pro hac refert Gonzalez in præsenti disp. 24, sect. 2, aliquos ex Theologis, eam autem tuetur, Vazquez 1, 2, disp. 20, cap. 2, quamvis hic author

tantisper sententiam hanc limitet, dicens, quod licet, semel investigatis rationibus ostendentibus possibilitatem visionis beatæ, possit intellectus solo lumine naturæ attingere earum efficacitatem, eget tamen adjutorio alterius majoris luminis ad eas investigandas, seu reperiendas.

Probatur primo. 35 Probatur primo ratione illa, quam supra dubio primo pro nostra assertione adduximus, quæ, ut melius sententiam hanc suadeat, poterit sub hac forma proponi. Evidens est lumine naturali, intellectum creatum posse, aut virtute propria, aut ex Dei elevatione cognoscere quidquid continetur sub objecto adæquato illius : ergo evidens erit, posse cognoscere Deum, prout est in se. Antecedens patet in omnibus potentiis. Nam certum est visum posse percipere, saltim ex divina elevatione, omne visibile, et auditum omne audibile, et sic de aliis potentiis : ergo etiam id erit intellectui, qui est virtus elevatior, concedendum. Consequentia vero etiam constat : quia evidens est Deum, ut est in se esse formaliter ens, ac proinde contineri sub objecto adæquato intellectus, quod, ut constat, est ens in communi.

Confirmatur. Confirmatur. Lumine naturali cognoscitur perfectionem convenientem potentiæ inferiori posse competere superiori, si ambæ ad idem genus pertineant : sed evidens est lumine naturali visum, et intellectum spectare ad genus potentiæ cognoscitivæ, ita, ut intellectus sit longe nobilior, quam visus: ergo cum certum sit potentiam visivam posse intuitive, et prout est in se cognoscere omnia, quæ sub suo adæquato objecto continentur, fiet inde, ut id etiam sit potentiæ intellectivæ concedendum. Minor cum consequentia ex se videtur constare. Major vero etiam liquet. Quia certum est perfectiones rerum inferiorum esse eminentiori modo in superioribus : et ideo *esse* vegetativum, et sensitivum, quod reperitur in animabus inferioribus brutorum, scilicet vegetativa, et sensitiva, invenitur excellentiori modo in rationali, quia est forma superior, et eminentior.

Secundo. 36 Secundo. Intellectus creatus secundum suam naturam est capax, saltim radicaliter, visionis Dei per essentiam : sed Angelus lumine naturæ comprehendit præfictum intellectum : ergo ei erit evidens, Deum prout est in se esse visibilem ab eodem intellectu. Consequentia videtur perspicua. Quia repugnat aliquam potentiam comprehendi ab aliquo intellectu, et non sciri ab eo, quænam sint objecta illa, ad quæ potest extendi : et propterea omnia, et singula objecta divinæ potentiæ soli Deo sunt nota, quia ejus solummodo intellectus potest prædictam omnipotentiam comprehendere. Minor vero ex se constat, et eam docent communiter Theologi. Major autem videtur certa. Tum quia certum est, essentiam intellectus creati consistere in coaptatione, et commensuratione essentiali, in ordine ad ens in communi, et ad quodcunque ens sub illo contentum, ut dub. 1 diximus. Tum etiam; quia alioqui intellectus ratione luminis gloriæ, non posset elevari ad videndum Deum, prout est in se : sicut quia visus corporeus non est radicaliter, et remote capax visionis Dei per essentiam, ex eo, quod non habet coaptationem, et commensurationem essentialem cum illa, ideo nequit elevari ad eam eliciendam.

Tertio. 37 Tertio. Lumen naturale evidenter cognoscit esse credibile fide divina, quod intellectus creatus possit videre Deum, prout est in se : ergo etiam erit ei evidenter verum, talem visionem esse possibilem. Antecedens est D. Thom. 2^a $2^æ$, quæst. 1, art. 4 ad 2 et 3, quem communiter sequuntur Theologi, asserentes omnia mysteria nostræ fidei esse evidenter credibilia fide divina. Consequentia vero probatur. Quia evidens est lumine naturali, fidem divinam non posse inclinare, nisi in verum, alias talis error in Deum revelantem illum refunderetur : ergo si lumine naturæ est evidenter certum, possibilitatem visionis claræ Dei ab intellectu creato, contineri sub objecto fidei divinæ, etiam erit respectu ejusdem luminis evidenter verum, dari talem possibilitatem. Sicut, si est evidenter verum, aliquid contineri per se, et directe sub objecto visus, etiam erit evidens esse coloratum, et lucidum, vel saltim lucidum : quia est evidens, visum non posse inclinare per se, et directe, nisi in lucidum, et coloratum, vel ad minus in lucidum.

Confirmatur. 38 Confirmatur. Nam iste discursus est optimus : *Hoc est evidenter impossibile : ergo erit evidenter incredibile* : ergo etiam iste erit legitimus : *Hoc est evidenter credibile : ergo erit evidenter possibile.* Patet conseq. Quia arguitur ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis : qui argumentandi modus est legitimus. Quare si lumen naturale evidenter cognoscit esse credibile fide divina, quod intellectus creatus potest videre Deum, prout est in se, erit

erit etiam ei evidenter certum, id esse verum.

Quarto. Evidens est lumine naturali, in homine esse appetitum innatum ad visionem Dei per essentiam : ergo etiam erit evidens, eam esse possibilem. Conseq. patet. Quia evidens est appetitum innatum posse satiari : alioqui frustra esset inditus a natura. Antecedens vero etiam constat. Quia evidens est, esse in homine naturalem appetitum ad suum ultimum finem, et beatitudinem : quandoquidem hæc inclinatio in omnibus aliis rebus reperitur : ergo cum ultimus finis hominis, et ejus felicitas consistat in visione clara Dei, erit omnino certum, dari in eo appetitum naturalem ad illam.

Confirmatur. Evidens est, appetitum naturalem creaturæ intellectualis, in nulla re extra Deum quiescere, quousque perveniat ad claram Dei visionem, ut experientia ipsa testari videtur : ergo Deus clare visus non est utcunque ultimus finis, sed etiam ultimus finis naturalis ejusdem : ac proinde naturaliter illum appetet. Hæc ultima consequentia ex se constat. Prima vero etiam patet. Quia quælibet res naturalis quiescit assecuto suo fine naturali : ergo si creatura rationalis quiescit in clara Dei visione, et non in aliqua alia re, signum erit, talem visionem esse finem naturalem illius.

§ II.

Resolutio dubii ex mente D. Thomæ.

39 Ut clarius procedamus, præsupponendum est, nos posse loqui de lumine naturali secundum se, et præcise sumpto, vel, ut adjuto, seu excitato lumine fidei, vel divina revelatione.

Quo supposito, dicendum est primo, lumen naturale secundum se, et præcise sumptum non posse evidenter cognoscere, seu demonstrare esse possibilem visionem Dei per essentiam intellectui creato.

Assertio hæc aperte desumitur ex D. Thom. 1ª 2æ, quæst. 109, art. 1, quem sequuntur Cajet., Zumel, Machin, et alii ex Thomistis in præsenti Sylvest., 1 part., conflatus, quæst. 12, art. 1; Medina, 1, 2, quæst. 5, art. 1; Martinez, ibid., Alvarez, disp. 28; Suarez, disp. 30, Metaphys., sect. 11, et 1. tom. Summæ Theolog., lib. 2, de attributis cap. 7, et alii plures.

40 Probatur primo ratione desumpta ex D. Thom. locis citatis quæ potest ad hanc formam reduci. Visio Dei, prout est in se, est secundum suam substantiam supernaturalis, ut constabit ex iis, quæ infra art. 4 latius dicemus : ergo ex solius luminis naturalis, secundum se, et præcise sumpti, nequibit ejus possibilitas demonstrari. Patet consequentia. Quoniam hoc ipso, quod sit actio creata supernaturalis, non potest aliunde, quam ex principiis supernaturalibus demonstrari : at lumen naturale secundum se et præcise sumptum, solum procedit ex principiis naturalibus : ergo, etc. Prima ratio ex D.Thom.

Confirmatur primo ex eodem S. Doctore. Demonstratio possibilitatis alicujus rei creatæ facta per lumen naturale, secundum se sumptum, vel est a priori : et ita procedit ex causis ordinis naturalis . vel est a posteriori, ac proinde ex effectibus naturalibus : at res creata supernaturalis, secundum suam substantiam, neque habet causas, neque effectus ordinis naturalis : ergo ejus possibilitas nequit solo lumine naturæ demonstrari. Consequentia cum majori ex se constat. Minor vero etiam liquet. Nam cum causa, et effectus alicujus rei debeant esse proportionata, oportet, ut nec res supernaturalis pendeat, formaliter loquendo, a causis naturalibus, neque effectus illius ut talis pertineant ad ordinem naturalem. Confirmatur primo ex eodem.

Confirmatur secundo, ratione, quam innuit idem S. Doctor, 1ª 2æ, quæst. 114, necnon 1 ad Corinth. cap. 2. Nam possibilitas mediorum, quibus consequenda est visio Dei, prout est in se, non potest evidenter demonstrari solo lumine naturæ : ergo nec possibilitas ejusdem visionis. Patet consequentia. Quia nequit demonstrari possibilitas finis, si non potest evidenter sciri possibilitas mediorum : quoniam finis non est consequibilis, nisi per media. Antecedens vero etiam constat. Quia media ad assecutionem prædictæ visionis, scilicet gratia, fides, spes, charitas, etc., sunt supernaturalia, quæ proinde excedunt captum lumiris naturalis. Confirmatur secundo ex ipsomet.

41 Nec enervat vim hujus confirmationis id, quod respondet Vazq. loco citato, scilicet satis esse ad demonstrandam possibilitatem alicujus finis, demonstrari esse possibilia aliqua media vage sumpta in ordine ad talem consecutionem; ad hæc autem demonstranda sufficeret lumen naturale. Evasio.

Non itaque hoc enervat vim prædictæ confirmationis, imo potius inde major illius corroboratio consurgit. Nam tota ratio, ob quam non potest lumine naturali demons- Præclusio.

trari possibilitas mediorum, quæ in particulari, et determinate requiruntur ad consecutionem prædictæ visionis, bene tamen possibilitas eorundem vage sumptorum, non determinando, an sint supernaturalia necne, nequit esse alia, nisi quod in mediis, hoc ultimo modo sumptis, nihil relucet supernaturalitatis; bene tamen in illis primo modo acceptis; ergo cum visio Dei prout est in se exprimat aliquid supernaturale, nequibit ejus possibilitas solo lumine naturæ demonstrari; sicut ob eandem supernaturalitatem, non potest demonstrari possibilitas mediorum, ut in particulari, et determinate sumuntur.

Additamentum. Adde, quod ad demonstrandam possibilitatem finis supernaturalis, qualis est visio beatifica, oportet demonstrari possibilitatem mediorum habentium proportionem cum illo fine, ac proinde supernaturalium. Unde licet non sit necessarium descendere ad determinanda prædicta media; nihilominus quantumvis vage sumantur, debent includere supernaturalitatem, ac proinde nequibunt etiam hoc modo accepta, solo lumine naturæ attingi : quandoquidem, ut sæpe diximus, lumen naturale secundum se præcise sumptum nequit evidenter attingere rem creatam, et secundum substantiam supernaturalem quatenus talem.

Secunda ratio ex D.Thom. 42 Secundo, et principaliter probatur assertio ratione, quam innuit D. Thom. 1 ad Corint. cap. 2. Quia nullus ex antiquis, et nobilissimis Philosophis, qui solo lumine naturæ ducti de Deo disputaverunt, assecutus est, posse intellectum creatum videre Deum immediate, et prout est in se; ergo signum est, id solo lumine naturæ non posse demonstrari. Patet conseq. Quia si prædicto lumine esset demonstrabile, non est dubium, quin aliquis ex illis id consecutus fuisset, sicut plura alia, eaque valde difficilia demonstraverunt, ex eo, quod lumine naturæ scibilia sunt.

Effugium. 43 Nec refert solutio Vazquez nimirum, quod licet solo lumine naturæ sit demonstrabilis possibilitas Dei per essentiam, nihilominus demonstrationes ad hoc deservientes non possunt a Philosophis naturalibus per prædictum lumen investigari : quia, ut intellectus creatus non erret circa multa naturalia, indiget adjuvari lumine fidei : et ideo sine hoc lumine eas invenire non poterit, quanvis si semel adinventæ sint; tunc efficacitas earum intellectui solo lumine naturali adjuto vim afferet, et ad assensum movebit.

Non igitur hoc refert. Quia in hac solutione videntur contradictoria involvi. Nam si prædictæ demonstrationes investigabiles non sunt per solum lumen naturæ, tunc nequibunt fieri per illud præcise sumptum : et deinde si earum efficacitas non excedit dictum lumen, non est, cur per illud investigari nequeant. Maxime, quia ratio, quæ huic authori immerito videtur demonstratio, scilicet intellectum creatum habere appetitum naturalem ad suam beatitudinem, ac proinde ad visionem Dei, et appetitum hunc esse explebilem, ne sit frustraneus, non est adeo difficilis, ut a nullo intellectu creato nequeat investigari, cum tamen plures aliæ demonstrationes longe difficiliores ab Aristot. et Plat. ad alias veritates naturales ostendendas, adinventæ sint.

Præclusio illius

Assert secund 44 Dicendum est secundo. Intellectum creatum, non secundum se, et præcise sumptum, sed, ut adjutum, vel excitatum lumine fidei, posse demonstratione Theologica, aut rationibus probabilibus, aut aliis conjecturis ostendere possibilitatem visionis Dei per essentiam. Assertio hæc aperte desumitur ex iis, quæ tradit D. Thom. infra quæst. 27, art. 2, et quæst. 32, art. 1, et 3 part., quæst. 1, art. 1, et communiter recipitur ab authoribus pro præcedenti assertione relatis.

Exp' cati Eget tamen explicatione. Nam intellectus creatus dupliciter potest uti lumine fidei : vel ita, ut ex principiis revelatis, et ex aliis lumine naturæ notis, deducat aliquam conclusionem, vel ita, ut lumine fidei tantum excitetur, ad utendum principiis naturalibus, non vero revelatis, in ordine ad aliquam conclusionem colligendam. Dicimus ergo intellectum creatum priori modo adjutum lumine fidei, posse demonstratione Theologica ostendere possibilitatem visionis Dei per essentiam, excitatum vero secundo modo, tantum posse probabiliter, et aliquibus congruentiis id suadere.

Proba asser quoa parte 45 Assertio ergo sic explicata probatur quoad 1 part. Nam ex hoc principio revelato, scilicet : *Homines, aut Angelos esse elevatos ad ordinem supernaturalem, media gratia, et charitate, quæ sunt participationes, et effectus Dei, prout est in se*, et ex alio principio lumine naturæ noto, nimirum, quod *cognito effectu, inest naturale desiderium cognoscendi causam, quoad rationem eam, secundum quam est causa*, efficaciter colligitur in esse in hominibus, aut Angelis, ut elevatis, naturale

rale desiderium videndi causam, scilicet Deum, prout est in se : quia secundum hanc rationem est causa prædictorum effectuum, nimirum gratiæ, et charitatis, atque adeo hinc etiam inferetur esse possibilem talem visionem : quandoquidem appetitus naturalis (ne sit frustraneus) nequit ferri ad aliquid impossibile.

46 Quoad secundam vero partem sic eadem assertio suadetur. Nam sicut ratio naturalis lumine fidei excitata potest adinvenire aliquas rationes, et conjecturas, quibus utcunque probet mysterium Incarnationis, aut processionis Verbi non esse dissonum eidem rationi naturali, sed cum illa suo modo congruere, ut in propriis materiis ostendi solet : ita eodem lumine excitata potest etiam uti rationibus probabilibus, ad probandum possibilitatem visionis Dei per essentiam, non esse dissonam naturis rerum, ut constat ex rationibus dub. 1 adductis pro nostra assertione, quæ licet efficaciter non convincant, posse intellectum creatum videre Deum, prout est in se, ut ex dictis, et ex jam dicendis in hoc dubio constabit : nihilominus hac possibilitate ex fide præsupposita, tunc utcunque ostendunt prædictam visionem Dei, prout est in se, non repugnare, sed suo modo congruere naturæ intellectus creati ; maxime si eis addantur solutiones rationum pugnantium contra possibilitatem hujus mysterii, quas statim adjiciemus.

§ III.

Occurritur fundamentis primæ sententiæ.

47 Ad primum ergo respondetur, tam illud, quam cætera alia probare nostram secundam assertionem, quoad ultimam ejus partem, si debito modo ad id applicentur. Quatenus vero contra primam assertionem pugnant, dicendum est ad primum, non esse evidens, lumine naturali, objectum intellectus adæquatum esse ens, prout abstrahit a naturali, et supernaturali. Unde qui assereret objectum illius, tantum esse ens naturale, non posset ex vi luminis naturalis evidenter falsitatis convinci.

Adde, quod licet gratis daremus, esse evidens objectum intellectus esse ens secundum rationem communem suæ analogiæ ; nihilominus nequiret inde evidenter per lumen naturale concludi, posse Deum perfectissimo modo, ac proinde quidditative, et prout est in se videri : quia satis esset, ut imperfectiori alio modo esset cognoscibilis, ut ex solutione ad secundum amplius constabit.

48 Ad confirmationem respondetur, non esse universaliter verum, perfectionem convenientem rei inferiori, debere inveniri in superiori, et eminentiori, etiam si ambæ ad idem genus pertineant. Unde licet homo, et cœlum ad genus corporis spectent, non ideo incorruptibilitas conveniens cœlo, debet inveniri in homine, qui est res superior. Et similiter quamvis visio corporea includat evidentiam, quæ est magna perfectio cognitionis : nihilominus, non ideo actus fidei sub genere cognitionis contentus debet habere eamdem evidentiam, imo potius illi repugnat. Et sane si argumentum convinceret intentum, etiam concluderet, posse intellectum creatum propriis viribus videre Deum sicuti est : quia dari potest visus, scilicet corporeus, potens propriis viribus attingere totum suum objectum. Unde cum hoc ad perfectionem illius spectet, posset etiam intellectus totum suum objectum propriis viribus, et prout est in se attingere, si semel verum est, perfectionem convenientem potentiæ inferiori respectu proprii objecti, debere inveniri in superiori in ordine ad suum objectum.

Ad confirmationem.

49 Ratio autem, ob quam diverso modo in visu, et in intellectu, quoad hoc philosophamur, est, quia cum visus sit potentia inferior, materialis, et satis imperfecta, non est necesse, ut habeat objectum superioris ordinis, et excedens. Intellectus autem est potentia non solum eminentior visu, sed etiam in se nobilissima tendens ad ens secundum communem rationem suæ analogiæ : et ideo potest sub objecto adæquato illius contineri aliquod objectum superioris rationis, quod proinde excedat efficaciam naturalem ejusdem intellectus : et ita non non pertineat ad objectum porportionatum, et connaturale, sed ad extensivum illius. Hinc tamen non sequitur posse per solum lumen naturale evidenter cognosci, prædictum objectum in particulari contineri sub objecto extensivo intellectus : quia sicut lumen naturale illius non potest pertingere ad illud propriis viribus, quia transcendit totum ordinem naturalem, ita nequit illi sic sumpto esse evidens contineri sub objecto adæquato ipsius, quamvis re vera sub illo contineatur.

Disparitas inter visum et intellectum.

Ad secundum.

50 Ad secundum respondetur primo, quod si semel verum est in intellectu creato esse distinguendam duplicem potentiam, aliam naturalem, ita ut intellectus ipse essentialiter sit potentia naturalis ; aliam vero obedientialem, quæ sit ordinis supernaturalis, ut supra num. 12 hujus disp. dicebamus : tunc prædictus intellectus non erit capax eliciendi visionem Dei per essentiam per priorem illam, sed per hanc posteriorem potentiam ; et ita ex hoc, quod Angelus comprehendat eumdem intellectum, non sequitur cognosciturum possibilitatem visionis beatificæ, quia tantum comprehendit potentiam naturalem, quæ ad illam non se extendit; non vero obedientialem formaliter sumptam, ratione cujus est capax eliciendi prædictam visionem.

Alia solutio secundi.

51 Secundo respondetur (et quidem consequenter ad ea, quæ num. 13 diximus) concedendo maj. et min. et negando conseq. Et ad probationem dicendum est, eam esse veram de objectis connaturalibus alicujus potentiæ, non tamen de illis, respectu quorum præcise habet capacitatem, et commensurationem essentialem. Nam licet intellectus cumprehendens aliquam potentiam debeat scire, tum objectum ejus specificativum secundum eam rationem, quam exprimit, secundum quod specificat, et modo statim magis explicando : tum etiam quænam sint in particulari objecta connaturalia, ad quæ potest extendi, non tamen quænam sint in particulari objecta improportionata, et superexcedentia ad quæ supernaturaliter potest elevari.

Unde etsi intellectus secundum suam essentiam comprehendatur ab Angelo, non inde fit, quod ex vi illius comprehensionis evidenter cognoscatur capacitas ipsius ad claram Dei visionem, quæ est aliquid superexcedens : sed solum, quod sciatur, tum quænam in particulari sint objecta connaturalia, ad quæ prædictus intellectus potest extendi, seu respectu quorum sunt illi connaturaliter debitæ species intelligibiles, quibus cognoscantur : tum etiam, quod prædictus intellectus sit talis naturæ, ut respiciat suum objectum specificativum, scilicet ens in communi, non determinando expresse, an sit naturale, vel supernaturale, vel an inferiora pertineant ad ordinem naturalem, vel supernaturalem, ac proinde, an sit quid commune respectu entium naturalium, vel supernaturalium, ut talium ; licet re vera omnia hæc sub illo contineantur : et ita ex vi cognitionis hujus objecti non poterit scire, an sint possibilia entia supernaturalia in particulari sumpta, vel an comprehendantur sub ejus objecto.

Explicatur hoc

52 Potestque hoc explicari exemplo ejusdem intellectus Angelici, ut collati cum pluribus aliis creaturis possibilibus ordinis naturalis, et ad aliud universum spectantibus. Nam licet sub objecto ejus prædictæ creaturæ comprehendantur, non tamen prædictus intellectus comprehendens se ipsum, attingit in particulari tales creaturas : quia non pertinent ad objectum connaturale illius, seu ad objectum, respectu cujus sunt illi debitæ species intelligibiles, ut in tractatu de Angelis dici solet, et nos ibidem, Deo dante, id explicabimus.

Per quod ad id, quod de omnipotentia in hoc argumento adducitur, satis constat. Quoniam omnes, et singulæ creaturæ possibiles non sunt objectum improportionatum, et superexcedens respectu illius : et ideo nequit comprehensive attingi, quin omnes illæ etiam in particulari attingantur.

Replica.

53 Nec refert si urgeas, quod ad hoc, ut aliqua cognitio sit comprehensiva, debet ita extendi sicut objectum cognitum, ut ex iis, quæ art. 7 dicemus constabit, sed intellectus secundum suam essentiam extenditur ad objecta supernaturalia etiam in particulari, nempe ad visionem Dei per essentiam : ergo cognitio comprehensiva debet hoc ipso quod talis, ad visionem divinæ essentiæ extendi, attingendo, quod prædictus intellectus tunc comprehensus, est capax videndi divinam essentiam.

Diluitur.

Respondetur enim concedendo majorem in sensu formali, id est, de objecto cognito secundum eam præcise rationem, secundum quam cadit sub comprehensione, et negando minorem de intellectu, ut cadit sub comprehensione, qua comprehenditur ab Angelo, secus tamen, ut non cadit sub illa. Et deinde neganda est consequentia.

Explicatur solutio

Explicatur hoc. Etenim intellectus secundum suam essentiam potest considerari ut comparatur, vel cum suo objecto specificativo secundum eam rationem, quam expresse, et formalissime in ratione specificativi dicit, vel cum eo secundum omne id, quod implciite, et de materiali importat, vel cum objecto connaturali, et proportionato suæ quantitati virtutis, vel tandem, ut confertur cum suo objecto superexcedente prædictam virtutem : etsi ergo intellectus secundum suam essentiam comprehendatur a cognitione Angelica, secundum, quod comparatur cum suo objecto specificativo, prior mode

de sumpto, vel cum objecto proportionato; non tamen ut confertur cum objecto superexcedente, vel cum specificativo, secundum omne id, quod implicite, et de materiali importat; et ita non est necesse, ut ex vi illius comprehensionis cognoscatur, quod prædictus intellectus potest extendi ad visionem claram Dei, quæ est objectum improportionatum, et superexcedens respectu ipsius.

Tacitæ objectioni occurritur.

54 Nec hinc fit (ut per hoc tacita quædam objectio solvatur) quod absolute, et simpliciter loquendo non comprehendatur comprehensione naturali prædictus intellectus per illam cognitionem Angelicam : quia ad comprehendendam absolute et simpliciter essentiam alicujus potentiæ, non est necesse nisi comprehendere illam, ut collatam cum suo objecto proportionato, et specificativo (modo jam dicto) sumpto. Quoniam ad prædictam comprhensionem nulla ratione desideratur comprehensivo potentiæ obedientialis, ut communiter docent Theologi; sive illa sit supernaturalis secundum substantiam, ut in priori solutione hujusargumenti dicebamus; sive non sit supernaturalis secundum substantiam, sed sit pure obedientialis, ut juxta hunc dicendi modum contingit : ac proinde nec erit necesse comprehendi prædictam essentiam, prout reduplicative, et formaliter connotat, vel affert involute suam potentiam obedientialem in ordine ad objectum supernaturale, et per consequens, nec comprehendi secundum, quod comparatur in particulari cum suo objecto superexcedente (siquidem secundum suam potentiam obedientialem debet cum illo sic comparari) vel secundum, quod confertur cum suo objecto specificativo secundum omne id, quod de materiali et implicite connotat. Nam secundum istam rationem dicit prædictam essentiam, prout reduplicative, et formaliter connotat involute suam potentiam obedientialem in ordine ad objectum supernaturale.

Ad tertium.

55 Ad tertium respondetur, quod licet non sit evidens metaphysice mysteria nostræ fidei habere per ordinem ad rem ipsam omnes conditiones, quæ requiruntur ad hoc, ut fide divina, id est, supernaturali, credantur, quia ex parte rei creditæ desideratur, ut id, quod sub prælicta fide cadit, sit in se verum, et ita ut bene argumentum concludit, evidenter sciretur ea esse vera, si esset evidens modo dicto ea sub fide divina cadere; est tamen id metaphysice evidens per ordinem ad prudentem, et rectam rationem, id est, licet non sit evidens, re ipsa habere prædictas conditiones; est tamen evidens, quod prudenter judicatur eas habere. Ex quo tamen non sequitur esse evidens, quod sint talia qualia fides docet, sed quod prudenter judicatur ea ita esse. Unde non obstante illo judicio possent, quantum est ex hoc capite, esse falsa, et impossibilia, ut ex solutione ad confirmationem magis explicabitur : et ita nequit inde eorum possibilitas evidenter colligi.

Ad confirmationem.

56 Ad confirmationem respondetur concedendo antecedens, et negando conseq. Et ad probationem, non argui ibidem ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis, cum utraque propositio sit affirmativa : sed ita deberet inferri : *Hoc non est evidenter incredibile : ergo non est evidenter impossibile.* Ex quo tamen nihil contra nos : quia inde ad summum deducitur, possibilitatem illius mysterii esse evidentem negative, non vero positive, id est, non probari, tale mysterium esse impossibile, non tamen positive convinci, illud esse possibile.

Explicatio solutionis ex quadam instantia.

Et potest hæc confirmatio aperte instari a simili. Nam sicut ex hoc, quod aliquid sit evidenter impossibile, ac proinde evidenter inopinabile, non bene colligitur, quod si sit evidenter opinabile, erit evidenter possibile, quia ex hoc, quod sit evidens, posse aliquid opinative, et probabiliter sustineri, non sequitur esse evidens, illud esse verum : ita neque valebit discursus in hac confirmatione factus, ut intuenti constabit.

Et sane ratio in utroque casu est eadem, scilicet, quod evidentia probabilitatis, et credibilitatis rei in sensu dicto, non sumitur ex eo, quod res est, vel non est, nam multa falsa, et credibilia, sunt probabiliora veris ; sed ex aliis causis extrinsecis, videlicet ex testimoniis Doctorum, vel ex signis, aut aliis rationibus, et conjecturis : quæ possunt compati cum falsitate ejusdem rei; et nihilominus evidenter suadere, rem illam habere omnes conditiones requisitas, ad hoc, ut prudenter judicetur, esse dignam, ut credatur. Ut patet in rustico, cui communis consensus Doctorum proponeret, ut de fide certum, Christum esse sub hac numero hostia. Nam tunc evidens esset, rusticum prudenter judicaturum, si existimaret, id esse dignum creditu fide divina, quamvis re ipsa tale non sit.

Ad ultimum patebit dubio sequenti.

DUBIUM IV.

Utrum in natura intellectuali secundum se sumpta, sit appetitus innatus ad visionem Dei per essentiam ?

Appetitus duplex.

57 Ut titulus notior maneat, notandum est ex D. Thom., 1 part., quæst. 19, art. 1 et 9, quæst. 59, art. 1, et quæst. 80, art. 1, appetitum esse duplicem, alterum innatum, seu naturalem, alterum vero elicitum. Primus est inclinatio, seu propensio ab authore naturæ indita, qua unaquæque res absque ulla cognitione in suum bonum est propensa, qualis est propensio gravis in centrum; et levis in locum sursum. Hic autem appetitus non constituit speciale genus potentiæ, distinctum a natura substantiali, vel accidentali, cui competit : sed est pondus ipsius in suam perfectionem. Appetitus vero elicitus, qui proprie rationem appetitus habet, est actus appetendi, quo res fertur in bonum cognitum sub ratione boni : et ita procedit ab speciali quadam potentia, scilicet ab appetitu sensitivo, vel rationali : quorum primus fertur in bonum sensibile, secundus autem in bonum, ut sic. In præsenti autem solum loquimur de priori appetitu, non vero de posteriori : de hoc enim, ut clarius, et distinctius procedamus, in sequenti dub. differemus.

§ I.

Placitum Scoti, et aliorum.

58 Prima sententia affirmat esse in natura intellectuali appetitum innatum per modum ponderis naturæ ad visionem Dei, prout est in se Trinus et Unus. Ita Scotus in 1, quæst. 1, prolog., et in 4, dist. 49, quæst. 10; Durandus ibidem, quæst 8; Paludanus, quæst. 47; Soto, quæst. 2, art. 1, et lib. 1 de Natura et Gratia, cap. 4; Valentia, 1ª 2æ, quæst. 5, art. 8, disp. 1, puncto 1.

Primum fundamentum.

Hujus sententiæ præcipua fundamenta ad duo reducuntur. Quorum primum est illud, cujus occasione præsens dubium excitavimus. Secundum vero sic se habet. Quoniam Deus, ut est in se Trinus et Unus, pertinet ad objectum specificativum intellectus : ergo intellectus naturaliter inclinatur ad videndum illum, secundum istam rationem consideratum. Patet consequentia. Quia quævis potentia naturaliter inclinatur in suum specificativum, et in ea, quæ ad ipsum pertinent, sicut in id, a quo habet totum suum *esse*, et specificationem.

Solutio.

59 Nec refert si dixeris, Deum, prout est in se contineri intra objectum specificativum intellectus, ut quid excedens, et improportionatum respectu illius : et ita intellectum non habere appetitum innatum in ordine ad ipsum sic videndum.

Impugnatur.

Nam contra hoc est, quod eadem ratio objectiva secundum speciem, quæ reperitur in aliis entibus, invenitur etiam in Deo, prout est modo dicto in se : ergo, sicut intellectus naturaliter inclinatur ad cognoscenda alia objecta, ita ad attingendum Deum secundum prædictam rationem. Antecedens probatur. Quoniam eadem ratio objectiva secundum speciem debet reperiri in omnibus objectis inadæquatis alicujus potentiæ : alioqui ipsa non esset una secundum speciem. Consequentia vero etiam constat. Nam tota ratio, ob quam in alia objecta naturaliter inclinatur, est, quia ibidem reperitur illamet ratio formaliter, et specificans : non secus, ac visus ideo naturaliter inclinatur in sua objecta, quia in eis reperitur propria ratio objectiva illius, scilicet visibilitas.

Confirmatio.

Confirmatur Nam ratio materialis habet se materialiter, et per accidens ad rationem formalem, et objectivam : ergo si semel eadem ratio formalis objectiva reperitur in Deo, prout est in se Trinus et Unus, et in aliis objectis, consequens est, ut vel non inclinetur naturaliter ad reliqua, vel naturaliter inclinetur ad Deum secundum utramque rationem sumptum.

§ II.

Difficultatis nodus ex doctrina D. Thomæ dissolvitur.

Conclusio.

60 Nihilominus dicendum est, non esse in creatura intellectuali appetitum innatum jam dictum sumptum pro pondere, seu inclinatione naturæ, sine aliqua prævia cognitione, quæ sit in ordine ad Deum clare, et quidditative visum, sive, ut est Trinus et Unus, sive, ut tantum est Unus, et quoad ea prædicata, quæ ad rationem primæ causæ pertinent. Assertio hæc aperte desumitur ex D. Thom. in hoc articulo, et quæst. 23, art. 1, quæst. 62, art. 1 et 2, 1ª 2æ, quæst. 114, art. 2, de Verit., quæst. 22, art. 7, et tandem in 4, dist. 49, quæst. 1, art. 3, quæstiunc. 3, his verbis : *Quamvis autem*

autem ex naturali inclinatione voluntas habeat, ut in beatitudinem feratur secundum communem rationem, tamen, quod feratur in beatitudinem talem, vel talem, hoc non est ex inclinatione naturæ, sed per discretionem rationis, quæ adinvenit in hoc, vel in illo summum bonum hominis constare. Et ita Sanctum Doctorem sequuntur Cajetan., Bannez, Zumel, Nazarius, et Molina in præsenti; Alvarez, 1ª 2æ, disp. 26; Martinez, quæst. 3, art. 8, dub. 1, et alii quamplures.

Ratio ex D.Thom.

61 Probatur ratione desumpta ex eodem S. Doctore locis citatis. Quoniam, ut ex eisdem constat, Deus clare visus, sive, ut est Trinus et Unus, sive, ut est Unus, et prima causa, est objectum supernaturale, et superexcedens, ac improportionatum respectu creaturæ intellectualis : ergo in ea non est appetitus innatus per modum ponderis, et inclinationis naturæ in ordine ad illum sic sumptum. Antecedens patebit ex iis, quæ art. 4 et 5 dicemus. Nam, ut ibidem constabit, Deus, prout est in se, non potest etiam, quoad rationem causæ primæ clare, et intuitive videri sine lumine gloriæ, et unione divinæ essentiæ in ratione speciei intelligibilis cum intellectu. Quare cum hæc supra naturam ejus sint, quia, nec lumen gloriæ, nec unio divinæ essentiæ in ratione speciei intelligibilis potest esse connaturalis alicui intellectui creato, aut creabili, consequens est, ut visio essentiæ divinæ, prout est in se, sive secundum utramque rationem, sive secundum, quod est prima causa, sit objectum superexcedens, improportionatum, et supernaturale respectu naturæ intellectualis creatæ. Consequentia vero etiam constat. Nam appetitus naturalis per modum ponderis naturæ, non est nisi in bonum connaturale, et proportionatum, ut inductive constat in aliis appetitibus, et inclinationibus naturæ : et ideo grave, hoc modo inclinatur in centrum, et leve in locum sursum, quia hæc sunt bona proportionata, et connaturalia illius.

Confirmatur primo.

62 Confirmatur primo. Quoniam inclinatio naturalis per modum ponderis naturæ, de qua loquimur, est indita a Deo, præcise, ut authore naturæ : ergo non potest se extendere ad ipsum Deum, quatenus est in se, et ut transcendit totum ordinem ejusdem naturæ, ac proinde neque ad illum, ut est in se clare visibilis, sive, ut est Trinus et Unus, sive, ut est Unus. Antecedens ex se liquet. Utraque vero consequentia etiam constat. Quoniam inclinatio non potest se extendere ultra id, ad quod se extendit suum principium : ergo si est a Deo, ut authore naturæ, non habebit virtutem, ut transcendat totum hunc ordinem, et pertingat ad ordinem supernaturalem, intra quem continetur Deus, ut clare, et prout est in se visibilis, sive, ut est Trinus et Unus, sive, ut est Unus, et prima causa.

Confirmatur secundo D.Thom.

Confirmatur secundo ratione, quam innuit D. Thomas, 1ª 2æ, quæst. 114, art. 2. Nam quoties datur prædictus appetitus innatus per modum ponderis, et inclinationis naturæ in aliquem finem, dantur etiam instrumenta, et vires intra ordinem naturæ ad consequendum illum finem : sed in creatura intellectuali non dantur instrumenta, et vires intra prædictum ordinem, quibus posset consequi visionem claram Dei, sed hæc illi gratuito a Deo authore supernaturali tribuuntur : ergo neque erit in ea appetitus innatus in visionem Dei. Conseq. videtur evidens. Minor est de fide. Major etiam constat. Quoniam alias appetitus ille, et pondus naturale esset frustraneum, quippe, quod per vires naturæ, quas solas respicit, expleri nequit. Unde Arist., 2 de Cœlo, text. 50, ex eo probat, astra non inclinari naturaliter in motum progressivum, quia alias author naturæ dedisset eis instrumenta ad talem motum, qui ab illis deberet procedere, ne inclinatio illa esset frustranea.

Scoti solutio tam ad rationem, quam ad secundam conclusionem.

63 Occurrit Scotus, satis esse visionem Dei claram esse ultimum finem creaturæ intellectualis : quoniam quævis natura propendit naturaliter in suum ultimum finem, et deinde pro majori secundæ confirmationis solutione addit, multoties dari appetitum innatum ad aliquam formam, quæ tamen per vires naturæ nequit consequi : ut patet in anima separata, quæ licet naturaliter appetat unionem cum corpore, ut videtur docere D. Thom. 1. part., quæst. 76, art. 1 ad 6, non tamen dantur in natura instrumenta, et vires ad illam reuniendam : et similiter in homine habente innatum appetitum ad vivendum secundum rectam rationem, et nihilominus ad hoc, ut numquam peccet, ac proinde numquam deviet a recta ratione, indiget speciali auxilio gratiæ.

Impugnatur primo.

Sed contra. Nam, quod aliquis sit finis ultimus respectu alicujus naturæ, non tollit quominus possit esse improportionatus, et superexcedens, ut ex se, et in visione Dei per essentiam respectu creaturæ intellec-

tualis patet : ergo tunc natura illa non habebit appetitum innatum in ordine ad prædictum finem, quantumvis ultimum. Patet conseq. Quia pondus naturæ, tantum est in finem ultimum naturalem, non vero in ultimum finem improportionatum superexcedentem, et supernaturalem. Nam, sicut iste est supra naturam, ita ipsa non inclinatur connaturaliter in illum, nisi per aliquid superexcedens eamdem naturam, maxime, quia inclinatio naturalis per modum ponderis naturæ fundatur in naturali sympathia, et cognatione, quæ est inter appetitum, et rem appetitam, ut inductione facta constare poterit. Quare cum inter rem ordinis naturæ, ut talem, et formam supernaturalem nulla sit naturalis sympathia, aut naturalis cognatio, et propinquitas, nulla erit etiam unius ad aliam naturalis inclinatio, et pondus.

Impugnatur amplius.

64 Deinde. Quoniam finem aliquem esse ultimum non tollit quominus, si sit improportionatus, et supernaturalis, tantum sit in natura potentia obedientialis in ordine ad illum : sed appetitus, et pondus naturæ non dicit solum potentiam obedientialem, sed naturalem, seu connaturalem, saltim potentiam passivam, et distinctam ab obedientiali, sive hæc sit formaliter supernaturalis, sive non : ergo tunc talis finis, quantumvis ultimus, non appetitur appetitu innato. Major constat, tum ex dictis, tum etiam : quoniam alias ultra prædictam potentiam obedientialem esset in natura potentia, saltim passiva, naturalis, seu connaturalis respectu illius finis supernaturalis : ac proinde finis ille supernaturalis, v. g., visio clara Dei esset naturaliter consequibilis : quandoquidem cuilibet potentiæ passivæ, quæ modo dicto est naturalis, correspondet sua potentia activa, quæ sit naturalis, vel debeat ita agere juxta debitum naturæ, ut illa potentia sit naturaliter in actum reducibilis.

Minor vero etiam constat. Tum quia appetitus, ut sic dicamus, per modum desiderii, et pondus naturæ, de quo in præsenti loquimur, est respectu formæ debitæ, et ideo dicit privationem ipsius, non vero solam negationem : at vero sola potentia obedientialis non est respectu formæ debitæ, et ideo quamvis careat forma illa, non ob id proprie, et in rigore dicitur esse privata prædicta forma. Tum etiam : quia alioqui esset in quavis substantia creata appetitus naturalis ad unionem hypostaticam, ad quam habet potentiam obedientialem : et ita maneret in statu violento donec hypostatice cum Deo uniretur.

Solutio secundæ confirm. explicatur.

65 Ex quo etiam satis apparet, quantum falsitatis contineat id, quod ex Scoto pro majori solutione secundæ nostræ confirmationis additum est, scilicet non ideo formam aliquam esse naturaliter consequibilem, quia fit in natura appetitus innatus, et pondus ad illam. Nam, præterquam, quod hoc ex dictis manet impugnatum, nihilominus potest adhuc ejus falsitas colligi ex eo, quod Philosophi inde colligunt fuisse connaturaliter unibilem animam rationalem, v. g., Socratis cum sua materia in prima illius productione, quia erat in eadem materia naturale pondus, et inclinatio ad talem unionem. Et Arist. ex eo probat, 3 de Anima, cap. 5, dari intellectum agentem, quia datur possibilis : nam cum hic sit potentia passiva, oportet, ut detur agens ejusdem ordinis, qui illum ad actum naturaliter reducat.

D. Thom

Estque doctrina hæc valde consona menti D. Thomæ, 1ª 2æ, quæst. 114, art. citato : ubi docet vitam æternam excedere proportionem naturæ creatæ, necnon et cognitionem, ac desiderium ejus, ob idque nullam creaturam esse sufficiens principium merendi, et consequendi illam, nisi detur ei donum gratiæ : ubi ex defectu inclinationis naturalis, seu ponderis, et desiderii naturæ probat defectum consecutionis per meritum propriis, et naturalibus viribus exhibitum, sentiens hæc duo esse inseparabilia, scilicet naturaliter finem appetere, et posse eundem naturaliter adipisci.

Satisfit exemplis pro solutione Scoti.

66 Neque exempla ab eodem Scoto adducta ei favent. Quia ad naturalem inclinationem, quæ est in anima ad unionem cum materia, ex eo, quod est vera pars hominis, sufficit, quod debito tempore fuerit illa unio naturaliter ad actum reducibilis; non tamen est necesse, ut id pro omni tempore, et pro omni statu sit possibile. Unde licet anima absolute, et secundum se, et ex principiis naturæ considerata, præscindendo ab statu, et tempore separationis post primam unionem, sit naturaliter inclinata ad suam unionem, non tamen in sensu composito, et ex suppositione status prælictæ separationis : quia, ut sic non habet aliquam causam, quæ naturaliter possit illam ad actum reducere, et ideo illa inclinatio solum dicitur naturalis ex parte termini materialiter sumpti, et secundum quid; non vero absolute, et simpliciter propter rationem dictam, ut N. Compluten. Collegium in 1 Physic., disp. 3,

disp. 3, num. 92 et 93 adnotavit. Neque aliquid aliud vult D. Thom. loco citato ex 1 part., quæst. 76, art. 1 ad 6.

Et similiter ad hoc, ut sit in homine naturalis inclinatio ad vivendum secundum rationem, non sequitur viribus naturæ posse adimplere omnia præcepta : quia talis inclinatio non est ad vivendum conformiter ad rationem in omnibus collective, sed solum divisive, ut solet 1ª 2æ, quæst. 109, explicari.

Dato tamen esse in homine naturalem appetitum ad vivendum in omnibus secundum rectam rationem, tunc dicendum esset, ad appetitum naturalem saltim requiri, quod possit expleri per vires ad ordinem naturæ pertinentes, qualiter expleri posset prædictus appetitus : quandoquidem ad vivendum in omnibus secundum id, quod directe dictat ratio naturalis, satis essent auxilia specialia ordinis naturæ. Cæterum ad satiandum appetitum innatum ad visionem Dei, prout est in se, non sufficiunt auxilia quantumvis specialia et gratuita ordinis naturæ, sed desiderantur vires gratuitæ ordinis supernaturalis, ut probatum est.

§ III.

Satisfit argumentis Scoti.

Ad num. 67 Ad primum ergo, quod ex dub. 3 insolutum reliquimus, quodque num. 36 ejusdem dubii adduximus, respondetur, appetitum innatum non esse respectu cujuscumque finis ultimi : aut respectu cujuscumque perfectionis, sed respectu finis ultimi naturalis, qualis non est visio Dei, prout est in se, respectu creaturæ intellectualis, secundum se sumptæ. Diximus, *Secundum se sumptæ*, quia, ut elevata per gratiam, et charitatem (secundum quam rationem de illa in præsenti non loquimur) connaturaliter propendit in prædictam visionem.

Ad confirmationem eodem numero nuper citato adductam respondetur, appetitum innatum creaturæ intellectualis, secundum se sumptæ, quiescere in cognitione Dei abstractiva, et perfecta, qua ex creaturis ordinis naturalis cognoscatur : quia in hac cognitione beatitudo ejus connaturalis consistit, ut 1ª 2æ solet explicari. Appetitus vero ejusdem, ut elevatæ, solum quiescit in Deo clare viso. Neque est inconveniens, ut creatura illa, quæ secundum diversam rationem considerata potest duplicem finem ultimum, duplicemque beatitudinem habere, nequeat omnibus modis, et in omni ordine quiescere in aliquo eorum, scilicet in inferiori, qui eminenter non præhabet ea, quæ sunt superioris ordinis, ut ex se constare videtur.

Explicatur. Diximus, *In aliquo eorum scilicet in inferiori*, non posse quiescere, quia in fine ultimo superiori, potest, et debet requiem habere : nam iste continet eminentissimo modo omnem perfectionem ipsius finalis naturalis. Neque hinc fit prædictum finem supernaturalem naturaliter appeti a creatura intellectuali secundum se sumpta. Nam, quod modo dicto satiat appetitum naturalem, non est necesse ut naturaliter appetatur, ut constat in humanitate Christi Domini, cujus naturalis appetitus ad propriam subsistentiam satiatur per subsistentiam Verbi, et nihilominus non appetitur per appetitum innatum ab illa.

Ad secundum. 68 Ad secundum bene respondetur ibidem. Ad probationem vero dicendum est, appetitum innatum intellectus creati in ordine ad aliquod objectum non sumi ex ratione *sub qua* præcisæ sumpta, quia hæc formaliter, et univoce est eadem in omnibus objectis intellectus, ut ad illius specificationem concurrunt, et præscindit a naturali, et supernaturali : sed ex ratione formali *quæ*, non qualicumque, sed proportionata, et non superexcedente. Deus autem ut clare visibilis dicit rationem formalem *quæ* improportionatam, et supernaturalem, ut ostensum est.

69 Neque obest id, quod in eadem probatione additur, scilicet quamlibet potentiam habere inclinationem innatam in suum specificativum, et in ea, quæ ad ipsum pertinent. Quia quoties specificatio, atque adeo, et ratio objectiva præscindunt a naturali, et supernaturali, ut in intellectu (modo tamen dubio primo hujus articuli exposito) contingit, tunc potentia non inclinatur naturaliter in suum specificativum præcise quia tale, sed quatenus superinduitur ratione objecti proportionati : et ita intellectus inclinabitur naturaliter in intelligibile, ut sic prout non explicat, nec determinat, an intelligibile super naturale, ut tale, et in particulari sumptum, comprehendatur sub illo. Quia intelligibile, ut sic, hoc modo sumptum, superinduitur ratione objecti proportionati : sicut etiam prædictus intellectus naturaliter propendit in alia intelligibilia proportionata, non vero in intelligibilia superexcedentia in particulari considerata ; sive secundum se, sive determinando, quod intelligibile, ut sic,

quod est objectum intellectus creati, habet sub se continere illa in particulari accepta.

Adde, quod si semel verum est id, quod num. 12 diximus, scilicet intellectum constare essentialiter ex duplici formaliter potentia, alia naturali, alia vero obedientiali, et quæ sit formaliter supernaturalis, tunc sola entia naturalia pertinebunt ad objectum intellectus, ut est potentia naturalis : et ideo nullo modo erit formaliter una ratio objectiva reperta in Deo, ut clare visibili, et in aliis entibus naturalibus, ac proinde argumentum nihil concludet.

Ad confirmationem. Ad confirmationem patet ex dictis, quomodo ratio formalis, *quæ*, et proportionata non sit per accidens ad rationem appetitus naturalis, sed indispensabiliter ad illum desiderata.

DUBIUM V.

Utrum detur in creatura intellectuali secundum se sumpta, appetitus elicitus, et naturalis, respectu visionis claræ Dei?

70 Ut omnis difficultas, quæ circa appetitum visionis Dei poterat insurgere, maneat omnino soluta, ideo præsens dubium excitamus. Nam appetitus adæquate in innatum, et elicitum, ut supra dicebamus, dividitur.

§ I.

Pro tituli intelligentia aliqua prælibantur.

Ut hujus dubii titulus clarior evadat, notandum est cum D. Thom. appetitum elicitum quoad præsens attinet, esse duplicem, alium efficacem, et absolutum, alium vero inefficacem, et conditionatum. Per priorem appetimus perfecte, absolute, et efficaciter bonum : et ideo actus ille, quantum est ex se, affert, seu infert executionem, et assecutionem rei appetitæ. Per posteriorem vero, tantum imperfecte, conditionate, et inefficaciter res appetitur : et ita non est executivus boni appetiti. Unde prior ille explicatur per ly *volo*, aut *appeto* : posterior autem (modo tamen alibi dicendo) per ly *vellem*, sive *appeterem* : ac proinde, licet iste possit ferri in rem impossibilem, quia conditionate, et inefficaciter bene possunt appeti impossibilia, ut si dicas, *vellem habere infinitas divitias, si hæ essent possibiles*, secus vero ille. Nam sicut res impossibilis nequit executioni mandari, ita neque appeti appetitu efficaci, et executivo.

Secundum. Uterque autem appetitus potest duobus modis dici naturalis, vel ut naturale distinguitur contra supernaturale, et denotat actum appetendi viribus naturæ habitum, vel ut naturale distinguitur contra liberum, et significat appetitum aliquo modo necessarium : nam id, quod est necessarium, habet modum essendi naturæ, scilicet cum determinatione ad unum : et ideo merito naturale nuncupatur.

Tertium. 71 Cæterum quia actus appetendi dupliciter dicitur liber, primo modo, quoad exercitium, et specificationem simul, quatenus non solum potest exerceri, et non exerceri circa bonum propositum (in quo consistit libertas, quoad exercitium actus) sed etiam dato, quod exerceatur, non est necesse, ut sit hujus speciei, v. g., amoris, sed potest esse odii ; (quod est esse liberum quoad specificationem, et exercitium simul) secundo vero modo quoad exercitium solum, quatenus licet possimus exercere, et non exercere actum, si tamen illum exerceamus, debet esse, v. g., amoris : inde est, quod appetitus naturalis elicitus, ut distinguitur contra liberum, ac proinde est quid necessarium, sit etiam duplex. Alius naturalis, seu necessarius, quoad specificationem, et exercitium simul, quales sunt omnes appetitus brutorum, respectu sui objecti apprehensi sub ratione nocivi, aut convenientis : nam ovis prædicta necessitate amat agnum a se genitum, et pascua sibi oblata, etc. Alius vero necessarius, quoad specificationem tantummodo, qualis est actus appetendi beatitudinem in communi : nam licet possimus abstinere, et non abstinere ab actu, si tamen in illum prorumpimus, debet esse hujus speciei, scilicet amoris, et non alterius.

Ultimum. 72 Ultimo notandum est, quod sicut appetitus isti sunt in multiplici differentia jam dicta, ita et Deus ipse, ut quidditative, et per essentiam videndus, potest considerari multipliciter, scilicet, vel secundum ea prædicata essentialia, quæ alias ex creaturis ordinis naturalis de illo cognoscuntur, vel secundum illa, quæ ei conveniunt, ut est in se Trinus, et author gratiæ.

Explicatio tituli. Titulus ergo dubii de prædictis appetitibus, et de Deo, secundum rationes enumeratas considerato, intelligendus est : an nimirum respectu ipsius, ut per essentiam, et clare visibilis, vel secundum, quod est in se Trinus, et auctor gratiæ, vel saltim secundum, quod est unus, et quoad prædicata, quæ ad rationem primæ causæ rerum naturalium

naturalium desiderantur, sit in creatura intellectuali secundum se sumpta, appetitus elicitus efficax, aut inefficax, qui aliquo ex modis dictis sit naturalis.

§ II.

Refertur duplex opinio.

73 Prima sententia negat appetitum elicitum, et efficacem; fatetur tamen appetitum saltim conditionatum, et inefficacem, qui sit naturalis, seu necessarius quoad specificationem respectu Dei, ut est clare visibilis, tam ut Unus, quam ut Trinus, atque adeo tam ut author naturæ, quam gratiæ. Ita Vazquez 1ª 2æ, quæst. 5, art. 8, disp. 22; Pesantius in præsenti articulo; Suarez, lib. 2 de attributis Dei, cap. 7, num. 10 et 11, et ex parte, Valentia loco citato ex 1ª 2æ; Montesin., 1ª 2æ, quæst. 5, art, 8, disp. 7, quæst. 3, necnon et alii ex junioribus. Probant primo. Tum ex Aug. lib. 4, contra Julian., cap. 3 et 13; de Trin., cap. 8, asserente omnes naturali instinctu velle esse beatos, ubi videtur loqui de beatitudine nostra in particulari, ut ex contextu constat. Tum etiam ex D. Thom. in præsenti, ubi desiderium videndi Deum per essentiam, ac proinde secundum omnia, quæ in ipso formaliter, et intrinsece sunt, appellat desiderium naturale, quia est necessarium quoad specificationem actus, ut ex contextu constare videtur.

74 Secundo. Nam in Deo viso per essentiam, ut est in se Trinus, et Unus, nulla apparet ratio mali, sed summa, et omnimoda ratio boni: ergo in eo sic secundum se sumpto, et ut præscinditur a labore mediorum, quibus consequendus est, nihil apparebit, ob quod possit respui: ac proinde desiderium videndi hoc modo illum, erit necessarium quoad specificationem. Antecedens, et hæc ultima conseq. ex se constat. Prima vero etiam patet. Quia bonum, ut bonum nequit odio haberi. Quare ut aliquid respuatur, oportet, ut in eo aliqua ratio mali reluceat.

Confirmatur, et explicatur. Nam beatitudo in communi amatur necessario necessitate, quoad specificationem: ergo etiam beatitudo nostra in particulari, quæ est visio Dei, ut Trinus, et Unus. Antecedens communiter recipitur a Theologis. Consequentia vero etiam constat. Nam ideo beatitudo in communi necessario amatur, quia est, et vere concipitur, ut summa perfectio nostra: ergo cum hoc etiam habeat visio Dei per essentiam, quæ est beatitudo eminentior creaturæ intellectualis, ut nunc supponimus, consequens erit, ut etiam necessario ametur.

Secunda sententia.

75 Secunda sententia convenit cum præcedenti in hoc, quod non detur in creatura intellectuali appetitus elicitus, et efficax videndi clare Deum: sed solummodo inefficax, et conditionatus: ad lit tamen hunc esse naturalem, seu necessarium, quoad specificationem respectu visionis claræ Dei, non prout est in se Trinus, et author gratiæ, sed præcise quoad rationem primæ causæ rerum naturalium, et quoad prædicata, quæ ex creaturis cognoscuntur. Ita Ferrara, 3 cont. Gent., cap. 50.

Fundamentum. D. Thom.

Præcipuum autem hujus sententiæ fundamentum desumitur ex iis, quæ ex eodem S. Doctore supra dub. 1 dicebamus, scilicet naturale, seu necessarium esse homini, aut Angelo, viso effectu, desiderare videre quidditative causam, quoad ea prædicata, quæ ad rationem causæ ut talis pertinent, et ex prædictis effectibus colliguntur; non vero, quoad alia: ergo visis effectibus Dei erit in nobis naturale, seu necessarium desiderium videndi quidditative ipsum, quoad rationem primæ causæ, præcise, et formaliter sumptam. Consequentia non videtur indigere probatione. Antecedens autem, quoad primam partem etiam constat. Tum quia, cum cognitio causæ, quoad *quid est*, sit complementum, et perfecta consummatio intellectus, ut cognoscentis illam ex effectibus, et tantum quoad *an est*, consequens erit, ut ab intellectu sic cognoscente illam, non possit respui, et odio haberi: quia imperfectum necessario appetit suam plenam consummationem. Tum etiam: quia in naturali, et necessario desiderio sciendi in communi, quod quævis creatura intellectualis habet, nihil aliud magis connaturaliter claudi videtur, quam desiderium videndi causam viso effectu, et ita utrumque desiderium erit necessarium. Quoad posteriorem vero, etiam liquet idem antecedens. Nam cum hoc desiderium excitetur ex cognitione effectus, ut talis, tantum erit respectu causæ, ut causæ formaliter sumptæ, ac proinde, non quoad prædicata, quæ alias materialiter in ea inveniuntur.

Solutio.

76 Nec satis erit si dixeris, visionem Dei, prout est in se prima causa, non esse separabilem a visione ipsius, ut est Trinus, et ut est author gratiæ: unde si semel non potest naturaliter appeti secundum hanc posteriorem rationem, neque etiam poterit

secundum illam priorem : sicut si semel nequit consequi secundum unam rationem, nec poterit secundum aliam.

Impugnatur. Nam contra hoc est, intellectum in via posse naturaliter apprehendere Deum, ut authorem naturæ non apprehenso illo, ut authore gratiæ : ergo voluntas poterit desiderare appetitu elicito, videre Deum per essentiam secundum priorem rationem, non desiderando intuitum ejus secundum posteriorem : ergo tale desiderium erit naturale, seu necessarium, quoad specificationem respectu intellectus, ut cognoscentis illum ex effectibus. Hæc ultima consequentia patet ex modo dicto, prima vero, et antecedens ex se constare videntur.

Confirmat. Confirmatur. Nam ad hoc, quod creatura intellectualis desideret naturaliter appetitu elicito beatitudinem in communi, et non in particulari, quatenus consistit in visione clara Dei prout est in se, sufficit, quod hæc duo sint separabilia per nostros conceptus : ergo, ut eodem appetitu naturali, seu necessario quoad specificationem desideret visionem Dei per essentiam, ut est author naturæ, non vero visionem ipsius, ut authoris gratiæ, satis erit, quod sint eodem modo separabiles prædictæ visiones.

§ III.

Decisio dubii ex mente D. Thom.

Prima conclusio. 77 Nihilominus dicendum est primo, non posse dari viribus naturæ ullum appetitum elicitum, et efficacem respectu visionis claræ Dei, prout est in se, sive, ut est Trinus, et Unus, et author gratiæ, sive, ut est Unus tantum, et author naturæ, ac quoad ea prædicata, quæ alias ex effectibus naturalibus de illo cognoscuntur, bene tamen appetitum inefficacem. Ita D. Thom. locis citatis.

Probatur quoad 1 part. Et quidem, quoad primam partem, scilicet quoad appetitum efficacem constat ex dictis. Quoniam appetitus iste est executivus, et applicativus mediorum, viribus autem naturæ nequeunt exequi media necessaria ad hanc visionem, ut fides docet, et ratio suadet : quandoquidem sunt quoad substantiam supernaturalia.

Quoad secundam part. Quoad secundam vero partem, nimirum quoad possibilitatem appetitus conditionati, et inefficacis, etiam patet. Nam cum appetitus iste sit adeo imperfectus, nihil obest quominus possit per vires naturæ haberi. Unde sicut propositQ voluntati alio magno bono, posset prorumpere in hunc actum, scilicet *vellem illud consequi*, ita proposita visione clara Dei sub ratione cujusdam maximi boni, poterit voluntas eodem modo eam appetere : quia etsi tunc res appetita esset materialiter supernaturalis, non tamen ratio appetendi. Nam hæc, ut jam innuimus, esset naturalis, quod idem cum proportione de appetitu elicito, suo modo absoluto, et inefficaci ejusdem visionis Dei, quique ad conditionatum quodammodo reducitur, ut alibi Deo dante explicabimus, dicendum est. Nam, saltim semel supposita divina revelatione circa possibilitatem illius, posset quis sub ratione cujusdam magni boni illam prædicto appetitu appetere.

Secunda conclusio. 78 Dicendum est secundo, in creatura intellectuali non vidente Deum per essentiam, et secundum se sumpta, v. g., in homine, non esse appetitum elicitum, etiam conditionatum prædictæ visionis, qui sit necessarius, quoad specificationem. Ita Cajet., 1 part., quæst. 82, art. 1; Conrad., 1ª2ª, quæst. 10, art. 2; Nazar. in præsenti; Martinez, 12, quæst. 3, art. 8, dub. 2; Alvarez, 1ª 2ª, disp. 27, dicens hanc esse communem Thomistarum sententiam, et eam tenet Durand. in 4, dist. 49, quæst. 8, et alii.

Et sane videtur aperte ex dictis dubio præcedenti deduci. Nam appetitus elicitus, et naturalis, seu necessarius quoad specificationem indicat esse in illa natura appetitum innatum per modum inclinationis, et ponderis : quia cum appetitus elicitus non sit naturalis, et necessarius, quoad specificationem ex aliquo principio extrinseco, quandoquidem ex hac parte potius esset violentus, consequens est, ut esset naturalis, et necessarius ex ipsa inclinatione naturali voluntatis, quæ cum determinatione ad unum naturaliter propendit in illud objectum.

Probatur. D. Thom. 79 Deinde probatur primo ex D. Thom., quæst. 22, de verit., art. 7, ubi de homine loquens, sic inquit : *Quando ergo ex propria ratione adjutus divina gratia apprehendit aliquod speciale bonum, ut suam beatitudinem, in quo vere sua beatitudo consistit, tunc meretur, non ex hoc, quod appetit beatitudinem, quam naturaliter appetit ; sed ex hoc, quod appetit hoc speciale, quod non naturaliter appetit, ut visionem Dei, in quo tamen secundum rei veritatem sua beatitudo consistit.* Et in 4, dist. 49, quæst. 1, art. 3, ubi ut redderet rationem, ob quam licet divina visio sit ipsa beatitudo, non tamen sequitur,

quitur, quod quicumque appetit beatitudinem, appetat divinam visionem, addidit ; *Quia beatitudo in quantum hujusmodi importat per se objectum voluntatis, non autem divina visio.*

ex Ex quibus verbis, sequens et efficax formatur ratio, supponendo tamen objectum per se voluntatis, esse idem, ac objectum adæquatum ; quia inadæquatum comparatur suo modo cum illa per modum objecti per accidens. Unde satis probabile est, quod etiam si tale objectum destrueretur, aut implicaret, non tamen ob id natura voluntatis periret ; secus tamen si objectum adæquatum voluntatis implicaret. Vel saltim est omnino certum, quod destructo prædicto objecto inadæquato non periret per se primo natura voluntatis, sed solum per se secundo mutaretur, quatenus eo ipso objectum adæquatum variaretur, quippe non includens ea omnia, quæ antea includebat : et ita objectum inadæquatum suo modo per accidens comparatur cum voluntate quatenus non confertur cum ea per modum objecti per se primi ; ac proinde nec per modum objecti omnino per se illius.

80 Hinc ergo sic arguitur. Voluntas necessitatur, quoad specificationem a suo objecto per se inspecto, seu adæquato, et non ab alio : sed visio clara Dei, seu Deus, ut clare visibilis, non est objectum per se, seu adæquatum voluntatis in via : ergo non potest ab illo necessitari. Consequens est aperta. Minor etiam videtur ex se constare : quandoquidem voluntas in via appetit plura alia præter beatitudinem in particulari, et quæ ad illam non ordinantur, imo ei opponuntur.

Major autem quoad 1 part. satis liquet. Quoniam quævis potentia ex natura sua est determinata ad tendendum in suum objectum adæquatum, quia ab illo sumit totam suam essentiam, et specificationem. Quoad 2 vero sic ostenditur. Tum, quia sicut objectum inadæquatum, hoc ipso, quod tale, non adæquat totam vim, et facultatem potentiæ, ita non est necesse, ut hoc ipso, quod voluntas velit prorumpere in actum, debeat versari circa illud prosequendo ipsum, sed potest elicere actum alterius, et oppositæ speciei, scilicet odii. Tum etiam : quia hoc, quod est non esse bonum adæquans voluntatem, sed inadæquatum, et non satians illam, quod essentialiter includitur in ratione objecti non adæquati voluntatis, habet aliquam rationem mali respectu illius : et ita tale objectum hoc ipso, quod non sit adæquatum, nequit necessitare, quoad specificationem.

81 Confirmatur, et explicatur. Nam licet visio albi sit magna perfectio visus, et prima facie non videatur in ea apparere aliqua ratio mali ; quia tamen album non est objectum per se adæquatum potentiæ visivæ, ideo (re bene considerata) apparet ibi aliqua ratio mali ; scilicet non esse bonum adæquans totam ejus virtutem, et ita ob hanc causam visus, saltim, prout subest imperio voluntatis, non necessitatur quoad specificationem ad tendendum in illud : ergo, cum Deus ut clare visibilis, non sit objectum adæquatum voluntatis viatoris, apparebit ibidem (ex defectu tamen creaturæ) aliqua ratio mali, ob quam possit respui. Confirmatio.

82 Nec refert id, quod adversarii innuunt ad rationem hanc dissolvendam, nimirum, satis esse Deum clare visibilem continere eminentiori modo omne bonum, quam contineat illud beatitudo in communi. Unde non minus, quam illa poterit necessitare, et ideo in patria necessitat necessitate omnimoda, scilicet non solum, quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium : quia prædicto modo continet omne bonum, et perfecte applicatur, atque ostenditur voluntati. Evasio.

Non itaque hoc refert. Nam si vis rationis factæ attente inspiciatur, satis ex ea falsitatis convincitur. Quoniam licet Deus, ut clare visibilis contineat omne bonum, et ita quantum est ex se eminentiori modo adæquat, et satiat totam vim voluntatis, attamen in via non proponitur ei ut objectum, et bonum adæquatum ipsius ; secus vero in patria : ergo licet in patria necessitet, quoad specificationem, imo etiam, quoad exercitium, non tamen in via. Consequentia videtur certa. Antecedens vero etiam constat. Quoniam tunc aliquod objectum proponitur, ut adæquatum, quando potentia debet ferri in ipsum, et in alia non nisi propter illud ; et ideo ens mobile est objectum naturalis Philosophiæ, quia illud propter se inspicit, cætera vero alia non nisi ratione ipsius : sed voluntas viatoris potest ferri in alia bona creata, et non ratione divinæ bonitatis, et ut ordinata ad ipsam, sed potius eidem opposita ; secus voluntas comprehensoris : ergo in via non proponitur ei, ut universale, et adæquatum bonum ipsius ; bene tamen in patria. Præcluditur.

83 Confirmatur, et explicatur. Nam quantumvis bonum aliquod sit ex se adæquans Confirmatur, et explicat.

voluntatem, imo ex parte luminis, quo cognitur, (v. g., fidei, repræsentetur firmissime, ut tale, nihilominus quandiu non cognoscitur evidenter, et prout est in se, sed obscure, tunc licet non ex parte luminis, vel objecti, bene tamen ex parte subjecti potest compati quasi suspicio, aut aliqualis dubitatio de bonitate adeo perfecta, et adæquante talis objecti : et ita potest quis habere fidem mysteriorum a Deo revelatorum, et pati quamplurimas tentationes circa illa. Unde cum repræsentatione illa in evidenti, quantumvis certa, et omnino firma, compatitur, ut subjectum non quidem in actu signato, sed in actu exercito tendat ad illud bonum, ac si esset bonum non certo, et stabiliter omnimode perfectum, et adæquans voluntatem, sed sub aliqua ratione mali quodammodo propositum : ac proinde non manet voluntas necessitata, quoad specificationem ad illud amplectendum, seu proloquendum, quamdiu objectum illud evidenter, et in se non cognoscitur, ut in præsenti contingit.

§ IV.

Occurritur fundamentis utriusque sententiæ.

Ad testimonium ex Aug.

84 Solum ergo superest fundamentis utriusque sententiæ satisfacere. Et in primis ad testimonium August. pro priori adductum respondetur, verba illa intelligenda esse de beatitudine in communi : obiter enim tangit propositionem illam ibidem relatam, et lumine naturæ notam, quamvis multa in eodem capite de visione Dei per essentiam doceat.

Ad loeum D.Thom.

Ad testimonium vero ex D. Thom. adductum respondetur, desiderium illud videndi Deum, ortum ex visione effectuum naturalium ipsius, solum esse inefficax, et conditionatum : vocari tamen a S. Doctore naturale, seu necessarium, quoad specificationem, non quia simpliciter sit tale, atque adeo semper habeat necessitatem prædictam, sicut eam habet desiderium beatitudinis in communi, sed quia est naturale, seu necessarium, ut in pluribus. Non secus proportione tamen servata, ac appetitus vitæ, scientiæ, integritatis corporis, et similium, qui non est appetitus naturalis, et necessarius, ut semper, sed, ut frequenter, ut docent D. Thom. et Cajet., 1ª 2æ, quæst. 10, art. 1, et alibi sæpe.

Ex quo etiam obiter intelligetur congruentia ibidem ab Angelico Doctore adducta ad probandum ex hoc desiderio videndi Deum, possibilitatem talis visionis : quia ex desiderio licet inefficaci, necessario tamen necessitate prædicta, aliqualiter colligitur possibilitas rei desideratæ.

Ad rationem, et confirmat. Ad argumentum pro secunda sententia.

Ad rationem, et confirmationem pro eadem sententia adductam patet ex dictis.

85 Ad testimonium vero pro secunda sententia constat etiam ex iis, quæ modo diximus. Ad rationem vero respondetur, non convincere esse ullo modo in creatura intellectuali appetitum elicitum, et efficacem ad visionem claram Dei, prout est prima causa, quia quantumvis ratio hæc præscindatur ab alia, semper est supernaturalis secundum substantiam (ut ostensum est) probare tamen posse, esse in ea appetitum elicitum, et inefficacem, qui sit naturalis, seu necessarius secundum quid, ut modo asserebamus ; non vero naturalis, seu necessarius simpliciter. Quia licet prædicta visio sit consummatio alterius cognitionis ex effectibus desumptæ, non tamen est objectum adæquatum voluntatis : et ita nequit illam simpliciter, quoad specificationem necessitare ; ut jam explicuimus. Per quæ patet ad omnia, quæ in illa ratione adducuntur, quatenus contra nos pugnare possunt.

ARTICULUS II.

Utrum essentia Dei ab intellectu creato per aliquam similitudinem videatur ?

1 Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod essentia Dei ab intellectu creato per aliquam similitudinem videatur : dicitur enim 1 Joan. 3 : *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est.*

2 Præterea August. dicit 9 de Trinitat. : *Cum Deum novimus, fit aliqua similitudo Dei in nobis.*

3 Præterea, intellectus in actu est intelligibile in actu : sicut sensus in actu est sensibile in actu : hoc autem non est nisi in quantum informatur sensus similitudine rei sensibilis, et intellectus similitudine rei intellectæ : ergo si Deus ab intellectu creato videtur in actu, oportet, quod per aliquam similitudinem videatur.

Sed contra est, quod dicit August. 15 de Trinit. quod cum Apostolus dicit, *Videmus nunc per speculum, et in ænigmate,* speculi, et ænigmatis nomine quæcumque similitudines ab ipso significatæ intelligi possunt, quæ accommodatæ sunt ad intelligendum Deum : sed videre Deum per essentiam non est visio ænigmatica, vel speculativa, sed contra eam dividitur : ergo divina essentia non videtur per similitudines.

Respondeo dicendum, quod ad visionem, tam sensibilem, quam intellectualem duo requiruntur, scilicet virtus visiva, et unio rei visæ cum visu. Non enim fit visio in actu, nisi per hoc, quod res visa quodammodo est in vidente. Et in rebus quidem corporalibus apparet, quod res visa non potest esse in vidente per suam essentiam, sed solum per suam similitudinem : sicut similitudo lapidis est in oculo, per quam fit visio in actu, non autem ipsa substantia lapidis. Si autem esset una, et eadem res, quæ esset principium visivæ virtutis, et quæ esset res visa, oporteret videntem, ab illa re, et virtutem visivam habere, et formam, per quam videret. Manifestum est autem, quod Deus

Deus et est author intellectivæ virtutis, et ab intellectu videri potest, et cum ipsa intellectiva virtus creaturæ non sit Dei essentia, relinquitur, quod sit aliqua participata similitudo ipsius, qui est primus intellectus. Unde, et virtus intellectualis creaturæ lumen quoddam intelligibile dicitur, quasi a prima luce derivatum, sive hoc intelligatur de virtute naturali, sive de aliqua perfectione superaddita gratiæ, vel gloriæ. Requiritur ergo ad videndum Deum aliqua Dei similitudo ex parte visivæ potentiæ, qua scilicet intellectus sit efficax ad videndum Deum. Sed ex parte rei visæ, quam necesse est aliquo modo uniri videnti, per nullam similitudinem creatam Dei essentia videri potest.

Primo quidem, quia sicut dicit Dionys., I cap. de divin. nomin., per similitudines inferioris ordinis rerum nullo modo superiora possunt cognosci : sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporeæ. Multo igitur minus per speciem creatam quamcumque potest essentia Dei videri.

Secundo, quia essentia Dei est ipsum esse ejus, ut supra ostensum est, quod nulli formæ creatæ competere potest. Non potest igitur aliqua forma creata esse similitudo repræsentans videnti Dei essentiam.

Tertio, quia divina essentia est aliquod incircunscriptum, continens in se supereminenter quidquid potest significari, vel intelligi ab intellectu creato : et hoc nullo modo per aliquam speciem creatam repræsentari potest : quia omnis forma creata est determinata secundum aliquam rationem, vel sapientiæ, vel virtutis, vel ipsius esse, vel alicujus hujusmodi. Unde dicere Deum per similitudinem videri, est dicere divinam essentiam non videri, quod esset erroneum.

Dicendum ergo, quod ad videndum Dei essentiam requiritur aliqua similitudo ex parte visivæ potentiæ, scilicet lumen divinæ gloriæ confortans intellectum ad videndum
. 35. Deum, de quo dicitur in Psalm. : *In lumine tuo videbimus lumen* : non autem per aliquam similitudinem creatam Dei essentia videri potest, quæ ipsam divinam essentiam repræsentet ut in se est.

Ad primum ergo dicendum, quod authoritas illa loquitur de similitudine, quæ est per participationem luminis gloriæ.

Ad secundum dicendum, quod Augustin. ibi loquitur de cognitione Dei, quæ habetur in via.

Ad tertium dicendum, quod divina essentia est ipsum esse. Unde sicut aliæ formæ intelligibiles, quæ non sunt suum esse, uniuntur intellectui secundum aliquod esse, quo informant ipsum intellectum, et faciunt ipsum in actu, ita divina essentia unitur intellectui creato, ut intellectum in actu per se ipsam faciens intellectum in actu.

Prima conclusio. Ad videndum Deum requiritur aliqua similitudo ex parte potentiæ.

Secunda conclusio. Impossibile est aliquam similitudinem ex parte rei visæ, et creatam concurrere ad visionem claram Dei per essentiam.

DISPUTATIO II.

De similitudine, seu specie requisita ad visionem claram Dei.

Quia visio per assimilationem (modo tamen infra explicando) fit, ideo postquam D. Thom. art. præced. ostendit posse intellectum creatum videre Deum, statim agit de similitudine, per quam illum visurus est. Et licet ad prædictam visionem desideretur, tam similitudo ex parte potentiæ, scilicet lumen gloriæ, quam similitudo ex parte objecti ; nihilominus quia de priori similitudine magis ex professo agit Angelicus Doctor, art. 4 sequenti, ideo in hac disputatione præcipue de posteriori sermonem instituemus : quamvis etiam nonnihil de priori illa attingemus, ut mentem D. Thom. quoad ea, quæ in hoc articulo docet, aperiamus.

DUBIUM I.

An juxta mentem D. Thom. sit admittenda aliqua similitudo creata in ordine ad visionem claram Dei eliciendam.

1 Cuncta, quæ in sequentibus de similitudine requisita ad visionem claram Dei dicenda sunt, pendent ex intelligentia mentis D. Thom. circa eam : et ideo primo loco de Sancti Doctoris mente dubitamus, ut ita radicitus, et melius tota hæc difficultas expediatur.

Ut atuem titulus dubii plenius capiatur, notandum est, nos hic non loqui de similitudine, quæ generali quadam ratione dicitur talis, scilicet per modum effectus, quatenus generale est cuivis effectui repræsentare suam causam. Quia certum est apud Theologos requiri ad visionem Dei, tam lumen intellectuale nostri intellectus (modo tamen supra insinuato) quam lumen gloriæ, et utrumque produci a Deo, esseque similitudinem ipsius eo modo, quo quivis effectus repræsentat causam secundum rationem causæ formaliter sumptam, ut hic etiam D. Thom. in 1 conclusione docet. Quare tantum loquimur de similitudine repræsentante objectum, ut objectum est. Animad. Aug. Doct.

Quia vero similitudo hæc poterat esse triplex, nimirum impressa, seu species intelligibilis, et expressa, seu verbum mentis, ac tandem objectiva per modum objecti, *quod* distincti a verbo, scilicet aliquod aliud objectum cognitum, per quod intellectus manuducatur in ordine ad cognitionem Dei per essentiam : ideo titulus dubii de omnibus his similitudinibus inquirit, an aliqua ex illis, creata tamen, sit juxta doctrinam Angelici Doctoris concedenda ?

§ I.

Proponitur duplex sententia.

2 Prima sententia asserit, Doctorem Angelicum admittere speciem impressam, et creatam ad claram Dei visionem, et hanc esse lumen gloriæ ; negare vero similitudinem expressam, et etiam objectivam. Ita Vazquez in præsenti disp. 39, cap. 1. Prima sententia.

Prima pars probatur D.Thom.

Probatur primo, quoad priorem ejus part. Nam S. Doctor in præsenti art. expresse inquit, quod ad videndum Dei essentiam requiritur aliqua similitudo ex parte visivæ potentiæ, scilicet lumen divinæ gloriæ, confortans intellectum ad videndum Deum; ergo tale lumen erit species intelligibilis. Patet consequentia. Nam hoc ipso, quod sit similitudo Dei, reddens intellectum efficacem in ordine ad claram visionem, habet fœcundare, et determinare eum in ordine ad illam : hæc autem requiruntur, et sufficiunt ad rationem speciei intelligibilis : ergo, etc.

1 Confirm. S. Doct.

3 Confirmari potest 1, ex eodem S. Doctore quodlib. 7, art. 1, ubi sic asserit : *Ipsa essentia divina totaliter lux intelligibilis est. Unde lumen gloriæ ab ea in intellectum descendens facit hoc respectu divinæ essentiæ in intellectu, quod facit respectu aliorum intelligibilium, quæ non sunt lux tantum species rei intellectæ simul, et lumen. Sicut si lux sensibilis per se existeret, ad ejus visionem sufficeret lumen oculum perficiens sine aliqua similitudine.*

Secunda. S.Thom.

Confirmatur ex eodem articulo in solutione ad secundum. Nam cum Sanctus Doctor sibi objecisset, non posse intellectum creatum videre immediate Deum, sed per aliquam similitudinem, ex eo, quod essentia divina non potest per se ipsam informare intellectum, ut faciat ipsum in actu, respondet : *Dicendum, quod intellectus creatus fit actu ad videndum divinam essentiam per lumen gloriæ, et hoc sufficit.*

4 Deinde, quoad ultimam partem, scilicet quoad utramque similitudinem expressam, et objectivam, sic ostenditur. Nam D. Thom. in hoc art. expresse negat similitudinem, quæ se teneat ex parte rei visæ, ut ex contextu constat : at utraque ex his similitudinibus est similitudo tenens se ex parte rei visæ : ergo utraque ab eo negatur. Min. patet. Nam sicut similitudo ex parte potentiæ, tantum videtur, ut *quo*, non secus, ac ipsa potentia, ita similitudo ex parte rei visæ debet videri, ut *quod*, sicut ipsa res visa, et simul esse ratio videndi objectum : at hoc habet tam similitudo objectiva, ut ex se constat, quam similitudo expressa in via D. Thom. appellantis illam 4 cont. Gent., cap. 11, intentionem intellectam, et simul rationem videndi : ergo, etc.

Ultima pars suadetur. Primum fundamentum.

Confirmatio. S.Thom.

Confirmatur. Quia rationes a D. Thom. in præsenti articulo factæ hoc aperte probant. Quoniam certum est non posse unum quiddditative, et prout est in se videri in alio prius viso, tamquam in medio, si in illo non sit tota entitas, et ratio alterius. Quare per speciem expressam, et creatam, aut per aliud quodcumque objectum prius visum nequit Deus, prout est in se videri : quia utrumque est inferioris ordinis, et rationis, quam Deus ipse.

Secundum. D.Thom.

5 Tandem. Quia D. Thom. in argumento, sed contra eam rejicit similitudinem ad visionem Dei, quæ reddit cognitionem ænigmaticam : at videre Deum per similitudinem prius cognitam reddit cognitionem ænigmaticam, non vero videre illum per similitudinem, quæ tantum concurrat, ut *quo*, et per modum speciei intelligibilis : ergo, etc. Minor, quoad ultimam part. ex se liquet. Quoad 1 vero etiam patet. Quia tollit ab ea, quod sit visio immediata Dei, et ita erit visio per aliquid creatum, tamquam per speculum, et ænigma, quippe, quod deficienter, et consequenter obscure divinam perfectionem repræsentat.

6 Secunda sententia asserit, Angelicum Doctorem negare similitudinem impressam, et objectivam; secus vero expressam, seu verbum. Ita Ferr., 1 cont. Gent., cap. 53, eamque esse probabilem in via D. Thom. docent Sylvester in constato quæst. 12, art. 2; Canariensis, 1 part., quæst 27, art. 1, disp. 5; Ledesma, de perfectione Dei, quæst. 8, art. 6, conclusione 1; Capreol. in 1, dist. 27, quæst. 2, art. 2 et 3, et in 4, dist. 49, quæst. 5, ubi ait S. Doctorem magis in hanc partem inclinare, quod etiam affirmat Herice., 1 part. tractatu 4, disp. 42, cap. 5, num. 33.

Primum fundamentum. D.Thom.

Sententia hæc quoad 1 part. patebit ex statim dicendis. Quoad secundam vero probatur. Quia Angelicus Doct. infra quæst. 27, art. 1, sic inquit : *Quicumque intelligit ex hoc ipso, quod intelligit procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectus proveniens, et ex ejus notitia procedens : quam quidem conceptiõnem vox significat, et dicitur verbum cordis.* Idem docet quæst. 9 de potentia, art. 5 et 4, cont. Gent., cap. 11, et quæst. 4 de verit., art. 2, ubi generaliter docet in omni intellectione produci verbum.

Secundum.

7 Tandem hoc ipsum probat Herice. Quia omni alteri cognitioni etiam illi, qua Angelus suam substantiam intuetur, concedit D. Thomas esse vitalem productionem similitudinis expressæ, et verbi, ut constat ex 4 contra Gent., cap. 11, et rationem reddit, quia in Angelis non est idem *esse*, ac *intelligere* :

ligere : ergo, cum in beatis non sit idem *esse* ipsorum, et *videre Deum*, fiet inde, ut per visionem beatificam eorum producatur verbum.

Nec satisfacit discrimen, quod recentiores Thomistæ inter Angelum, et Deum constituunt, ex eo, quod Deus est actus purus in supremo gradu immaterialitatis, et intellectualitatis, non vero Angelus. Nam contra hoc est. Tum quod substantia Angeli est in eodem gradu immaterialitatis, et intellectualitatis comparatione intuitionis sui, in quo est saltim proportionate Deus comparatione visionis creatæ : ergo sicut Angelus ad sui visionem indiget specie expressa producta, ita Deus ad hoc, ut visionem creatam terminet. Tum etiam; quia non explicant quid conferat gradus immaterialitatis supremæ, quam divina essentia habet, ad hoc, ut per visionem ejus non producatur verbum.

§ II.

Aperitur mens Angelici Doctoris.

rima
on-
usio.
ajet.

8 Dicendum tamen est primo, triplicem hanc similitudinem creatam, scilicet impressam, expressam, et objectivam negari a D. Thom. Ita Cajet., Bannez, Nazar., Gonzalez, Zumel in præsenti, qui ait quamplurimos ex discipulis D. Thom. hoc ipsum sentire; Navarrete in præsenti controver. 34; Ripa in hoc art. et quæst. 27, art. 1, cap. 2; Alvarez 3 part., disput. 13, notabili 3 et disp. 61, num. 10; Jabellus in præsenti; Soncin. in epito. ad Capreol. in 1 distinct. 27, quæst. 2, et plures alii ex recentioribus discipulis S. Doctoris, et tandem Ledesma de perfectione Dei quæst. 8, art. 5 et 6, et loquens de specie expressa, ait sententiam negantem illam, esse communiorem inter Thomistas, quamvis ibidem, ut jam innuimus, addat, sententiam admittentem prædictam speciem expressam, esse valde probabilem in via D. Thomæ.

imum
unda-
ntum.

9 Probatur primo. Nam D. Thomas generaliter docet in secunda conclusione articuli nullam dari similitudinem ex parte rei visæ in ordine ad claram Dei visionem : at omnes hæ similitudines tenent se ex part. rei visæ : ergo omnes ab illo rejiciuntur. Minor patet. Quia omnes ordinantur ad supplendum eum concursum, qui ex parte objecti præstandus erat : ergo omnes se tenent ex parte ejus, et ut gerentia vices illius.

Vazquez. Præcluditur.

10 Nec refert id, quod ait Vazquez, scilicet speciem impressam tenere se ex parte potentiæ, ex eo, quod ei inest, illamque determinat. Non itaque hoc refert. Quoniam ex inhæsione speciei impressæ in potentia, male infertur non tenere se ex parte rei visæ; quandoquidem species expressa inhæret potentiæ, estque proles ipsius, et nihilominus tenet se ex parte rei visæ, quia ordinatur ad supplendum, seu præstandum eum concursum, qui ex parte objecti exhibendus erat. Et similiter, quod species impressa determinet intellectum ad visionem, non indicat eam ex parte objecti non se tenere. Quoniam proprium est objecti determinare potentiam ad sui cognitionem : ac proinde potentia non erit ex omni parte completa, et determinata ad visionem Dei, usque dum determinetur per ipsum Deum, ut habet rationem objecti. Quia non concurrit, nisi ut determinata, tam ex parte sui, quam ex parte objecti, imo nisi, ut aliquo modo transit in ipsum objectum, et est idem cum illo, ut infra dicemus. Unde quia objectum, ut objectum, determinat per speciem intelligibilem, ideo ipsa, ut determinat tenet se ex parte ejusdem objecti.

1. Confir. D. Thom.

Confirmatur primo. Quoniam omnes rationes, quibus S. Doctor probat non posse dari similitudinem creatam ex parte rei visæ in ordine ad claram Dei visionem non solum probant similitudinem illam non posse esse objectivam, ut ex se constat, verum etiam neque impressam, aut expressam, ut patebit ex infra dicendis, dum rationes has expenderimus. Unde immediate post eas generaliter concludit, quod *dicere Deum per similitudinem creatam videri, est dicere divinam essentiam non videri.*

Secunda.

Confirmatur secundo. Nam de veritate, quæst. 8, art. 1, omnem similitudinem ex parte objecti excludit dicens : *Nulla similitudo divinæ essentiæ potest habere aliquam convenientiam cum essentia divina, nisi analogice tantum, et ideo cognitio, quæ esset per talem similitudinem non esset ipsius Dei per essentiam, sed multo imperfectior, quam si cognosceretur substantia per similitudinem accidentis.*

Secundum fundamentum. Ang. Doc.

11 Secundo probatur assertio. Nam idem S. Doctor in 4, dist. 49, quæst. 2, art. 1 ad 15, sic ait : *Medium in visione corporali, et intellectuali invenitur triplex. Primum est medium (sub quo) ut lumen. Secundum, medium (quo) et hoc est forma visibilis, qua determinatur potentia ad speciale objectum, sicut per formam lapidis ad cognoscendum*

lapidem. Tertium est medium (in quo) videtur, et hoc est, per cujus inspectionem ducitur visus in aliam rem, sicut inspiciendo speculum ducitur in imaginatum : in visione igitur patriæ non erit tertium, nec secundum medium, sed erit tantum primum. Ubi, ut vides, negat S. Doctor in ordine ad visionem claram Dei tam medium *in quo*, nempe similitudinem objectivam, et cognitam, *ut quod*, et medium, *quo*, nimirum formam visibilem, qua determinatur potentia ad speciale objectum : ac proinde negat similitudinem, tam impressam, quam expressam. Nam per utramque determinatur intellectus ad speciale objectum : per impressam quidem tanquam per id, per quod objectum movet potentiam : per expressam vero, ut per id, per quod idem objectum constituitur in ratione objecti actu terminantis intellectionem, ut ex infra dicendis constabit.

Duplex solutio ex Vazquez.

12 Nec enervat vim hujus testimonii duplex solutio, quam Vazquez adhibet. Prima est, D. Thomam retractasse hanc sententiam in hac 1 part. et alibi. Secunda vero, S. Doctorem dum negat secundum, et tertium medium, tantum loqui de specie expressa, et similitudine objectiva.

Impugnatur prima S.Thom.

Nam contra primam obstat, Angelicum Præceptorem numquam expressis verbis alibi docuisse dari speciem impressam in ordine ad claram Dei visionem ; imo perpetuum fuisse, tum in neganda omni similitudine creata ex parte rei visæ se tenente, tum etiam in concedendo Deum se habere per modum speciei in ordine ad ipsius visionem : ergo non est cur censeatur alibi retractasse sententiam, quam in prædicto testimonio docuerat. Patet consequentia. Quia ad id desiderabatur, ut adeo expressis verbis oppositum alibi doceret, quod nullam posset probabilem interpretationem pati. Quare, cum non solum id non fecerit, verum hoc ipsum alibi generaliter docuerit, non est cur censeatur sententiam retractasse.

13 Accedit, quod si ea, quæ in hoc loco ex 4 Sententiarum docet, syncere, et ut debent, intelligantur, potius sunt explicatio eorum, quæ in summa Theologiæ, et in quæstionibus disputatis postea asseruit : quandoquidem enumerat omnes similitudines ex parte objecti se tenentes, quæ ad visionem Dei concurrere posse videbantur, et eas ad prædictam visionem concursum præstare negat : cum tamen in omnibus fere aliis locis ad tantum generaliter, et non semper prædictas similitudines enumerando, docuerit.

Impugnatur secunda.

Et similiter contra secundam solutionem obstat. Tum, quod Divus Thom. dum negat concurrere ad visionem Dei secundum medium, scilicet formam visibilem, loquitur de ea forma, quæ determinat potentiam in ordine ad visionem. Quare cum species impressa, et expressa sic determinent illam, consequens est, ut utraque a Sancto Doctore negetur. Tum etiam : quia jam secundum medium ex rejectis his a D. Thom. confunderetur cum tertio, quandoquidem secundum concurreret etiam, ut medium, *quod*, ac proinde coincideret cum tertio. Nam in opinione quam Vazquez D. Thom. adscribit, species expressa influit per modum medii, *quod*, ducentis in cognitionem objecti.

Evasio. Vazquez præcluditur.

14 Neque est ullius momenti evasio, quam adhibet hic author, scilicet speciem expressam per modum medii, ut *quod* concurrere, sed interni ; secus vero tertium medium. Non itaque hoc est alicujus momenti. Quia S. Doctor, ut ex contextu constat, tantum intendit distinguere hæc tria media penes hoc, quod est esse medium *sub quo*, et *quo*, ac tandem, ut *quod*. Quare quod duo posteriora media maneant, vel non maneant intra intellectum, est quid materiale ad discrimen intentum. Unde quando Angelus Deum abstractive cognoscit per suam essentiam Angelicam, tamquam per rem cognitam, tunc invenitur ibidem triplex hoc medium, et nihilominus omnia illa intra Angelum manent : ergo, etc.

Tertium principale fundamentum. D.Thom.

15 Tertio probatur principaliter assertio. Nam D. Thom. in hoc articulo negat omnem similitudinem creatam in ordine ad visionem Dei præter lumen gloriæ : at lumen non est aliqua ex similitudinibus dictis : ergo omnes illas negat. Major videtur constare ex textu. Minor vero, quoad similitudinem expressam, et objectivam, est adeo communis inter Theologos, ut a nemine negetur. Quoad similitudinem impressam, sic ostenditur. Quia similitudo impressa est formalis similitudo objecti, ut constat ex iis, quæ docet D. Thom. in hac 1 part., quæst. 85, art. 2, lumen autem gloriæ solum representat Deum virtualiter, et generali quadam ratione, scilicet per modum effectus, et ideo S. Doctor æquiparat repræsentationem, et similitudinem ejus cum Deo, similitudini luminis naturæ cum ipso ; quod quidem lumen, ut constat hoc

hoc tantum modo est similitudo Dei.

16 Confirmatur. Quia ut D. Thom. in præsenti, et artic. 5. docet, lumen gloriæ habet rationem virtutis operativæ ex parte potentiæ. Unde inquit, quod est necessarium ad hoc, quod intellectus fiat potens ad intelligendum per modum, quo potentia fit potentior ad operandum per habitum; sicut etiam lumen corporale necessarium est in visu exteriori, in quantum facit medium transparens in actu, ut possit moveri a colore : ergo talc lumen nequit habere rationem speciei intelligibilis in ordine ad claram Dei visionem : ergo neque rationem similitudinis expressæ, aut objectivæ. Hæc ultima consequentia satis quoad præsens constat. Prima vero etiam patet. Quia species intelligibilis præsupponit virtutem intelligendi ex parte potentiæ requisitam, et dispositionem necessariam ad hoc, ut possit immutari ab objecto. Nam unio speciei intelligibilis cum intellectu formaliter sumpta, fit non in *esse* entitativo, sed in *esse* intelligibili; intelligibiliter autem non potest objectum uniri nisi potentiæ dispositæ ad talem unionem, et habenti virtutem ad intelligendum. Unde species intelligibilis in esse speciei formaliter, non unitur speculo, sed in *esse* entitativo, quia ex parte sua non habet vim ad intelligendum.

Accedit, quod, ut D. Thom. ibidem docet, lumen gloriæ non utcumque dat virtutem potentiæ, sed elevando illam ad claram Dei visionem : et ita nequit habere rationem speciei intelligibilis, quia hæc non elevat potentiam ad intelligendum : quandoquidem, ut modo dicebamus, supponit ex parte potentiæ omnem virtutem requisitam ex parte ipsius in ordine ad recipiendam talem speciem, et ad intelligendum una cum illa.

17 Dicendum est secundo, quod licet D. Thom. tres illas similitudines negaverit, præcipue tamen similitudinem, seu speciem impressam rejecit. Ita quamplures ex discipulis D. Thomæ, ut refert Gonzalez in præsenti. Probatur assertio. Nam Angelicus Doctor eam similitudinem, seu unionem potentiæ cum re visa præcipue rejecit, quæ in omni visione etiam oculi corporei necessario requiritur : ergo ex illis tribus similitudinibus præcipue rejecit similitudinem, seu speciem impressam.

Consequentia patet. Quia aliæ similitudines non requiruntur necessario ad omnem visionem : et ideo sine similitudine objectiva in speculo relucente, potest objectum oculo corporeo videri, sicut etiam sine specie expressa. Nam sensus externi non formant verbum, seu expressam speciem, ut docet D. Thom. quodlib. 5 art. 9. ad 2. his verbis : *Non autem ipse sensus exterior formal sibi aliquam formam sensibilem : hoc autem facit vis imaginativa : cujus formæ quodammodo simile est verbum intellectus.* Unde ob hanc etiam causam S. Doctor loco citato ex 4. Sententiarum non dixit in omni visione corporali, et intellectuali inveniri triplex illud medium, sed solum in visione corporali, et intellectuali illud inveniri. Nec asseruit omnia illa media desiderari ad quamlibet visionem, sed tantum voluit posse in visione corporali, id est, sensibili alicujus sensus, necnon et pluribus intellectionibus reperiri.

18 Antecedens vero præcipui, et primi enthymematis etiam constat. Nam ut S. Doct. ostenderet id, quod præcipue intendebat, assumit hoc principium universale, scilicet, ad omnem visionem, etiam oculi corporei requiri, tum virtutem visivam, tum etiam unionem visus cum re visa : et applicans generalem hanc doctrinam ad præsens, inquit, ex his duobus requiri ad claram Dei visionem primum illud, scilicet virtutem visivam, ac proinde lumen gloriæ, quod intellectum confortat; non vero desiderari similitudinem aliquam creatam, per quam fiat unio rei visæ cum visu : ergo præcipue loquebatur de similitudine, seu unione illa, quæ generaliter requiritur ad omnem visionem etiam oculi corporei. Ex quo etiam patet, quam recte D. Thom. postquam conclusit, et ostendit non esse dabilem speciem impressam, et creatam, quæ repræsentet Deum prout est in se, statim generaliter concludit non esse admittendam similitudinem aliam præter lumen gloriæ : quia rationes ab eo factæ de omnibus similitudinibus jam dictis intentum convincunt, ut infra ostendemus.

§ III.

Solvuntur argumenta utriusque sententiæ.

Ad primum.

19 Ad primum ergo pro prima sententia respondetur, lumen gloriæ solum esse determinationem tenentem se ex parte potentiæ, et ideo requiri determinationem ex parte objecti, quæ, quoad præsens attinet, fiat per essentiam divinam, ut habet rationem speciei intelligibilis, quoniam utraque deter-

minatio requiritur ad talem visionem. Unde licet intellectus Angelicus, v. g., Gabrielis, se ipso sit naturaliter determinatus ad essentiam ejusdem Gabrielis semper cognoscendam, et lumen propheticum possit esse naturaliter determinatum ad unicum tantummodo objectum, ut docet D. Thom. 2ª 2æ, quæst. 173. art. 2; nihilominus propter rationem dictam indigent determinatione proveniente ab objecto, vel specie intelligibili loco illius. Sed hæc amplius art. 5. dub. 1. elucidabuntur.

Ad primam confir. S. Thom.

20 Ad primam confirmationem respondetur, satis constare ex testimoniis a nobis ex S. Doctore adductis, quomodo, juxta ipsius mentem, nequeat dari species intelligibilis creata in ordine ad visionem Dei. Unde ad testimonium in hac confirmatione allatum, dicendum est, essentiam divinam, ut habet rationem speciei intelligibilis, posse considerari, ut non ponens in numero cum lumine gloriæ, ob necessariam connexionem infra art. 5. explicandam, quam habet cum illo, non secus, ac intellectus Angelicus (proportione tamen servata) potest etiam concipi, ut non ponens in numero cum essentia Angeli, quam necessario involvit. Quia hoc ipso, quod sit talis, involvit habere sibi unitam prædictam essentiam in ratione speciei intelligibilis. Et ideo sicut considerando divinam essentiam, et lumen, non secundum, quod ita sunt connexa, sed, ut sunt distincta, potuit de lumine gloriæ dici, quod præstat id, quod in nobis lumen; et de divina essentia, quod tribuit id, quod in nobis species intelligibilis : ita attendendo ad illa, ut sunt inter se modo dicto connexa, et ut ratione hujus connexionis possunt considerari, ut non ponentia in numero, potest etiam absolute dici, lumen gloriæ præstare id, quod in nobis species, et lumen simul præstant : quia intelligitur de lumine cum iis, quæ ipsum necessario concomitantur, et ut non ponit ratione prædicti nexus in numero cum illis. Et ita lumen cum essentia, ut habet rationem speciei intelligibilis, præstat modo sibi proportionato respectu ejusdem essentiæ, ut objecti cogniti id, quod in nobis species rei materialis, et lumen intellectus præstant. Quia essentia habet respectu sui rationem speciei, ex eo quod, ut loquitur D. Thom. est totaliter ipsa lux intelligibilis, et lumen gloriæ tribuit intellectui efficacitatem, ex parte ejusdem intellectus requisitam.

21 Unde, sicut si daretur lumen per se existens, non desideraretur species distincta ab illo, ut multi (de quo alibi) probabiliter volunt, sed sufficeret derivari ab eo aliud lumen in visum, quod inhæreret visui, et insuper quod lumen per se existens uniretur in ratione speciei ad visionem : ita in præsenti hoc ipsum, proportione servata, desiderabitur, et solum excludetur species impressa creata; non vero increata : quæ, modo infra art. 5. explicando, est necessario connexa cum lumine gloriæ.

Ad secundam. S. Thom.

22 Ad secundam confirmationem dicendum est, D. Thom. tantum velle, quod ex necessario requisitis per modum inhærentium in intellectu, et informantium illum cum admixtione imperfectionum, nullum aliud debet admitti in ordine ad visionem præter lumen : quia inhærentia hujus sufficit. Et ita per hoc manet solutum argumentum, quod ibidem proponit D. Thom. quia essentia, ut habet rationem speciei, non est ex requisitis per modum inhærentis : et ideo eadem essentia divina potest esse species, et determinare per modum speciei potentiam, quamvis ipsi non inhæreat.

Ad reliqua argumenta Vazquez.

Ad cætera argumenta hujus sententiæ non est necessarium, ut responsum præbeamus, quia potius pro nobis, quam contra nos sunt : quamvis nonnihil ibidem a Vasq. admisceatur, quod cum doctrina D. Thom. non cohæret, ut ex infra dicendis constabit.

Ad argumenta pro 2. sententia. D. Thom.

23 Ad fundamenta secundæ sententiæ respondetur, S. Doctorem loqui de omnibus intellectionibus ordinis naturalis, quantumvis perfectis, ut dum Angeli se per suam essentiam intelligunt : nam in his semper datur verbum, ut infra explicabitur. Et consonat interpretatio hæc contextui. Quoniam ibi S. Doctor non intendit adducere rationem ex se efficacem, ad probandum dari verbum in divinis, quandoquidem id ratione naturali nequit convinci, sed solum afferre congruentiam ex iis, quæ in omnibus naturalibus cognitionibus contingunt, ad manuducendum intellectum, supposita fide, in ordine ad assensum prædictæ veritatis, scilicet generationis Verbi divini. Ad hoc autem sufficit, quod in omni cognitione naturali semper inveniatur verbum, quia convenientius ex illa (quippe notiori) quam ex aliis intellectionibus solo lumine fidei notis, quales sunt intellectiones supernaturales, ratio congruentiæ desumitur. Unde cum D. Thom. plures alias congruentias ad alia mysteria fidei declaranda, et supposita eadem fide, aliquo modo suadenda, adducit, utitur exemplis rerum naturalium, non vero supernaturalium

pernaturalium; quippe quæ ad sui certam cognitionem etiam requirunt fidem, et ita ex illis locis, ex 1. contra Gent., et ex quæst. 4. de verit. non potest colligi efficaciter, D. Thom. sentire in omni intellectione creata formandum esse verbum : qui sensus D. Thom. tantum est esse universaliter verum, quod in omni intellectione ordinis naturalis debet formari.

Tacitæ objectioni occurritur.

24 Quibus etiam addi potest (ut sic tacitæ cuidam objectioni fiat satis) quod ex hoc quod beati non forment verbum, non potest argui illud non generari in divinis. Quia visio beatifica non est participatio intellectionis notionalis Patris, ut notionalis est (ut ex infra dicendis constabit) sed intellectionis essentialis divinæ, ut talis est : intellectio autem essentialis præcise, ut talis, non producit Verbum, alias Filius, et Spiritus Sanctus illud producerent, sed intellectio, ut notionalis est : et ideo producitur a solo Patre, in quo tantum intellectio notionalis, seu dictio invenitur.

Ad ultimum ex Herice desumptum constabit ex iis, quæ dub. ultim. hujus disput. dicemus.

DUBIUM II.

Utrum Essentia divina uniatur de facto cum intellectu beati, per modum speciei intelligibilis, in ordine ad claram Dei visionem?

Postquam mentem D. Thom. examinavimus, et juxta eam vidimus nullam dari speciem intelligibilem creatam, in ordine ad claram Dei visionem, ac proinde essentiam divinam uniri in ratione speciei intelligibilis cum intellectu beati, dicamus oportet quid circa hoc, præscindendo ab authoritatibus, et testimoniis D. Thom. et solum ad rem ipsam attendendo, dicendum sit.

§ I.

Proponitur prior sententia.

25 Prima sententia negat, Deum uniri in ratione speciei intelligibilis cum intellectu beati, ac proinde affirmat dari de facto speciem intelligibilem impressam, et creatam, in ordine ad visionem ipsius per essentiam. Hæc est Aureoli apud Capre. in 4. dist. 49. quæst. 5. artic. 2. Vazq. in præsenti disp. 43. cap. 6. quamvis diverso fundamento ductus, refert pro ea Ricardum in 3. dist. 14. art. 1. quæst. 3.

Probatur primo. Nam potissima causalitas speciei intelligibilis est in genere causæ formalis : sed Deus nequit supplere hoc genus causæ : ergo neque uniri cum intellectu beati in ratione speciei intelligibilis : ac proinde danda erit species intelligibilis creata, per quam uniatur. Minor cum utraque conseq. ex se constant. Major etiam liquet. Quoniam præcipuum munus speciei intelligibilis est determinare intellectum, et tribuere speciem intellectioni, ad quam deservit : hæc autem duo ad genus causæ formalis spectant. 1. Argu.

26 Secundo. De ratione speciei intelligibilis est, quod constituat intellectum in actu primo, tribuatque illi virtutem ad operandum : sed hoc nequit præstari ab essentia divina, nisi per intrinsecam informationem; ergo cum hoc illi repugnet, nequit uniri per modum speciei intelligibilis. Major quoad 1. part. satis constat. Quoniam intellectus secundum se, et præcise sumptus, est pura potentia in genere intelligibili, et reducitur ad actum per speciem intelligibilem. Quoad 2. vero part. patet ex prima. Quoniam cum unumquodque operetur secundum, quod est in actu, consequens est, ut si species constituit intellectum in actu, quod det illi virtutem ad operandum, et intelligendum. Min. vero etiam constat. Nam si essentia divina non unitur intrinsece, atque adeo per informationem, manebit intellectus intrinsece, sicut antea, ac proinde, sicut antea non erat intrinsece constitutus in actu, nec cum virtute ad operandum, ita nec postea. Secundum.

27 Confirmatur primo. Nam essentia divina nequit se habere per modum potentiæ respectu visionis beatificæ : ergo neque potest constituere intellectum in actu primo. Antecedens est evidens. Quia talis potentialitas pugnat cum infinita actualitate essentiæ Dei. Consequ. vero etiam patet. Quia actus primus est in potentia ad actum secundum, et per illum perficitur. 1. confir.

Confirmatur secundo. Quoniam essentia divina se ipsa nequit præstare aliquem effectum formalem intellectui beati : ergo, nec constituere illum in actu primo, ac proinde, nec uniri eidem in ratione speciei intelligibilis. Hæc ultima conseq. patet ex dictis. Prima vero etiam constat. Quia nihil potest constituere aliud in actu, quin tribuat illi aliquem effectum formalem. Antecedens vero probatur. Nam ille effectus nequit esse pure increatus, quippe incipiens in tempore; neque pure creatus, quandoquidem involvit essentiam divinam, ut for- Secunda.

mam, a qua procedit; nec mixtus ex creato, et increato, quia illud *esse* creatum, quoad admisceretur, nec esset quid substantiale, siquidem *esse* substantiale nequit tribui intellectui, cum sit accidens ; nec etiam quid accidentale, alias daretur aliquod accidens medians inter essentiam divinam, et intellectum, ratione cujus Deus clare videretur, et ita videretur, et non videretur immediate, ut ex supradictis, et infra dicendis constabit : ergo, etc.

Tertium. 28 Tertio. Ex unione speciei intelligibilis cum intellectu debet aliquid per se unum resultare : sed ex essentia divina, et intellectu beati nequit hoc unum resultare : ergo essentia divina non poterit cum eo uniri per modum speciei intelligibilis. Conseq. est satis perspicua. Minor vero videtur aperta. Quoniam ex essentia divina, et intellectu non potest coalescere una substantia, aut unum accidens, ut ex se constat : ergo, etc. Major vero etiam patet. Nam ex pura potentia in aliquo ordine, et ex actu ejusdem ordinis non potest non resultare unum per se, ut in materia, et forma substantiali videre licet; ergo cum intellectus sit pura potentia in ordine intelligibili, et species impressa sit proprius actus hujus ordinis , fiet inde, ut ex utroque debeat unum per se coalescere.

Confirm. 29 Confirmatur. Nam si essentia divina uniretur in ratione speciei cum intellectu creato, et ex utroque aliquid resultaret, non posset non fieri per novam aliquam actionem; sed hæc repugnat : ergo, etc. Major patet : quia novus effectus ex unione plurium resultans debet fieri per novam actionem, etsi unum extremum sit increatum, ut in mysterio Incarnationis constat.

Minor vero etiam liquet. Quia hæc actio non potest esse actio productiva intellectus, quippe quæ est inferioris ordinis, nec actio productiva luminis gloriæ : quia sicut productio luminis fidei nequit esse productio, aut unio specierum intelligibilium, quæ ad credendum desiderantur, ita nec productio luminis gloriæ potest esse actio productiva unionis essentiæ divinæ, aut alicujus tertii ex hac unione resultantis. Nec tandem potest esse aliqua alia actio terminata ad totum illud conjunctum : nam in hoc conjuncto tantum reperitur ipsa essentia divina, et unio ejus cum intellectu, ac tandem intellectus cum lumine gloriæ : at nulla potest esse actio producens divinam essentiam, cum ipsa ex se sit improducibilis, nec unionem ejus, quia hæc non est distincta ab eadem essentia, ex eo, quod essentia est extremum unibile per modum actus purissimi, atque adeo est res unibilis, et unio sui; nec tandem producens intellectum, aut lumen, ita ut hæc actio habeat necessariam connexionem cum altera comparte hujus conjuncti, scilicet cum essentia divina, et ejus unione, propter ea, quæ nuper dicebamus : ergo nec poterit dari aliqua actio terminata ad prædictum conjunctum : quandoquidem nulla actio producit aliquod totum, seu conjunctum, nisi producat quidquid est in eo, vel aliquid ejus, cum quo cætera alia sint necessario connexa.

Quartum. 30 Quarto. Species intelligibilis debet recipi in intellectu : sed Deus nequit in illo recipi; ergo neque uniri cum eodem per modum prædictæ speciei. Conseq. est evidens. Major vero patet. Quia species intelligibilis habet se per modum formæ respectu intellectus creati : forma autem debet recipi in eo, cujus est forma. Minor autem etiam constat. Tum quia essentia divina est forma totalis , et per se subsistens , cui proinde repugnat recipi in alio. Tum etiam : quia alioqui eadem essentia limitaretur per intellectum creatum : quoniam forma receptibilis in subjecto finitur, et limitatur per illud, ut ex mente D. Thom. ostendunt nostri Complut. 3. Phys. disp. de infinito.

Solutio. 31 Nec satis erit, si dixeris, quod licet forma naturalis debeat recipi, inhærere, aut intrinsece informare id, cujus est forma; secus tamen forma intelligibilis, ut patet in essentia Angeli, quæ est forma intelligibilis respectu proprii intellectus, non tamen ipsi inhæret, aut illum intrinsece informat. Unde speciei, seu formæ intelligibili accidit, quod sit substantia, vel accidens, et satis est illi, ut dicat unionem in *esse* intelligibili cum intellectu seclusis imperfectionibus, ac proinde sine inhærentia, et intrinseca informatione : et ita, licet Deus nequeat uniri in ratione formæ naturalis cum intellectu beati; bene tamen in ratione formæ intelligibilis.

Impugn. Nam contra hoc est, quod repugnat uniri aliquid per modum formæ intelligibilis, quin ibidem admisceatur unio ejusdem in *esse* entitativo, et naturali; ergo si semel Deus nequit uniri cum intellectu beati per modum formæ naturalis, et in *esse* entitativo, nequibit uniri cum eodem intelligibiliter. Conseq. est evidens. Antecedens vero probatur inductive. Nam in unione essentiæ divinæ per modum speciei intelligibilis cum suo intellectu, imbibitur major alia unio in

esse

esse naturali, scilicet per omnimodam identitatem, et in unione intelligibili essentiæ Angeli cum proprio intellectu miscetur alia unio naturalis, scilicet per modum essentiæ, et proprietatis : et similiter cum unione in *esse* intelligibili aliarum specierum cujusvis intellectus creati miscetur unio ejusdem per inhærentiam, et informationem, quæ concomitatur unionem in *esse* intelligibili.

Confirm. Confirmatur primo. Quoniam essentia divina, ut pertinet ad ordinem entitativum, et eademmet, ut spectat ad ordinem intelligibilem, habetque rationem speciei intelligibilis, non distinguitur adhuc virtualiter, sed est eadem prorsus formalitas : ergo nequit uniri cum intellectu creato beati, secundum quod habet rationem speciei intelligibilis, nisi uniatur eidem secundum quod pertinet ad ordinem entitativum, seu in ratione formæ naturalis, et in *esse* entitativo. Antecedens constabit, tum ex dicendis in hoc eodem dub., tum etiam ex iis, quæ in tract. de scientia Dei disp. 3. num. 17. et deinceps, et in tract. de volunt. Dei disp. 2. num. 34. asseremus. Consequentia vero etiam liquet. Quoniam ad hoc, ut essentia divina uniretur cum intellectu beati, secundum unam ex illis duabus rationibus, et non secundum aliam, desiderabatur, ut esset alia ratio, saltim virtualiter distincta ; ergo hoc ipso, quod *esse* entitativum, et naturale ex una parte, et *esse* intelligibile, seu ratio speciei intelligibilis ex alia, non distinguantur virtualiter, seu cum fundamento in re in essentia divina, oportet, ut nequeat uniri cum intellectu beati in ratione speciei intelligibilis, et ut ad ordinem intelligibilem spectat, nisi etiam uniatur cum eodem, ut pertinet ad ordinem entitativum, et naturalem.

Secunda. 32 Confirmatur secundo : quia unio speciei in *esse* intelligibili est intimior, et major, quam unio materiæ cum forma substantiali : ergo debet esse per identitatem, aut saltim per informationem, et inhærentiam, ac proinde in *esse* entitativo, et naturali. Antecedens constat ex illo communi axiomate ex Averr. 3. de Anima text. 37. desumpto, scilicet ex intellectu, et re intellecta fieri magis unum, quam ex materia, et forma : ubi autem est magis unum coalescens ex duobus, ibi major, et intimior unio debet intercedere, ut ex se constat : ergo, etc. Prima vero consequentia probatur. Nam alioqui unio illa esset longe minor, et nullo modo intima : quandoquidem tantum esset per extrinsecam assistentiam, et indistantiam unius ad aliud, ac proinde per extrinsecam unionem.

Secunda autem conseq. satis liquet. Quoniam unio per inhærentiam, et informationem excludentem identitatem inter formam, et rem informatam, pertinet ad ordinem entitativum, et naturalem ; et unio per identitatem cum forma, in qua est idem realiter *esse* intelligibile, ac entitativum, et naturale, ut in præsenti contingit, est unio, et identificatio, tam in *esse* intelligibili, quam in *esse* entitativo, et naturali.

Tertia. 33 Confirmatur tertio. Nam si unio in *esse* intelligibili præcise sumpto non peteret saltim inhærentiam, seu informationem, fieret inde, quod ad unionem essentiæ divinæ cum intellectu beati per modum formæ intelligibilis, tantum desideraretur intima quædam assistentia per illapsum, sed hoc est aperte falsum : ergo, etc. Conseq. cum majori ex se constant. Minor vero etiam liquet. Tum, quia unio essentiæ divinæ per solum illapsum, tantum est in esse naturæ, et ad effectum conservationis : ergo non est satis ad unionem in ordine supernaturali et per modum speciei intelligibilis. Tum etiam : quia essentia divina ante lumen gloriæ nequit esse unita in ratione speciei intelligibilis cum intellectu beati, ut ex dicendis art. 4 et 5. constabit : si autem sufficeret unio per illapsum, esset unita ante prædictum lumen, quia ante adventum ejus adest illapsus Dei in intellectum. Tum denique : quia alioqui essentia divina maneret unita cuivis intellectui etiam non beato, quandoquidem in quemlibet intime illabitur.

§ II.

Refertur secunda sententia.

34 Secunda sententia partim convenit cum præcedenti, partim vero ab ea dissentit. Convenit quidem quatenus negat, Deum uniri per modum speciei intelligibilis intellectui beato, ex eo, quod ad rationem prædictæ speciei indispensabiliter desideratur inhærentia. Dissentit vero, quia negat esse de facto speciem aliam impressam, et creatam. Nam credit sufficere, quod essentia divina habeat peculiarem concursum in ratione objecti una cum intellectu creato, coefficiendo cum illo visionem claram Dei, licet ob defectum prædictum non sit species intelligibilis respectu ipsius. Ita Suar. 1. tomo summæ Theologiæ, lib. 2. cap. 12.

Sententia hæc, quoad id, in quo convenit cum præcedenti, satis constare videtur ex adductis pro illa : quoad id vero, quod secundo loco addit, scilicet non dari aliam speciem creatam, patebit ex dicendis pro nostra sententia.

Suadetur quoad ultimam partem.

Quoad ultimum vero sic potest suaderi. Quoniam non potest reddi sufficiens ratio, ob quam desideretur necessario ad intellectionem alius influxus, præterquam, quod ipsum objectum sit indistans ab intellectu, et simul cum eo efficiat illam : ergo tunc non erit necessaria species intelligibilis gerens vices objecti, aut, quod objectum uniatur in ratione speciei. Patet consequentia. Quia ad utrumque desiderantur inhærentia, et quod intellectus constituatur in actu primo per speciem, aut per objectum, et ita non erit solus influxus in genere causæ coefficientis cum intellectu intellectionem. Antecedens vero etiam constat. Quoniam intellectio est quidam partus intellectualis, et verbum habet rationem prolis in *esse* intelligibili, et ideo objectum comparatur ad intellectionem per modum maris, et intellectus habet se ad instar fœminæ parturientis, juxta illud commune proloquium, nimirum : *Ab objecto, et potentia paritur notitia* : ergo sicut in partu naturali, tantum desideratur, quod masculus coefficiat simul cum fœmina, non vero, quod constituat illam in actu primo, et si masculus posset per se ipsum præstare, quod præstat medio semine, non desideraretur semen, ita etiam in partu intentionali : nam cum hic sit talis per Analogiam ad illum priorem, satis erit inveniri in eo illam, quæ ad partum naturalem per se, et indispensabiliter requiruntur.

§ III.

Vera Angelici Doctoris opinio.

Conclusio.

35 Dicendum tamen est, essentiam divinam uniri de facto cum intellectu beati per modum speciei intelligibilis in ordine ad claram Dei visionem. Ita communiter discipuli D. Thom. et fere omnes Theologi sunt secuti eumdem S. Doctorem, tum in locis dubio præcedenti citatis, tum etiam 3. cont. Gen. cap. 51. ubi ait : *Manifestum est igitur, quod essentia divina potest comparari ad intellectum creatum, ut species intelligibilis, quia intelligit* : et 3. part. quæst. 9. art. 3. ad 3. ubi inquit : *Essentia divina unitur menti beatæ, sicut intelligibile intelligenti* : et in hac quæst. art. 5. his verbis : *Cum autem aliquis intellectus creatus videt Deum per essentiam, ipsa essentia divina fit forma intelligibilis intellectus.* Et licet assertio hæc satis constare posset ex impossibilitate speciei impressæ, et creatæ in ordine ad videndum Deum, quam ex D. Thom. et rationibus ex ipso desumptis infra in hac eadem disp. a dub. 4 usque ad 9. ostendemus ; nihilominus ratione fundamentali ex propriis principiis, et ex eodem S. Doctore in hoc art. et quæst. 56. necnon et aliis locis jam citatis deprompta sic ostenditur.

Ratio fundamentalis.

36 Nam quotiescumque objectum est per se ipsum intelligibile, et proportionatum intellectui, ac tandem unitum cum ipso, non indiget specie intelligibili a se distincta, sed per seipsum unitur in ratione speciei : sed essentia divina est per seipsam intelligibilis, et proportionata intellectui perfuso lumine gloriæ, ac denique intime unita cum illo : ergo non eget specie a se distincta, sed per seipsam unitur in ratione speciei intelligibilis. Major probatur. Nam species intelligibilis solum datur ob defectum alicujus ex tribus conditionibus enumeratis in objecto. Unde quia essentiæ Angeli nulla ex illis deest respectu proprii intellectus, ideo non eget specie a se distincta, sed ipsamet essentia unitur in ratione speciei in ordine ad cognitionem sui.

Minor quoad 1. part. probatur.

Minor vero quoad 1. part. satis constat. Nam cum intelligibilitas oriatur ex immaterialitate, et actualitate objecti, fit inde, ut essentia divina, quæ est actus purissimus, summeque immaterialis, quippe, quæ est suum *esse*, absque omni prorsus potentialitate, sit etiam per suam essentiam intelligibilis, imo et summe intelligibilis.

Quoad secundam.

Quoad 2. vero part. scilicet, quoad proportionem, etiam liquet. Nam intellectus illustratus lumine gloriæ fit ordinis divini. Unde sicut secundum istam rationem est intellectus Deificus, ita inter ipsum, et essentiam divinam, ut objectum intelligibile, et sufficiens proportio.

Quoad ultimam suadetur.

37 Quoad ult. vero part. probatur. Nam hoc ipso, quod essentia divina sit per seipsam intelligibilis, et in ratione objecti intelligibilis proportionata intellectui, ut perfuso lumine gloriæ, oportet ut conferatur cum eo per modum speciei, et formæ intelligibilis, eidem proportionatæ, et ipsi unibilis : ergo hoc ipso, quod sit indistans ab illo per indistantiam propriam, et peculiarem divinæ essentiæ, scilicet per intimum illapsum in ipsum, ut perfusum lumine

mine gloriæ, oportebit, quod seipsa uniatur cum eo sic sumpto per unionem aliam in *esse* intelligibili. Patet hæc consequentia. Quoniam, quodlibet extremum unibile, quod in ratione talis est actus purus, habet in illo ordine, in quo est unibile, et actus purus, esse ipsam actualissimam unionem sui cum altero extremo, hoc ipso, quod per indistantiam sibi propriam sit indistans ab illo, et ex parte hujus adsunt omnia requisita ad talem unionem. Sed de hoc iterum in tract. de Incarnatione, quæst. 1. art. 1. ex professo sermo redibit, ubi etiam ostendemus, quam bene hæc cum illis, quæ nostrum Complut. Collegium 1. Phys. disp. 6. quæst. 2. docet, cohæreant.

§ IV.

Evasio Gabrielis Vazquez, et quomodo præcludenda.

38 Multipliciter occurrunt adversarii huic rationi. Nam in primis Vazq. respondet, supponi in ea, requiri necessario ad visionem concursum specialem objecti in esse objecti, et ita, quoties objectum habuerit conditiones assignatas, habere per se ipsum rationem speciei intelligibilis. Cæterum talis concursus non est necessario requisitus ad visionem : et ideo essentia divina solum concurrit per modum causæ universalis, et similiter intellectio, qua Angelus seipsum cognoscit, solum fit ab intellectu Angelico sine speciali concursu essentiæ ipsius, in ratione objecti, aut speciei intelligibilis.

Impugnatur. Sed contra. Nam (ut constat ex communi illo Theologorum, et Philosophorum axiomate) ex objecto, et potentia paritur notitia, ergo objectum specialiter influit in intellectionem. Patet consequentia. Tum quia ob hanc rationem D. Aug. lib. 9. de Trin., cap. 10. et lib. 14. cap. 17. inquit, quod intellectus est potentia passiva, cujus activum principium est objectum, et D. Thom. infra quæst. 77. art. 3. ait : *Objectum comparari ad actum potentiæ passivæ, sicut principium, et causa movens.* Tum etiam : quia cum in intellectione interveniat quidam partus, aut quasi partus, oportet, ut ibidem adsit fœmina, scilicet potentia intellectiva, et simul aliquod habens se ad instar maris fœcundantis illam, nimirum objectum : ergo sicut intellectus habet specialem concursum, quia concurrit per modum fœminæ, ita objectum influet per specialem influxum, et per modum principii activi fœcundantis, et moventis potentiam, ex eo, quod se habet ad instar masculi.

39 Deinde. Quia verbum productum, ex se, et necessario habet assimilari objecto quoties per intellectionem producitur : ergo objectum habet specialem concursum in illud per modum principii *quo*, ac proinde in intellectionem. Antecedens est perspicuum. Nam verbum ex se, et necessario habet esse repræsentativum objecti : ergo ex se, et necessario erit simile illi. Unde in divinis Verbum ex sua ratione formali est imago, et similitudo Patris, assimilaturque illi in essentia, quæ est objectum Paternæ cognitionis, per quam producitur. Prima vero consequentia etiam constat. Quia verbum solum assimilatur necessario suo principio formali *quo*, producenti illud, ergo si ex sua ratione formali necessario assimilatur objecto, fit inde, ut hoc habeat specialem influxum in ipsum, nimirum per modum principii productivi *quo*, vel saltim per modum principii formalis determinantis ad ejus productionem.

Confirm. 40 Confirmatur. Quoniam objectum habet specialem concursum respectu volitionis, sive ille sit in genere causæ efficientis, ut plures ex Thomistis volunt, sive in genere causæ finalis : ergo etiam habebit illum respectu intellectionis. Antecedens ex se constat. Consequentia vero etiam liquet. Quoniam proprium est intellectus trahere ad se res intellectas, ut communiter Theologi, et Philosophi fatentur, sicut et voluntatis ferri in res volitas : ergo sicut ob hanc rationem objectum volitum habet specialem influxum respectu volitionis, ita ob illam objectum cognitum, seu intellectum specialiter concurret in intellectionem : alioqui ad quidnam intellectus traheret ad se res intellectas, nisi peculiariter indigeret eis, ut principio ad intra in ordine ad intellectionem ?

Explicatur. Confirmatur, et explicatur tandem. Nam sicut objectum volitum specificat volitionem, ita teste Arist. 11. Metaphys. quem refert Cajetanus infra quæst. 14. artic. 1. objectum cognitum, est principium specificativum cognitionis : ergo unitur specialiter cum intellectu in ordine ad talem specificationem, ac proinde in ratione objecti habebit specialem influxum respectu illius. Hæc ultima consequentia patet. Tum ex modo dictis : quoniam si non haberet peculiarem influxum, non prærequireretur peculiariter ejus unio in ordine ad intellec-

tionem. Tum etiam : quia intellectio, ut actio, specificatur a suo principio proximo eliciente illam, ut notarunt nostri Complut. in sua Logica, cap. de actione : et ita si objectum specificat illam, ut est actio, jam habebit specialem influxum principii proximi, et activi respectu illius. Prima vero consequentia etiam constat. Quia objectum cognitum non potest esse principium specificativum cognitionis, nisi, ut est unitum, et unum cum cognoscente : alias cognoscens non haberet in se sufficiens principium propriæ operationis, quod est contra naturam agentis perfecti, et ad supremum ordinem agentium pertinentis, quale est ipsum cognoscens.

§ V.

Solutio Francisci Suarez, et quomodo evertenda.

41 Secundo occurrit Suarez, verum esse non dari de facto speciem creatam in ordine ad intellectionem alicujus objecti, quoties habet conditiones a nobis enumeratas ; cæterum falso supponi, quod tale objectum debeat uniri in ratione speciei intelligibilis. Quia ad hanc indispensabiliter requiritur inhærentia, aut informatio in *esse* entitativo. Quare tunc sufficiet, et desiderabitur concursus specialis objecti in esse objecti quatenus una cum intellectu coefficit intellectionem, absque eo, quod ibi interveniat ratio speciei intelligibilis, sive creatæ, sive increatæ.

Rejicitur secunda solutio quoad primum in ea contentum.

42 Verum hæc solutio in duobus inter alia deficit. Primum est, quod de essentia speciei intelligibilis formaliter sumptæ sit inhærentia, aut informatio in *esse* entitativo, aut quævis alia imperfectio, cujus falsitas sic ostenditur. Nam in Deo formaliter reperitur ratio formalissima speciei intelligibilis : sed nihil involvens intrinsece inhærentiam, aut informationem in *esse* entitativo, vel quamvis aliam imperfectionem, potest formaliter inveniri in illo : ergo ratio speciei intelligibilis per se, et formaliter sumpta non involvit necessario inhærentiam, aut aliam imperfectionem. Consequentia cum minori satis constat : alioqui Deus non esset ens summe perfectum, et per consequens, neque esset Deus.

Major vero videtur aperta. Tum quia eam communiter docent Theologi, dum aiunt, essentiam divinam vere, et formaliter habere rationem speciei intelligibilis respectu productionis Verbi. Tum etiam ; quia est expressa D. Thom. 3. cont. Gent. cap. 51. de verit. quæst. 2. art. 2. 1. part. quæst. 14. art. 2. ubi ait, quod, *In Deo, quia nihil est potentialitatis, ideo in eo intellectus, et intellectio sunt idem, ita, ut neque careat specie intelligibili : sicut intellectus noster cum intelligit in potentia : neque species intelligibilis sit aliud a substantia divini intellectus, sed ipsa species intelligibilis est ipse intellectus, et ita per se ipsum intelligit.*

1. Confirm.

43 Confirmatur primo, species expressa, nempe verbum, est perfectio simpliciter simplex, non involvens necessario imperfectionem inhærentiæ, aut quamvis aliam : ergo etiam species impressa. Antecedens patet. Nam alias ratio verbi non reperiretur formaliter in divinis. Conseq. vero etiam liquet, tum ex paritate rationis, tum etiam, quia species impressa est principium *quo*, vel formale solum, vel activum respectu verbi ; ergo si hoc non includit necessario imperfectionem, neque species impressa eam involvet. Patet conseq. Quoniam alioqui imperfectio speciei impressæ splenderet in verbo : quandoquidem omnis imperfectio principii productivi, aut formalis, necessario involuta ab ipso, debet splendere in re producta.

Secunda.

Confirmatur secundo, et simul explicatur quomodo essentia divina possit uniri in ratione speciei sine inhæsione. Nam species intelligibilis non tribuit primam, et essentialem virtutem ad intelligendum, quæ ex parte potentiæ intellectivæ requiritur, sed tantum complet ex parte objecti (et modo statim magis explicando) prædictam virtutem : ergo cum essentia divina sit sua intelligibilitas per modum actus puri, sitque vera forma intelligibilis, poterit uniri non solum cum intellectu divino, sed etiam cum intellectu creato. Antecedens communiter recipitur a Theologis. Conseq. vero probatur. Nam ex eo colligimus subsistentiam divinam posse uniri per modum termini, absque ulla imperfectione inhæsionis, aut informationis non solum cum essentia Dei, sed etiam cum essentia creata, quia habet veram rationem termini, estque ipsum *subsistere* per modum actus puri, et ratio subsistendi complet naturam, non vero tribuit primam rationem essentialem ex parte ejus se tenentem : ergo cum ratio speciei intelligibilis habeat hoc ipsum proportione servata, et essentia divina sit sua intelligibilitas per modum actus puri, poterit absque

absque ulla mixtione inhæsionis, aut quavis alia imperfectione uniri per modum speciei, tam cum intellectu divino, quam cum creato.

Tertia.

44 Confirmatur tandem, et radicitus hoc ipsum explicatur ratione D. Thom. in hoc art. in solutione ad 3. et alibi sæpe. Nam essentia divina ex se est species, seu forma intelligibilis, et insuper est omne suum *esse*, tam in genere entis, quam in genere intelligibili; quia est sua intelligibilitas : ergo sicut se ipsa potest esse forma intelligibilis respectu intellectus divini, ita se ipsa absque inhærentia, aut imperfectionibus informationis poterit constituere intellectum creatum per modum formæ intelligibilis in actu primo ad intelligendum. Antecedens constat ex dictis. Conseq. vero probatur. Quia causa, propter quam aliqua forma, quæ habet veram rationem formæ in ordine naturali, et entitativo, non potest constituere in actu sibi proportionato aliquod subjectum, nisi media inhærentia, aut informatione dicente imperfectionem, est, quia petit necessario, ut ipsa, in quantum constituit subjectum in actu, non sit illud *esse*, quod dat, et ideo, ut det tale *esse*, indiget causalitate aliqua formali, quæ sit inhærentia, aut informatio dicens, et supponens imperfectionem : ergo ubi forma potest esse illud *esse*, quod constituit in actu, quodque tribuit subjecto, ut in forma intelligibili summe perfecta, scilicet in essentia divina, contingit, non indigebit causalitate inhærentiæ, aut informationis jam dictæ ad constituendum in actu, sed poterit hoc præstare per immediatam unionem sui ipsius absque omni inhærentia, et informatione dicente, aut præsupponente imperfectionem.

Eadem secunda solutio quoad secundum in illa contentum excluditur.

45 Ex quo etiam constat falsitas secundi, quod in hac solutione continetur, scilicet objectum, seu essentiam divinam exhibere specialem, et activum concursum in ratione objecti in ordine ad claram Dei visionem, et nihilominus non habere rationem speciei intelligibilis. Nam hæc duo non videntur inter se cohærere, ut sequens ratio satis ostendit.

Ratio impugnationis.

Quoniam hoc ipso, quod objectum in ratione objecti concurrat effective ad visionem Dei, necesse est, ut uniatur aliquo modo cum intellectu per modum unius principii, non quidem secundum *esse* naturale, sed secundum *esse* intelligibile, sed objectum sic unitum cum intellectu, eo ipso determinat, actuat, complet, et perficit illum in ordine ad prædictam visionem : ergo eo ipso habebit rationem speciei intelligibilis respectu illius. Conseq. videtur certa. Quia nomine speciei intelligibilis nihil aliud intelligimus, quam objectum, vel aliquid aliud ejus vices gerens, quod una cum intellectu concurrat effective ad intellectionem, quodque perficiat, actuet, compleat, et determinet eum in ordine ad illam. Major vero probatione non indiget, quandoquidem ex se constat, quod quoties concursus duorum in actu secundo requiritur ad aliquam operationem, necesse est, ut sicut in actu secundo uniuntur, ita in actu primo præsupponantur aliquo modo unita : alioqui daretur integer actus secundus sine integro, et completo actu primo, quod aperte repugnat.

Probatur minor.

46 Minor, in qua videbatur esse difficultas, sic ostenditur. Quia intellectus, quousque sit unitus cum objecto, est in potentia essentiali in ordine ad ejus intellectionem, et ita lumen naturale intellectus nostri in sua prima productione est in pura potentia in ordine intelligibili, quia non est unitum cum aliquo objecto, et similiter si lumen naturale intellectus Angelici non esset unitum cum aliquo ex suis objectis, vel speciebus eorum, esset quoad illa in potentia essentiali : ergo eo ipso, quod objectum sit ei unitum per modum principii activi, comparabitur ad tale lumen per modum actus, et complementi, ac determinationis ejusdem. Patet conseq. Quoniam eo ipso absque aliquo alio actu extrahit lumen illud de potentia essentiali : et ita ibidem involvitur, quod necessario comparetur per modum actus, et complementi, et determinationis respectu illius.

Confirmatur.

47 Confirmatur, et explicatur ratione D. Thom. 3. con. Gent. cap. 51. et in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 1. ex discrimine, quod intercedit inter essentiam creatam, v. g. Angeli, et inter divinam. Nam id, quod concurrit active, et est forma in *esse* naturali, ac entitativo, potest uniri cuivis subjecto capaci constituendo illud in actu primo ; secus autem id, quod est compositum ex materia, et forma, ut ex se constat : ergo quod est pura forma in *esse* intelligibili, ac proinde est ipsa intelligibilitas, et active influit, poterit alteri uniri per modum formæ constituentis illud in hoc ordine in actu primo, et consequenter per modum speciei intelligibilis : ergo cum Deus, ut est objectum intelligibile, influat active, et sit ipsa intelligi-

bilitas, et per consequens pura forma in genere intelligibili, valebit hoc modo uniri cuivis intellectui elevato, et proportionato eidem; secus vero essentia Angeli, quæ non est ipsa intelligibilitas, sed id, quod est intelligibile. Et ita licet, quia includit intelligibilitatem, potest sibi esse ratio intelligendi, sicut, quod includit formam naturalem, queit esse sibi ratio existendi, et operandi, attamen quia involvit potentialitatem, et non est ipsa intelligibilitas per modum actus, et formæ puræ, sed id, quod habet illam, nequit uniri per modum formæ intelligibilis cum alieno intellectu. Sed hæc amplius in solutione ad ultimum pro prima sententia elucidabuntur.

§ VI.

Diluitur quædam objectio, ex cujus solutione non parum huc usque dicta elucidantur.

Objectio. 48 Sed objicies. Ex eo, quod essentia divina, et ejus attributa sint formæ in *esse* naturali, et entitativo respectu Dei, simulque sint suum *esse* in hoc ordine, et perfectiones simpliciter simplices, recte colligitur posse sine inhæsione, aut informatione uniri per modum formæ naturalis cum ipso Deo, non tamen cum aliqua re creata : quia eo ipso involvitur ibi inhæsio aut imperfectio informationis : alioqui posset creatura esse, v. g. sapiens sapientia increata : ergo licet ex eo, quod essentia divina sit forma intelligibilis, et suum *esse* in ordine intelligibili, ac proinde ratio speciei sit perfectio simpliciter simplex, inferatur posse sine prædicta imperfectione uniri per modum talis formæ cum intellectu increato, non tamen cum creato, ut ex paritate rationis satis patere videtur.

Confirm. 49 Et confirmabis. Quoniam ex eo, quod quantitas sit suum *esse quantum*, et ita ipsa sit etiam extensa, non recte colligitur posse sine inhæsione constituere substantiam in ratione extensæ, sed solum, quod possit sibi esse ratio habendi partes : ergo ex eo, quod essentia divina sit sua intelligibilitas, solum colligetur posse intellectum divinum, cum quo identificatur, constituere in actu primo; secus vero intellectum creatum, a quo realiter distinguitur.

1. Solutio. 50 Respondetur primo, quod gratis admissa in Deo ratione formæ naturalis, et in *esse* entitativo respectu sui, ea tamen non concessa, quia maximam involvit imperfectionem, ut statim dicemus; nihilominus nequit essentia divina, aut aliud attributum uniri per modum formæ naturalis cum aliqua re creata; bene tamen per modum formæ intelligibilis : quia illa limitatur secundum suam entitatem per id, in quo recipitur; secus vero hæc : et ideo ista non inhæret; bene tamen illa, ut statim magis expendemus.

Secunda. 51 Respondetur secundo, quod licet essentia divina sit actus purissimus, et per se subsistens in *esse* naturali, et entitativo, simulque habeat rationem formæ intelligibilis, non tamen si proprie, et in rigore loquantur, est, aut esse potest secundum se forma naturalis, et in *esse* entitativo : atque ita nequit se ipsa constituere creaturam in esse, v. g. sapientis, quia eo ipso haberet rationem formæ naturalis. Unde Angelus ideo nequit exhibendo suam propriam entitatem alteri communicare ei virtutem naturalem, et radicalem, quam ipse in *esse* entitativo, et naturali in se habet, quia neque est, neque esse potest forma naturalis : e contra vero anima rationalis propterea id potest, quia est vera forma naturalis.

52 Cur autem essentiæ divinæ repugnet ratio formæ naturalis, non vero formæ intelligibilis, satis constat ex D. Thom. 1. part. quæst. 8. et ex tribus, satisque efficacibus rationibus, quæ in ipso ibidem videri possunt. Et insuper declarari potest, juxta doctrinam ejusdem Sancti Doctoris ex discrimine, quod intercedit inter formam naturalem, et intelligibilem. Nam forma naturalis limitatur, et finitur per subjectum, in quo recipitur, ut ostendit Angelicus Doctor supra quæst. 7. et ex eodem nostri Complut. 3. Phys. disp. 18. quæst. 2. secus vero forma intelligibilis.

Redditur ratio solutionis. Cujus ratio desumitur ex iis, quæ in tract. de scientia Dei, disp. 2. fere per totam illam dicemus. Nam sicut cognoscentia distinguuntur a non cognoscentibus (ut docet D. Thom. quæst. 14. nuper citata) in hoc, quod sicut natura rei non cognoscentis est magis coarctata, et limitata, quia habet multum de potentialitate, et materiæ, quæ est radix coarctationis, et ideo non cognoscentia, non possunt fieri aliæ res : at vero natura rei cognoscentis est illimitata, et amplior, quatenus potest (ut inquit Arist. 3. de Anima text. 37.) fieri quodammodo omnia : ita forma, quæ recipitur non in *esse* intelligibili,

li, sed in *esse* entitativo, et naturali, finitur, et limitatur secundum suam entitatem per subjectum, quia recipitur imperfectiori modo, ac proinde prædicta forma unitur media inhæsione, aut informatione, quæ sola petit limitationem. At vero forma, quæ recipitur intelligibiliter, et per modum formæ intelligibilis, non est necesse, ut limitetur, saltim quoad suam entitatem, per id, in quo recipitur modo elevatiori, et perfectiori, scilicet valde immaterialiter, et per consequens, sine imperfectione limitationis : quandoquidem materialitas est radix limitationis, vel inhæsionis, quæ ex vi sua petit limitationem. Et ita si præcise recipiatur in *esse* intelligibili, sine admixtione receptionis in *esse* entitativo, et naturali, non limitatur, quoad suam entitatem per id, in quo recipitur, nec est in illo per naturalem informationem, aut inhæsionem.

Unde licet repugnet essentiam divinam uniri per modum formæ naturalis, et in *esse* entitativo, ne quoad suam entitatem finiatur, et limitetur per id, in quo reciperetur, ac proinde ne in illo inhæreat, aut ipsum in *esse* entitativo informet; non tamen repugnat uniri per modum formæ intelligibilis, et pure intelligibiliter, quandoquidem forma ista per id, cui unitur, non limitatur secundum suam entitatem, et rationem formæ intelligibilis, et consequenter, nec eidem inhæret, nec illud in *esse* entitativo, et naturali informat, quia talis informatio petit limitationem.

Explicantur hæc. 53 Potestque hoc explicari ex iis, quæ in prædicto tractatu de scientia Dei loco nuper citato, ex doctrina D. Thom. 1. part. quæst. 50. art. 2. ad 2. dicemus. Nam ibi S. Doctor inquit, quod forma intelligibilis recipitur in intellectu secundum rationem formæ, id est (ut bene explicat Bannez ibidem) secundum totam amplitudinem, et universalitatem, quæ ei in *esse* intelligibili competit : et propterea cum species repræsentans naturam humanam, ut sic, informat intellectum humanum, tunc licet in *esse* entitativo, et naturali limitetur, et fiat *hæc* numero, et non *illa;* nihilominus in *esse* intelligibili, et repræsentativo manet, ita universalis, et ampla, sicut ipsa ratio talis formæ in tota sua amplitudine exigit, et per consequens non petit, ut quoad suam intrinsecam perfectionem in *esse* intelligibili finiatur, et limitetur per intellectum, quem actu in *esse* intelligibili informat. At forma naturalis, et in esse entitativo, ut talis, hoc ipso, quod informet actu a parte rei, non potest manere cum tota amplitudine, et perfectione, quam secundum suam speciem exigit, sed limitatur, et fit *hæc*, et non *illa*, habetque hunc modum participandi suam speciem, et non illum, qui alteri formæ ejusdem speciei competit, ut in omnibus formis naturalibus, quæ proprie, et in rigore sunt tales, constat : et propterea D. Thom. quæst. citata, et alibi sæpe inquit, naturam v. g. Michaelis Archangeli non posse numero multiplicari; sed unicum ejus individuum, scilicet Michaelem includere totam speciem, et perfectionem, ac amplitudinem ejus, quia non habet veram rationem formæ naturalis, sed est actus per se subsistens, et non receptibilis in materia, ac proinde non habens unde amplitudo suæ speciei limitetur. Sed de his iterum, et latius in tractatu citato.

Additamentum primum. 54 Adde primo. Speciem, seu formam intelligibilem tenere se ex parte objecti potius, quam ex parte alterius, et ideo si objectum est infinitum, repræsentat infinite, et non limitatur ab alio, ut in hac eadem disputatione magis infra expendemus. At vero forma in *esse* naturali, et entitativo tenet se ex parte subjecti potius, quam ex parte alterius, et ita debet quoad suam entitatem per subjectum finitum limitari.

Additamentum secundum. Adde secundo, quod si peculiariter loquamur de forma in *esse* naturali, et entitativo considerata, tenente se ex parte operantis, et dante ei, quod sit principium operandi vitaliter, tunc talis forma habet peculiari ratione subordinari, v. g. in homine, primo principio vitæ ejusdem hominis, et omnium operationum ejus, nempe animæ : quia nihil tenens se ex parte ipsius potest vivere, nisi sit ipsa, vel subordinetur ipsi : et propterea lumen gloriæ de facto repertum in beatis, et tenens se ex parte intellectus eorum, ac tandem influens in actum vitalem visionis beatificæ subordinatur intellectui, et animæ; ergo ex hoc etiam capite repugnabit, essentiam divinam uniri per modum formæ naturalis respectu prædictarum actionum : siquidem talis forma tenet se ex parte ejus, cui unitur, et petit subordinationem Deo repugnantem.

Additamentum tertium. Adde tertio. Formam proprie, ac rigorose sumptam, quæ in *esse* entitativo, et naturali sit talis, semper esse quid incompletum, aut quid accidentale, ut inductive constat, et ideo petere inhæsionem, aut informationem in *esse* naturali, et entitativo : formam vero in *esse* intelligibili eo

melius esse formam, quo est magis completa in ratione entis; imo si fuerit infinita in genere entis, eo melius poterit esse forma in ordine intelligibili : quia unumquodque in tantum est intelligibile, in quantum est ens, unde, quod habuerit plus de entitate, habebit etiam plus de intelligibilitate : et ita forma intelligibilis non petet necessario inhæsionem, aut imperfectionem informationis in *esse* naturali, et entitativo.

55 Ex quo etiam fiet formam naturalem, et in *esse* entitativo non posse eminenter, aut radicaliter habere totam entitatem sui effectus absolute sumpti, ut constat ex iis, quæ docent nostri Complutens. 2. Phys. disput. de causis formali, et materiali : secus vero formam intelligibilem, ut constat in Deo, et in essentia Angeli, quæ habet rationem speciei intelligibilis, et re ipsa continet, saltim radicaliter, intellectum, et intellectionem ipsam, ac proinde totum id, quod ad actum primum desideratur. Unde etiam ex hac parte repugnabit inveniri in Deo rationem formæ naturalis, et in *esse* entitativo; non vero rationem formæ intelligibilis.

Explicatur ex D.Thom.

56 Quæ omnia eleganter explicuit D. Thom. 3. cont. Gent. cap. 51. ubi loquens de essentia divina sic ait : *Nec tamen potest esse forma alterius rei secundum esse naturale : sequeretur enim, quod simul cum aliquo unita constitueret unam naturam, quod esse non potest : cum essentia divina in se perfecta sit in sui natura, species autem intelligibilis unita intellectui non constituit aliquam naturam, sed perficit ipsam ad intelligendum, quod perfectioni essentiæ divinæ non repugnat.* Ecce ergo quomodo, juxta mentem Sancti Doctoris conceptus formæ naturalis est conceptus formæ imperfectæ, et habentis *esse* diminutum, quippe, quod ordinatur ad constituendam aliquam naturam : conceptus vero speciei intelligibilis potest esse conceptus formæ totalis, et omnino perfectæ, quippe quæ solum habet perficere, non vero perfici : et ita non mirum, quod forma intelligibilis sit in Deo; non vero ratio formæ naturalis.

Ad confirmat.

Ex quo etiam id, quod de quantitate adducebatur, corruit. Nam licet demus quantitatem esse suo modo, et respectu sui, *quantam*, tam, ut *quo*, quam, ut *quod*, de quo videri possunt nostri Complut. in Logica, disputat. 4. num. 40. nihilominus tamen adhuc est manifesta disparitas. Nam hoc ipso, quod non sit forma infinita, nequit esse suum *esse quantum*, id est, illud quod tribuit substantia : at vero quia essentia divina est forma intelligibilis, et hujus formæ ratio potest (ut modo dicebamus) esse omnino completa, imo et infinita, ideo potest continere per modum actus puri omnem intelligibilitatem, et consequenter esse etiam illud *esse* intelligibile, quod tribuit intellectui creato.

§ VII.

Respondetur tribus prioribus fundamentis primæ sententiæ.

Ad primum.

57 Ad primum ergo pro prima sententia dicendum est, potissimam causalitatem speciei intelligibilis non esse in ratione formæ naturalis, quæ intrinsece petit inhæsionem, aut informationem dicentem imperfectionem, sed in ratione formæ intelligibilis, quæ tantum petit complere, et determinare, sive tribuere virtuti intellectivæ, quod in *esse* intelligibili sit ipsum objectum; quæque, si præcise in *esse* intelligibili uniatur, non exigit inhæsionem, aut imperfectionem intrinsecæ informationis in *esse* entitativo, et naturali, sed actualitatem, et esse formam in ordine intelligibili puram ab omni imperfectione : et ideo non mirum essentiam divinam, quæ solum in *esse* intelligibili unitur, posse hoc munus præstare. Videantur nostri Complut. in lib. de Anima disp. 18. quæst. 4. et 5.

Ad secundum

58 Ad secundum neganda est min. Et ad probationem respondetur, quod licet essentia divina non uniatur per intrinsecam, et naturalem informationem in *esse* entitativo cum intellectu creato; unitur tamen intrinsece per modum formæ intelligibilis, complendo, et determinando, et intelligibiliter informando illum, sive tribuendo ipsi, ut habeat sibi unitam divinam essentiam, quatenus habet rationem formæ intelligibilis, et ita unitur ei, ut præcise æquivalet speciei intelligibili creatæ repræsentativæ ipsius, prout est in se (si hæc esset possibilis) ac proinde tribuendo intellectui creato, ut in ordine intelligibili vere sit Deus.

Hæc autem unio formalissime sumpta, et adhuc secundum id, quod in recto importat, sufficit ad immutandum realiter intellectum in *esse* intelligibili : quia hic modus immutandi non arguit imperfectionem in essentia divina, et istud *esse* intelligibile, vere est aliquid reale. cæterum cum hoc stat, ut prædicta

prædicta unio non sufficiat sub prædicta præcisione sumpta ad immutandum intellectum creatum in *esse* naturali, et entitativo, ex eo, quod hic modus immutandi dicit imperfectionem, et in hoc ordine non unitur illi. Diximus, *sub prædicta præcisione*, quia si consideretur, secundum ea, quæ de connotato affert, potest immutare eundem intellectum in *esse* entitativo, quia exigit lumen gloriæ, ut dispositionem sui in *esse* intelligibili sumptæ ; quod quidem (ut statim dicemus) ex vi actionis unitivæ essentiæ divinæ producitur in intellectu, et per illud in *esse* physico, et naturali realiter, et intrinsece intellectus mutatur.

Ad imam nfirm.

59 Ad primam confirmationem concedendum est antecedens, et neganda conseq. Et ad probationem dicendum est, non sequi ex hoc, quod essentia divina constituat intellectum creatum in actu primo complendo, et determinando activitatem ejus, ut elevati per lumen gloriæ, quod eadem essentia sit in potentia ad actum secundum, scilicet visionem beatificam : quia actuat, et complet seclusis imperfectionibus. Quare solus intellectus perfusus lumine gloriæ, qui alias completur, et intelligibiliter actuatur per essentiam divinam, tanquam per formam intelligibilem, est in potentia ad visionem : sicut licet subsistentia, et existentia divina compleant humanitatem Christi Domini, tam in esse entis, quam in esse operativo, quatenus actiones sunt suppositorum; nihilominus personalitas divina non est in potentia ad recipiendum actiones, aut ad hoc, ut perficiatur per illas : quia complet, et determinat per modum purissimi actus; atque adeo sine ulla imperfectione.

d se- ndam.

Ad confirmationem secundam negandum est antecedens. Et ad probationem dicendum est, effectum formalem, quem essentia divina præstat intellectui, involvere aliquid infinitum, et increatum, quia importat essentiam divinam, ut est suum *esse* intelligibile, et tribuit intellectui jam elevato, quod sit Deus intelligibiliter : quamvis simul connotet lumen gloriæ, ut dispositionem necessario requisitam ad talem unionem. Et ideo non mirum effectum illum incipere in tempore : quia licet forma illa intelligibilis sit æterna, attamen temporaliter unitur : quoniam exigit connotata, quæ in tempore, et non ab æterno dantur, ut statim magis explicabitur.

Ad tium gu- ntum

60 Ad tertium respondetur primo cum Fer. 3. cont. Gent. cap. 51. §. ad 3. dubium, distinguendo major. et si intelligatur de aliquo per se uno in *esse* entitativo, et naturali, neganda est : secus vero si intelligatur de aliquo per se uno in ordine intelligibili, et resultante ex intellectu, et essentia divina, ut intime unita. Et eodem modo distinguenda est min. Nam licet ex essentia divina, et intellectu elevato per lumen gloriæ, non resultet aliquid per se unum in *esse* entitativo, et naturali ; bene tamen in *esse* intelligibili : quandoquidem hinc resultat, quod intellectus creatus habeat rationem unius integri principii per se in ordine ad visionem claram Dei eliciendam. Nec contra hoc vim habet probatio minoris ibidem subsumpta. Nam, quod ex intellectu, et essentia divina non fiat unum accidens, aut una substantia, convincit non fieri unum ex illis in *esse* entitativo : non vero in esse intelligibili : quandoquidem, ut modo dicebamus, ad hoc tantum desideratur, ut inde unum per se principium intellectionis coalescat. solutio prima.

Alia solutio.

61 Secundo, et melius respondetur cum Cajet. et cum N. Complut. in lib. de Anima, disp. 18. quæst. 4. et 5. et quamplurimis aliis ex discipulis D. Thom. ex intellectu, et specie intelligibili non resultare aliquod tertium, sed quod unum extremum fiat aliud, et ita intellectus per speciem fit quodammodo, id est, in ordine intelligibili, ipsamet species, necnon, et ipsummet objectum intellectum, in eodem ordine consideratum, et eo modo, quo nostri Complut. loco citato explicant, et nos fusius in tract. de scientia Dei disp. 3. prosequemur : ubi etiam omnes objectiones contra hunc modum dicendi pugnantes diluemus. Ex quo ortum habuit commune illud proloquium ex Comment. 3. de Anima text. 37. desumptum, scilicet ex intellectu, et re intellecta fieri magis unum, quam ex materia, et forma. Nam materia non fit forma, at intellectus fit quodammodo (id est, in *esse* intelligibili) ipsummet objectum, ut *quod*, et ipsa species intelligibilis, ut id *quo*, in prædicto ordine fit ipsum objectum.

Ad proba. minoris.

62 Unde ad probationem min. quatenus contra hunc dicendi modum potest deservire, dicendum est, quod per hanc unionem, et informationem in *esse* intelligibili fit, ut intellectus perfusus lumine gloriæ sit idem, non quidem formalissime, sed identice per identitatem quodammodo talem, id est, in *esse* intelligibili, cum substantia, et essentia Dei, ut est forma intelligibilis, licet non in *esse* entitativo, et naturali, eo quod non fit hæc unio cum essentia divina, ut pertinet ad ordinem entitativum, et naturalem, sed,

ut spectat ad ordinem intelligibilem, seu ut æquivalet speciei intelligibilli creatæ repræsentativæ Dei prout est in se, si hæc esset possibilis, et in ordine intelligibili præcise consideraretur.

Explicatur hoc. Diximus, *quod per hanc unionem, et informationem in esse intelligibili fit, ut intellectus perfusus lumine gloriæ sit idem, non quidem formalissime , sed identice , etc. cum essentia Dei, ut est forma intelligibilis*, ut denotaremus tum, quod hæc identitas non est tanta, ut non compatiatur secum distinctionem formalem, sive virtualem, et insuper distinctionem realem, non quidem actualem, sed potentialem, ut nostri Complut. loco citato explicant. Tum etiam, quod unum extremum non convertitur in aliud, seu non amittit propriam, et formalissimam sui rationem, quamvis cum altero identificetur. Sicut licet actio, et passio (juxta probabilem multorum sententiam) inter se identificentur realiter , actualiter , et solum virtualiter distinguantur, non tamen propterea quævis earum suam formalissimam rationem deperdit.

Utrum autem licet concedatur hæc identitas in *esse* intelligibili inter intellectum, et speciem ; nihilominus postea pensatis omnibus, et absolute, ac simpliciter loquendo sit major, et intimior unio materiæ, et formæ substantialis, quam speciei cum intellectu? et similiter sit major, et intimior unio personalis Verbi cum humanitate Christi Domini, quam unio divinæ essentiæ cum intellectu creato : ex dicendis in tract. de scientia Dei disp. 2. num. 102. constabit.

Ad confirm. 63 Ad confirmationem neganda est minor. Et ad probationem dicendum est actionem, per quam infunditur lumen gloriæ, esse etiam unionem essentiæ divinæ, in ratione speciei intelligibilis. Nam actio, quæ attingit ultimam dispositionem ad aliquam formam, extenditur ad attingendum illam formam, in ordine ad quam est talis dispositio, quando actio illa procedit ab agente continente totam perfectionem utriusque. Et ita talis actio subordinatur illi non utcunque, sed ut totam illam perfectionem continet. Et ideo actio attingens ultimam dispositionem ad formam ignis, etiam attingit, ut subordinata igni generanti prædictam formam.

Quare cum lumen gloriæ habeat se per modum ultimæ dispositionis ad receptionem, seu quasi receptionem essentiæ divinæ in ratione formæ intelligibilis, ut art. 5. ostendemus, consequens est, ut infusio illius sit etiam unitio ejusdem essentiæ, ac proinde hoc, quod est essentiam divinam manere unitam cum intellectu creato, fiet quasi per naturalem dimanationem eo proportionali modo, quo posita ultima dispositione ad ignem resultat forma ignis, ut ostendunt nostri Complut. 2. Phys. disp. 10. num. 67. et deinceps.

Ad probat. de lumine fidei. Neque contra hoc habet vim probatio ibidem adducta de lumine fidei. Quia lumen hoc non se habet per modum ultimæ dispositionis ad acquisitionem specierum naturalium, quæ ad actum fidei deserviunt : secus vero lumen gloriæ in ordine ad receptionem essentiæ divinæ in ratione formæ intelligibilis. Unde in voluntate infundendi lumen gloriæ continetur voluntas uniendi prædictam essentiam : quoniam talis voluntas libera necessario requiritur ob eminentiam hujus formæ ad hanc unionem, et communicationem, ex eo quod cum sit forma infinite perfecta, non communicatur necessario etiam per modum formæ ad extra, sed dependenter a voluntate libera Dei. Sicut ob eandem rationem nequit libere, sed necessario communicari ad intra : non secus, ac contingit in subsistentia divina, quæ etiam per modum termini non potest propter suam eminentissimam perfectionem non communicari necessario ad intra, neque potest ad extra terminare naturam creatam, nisi libere, seu connotando prædictum actum liberum Dei.

§ VIII.

Occurritur ultimo fundamento primæ sententiæ, et ejus primæ confirmationi.

Ad ultimum quoad primam instantiam illius. 64 Ad ultimum ejusdem sententiæ, quia longiorem exposcit sermonem, ideo sigillatim occurrendum est, admittendo solutionem ibidem assignatam, quatenus negat requiri indispensabiliter unionem, et informationem speciei in *esse* entitativo. Et ad primam impugnationem, respondetur, quod licet aliæ essentiæ, aut species intelligibiles nequeant uniri cum intellectu creato pure in *esse* intelligibili, quin ibi misceatur unio in *esse* entitativo : nec etiam essentia divina queat uniri cum suo intellectu divino, quin ibidem, etiam adsit unio in *esse* entitativo, et naturali : nihilominus eadem essentia Dei, ut habet rationem speciei intelligibilis, poterit uniri pure in *esse* intelligibili cum intellectu creato.

Disparitas inter intellec- 65 Ratio autem disparitatis constabit discurrendo suo ordine per species intelligibiles,

tum vinum, t crea- um in rdine ad nionem um di- vina sentia.

les, quæ in hac impugnatione referuntur. Nam in primis si loquamur de essentia divina, ut collata in ratione speciei intelligibilis cum suo intellectu, comparatur cum illo tanquam cum intellectu, qui sit actus purissimus : hic autem hoc ipso, quod talis, nequit distingui ab specie intelligibili, per quam intelligit, nempe ab essentia divina, sive hæc in *esse* entitativo, et naturali, sive in *esse* intelligibili consideretur. Et ideo debent esse secundum utramque rationem unita per intimam, et strictissimam unionem, nempe per identitatem ; alioqui talis intellectus non esset actus purus, imo talis identitas debet esse non qualiscunque, sed omnimoda, excludens distinctionem adhuc virtualem inter prædictum intellectum, et essentiam Dei.

Tum quia cum intellectus divinus sit actus purus intra propriam lineam, petit identificare absque omni distinctione virtuali omnia illa, quæ pertinent ad suam lineam. Et propterea, sicut hoc modo identificat sibi intellectionem, ex eo, quod pertinent ad suam lineam, ita etiam essentiam divinam tam, ut habet rationem essentiæ, et naturæ, secundum, quam rationem pertinet ad ordinem entitativum, quam, ut habet rationem speciei intelligibilis, quia omnia hæc ad eandem lineam pertinent, ut amplius constabit ex iis, quæ in tract. de scientia Dei disp. 3. num. 17. et in tract. de volunt. Dei disp. 2. num. 34. dicemus. Tum etiam : quia in essentia divina non distinguitur adhuc virtualiter *esse* entitativum, et intelligibile : et ita cum habeat summam adæquationem, et commensurationem cum suo intellectu, tanquam cum suo primo (ut sic dicamus) perfectibili, nequit uniri per omnimodam identitatem secundum illam priorem rationem, quin uniatur secundum hanc posteriorem, ex parte solius nostri modi concipiendi distinctam.

Quare cum hæc non procedant in intellectu creato beati, ut ex se constat, inde est, ut ex essentia divina, et intellectu Dei inter se collatis, nequeat colligi quod sicut in eis intercedit unio, tam in *esse* entitativo, quam in *esse* intelligibili ; ita etiam inter essentiam divinam, et intellectum creatum beati.

66 Et deinde si fiat sermo de essentia Angeli, ut habet rationem speciei intelligibilis respectu proprii intellectus, tunc ideo uniuntur in *esse* naturali, et entitativo, seu (quod in idem quoad præsens redit) per modum subjecti, et proprietatis : quoniam essentia Angeli est forma intelligibilis finita, et limitata : et ratione hujus est ita coarctata, ut nequeat uniri per modum formæ intelligibilis, nisi cum suo proprio intellectu. Sicut etiam ejus subsistentia, quia est finita, ita est commensurata, et coarctata ad suam naturam, ut nequeat aliam terminare. Et ideo oportet, ut intellectus, cum quo prædicta essentia Angelica unitur, sit intellectus suus, atque adeo unitus ei per modum subjecti, et proprietatis, seu per modum naturæ, et radicis ad intelligendum, ac potentiæ proximæ ad eandem intellectionem. Quia intellectus Angeli, sicut et quævis alia potentia vitalis, nequit habere rationem talis, nisi sit unita cum sua propria natura, a qua dimanat, ut nostrum Collegium Complut. in libris Physic. disp. 10. num. 66. adnotavit.

Quapropter cum hæc ratio non habeat locum in essentia divina comparata cum intellectu creato beati, quia, ut ex se constat, ipsa est forma quædam intelligibilis infinita, et prædictus intellectus non se habet per modum proprietatis respectu essentiæ divinæ, et per consequens non debet esse radicatus in illa sicut proprietas, et potentia proxima vitalis cum sua natura, et principio radicali vitæ ; fit inde, ut ex unione in *esse* naturali, et entitativo, quæ necessario debet misceri in unione essentiæ Angelicæ per modum speciei intelligibilis cum suo intellectu, nequeat colligi esse idem dicendum de essentia divina comparata in ratione speciei intelligibilis cum intellectu beati : quin potius, quia prædicta essentia habet rationem formæ intelligibilis infinitæ, poterit extendi ad actuandum intelligibiliter quemlibet intellectum creatum. Sicut, quia subsistentia divina in ratione termini naturæ est infinita, queit extendi ad terminandam naturam creatam : et deinde, quia prædictus intellectus creatus non comparatur cum essentia divina per modum proprietatis ab ea dimanantis, et ipsa essentia nequit habere rationem formæ naturalis, et in *esse* entitativo ratione suæ infinitatis, propterea nequibit hoc modo, sed solum pure intelligibiliter cum prædicto intellectu uniri.

Ad aliam instantiam.

67 Per quæ etiam constat ad aliam instantiam in hac impugnatione adductam de aliis speciebus intelligibilibus, quæ sunt accidentia. Nam istæ hoc ipso, quod tales, debet earum *esse* intelligibile identificari cum *esse* naturali, et entitativo earum, quod sit accidens : et per consequens debent inhærere in intellectu, et uniri cum eo in *esse* naturali, et entitativo tanquam cum subjec-

to earum. Quæ ratio, ut constat, in specie intelligibili infinita, qualis est essentia divina, nequit habere locum : siquidem hæc debet esse libera ab omnibus imperfectionibus, et per consequens ab inhærentia, quæ essentialiter dicit imperfectionem.

Addi-tum. Adde, quod potius ex hoc exemplo specierum intelligibilium, quæ sunt accidentia, potest desumi non parum urgens probatio ad suadendam possibilitatem unionis essentiæ divinæ in ratione formæ intelligibilis, licet ibi non misceatur alia unio in *esse* entitativo, et naturali. Nam cum species illæ uniantur in *esse* entitativo, et naturali, quia debent inhærere ratione *esse* entitativi accidentalis, quod afferunt, fit inde, quod si Deus supernaturaliter vellet supplere hanc inhærentiam, ut in accidentibus Eucharistiæ contingit, tunc esset valde probabile, quod possent prædictæ species uniri in ratione puræ formæ intelligibilis, quin unirentur actu, et formaliter in *esse* entitativo, licet secundum hoc *esse* deberent esse indistantes ab intellectu, cui intelligibiliter unirentur, et non possent absolvi ab hoc, quod est esse unibiles secundum prædictum *esse* entitativum : multo ergo melius essentia divina poterit præcise in *esse* intelligibili uniri.

Ad primam confirmat. 68 Ad primam confirmationem respondetur concedendo antecedens, et negando consequentiam. Et ad probationem dicendum est, quod ad hoc, ut essentia divina queat uniri in ratione speciei intelligibilis, et ut ad ordinem intelligibilem spectat, non vero prout pertinet ad ordinem entitativum, et naturalem, non est necesse, ut hæ duæ rationes virtualiter distinguantur in ipsa essentia, sed satis erit, quod divina essentia cum omnimoda hac identitate excludente prædictam distinctionem sit forma eminentissima, præstans ratione hujus eminentiæ munus *esse* entitativi, et naturalis, et munus *esse* intelligibilis, quæ in creaturis, vel realiter, vel virtualiter distinguuntur.

Nam sicut hæc eminentia sufficit ad hoc, ut possit uniri cum intellectu creato beati in ratione speciei intelligibilis, et non in ratione intellectionis : quamvis hæc duo non distinguantur in divina essentia, adhuc virtualiter ; ut ex dicendis in tractatu de scientia Dei disputat. 3. num. 17. et in tractatu de voluntate Dei disput. 2, num. 34. patebit, et similiter, hæc eadem eminentia satis est ad hoc, ut eadem essentia uniatur cum humanitate Christi Domini in ratione existentiæ, non vero in ratione naturæ, et essentiæ, ut in tractatu de Incarnatione dicemus, licet ratio naturæ, et existentiæ in Deo non distinguantur distinctione virtuali, ut patebit ex iis, quæ in prædicto tractatu de scientia Dei disput. 4. dubio 2. dicentur ; ita in præsenti, proportione servata, philosophari debet. Et ratio est eadem in omnibus his. Quoniam nec humanitas Christi Domini, nec intellectus creatus est capax unionis cum divina essentia, ut habet rationem naturæ, sive intellectionis, nec divina essentia potest habere rationem formæ naturalis, et in *esse* entitativo talis.

69 Etsi inquiras, quomodo cohærere possit in essentia divina, hæc eminentia, et facultas exercendi plura, non minus, ac si essent plures, cum omnimoda identitate, et exclusione distinctionis etiam virtualis ? quandoquidem non ob aliud essentia divina, et relatio distinguuntur virtualiter, nisi quia illa eadem formalitas præstat propria, plurium non minus, ac si essent actu plures.

Ad hoc dicendum est, quod ad distinctionem formalitatis, et formalitatis etiam virtualem, non sufficit exercere propria plurium utcumque, quia ex hoc solum colligitur eminentia unius, et ejusdem (ut sic loquamur) ipsissimæ formalitatis ; sed insuper desideratur exercere propria plurium pertinentium ad distinctas lineas, non vero spectantium ad unam, et eandem lineam. Et ratio est. Quia tunc exercentur propria plurium, ut plurium : et ita ex tali exercitio infertur pluralitas saltim virtualis in exercente. Cæterum, quando exercentur propria plurium, spectantium ad unam, et eandem lineam, non exercentur propria plurium, ut plurium, sed, ut sunt unum, id est, quatenus pertinent ad unam, et eandem lineam. Et ideo in Deo essentia, et relatio distinguuntur virtualiter, quia absolutum, et relativum spectant ex natura sua ad distinctas lineas ; secus vero intellectio, et intellectus, quia linea intellectus in sua puritate pertingit usque ad actum secundum inclusive.

70 Unde quia linea *esse* entitativi, et naturalis, si in sua puritate consideretur, pertingit etiam usque ad *esse* intelligibile, quia *esse* entitativum, et naturale in sua puritate est *esse* immaterialissimum, et per modum actus purissimi, et hoc ipsum importat *esse* intelligibile, ideo ex eo, quod essentia divina exerceat respectu Dei munera *esse* entitativi, et intelligibilis, quæ in rebus materialibus

rialibus sunt distincta, non sequitur distinctio etiam virtualis plurium formalitatum, sed, quod eadem prorsus formalitas sit eminentissima, et absque illa distinctione habeat ea, quæ in aliis sunt distincta, et cum sit una, exerceat distincta munera spectantia ad eandem lineam.

§ IX.

Fit obviam duabus posterioribus confirmationibus ejusdem ultimi argumenti.

71 Ad secundam confirmationem ejusdem ultimi argumenti patet ex dictis num. 61, quomodo unio intellectus cum specie intelligibili sit quodammodo major, et intimior unione materiæ, et formæ substantialis. Quoniam licet ex his resultet unum tertium per compositionem; non tamen materia fit per identitatem jam insinuatam, ipsamet forma : at illa, nempe intellectus, et species intelligibilis quodammodo (id est in *esse* intelligibili) identificantur : et ideo intellectus fit identice (licet non formalissime) ipsum objectum hoc ipso quod illi uniatur. Sed de his videantur ea, quæ in tractatu de scientia Dei disput. 2. num. 66 et 95, et deinceps dicentur.

72 Ad tertiam confirmationem respondent aliqui concedendo sequelam, et negando minorem Et ad primam probationem negant antecedens, quia essentia divina potest uniri, tum per modum agentis intime illapsi, et ad effectum conservationis : tum etiam per modum formæ intelligibilis, quæ sit intime illapsa in intellectum, ut lumine gloriæ perfusum, ac proinde hæc posterior unio formaliter sumpta erit supernaturalis; secus vero illa prior. Ex quo ad secundam probationem dicunt, essentiam divinam ante lumen gloriæ esse unitam cum intellectu per modum agentis intime in illum operantis, et conservantis entitatem ejus naturalem; non tamen per modum formæ intelligibilis : et ita non est formaliter illapsa in intellectum, ut habet rationem prædictæ formæ, sed materialiter, et in esse agentis conservantis illum.

Ex quo etiam ad ultimam impugnationem, occurrunt dicentes, quod sicut species visibiles recipiuntur in speculo in *esse* entitativo, et qualitatis, non vero in *esse* visibili formaliter, quia speculum non habet virtutem visivam, et prælictæ species solum sunt receptibiles in *esse* visibili in potentia visiva, ita essentia divina per modum formæ intelligibilis solum est quasi receptibilis in intellectu divino, seu pertinente ad ordinem divinum, ac proinde elevato per lumen gloriæ, quia solus intellectus, ut sic elevatus habet, quod sit intellectivus Dei, prout est in se. Unde in intellectu non elevato, tantum est materialiter, et non, ut forma intelligibilis, sed per modum intimi agentis, cum quo alias est conjuncta ratio formæ intelligibilis.

Rejicitur.

73 Cæterum hæc solutio non placet. Nam licet Divus Thomas quæst. 28. de veritate art. 2. ad octavum, doceat, quod unio divinæ essentiæ per intimum illapsum est intimior unione aliarum rerum creatarum per informationem, aut inhæsionem, ex eo, quod, ut ibidem docet Sanctus Doctor, id, quod unitur per intimum illapsum, est intra substantiam rei, at vero, quod unitur per informationem, quasi circumstat id, cum quo fit unio, nihilominus talis unio formalissime sumpta non est formæ cum re informata, sed unio agentis intimi cum suo effectu, a quo quidquid est in illo, quantumvis intimum, causatur ita, ut eatenus prædictum agens sit præsens illi, quatenus totam ejus essentiam intimam causat. Et propterea licet divina essentia sit intime illapsa in quavis creatura, et in ejus intima entitate naturali, non tamen propterea est in illa eo modo, quo forma est in re informabili, sed eo modo, quo agens est præsens suo effectui, seu eo modo, quod id, quod est immensum, petit esse in omnibus rebus.

Vera solutio.

74 Quare melior, et planior solutio hujus argumenti constat ex sæpe dictis, nempe, quod licet ad unionem essentiæ divinæ in ratione formæ intelligibilis cum intellectu creato prærequiratur, quod eademmet ex parte rei conceptæ sit indistans ab intellectu, ut elevato lumine gloriæ, per indistantiam propriam ipsius essentiæ, quæ est per intimum illapsum; non tamen hæc unio consistit formalissime in prædicta indistantia, sed essentia divina, ut habet rationem formæ intelligibilis, alia unione unitur cum eodem intellectu, et ideo se ipsa informat prædictum intellectum informatione intelligibili : ita tamen, ut simul sit forma, et informatio in hoc ordine. Tum quia est extremum unibile, et forma intelligibilis per modum actus puri; et ideo est unio sui. Tum etiam : quia hæc unio, et informatio est formalissime in ordine intelligibili, ac proinde est talis conditionis, ut per eam res informata, et forma informans quodammo-

do (id est in *esse* intelligibili) et modo in tractatu de scientia Dei explicando, identificentur. Et propterea, ex hoc etiam capite non requiritur modus unionis medius, et ex natura rei distinctus inter essentiam, et intellectum lumine gloriæ perfusum, quo maneant unita : quia talis unio exercetur præcise intra ordinem intelligibilem, non vero intra ordinem entitativum, et naturalem.

Additamentum.

75 Diximus ad unionem essentiæ divinæ in ratione formæ intelligibilis prærequiri, quod eademmet ex parte rei conceptæ sit indistans indistantia per intimum illapsum ab intellectu, ut elevato lumine gloriæ, quia licet sit proprium ejusdem essentiæ, ut non possit se ipsa formaliter unire cum intellectu creato, nisi producendo, prius in illo lumen gloriæ, atque adeo nisi sit indistans ab eodem intellectu, quatenus sic elevato per indistantiam propriam prædictæ essentiæ, scilicet per entitum illapsum; non tamen est necesse, ut eadem essentia, quatenus exprimit rationem speciei intelligibilis causet effective lumen gloriæ. Cæterum, quia essentia divina, ut per modum primæ radicis causat illud, et ut exprimit rationem formæ intelligibilis, solum distinguitur ex parte nostri modi concipiendi, non vero virtualiter, sive ex parte rei conceptæ, propterea eademmet ex parte rei conceptæ debet prius esse indistans per intimum illapsum, et deinde uniri in ratione formæ intelligibilis. Unde juxta hæc debent illa, quæ supra num. 37. diximus, intelligi.

§ X.

Diluitur fundamentum secundæ sententiæ.

76 Ad fundamentum tandem secundæ sententiæ, quoad ultimam ejus partem respondetur negando antecedens, ut ex dictis constat. Ad probationem neganda est consequentia. Ratio autem disparitatis patet ex iis, quæ jam diximus. Quoniam essentia divina, quæ per modum masculi concurrit, habet etiam in ordine intelligibili rationem formæ, ut ostensum est, et ideo debet utroque modo concurrere (quod idem de aliis speciebus intelligibilibus dicimus). Cæterum, quod concurrit per modum masculi in generatione naturali, et distincta a generatione intentionali, non se habet per modum formæ naturalis respectu fœminæ : et ideo non concurrit per modum formæ, et in genere causæ formalis. Quare, si quæ est analogatio per attributionem partus, aut generationis intentionalis ad pure naturalem (de quo alibi) tantum erit quoad rationem efficiendi, non vero quoad modum causandi in genere causæ formalis : quandoquidem iste influxus non reperitur in generatione pure naturali ex parte masculi in ordine ad fœminam.

DUBIUM III.

Utrum essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, concurrat active ad visionem claram Dei?

Explicatur titulus.

77 Consulto in titulo addita est particula illa, *ut habet rationem speciei intelligibilis*. Nam secundum generalem rationem primæ causæ concurrere active in visionem, et non qualitercumque, sed ut est prima causa ordinis supernaturalis, non dubitamus; quandoquidem certum est quamlibet actionem causæ secundæ proportionate ad suam naturam pendere a prima causa : ita, ut si fuerit ordinis naturalis, pendeat a Deo, ut authore naturali; si vero ordinis supernaturalis, exigat influxum generalem ipsius, ut est author supernaturalis. Quare titulus dubii de alio peculiari concursu procedit, scilicet de concursu activo in ratione speciei intelligibilis : secundum quem essentia divina non influit in omnibus aliis rebus : quia hic modus concurrendi est prius objecti potentiæ cogniscitive in ratione objecti motivi ipsius; et ita solum prædictum objectum habet hunc peculiarem influendi modum.

§ I.

Proponitur opinio negans.

78 Aliqui ex junioribus Thomistis duo munera distinguunt in specie intelligibili. Primum est unire objectum potentiæ, et media hac unione determinare illam formaliter ad intellectionem. Secundum vero concurrere cum eo active. Ex quibus primum illud censent esse omnino indispensabile, et simul ex genere suo liberum ab imperfectionibus; non vero hoc posterius. Et ideo istud denegant essentiæ divinæ, ut habet rationem speciei intelligibilis respectu intellectus creati. Ita Bannez in præsenti, et alii ex junioribus Thomistis. Quam sententiam etiam probabilem reputat Zumel in hoc

hoc articulo, et videtur innui a D. Thom. ibidem, quatenus ex parte potentiæ ponit lumen gloriæ, quo reddatur efficax ad videndum Deum, ex parte vero objecti essentiam divinam per modum speciei : quod si essentia divina, ut unita in ratione speciei haberet aliquam activitatem, qua compleret, et confortaret virtutem activam intellectus, jam se teneret ex parte ipsius, siquidem non ob aliam rationem tenet se lumen ex parte intellectus, nisi quia confortat illam ad videndum.

79 Probatur ratione primo. Species impressa concurrens active ad intellectionem influit, ut subordinata intellectui : ergo essentia divina nequit in ratione speciei concurrere active una cum intellectu creato. Patet consequentia. Quia influere per modum principii alteri subordinati importat imperfectionem, et dependentiam. Antecedens vero etiam constat. Quia species, quæ est causa efficiens intellectionis, influit per modum principii, *quo*, determinantis intellectum, ut intelligat : principium autem activum, *quo*, subordinatur principio activo, *quod*, ut ex se patet.

Confirmatur. Quia alias concursus speciei non esset vitalis, atque adeo neque specificatio intellectionis ab ipsa proveniens esset vitalis : hoc autem est falsum : ergo, etc. Sequela patet. Nam species impressa secundum se sumpta, non est principium vitale, quippe quæ potest oriri, ut a causa principali a principio omnino mortuo, ut in speciebus sensibilibus constat : unde nisi subordinetur principio vitali, scilicet potentiæ vitali, nequit vitalem influxum præbere. Falsitas autem consequentis inde liquet. Nam cum intellectio per se, et ab intrinseco sit vitalis, non potest non, secundum propriam speciem, et essentiam, vitalitatem intellectualem habere.

80 Secundo. Quia alias essentia divina concurreret ad visionem immediate per suam substantiam, et consequenter naturaliter, et quatenus est, non vero quatenus vult : hoc autem est absurdum : ergo, etc. Sequela probatur. Quoniam proprium est objecti ex se actu intelligibilis, quale est essentia divina, influere naturaliter, et quatenus est, ad visionem; non vero libere. Nam, sicut per suam substantiam est complete objectum, et immediate determinat, ita per illam immediate debet efficere. Absurditas vero consequentis inde liquet. Tum quia proprius, et perfectus modus operandi Dei ad extra, est per intellectum, et voluntatem, ut ex iis, quæ Theologi quæstione 25. hujus primæ partis communiter docent, satis constat. Tum etiam : quia alioqui influxus essentiæ divinæ in rationem speciei esset necessarius, ac proinde infinitus : quandoquidem virtus infinita (qualis est in essentia divina) et influens necessario influit quantum potest, atque adeo infinite.

Tertium.

81 Tertio. Nam ex opposito fieret, relationes divinas secundum propria ipsarum influere active una cum intellectu creato in visionem Dei : hoc autem dici nequit : ergo, etc. Patet sequela. Quoniam non ob aliud essentia divina, juxta oppositam sententiam, sic influit, nisi quia est unita in ratione speciei intelligibilis, ex eo, quod est suum *esse*, et intime illapsa in intellectum elevatum lumine gloriæ, ac proinde proportionatum ipsi : ergo cum hæ conditiones inveniantur in relationibus divinis, secundum proprias rationes formales consideratis, ut ex se constat, consequens esset, ut etiam prædictæ relationes secundum propria ipsarum influerent active in visionem.

Falsitas autem consequentis etiam patet. Nam licet relationes divinæ possint secundum propria ipsarum in genere causæ, aut quasi causæ formalis ad *extra* influere, et ideo Filiatio secundum propria ipsius terminet naturam humanam Christi, non vero Paternitas, quia hic modus terminandi reducitur ad genus causæ, aut quasi causæ formalis; non tamen possunt secundum istam rationem exhibere aliquem influxum activum in ordine ad visionem creatam. Nam, ut communiter docent Theologi, opera, seu efficentia Trinitatis ad extra sunt indivisa : et ita ad extra semper agunt per id, quod est commune, non vero per id, quod est proprium.

§ II.

Ex mente D. Thom. dubii nodus dissolvitur.

Conclusio.

82 Dicendum tamen est, essentiam divinam, ut habet rationem speciei intelligibilis, influere active una cum intellectu beatorum in visionem claram Dei. Ita D. Thom. infra quæst. 56. art. 1. ubi id generaliter de omni specie docet, his verbis : *In actione, quæ manet in agente, oportet ad hoc quod procedat actio, quod objectum uniatur agenti, sicut oportet, quod sensibile uniatur sensui ad hoc, quod sentiat actu, et*

ita se habet objectum unitum potentiæ ad hujusmodi actionem, sicut forma, quæ est principium actionis in aliis agentibus. Et loquens peculiariter de essentia divina, innuit satis hoc ipsum in præsenti, et peculiariter in solutione ad tertium, necnon et in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 1 in corpore circa finem, de veritate quæst. 8. art. 1 ad quintum, 3 contra Gent. cap. 51. ut statim magis expendemus. Et ideo Sanctum Doctorem sequuntur quamplures ex ejus discipulis. Cajeta. Nazar. Zumel, et alii in præsenti. Ferrara 1. contra Gentes cap. 53. et 3 contra Gent. cap. 51. et nostrum Collegium Complut. in lib. de Anima, disp. 18. quæst. 4.

Prima ratio pro assertione.

83 Probatur primo ratione, quam insinuat idem Sanctus Doctor locis citatis. Quia essentia divina unitur in ratione objecti cum intellectu beato ad hoc, ut determinet illum ad specificationem cognitionis, ut scilicet sit talis objecti, et non alterius : ergo concurrit efficienter ad specificationem ejusdem cognitionis. Consequentia patet. Quia determinatio potentiæ activæ ad specificationem actus nequit fieri nisi per virtutem activam, qua potentia constituatur in actu primo in ordine ad specificationem ejusdem actus. Quoniam sicut potentia activa concurrit ad prædictam specificationem, ut habet rationem virtutis activæ, ut nostrum Colleg. Complut. in sua Logica cap. de actione adnotavit, et ex statim amplius dicendis patebit, ita id, quod illam determinat, et complet, et quasi ultimate formalizat in ordine ad prædictam specificationem tribuendam, debeat ad eandem lineam virtutis activæ pertinere : atque adeo esse etiam principium activum, seu esse determinationem activam respectu prædictæ specificationis.

Antecedens vero etiam constat. Tum quia potentia intellectiva de se est indeterminata ad prædictam specificationem cognitionis, quæ sit Dei clare visi, et non alterius objecti, et determinatur per unionem prædicti objecti : ergo talis unio ad hanc potentiæ determinationem desideratur. Tum etiam : quia essentia divina ex eo, quod est suum *esse*, potest per se ipsam absque ulla inhæsione, aut imperfectione informationis in *esse* entitativo sumptæ, constituere in actu, et complere permanenter intellectum creatum, ac proinde per unionem cum illo determinabit eum ad specificationem actus. Quoniam forma constituens, et complens permanenter virtutem activam, necessarioque requisita ad agendum, unitur cum illa ad hoc, ut determinet eam ad specificationem actus, ut inductione facta in aliis formis cernere licet.

Apparens solutio.

84 Nec necesse est denuo impugnare solutionem, quam aliqui ex Junioribus huic rationi adhibent, dicentes intellectum creatum cum lumine gloriæ esse satis determinatum, quoad specificationem actus in ordine ad visionem claram Dei : quandoquidem ex vi talis luminis nequit aliam intellectionis speciem producere. Unde licet ex vi factæ rationis sequatur necessitas concursus activi ex parte objecti in pluribus aliis intellectionibus ob indifferentiam intellectus, non tamen in ista.

Impugnatur.

Non itaque necesse erit prædictam solutionem denuo pluribus rationibus evertere. Tum quia, ut ex supradictis constat, ex vi luminis gloriæ tantum determinatur potentia determinatione tenente se ex parte potentiæ, non vero ex parte objecti. Ut autem eliciat intellectionem, oportet, ut ex parte utriusque determinetur : et ideo intellectus perfusus lumine prophetico potest per illud esse sufficienter determinatus ex parte potentiæ in ordine ad aliquod speciale objectum, et nihilominus, quia non est undequaque determinatus, eget speciebus, quæ active influant, ut ipsi etiam adversarii admittunt. Tum etiam quia, ut jam asseruimus, intellectio habet se per modum cujusdam partus intentionalis. Unde oportet, ut ad hunc partum procedat aliquo modo semen ex parte masculi se tenens, quod fœminam ipsam, scilicet potentiam intellectivam, determinet ad partum hujus intellectionis potius, quam alterius.

Rejicitur amplius.

85 Accedit primo pro uberiori ejusdem solutionis impugnatione, non cohærere cum iis, quæ ex D. Thom. in hoc art. adduximus. Quoniam hoc ipso, quod essentia divina sit suum *esse*, et ratione hujus constituat in actu per modum formæ intelligibilis intellectum creatum, debet efficienter influere in intellectionem, ut est visio clara ipsius Dei potius, quam alterius objecti, ac proinde determinare prædicto modo in ordine ad illam. Quoniam cum unumquodque operetur, quatenus est in actu, oportet, quod id, quod habet rationem actus in ordine intelligibili, sit etiam, modo jam dicto, ratio operandi, et virtus activa in tali ordine.

Urgetur.

Accedit secundo, quod intellectio, ut actio, specificatur ab objecto, ut objectum est; et

et ideo est hujus speciei, et non alterius, quia versatur circa hoc objectum, et non circa aliud : ergo objectum, ut objectum motivum, influit active in illam. Patet consequentia. Quoniam, ut docet D. Thom. infra quæst. 14. art. 5. ad ultimum, 1. 2. quæstr 1. art. 3. intellectio, ut actio, et generaliter quævis alia actio, ut talis, specificatur a principio activo, a quo egreditur; quia ipsa essentialiter est egressus, sive emanatio ab agente; ergo si objectum, ut objectum, non est virtus activa respectu ejus, nequit, ut tale eandem specificare, ac proinde, nec determinare potentiam in ordine ad specificationem ejus.

ecunda ratio.

86 Secundo principaliter probatur assertio ratione desumpta ex variis locis D. Thom. Quoniam omnis perfectio simpliciter, quæ in creaturis invenitur, debet reperiri in Deo, ut docet S. Doctor supra quæst. 4. art. 2. alioqui Deus non esset ens summe perfectum, et consequenter nec Deus : sed in nobis species intelligibilis concurrit active ad intellectionem, et hoc pertinet ad perfectionem simpliciter : ergo hæc perfectio virtutis activæ reperitur in essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, tam respectu intellectus divini, quam intellectus creati. Consequentia cum majori satis constat. Minor, quoad primam partem est D. Thom. quæst. 56. citata, et 3. contra Gent. cap. 53. et alibi sæpe, eamque communiter Philosophi fatentur, explicant, et probant; tum ex Aristot. et D. Thom. Tum etiam rationibus, quas adducit nostrum Colleg. Complut. in lib. de Anima disp. et quæst. citatis. Quoad secundam vero etiam liquet : quandoquidem genus causæ efficientis nullam necessario involvit imperfectionem, et ideo invenitur formaliter in Deo, ut idem Sanctus Doctor passim docet.

olutio versaorum.

87 Nec refert, si cum adversariis occurras, concursum activum speciei intelligibilis una cum intellectu creato dicere perfectionem, involutam tamen necessario cum imperfectionibus subordinationis, et dependentiæ a prædicto intellectu; et ideo non mirum, quod non reperiatur in essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis respectu illius.

jicitur rimo.

Non itaque hoc refert. Nam licet species intelligibilis, quæ est accidens, dicat prædictam dependentiam, et subordinationem, non tamen quæ est forma subsistens, et actus completus : ergo cum essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis respectu intellectūs beati, sit forma per se subsistens, et actus perfectissimus, erit libera ab imperfectionibus prædictis, quantumvis active in intellectionem influat. Consequentia est aperta. Antecedens vero etiam liquet. Nam principium *quo*, eatenus subordinatur, et pendet a principio *quod*, quatenus ab eo sustentatur, et suo modo recipit aliquod *esse* ab illo, quandoquidem, juxta commune Philosophorum axioma, modus operandi sequitur modum essendi : ergo species intelligibilis, quæ est accidens, et sustentatur, quoad suum *esse* a principio operante, ut *quod*, pendebit, et subordinabitur illi quantum ad suam operationem (modo tamen statim dicendo) non tamen, quæ est forma subsistens, et actus completus, quippe quæ in suo *esse* ab illo non pendet.

88 Quæ doctrina intelligenda est, etiamsi principium, *quod* non sit absolute, et simpliciter tale, sed solum quodammodo, et secundum quid, ut contingit in intellectu nostro, qui quodammodo, et secundum quid habet rationem principii *quod*, respectu intellectionis; qua de causa denominatur quodammodo intelligens : non vero habet rationem principii *quod* absolute, et simpliciter : quia id competit toti supposito, nempe homini, vel Angelo : hoc namque suppositum est id, quod absolute, et simpliciter denominatur intelligens.

89 Nec obest, quod principium, *quo*, nequeat exire in operationem sine principio, *quod*, sicut nec obest, quod prima causa, ut concurrit per concursum generalem cum causa secunda, nequeat (ut multi volunt, de quo alibi) producere effectum sine concursu ejusdem causæ secundæ, ad hoc, ut illa ab ista pendeat : quoniam utrobique est eadem ratio, scilicet causam secundam non tribuere primæ virtutem ad operandum; bene tamen e contra : et similiter, nec principium *quod* præstare principio *quo*, vim, et rationem agendi, ut *quo* : maxime quando principium agendi *quo*, est per se subsistens, ut in essentia divina, adhuc in ratione speciei intelligibilis considerata, ut contingit, bene tamen e converso principium agendi, *quod*, habere esse tale a principio constituente ipsum.

Rejicitur secundo.

90 Tandem, quia adhuc admisso, quod in aliis rebus principium formale *quo*, subordinaretur principio *quod*, non tamen id esset admittendum in intellectu, et specie intelligibili : et ratio disparitatis desumitur ex propria natura intellectus, et objecti in-

telligibilis dubio præcedent.° num. 61. explicata. Nam in aliis rebus principium formale *quod* non transit in naturam principii *quo*, seu (quod in idem, quoad præsens redit) non identificatur cum eo, sed manet omnino ab illo distinctum, ita, ut ex utroque unum tertium coalescat. At in ordine intelligibili intellectus transit quodammodo in objectum intelligibile : quia intellectus fit identice ipsa res intellecta, et hæc quodammodo imbibitur in ipsa natura intellectus, quatenus identificatur cum ipso : et ideo dato, quod intellectus suo modo influat, ut *quod*, nihilominus objectum non subordinabitur illi : quia intellectus est intelligibiliter ipsum objectum, et nihil subordinatur sibi ipsi.

Objectio. 91 Nec obest, hanc identitatem intellectus creati cum re intellecta esse identitatem, quodammodo ; non vero ominimodam excludentem realem actualem distinctionem in *esse* entitativo, et naturali inter utrumque, ac proinde non videri incomposibilem cum ea realem subordinationem unius, ad aliud.

Diluitur. Non itaque hoc obest. Quoniam licet ibidem adsit identitas involvens realem distinctionem in *esse* entitativo, quia tamen, quod potissimum attenditur in intellectu, et objecto intelligibili, si in ordine, et *esse* intelligibili considerentur, est identitas illa in ordine intelligibili unius cum alio, et realis distinctio in *esse* entitativo ibidem involuta de materiali (quamvis fere semper indispensabiliter) importatur, vel ob imperfectionem potentiæ, vel speciei, vel utriusque, ut in nobis contingit, non vero ratione ejus, quod species intelligibilis per se, et indispensabiliter ex vi propriæ lineæ petit : ideo ad hanc identitatem est potissimum attendendum, et de intellectu, ac objecto sic est in ordine intelligibili philosophandum, ac si in *esse* entitativo non distinguerentur. Et ita, si quæ sit ibi materialis subordinatio in *esse* entitativo, et materiali, non erit necessarium, ut hæc in specie perfectissima, reperiatur, imo neque in aliis speciebus, ut præcise, quoad formale propriæ lineæ considerantur.

Corollarium. 92 Unde cum dicitur, intellectum fieri quodammodo rem intellectam ; ly *quodammodo* tollit, quod unum fiat necessario aliud in *esse* entitativo ; non vero in *esse* intelligibili. Quia unum fieri aliud solummodo in *esse* intelligibili, tantum petit saltim necessario, et indispensabiliter identitatem loco citato explicatam, et in tractatu de scientia Dei disp. 2. a num. 83. usque ad numerum 92. latius explicandam : et quod diversitas ibidem intercedens (quæ solum ex informatione aut ex *esse* accidentali, aut modo essendi substantiali ipsius speciei potest provenire) non oriatur ex ordine intelligibili formaliter, sed ex *esse* entitativo materialiter importato, quantumvis ibidem indispensabiliter adjungatur. Et ratio pro nunc est. Nam sicut homo, et leo in ratione animalis sunt idem, quia licet distinguantur per proprias differentias, non tamen ratione animalitatis : et ideo si illæ differentiæ non essent intra propriam lineam, tunc homo, et leo essent idem positive in ratione animalis, ita quia diversitas intercedens inter objectum, et intellectum, supposita semel unione unius cum alio, non oritur ex ordine intelligibili, sed ex informatione, aut inhærentia in *esse* entitativo, aut ex eo, quod id, quod est species intelligibilis habet se in *esse* entitativo per modum subjecti respectu intellectus, vel ex imperfectione potentiæ, quæ omnia materialiter se habent ad ordinem intelligibilem ; et alias intellectus ratione speciei habet eandem numero naturam cum objecto, sub alio tamen modo essendi, scilicet intelligibili, ut in tractatu prædicto de scientia Dei disput. 2. num. 14. dicemus : ideo oportet, ut cum hoc addito, scilicet in ordine intelligibili, fiat intellectus ipsa res intellecta. Videantur nostri Complut. in lib. de Anima disp. 18. quæst. 4. et ea, quæ disput. 2. nuper citata a num. 83. usque ad 92. asseremus.

§ III.

Difficilis objectio, et prima illius solutio.

93 Sed objicies. Essentia Angeli, ut habet rationem speciei intelligibilis respectu proprii intellectus, non concurrit active in ordine ad sui cognitionem : sed hoc non ob aliud, nisi quia prædictus intellectus est determinatus ex parte sui in ordine ad cognitionem ipsiusmet Angeli : ergo, quod potentia sit ex parte sua determinata in ordine ad cognitionem alicujus objecti, tollet indigentiam concursus activi, ex parte ejus, ut habet rationem speciei intelligibilis, ac proinde cum intellectus perfusus lumine gloriæ sit ex parte sua determinatus ad visionem claram Dei, non indigebit influxu activo essentiæ divinæ, ut habet rationem speciei. Major patet. Quia essentia Angeli, quippe, quæ est substantia creata, nequit esse

esse immediate operativa, ac proinde neque influere active per modum speciei : quandoquidem concursus hic præstatur immediate ab specie. Minor vero etiam constat. Nam, quod intellectus Angeli non indigeat concursu alterius activo in ordine ad prædictam cognitionem debet oriri ex eo, quod sit sufficienter determinatus intra ordinem causæ efficientis. Unde si in hoc ordine non determinatur active ex parte objecti, oportet, ut id solum oriatur ex determinatione omnimoda ex parte sui.

Confirmatur. 94 Confirmatur. Nam, vel ratio speciei petit necessario rationem principii activi, et non utcumque, sed, ut denudabilem ab imperfectionibus subordinationis, et dependentiæ, vel petit eam involutam cum imperfectionibus ? Si primum, non erit ratio, ob quam in essentia Angeli, ut habet rationem speciei intelligibilis, ratio hæc sine prædictis imperfectionibus non reperiatur, quandoquidem est forma subsistens, et actus perfectissimus, ac proinde etiamsi sit substantia, nihilominus erit immediate operativa, vel rationem speciei non habebit. Si secundum, ergo ratio speciei intelligibilis non invenietur in essentia divina respectu intellectus creati.

Solutio. 95 Ad hanc objectionem responderi posset negando majorem. Contra quod, nihil obest probatio. Quoniam ad rationem speciei intelligibilis, et concursum ejus activum satis est, quod concurrat active radicaliter per se ipsam, et proxime per suam virtutem, ut in præsenti contingit.

Explicatur. Explicatur hoc. Etenim intellectus Angelicus oritur ab essentia Angeli, tam, ut est actu intellectiva, quam, ut est actu intelligibilis, et habet rationem objecti, quia essentia ejus ratione suæ immaterialitatis habet utrumque, et prædictus intellectus dimanat ab ea in eodem immaterialitatis gradu, cumque ita secundum has rationes, dimanet ab ea, ut radicetur in illa secundum utramque rationem, seu, ut sit intime unitus cum ipsa, potest peculiari jure ratione hujus radicationis, seu unionis fluere ab ea per modum virtutis illius, ut est intellectiva, et ut est objectum actu intelligibile : ac proinde sicut non indiget novo concursu proximo, et activo ejusdem essentiæ, ut intellectiva, qui sit distinctus aliquo modo ab influxu proximo intellectus, ut subordinati principio activo radicali, sed sufficit concursus radicalis essentiæ Angeli, et concursus proximus jam dictus sui intellectus, ut ostendunt nostri Compluten. 2. Phys. disp. 10. quæst. 4. et 6. ita neque petit novum concursum proximum illius, ut est objectum intelligibile : quia prædictus intellectus est virtus agendi proxima ejus, secundum utramque rationem consideratæ.

Replica. 96 Nec refert, si contra solutionem hanc objicias. Tum, quod si hoc satis est ad hoc, ut essentia Angeli habeat rationem speciei respectu suæ cognitionis, fiet inde, ut etiam in essentia divina, ut est species intelligibilis respectu intellectus beati, hoc idem sufficiat ad hoc, ut munus speciei præstet : et ita ipsa solum influet concursu radicali activo, non vero proximo ; sed hunc per lumen gloriæ ab ea, tam, ut est intellectiva, quam ut est actu intelligibilis fluens præstabit : quandoquidem id, quod conceditur intellectui Angelico, non est cur lumini gloriæ, quod est superioris rationis, denegetur.

Tum etiam (quod ex prædicta solutione sequitur) intellectum Angelicum habere per se primo, et directe rationem speciei intelligibilis in ordine ad cognitionem ejusdem Angeli, atque adeo essentiam ipsius non posse esse speciem intelligibilem respectu prædictæ cognitionis. Sequela hujus postremi inconvenientis, quoad primam partem videtur certa. Quoniam sicut id, quod immediate, et per naturalem dimanationem fluit ab essentia Angeli, ut habet rationem naturæ intellectivæ, ac proinde primæ, et radicalis potentiæ ad intelligendum, non potest non esse potentia proxime intellectiva reddens ipsum ex parte potentiæ proxime intellectivum, ita, quod dimanat ab ea, ut habet radicaliter rationem objecti intelligibilis, non potest non esse proxime intelligibile, et tribuens eidem essentiæ, quod sit proxime intelligibilis : ergo eo ipso habebit per se primo, et directe rationem speciei intelligibilis respectu prædictæ essentiæ : siquidem hoc, et non aliud est proprium munus speciei impressæ, ut in speciebus sensibilibus cernere licet. Quoad secundam vero partem etiam constat. Nam repugnat, quod in ordine ad unam, et eandem indivisibilem cognitionem unius objecti tribuatur a natura duplex species intelligibilis, ut ex se constat, et aperte colligitur ex iis, quæ nostri Complut. in lib. Physic. disp. 15. quæst. 3. num. 97. docent.

Solvitur quoad primam ejus partem. 97 Non itaque hoc refert. Nam ad primam impugnationem dicendum est, esse disparem rationem. Quoniam lumen gloriæ oritur ab essentia divina, ut est intellectiva clare sui, non vero, ut est objectum clare a

se ipsa actu intelligibile : quia licet essentia divina ratione suæ infinitæ immaterialitatis habeat utrumque, attamen, ut lumen gloriæ oriatur ab ipsa præcise, ut intellectiva est, et per modum elevationis intellectus creati, non est necesse, ut conveniat cum ea in eodem immaterialitatis gradu; secus tamen, ut ab eadem essentia divina, quatenus etiam habet rationem objecti procedat. Quoniam, quod procedit ab illa secundum istam rationem, tenet se secundum eandem ex parte objecti, et ita commensuratur cum ea in eodem immaterialitatis gradu, ut in sequentibus dubiis expendemus : sicut, quod oritur ab ea secundum priorem rationem, scil cet, ut est intellectiva clare sui, tenet se ex parte potentiæ per modum elevationis illius, et ideo non oportet commensurari in immaterialitate cum objecto. Quare cum lumini gloriæ, et cuivis alteri creaturæ repugnet habere eundem immaterialitatis gradum cum essentia divina, consequens est, ut etiam repugnet oriri ab ea, quatenus habet prædictam rationem objecti intelligibilis, atque adeo per modum virtutis illius secundum hanc rationem consideratæ : et ita essentia divina, vel non influet active per modum speciei intelligibilis, cujus oppositum ostendimus, vel influet proxime : quandoquidem nihil influit radicaliter in aliquo ordine, quin ab illo oriatur virtus influendi proxima in eodem ordine.

Cæterum intellectus Angeli oritur ab essentia illius, tam, ut virtus ipsius, ut intellectiva, quam, ut actu intelligibilis est. Tum, quia convenit cum ea, in eodem immaterialitatis gradu; et ita ex hac parte nihil obest quominus ab illa, ut actu intelligibilis est, fluat per modum virtutis ipsius. Tum etiam : quia essentia Angeli debet, ut est objectum actu intelligibile a se ipsa, influere active in intellectionem sui, ut ex rationibus pro assertione, factis proportionabiliter tamen applicatis, constat. Cumque non possit esse immediate operativa, ex eo, quod est substantia creata, oportet, ut radicaliter active influat, ac proinde ab illa secundum istam rationem oriatur aliqua virtus proxima, scilicet intellectus ratione, cujus immediate agat : et ideo essentia prædicta potest per se ipsam habere influxum radicalem, et per suum intellectum operari proxime, et per consequens concurrere per se ipsam concursu proprio speciei : quia, ad hunc satis est influxus activus, quicumque ille sit, sive proximus, sive radicalis.

98 Ad secundam vero impugnationem neganda est sequela, quoad utramque partem. Et ad probationem prioris, ex qua pendet probatio posterioris, concesso antecedenti quoad primam partem, distinguendum est quoad ultim. *Tribuens eidem essentiæ, quod sit proxime intelligibilis,* quoad hoc, quod est habere vim per modum objecti, seu formæ intelligibilis, ac in genere causæ, aut quasi causæ formalis in ordine intelligibili, ad determinandum proxime intellectum, negandum est : quoad virtutem proximam concurrendi active per modum objecti intelligibilis, concedi poterit. Et deinde neganda est conseq. Et ad probationem, quod munus proprium, et indispensabile speciei intelligibilis, tantum est illud prius, ut saltim est radix hujus posterioris. Nec instantia de speciebus sensibilibus aliquid convincit. Nam istæ ideo formaliter habent rationem talium, quia munus illud prius speciei præstant, quamvis et hoc posterius debeant etiam præstare, propter rationem statim assignandam. Diluitur quoad secundam partem.

99 Explicatur hoc. Sicut intellectus fluens ab essentia Angeli, ut est intellectiva, tantum fluit, ut tribuat illi, quod ipsi deest, et ideo solum eidem tribuit, quod per illum immediate, et proxime influat, quia hoc tantummodo prædictæ essentiæ ex parte sui deerat, ita idem intellectus, ut fluit a prædicta essentia quatenus objectum intelligibile, solum oritur ab illa per naturalem dimanationem ad hoc, ut præstet ei, quod secundum istam rationem prædicta essentia non habet; cumque ipsa secundum se formaliter, et proxime determinet in genere causæ formalis jam dictæ intellectum in ordine ad specificationem actus, quia se ipsa formaliter, et proxime ratione suæ immaterialitatis est unita cum intellectu in ratione objecti proxime intelligibilis, ex eo, quod ratione ejusdem immaterialitatis habet eandem naturam sub modo essendi immateriali, et intelligibili, quam ipsamet, ut est intellectiva retinet sub modo essendi naturali, et deinde eadem essentia habeat vim radicalem activam ad influendum per modum objecti in intellectionem sui : ideo intellectus non oritur ab illa sic sumpta, ad hoc, ut tribuat ei hoc munus determinandi, et uniendi se modo dicto eidem intellectui : aut radicaliter concurrendi in intellectionem. Cæterum quoniam ipsamet essentia ob rationem generalem substantiæ creatæ, tantum est radicaliter in quovis ordine operativa, radixque Explicatio præcedentis solutionis.

que virtutum operativarum, tam in ordine naturali, quam intelligibili, ut jam diximus, propterea intellectus solum oritur ab ea per modum virtutis proximæ illius sic consideratæ, et ut reddens illam in ratione objecti proxime intelligibilem, quoad hoc munus dumtaxat influendi proxime active, cumque prius illud munus determinandi, et radicaliter saltim influendi requiratur, et sufficiat ad rationem speciei, inde est, ut essentia Angeli, non vero ejus intellectus rationem prædictæ speciei intelligibilis sortiatur.

Ex quo etiam apparet, quare virtus procedens ab objecto sensibili, ut tali habeat rationem speciei sensibilis. Nam talia objecta non sunt ex se actu sensibilia ratione maximæ materialitatis, quam admixtam habent, et quia non possunt se ipsis immediate uniri cum sensu propter rationes dubio præcedenti adductas (proportionaliter tamen, quoad præsens applicatas) et ideo talis virtus oriens ab illis ad hoc, ut tribuat, quod ipsis deest, debet eisdem tribuere quod sint proxime sensibilia, tam quoad virtutem uniendi se sensui, et determinandi illum, quam quoad virtutem proximam concurrendi : atque adeo veram rationem speciei impressæ habebit.

Ex quibus omnibus ad confirmationem principalis objectionis satis constat.

Ad confirmationem.

§ IV.

Posterior solutio ejusdem objectionis.

100 Secundo, et melius ad principalem hanc, et difficilem objectionem propositam, necnon et ad ejus confirmationem respondetur, essentiam Angeli, ut habet rationem speciei intelligibilis, influere per se ipsam active, et proxime, et non solum formaliter, aut active radicaliter in intellectionem, ut ex D. Thom. loco citato communiter deducunt graviores ejus discipuli. Et ad probationem dicendum est, quod licet substantia Angeli nequeat esse immediatum principium operandi per modum potentiæ activæ, ac proinde in *esse* entitativo, et naturali, bene tamen per modum speciei, et in *esse* intelligibili : quia species intelligibilis non est potentia activa, sed determinatio in *esse* intelligibili potentiæ activæ, et proximæ, scilicet intellectus in ordine ad specificationem actus, ut jam ostendimus. Et licet repugnet substantiam esse immediate operativam per modum potentiæ activæ, non tamen per modum determinationis illius, non qualitercumque, sed in ordine intelligibili. Quare essentia Angeli distinguenda est in se ipsam, ut habet rationem naturæ, scilicet intellectivæ, et ut est objectum actu intelligibile, seu ut habet rationem speciei : et secundum hanc posteriorem rationem est illi aliqua immediata activitas concedenda, secus vero secundum priorem.

101 Sed dices, quod ex eo D. Thom. infra quæst. 54. art. 2. ostendit substantiam Angeli non esse immediate operativam per modum potentiæ activæ, quia in creaturis *esse* (seu existentia substantialis) et *operari* distinguuntur realiter, ac proinde potentia ad *esse* (scilicet substantia) et potentia ad *operari* distinguuntur realiter : sed hæc ratio etiam convincit, essentiam Angeli non posse per modum speciei, et determinationis potentiæ intellectivæ esse immediatum principium operandi : ergo prædicta activitas, vel utrobique concedi, vel utrobique negari debet. Major est certa. Minor etiam liquet. Quoniam *esse* substantiæ Angeli, ut habet rationem speciei intelligibili, et *operari* illius (scilicet intellectio) etiam distinguuntur realiter, et ita posset saltim supernaturaliter manere cum suo *esse*, sive existentia substantia Angeli, ut habet rationem speciei intelligibilis, absque sua intellectione : ergo ejus substantia, et virtus agendi per modum determinationis activæ intellectus distinguentur realiter : quandoquidem respiciunt prædictos actus, ut propria earum specificativa, et consequenter non poterit Angelus per suam substantiam esse ullo modo immediata virtus activa in ordine ad intellectionem. Objectio.

102 Confirmatur. Nam intellectio creata necessario debet esse accidens, ut ostendit D. Thom. quæst. 54. citata : ergo nequit essentia Angeli, quæ est substantia, per se primo respicere illam : ergo neque esse ullo modo ratio agendi immediata respectu ejus. Hæc ultima consequentia ex prima satis constat. Quoniam quævis ratio agendi influens proxime, et active in operationem, respicit illam per se primo : quoniam secundum hanc rationem considerata per se primo instituta est a natura, ut agat. Prima vero consequentia etiam liquet. Quoniam, ut ostendunt nostri Complut. 2. Phys. disp. 10. quæst. 4. substantia nequit per se primo respicere aliquid extra proprium prædicamentum, quia est in ordine ad se, et ideo ex D. Thom. probant implicare, quod substantia sit immediate operativa, quoniam Confirm.

alias non respiceret ob rationem dictam per se primo operationem, et simul respiceret illam, quia totum *esse* rationis agendi proximæ, est propter operationem, et ideo per se primo dicit habitudinem transcendentalem ad illam.

Enodatio objection. 103 Respondetur, quod adhuc admisso *esse*, seu existentia Angeli, ut habentis rationem speciei intelligibilis, et ad ordinem intelligibilem formalissime spectantis, distingui ab intellectione, cujus oppositum ex D. Thom. in tract. de scient. Dei, disp. 3. num. 7. et in tract. de volunt. Dei, disp. 2. num. 34. ostendemus, nihilominus objectio nihil convincit. Nam substantia Angeli, ut habet rationem naturæ, et ejus potentia immediate operativa, non ideo distinguuntur realiter, quia substantia respiciat utcunque *esse* substantiale, et potentia operativa operationem, sed quia illa per se primo per modum potentiæ susceptivæ inspicit suum *esse*, hæc vero per modum potentiæ operativæ in suum *operari* per se primo tendit, ut disp. et quæst. citata ostendunt N. Complut. Cæterum eadem subtantia Angelica, ut est objectum intelligibile, licet respiciat, tam suum *esse* substantiale, modo statim dicendo, quam intellectionem, nihilominus secundum hanc rationem considerata, non distinguitur a se ipsa, ut hæc duo inspicit: quoniam solum respicit per se primo intellectionem, secundario suum *esse*; et ideo, ut habet rationem objecti, et speciei intelligibilis, potest per se ipsam esse immediata ratio eliciendi active intellectionem. Non secus, proportione tamen servata, ac calor, qui licet respiciat *esse*, et *operari*, nihilominus, quia per se primo respicit operationem, et secundario *esse*, ut explicatur a. N. Complut. disp. citata quæst. 5. ideo per se ipsum potest esse potentia immediate operativa.

Ratio solutionis. Cur autem essentia Angeli, ut habet rationem speciei intelligibilis, per se primo solum respiciat operationem, satis colligitur ex natura ejusdem speciei. Nam cum species per se primo instituta sit ad actuandam, complendam, et perficiendam potentiam intellectivam, et potentia intellectiva Angeli jam habeat, juxta hunc dicendi modum, suum *esse*, et tantum desit illi activitas, et determinatio ex parte objecti, consequens est, ut objectum quatenus habet rationem speciei, sit per se primo institutum propter intellectionem. Sicut, quia eadem essentia, ut habet rationem essentiæ, et naturæ, jam habet suum *esse*, quod per se primo respiciebat, et solum indiget virtute immediate operativa, ideo intellectus per modum potentiæ activæ ipsius per se primo institutus est propter operationem, et secundario respicit *esse*. Sed de his videantur N. Complut. loco citato.

Replica. 104 Nec obest tacita quædam replica, quæ in hac eadem objectione latitat, quæque sic formari potest. Nam licet hinc fiat, quod essentia Angeli, ut habet præcise rationem objecti, et speciei, non distinguatur realiter a se ipsa secundum hanc rationem considerata, quatenus secundum eam respicit *esse*, et *operari*, quia respicit *operari* per se primo, et secundario *esse*, secus tamen si consideretur secundum utramque rationem, scilicet, ut est natura, et ut est objectum intelligibile, quandoquidem, ut est objectum intelligibile respicit per se primo operationem: at ut est natura per se primo tendit ad *esse* seu ad suum *existere*: et non ob aliud eadem essentia, et sua potentia immediate operativa distinguuntur realiter, nisi quia prædicta essentia per se primo inspicit *esse*, et potentia immediate operativa per se primo tendit ad *operari*.

Occurritur. Non itaque hoc obest. Quia ratio, propter quam substantia Angeli, ut habet rationem essentiæ, et naturæ, et sua potentia immediate operativa distinguuntur realiter, non est quia utcunque respicit secundum suam essentiam per se primo *esse* seu existentiam substantialem, et secundum suam potentiam operativam per se primo tendit in operationem; sed quia in eodem ordine entitativo hoc illis competit. Quare cum essentia Angeli, ut habet rationem naturæ, respiciat per se primo in ordine entitativo suum *esse* existentiæ, et ut habet rationem speciei intelligibilis, tendat per se primo in alio ordine, scilicet in *esse* intelligibili, et modo dicto, in operationem, non inde colligitur distinctio realis inter se ipsam, ut habet rationem naturæ, et ut habet rationem speciei intelligibilis: sicut licet repugnet, quod idem intellectus sit simul in *esse* entitativo actus, et forma, nec non et pura potentia; non tamen, quod in *esse* entitativo sit actus, et in ordine intelligibili sit pura potentia.

Explicatur. Solutio. 105 Explicatur hoc. Etenim essentia Angeli, ut est objectum intelligibile, est determinatio intellectus, non qualitercumque, sed in ordine intelligibili: et ita secundum, quod habet rationem objecti, seu speciei intelligibilis, non respicit operationem, nisi ut fundatum, et identificatum cum *esse* entitativo, et naturali ejusdem essentiæ. Quoniam proprium est *esse* intelligibilis,

ligibilis, saltim creati, fundari, et identificari, modo supra insinuato, cum aliquo *esse* entitativo, et naturali, ut ex se constat, et D. Thom. docet 2. de Anima. Unde in hac determinatione intelligibili non sumitur ex eadem radice, distinctio entitativa, sive realis, et propria ejus ratio formalis : quia distinctio entitativa, sive realis sumitur ex *esse* entitativo, et naturali, et ideo essentia unius Angeli, ut est objectum intelligibile, nequit distingui realiter a se ipsa, ut habet *esse* entitativum, et naturale, bene tamen a quavis alia essentia alterius Angeli. At vero ratio formalissima ejus desumitur ex operatione intelligibili, ad quam per modum determinationis activæ, et in ordine intelligibili collocatæ, per se primo respicit. Cæterum potentia immediate activa, v. g. intellectus, sicut et potentia susceptiva *esse* substantialis, scilicet eadem substantia Angelica, ex eodem capite vendicant sibi propriam rationem formalem, et propriam entitatem : quia utrumque habent per habitudinem ad proprium actum entitativum, seu naturalem per se primo inspectum, et ideo hoc multiplicato, multiplicantur et illa.

d con-
irma-
ionem.

106 Ad confirmationem respondetur, essentiam Angeli, ut formaliter est substantia, nunquam respicere per se primo accidens, ut tale. Nam si loquamur de ea, ut in ordine intelligibili est substantia, id est, ut intelligibili modo, et per modum actus primi in hoc ordine unit objectum, id est, substantiam Angeli, ut ad ordinem intelligibilem spectantem cum potentia intellectiva ; tunc intellectio ipsa, ut terminat habitudinem prædictæ speciei, non est formaliter accidens, sed solum materialiter, quamvis alias, et ex aliis capitibus habeat rationem accidentis indispensabiliter, et ita terminat formalissime sub ratione unionis per modum actus secundi ejusdem objecti cum intellectu. Unde in Deo reperitur formalissima ratio intellectionis, et unionis actualissimæ cum objecto ; non tamen ratio accidentis.

Si vero loquamur de ea, ut in ordine entitativo, et naturali, est substantia, tunc sicut in illa quatenus formalissime habet rationem speciei intelligibilis, est quid materiale, et per accidens, quod in ordine entitativo sit substantia, ita ex hoc, quod in ratione speciei intelligibilis formalissime sumptæ, per se primo respiciat operationem, non sequitur, quod, ut habet rationem substantiæ in *esse* entitativo, illam per se primo inspiciat : siquidem secundum illam rationem præcisam, et formalissimam speciei intelligibilis non est substantia in *esse* entitativo, et naturali.

Redditur ratio solutionis.

107 Ratio autem, ob quam in specie, ut habet rationem speciei formalissime sumptæ, est quid materiale, et per accidens, quod sit substantia, vel accidens in *esse* entitativo, et naturali, ex dictis satis colligitur, et insuper id explicari potest, ex eo, quod (ut optime notant communiter Thomistæ) species creata, ut abstrahit ab specie creata, quæ in *esse* entitativo est accidens, et ab specie creata, quæ est in eodem *esse* entitativo substantia, ut essentia Angeli, potest dici univoce de utraque : et ita essentia Gabrielis, ut gerit vicem speciei intelligibilis respectu proprii intellectus, et species intelligibilis, quæ in *esse* entitativo sit accidens, quæque connaturaliter repræsentet eandem essentiam Gabrielis, sunt ejusdem essentiæ atomæ in ratione speciei intelligibilis. Quia quamvis in esse rei, seu in *esse* entitativo substantia, et accidens solum conveniant convenientia essentiali analogice, attamen in *esse* intelligibili (respectu cujus hæ duæ rationes in *esse* entitativo de materiali, et per accidens importantur) possunt univoce convenire.

Declaratur magis.

108 Quod quidem potest adhuc magis declarari, et suaderi ex eo, quod, ut duæ species intelligibiles sint ejusdem rationis atomæ, attenditur per se ad hoc, ut in *esse* entitativo sint ejusdem immaterialitatis, et ad hoc, ut intelligibiliter, seu in *esse* intelligibili uniant idem objectum cum potentia (sive utrumque requiratur per se formaliter, sive unum per se materialiter et aliud per se formaliter de quo nihil modo) at species intelligibilis repræsentans naturam Gabrielis, quæ est in intellectu Michaelis, quæque in *esse* entitativo est accidens : et essentia ejusdem Gabrielis, quæ in *esse* entitativo est substantia, possunt ex una parte in *esse* entitativo convenire in eodem immaterialitatis gradu (ut constabit ex iis, quæ in hac eadem disp. dub. 6. dicemus, quia accidentia bene possunt esse ejusdem immaterialitatis cum substantia, ut patet in intellectu Angelico, qui est ejusdem immaterialitatis cum substantia Angeli) et ex alia parte utraque species unit unum, et idem objectum intelligibiliter cum potentia. Nam sicut essentia Gabrielis se ipsa ratione suæ immaterialitatis est intelligibilis, et ideo se ipsam unit intelligibiliter cum proprio intellectu, ita species intelligibilis illius

residens in intellectu Michaelis, quæ in *esse* entitativo est accidens, est ejusdem naturæ in *esse* intelligibili, et repræsentativo cum eadem essentia Angelica Gabrielis, ut in hac disp. dicemus, et in tract. de scientia Dei disp. 2. latius prosequemur : et propterea unıet eandemmet essentiam Gabrielis intelligibiliter cum intellectu Michaelis : ac proinde poterunt convenire in ratione speciei intelligibilis convenientia univoca, et atoma, sive (ut melius loquamur) convenientia numerica, ut ex dicendis in prædicto tract. de scientia Dei disput. citata num. 31. constabit, ubi, hoc ipsum amplius elucidabitur.

Objectio. 109 Ex quo etiam fit, nullius esse momenti objectionem quandam, quæ aliquos valde urget, nimirum ordinem intelligibilem creatum esse formaliter aliquid reale, ac proinde esse formaliter vel substantiam, vel accidens, quandoquidem ens reale creatum, formaliter, et intra propriam lineam dividitur penes esse per se, vel in alio.

Diluitur. Ex dictis igitur objectio hæc facile corruit. Nam ex ea ad summum sequitur, quod esse substantiam, vel accidens in *esse* intelligibili sit per se, et formale ad rationem speciei intelligibilis, id est, quod inter differentias per se, et intra propriam lineam contrahentes rationem speciei intelligibilis, sit vel esse substantiam in hoc ordine, vel esse accidens in hoc eodem ordine, ita ut species, quæ repræsentaverit, sive unierit substantiam cum intellectu, sit substantia in ordine intelligibili, sive repræsentativo, quæ vero unierit accidens, sit accidens : si autem unierit tantum rationem entis, ut sic, tunc tantum sit in ordine intelligibili ens non vero substantia, vel accidens.

Corollarium. Unde divisio entis creati in esse per se, vel in alio secundum *esse* entitativum, est ad summum formalis, et intra propriam lineam respectu entis, ut dicit *esse* entitativum, et naturale; secus vero, ut pertinet ad lineam, et ordinem intelligibilem, secundum quam de materiali tantum, et per accidens dicit hanc rationem, de formali vero prædictam unionem objecti cum potentia, et saltim de materiali (per se tamen) realem in *esse* entitativo immaterialitatem, eamque talis conditionis, ut species quidditative repræsentans aliquod objectum conveniat cum eo in *esse* entitativo in eodem immaterialitatis gradu, juxta ea, quæ in hac disp. dub. 7. dicemus, et propterea per se, et intra propriam lineam ad minus, modo insinuato, dividitur per distinctam immaterialitatem, ut pertinentem ad ordinem entitativum.

Animadversio. 110 Diximus, *ut pertinentem ad ordinem entitativum*. Nam utrum species intelligibilis, ut pertinet ad ordinem intelligibilem, dividatur non solum per se materialiter, sed etiam per se formaliter per immaterialitatem, ut spectat ad ordinem intelligibilem (de qua aliquid in hac disp. tangemus) constabit ex iis, quæ infra in hoc tract. et tract. de scientia Dei adducentur. Nunc autem solum asserimus, quod si semel talis immaterialitas, ut ad ordinem intelligibilem spectat, dividit per se formaliter speciem intelligibilem intra suam lineam, tunc hoc ipso, quod aliqua species uniat aliquod objectum in *esse* intelligibili, et conveniat cum eo in immaterialitate in *esse* entitativo, debet etiam habere una cum illo objecto eandem immaterialitatem, quatenus ad ordinem intelligibilem spectat.

Ex quibus omnibus manifestum apparet discrimen inter alias res, v. g. sapientiam creatam, et speciem intelligibilem etiam creatam. Nam licet sapientiæ creatæ secundum rationem sapientiæ ut sic, suo modo accidat esse substantiam, vel qualitatem repositam in tali, vel tali qualitatis specie ; attamen, ut est sapientia creata importat formaliter, et intra proprium lineam talis sapientiæ, rationem prædictæ qualitatis in *esse* entitativo. Cæterum species intelligibilis creata v. g. species supremi Angeli, solum materialiter, et per accidens dicit rationem accidentis, vel qualitatis in *esse* entitativo, non vero formaliter, et intra propriam lineam. Sed hæc late in tract. de scientia Dei disp. 2. dub. 1. §. 5. et dub. 2. §. itidem 5. et alibi sæpe in eisdem dubiis elucidabuntur.

§ V.

Satisfit argumentis primæ sententiæ.

Ad primum. Ad primum patet ex dictis a num. 84. usque ad num. 92.

Ad confirmationem. 111 Ad confirmationem vero respondetur negando sequelam. Et ad probationem dicendum est, speciem consideratam in ratione speciei formaliter sumptæ identificari in *esse* cognoscibili cum intellectu, ut ex dictis dubio præcedenti, et ex dicendis disput. nuper citata constat : et ita, licet secundum se sumpta non adæquet perfectionem cognitionis, attamen, ut identificata cum intellectu adæquat illam eo modo, quo ipse

ipse intellectus. Unde sicut si in ordine entitativo, et naturali essent identificata, tunc entitas illa, ut esset quasi composita ex utraque ratione, posset in eodem ordine, et absque reali subordinatione elicere active intellectionem, ut vitalem, sic hoc ipso, quod in ordine intelligibili identificentur, potest eadem entitas, ut est quasi coalescens ex virtute cognoscitiva, et specie, influere active, et sine subordinatione prædicta in ipsam intellectionem, ut talem.

Cæterum quia licet prædicta species et intellectus identificentur realiter in prædicto ordine, nihilominus distinguuntur in eodem ordine, virtualiter, sive formaliter, et etiam realiter potentialiter, ut in tractatu de scientia Dei, disp. 3. num. 84. et 94. dicemus; ideo oportet explicare, quomodo quatenus sic distincta possit influere active in cognitionem, ut vitalem.

Explicantur hæc.

112 Dicemus ergo, speciem, adhuc, ut distinctam virtualiter, et realiter potentialiter a virtute cognoscitiva, cum qua in ordine cognoscibili identificatur, habere aliquod vitalitatis genus, quatenus ab intrinseco habet esse determinationem potentiæ vitalis, ut talis, et non posse alio modo, nisi per modum determinationis ejusdem potentiæ concurrere. Hoc autem satis est, ad hoc, ut in suo ordine, et per modum determinationis prædictæ possit una cum potentia active influere in cognitionem, etiam quatenus vitalem. Tum, quia determinatio potentiæ vitalis formaliter sumptæ, ab intrinseco habet concurrere ad operationes illius potentiæ, quatenus tales, atque adeo etiam ad vitalitatem earundem operationum. Tum etiam : quia ad hoc, ut aliqua causa coalescens ex diversis rationibus agendi, quarum una sit determinatio alterius, influat, non est necesse, ut quævis ex illis omnino adæquate contineat effectum secundum illam rationem, ad quam concurrit; sed satis est, ut si prædictus effectus sit, verbi gratia, vitalis, quod utraque ratio agendi, nempe potentia vitalis, et determinatio ejus ex parte objecti se tenens habeat a quid vitalitatis, et in ambabus adæquate tota perfectio effectus claudatur. Quia etsi tunc neutra per se sola sit sufficiens, quælibet tamen est sufficiens (ut si dicamus) in suo ordine, quatenus licet una cum potentia vitali desideretur determinatio ejus vitalis, quæ sit per speciem, attamen, nec determinatio ista concurrit per modum potentiæ, nec potentia, ut talis per modum determinationis objecti.

Potestque hæc solutio cum proportione applicari ad hanc confirmationem, etiam si dicatur, speciem, et intellectum non identificari realiter, adhuc in *esse* intelligibili : quia ad hoc, ut species realiter distincta in quocumque ordine ab intellectu, concurrat active in intellectionem, ut vitalem, satis est, quod ab intrinseco sit determinatio potentiæ vitalis, et quod ut talis concurrat.

113 Nec obest hoc, quod in eadem confirmatione adducitur, scilicet species sensibiles non posse habere aliquod vitalitatis genus, eo quod non procedunt a principio vitæ. Quoniam ad hoc, ut habeant vitalitatem modo explicato, satis est, quod sint determinationes potentiarum vitalium formaliter sumptarum, et quod sicut procedunt a rebus materialibus, quatenus habent aliquod participium substantiarum immaterialium, et separatarum, ut in libris de Generatione asserunt nostri Complutens. ita procedant ab eisdem, quatenus habent aliquod participium earum, ut in ratione objecti cognoscibilis sint etiam determinationes vitales suarum potentiarum.

Elucidatur amplius solutio.

Potestque tota hæc solutio elucidari ex eo, quod vis radicalis, et proxima ad intelligendum, necnon species intelligibilis, et intellectio pertinent ad unam, et eandem lineam vitæ intellectualis : et propterea ubi hæc linea invenitur in omni sua puritate, et per modum actus purissimi, ut in Deo contingit, ibi omnia hæc sunt una, et eadem ipsissima formalitas absque distinctione etiam virtuali, ut constabit ex iis, quæ in tractatu de scientia Dei disp. 3. num. 17. et num. 46. et 47. et in tractatu de voluntate Dei disp. 2. num. 34. dicemus.

114 Quare sicut propter hanc rationem, tam vis radicalis, quam vis proxima ad intelligendum, necnon et intellectio ipsa exprimunt in Deum suum peculiarem (ut sic dicamus) modum vitæ, ita etiam speciei intelligibilis debet in eodem exprimere suam peculiarem vitalitatem, alioqui non pertineret ad unam, et eandem lineam vitæ intellectualis; cumque hæc peculiaris vitalitas non possit in alio consistere, quam in hoc, quod species intelligibilis sit determinatio vitalis ex parte objecti se tenens respectu intellectus, per quam ipse fœcundatur in ordine ad intellectionem, ita quidem, ut licet hæc omnia non distinguantur in Deo virtualiter, attamen revera in eo inveniantur, et illa eadem ipsissima formalitas omnia hæc munera præstet : consequens

est, ut essentia divina, quatenus habet rationem speciei intelligibilis, et secundum hanc rationem unitur cum intellectu creato, habeat propriam et peculiarem vitalitatem, et secundum hanc possit in visionem beatificam, ut vitalem influere. Quod idem (cum proportione tamen) de aliis speciebus intelligibilibus, aut sensibilibus dicimus. Quia omnes istæ habent suam proportionatam vitalitatem jam insinuatam, et specie distinctam a vitalitate, quæ est in potentia vitali.

Ad secundum.

115 Ad secundum patet ex dictis, essentiam divinam, ut habet rationem speciei intelligibilis, concurrere formaliter per se ipsam, non tamen utcumque, sed ut applicatâm per intellectum, et liberam voluntatem Dei, non secus, proportione servata, ac subsistentia Verbi terminat humanitatem Christi Domini ratione propriæ realitatis. Desideratur tamen ob eminentiam ejus, quod applicetur per intellectum, et voluntatem divinam, ut dubio præcedenti explicuimus. Cæterum eademmet essentia, ut formaliter concurrit concursu generali, influit per potentiam executivam, scilicet per suam scientiam practicam, ut per virtutem agendi suo modo proximam : hoc autem, qua ratione sit intelligendum, in tractatu de voluntate Dei tangemus, et infra quæst. 14. disp. 5. num. 43. amplius explicabimus.

Ad tertium.

116 Ad tertium respondetur negando sequelam. Et ad probationem dicendum est, ideo essentiam divinam per se, et ratione sui uniri in ratione speciei intelligibilis, atque adeo per se, et ratione sui influere active in visionem, quia absque distinctione virtuali est suum *esse* existentiæ in ordine intelligibili, atque adeo in ordine naturali, et entitativo : siquidem in divina essentia hi duo ordines ita identificantur, ut adhuc virtualiter non sint distincti, ut num. 70. tetigimus, et in tractatu de scientia Dei disput. 3. num. 23. et disput. 4. a num. 15. usque ad 19. dicemus. At relationes divinæ non sunt suum *esse* in *esse* intelligibili absque distinctione virtuali, et per consequens neque in *esse* entitativo : quandoquidem intellectio divina, quæ est existentia ordinis intelligibilis, ut in tractatibus de scientia Dei disput. 4. num. 7. et de voluntate Dei diputat. 1. num. 21. et deinceps dicemus, quæque eademmet absque distinctione virtuali est ratione suæ eminentiæ ipsa existentia Dei in *esse* entitativo, necnon et aliorum, quæ in Deo reperiuntur, habet omnino identificari cum divina essentia absque distinctione virtuali, non vero cum relationibus divinis.

Ratio solutionis.

117 Ratio autem, ob quam ad hoc, ut aliquid per se, et ratione sui uniatur in ratione speciei intelligibilis in ordine ad videndum Deum requiratur, quod sit suum *esse* existentiæ in ordine intelligibili, atque adeo in ordine entitativo, satis colligitur ex iis, quæ in tractatu de scientia Dei disput. 3. num. 36. et sequentibus dicemus, ubi ostendemus, relationes divinas per se, et ratione sui non uniri cum intellectu divino in ratione speciei intelligibilis in ordine ad visionem sui ipsarum, quia non sunt suum *esse* existentiæ in ordine entitativo, et intelligibili. Unde cum visio beatorum sit participatio visionis increatæ Dei, et fiat per eandem speciem, per quam illa, ut communiter docent Theologi, et ex loco citato dicendis amplius constabit, consequens est, ut relationes divinæ ratione sui non uniantur cum intellectibus beatorum in ordine ad visionem sui ipsarum, sed solum ratione essentiæ, atque adeo, quod ratione sui non habeant influxum activum in prædictam visionem.

DUBIUM IV.

Utrum sit possibilis per divinam potentiam species impressa creata, per quam Deus quidditative, et prout est in se ipso, possit videri.

118 Postquam explicuimus, per quam speciem intelligibilem Deus de facto videatur, restat, ut explicemus, an possibile sit, saltim per divinam potentiam, quod per aliam speciem scilicet creatam, et ab ipso Deo infusam, quidditative, et clare videatur.

§ I.

Opinio affirmans.

Partem affirmantem tuentur Aureolus in 4. dist. 49. quæst. 2. Scotus ibidem quæst. 11. §. *respondeo*, Suarez in sua Metaph. disput. 30. sectione 11. a num. 27. usque ad 33. et 1. part. summæ Theologiæ lib. 2. cap. 13. Valentia tom. 1. disp. 1. quæst. 12. puncto 2. Vazquez 1. part. disp. 38. cap. 2. et alii.

Argum. primum.

Probatur primo. Nam quoties in aliquo

quo ordine non repugnat actus intellectionis creatæ, nec virtus intellectualis creata elicitiva ejus, neque etiam repugnabit species impressa creata, quæ habeat debitam proportionem, et commensurationem cum illis : sed non repugnat in ordine supernaturali dari actum visionis Dei, ut est in se, et lumen gloriæ, quod est virtus intellectualis elicitiva talis actus, ita, ut ambo sint aliquid creatum : ergo, neque etiam repugnabit species impressa creata, quæ repræsentet Deum, prout est in se. Consequentia cum minori non indigent probatione. Major vero patet; tum inductione facta in omnibus aliis actibus, et virtutibus intellectualibus creatis : tum etiam, quia cum species intelligibilis habeat se in ordine intellectuali per modum seminis virilis fœcundantis fœminam, scilicet virtutem intellectualem in ordine ad suum partum, nimirum intellectionem, fit inde, ut si in ordine supernaturali prædicta fœmina, et partus, quæ sint aliquid creatum, non repugnat, quod neque etiam repugnabit semen intellectuale creatum, scilicet species intelligibilis, cum hæc omnia mutuo sibi correspondeant, ut in generationibus, et prolibus naturalibus cernere licet.

un- m. 119 Secundo. Intellectus perfusus lumine gloriæ connaturaliter exigit concursum alicujus speciei impressæ : at non concursum essentiæ divinæ, ut habet rationem speciei intelligibilis : ergo concursum alterius speciei creatæ : ergo licet talis species de facto non detur, ex eo, quod Deus supplet vicem illius, nihil oberit quominus possit dari. Major patet. Quia quævis potentia intellectiva, et completa, qualis est intellectus una cum lumine gloriæ, petit connaturaliter concursum alicujus speciei, ex eo, quod sine illa nequit intellectionem elicere. Minor vero probatur. Quia cum essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, sit actus purissimus, et summe immaterialis, non potest connaturaliter peti nisi ab intellectu, qui sit actus purissimus, et summe immaterialis, scilicet ab intellectu divino : sicut quia species intelligibiles Angelicæ habent majorem actualitatem, et immaterialitatem, quam intellectus humanus, ideo non potest earum concursus connaturalier ab eodem exigi, sed solum ab intellectu Angelico.

um. 120 Tertio. Ad hoc, ut detur species impressa repræsentativa Dei, prout est in se, non est necessarium, ut habeat infinitam perfectionem : ergo non repugnabit eam dari. Conseq. patet. Quia solum potest repugnare ex eo, quod petat infinitam perfectionem, ut ex se, et ex dicendis pro assertione magis constabit. Antecedens autem probatur. Quia talis species solum desideratur in ordine ad eliciendam visionem claram Dei, quæ est finitæ perfectionis : ergo non est necessarium, quod contineat infinitam perfectionem, sed solum illam, quam habet prædicta visio.

Confirmatur primo. Minus requiritur ad speciem quidditative solummodo repræsentantem Deum, prout est in se, quam ad speciem, quæ comprehensive illum repræsentet : sed ad istam requiritur infinita perfectio : ergo ad illam sufficiet finita, et limitata. Major patet. Nam sicut cognitio comprehensiva Dei excedit cognitionem pure quidditativam, ita species deserviens ad istam excedetur ab ea, quæ deservit ad illam. Major autem ex se et ex dicendis infra constabit. Consequentia vero ex utraque præmissa aperte sequitur. Nam excessus cognitionis comprehensivæ Dei, supra cognitionem ipsius præcise quidditativam, non est qualiscunque, sed infinitus : et ita etiam species intelligibilis ei correspondens habebit eundem excessum infinitum supra speciem, quæ solum quidditative Deum repræsentat, et consequenter ista erit finita. Confirmatur primo.

Confirmatur secundo. Nam talis species non produceretur naturaliter, et necessario a Deo : sed solum libere : ergo posset secundum ejus voluntatem limitari ad hoc, ut licet repræsentaret clare, et intuitive objectum infinitum, scilicet Deum, non tamen infinite, sed quantum satis esset in ordine ad visionem finitam eliciendam. Antecedens patet : tum, quia Deus ad extra non potest operari nisi libere : tum etiam, quia de ratione speciei intelligibilis non est, ut producatur necessario a suo objecto, ut patet in speciebus Angelicis, quæ libere a Deo, non vero ab earum objectis naturaliter, seu necessario producuntur. Conseq. autem etiam constat : quia agens liberum potest limitare suum concursum, et producere effectum secundum tantam, vel tantam perfectionem. Confirmatur secundo.

Quartum. 121 Quarto. Ipsa visio clara Dei est similitudo formalis illius, prout est in se : ergo etiam poterit dari species impressa, et creata, quæ sit similitudo formalis Dei, prout est in se. Conseq. patet ex paritate rationis. Antecedens est D. August. lib.

9. de Trin. cap. 10. in fine : ubi generaliter affirmat omnem notitiam esse similem rei per eam cognitæ, et cap. 11. in principio id specialiter docet de cognitione Dei in via, et lib. 14. cap. 17. prope finem loquens de visione beatifica, inquit : *Tunc in nobis perfectam, et plenam futuram esse Dei similitudinem, cum perfecta, et plena fuerit ejus visio*, et ad hoc confirmandum adducit illud Joan. 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Quod etiam asserit Anselmus in Monologio cap. 31.

Ultimum.

122 Ultimo. Datur species expressa, seu verbum creatum, clare, et intuitive repræsentans Deum : ergo etiam poterit dari species impressa creata, quæ eodem modo ipsum repræsentet. Conseq. patet. Quia species expressa formalius et expressius repræsentat Deum, quam impressa, ob idque nomen speciei expressæ assecuta est : ergo si datur species expressa, et creata Dei clare, ac intuitive ipsum repræsentans, multo melius poterit dari species impressa, et creata ipsum eodem modo repræsentans, imo de facto daretur si Deus non esset unitus in ratione speciei intelligibilis cum intellectu beati. Antecedens autem probatur. Nam visio, seu intellectio beatifica est vera actio vitalis, verumque *fieri*, ac proinde debet per illam produci aliquis terminus : ergo cum proprius terminus productus per intellectionem sit verbum, seu species expressa eidem proportionata, fit inde, ut per visionem beatificam attingentem Deum clare, et intuitive, prout est in se, producatur verbum, seu species expressa eodem modo repræsentans Deum, scilicet prout est in se.

§ II.

Præfertur sententia D. Thomæ.

Conclusio.

123 Dicendum tamen est, per nullam potentiam posse dari speciem impressam, et creatam repræsentantem Deum clare, et intuitive, prout est in se. Ita D. Thom. locis citatis dub. 1. hujus disp. quem sequuntur omnes ejus discipuli, Capreol. in 4. dist. 49. quæst. 5. art. 1. Ferrar. 3. cont. Gent. cap. 49. Cajet. in præsenti, et infra quæst 56. art. 3. Soto in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 3. Palud. quæst. 1. art. 2. concl. 3. Bannez, Zumel, Navarrete, Ripa, Nazar. in hoc art. Quam sententiam etiam tuentur Alex. 1. part. quæst. 2. membro 3. art. 1. ad 2. et quæst. 7. membro 1. Henric., quodl. 3. quæst. 1. et quodl. 4. quæst. 7. Durand. in 4. dist. 49. quæst. 2. num. 13. et sequentibus, et quæst. 3. prologi num. 12. Marsilius in 3. quæst. 10. art. 2. in primam partem illius dubio incidenti in 2. conclus. Ægidius in castigatorio art. 1. Canariensis infra circa quæst. 27. art. 1. Arrubal. disp. 16. quæst. 4. Machin in præsenti, et alii plures.

Ratio assertionis.

Probatur assertio ratione desumpta ex D. Thom. quodl. 7. art. 1. et 1. cont. Gent. cap. 56. necnon et ex dictis dub. 2. hujus disp. Nam essentia divina est actus purus in ratione intelligibilis, ac proinde est ipsamet intelligibilitas : ergo repugnat, quod sit, seu fiat intelligibilis per aliquid a se distinctum : ergo etiam repugnabit, quod possit intelligi per speciem creatam repræsentantem eam quidditative, et prout est in se ipsa. Hæc ultima conseq. ex priori satis constat. Quia, quodvis objectum redditur intelligibile per speciem repræsentantem illud quidditative, et prout est in se ipso. Prima vero ex antecedenti patet. Nam, quod est ratio formalis alicujus, nequit fieri tale per aliud : sicut quia unio est ratio ipsa formalis uniendi, ideo nequit uniri per aliam unionem a se distinctam : ergo si essentia divina est ipsamet intelligibilitas per se ipsam intelligibilis, non poterit esse intelligibilis per aliquid a se distinctum, scilicet per speciem creatam : sicut, quia Deus per se ipsum est ipsa omnipotentia omnipotens, et ipsa sapientia cuncta sapiens, nequit esse sapiens, aut omnipotens per sapientiam, vel omnipotentiam creatam.

Prima solutio.

124 Nec refert, si dicas primo, hinc solum haberi, Deum non posse reddi intelligibilem a proprio intellectu per speciem creatam, ex eo, quod ex vi sua habet esse intelligibilis a se ipso ; secus vero respectu aliorum intellectuum : quia respectu illorum non est proportionatus ratione suæ summæ eminentiæ : et ita poterit per talem speciem reddi objectum proportionatum, et intelligibile ab illis.

Impugn.

Nam contra hoc est. Quia, quod Deus quidditative, et prout est in se ipso, non intelligatur ab intellectu creato, non provenit ex defectu intelligibilitatis ex parte ipsius : ergo non poterit reddi intelligibilis per speciem creatam. Antecedens patet. Nam Deus, quantum est ex se, habet summam, et infinitam intelligibilitatem, ratione cujus tam a se, quam a quocunque

cunque alio intellectu potest quidditative intelligi : quia non est utcunque intelligibilis, sed ipsa intelligibilitas per essentiam, atque adeo habet omnem rationem intelligibilitatis. Conseq. vero probatur. Quia species tenet se ex parte objecti : et ita solum datur ad supplendas vices, et defectum illius, et ad hoc, ut ipsum ex parte sua fiat intelligibile : sicut quia lumen gloriæ tenet se ex parte potentiæ, ideo non reddit objectum intelligibile, sed tribuit intellectui, ut habeat virtutem ad videndum Deum per essentiam : ergo si Deus quantum est ex parte sua, est summe intelligibilis a quovis intellectu, nequit fieri, aut esse intelligibilis per speciem creatam.

firm. 125 Confirmatur, et explicatur. Nam quod aliquod objectum ex se intelligibile habeat ratione suæ eminentiæ esse objectum improportionatum, seu superexcedens respectu alterius, non arguit addendum esse aliquid ex parte ejusdem objecti se tenens, scilicet speciem, sed aliquid ex parte potentiæ, quo confortetur, et fiat efficax ad illud attingendum : sicut ex eo, quod Sol v. g. ratione suæ maximæ claritatis sit in esse rei objectum improportionatum, et superexcedens respectu visus Noctuæ, non arguit debere dari aliquid ex parte Solis, quod reddat ipsum proportionatum, sed solum debere addi majorem virtutem, et efficaciam in potentia visiva Noctuæ.

cun- solut. 126 Nec etiam obest, si secundo dixeris, quod licet Deo conveniat esse immediate productivum omnium creaturarum, non tamen per hoc excluditur, ut causæ secundæ possint præbere concursum ad talem productionem : ergo licet Deus sit immediate intelligibilis, non inde colligetur debere necessario excludi concursus alterius medii, scilicet speciei impressæ, per quam prout est in se, possit videri.

erti- ur. Non itaque hoc obest, propter apertam rationis disparitatem, quæ inter utrumque intercedit. Nam concursus causarum secundarum non tribuit Deo, quod producat, aut possit producere effectus creatos, et ita si talis concursus hoc illi tribueret, tunc Deus esset prima causa, primumque efficiens, ut supponitur, et simul non haberet rationem talis causæ, quoniam ad rationem causæ primæ spectat, ut non habeat ab alia, quod operetur, aut operari possit. Cæterum species intelligibilis reddit objectum intelligibile : et ita si Deus intelligeretur per speciem creatam, esset, et non esset primum intelligibile : esset quidem, ut supponitur; non esset vero, quia primum intelligibile non potest fieri intelligibile per aliud *esse* distinctum, sicut nec primum efficiens potest habere ab alio, quod operetur.

Tertia. 127 Nec tandem obstat, si ulterius dixeris, quod licet Deus sit ipsa intelligibilitas, nihilominus potest reddi, et fieri intelligibilis quoad *an est* per alias species creatas, quandoquidem per eas devenimus, quoad *an est*, in cognitionem plurium prædicatorum Deo convenientium, ut in annotationibus circa primum articulum hujus quæst. diximus : ergo etiam non obstante, quod sit ipsa intelligibilitas, poterit reddi, et esse intelligibilis, quoad *quid est*, per aliam speciem creatam, quæ sit summæ perfectionis inter omnes alias creatas ; quandoquidem ipsa intelligibilitas non minus est ratio cognoscendi se ipsam quoad *an est*, quam quoad *quid est*. Unde si illud prius non tollit ab ea, quod fiat intelligibilis per speciem creatam, quoad *an est*, neque etiam hoc posterius impediet, quominus per aliam speciem excellentissimam, sed creatam, reddatur intelligibilis quoad *quid est*.

Rejicitur. Non igitur hoc ultimum obstat. Nam essentia divina est ipsa intelligibilitas, et ratio, ob quam ipsamet est intelligibilis, non intelligibilitate abstractiva, et imperfecta, quæ non sit denudabilis ab imperfectionibus, et indispensabiliter involvat exclusionem cognitionis quidditativæ, qualis est illa, de qua in objectione fit sermo. Quia talis intelligibilitas nequit convenire essentiæ divinæ per se ipsam, ex eo, quod affert secum propriam quidditatem divinam, et est intime præsens cuivis intellectui creato, ita ut quantum est de se possit sufficienter movere, et immutare illum. Et ideo non mirum, quod eadem essentia divina, ratione speciei creatæ per se primo repræsentantis creaturam, et secundario, ac virtualiter Deum, fiat intelligibilis intelligibilitate prædicta, quæ solum denotet imperfectionem in ipso intellectu, et specie creata, non vero in Deo, cui nihil intrinsecum per hoc accrescit, neque aliqua imperfectio per hoc in illo innuitur. Cæterum esse ipsam intelligibilitatem, quæ sit ratio videndi ipsum per essentiam, et prout est in se ipso, est propria intelligibilitas conveniens essentiæ divinæ ex propriis meritis, dicitque perfectionem denudabilem ab imperfectionibus : et ita nequit convenire essentiæ divinæ per aliquid creatum, sed ipsamet se

ipsa debet esse sic intelligibilis, et sua intelligibilitas, alioqui non esset actus purus in ordine intelligibili, ut ex supradictis constat.

Objectio.

128 Nec tandem refert si urgeas, quod si semel sunt vera ea, quæ in hac solutione dicuntur, non repugnabit ex vi hujus rationis D. Thom. quam modo examinamus, dari speciem repræsentativam Dei prout præcise est quidditative cognoscibilis, excludendo, quod per eandem sit comprehensive repræsentabilis, ac proinde posse illum a beatis videri per speciem creatam.

Prima probationis sequelæ.

Sequela probatur. Tum quia Deus non habet ratione sui esse cognoscibilem præcise quidditative, excludendo, quod sit cognoscibilis, etiam comprehensive : ergo licet daretur species creata, quæ redderet illum cognoscibilem præcise quidditative, non inde sequeretur eam tribuere illi, quod ipse ex se, et essentialiter habet, et per consequens neque hinc sequeretur implicatio prædictæ speciei.

Secunda.

Tum etiam : quia sicut species deserviens ad cognitionem, quoad *an est* præcise, excludendo cognitionem quidditativam, essentialiter dicit imperfectionem, et propterea potest quodammodo Deus reddi intelligibilis per hanc speciem, quia nequit esse ex se hoc modo cognoscibilis, ita quia species repræsentativa Dei præcise quidditative, excludendo, quod repræsentet eundem comprehensive, dicit imperfectionem, ideo non repugnabit, quod Deus reddatur intelligibilis per talem speciem.

Fit obviam objectioni. Ad primam probationem sequelæ.

Respondetur enim negando sequelam. Et ad primam probationem dicendum est quod licet Deum esse repræsentabilem, et cognoscibilem præcise quidditative respectu intellectus divini, excludendo, quod sit repræsentabilis, et cognoscibilis etiam comprehensive respectu illius, dicat imperfectionem, et implicationem, attamen quod sit cognoscibilis præcise quidditative, et eodem modo repræsentabilis respectu intellectus creati, excludendo, quod sit comprehensibilis ab eodem, vel ipsi comprehensive repræsentabilis, arguit maximam perfectionem. Et ita Deus ratione suæ summæ, et infinitæ eminentiæ habet, tum, quod non possit, non esse simul quidditative, et comprehensive cognoscibilis a suo intellectu, ipsique hoc modo repræsentabilis, et quod simul sit tantum quidditative cognoscibilis ab intellectu creato : et propterea nequibit dari species creata Dei, quæ illum repræsentet adhuc quidditative, excludendo, quod ipsum comprehensive repræsentet intellectui creato, ne id, quod a se est essentialiter intelligibile, peculiari aliquo modo reddatur eodem modo intelligibile ab aliquo alio.

Ad secundam

129 Ex quo ad secundam probationem ejusdem sequelæ patet qualiter species quodammodo reddens Deum intelligibilem, quoad *an est*, præcise, dicat imperfectionem, ex eo, quod non spectat ad summam perfectionem Dei, ut tantum sit cognoscibilis a creaturis, quoad *an est*, excludendo cognitionem quidditativam; nec non ex eo, quod species reddens aliquod objectum cognoscibile quoad *an est* tantummodo, non est species propria illius, sed alterius rei, cum qua res illo modo cognita habeat connexionem, ac proinde prædicta species sic repræsentans Deum non erit propria illius, sed alicujus creaturæ, et eo ipso involvens imperfectionem. At species, quæ intellectui creato repræsentat Deum, ut præcise quidditative, non vero comprehensive cognoscibilem ab eodem intellectu, non dicit ex parte sua imperfectionem, licet præsupponat illam ex parte intellectus creati : quia Deus ratione suæ summæ perfectionis est hoc modo per se, et ratione sui cognoscibilis ab illo ; et ita se ipso, et ratione suæ essentiæ præcise debet habere rationem speciei respectu ejusdem intellectus, et per consequens talis species petit infinitatem, et omnem excludit imperfectionem.

Unde licet a cognitione quidditativa Dei possit separari ratio cognitionis comprehensivæ, ut in intellectione elicita ab intellectu beatorum cernere licet, non tamen ab specie deserviente ad talem cognitionem ; ne (ut diximus) Deus per illam speciem, quæ esset distincta ab eo, reddatur intelligibilis ea intelligibilitate, quam ipse per se, et essentialiter habet respectu intellectus creati.

Ad argumenta initio hujus dubii adducta infra dubio 8. hujus disputationis, a num. 187. usque ad 197. respondebimus.

DUBIUM V.

DUBIUM V.

Utrum prima ratio, quam D. Thom. in hoc articulo adducit, sufficienter convincat impossibilitatem speciei impressæ, quidditative, et clare Deum repræsentantis?

130 Quia veris D. Thom. discipulis non satis est ejusdem S. Doct. sententiam sequi, sed etiam rationes ab eo ex professo adductas, a quibusvis calumniis defendere, ostendendo eas esse legitimas, et intentum probare : ideo postquam sententiam Angelici Doct. tum dub. 1. hujus disp. tum etiam dub. præced. stabilivimus, eamque ratione, quam multis in locis obiter innuit, munire conati sumus : restat, ut proprias, et peculiares rationes, quibus in præsenti art. hanc eandem sententiam ostendit, ex professo examinemus, et earum vim in hoc, et in sequenti dub. aperiamus, ut clarius, et distinctivus procedatur, et efficacia prædictarum rationum melius capiatur.

§ I.

Decidilur dubium, et ratio D. Thom. proponitur.

131 Dicendum est ergo, priorem rationem S. Doct. in hoc art. adductam esse legitimam, et impossibilitatem speciei impressæ creatæ, quidditative, et clare repræsentantis Deum, sufficienter ostendere. Ita omnes ejus discipuli, quos dub. præced. retulimus.

Assertio hæc non aliter melius probabitur, quam adducendo, et explicando prædictam rationem, eam autem ipse Doct. Angelicus sic proposuit : *Quia, sicut inquit Dionys. c. 1. de div. nom. per similitudines rerum inferioris ordinis nullo modo superiora possunt cognosci : sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporeæ, multo igitur minus per speciem creatam quamcumque potest essentia Dei videri.*

132 Confirmatur, et explicatur ratione desumpta ex eodem D. Thom. 3. cont. Gent. cap. 49. ratione 2. et quæst. 8. de verit. art. 1. Nam species impressa alicujus objecti deserviens ad cognoscendum illud clare, et prout est in se ipso, est ejusdem essentiæ, et speciei eum illo in *esse* repræsentativo; seu, ut loquitur D. Thom. est ipsa species, et quidditas rei repræsentatæ, sicut forma domus, quæ est in mente artificis, est in *esse* repræsentativo ejusdem speciei cum forma, quæ est in materia, vel potius species ejus, et per consequens talis species, et similitudo non potest esse inferioris ordinis, sive rationis respectu sui objecti : sed nulla creatura potest esse ejusdem speciei, et naturæ cum ipso Deo, etiam sub *esse* repræsentativo, seu esse ipsa natura et essentia Dei sub prædicto *esse*, ut communiter docent omnes Metaphysici, et Theolog. : ergo nulla creatura poterit habere rationem speciei impressæ repræsentantis Deum clare, et prout est in se ipso, seu deservientis ad illum sic cognoscendum.

Min. cum conseq. satis constat. Maj. vero sic ostenditur a D. Thom. quæst. citata de verit. Nam si species impressa conveniat in *esse* repræsentativo cum objecto secundum rationem genericam, non vero secundum rationem specificam, ac proinde deficiat a repræsentatione naturæ specificæ ipsius, non autem a repræsentatione proprii generis ejusdem, cognoscetur res illa secundum rationem generis, non secundum rationem speciei ; si autem deficiat, etiam a repræsentatione generis, repræsentet tamen secundum convenientiam analogiæ tantum, tunc, neque etiam secundum rationem generis quidditative cognoscetur, sicut si intelligeretur substantia per similitudinem accidentis : ergo signum est, quod species impressa deserviens ad cognitionem claram alicujus objecti secundum atomam, et propriam ejus rationem, seu, prout est in se ipso, debet habere (saltim sub alio modo essendi, scilicet sub *esse* repræsentativo) convenientiam specificam cum prædicto objecto in propria, et peculiari ejus natura, ac proinde non poterit esse inferioris ordinis, sive rationis respectu illius.

§ II.

Evasiones Vazquez, et Arrubalis, ac impugnationes earum.

133 Diversimode occurrunt huic rationi adversarii. Nam in primis Vazqu. respondet, falsum esse, quod species intelligibilis sit ejusdem naturæ, aut ejusdem ordinis in *esse* repræsentativo cum objecto : quando- Prima evasio.

quidem objectum aliquando est substantia, at vero species secundum *esse* repræsentativum est accidens, ac proinde non potest esse ejusdem essentiæ specificæ, aut ejusdem ordinis cum illo, ut D. Thom. vult.

Impugnatur. Sed contra. Nam hoc ipso, quod species illa creata repræsentaret Deum, prout est in se, deberet dicere relationem similitudinis ad illum, ac proinde hæc relatio debet fundari in aliqua unitate cum eo : at, non in unitate analoga, aut univoca, quæ solum sit generica : ergo in unitate univoca, et specifica : et consequenter, cum quævis unitas, seu convenientia univoca inter Deum, et creaturam repugnet, non poterit non talis species, repræsentans Deum, prout est in se, repugnare.

Major quoad 1. part. patet. Nam species intelligibilis est similitudo objecti ; atque adeo debet fundare, et dicere relationem similitudinis ad illud. Quoad 2. vero part. constat ex communi Metaphysicorum sententia, asserentium relationem similitudinis fundari in unitate, et convenientia.

Min. vero quoad 1. part., scilicet quoad unitatem analogam, satis liquet. Quia per similitudinem, seu repræsentationem analogam nequit repræsentari, aut videri Deus quidditative, et prout est in se ; alioqui per effectus creatos posset cognosci, prout est in se, quod (ut constat) est aperte falsum. Quoad 2. vero part., nimirum quoad unitatem univocam, sed solum genericam, sic eadem min. suadetur : Nam præterquam, quod repugnat, Deum, et creaturam convenire univoce in aliquo prædicato generico, alias Deus esset sub genere, quod est absurdum, ut in Log. cap. de quantitate a N. Complut. ostenditur ; nihilominus per illam speciem nequiret Deus quidditative, et prout est in se, cognosci, sed tantum secundum illam rationem genericam : quia eo ipso non repræsentaret quidditative, nisi solam prædictam rationem genericam. Nam si repræsentaret quidditatem, et rationem atomam Dei, esset utique similis ei in illa, haberetque convenientiam, et unitatem cum ipso Deo in propria illius quidditate, et natura quasi specifica : quandoquidem species in eo quod ab illa repræsentatur, est similis objecto, et in eo, in quo est similis, habet convenientiam cum prædicto objecto.

Apparens solutio. 134 Nec refert, si cum aliquibus dicas, quod sicut relatio similitudinis, qua imago Cæsaris ad ipsum refertur, non fundatur in unitate, sed in mensura, et mensurato, ita relatio similitudinis, qua species intelligibilis creata referretur ad Deum, non fundaretur in unitate, sed in mensura, et mensurato.

Non itaque hoc refert. Tum quia repugnat dari similitudinem unius ad aliud, et non fundari inconvenientia aliqua, qua unum cum alio conveniat : alioqui nequirent esse similia : ergo repugnat eam non fundari in unitate. Patet conseq. Nam convenientia idem est, quod unitas : si quidem in eo, in quo aliqua habent convenientiam, quatenus in illo conveniunt, non distinguuntur, et per consequens in illo sunt idem. Tum etiam : quia exemplum illud de imagine Cæsaris hoc ipsum convincit. Nam ideo per hanc imaginem nequit propria Cæsaris essentia, et quidditas cognosci, sed solum externa ejus accidentia, quia solum habet convenientiam cum illo in prædictis accidentibus, non vero in propria ejus essentia, et quidditate : quod sane satis indicat, quod ad hoc, ut aliqua imago repræsentet quidditative, et prout est in seipso aliquod objectum, requiritur ut habeat convenientiam, et unitatem specificam cum eo, saltim sub *esse* repræsentativo.

Adde, quod adhuc gratis concesso relationem illam similitudinis speciei impressæ, et creatæ ad Deum, ut ad proprium illius objectum, fundari in mensura, et mensurato, nihilominus impugnatio contra Gabr. Vazq. facta, in sua vi, et robore manet. Nam cum illa proportio mensurati ad mensuram, quæ esset inter Deum, et speciem, non posset esse univoca, seu specifica, vel generica, quia (ut dicebamus) Deo, et creaturis nihil potest dari commune univocum, oportet eam esse analogam : ac proinde per talem speciem nequiret Deus quidditative, et prout est in se ipso repræsentari, sicut ob hanc rationem non potest per species creaturarum prædicto modo repræsentari.

135 Nec illud, quod in sui favorem adducit Vazq. scilicet speciem impressam secundum *esse* repræsentativum habere rationem accidentis, objectum vero multoties esse substantiam, et ita hæc duo non posse esse ejusdem naturæ, contra nos urget. Quia illudmet *esse* repræsentativum speciei realiter sumptum potest considerari dupliciter, scilicet, vel materialiter, et in esse rei, vel formaliter, et in esse similitudinis, et repræsentationis, ut ad ordinem intelligibilem spectat :

tat : et si priori modo sumatur, aliquando habet rationem accidentis, ut in speciebus sensibilibus, et quamplurimis ex intelligibilibus constat : aliquando habet rationem substantiæ, ut patet in Angelo, qui seipsum per suam essentiam tanquam per speciem intelligibilem cognoscit, ut communiter docent Theologi : et ita species intelligibilis, et ejus *esse* repræsentativum in esse rei consideratum aliquando est inferioris ordinis, aliquando ejusdem cum re cognita. At si species intelligibilis sumatur in esse speciei formaliter sumptæ, sive secundum *esse* repræsentativum formaliter, et in *esse* intelligibili acceptum, secundum quam rationem dicit formam ipsam repræsentatam, ut intelligibiliter habet esse in specie intelligibili, tunc est ejusdem ordinis, et ejusdem naturæ cum illo; atque adeo si objectum illius fuerit aliquid substantiale, etiam ipsa species erit in *esse* repræsentativo, et intelligibili, substantia : quia prædicata illa substantialia, quæ in esse rei sunt in objecto, continentur in ipsa specie sub *esse* repræsentativo, et intelligibili. Unde licet natura hominis habeat alium modum essendi in se ipsa et in specie intelligibili, attamen formaliter in ratione naturæ, eadem est. Sicut domus in mente artificis, et domus ad extra, licet habeat diversum modum essendi; nihilominus eadem forma domus utrobique est. Sed hæc latius in tract. de scientia Dei disp. 2. a num. 14. usque ad 52. explicabuntur.

136 Secundo occurrit Arrubal dicens, nihil referre, quod species intelligibilis sit ejusdem naturæ cum suo objecto, non quidem in essendo, seu in *esse* entitativo, sed in repræsentando, seu in *esse* repræsentativo, ac proinde nihil etiam referre, quod species creata sit hoc modo ejusdem naturæ cum Deo. Et addunt aliqui, ideo hoc esse verum : quia ad id nihil aliud requiritur, quam, quod repræsentet, ipsum prout est in se clare, et quidditative.

Sed contra. Nam, *esse* repræsentativum in specie intelligibili non est aliquod *esse* fictum, aut aliqua denominatio extrinseca, sed verum, et reale *esse* intrinsecum : ergo si species intelligibilis repræsentativa Dei, prout est in se ipso, est in *esse* repræsentativo ejusdem naturæ univoce cum Deo, erit utique idem cum illo in aliquo vero, et reali *esse*, ac proinde haberet univocam, et atomam convenientiam in prædicto *esse* reali cum illo. Quod (ut communiter docent Metaphysici, et Theologi) est omnino falsum : alioqui in Deo daretur vera compositio ex genere, et differentia sub aliquo vero, et reali *esse*, quod sane satis absurdum est, ut bene N. Complut. in lib. Phys. disput. 18. a num. 20. usque ad 23. docent.

Additamentum.

137 Accedit, solutionem hanc satis impugnatam manere ex impugnatione præcedenti. Nam licet quod species clare, et quidditative repræsentans aliquod objectum sit in *esse* repræsentativo, seu intelligibili ejusdem naturæ cum illo, nihil sit aliud re ipsa, quam, quod re vera ex natura sua habeat repræsentare objectum illud quidditative, et clare, prout est in se ipso, sitque similis illi, attamen ad hoc, ut hoc ipsum realiter habeat, non potest non eandem naturam univoce, et atome cum prædicto objecto habere, non quidem sub modo essendi naturali, et entitativo, sed in *esse* repræsentativo, seu intelligibili : quia, ut nuper dicebamus, repugnat, aliquid per se, et ex intrinsecis repræsentare aliud, prout est in se, et esse simile ei, quin sub aliquo *esse* reali, sive entitativo, sive repræsentativo habeat convenientiam univocam cum illo in eo, in quod illud repræsentat, et est simile ipsi.

Confirm.

138 Confirmatur, et explicatur ex discrimine, quod intercedit inter id, quod repræsentat aliud, et est simile illi per extrinsecam hominum impositionem, et inter id, quod repræsentat illudmet quidditative, et prout est in se, estque ei simile per se, et ab intrinseco. Nam licet id, quod priori modo repræsentat aliquid, non sit ejusdem naturæ cum illo, sed tantum ad summum habeat aliquam convenientiam cum eo, et sit impositum ad illud repræsentandum, vel (ut melius loquamur) ad ipsum significandum, et propterea externa Christi imago licet hoc modo denotet, et significet ipsum, non ideo habet eandem naturam cum eo : attamen, quod per se, et ab intrinseco habet repræsentare quidditative, et prout est in se aliud, et esse simile illi, debet habere univocam convenientiam sub aliquo modo essendi reali cum ipso, in eo, in quo illud repræsentat. Tum, quia esse simile alteri in suo proprio, et quidditativo *esse*, necessario involvit, quod illud *esse* quidditativum, quod est in alio, sit sub aliquo *esse* reali in eo, quod in prædicto *esse*, est illi simile : sicut duplicem albedinem esse similem in esse albedinis involvit esse utrobique naturam albedinis. Tum etiam, quia alioqui non

esset ratiò, cur potius per se, et ab intrinseco repræsentaret illud quidditative, et prout est in se, essetque ei simile, non vero haberet hoc ipsum respectu alterius, ut ex terminis ipsis patere videtur.

§ III.

Alia evasio Juniorum, et præclusio illius.

139 Deinde respondent alii ex Junioribus, totam hanc rationem D. Thom. et ea, quæ circa ipsam diximus, supponere speciem intelligibilem esse formalem similitudinem sui objecti, atque adeo repræsentare illud formaliter, cum tamen species non repræsentet objectum nisi tantum virtualiter, et per modum seminis, ac proinde hoc tantum modo sit ei similis.

Præcludit. Cæterum evasionem hanc optime impugnant N. Complut. in lib. de Anima disp. 18. quæst. 2. et oppositum ejus ex Arist. et D. Thom. num. 26. ejusdem disp. ostendunt, et deinde ab eodem num. usque ad num. 30. id ratione desumpta ex D. Thom. probant, ac tandem a num. 30. usque ad 38. alia ratione ex Angelico Doctore infra quæst. 27. art. 2. deprompta, hoc ipsum suadent his verbis. Nam productio creata verbi est generatio quædam vitalis, et verbum procedit, ut filius aliquo modo, id est, non secundum *esse* naturale, sed secundum *esse* intentionale, et repræsentativum : ergo species impressa debet esse formalis similitudo objecti, non minus quam verbum adæquatum illius est similitudo formalis ejusdem objecti.

Probatio conseq. Conseq. patet. Quia id, quod procedit tanquam, quid vitaliter genitum, et ut filius, debet esse simile suo principio : ita quidem, ut si procedat, ut filius in *esse* naturali, habeat esse simile illi, et ejusdem naturæ cum eo in tali *esse* ; si autem procedat, ut filius in *esse* intentionali et repræsentativo, sit simile illi, et ejusdem naturæ cum eo in *esse* repræsentativo : ergo cum species impressa sit principium verbi fœcundans intellectum in ordine ad ejus generationem, necesse erit, ut verbum, et prædicta species sint ejusdem naturæ, atque adeo si verbum repræsentat formaliter objectum, etiam prædicta species illud formaliter repræsentabit.

Suadetur principium antecedens. 140 Antecedens autem probatur. Tum quia propter hanc rationem communiter dicitur, quod ab objecto, et potentia paritur notitia, et verbum, quia productio hujus est partus, sive generatio quædam vitalis, et verbum est aliquo modo filius. Tum etiam: quia generatio vitalis est origo viventis a vivente a principio conjuncto in similitudinem naturæ, ut communiter docent Theologi, et Philosophi : at productio verbi est origo viventis a vivente, quia verbum per illam productum, est terminus intrinsece vitalis, et a principio vitali procedens : et similiter est a principio conjuncto, scilicet mediante specie impressa, quæ est unita cum intellectu, et est in eodem subjecto cum eodem verbo : et tandem prædictum verbum procedit in similitudinem naturæ cum suo principio, scilicet cum objecto, quoniam in *esse* repræsentativo est omnino simile illi : ac proinde processio ejusdem verbi erit generatio vitalis, et verbum ipsum procedit aliquo modo, et secundum quid, ut filius, seu (quod idem est) procedet, ut filius in *esse* intentionali, et repræsentativo.

Tum denique : quia, juxta communem Theologorum sententiam, ideo productio Verbi divini ex vi propriæ lineæ est generatio, non qualiscunque, id est, generatio secundum quid, et in *esse* repræsentativo solummodo, sed generatio simpliciter, et in *esse* naturali, ac entitativo, quia productio verbi, ut sic, habet ex vi suæ lineæ esse aliquo modo generationem, et productionem similis in natura cum suo principio : alioqui si productio hæc non haberet ex vi sua esse aliquo modo generationem, saltim secundum quid, et modo explicato ; consequens esset, ut nec productio Verbi divini, quæ est productio intellectualis omnium perfectissima, haberet ex vi propriæ lineæ perfecte, et simpliciter generare producendo simile in natura secundum *esse* naturale, et entitativum.

Objectio. 141 Nec refert si contra hanc rationem objicias primo, quod licet daretur verbum procedere ab intellectu, ut genitum, et ut filium, non tamen inde fieret debere esse simile in *esse* repræsentativo cum specie impressa, quoniam principium, et causa principalis generationis verbi non est species impressa, sed objectum per illam repræsentatum : ergo verbum non deberet esse simile in *esse* repræsentativo cum prædicta specie, sed cum objecto. Patet consequentia. Quoniam ad hoc, ut aliquid procedat, ut genitum, et ut filius satis est, ut procedat simile suo principio, et causæ principali : et ita Petrus procedens, ut filius a suo patre, non procedit, ut similis semini habenti rationem instrumenti, sed patri, qui est causa principalis.

Respondetur

uitur. Respondetur enim, speciem intelligibilem, v. gr., et ejus objectum non ponere in numero ad productionem verbi, vel in ordine ad influendum in intellectionem, quia objectum non concurrit, nisi, ut redditur intelligibile per prædictam speciem, neque species influit, nisi, ut reddens intelligibile tale objectum : et ita in genere intelligibili habent se, ut forma, et id cujus est forma, ac proinde in hac generatione intellectuali oportet, ut id, quod est simile objecto, tanquam principio principali illius, sit etiam eodem modo simile speciei intelligibili. Cæterum in generatione ordinis naturalis, et entitativi semen, et generans, a quo deciditur, ponunt in numero in ordine ad generationem prolis : quia semen non est forma reddens generans generativum, et constituens illum in esse principii proportionati ad generationem : ex eo, quod prædictum generans ratione suæ formæ naturalis est principium principale omnino proportionatum in ratione talis principii respectu generationis naturalis.

lica- hoc. 142 Potestque hoc amplius explicari, ex eo, quod generatio intellectualis est ad intra, et immanens, ac proinde ejus principium principale debet etiam esse ad intra, et unitum cum intellectu : et consequenter tale principium non poterit esse objectum secundum *esse*, quod habet extra intellectum ; sed secundum *esse*, quod habet in specie intelligibili, ratione cujus unitur cum intellectu in ratione principii productivi ad intra : et propterea prædicta species, et objectum non ponunt in numero in ratione principii principalis respectu talis productionis. At generatio naturalis, et in *esse* entitativo, quæque distinguitur a generatione intellectuali, est processio transiens in externam materiam, et propterea non oportet, ut principium principale illius sit conjunctum cum re genita, quæ procedit, ut filius, sed potius debet esse separatum ab illa, atque adeo semen, quod debet esse conjunctum cum re genita, ponit in numero cum tali principio : et ita non est necessarium, ut hoc ipso, quod res genita sit similis suo principio principali, habeat etiam assimilari semini.

ec- o nda 143 Nec etiam obstat si secundo objicias, non posse cohærere cum natura speciei impressæ, et verbi, quod sint similia, et ejusdem naturæ in *esse* repræsentativo, atque adeo neque, quod processio ejusdem verbi sit generatio vitalis in *esse* repræsentativo. Conseq. non indiget probatione. Antecedens autem probatur. Tum, quia verbum per se, et ab intrinseco habet esse facile transiens, et pendere ab intellectione in *esse fieri*, et *conservari* : species vero impressa est de se permanens, et non facile transiens, ac tandem non pendet ab intellectione, in *fieri*, aut in *conservari*. Tum etiam : quia alioqui darentur duo accidentia solo numero differentia, quæ simul essent in intellectu, scilicet, species impressa, et verbum : quæ quidem certum est simul inveniri in illo quoties objectum aliquod intelligitur. Tum denique : quia verbum, et species impressa non possunt non distingui specifice in *esse* entitativo, et naturali, ut communiter docent Philosophi : ergo etiam debent eodem modo distingui in *esse* repræsentativo. Patet conseq. Quoniam ad specificationem, et rationem differentialem atomam speciei impressæ, et verbi pertinet, tam id, quod habent in *esse* entitativo, quam id, quod habent in *esse* repræsentativo : at quoties aliquid distinguitur specifice ab alio secundum aliquam rationem inadæquatam, et atomam, etiam differt ab illo secundum alias rationes inadæquatas, et atomas, ut inductive patet : ergo, etc.

Enoda- tio. 144 Respondetur enim, quod sicut objectum, et verbum productum sunt ejusdem naturæ, et speciei, sub diverso tamen modo essendi, quoniam natura, et species objecti est in illo sub modo essendi naturali, in verbo autem sub modo essendi intentionali repræsentativo, ita species impressa, et verbum ei adæquatum, sive repræsentans objectum primarium ejusdem speciei impressæ, sunt ejusdem naturæ, sub diverso tamen modo essendi, intra latitudinem modorum, qui sub *esse* repræsentativo continentur. Nam species impressa repræsentat per modum habitus : verbum autem non est necesse, ut hoc modo repræsentet, sed potius semper, aut fere semper habet modum repræsentandi facile transeuntem, atque adeo per modum dispositionis.

Unde sicut objectum ex parte naturæ, cum præcisione sumptæ, non petit determinate modum essendi naturalem, sed indifferenter, vel hunc, vel modum essendi intentionalem, et repræsentativum, ita eadem natura, et sub eadem præcisione sumpta, non petit determinate modum essendi intentionalem, et repræsentativum, quem habet verbum, neque illum, qui convenit speciei impressæ ; sed secundum se præscindit ab his tribus essendi modis, et potest habere quemlibet ex illis, quamvis conside-

rata non secundum se, sed prout est in verbo, involvat necessario modum illius, et simpliciter, prout est in objecto importet indispensabiliter modum essendi naturalem proprium ipsius.

Ad formam argumenti quoad primam probationem antecedentis.

145 Quare ad formam argumenti negandum est antecedens. Et ad 1. probationem debet etiam negari antecedens si intelligatur de verbo, aut specie impressa præcise, quoad suam naturam, aut speciem consideratis. Nam, sicut secundum hanc rationem cum præcisione sumptam, sunt ejusdem naturæ, ita ex parte naturæ, et formæ non petunt determinate, ut argumentum innuit, modum essendi permanentem, aut transeuntem.

Ad secundam probat.

Ad secundam vero probationem dicendum est, quod sicut verbum, et objectum non solum sunt ejusdem naturæ secundum speciem, sed habent eandem naturam numero, sub diverso modo essendi naturali, et repræsentativo, ut dictum est, et in tract. de scient. Dei disp. 2. num. 14. et deinceps latius dicetur; ita verbum, et species possunt aliquando esse ejusdem numero naturæ, sub diverso tamen modo essendi intra latitudinem modorum, quia sub *esse* repræsentativo continentur. Unde ex hoc, quod species, et verbum per se primo illi correspondens, sint ejusdem naturæ, non sequitur duo accidentia solo numero distincta, esse simul in eodem subjecto : sed, quod unum, et idem numero secundum naturam, et habens diversos specie modos essendi, sit una cum illis in intellectu. Videantur ea, quæ loco nuper citato dicentur.

Ad ultimam.

Ad ultimam vero probationem concesso antecedenti, neganda est conseq. Ad cujus probationem neganda est major, si intelligatur de specie in esse speciei. Nam secundum istam rationem per accidens, et de materiali importat modum essendi naturalem, et entitativum, seu hoc, quod est esse in *esse* entitativo substantiam, vel accidens, ut supra tactum est.

Alia objectio.

146 Neque tandem obstat si urgeas, quod si verbum, et species distinguuntur specifice in modo essendi intentionali, et repræsentativo, tunc generatio verbi non erit generatio propria viventis, neque verbum erit aliquo modo filius : quandoquidem non procedit in similitudinem naturæ specificæ cum suo principio in aliquo modo essendi, vel entitativo, et naturali, vel repræsentativo.

Diluitur.

Non itaque hoc obest. Quoniam ad rationem generationis vitalis, et ad hoc, ut id, quod per illam procedit, sit aliquo modo filius, satis est similitudo in natura, quamvis non sit similitudo in modo habendi illam, sed prædicti modi sint distincti; vel specie, et intra eundem ordinem, ut in verbo, et specie impressa contingit; vel in diverso ordine, et generice, aut quasi generice, ut in specie impressa, et expressa ex una parte, et objecto ex alia accidit : quamvis cum hoc stet, quod ad hoc, ut prædicta generatio sit generatio simpliciter, et perfecta, ac proinde res genita sit simpliciter, et perfecte filius, debeat esse similitudo inter rem productam, et rationem producendi, tam in natura, quam in modo naturali habendi illam, ut suo loco explicabitur.

§ IV.

Duæ aliæ solutiones, et eversio earum.

Alia soluti

147 Ex quibus omnibus constat, nullam esse solutionem cujusdam Junioris asserentis D. Thomam in hac ratione non velle, neque ejus ratione probari, quod per speciem inferiorem, seu creatam, directe tamen repræsentantem Deum, non possit quidditative, et prout est in se videri; sed solum, quod per similitudines, seu species inferiorum rerum, id est directe repræsentantes naturas inferiores, sive creatas, non possit repræsentari, aut videri Deus, prout est in se, et ideo S. Doctor in sua ratione sic in antecedenti illius dixit : *Per similitudines rerum inferioris ordinis nullo modo possunt superiora cognosci, sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporeæ.*

Impu natu

148 Ex dictis igitur hæc solutio manet impugnata. Nam apud D. Thom. et veritatem ipsam, idem est speciem aliquam esse inferiorem respectu alicujus objecti, et ratione hujus inferioritatis non posse pertingere ad repræsentandum illud, prout est in se ipso, ac esse speciem per se primo, et omnino directe repræsentantem rem aliam inferioris ordinis : quia species, et ejus objectum per se primo, et omnino directe repræsentatum sunt ejusdem naturæ, quamvis possint differre in modo essendi. Et ita idem est eam esse speciem inferioris ordinis, ac non potentis pro sua inferioritate repræsentare directe, et per se primo objectum aliquod superius, ac non habere eandem naturam cum illo in *esse* intelligibili, et per consequens hoc erit idem, ac repræsentare rem aliam inferioris ordinis, et habere eandem naturam cum illo in *esse* intelligibili :

bili : si quidem species debet semper esse ejusdem naturæ cum objecto per se primo repræsentato per illam, ut ostensum est.

Unde, ut D. Thom. denotaret, quomodo nulla species creata poterat habere eandem naturam cum Deo, ac proinde, nec repræsentare illum quidditative, propterea supposuit omnem speciem creatam esse speciem rerum inferioris ordinis, ac proinde in *esse* intelligibili esse ejusdem naturæ cum essentiis, et objectis creatis : et ita non posse esse ejusdem naturæ in eodem ordine cum Deo, et per consequens neque ad ejus quidditativam visionem deservire, ex eo,quod ad speciem, deservientem ad hanc visionem, desideratur, ut sit ejusdem naturæ cum Deo in *esse* intelligibili, ac proinde, ut non sit species rei inferioris ordinis. Videantur ea, quæ in tract. de scientia Dei disput. 2. sæpius cit. dub. 1. dicentur.

ste-
ior
utio.

149 Ultimo occurrunt Suarez, et alii, quod licet ad cognoscendum Deum infinite, et adæquate, requiratur species, quæ sit ejusdem ordinis, et naturæ cum illo ; non tamen ad cognoscendum illum finite, et inadæquate : non secus, ac licet ad visionem infinitam, et adæquatam ipsius desideretur lumen, et visio infinita, quæ sit ejusdem rationis cum lumine, et visione increata Dei : non tamen ad visionem illius inadæquatam, et finitam.

pug-
atur
imo.

Sed contra. Quia inter lumen, et visionem ex una parte, et speciem intelligibilem Dei ex alia, est maximum discrimen. Nam lumen, et visio tenent se ex parte potentiæ, non vero ex parte objecti per modum similitudinem repræsentantium illud quidditative, et prout est in se ipso, et ita non est necesse, ut sint ejusdem naturæ, et essentiæ in *esse* repræsentativo, aut in aliquo modo essendi cum eodem objecto, sed satis est, quod ad illud per se tendant, et inclinent, ut ex infra dicendis magis constabit. Cæterum species impressa tenet se ex parte objecti, tanquam similitudo repræsentans illud quidditative, et ita debet in repræsentando esse ejusdem quidditatis cum illo ; cumque tale *esse* repræsentativum, et id ratione cujus repræsentaret Deum, et esset similis ei prout est in se ; esset verum aliquod *esse* reale in ipsa specie, deberet utique talis species convenire univoce cum Deo in divina natura, ratione cujus ei assimilaretur, ut dictum est, ac proinde deberet esse infinita simpliciter, imo infinita per essentiam, quippe cum Deo, et creaturis nihil possit dari commune univocum.

Impug-
natur
secundo.

150 Præterea. Nam illa species impressa oriretur a Deo tanquam ab objecto infinito, et modo naturali, ac necessario, non vero libere : ergo adæquaret totam cognoscibilitatem Dei, ac proinde non solum repræsentaret objectum infinitum, scilicet Deum, sed etiam infinite. Hæc ultima conseq. patet. Quoniam species adæquans infinitam cognoscibilitatem Dei, non potest non infinite repræsentare. Prima vero consequentia etiam liquet. Nam hoc ipso, quod procederet modo naturali, et necessario, non vero libere, procederet a Deo, non quatenus vult, sed quatenus est : ergo emanaret ab illo secundum omnem ejus perfectionem infinitam, atque adeo, ut infinite perfecta : quia non esset unde influxus, et causalitas sui objecti infiniti, scilicet Dei, limitaretur. Antecedens autem etiam constat. Nam quoties objectum potest speciem sui immittere, toties modo naturali, non vero libero eam immittit,ut in objectis sensibilibus cernere licet.

Evasio.

151 Nec refert si dicatur, hæc esse vera quoties non est aliquid ex parte subjecti limitans, et coarctans influxum objecti : secus vero quando est ex parte subjecti aliquid unde limitetur, ut in præsenti contingeret, ex eo, quod prædicta species debet recipi in intellectu creato, qui est finitæ virtutis, et capacitatis, et ita ex hoc capite limitaretur.

Præclu-
ditur.

Non itaque hoc refert. Nam ad rationem speciei impressæ, ut sic, non desideratur, quod sit accidens inhærens, sed ejus essentia abstrahit ab accidenti, et substantia per se subsistente : ergo prædicta species impressa repræsentans Deum quidditative, et prout est in se, esset substantia per se subsistens, ac proinde non deberet, nec posset ex subjecto limitari. Antecedens patet. Nam in Angelis propria eorum substantia, et essentia habent rationem speciei intelligibilis respectu proprii intellectus, et similiter essentia divina respectu intellectus divini, et intellectuum beatorum, ac tandem aliæ species, quæ sunt in nobis, et in Angelis habent rationem accidentis : ergo signum est speciem intelligibilem ad sui rationem non petere, quod sit substantia, vel accidens, sed ab utroque abstrahere. Ex quo etiam prima consequentia constat. Nam si semel rationi speciei non derogat eam esse substantiam, posset prædicta spe-

cies repræsentativa Dei habere rationem substantiæ per se subsistentis, quippe quæ inter omnes species intelligibiles esset perfectissima. Secunda autem conseq. ex hac priori etiam liquet. Quia substantia per se subsistens, et totalis, qualis esset in eo eventu prædicta species impressa, ut ex dictis patet, non potest limitari a subjecto, cum neque eo indigeat, neque in eo recipiatur. Videantur ea, quæ in tract. de scient. Dei, disput. 2. dicemus.

DUBIUM VI.

Utrum ex secunda ratione D. Thom. sufficienter colligatur impossibilitas speciei impressæ repræsentantis quidditative, et clare Deum, prout est in se ipso?

152 Posquam primam D. Thomæ rationem examinavimus, oportet, ut vis secundæ aperiatur, et ad hoc præstandum præsens dubium excitamus.

§ UNICUS.

Decisio dubii.

Conclusio et ejus probatio.

Dicendum ergo est, optimam esse rationem secundam Angel. Doct. atque adeo impossibilitatem prædictæ speciei impressæ sufficienter probare. Ita ejus discipuli dub. 4. citati. Probatur assertio adducendo prædictam rationem, quam idem S. Doct. his verbis proponit : *Essentia Dei est ipsum esse ejus, ut supra ostensum est, quod nulli formæ creatæ competere potest. Non potest igitur aliqua forma creata esse similitudo repræsentans videnti, Dei essentiam.*

Solutio adversariorum.

153 Occurrunt huic rationi adversarii, dicentes, quod sicut in nobis species, quæ est accidens, potest repræsentare quidditative substantiam, ita licet species impressa, et creata Dei non sit suum *esse*, poterit quidditative et clare repræsentare Deum qui est suum *esse*.

Impugnatur primo.

Cæterum hæc solutio satis impugnata manet ex iis, quæ dubio præcedenti diximus. Nam hoc ipso, quod illa species repræsentaret Deum quidditative, ut est suum *esse*, non posset, non in *esse* repræsentativo esse suum *esse*, et hoc ipso, quod in *esse* repræsentativo hoc habeat, optime inde colligitur, quod etiam in *esse* entitativo debet esse suum *esse*, et e contra, ut ex prima impugnatione contra solutionem Suarez dub. præcedenti adducta constat. Unde ex eo, quod repugnet forma creata habens prædictam actualitatem secundum suum *esse* entitativum, optime intulit D. Thom. non posse talem formam repræsentare Deum, qui est suum *esse*.

Secundo.

154 Deinde impugnatur eadem solutio, et simul elucidatur ratio D. Thom. supponendo ex communi Doctorum sententia, quod sicut potentia intellectiva, quæ per modum potentiæ simplicis, et completæ attingit quidditative, et clare aliquod objectum, habet ex propriis meritis, et consequenter connaturaliter attingere illud, ita etiam species intelligibilis quidditative, et clare, propriisque meritis repræsentans objectum, habet connaturaliter ipsum repræsentare, cum id, quod ex propriis meritis speciei convenit, debeat etiam connaturaliter eidem convenire.

Hinc ergo sequens deducitur impugnatio, et major rationis D. Thom. elucidatio. Quoniam repugnat, quod aliqua potentia intellectiva per modum potentiæ simplicis, et completæ, atque adeo connaturaliter attingat aliquod objectum quidditative, et clare, si excedatur ab illo in gradu immaterialitatis, et actualitatis : ergo etiam repugnabit, quod species impressa eodem modo repræsentet aliquod objectum, si ab eodem superetur in immaterialitate, et actualitate : ergo cum repugnet esse aliquam formam creatam, quæ non excedatur a Deo in gradu immaterialitatis, et actualitatis, repugnabit etiam, quod ex vi sua, ac proinde connaturaliter repræsentet illum quidditative, et clare, prout est in se ipso.

Probatio antecedentis.

155 Antecedens probatur. Nam cum (teste Arist. 2. et 3. de Anima, quem sequuntur omnes Philosophi) ad cognitionem requiratur, quod cognitum sit in cognoscente, oportet, ut ad cognitionem connaturalem cognitum non habeat modum essendi præstantiorem, quam potentia cognoscitiva : quoniam si modus essendi objecti cogniti sit supra modum essendi cognoscentis, non reciperet illud cognoscens connaturaliter, sed supra ejus naturam : atque adeo, neque etiam ejus cognitio esset connaturalis prædicto cognoscenti. Cumque modus essendi, per se desideratus ad cognoscibilitatem objecti, et virtutem cognoscitivam potentiæ sit immaterialitas, et elevatio a materia, ejusque conditione, scilicet potentialitate (quia, ut D. Thom. et cum eo communiter Theologi infra quæst. 14. docent, ex immaterialitate, et modo essendi immateriali habet virtus cognoscitiva esse cognoscitivam, et species esse repræsentativam,

repræsentativam, ac tandem objectum esse cognoscibile) fit inde, ut si cognitum, et cognoscens connaturaliter illud, debent convenire in modo essendi, ita ut cognitum non habeat modum essendi, præstantiorem, quam cognoscens, tunc cognitum non possit excedere cognoscens in gradu immaterialitatis, et actualitatis.

Ex quo prima consequentia, ex qua pendet vis secundæ, satis constat : tum ex paritate rationis, tum etiam, quia species intelligibilis ponitur, ut ea mediante cognitum sit in cognoscente : et ita nisi habeant modum essendi, ita immaterialem sicut objectum, ut statim magis explicabimus, erit supra ejus naturam gerere hoc modo vices objecti ea immaterialioris. Maxime quia ut num. 123. et 141. dicebamus, species intelligibilis non gerit vices objecti, tamquam instrumentum ejus, sed per modum formæ intelligibilis reddentis objectum actu intelligibile ab eo intellectu, in quo prædicta species recipitur.

Confirm. 156 Confirmatur, et explicatur ratione D. Thom. art. 4. et 11. hujus quæst. Nam juxta multiplicitatem, et diversitatem graduum immaterialitatis rerum cognoscibilium multiplicantur, et distinguuntur totidem gradus facultatum, et specierum intentionalium eis correspondentium : ergo signum est, quod inter potentiam, speciem impressam, et objectum debet esse convenientia in gradu immaterialitatis, et actualitatis : ergo cum repugnet dari formam creatam convenientem in gradu immaterialitatis, et actualitatis cum Deo, ac proinde habentem tantam actualitatem, ut sit suum *esse*, etiam repugnabit dari formam creatam, quæ illum quidditative, et clare repræsentet. Utraque consequentia patet.

Antecedens autem non aliter melius probabitur, quam adducendo, et explicando quatuor gradus immaterialitatis rebus cognoscibilibus convenientes, quos satis eleganter D. Thom. art. 4. sequenti assignat. Primus, et infimus est earum rerum, quæ habent esse in materia individuali, et non possunt ab ea per intellectum præscindi, quales sunt res singulares, et materiales. Cujus gradus immaterialitas solum sita est in quadam actualitate sufficienti ad immutandam potentiam sensitivam, quæ est potentia aliquo modo elevata supra materiam, ut in lib. de Anima dici solet. Et huic objecto correspondent potentia sensitiva, et species sensibiles, et materiales habentes eundem gradum immaterialitatis, ac proinde valentes immutare potentiam sensitivam, et non aliam excellentiorem.

157 Secundus est earum rerum, quæ quodammodo sunt in materia individuali et sensibili, et quodammodo separatæ sunt ab illa, quales sunt quidditates rerum materialium, quia reipsa habent esse in materia individuali et sensibili, possunt tamen per intellectum ab ea separari. Unde huic objecto cognoscibili prædictam habenti immaterialitatem correspondet virtus cognoscitiva, scilicet intellectus noster pro hoc statu, qui partim est in materia, ex eo, quod est actus animæ, quæ est actus corporis, et partim est ab ea separatus, quatenus anima non pendet in suo *esse* a corpore et intellectus non est actus corporis, tanquam organi, sed est entitative spiritualis, et immediate inhæret in substantia animæ. Unde huic objecto, et potentiæ cognoscitivæ pro hoc statu consideratæ correspondent species intelligibiles, quæ partim sunt separatæ a materia, et partim cum illa conjunctæ. Tum quia eodem modo inhærent in intellectu et in anima, quo ipse intellectus in eadem anima pro hoc statu recipitur. Unde sicut intellectus partim est in materia, et partim non est in illa, ut jam explicuimus, ita etiam species. Tum etiam, quia licet species secundum suam entitatem sint spirituales, nihilominus dependent a materia, nimirum a phantasmatibus, et phantasia in *fieri*, et in *operari*, et ita quodammodo habent ex hoc capite aliquid materialitatis.

Tertius est illarum rerum, quæ habent *esse* omnino separatum a materia, quamvis non a potentialitate, quia non sunt actus puri, sed in eis potentialitas ad *esse*, et *operari* reperitur. Et huic objecto correspondet potentia cognoscitiva separata omnino a materia physica, quamvis non a potentialitate, qualis est intellectus Angelicus, et similiter species intelligibiles eodem modo a materia, non vero a potentialitate separatæ.

158 Quartus tandem, et ultimus est illius entis, quod est actus purus, separatus non solum ab omni materia physica, sed etiam ab omni potentialitate, ac proinde non est in potentia ad *esse*, sed per modum, purissimi actus est suum *esse*, qualis est solus Deus. Et huic objecto correspondet virtus intellectualis separata etiam, tam ab omni materia, quam ab omni potentialitate, ita, ut sit suum esse, et similiter species ab utroque separata, atque adeo quæ sit actus purus, sitque suum *esse*, quales sunt solus intellectus divinus, et essentia divina, ut

habet rationem speciei intelligibilis, quia nulla creatura potest habere tantam puritatem, ut sit suum *esse*, et ideo necessario debet habere potentiam ad *esse*.

Ad instantiam.

Ex quo etiam constat, nihil obstare instantiam illam, quam pro se adducit solutio adversariorum, scilicet species intentionales in nobis esse accidentia, et nihilominus posse repræsentare substantiam : unde etiam species impressa Dei poterit repræsentare Deum, qui est suum *esse*, licet ipsa non sit suum *esse*. Nam, ut ex dictis patet, est dispar ratio, quandoquidem species, quæ in nobis repræsentant substantiam, possunt esse ejusdem immaterialitatis cum substantia repræsentata, licet multoties non possint esse ejusdem perfectionis in esse rei cum illa. Cæterum nulla forma potest convenire in gradu immaterialitatis, et actualitatis cum Deo, sed necessario debet ab ipso in tali gradu excedi, et ita nequit Deum quidditative, et connaturaliter repræsentare. Unde licet in aliis speciebus intelligibilibus non sit necessarium, ut hæc duo in unum coincidant, scilicet esse ejusdem immaterialitatis cum suo objecto, et esse ejusdem perfectionis in esse rei cum illo ; secus tamen in specie repræsentante divinam essentiam, prout est in se : quia tanta immaterialitas, scilicet per modum actus purissimi, jam explicata, non potest inveniri, nisi in ente increato, et per essentiam, quod sit summe, et infinite perfectum.

DUBIUM VII.

Quæ specialiter obstent contra secundam rationem D. Thomæ, et quomodo solvenda?

159 Ut ratio hæc D. Thom. magis elucidata maneat, et distinctius, ac clarius procedamus, placuit sigillatim in hoc dub. aliquas objectiones contra principium illud de convenientia in gradu immaterialitatis, in quo innititur, adducere, et earum solutiones adhibere.

§ I.

Proponuntur objectiones.

Prima objectio.

Prima ergo objectio, quæ contra dicta in præcedenti dub. urget, est, quod Angelus inferior cognoscit connaturaliter, et quidditative Angelum superiorem : et nihilominus ejus virtus cognoscitiva, et species intelligibilis, quam de illo habet, exceditur ab Angelo superiori in immaterialitate : ergo falsum est, quod ad cognitionem quidditativam, et connaturalem requiratur objectum non excedere in immaterialitate virtutem cognoscitivam, et speciem intelligibilem repræsentantem prædictum objectum. Major communiter admittitur a Theologis. Minor vero probatur. Nam sicut essentia Angeli inferioris exceditur in immaterialitate ab essentia Angeli superioris, quoniam ratione hujus excessus distinguuntur specie; ita virtus intellectiva, et species intelligibilis, quæ sunt in Angelo inferiori, superantur in immaterialitate ab eodem Angelo superiori, quia virtus intellectiva, et species intelligibilis Angeli inferioris sunt ejusdem immaterialitatis cum essentia illius.

Solutio.

Nec refert, si dixeris, satis esse, quod Angelus superior, et inferior conveniant in tertio illo communi, et generico immaterialitatis gradu jam dicto, quamvis intra illud per suas differentias atomas se in immaterialitate excedant.

Impugnatur.

Nam contra hoc est, quod si sufficit convenientia communis, et generica in immaterialitate, ad hoc, ut Angelus inferior non obstante prædicto excessu immaterialitatis possit quidditative intelligere Angelum superiorem, a quo exceditur, non est cur convenientia communis, et analoga in immaterialitate inter speciem creatam, et inter Deum, non sufficiat, ad hoc, ut species ista repræsentet ipsum quidditative, et prout est in se : maxime, quia lumen gloriæ solum convenit cum Deo in immaterialitate analogice, et nihilominus hæc convenientia satis est, ad hoc, ut possit in illum quidditative, et prout est in se, tendere.

Secunda.

160 Secundo principaliter (per quod etiam præcedens solutio impugnatur) objicies, gratis affirmari gradum immaterialitatis sufficientem, et requisitum, ad hoc, ut Angelus feratur connaturaliter, et prout est in se aliquod objectum, esse dumtaxat convenientiam illam genericam, quam omnes Angeli inter se retinent, nimirum, quod omnes illi sint separati a materia physica, licet non a potentialitate, quandoquidem non videtur posse reddi sufficientem rationem, quare requiratur hæc tantum immaterialitas, et non major, aut minor.

Tertia.

161 Tertio objicies. Quoniam, si quæ convenientia in gradu immaterialitatis requiritur inter intellectum Angelicum, et ejus

ejus objectum, potius videtur debere esse convenientiam omnimodam, et atomam, quam solam illam convenientiam, generi-cam assignatam; maxime si attendatur ad ea, quæ ad elucidandam rationem D. Thom. num. 149. adduximus : Nam species Angeli superioris in *esse* intelligibili, et formalis-sime sumpta, est ejusdem naturæ, atque adeo ejusdem prorsus immaterialitatis cum eo-dem Angelo, quem repræsentat, ut ex dictis dubio præcedenti constat : ergo, ut sit con-naturaliter in aliquo intellectu, et per con-sequens possit illi deservire ad cognitionem quidditativam ejusdem Angeli, prout est in se, oportet, ut immaterialitas per se, et indispensabiliter requisita in intellectu, ad hoc, ut illam connaturaliter recipiat, sit tanta, quanta in *esse* intelligibili reperitur in prædicta specie : alioqui, ut nuper dice-bamus, esset supra naturam prædicti in-tellectus recipere illam, ut habet tantam immaterialitatem in *esse* intelligibili : quan-doquidem forma, quæ in aliquo ordine petit indispensabiliter, et de formali tantam, vel tantam immaterialitatem, necesse est, ut id, quod per illam connaturaliter actua-tur, debeat esse ita immateriale, sicut illa in prædicto ordine.

onfirm. primo.

162 Confirmatur primo. Quia ex eo, quod prædicta species repræsentans Ange-lum superiorem, non est in *esse* entitativo, et naturali tantæ immaterialitatis, quantæ ipse Angelus superior in eodem *esse* enti-tativo, bene tamen quantæ Angelus infe-rior, in quo est, propterea secundum hoc *esse* nequit recipi connaturaliter in illo, secus tamen in isto : et similiter quia spe-cies repræsentans Angelum inferiorem, et in intellectu superioris existens, est in *esse* entitativo majoris immaterialitatis, quam Angelus inferior, propterea, quoad hunc excessum nequit secundum prædic-tum *esse* recipi connaturaliter in intellectu ejusdem Angeli inferioris : ergo potiori ratione hoc ipso, quod in *esse* intelligibili sit immaterialior secundum suam speciem atomam, quam Angelus inferior, nequit (si ratio a nobis supra facta aliquid convincit) secundum eam esse in ordine intelligibili connaturaliter in ejus intellectu : et per consequens, nec poterit idem Angelus in-ferior connaturaliter cognoscere superio-rem, quoad illud, in quo exceditur ab eo in immaterialitate.

Confir-matur secundo.

Confirmatur secundo. Quoniam in sensibus cognoscitivis non sufficit convenientia illa in gradu immaterialitatis univoca, et ge-nerica, quam ex D. Thom. assignavimus, sed requiritur convenientia atoma, et om-nimoda inter potentiam sensitivam, et objectum sensibile : ergo eadem ratione non sufficiet in Angelis convenientia illa generica jam dicta in sua immaterialitate. Consequentia videtur aperta ex paritate rationis. Antecedens autem probatur. Quo-niam alias quivis sensus posset percipere idem objectum, quod alius percipit, licet sit immaterialior, quam ille : et species audibiles, quæ connaturaliter sunt in auditu, possent connaturaliter esse in gustu, vel in visu, et sic de aliis speciebus aliorum sensuum collatis cum cæteris potentiis sensitivis : sicut propter hanc rationem asserimus, quemlibet Angelum posse quid-ditative cognoscere idem objectum, quod alius quidditative attingit, et species, quæ in *esse* intelligibili resident in intellectu unius, esse in eodem ordine connaturaliter in intellectu alterius.

Quarta.

163 Quarto objicies, quod anima sepa-rata potest cognoscere quidditative Angelos, et tamen non convenit cum eis in gradu immaterialitatis : ergo, etc. Major proba-tur. Quoniam sicut dum est in corpore, potest quidditative cognoscere res corpo-reas, et materiam involventes; ita dum est separata a corpore, et materia, poterit quid-ditative attingere res a corpore, et materia separatas, quales sunt substantiæ Angelicæ. Minor autem constat. Quia gradus imma-terialitatis conveniens Angelis est separatio omnimoda a materia physica, id est, tam ab hoc, quod est includere intrinsece illam, sicut quidditates substantiarum materia-lium, et completarum illam includunt, quam ab ordine ad illam : at gradus imma-terialitatis conveniens animæ separatæ non est separatio omnimoda ab omni materia physica : siquidem licet non includat eam, ut partem sui, neque dependeat actu ab ea, quoad suam entitatem, neque quoad modum aliquem, attamen non est separata ab ordine ad illam, ex eo, quod semper remanet forma corporis potens materiam informare.

Ultima objectio.

164 Ultimo objicies, quod *esse* entitati-vum de materiali, et per accidens importa-tur ab specie intelligibili sumpta formalis-sime in ratione speciei : ergo ex hoc, quod habeat rationem speciei : respectu alicujus objecti, non sequitur debere necessario convenire cum eo in gradu immaterialita-tis in *esse* entitativo. Consequentia videtur certa. Quoniam ea, quæ per accidens con-

veniunt, non debent necessario convenire. Antecedens autem probatur. Nam sicut per accidens, et de materiali importat, quod sit substantia, vel accidens in *esse* entitativo, et propterea eademmet aliquando est accidens, aliquando vero est substantia in hoc *esse*, ut dubio 3. dicebamus, ita etiam per accidens, et de materiali debet importare prædictum *esse*. Patet consequentia. Quia quoties per accidens, et de materiali importantur differentiæ per se contractivæ alicujus rationis contrahibilis, per accidens, etiam importatur ipsa ratio contrahibilis.

§ II.

Solvitur prima objectio.

Approbatur solutio primæ objectionis § præcedenti tradita.

165 Ad primam ex his objectionibus respondetur, optimam esse solutionem in hac objectione traditam, si recte explicetur. Dicimus ergo, quod species residens in intellectu Angeli inferioris convenit cum eodem Angelo superiori in gradu immaterialitatis jam explicato, scilicet in hoc, quod est esse separatum ab omni materia physica, quamvis non a potentialitate : et ita licet excedatur ab Angelo superiori, nihilominus excessus non est in immaterialitate per se, et formaliter requisita ad rationem speciei in esse speciei formalissime consideratæ, sed in immaterialitate importata de materiali ab eadem specie, et conveniens ei in esse rei formaliter consideratæ. Quia ad immaterialitatem per se requisitam ad speciem Angelicam quidditative repræsentantem prædictum objectum, solum desideratur formaliter, quod attingat gradum immaterialitatis jam explicatum, quamvis talis species non pertinget ad hunc gradum proportionate ad virtutem intellectivam Angeli inferioris, tam in esse virtutis intellectivæ formaliter sumptæ, quam in esse rei consideratæ, nisi de materiali, et in esse rei habeat tantam vel tantam immaterialitatem proportionatam ad immaterialitatem in esse rei virtutis intellectivæ ejusdem Angeli inferioris, quæ sit minor, quam immaterialitas de materiali importata ab essentia, et virtute intellectiva Angeli superioris.

Explicatur solutio.

166 Explicatur magis hoc ipsum. Etenim Angelus infimus non habet virtutem cognoscitivam adeo limitatam, ut non possit connaturaliter, et quidditative cognoscere aliquem alium Angelum, ut ex se, et communi Theologorum sententia constat : cumque non possit non excedi in aliqua immaterialitate ab omnibus aliis Angelis, quandoquidem Angeli distinguuntur inter se penes majorem, vel minorem immaterialitatem, quam secundum rationem specificam unusquisque affert, consequens est, ut convenientia in gradu immaterialitatis cum alio Angelo, quam ostendimus debere importari ab illo, ad hoc, ut quidditative, et connaturaliter possit illum ex se cognoscere, tantum dicat formaliter, convenientiam in illo gradu immaterialitatis jam explicatam, ac proinde, quod hic excessus in Angelo superiori, et defectus in inferiori importetur de materiali ab eisdem Angelis.

Ex quo etiam fit. Tum, quod licet gradus iste in esse entis sit tantum genericus, et ulterius contrahibilis per diversos modos, seu rationes differentiales immaterialitatis constituentes diversas species Angelorum, attamen formaliter consideratus, ut constituit specialem gradum distinctum a tribus aliis jam enumeratis, non est ulterius contrahibilis per ulteriores differentias formales, sed tantum materiales : et ita formaliter sumptus constituit quandam speciem atomam peculiaris gradus distincti a cæteris aliis jam enumeratis. Tum etiam, quod hoc, quod est Angelos posse se adinvicem quidditative cognoscere secundum id præcise, quod de formali quidditativa eorum adinvicem cognitio petit, non convenit eis ex specialibus, et atomis rationibus suis, ratione quarum se excedunt in immaterialitate, sed ob generalem illam rationem immaterialitatis jam dictam, quæ in esse rei est generica, et in esse gradus est atoma.

Ad impugnationem contra solutionem datam.

167 Neque contra solutionem hanc sic explicatam, vim habet impugnatio in objectione adducta. Quia convenientia analoga in immaterialitate intrinsece, et actualiter includit convenientiam cum diversitate, et excessu : et ita non est satis ad hoc, ut cognitum habens convenientiam cum excessu cum cognoscente, sit connaturaliter in illo. Nam, ut dicebamus, ad hoc, ut cognitum sit connaturaliter in cognoscente, requiritur, ut secundum id, quod per se, et formaliter desideratur ad hoc, ut sit in illo, non dicat actu modum essendi præstantiorem, ut explicatum est.

Additur primo.

168 Accedit primo, quod cum Deus, prout est in se sit primum, et supremum intelligibile, a quo omne aliud intelligibile exemplatur, ipse tamen a nullo alio, non potest non constituere specialem gradum intelligibilitatis

intelligibilitatis sibi solummodo convenientem. Quare sicut substantia pure spiritualis, qualis est Angelica, non potest convenire in gradu immaterialitatis cum virtute aliqua cognoscitiva, aut specie intelligibili creata, quantum satis est ad hoc, ut quidditative, et prout est in se ipsa cognoscatur, nisi talis potentia, talisque species habeat illam immaterialitatem, quæ est propria gradus intelligibilitatis Angelicæ, ut ab aliis distinctæ, quæque consistit in hoc, quod sit separata omnino ab omni materia physica, non tamen a conditionibus materiæ, scilicet a potentialitate, ita nec aliqua potentia, aut species poterit habere convenientiam in immaterialitate sufficientem ad hoc, ut potentia verbi gratia, per modum virtutis simplicis, et totalis cognoscat Deum clare, et quidditative, nisi habeat propriam immaterialitatem supremi gradus, scilicet gradus intelligibilitatis Dei, ut ab aliis distincti : cumque talis gradus, ut ab aliis distinguitur, dicat tantam immaterialitatem, ut cognitum sit suum *esse*, non poterit potentia cognoscitiva per modum potentiæ simplicis, et totalis (de qua sola nunc loquimur) aut species intelligibilis attingere illum quidditative, et clare, nisi habeat prædictam immaterialitatem, atque adeo nisi omnimode, et non solum analogice cum Deo in immaterialitate prædicti gradus conveniat.

ndo. 169 Accedit secundo, hoc esse proprium creaturæ, et essentiæ, quæ est ab alio, quod hoc ipso, quod non excludat, sed potius admittat potentialitatem, potest pati multiplicitatem diversorum modorum essendi, quorum unus sit perfectior, et immaterialior, quam alter : et ita quidditas creata supremi Angeli potest esse sub modo essendi sibi connaturali in esse rei, et sub modo essendi intentionali, et minoris immaterialitatis (modo tamen supra explicato) in intellectu, et specie intentionali Angeli inferioris : et ideo ad cognitionem, et repræsentationem illius solum desideratur per se, et formaliter convenientia in gradu immaterialitatis jam exposito.

Cæterum essentia, quæ est a se, qualis est sola divina, indivisibilem petit gradum infinitæ naturæ, immaterialitatis, nec ullo pacto sub modo essendi inferiori esse potest. Nam ubicumque hoc, quod est esse a se realiter reperiatur, ibidem infinitas necessario invenietur. Unde cum species impressa, et quidditativa Dei debeat continere omnia essentialia ipsius Dei in aliquo *esse* reali, et immateriali, scilicet in *esse* repræsentativo, sive intelligibili, non poterit non ibidem habere infinitatem in ratione immaterialitatis, et consequenter esse actus purus.

Ad instantiam de lumine gloriæ.

170 Ad illud autem, quod de lumine gloriæ in eadem objectione additur, patet ex supradictis dub. 5. num. 149. Quibus etiam doctrina quædam notatu digna, ex D. Thoma sumpta, addi potest, scilicet prædictum lumen non habere omnimodam connaturalitatem cum visione clara, et quidditativa Dei. Nam, ut docet Divus Thom. 3. part. quæst. 9. art. 4. visio beata ipsi soli Deo est omnino connaturalis : quoniam ad omnimodam connaturalitatem principii non sufficit, ut operatio ei, utcumque debeatur, vel quod utcumque in illam influat, sed requiritur, ut procedat ab eo juxta exigentiam naturæ, cujus est talis operatio. Natura autem intellectiva petit ad hoc, ut intellectio sit juxta omnimodam exigentiam ejus, ut procedat ex duplici principio, quorum quodlibet sit simplex in suo ordine, et alterum teneat se ex parte ipsius naturæ, videlicet intellectus; alterum vero ex parte objecti, nimirum species impressa : imo ad prædictam connaturalitatem desideratur, ut intellectus sit propria passio naturæ intellectivæ per illam intelligentis, vel ad eandem intrinsece, et essentialiter pertineat.

Quare cum lumen gloriæ non se habeat per modum principii integri simplicis, et totalis, sed per modum solius elevationis potentiæ, et quantitatis virtutis ejusdem, consequens est, ut non sit principium omnino, et perfecte connaturale visionis, nec visio omnino connaturaliter ab eo eliciatur, aut Deum ipsum modo dicto attingat : ac proinde tale lumen non petet, ut sit ejusdem immaterialitatis, et puritatis cum objecto, quippe cum hoc solius principii omnino, et perfecte connaturalis sit proprium; secus vero species intelligibilis, quippe quæ per modum principii simplicis, et totalis in suo ordine concurrit.

Interrogatio.

171 Si autem inquiras, cur sicuti datur elevatio potentiæ, scilicet prædictum lumen, quod una cum potentia, licet non omnino connaturaliter, attingat Deum sicuti est in se, non dabitur etiam elevatio speciei, quæ una cum specie, et sine omnimoda connaturalitate repræsentet Deum sicuti est, quæque non petat tantam immaterialitatem sicuti Deus ipse?

Responsio.

Respondetur, esse disparem rationem.

Nam de ratione quidditativæ visionis, et tendentis ad rem prout est in se, est, quod fiat per speciem quidditative repræsentantem illam, ut supra in annotationibus, circa primum art. hujus quæst. diximus. At species intelligibilis nequit quidditative repræsentare, et habere hoc ex elevatione, sed solum per modum principii simplicis, et totalis, quia hoc ipso, quod quidditative suum objectum repræsentet, est (ut probavimus) ejusdem naturæ cum illo, hoc autem ipso, quod sit ejusdem naturæ cum illo, non eget elevatione, sed se ipsa, et ex propriis meritis illud quidditative repræsentat. Adde, quod species quidditative repræsentans objectum, et quidquid ad illam essentialiter desideratur, tenet se ex parte objecti, et ideo debet commensurari cum illo. Unde sicut implicat dari, speciem, quæ per modum speciei simplicis, et totalis repræsentet Deum, ut est in se, quia nequit commensurari cum illo in immaterialitate, ita ob eandem rationem implicabit dari speciem elevatam ejusdem prout est in se, secus vero lumen elevans, quod tenet se ex parte potentiæ.

§ III.

Diluuntur secunda, et tertia objectio.

Ad secundam.

172 Ad secundam objectionem respondetur negando antecedens. Ad cujus probationem negari etiam debet antecedens. Nam hoc ipso, quod quilibet Angelus cognoscat quidditative alium, redditur sufficiens ratio, propter quam convenientia in gradu immaterialitatis, quam tertio gradui assignavimus, debet esse tanta, quanta a Divo Thom. assignata est, non major, vel minor, ut ex dictis num. 166. constat. Sed de his iterum redibit sermo in tract. de Angelis, ubi pluribus ostendemus, quemlibet Angelum cognoscere alium quidditative; pro nunc autem satis erit leviter tangere rationem illam, quam tradit Aristoteles 3. de Anima, nempe, quod sicut est proprium intellectus, quod possit fieri utcumque omnia naturaliter cognoscibilia, ita est proprium intellectus perfecti, et radicati in natura totali, et perfecta, qualis est intellectus Angelicus, quod possit fieri perfecte in *esse* intelligibili omnia, quæ sunt naturaliter cognoscibilia : et similiter est proprium intellectus imperfecti, et infimum gradum in ratione intellectus habentis ac proinde radicati in substantia partiali, et incompleta, quod possit utcumque fieri omnia, nimirum imperfecte; cumque ad hoc, ut aliquis intellectus possit fieri perfecte omnia, quæ naturaliter sunt intelligibilia, requiratur, ut possit habere species perfecte, seu (quod in idem redit) quidditative illa repræsentantes, et ad species quidditative repræsentantes subsequatur cognitio quidditativa, inde est, ut quilibet Angelus habens intellectum perfectum possit quidditative cognoscere quodlibet ens naturaliter intelligibile, atque adeo quilibet Angelus possit alium quidditative attingere.

Ad tertiam.

173 Ad tertiam objectionem negandum est antecedens. Et ad probationem concesso antecedenti, distinguendum est consequens : *Sit tanta, quanta in esse intelligibili reperitur in prædicta specie*, quoad rationem formalem *quæ* ex parte ejus se tenentem, et eidem intrinsecam, aut quoad rationem, *sub qua*, inspicitur ab intellectu, et secundum quam actuat eum, concedenda est consequentia : quoad rationes de materiali inspectas et ibidem involutas, ac specialem immaterialitatis gradum non constituentes, neganda est. Et ad probationem neganda est consequentia, sive sequela. Nec probatio illius obest : quia tantum probat, formam immaterialem, et suum susceptivum, seu actuabile, debere esse ejusdem immaterialitatis, quoad rationem illam immaterialitatis, secundum quam per se primo se inspiciunt, et ratione cujus forma actuat illud.

Explicatur solutio

174 Explicatur hoc. Etenim licet ad hoc, ut Angelus inferior possit cognoscere quidditative superiorem, requiratur, quod habeat speciem pertingentem usque ad repræsentandum eum, quoad propriam ejus atomam naturam, atque adeo, quoad id, in quo excedit in immaterialitate Angelum inferiorem ; attamen intellectus Angelicus, quicumque ille sit, non respicit per se, et formaliter Angelum superiorem, quia superior est, ita, ut hæc sit ratio formalis, *quæ* ex parte objecti se tenens, aut ratio *sub qua* respicitur, aut intelligitur : neque etiam respicit speciem repræsentativam illius, qua ratione est repræsentativa ejus quoad prædictum excessum, taliter, ut hæc sit eodem modo ratio formalis *quæ*, aut *sub qua* est receptibilis, sed respicit, et intelligit eundem Angelum superiorem ob generalem rationem substantiæ depuratæ omnino a materia physica, licet non a potentialitate :

tate : et actuatur per illam speciem ob generalem rationem speciei repræsentantis per se primo eandem substantiam, secundum istam rationem consideratam. Quia objectum adæquatum intensivum per se primum, et formale intellectus Angelici est substantia Angelica, seu substantia depurata ab omni materia physica, non vero a potentialite ; objectum vero inadæquatum formale illius est hæc, vel illa substantia Angelica, ut participat hanc rationem, in qua omnes illæ conveniunt; objectum vero materiale, et proximum est hæc, vel illa substantia Angelica, quatenus se excedunt, et discriminantur in peculiari immaterialitate, quam in *esse* entitativo unaquæquæ affert, atque adeo species intelligibiles repræsentantes substantias quoad excessum, quem in *esse* entitativo in immaterialitate dicunt, tantum repræsentant objectum materiale ejusdem intellectus, et eo ipso solum tamquam quid materiale inspiciuntur secundum istam rationem, et secundum eandem solum habent actuare intellectum, tamquam per quid de materiali importatum.

Quare, cum ad hoc, ut aliqua forma immaterialis actuet connaturaliter, sufficiat, quod sit ejusdem immaterialitatis cum suo susceptivo, et e contra susceptivum cum illa, quoad id, secundum quod formaliter se adinvicem respiciunt in ordine ad illam actuationem, quia rationes de materiali receptæ, et non constituentes specialem immaterialitatis gradum (ut in præsenti contingit) non aliter inspiciuntur, nec recipiuntur, nec possunt esse connaturales, aut non connaturales, nisi quatenus stant sub ratione per se formaliter inspecta : inde est, ut species repræsentans Angelum superiorem, quoad suam rationem atomam, ac excedentem, et residens in intellectu Angeli inferioris recipiatur connaturaliter in eo : quia, quoad illum excessum solum recipitur, ut quid de materiali receptum, et quoad id, secundum quod de formali inspicitur, et recipitur, est ejusdem immaterialitatis cum Angelo inferiori, et Angelus inferior cum illa, ut explicatum est.

Elucidatur amplius.

175 Potestque hoc amplius elucidari ex eo, quod sicut est supra naturam subjecti, atque, adeo non connaturale illi, recipere formam excedentem illud in immaterialitate, quando immaterialitas (ut in præsenti contingit) est ratio recipiendi illam, ita est supra naturam formæ immaterialis, ac per consequens non connaturale ipsi, recipi in subjecto immaterialiori, quando immaterialitas est in ipsa forma ratio actuandi, et ratio similiter recipiendi ipsi subjecto, ut ex paritate rationis constare videtur. Quare sicut hoc non obstante species repræsentans Angelum inferiorem, et residens in intellectu superioris, quæ est minoris immaterialitatis in *esse* intelligibili, quam Angelus superior, et ejus intellectus in *esse* entitativo, recipitur connaturaliter in intellectu ipsius, nec hæc actuatio est supra naturam speciei, quia ratio formalis actuandi est ejusdem immaterialitatis cum intellectu Angeli superioris, ut consideratur in ratione subjecti, seu actuabilis formaliter sumpti, ex eo, quod de formali tantum se inspiciunt, ut illa, nimirum species, est repræsentativa substantiæ depuratæ omnino a materia physica, licet non a potentialitate : et ut hic, nempe intellectus, est similiter eodem modo depuratus, et ille excessus intellectus de materiali se habet in ratione subjecti, seu actuabilis formaliter sumpti, et hic defectus in specie intelligibili de materiali etiam se habet in eadem specie.

Ita e converso, licet species, quoad illud *esse* intelligibile, quod de materiali importat, sit immaterialior intellectu inferioris Angeli, quoad illud *esse*, quod in ratione actuabilis formaliter sumpti de materiali dicit, nihilominus poterit connaturaliter recipi in illo. Quia, quoad formalia in esse rei actuabilis, et actuantis conveniunt in eodem immaterialitatis gradu, et illud formale est talis conditionis, ut hoc ipso, quod in esse rei sit quid genericum, petat, quod sub illo contineantur plura, quæ secundum id, quod de materiali important, distinguantur specie, atque adeo comparentur per modum excedentis, et excessi, quamvis secundum id, quod de formali dicunt, tantum considerentur ut conveniunt in illa ratione, ex eo, quod ratio illa in esse gradus, et formalissime sumpta, non est ulterius divisibilis per differentias atomas formaliter diversas, ut dictum est.

Ad primam confirm.

176 Ex quo ad primam confirmationem facilis est solutio. Quonian *esse* entitativum, et immateriale in *esse* rei consideratum, quod reperitur in substantiis Angelicis, per se dividitur tamquam per differentias formales, et intra eandem lineam per distinctas immaterialitates specie diversas, quæ eisdem Angelis in *esse* entitativo, et in *esse* rei conveniunt : et ideo in specie intelligibili residente in intellectu Angeli superio-

ris, quoad *esse* entitativum formaliter sumptum considerata, non est quid materiale intra lineam *esse* entitativi, quod habeat illam immaterialitatem entitativam excedentem immaterialitatem, quam habet in eodem ordine intellectus Angeli inferioris. Unde sicut intellectus prædicti Angeli inferioris, ut ad hanc lineam præcise spectat, dicit de formali in ratione subjecti suam immaterialitatem in *esse* entitativo, ut in eodem ordine differt specie ab omni alia immaterialitate entitativa, sic non respicit saltim connaturaliter speciem intelligibilem in *esse* entitativo sumptam, nisi ut habet tantam immaterialitatem in *esse* entitativo, quantam ipse, et non majorem, nec minorem : et propterea, ratio, *sub qua* recipiendi non est puritas ab omni materia physica, licet non a potentialitate in communi sumpta, sed hæc eadem puritas, ut contracta ad hanc determinatam speciem immaterialitatis, quæ correspondet immaterialitati ejusdem Angeli inferioris, ut distinctæ ab immaterialitate aliorum Angelorum : et ita species residens in intellectu Angeli superioris nequit, quoad suum *esse* entitativum connaturaliter recipi in intellectu inferioris, sed oportet, ut ibidem habeat aliquod *esse* entitativum non ita immateriale, sed commensuratum, quoad immaterialitatem cum eodem intellectu Angeli inferioris.

Cæterum idem *esse* immateriale, quod reperitur in prædictis Angelis, ut ad ordinem intelligibilem modo dicto spectat, de materiali dividitur penes hunc excessum in immaterialitate specie diversum, ut dictum est : et ideo in specie intelligibili, est quid materiale illud *esse* intelligibile secundum quod repræsentat hunc excessum, licet non possit deservire ad cognitionem Angeli, quoad prædictum excessum, nisi afferat hoc materiale : et similiter in intellectu Angelico in esse potentiæ cognoscitivæ formaliter sumptæ, et secundum quod correspondet huic speciei intelligibili secundum id, quod de formali affert, est etiam materiale, quod afferat distinctam specie immaterialitatem in *esse* entitativo; formale autem, quod sit potentia depurata omnino a materia physica, licet non a potentialitate. Et propterea ratio *sub qua* recipiendi est hæc puritas, et ob hanc rationem connaturaliter recipit eandam speciem, quamvis quoad illud *esse* intelligibile de materiali importatum sit superexcedens. Et horum omnium ratio est illa, quam sæpe diximus, scilicet, quod gradus ille abstractionis omnimodæ a materia physica, non vero a potentialitate constituit speciem atomam gradus in *esse* gradus, et propterea non est ulterius per differentias formales divisibilis.

177 Ex quo etiam fit, non esse alicujus roboris objectio illa, quæ alios non parum urget, nimirum speciem intelligibilem repræsentantem Angelum superiorem constitui in sua specificatione, et ratione formalissima per hoc, quod repræsentet illum quoad suam naturam, atque adeo, quoad excessum, quo excedit Angelum inferiorem : ergo non potest esse in ea quid materiale in ordine intelligibili, quod repræsentet prædictum Angelum, quoad hanc rationem. Patet consequentia quia id, quod est formalissimum, et specificatio rei, non potest ab illa de materiali importari, ut ex terminis ipsis constare videtur. Objecti

Ex dictis igitur constat, objectionem hanc esse nullius roboris. Quoniam aliud est id, quod habet illa species in esse entis, sive spectantis ad ordinem entitativum, sive ad ordinem intelligibilem in esse tamen entis consideratum; aliud vero, quod habet in ratione formæ receptibilis, seu quasi receptibilis, quoad rationem, *sub qua*, jam explicatam recipitur, et per se primo formaliter inspicitur ab intellectu in esse potentiæ cognoscitivæ formaliter considerato. Licet ergo illa repræsentatio sit ei formalis in esse entis jam dicti, non tamen in esse formæ susceptibilis, seu unibilis, et consideratæ, quoad rationem, *sub qua* suscipitur, seu unitur, sive quoad rationem formalem, *quæ* ex parte ejus, se tenentem, secundum quam habet de formali uniri : sicut etiam licet ipsi Angelo superiori sit formale quid, sua essentia, sive in *esse* entitativo, sive in *esse* intelligibili sumatur, non tamen in ratione objecti formalis intellectus Angelici, aut intellectionis, qua intelligitur quoad id, quod de formali dicit, ut per se primo inspicitur ab eodem intellectu, sed totum hoc est materiale. Et ita licet Angelus ille per impossibile maneret, quoad hoc, quod est esse substantiam depuratam ab omni materia physica, non tamen a potentialitate; et nihilominus amitteret suam rationem atomam, et ejus loco tribueretur ei alia ratio atoma, tunc, quoad formalem in esse objecti maneret ejusdem rationis. Diluitu

Quare, cum eodem modo sit philosophandum in specie intelligibili alicujus objecti, ac de ipso objecto, ut spectat ad ordinem intelligibilem,

intelligibilem, sive iste ordo in esse entis, sive in esse objecti per se formaliter inspecti consideretur, quia id, quod habet res intellecta, ut *quod*, habet species intelligibilis, ut *quo*, fit inde, ut id, quod de ipsa substantia Angeli superius diximus, debeat etiam ad ejus speciem intelligibilem cum proportione applicari : et ita distinguenda sit in se ipsam in esse entis entitativi, et in ipsammet in esse entis intelligibilis, ut diversis contractionibus contrahit ens sub conceptu entis, semel quidem sub conceptu entis entitativi, semel autem sub conceptu entis intelligibilis, ut dicit peculiarem rationem entis sub conceptu entis sumptam, ac tandem in se ipsam, ut est forma unibilis intellectui, quoad rationem formalem ex parte ejus se tenentem, ratione cujus unitur, et respicitur, seu in esse objecti motivi, quoad formale, ratione cujus movet, ac proinde, prout contrahit ens non sub conceptu entis, sed sub conceptu objecti, et rei per se formaliter ab alio inspectæ.

Ad ecundam nfirm.

178 Ad secundam confirmationem negandum est antecedens, si de immaterialitate per se, et formali, formaliterque requisita intelligatur, et neganda est conseq. eodem modo intellecta. Ad probationem vero antecedentis neganda est consequentia, sive sequela. Quoniam licet, ad hoc, ut potentia feratur in aliquam rem, requiratur convenientia in gradu immaterialitatis; non tamen hoc sufficit, sed requiritur, ut res illa habeat rationem formalem objectivam illius potentiæ, ac proinde, quod in esse objecti pertineat ad lineam objecti talis potentiæ : et ideo licet intellectus, et voluntas, v. gr. hominis conveniant in eodem gradu immaterialitatis, atque adeo harum potentiarum objecta connaturalia spectent etiam ad eundem immaterialitatis gradum, nihilominus, neque intellectus potest ferri in objectum voluntatis, ut tale, nec voluntas in objectum intellectus, ut habet rationem talis, quia objectum voluntatis, ut tale, non dicit rationem objectivam propriam objecti intellectus : et e converso.

Unde licet objectum visus, et auditus, necnon et duo isti sensus conveniant in eodem immaterialitatis gradu de formali importato, quia tamen objectum visus non habet rationem objectivam per se, et formaliter spectantem ad lineam objecti auditus, nam ad hoc requirebatur ratione materiæ, de qua loquimur, et coarctationis, et limitationis harum potentiarum, ut convenirent in gradu immaterialitatis de materiali importato : propterea auditus non potest percipere objectum visus, et e contra. Per quod, etiam ad instantiam ibidem adductam constat. Nam omnes Angeli habent eundem immaterialitatis gradum de formali importatum, et omnes illi habent rationem objectivam pertinentem ad lineam objecti intellectus Angelici : quia intellectus Angelicus ratione suæ perfectionis, et puritatis a materia, ac proinde ratione suæ majoris illimitationis, et amplitudinis non potest esse coarctatus ad intelligendum quidditative suam substantiam, et ea, quæ infra illam sunt; sed debet etiam extendi ad cognoscendum quidditative cæteros Angelos.

Interrogatio.

179 Si autem inquiras, quare omnibus sensibus assignamus hunc gradum immaterialitatis, in quo omnes conveniunt, et non majorem, vel minorem, sicut id de Angelis, quoad suum immaterialitatis gradum inquisitum est?

Respond.

Respondetur rationem esse, quia omnes sensus oriuntur ab anima sensitiva, quia sensitiva est, modo tamen, a nostris Complaten. in lib. de Anima explicato : et ideo sensus isti, juxta valde probabilem sententiam, in bruto, et in homine non differunt specie formaliter, sed tantum materialiter, ratione alicujus modificationis, et majoris perfectionis modalis, quam accipiunt ab eadem anima sensitiva, ut est talis in specie atoma.

Colligitur ratio dictorum.

Ex quo etiam potest colligi probabilis ratio (ut id etiam obiter dicamus) propter quam quivis Angelus potest quidditative alium cognoscere ; et quare gradus immaterialitatis de formali importatus, sit ille, quem ex D. Thom. retulimus, et non alius major, aut minor. Quoniam probabile est in via D. Thom. intellectum Angelicum non oriri ab Angelis, quia sunt tales in specie atoma, sed ob generalem rationem substantiæ Angelicæ, sive substantiæ omnino depuratæ a materia physica, seu a materia prima, licet non a potentialitate : et ita omnes intellectus Angelici sunt ejusdem speciei formaliter, solumque differunt specie materiali, et modali, quatenus a natura atoma cujusvis Angeli accipiunt majorem quandam perfectionem modalem, ratione cujus perfectius perfectione prædicta possunt intelligere : ut in simili de potentiis sensitivis, v. g. de visu in diversis animalibus existente dicebamus. Et ratio est. Quia ad

distinctionem specificam, et formalem intellectus, ut collati cum suo objecto, requiritur diversitas in gradu immaterialitatis de formali importato : sicut ad hoc, quod in esse proprietatis, et de materiali, ratione hujus modificationis distinguatur modaliter ab alio intellectu, satis est major illa immaterialitas de materiali importata. Sed circa hæc videantur omnino ea, quæ nostri Complut. in lib. de Anim. disp. 17. num. 11 usque ad 21. dicunt : illa enim quoad præsens queunt, proportione servata, applicari.

Major explicatio præcedentium.

180 Possunt autem ea, quæ duobus numeris immediate præcedentibus diximus (ut ita tacita quædam objectio maneat soluta) magis elucidari explicando discrimen quoddam, quod una cum convenientia jam dicta inter potentias vitales Angelicas, et inter potentias sensitivas intercedit. Nam si loquamur de potentiis sensitivis, tunc ex quo capite omnes sensus oriuntur ab eadem forma, quæ unicum sibi gradum immaterialitatis vendicat, debent esse in eodem immaterialitatis gradu jam explicato, quia in hoc solummodo omnes illi conveniunt : et ex quo capite fluunt a forma corporis organici, ut tali, et pendenti in suo *operari* a corpore tanquam ab organo, ac proinde oriuntur ab anima, ut parum habenti de immaterialitate, et amplitudine, et multum de coarctatione, et limitatione : idcirco procedunt ab ea ita limitati, ut petant diversa, et limitata objecta sensibilia.

Si vero loquamur de potentiis vitalibus, nempe de intellectu, et voluntate Angelicis, tunc quia intellectus, et voluntas Angelica oriuntur modo dicto ab eadem natura intellectuali Angelica, quatenus Angelica, propterea fluunt in eodem immaterialitatis gradu : et nullus intellectus Angelicus distinguetur specie formaliter loquendo ab alio intellectu Angelico, nec voluntas unius Angeli erit diversæ speciei modo dicto ab alia alterius Angeli : sicut propter proportionalem rationem diximus omnes visus omnium animalium esse formaliter ejusdem speciei. Et deinde, quia procedunt ab ea, ut est valde immaterialis, et ampla, propterea fluunt cum magna amplitudine, et illimitatione : ita, ut unicus tantum intellectus ad intelligendum omne intelligibile, et unica voluntas ad volendum omne volibile sufficiat. Et tandem quia licet prædicta natura intellectualis sit valde immaterialis, nihilominus adhuc est admixta cum potentialitate, ac proinde est limitata, ideo una, et eadem facultas illius non est simul volitiva, et intellectiva, sed hæ duæ facultates distinguuntur specie, et versantur circa diversa objecta, licet conveniant in eodem immaterialitatis gradu.

Anima versio

Advertendum tamen est obiter, quod juxta hunc dicendi modum, aliter philosophandum est quoad præsens, ac juxta oppositum, quem supra innuebamus. Nam, sicut juxta hunc nulla est assignanda distinctio specifica formaliter inter intellectus Angelicos, ita nec in immaterialitate eorum sub quacumque ratione, sive in esse gradus, sive in esse entis considerata. At juxta alium, et oppositum dicendi modum, licet distinguantur formaliter in immaterialitate in esse entis, sive in esse rei considerata, quia immaterialitas, secundum quam in esse rei conveniunt, tantum est ratio generica, non tamen distinguuntur formaliter specifice in ea, ut constituit gradum : ex eo, quod immaterialitas ista sic sumpta constituit gradum atomum, ut sæpe diximus.

181 Unde ad denotandos ipsos sic sumptos, id est, prout conveniunt in prædicta immaterialitate constituente gradum : significamus eos per hoc, quod dicant rationem potentiæ cognoscitivæ de formali, et in esse potentiæ cognoscitivæ consideratæ. Quia licet prædictæ potentiæ adhuc in esse potentiarum cognoscitivarum bipartiantur in se ipsas in esse rei (id est, ut non constituunt gradum) et in se ipsas, ut constituunt illum : et secundum priorem considerationem importent essentialiter, et de formali excessum illum immaterialitatis, per quem in esse rei essentialiter, et specifice absolute distinguuntur, atque adeo convenientia illa generica in hoc, quod est esse omnino separata a materia physica, habeat se in hoc ordine per modum rationis potentialis respectu excessus in immaterialitate, quo intellectus unius Angeli in esse rei excedit alium, quique consistit in hoc, quod possit intelligere per species magis universales : attamen totus hic excessus habet se de materiali, imo per accidens respectu harum potentiarum, ut fundant, et constituunt gradum, quia ad hunc fundandum tantum attenditur per se ad prædictos intellectus secundum, quod conveniunt in illa immaterialitate in esse rei generica. Et ita hæc eadem ratio, quæ in illo ordine erat generica, et potentialis, ac per modum materiæ metaphysicæ, habet in hoc ordine (id est, ut constituit gradum) esse atomam,

ex

ex eo, quod non dividitur per alias differentias constituentes diversos immaterialitatis gradus, ac proinde hæc eadem ratio constitutiva gradus habet potentias illas intellectivas, alias in esse rei inæquales formalizare, ac trahere ad *esse* intellectivum constituens eundem gradum, ut dictum est. Et ideo ad denotandos hos intellectus sic acceptos, et formalizantes se ipsos in esse rei consideratos, significamus eos nomine potentiarum cognoscitivarum de formali, et in esse potentiarum cognoscitivarum sumptarum.

§ IV.

Occurritur reliquis objectionibus.

Ad quartam. 182 Ad quartam respondetur cum nostris Complut. in lib. de Anima disp. 17. num. 34. negando majorem, et ad probationem dicendum, est, quod, sicut ex hoc, quod anima sit separata a corpore, non sequitur esse separatam ab ordine ad illud, sed tantum, quod non sit eidem corpori unita, ita non sequitur objectum proportionatum, et connaturale illius, quod quidditative potest cognoscere, esse substantias separatas omnino a materia, id est, tam ab actuali unione cum illa, quam ab ordine ad ipsam, quales sunt substantiæ Angelicæ, siquidem hoc ipso, quod sint separatæ omnino a materia, non reperitur inter illas, et animam convenientia in gradu immaterialitatis : sed sequitur, quod possit quidditative attingere propriam substantiam, et cæteras alias animas separatas, cum quibus in gradu immaterialitatis convenit.

Quam solutionem desumpserunt N. Compluten. et nos cum illis eam desumpsimus ex D. Thom. 3. part. quæst. 21. art. 1. ad 2 et 1. part. quæst. 89. art. 2. ubi de anima separata, ac proinde de intellectu in statu separationis, sic ait : *Sed cum fuerit a corpore separata, intelliget non convertendo se ad phantasmata, sed ad ea, quæ sunt secundum se intelligibilia. Unde se ipsam per se ipsam intelligit. Est autem commune omni substantiæ separatæ, quod intelligat id, quod est supra se, et id, quod est infra se per modum suæ substantiæ. Sic enim intelligitur aliquid secundum, quod est in intelligente. Est autem aliquid in altero per modum ejus, in quo est. Modus autem substantiæ animæ separatæ, est infra modum substantiæ Angelicæ. Sed est conformis modo aliarum animarum separatarum : et ideo de aliis animabus separatis perfectam cognitionem habet, de Angelis autem imperfectam, et deficientem, loquendo de cognitione naturali animæ separatæ. De cognitione autem gloriæ est alia ratio.* Utrum autem eadem anima separata possit cognoscere quidditative res materiales pertinentes ad hoc universum? constat ex iis, quæ prædicti Complut. in eadem disp. et num. docent, et patebit amplius ex illis, quæ nos num. seq. tangemus.

183 Neque hinc fit (ut id obiter dicamus) D. Thom. art. 4. hujus quæst. diminute numerasse gradus immaterialitatis. Nam hoc ipso, quod assignaverit gradum immaterialitatis intellectus humani pro hoc statu, distinctum a gradu intellectus Angelici omnino separati a materia, ibidem virtute innuit eundem intellectum humanum, dum est separatus a materia, id est, ab unione cum ea, non tamen ab ordine ad illam, habere majorem immaterialitatem, melioremque immaterialitatis gradum, quam dum est in corpore, et minorem eo, quem habent Angeli : hoc autem, quoad præsens, ubi numerus horum graduum ex professo non discutiebatur, satis erat; maxime cum S. Doct. in suo proprio loco, ubi res hæc suam propriam sedem habebat, scilicet in loco a nobis citato, id ex professo explicuerit, et ita omni ex parte suo muneri satisfecit.

Alia solutio. 184 Secundo respondetur cum eisdem Complut. cum Albert. Mag. Cajet. Ferra. Thienensi, et pluribus aliis ex Thomistis, quos prædicti Complut. in lib. de Anim. disp. 17. num. 11. referunt, esse probabile intellectum humanum, et Angelicum non distingui specie in ratione potentiarum cognoscitivarum, seu, prout dicunt tendentiam in objectum intelligibile, quamvis in ratione proprietatum distinguantur specie : quem modum dicendi dilucide explicant prædicti Complut. a num. 11. sup. cit. usque ad num. 21. Quare juxta viam hanc dicendum est, intellectum humanum, et Angelicum convenire in gradu immaterialitatis, dum prædictus intellectus humanus est in statu separationis, ac proinde cognoscere quidditative Angelos, licet non quidditative perfecte, id est, quoad omnia prædicata quidditativa, seu (ut loquitur Cajet.) terminando quæst. *quid est*, et omnino clare, bene tamen quidditative, imperfecte, et confuse : quia cognitio quidditativa, utcumque, qua Angeli cognoscuntur, sequitur, juxta hunc modum dicendi, ad gradum im-

materialitatis convenientem, tam Angelis, quam animæ separatæ, et consideratum secundum id, quod de formali dicit. At cognitio quidditativa, et perfecta sequitur ad eundem gradum secundum quod dicit tantam, vel tantam perfectionem de materiali importatam, consistentem, quoad præsens, in hoc, quod sit proprietas substantiæ completæ, et omnino separatæ a materia, id est, etiam ab ordine ad illam : et propterea prædictus intellectus non potest perfecte quidditative cognoscere Angelos.

Ad testim. D.Thom.

Nec contra hoc omnino convincit testimonium D. Thom. pro præcedente solutione allatum : quia potest probabiliter de cognitione quidditativa, et perfecta intelligi, ita, ut illam solum neget, secus vero quidditativam imperfectam, et cum defectu claritatis jam dictæ. Et ita S. Doct. in eadem quæst. aliquando inquit, cognitionem illam, quam anima separata habet de substantiis Angelicis, esse quasi communem, ut videre licet in art. 2. prædictæ quæst. 89. Quia licet terminetur modo quidditativo ad aliquid proprium eorundem Angelorum, ex eo, quod anima convenit cum eis in gradu immaterialitatis, scilicet in hoc, quod est esse separatam a materia, seu ab actuali unione ad illam ; attamen prædicta cognitio non est omnino propria : quia non terminatur ad omnia eorum prædicata quidditativa, prout sunt in se cognoscenda. Aliquando vero ait illam cognitionem non esse propriam, et certam, sed communem, et confusam : qui sumit cognitionem propriam pro ea, quæ terminatur ad omnia prædicata quidditativa, quæ sunt propria cujuslibet Angeli, per quamque terminatur omnino quæstio, *quid est*, et similiter accipit cognitionem confusam, prout opponitur cognitioni omnino claræ, et perfectæ.

Ad ultim. objectionem.

185 Ad ultimam dicendum est, quod licet immaterialitas in *esse* entitativo non pertineat per se, et de formali ad speciem intelligibilem creatam, si in esse speciei, et formalissime consideretur, bene tamen per se de materiali, quia per se habet petere aliquod *esse* entitativum, in quo fundetur : hoc autem *esse* licet per accidens habeat, quatenus est fundamentum, et materiale respectu *esse* intelligibilis, quod sit substantia, vel accidens in *esse* entitativo, non tamen, quod habeat tantam, vel tantam immaterialitatem in *esse* entitativo, ut ostensum est. Unde ultra hanc immaterialitatem in eadem specie intelligibili est alia immaterialitas formalis, nempe immaterialitas naturæ repræsentatæ, ut constituens specialem gradum, et prout intelligibili modo est in prædicta specie, id est, ut habet in specie illum modum essendi intelligibilem indispensabiliter, et, modo in tract. de scient. Dei disp. 2. sæpe citata § 5. explicando, desideratum ad hoc, ut objectum, seu eandem naturam, quæ alias est (ut sic dicamus) in se ipsa sub modo essendi naturali, uniat intelligibiliter cum potentia in ordine ad quidditativam ejusdem naturæ cognitionem. Ratio autem, ob quam formalem hanc immaterialitatem damus, est, quia in ordine intelligibili, per se, et formaliter attenditur ad *esse* formale, seu actuale, et immateriale : et ita hoc ipso, quod immaterialitas in *esse* entitativo de materiali se habeat respectu speciei, debet immaterialitas alia de formali importata ibidem inveniri : quæ quidem nulla alia potest esse præter eam, quam assignavimus, ut intuenti constabit, et in tract. de scient. Dei disp. 2. num. 24. latius explicabitur.

DUBIUM VIII.

Utrum ultima ratio articuli probet impossibilitatem speciei intelligibilis creatæ repræsentantis quidditative Deum? ubi etiam argumenta, quæ dub. 4. hujus disputationis ex adversariis adduximus, dissolvuntur.

186 Dubium hoc, quoad priorem ejus partem paucis decidendum est, quia ejus decisio ex dictis in dubiis præcedentibus constat.

§ I.

Explicatur vis ultimæ rationis D. Thomæ.

Conclusio. Probatur.

Dicendum ergo est, ultimam rationem D. Thom. esse etiam optimam, et ex ea etiam impossibilitatem prædictæ speciei recte colligi. Ita authores pro nostra sententia dub. præced. relati. Assertio hæc non melius probabitur, quam adducendo prædictam rationem, et ejus efficacitatem ostendendo ; eam autem D. Thom. sub verbis his proposuit : *Divina essentia est aliquod incircumscriptum, continens in se supereminenter quidquid potest significari, vel intelligi ab intellectu creato : et hoc nullo modo potest per aliquam speciem creatam repræsentari :*

repræsentari : quia omnis forma creata est determinata secundum aliquam rationem, vel sapientiæ, vel virtutis, vel ipsius esse, vel alicujus hujusmodi : ergo.

Ut autem vis, et efficacia hujus tertiæ rationis eluceat, notandum est, eam simul cum præcedenti, nempe cum secunda, in eodem fundamento inniti, scilicet in impossibilitate adæquationis speciei creatæ cum Deo in immaterialitatis, et actualitatis gradu; et solum esse discrimen inter eas penes diversos modos explicandi divinam actualitatem, et immaterialitatem per ordinem ad diversas potentialitates, quas excludit. Nam in ratione præcedenti explicatur per exclusionem potentialitatis ad *esse*, quia Deus est suum *esse*, et ab intrinseco habet illud : et quia exclusio hujus potentialitatis non potest convenire speciei creatæ, ideo colligitur ipsam non posse convenire cum Deo in gradu immaterialitatis, nec posse quidditative, et clare illum repræsentare, et per consequens talem speciem esse impossibilem. In hac vero posteriori ratione explicatur divina actualitas, et immaterialitas per exclusionem potentialitatis ad habendam perfectionem cum compositione ex genere, et differentia, aut aggregatione ex pluribus formis, seu gradibus, aut quasi partibus : quia omnia hæc circumscribunt, finiunt, et limitant essentiam rei : et ideo divina essentia per exclusionem eorum est quid incircumscriptum continens in se supereminenter quidquid potest significari, et intelligi. Unde quia speciei creatæ hoc ipso, quod creata sit, non potest convenire exclusio hujus potentialitatis, ut ex se constat, ideo etiam colligitur non posse Deum adæquare in gradu immaterialitatis, seu depurationis a potentialitate, atque adeo esse impossibilem.

§ II.

Occurritur argumentis dubio 4. *a num.* 118. *usque ad* 123. *adductis.*

Ad num. 187 Ad primum respondetur negando majorem. Et ad primam probationem dicendum est, inductionem illam esse veram in potentiis intellectivis naturalibus, collatis cum objectis sibi proportionatis; secus vero quando prædictæ potentiæ elevantur ad intelligendum in ordine supernaturali, et divino : tunc enim non est necesse, ut quoties fuerit possibilis visio, et lumen intellectuale creatum possit etiam dari species creata ejusdem ordinis, ut in præsenti contingit.

Ratio disparitatis. Et ratio disparitatis sumitur ex dictis. Nam potentiæ intellectivæ, et naturales, collatæ cum suis objectis proportionatis, et ejusdem rationis, concurrunt omnino connaturaliter, scilicet per modum potentiarum simplicium, et totalium, et ideo eis debetur tanquam primo perfectibili aliud comprincipium omnino connaturale, scilicet species intelligibilis creata, quæ per modum formæ simplicis, et totalis repræsentet quidditative eadem objecta : quia in universum principio omnino connaturali, et ulterius perfectibili per aliud comprincipium omnino etiam connaturale, debetur prædictum comprincipium, tanquam primo perfectibili.

Cæterum quando potentiæ elevantur ad intelligendum in ordine supernaturali Deum, prout est in se ipso, tunc ipsæ, ut elevatæ per lumen gloriæ, non concurrunt omnino connaturaliter, neque ipsa visio omnino connaturaliter a lumine illo elicitur, et ita non debet ei correspondere, ut primo perfectibili species Dei, prout est in se ipso, ac proinde, neque species creata prædicto modo illum repræsentans : nam si hæc esset possibilis, corresponderet intellectui creato, tanquam primo perfectibili, ut ex se constat.

Quare species, quæ ei debet correspondere, et non utcumque, sed, ut secundo perfectibili, ac modo dicto, necessario debet esse species, quæ sit omnino connaturalis intellectui divino, ac proinde, quæ sit ipsamet essentia divina. Nam sicut talis species necessario debet repræsentare Deum per modum formæ simplicis, et totalis, et per consequens per modum formæ omnino connaturalis, ut supra diximus, ita solum debet correspondere, ut primo perfectibili intellectui omnino connaturaliter influenti in visionem, scilicet intellectui divino.

188 Unde licet ex possibilitate alterius comprincipii creati omnino connaturalis respectu ipsius speciei, scilicet intellectus ordinis supernaturalis, qui per modum potentiæ simplicis, et totalis posset ferri in Deum, prout est in se ipso, colligeretur possibilitas speciei intelligibilis, quia prædicta species primo, et per se respiceret talem intellectum, ut primum perfectibile, et talis intellectus prædictam speciem, tanquam primum perfectivum : cæterum ex possibilitate visionis non omnino connatu-

raliter elicitæ, ut in præsenti contingit, juxta ea quæ num. 170. dicebamus, aut ex possibilitate solius luminis habentis tantum rationem, quantitatis virtutis elevantis, ac proinde non omnino connaturaliter influentis, non colligitur possibilitas speciei intelligibilis creatæ repræsentantis Deum, prout est in se, ut explicatum est. Cumque prædictus intellectus, qui per modum potentiæ simplicis, et totalis feratur in Deum, prout est in se ipso, et simul conservet rationem intellectus creati, sit impossibilis, ut art. 4. ostendemus, consequens erit, ut etiam repugnet species intelligibilis quæ quidditative, et prout est in se ipso repræsentet Deum, et simul sit species creata.

Additur primo. 189 Adde primo, discrimen illud, quod in hoc et præced. dub. tetigimus, scilicet lumen gloriæ creatum tenere se ex parte potentiæ; et ita sufficeret, quod sit superioris ordinis, quamvis sit aliquid creatum : nam cum habeat se per modum elevationis potentiæ, tenens se ex parte illius, debet commensurari cum ipsa, atque adeo debet finiri, et limitari per eam. Cæterum species intelligibilis tenet se ex parte objecti, ac proinde debet commensurari cum illo, quoad gradum immaterialitatis, et quoad hoc, quod est habere intelligibiliter eandem naturam cum objecto : quæ duo aperte pugnant cum specie intelligibili creata, ut ostensum est. Per quæ etiam ad secundam probationem satis patet.

Secundo. Adde secundo, inductionem illam ad summum esse veram, quando objectum non est per se ipsum immediate intelligibile a quocumque intellectu, ac proinde non est ipsa intelligibilitas : secus vero, quando est immediate intelligibile a quocumque intellectu, ex eo, quod est sua intelligibilitas ratione suæ purissimæ actualitatis : tunc enim repugnat fieri intelligibile ab aliquo alio, atque adeo dari speciem ab illo realiter distinctam, per quam reddatur, et sit intelligibile, ut sup. num. 123. et deinceps explicatum est. Quare cum Deus sit ipsamet intelligibilitas per modum actus purissimi, fit inde, ut licet sint possibilia lumen, et visio creata attingentia ipsum quidditative, prout est in se, non tamen species intelligibilis creata, per quam repræsentetur quidditative : quia lumen gloriæ, et visio creata, ita reddunt intellectum creatum visivum, et videntem, ut non ideo tribuant Deo *esse* visivum, aut *esse* visum, quod ex parte sui habet. At species intelligibilis repræsentans quidditative Deum, hoc ipso quod tribueret intellectui creato posse cum illa videre ipsum Deum, tribueret etiam ipsi Deo, quod esset intelligibilis per ipsam ea intelligibilitate, quæ ex parte objecti desideratur : siquidem, ut num. nuper citato dicebamus, proprium est speciei intelligibilis reddere objectum intelligibile ea intelligibilitate, quæ ex parte sui desideratur. Diximus, *ea intelligibilitate, quæ ex parte sui desideratur*, propter illa, quæ dub. ult. hujus disp. num. 226. et 227. dicemus : quæ ad horum exactam intelligentiam videnda sunt.

Ad secundum. 190 Ad secundum concessa majori, juxta ea, quæ num. 170. diximus, neganda est minor. Nam sicut intellectus, ut perfusus lumine gloriæ, est participatio quædam intellectus divini, prout est in se; ita modo dicto inclinatur in idem objectum, in quod intellectus divinus, prout est in se, inclinatur, scilicet in Deum ipsum, ut clare, et quidditative cognoscibilem, ac proinde aliquo modo connaturaliter, etiam ordinabitur ad unionem cum ipso in *esse* intelligibili : et ita aliquo modo erit debita unio essentiæ divinæ in rationem speciei intelligibilis intellectui, ut perfuso eodem lumine, nempe quantum est ex parte luminis gloriæ, licet non quantum est ex parte commensurationis essentialis secundum ea, quæ ex se habet.

Ad probationem. Et ad probationem in contrarium dicendum est, quod ex summa immaterialitate, et purissima actualitate essentiæ divinæ, ut habet rationem speciei intelligibilis, solum colligitur, eam tantum exigi omnino connaturaliter ab intellectu divino, ut a virtute cognoscitiva per se primo illam exigente, ac proinde adæquate ipsam, et eandem per modum purissimi actus sibi identificante, non vero, quod non exigatur ab intellectu, ut perfuso lumine gloriæ, tanquam a secundario perfectibili (et modo dicto) per illam, eamque minime adæquante, aut sibi omnino identificante, sed solum tanquam aliquid intelligibiliter, et modo jam explicato intime ei præsens, et unitum, quamvis talis unio non sit ei omnino connaturalis. Nam ad hunc modum exigentiæ non omnino connaturalis, satis est, quod intellectus creatus, ut perfusus lumine gloriæ, maneat elevatus ad hoc, ut sit ejusdem ordinis cum Deo clare, et quidditative visibili, habeatque participium divini intellectus, prout est in se ipso : quandoquidem species intelligibilis debet commensurari, ita ut non excedat,

cedat, neque excedatur in immaterialitate cum suo primo perfectibili; secus vero cum perfectibili secundario, et aliquo modo participante rationem primi perfectibilis.

Ad instantiam.

191 Per quod, etiam ad instantiam in eadem probatione adductam, patet. Nam sicut intellectus humanus, prout est in hoc statu, non potest ullo modo connaturaliter petere species ita immateriales, sicut species Angelicæ, quia est in inferiori gradu immaterialitatis; secus vero si elevetur per lumen altioris ordinis : quia tunc aliquo modo connaturaliter eas exigit, scilicet ex parte luminis elevantis, non vero ex parte potentiæ, seu commensurationis essentialis ejusdem, prout est in hoc statu, quia ad hoc desiderabatur, ut lumen illud altioris ordinis esset connaturale, et debitum prædicto intellectui in eo statu : ita licet intellectus creatus nequeat secundum se connaturaliter petere concursum speciei, quæ sit summe immaterialis, qualis est essentia divina, secus tamen, et modo dicto, ut elevatus ad ordinem supernaturalem, et divinum, et ut habet participium intellectus divini, prout est in se ipso, seu prout est perfusus lumine gloriæ. Tunc enim, licet ex parte luminis exigat unionem essentiæ divinæ per modum speciei intelligibilis, non tamen ex parte potentiæ, seu commensurationis essentialis illius : quia ad hoc requirebatur, ut lumen gloriæ esset connaturale, et debitum eidem intellectui creato : et ideo, licet aliquo modo connaturaliter, non tamen omnino connaturaliter a prædicto intellectu exigitur.

Nam ad omnimodam connaturalitatem, de qua loquimur, requiritur, ut ex parte utriusque prædicta species exigatur, atque adeo, ut per id, per quod intellectus habet quantitatem virtutis, seu efficaciam ad videndum Deum, habeat etiam commensurationem essentialem, et e contra in ordine ad eandem visionem : et per consequens, quod loquendo de iis, quæ ex parte potentiæ desiderantur, tendat ad videndum Deum, non utcumque, sed per modum potentiæ simplicis, et totalis non indigentis elevatione.

Corollarium.

192 Ex quo etiam fit, quod non solum omnino connaturaliter non exigatur prædicta species ab eodem intellectu creato, et elevato, ex eo, quod non exigitur ex parte utriusque extremi secundum id, quod eorum quodlibet ex se exigit, sed etiam, quod ex parte luminis gloriæ, seu quantitatis virtutis, adhuc non est omnimoda connaturalitas omnino perfecta : quia ad hanc requiritur, juxta modo dicta, ut per illudmet realiter, per quod intellectus habet quantitatem virtutis, habeat etiam commensurationem illam essentialem, et primordialiter ei convenientem : atque adeo, quod quantitas virtutis sit debita commensurationi essentiali, eique connaturalis, et e converso. Cæterum cum hoc stat, ut prædictum lumen gloriæ, quantum est ex parte sua, et quantitatis virtutis, exigat simpliciter connaturaliter unionem essentiæ divinæ in ratione speciei intelligibilis, licet hæc connaturalitas non sit omnibus modis perfecta.

Ad tertium.

193 Ad tertium, negandum est antecedens. Et ad probationem patet ex dictis. Nam species impressa non desideratur in ordine ad claram visionem, tanquam virtus tenens se ex parte potentiæ, sed tanquam quid tenens se ex parte objecti, uniens intellectum cum ipso Deo, ut est in se per modum similitudinis quidditativæ illius. Unde licet id, quod desideratur ad visionem finitam Dei per essentiam, per modum principii tenentis se ex parte potentiæ, non debeat habere infinitam perfectionem, sed satis sit, quod virtualiter contineat eam perfectionem, quæ est in tali visione finita, et limitata; secus vero id, quod influit per modum principii ex parte objecti. Nam hoc ipso, quod sic influit, atque adeo repræsentat quidditative, et connaturaliter Deum, debet esse ejusdem naturæ in *esse* intelligibili, et convenire in *esse* entitativo in gradu immaterialitatis cum illo : quia, ut supra diximus, quævis species quidditativa alicujus objecti debet esse ejusdem naturæ in *esse* repræsentativo cum illo, et convenire in *esse* entitativo cum eo in gradu immaterialitatis, id est, ita, ut non excedatur ab eo in prædicto gradu.

Unde species quidditativa Dei, quantum est ex se, influeret in visionem infinitam, et comprehensivam ipsius Dei, quamvis per accidens, et ex defectu principii, tenentis se ex parte potentiæ, non influet infinite : et ita si prædicta species impressa daretur, sequeretur manifesta implicatio, scilicet, quod solum desideraretur pro visione finitæ perfectionis elicienda, siquidem, ut supponitur, talis species esset creata; et quod simul desideraretur pro visione infinita per essentiam, quippe, quæ esset ejusdem naturæ univoce cum Deo, et haberet tantam immaterialitatem, quantam ipse, ac proinde in ratione speciei in-

telligibilis esset actus purus, et infinitæ perfectionis per essentiam.

Ad primam confirmationem.

194 Per quod etiam ad primam confirmationem patet. Nam licet gratis daremus, quod aliæ species quidditative repræsentantes, possent aliquando non repræsentare comprehensive, secus tamen species quidditativa Dei propter rationem modo dictam.

Ad secundam confirmationem.

Ad secundam confirmationem dicendum est, speciem creatam, et impressam Dei, prout est in se ipso, ideo inter alia non esse possibilem, quia si daretur, fieret, et non fieret a Deo, et fieret, et non fieret libere ab illo : fieret quidem, et fieret libere, quia supponitur esse creatam; non autem fieret, nec fieret libere, sed haberet esse a se naturaliter, et necessario, quia esset infinitæ immaterialitatis, et actus purus, et per consequens esset ipse Deus, ut ostensum est, atque adeo talis species esset, et non esset creata.

Ad id, quod additur.

195 Ad illud autem, quod ibidem additur, scilicet non esse de ratione speciei intelligibilis, quod producatur necessario a suo objecto, ut in speciebus Angelicis patet, respondetur, quod licet non sit necessarium, omnem speciem intelligibilem procedere a suo objecto, ut a causa efficienti, attamen species, de qua loquimur, deberet necessario a Deo produci : quia, ut supponitur, est creata, et nullum aliud agens posset infinitam immaterialitatem, quam petit, ei communicare, ut ex se constat : quamvis ex alio capite, nec etiam a Deo esset producibilis, ex eo, quod esset ipsa creatrix essentia, ut explicatum est.

Additamentum.

Adde, quod, ut ex dictis patet, hoc est proprium cujuslibet speciei repræsentantis quidditative aliquod objectum, ut vel debeat ab illo, et non utcumque, sed necessario, et naturaliter procedere, vel si ab alio fit, debeat ab illo procedere sub tanta immaterialitate, sub quanta est objectum, ita ut in gradu immaterialitatis conveniant. Unde species repræsentativa Dei per essentiam deberet procedere, ut habens infinitam immaterialitatem, et consequenter ex hoc capite haberet, ut non posset libere a Deo procedere.

Ad quartum.

196 Ad quartum negandum est antecedens. Quia intellectio formaliter sumpta non est similitudo formalis objecti, sed tendentia quædam in illud, uniens potentiam in actu secundo, et completo cum eodem objecto, seu (ut alii explicant) est tentio in actu secundo prædicti objecti. Unde aliter, et aliter species intelligibilis, verbum, et intellectio uniunt intellectum intelligibiliter cum suo objecto. Nam species impressa unit per modum similitudinis in actu primo, verbum vero per modum similitudinis expressæ, et ut objectum interius cognitum saltim, ut *quo*, intellectio vero per modum tendentiæ actualis attingens actu objectum, seu per modum tentionis intelligibilis prædicti objecti.

Et ad probationem desumptam ex illis testimoniis, et ex aliis, quæ coacervari possent, dicendum est cum Capreolo in 2. dist. 3. quæst. 2. art. 3. ad 2. ex iis, quæ secundo loco adducta sunt, contra quartam conclusionem, et in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 3. ad 1. et cum aliis ex Junioribus Thomistis, intelligenda esse in sensu causali activo, vel passivo, id est, quod vel producit similitudinem, vel fit ab specie, quæ est naturalis similitudo, vel tandem, ut alii dicunt, solum volunt esse complementum, et ultimam actualitatem prædictæ similitudinis. Adde cum Nazario hoc esse proprium visionis beatificæ, quod sit similitudo objecti visi, scilicet Dei : non quidem in *esse* intelligibili, et repræsentativo, sed in *esse* entitativo, et naturali, quatenus per participationem quandam, et similitudinem analogam participat aliquid de eo, quod in Deo habet rationem naturæ, scilicet videre se ipsum, prout est in se, quamvis non participet illum per modum naturæ. Unde propter hanc etiam rationem merito Augustinus ex Joan. dixit : *Quod cum apparuerit, similes ei erimus : ex eo, quod videbimus eum sicuti est.*

Ad ultimum patebit ex dicendis dubio sequenti.

DUBIUM IX.

Utrum necessario, et indispensabiliter detur in beatis verbum, seu species expressa repræsentans quidditative Deum, prout est in se?

Ultimum argumentum præcedentis dubii quarti postulat, ut postquam explicuimus non esse possibilem speciem impressam repræsentantem clare, et quidditative Deum, explicemus, an idem de specie expressa, seu verbo dicendum sit?

---

§ I.

Proponitur prima sententia.

197 Prima sententia affirmat esse adeo necessarium in beatis verbum ad videndum Deum per essentiam, ut sine illo implicet videri. Ita Suarez lib. 2. de attributis cap. 11. et alii ex Junioribus.

imum rgu- ntum. Præcipuum hujus sententiæ fundamentum nullum est aliud, præter ultimum argumentum dubii quarti præcedentis, quod quidem potest confirmari primo, et explicari, ex eo, quod, vel visio beatifica est qualitas, vel vera actio prædicamentalis. Si primum, ergo ipsa est verbum mentis. Patet consequentia. Nam verbum mentis nihil est aliud, quam qualitas quædam immediate procedens ab intellectu, ut in *esse* repræsentativo ipse intellectus est similis objecto : quia cum verbum sit qualitas producta ab intellectu, et repræsentans objectum, non potest non esse qualitas procedens ab eodem intellectu, ut est similis objecto in *esse* repræsentativo : ergo cum visio beatifica procedat ab intellectu, ut est similis objecto in *esse* repræsentativo, consequens est, quod si semel est qualitas, nihil ei desit ad rationem verbi. Si autem secundum dicatur, ergo cum implicet dari veram actionem, verumque *fieri* sine aliquo *facto esse*, implicabit dari visionem beatificam sine proprio *facto esse* illius, scilicet verbo.

nfir- ur 2. Confirmatur secundo. Nam, cum visio beatifica sit aliquid creatum, et procedens ab intellectu, vel procedit ab illo præcise, ut *quo*, vel ut *quo*, et ut *quod*. Si primum, ergo erit id, quo aliquid procedit, et fit ab intellectu; cumque hoc, quod fit media illa, non possit esse nisi verbum, ut modo dicebamus, consequens est, ut per illam necessario producatur verbum. Secundum autem dici non potest : quia nihil potest esse *fieri* sui ipsius. Tum quia alioqui esset antequam esset, ut ex se constat. Tum etiam : quia sicut causa realis necessario distinguitur realiter a suo effectu, ita causatio, et *fieri* reale ejusdem effectus non potest non realiter distingui ab illo : et ita nihil poterit procedere ab aliqua causa, ut id quo fit ab illa, tam, ut *quo*, quam, ut *quod*.

un- m. 198 Secundo probari potest eadem sententia. Nam verbum constituit formaliter intellectum in ratione intelligentis : ergo implicat dari visionem Dei, per essentiam sine verbo. Consequentia videtur evidens. Antecedens vero probatur. Tum testimonio D. August. lib. 9. de Trinit. cap. 10. ubi verbum appellat notitiam : constat autem nihil esse aliud notitiam, quam cognitionem, et perceptionem objecti : ergo, etc. Tum etiam ex D. Thom. 1. part. quæst. 34. art. 1. ad 3. ubi loquens de intellectione formaliter sumpta, inquit : *Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ*. Ubi, ut vides *intelligere* dicitur effectus formalis formæ rei intellectæ, in qua nulla originis ratio importatur : constat autem solum verbum esse formam rei intellectæ, in qua nulla ratio originis importatur : siquidem licet species intelligibilis sit forma rei intellectæ, in ea tamen involvitur, quod ab illa procedat verbum, cum tamen a verbo nulla alia forma rei intellectæ, aut aliquid aliud originetur : ex eo, quod est terminus virtutis productivæ intellectus. Tum denique ex eodem D. Thom. quæst. 8. de potentia art. 1. ubi inquit : *Verbum nostri intellectus non est extrinsecum ab ipso intelligere intellectus, cum ipsum intelligere compleri non possit sine verbo prædicto* : ergo sentit pertinere intrinsece ad actum intelligendi, atque adeo esse ipsam intellectionem : siquidem intellectio, quæ est qualitas, ut ex dictis constat, debet esse una simplex qualitas, sicut et aliæ qualitates per se, et directe pertinentes ad prædicamentum qualitatis : et ita nequit resultare ex verbo, et ex aliqua alia qualitate.

Tertium. 199 Tertio probatur, et confirmatur præcedens argumentum. Quia intellectio nihil est aliud, quam actualis manifestatio, per quam res intellectui manifestatur : sed per verbum mentis manifestatur ei actualiter res per illud repræsentata : ergo intellectio, et verbum erunt idem, et per consequens hoc ipso, quod in beatis detur visio Dei per essentiam, non poterit non ibidem verbum ipsius reperiri. Utraque consequentia videtur aperte sequi ex præmissis. Major vero etiam constat. Quoniam nihil aliud est rem fieri manifestam intellectui, quam, quod ipse percipiat illam, et propterea stare non potest rem aliquam esse manifestam illi, et ignorari ab ipso. Minor autem etiam patet. Nam cum verbum sit actualissima repræsentatio objecti, erit etiam actualissima manifestatio ejusdem.

Confirmatur. Nam ideo essentia divina ex se ipsa est actualis intellectio omnium intelligibilium, quia omnia illa actualissime repræsentat, estque actualissima manifestatio omnium : ergo cum verbum actualissime repræsentet intellectui rem intellectam, erit actualis manifestatio, ac proinde actualis notitia, et intellectio illius.

Quartum. 200 Quarto probatur, et simul confirmantur duo præcedentia argumenta. Nam hoc ipso, quod intellectus informetur per speciem intelligibilem impressam habitualiter repræsentantem objectum, constituitur in ratione intellectivi : ergo hoc ipso, quod informetur per speciem expressam, quæ actualissime repræsentet objectum, constituitur in actu secundo intelligens, ac proinde verbum, et intellectio erunt idem, et hac data in beatis, nequibit illud eisdem negari. Hæc secunda consequentia constat ex priori. Prior vero etiam liquet. Nam, sicut similitudo intentionalis complet potentiam intellectivam, ita similitudo, quæ est in actu primo, et per modum habitus, complebit, et constituet eam in actu primo, et quasi habitualiter reddendo ipsam complete intellectivam : et deinde similitudo actualissima, quæ (ut sic dicamus) in actu secundo repræsentat, complebit actualissime intellectum reddendo illum intelligentem in actu secundo. Antecedens autem non indiget probatione.

Confirmatur primo. Confirmatur primo. Nam intellectus intelligit per hoc, quod actu trahat ad se res; voluntas vero vult per hoc, quod actu feratur ad illas, ut docere videtur Aristot. 3. de Anima, text. 15. et D. Thom. infra quæst. 27. art. 4. ergo intellectio consistit in verbo mentis, per quod actualissime, et in actu secundo res repræsentantur, ac proinde actualissime, et in *esse* intelligibili, seu repræsentativo ad eundem intellectum trahuntur.

Confirmatur secundo. Confirmari potest secundo ex iis, quæ supra diximus. Nam cum volumus recte intelligere aliquam rem, tunc maxime conamur ad formandum intra nos perfectam similitudinem, et ubi primo per illam intellectus noster actuatur, statim perfectam ejusdem rei notitiam habemus : hoc autem satis arguit, intellectionem in dicta similitudine consistere.

Ultimum argumentum. 201 Ultimo. Nam ad hoc, ut aliquis sit intelligens in actu, necessario requiritur, quod ipse sit res intellecta in actu, sicut ad hoc, ut aliquid sit intellectivum habitualiter, desideratur indispensabiliter, quod sit res intellecta in habitu, scilicet per speciem intelligibilem habitualiter repræsentantem objectum : ergo etiam necessario requiretur verbum, ac proinde per omnem intellectionem producetur. Hæc ultima consequentia patet ex priori. Quoniam hoc ipso, quod detur verbum, debet fieri per intellectionem. Prior vero ex antecedenti etiam constat. Quia verbum nihil est aliud, quam forma actualissima rei intellectæ, per quamque intellectus fit in actu ipsa res intellecta.

§ II.

Refertur secunda sententia.

202 Secunda sententia affirmat, dari de facto in beatis verbum mentis repræsentans quidditative, et prout est in se, divinam essentiam, non tamen implicare, quod prædicta essentia, prout est in se videatur sine verbo producto. Hanc reputant probabilem Sylv. in conflatu quæst. 12. art. 2; Canariensis quæst. 27. art. 1. disp. 15; Capreol. in 1. dist. 27. quæst. 2. art. 3. ad 8. et in 4. dist. 49. quæst. 5. art. 3. Eandem tenent, D. Bonav. in 1. dist. 3. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad ult.; Scotus quodlib. 8. et in 4. dist. 49. quæst. 2. ubi etiam Soto art. 3; Gabriel. in 1. dist. 27. et ibi; Durand; Ferrara 1. contra Gentes cap. 53; Vazquez in præsenti disp. 38; Molina hic disp. 1; Arrubal disp. 17. cap. 2.

Probatur primo. Sententia hæc quoad secundam ejus partem patebit ex dicendis pro nostra assertione. Quoad primam vero probatur primo. Nam visio beatifica prius natura habet connaturaliter loquendo, esse in *fieri*, quam in *facto esse* : ergo connaturaliter loquendo, ac proinde de facto, erit simul actio, et verbum. Antecedens probatur. Quia intellectio se ipsa pendet ab intellectu actualiter influente, et secundum hoc consideratur in *fieri*, et deinde tallis intellectio, saltim connaturaliter loquendo, atque adeo de facto, est vere completa, et terminata; et ita non solum erit in *fieri*, sed in *facto esse*, et non utcumque; sed ita, ut prius connaturaliter loquendo sit in *fieri*, quam in *facto esse* : quandoquidem quidquid est sub utroque ex istis statibus, prius debet esse in *fieri*, quam in *facto esse*, ut inductive constat. Consequentia vero probatur. Quia prout est in *fieri*, et se ipsa actu pendet ab intellectu,

est

est actio, quippe cum hoc sit proprium actionis : et prout est in *facto esse* est verbum, siquidem verbum nihil est aliud, quam intellectio terminata, et in *facto esse*.

ecundo. 203 Secundo. Nam Pater Æternus licet habeat sibi præsentissimam suam essentiam in ratione objecti cognoscibilis, nihilominus producit Verbum : et similiter licet essentia Angeli sit præsens actualiter, et proportionata intellectui Angelico ; nihilominus etiam in sui intellectione format verbum, ut ex doctrina D. Thom. infra dicemus : ergo beati in visione beatifica etiam formabunt actu verbum. Patet conseq. Nam una ex potissimis rationibus, ob quam poterat denegari beatis hæc productio verbi, est, quia verbum ponitur ad hoc, ut suppleat absentiam objecti terminantis intellectionem, sicut species impressa ponitur ad hoc, ut suppleat absentiam, vel improportionem objecti motivi intellectus, ex eo, quod intellectus intelligit trahendo res ad se, atque adeo habendo intra se objectum, tam, ut motivum, quam, ut terminativum : ergo si hæc ratio nihil obest in aliis intellectionibus, quominus in eis producatur verbum, nec etiam oberit in visione beata.

Tertio. 204 Tertio. Verbum repræsentativum Dei per essentiam non debet importare infinitam perfectionem, sicut species intelligibilis, et quidditative repræsentans Deum eam importat : ergo poterit dari in visione beata, et de facto dabitur. Consequentia, quoad posteriorem ejus partem, patet ex priori. Nam si semel non repugnat verbum creatum repræsentativum Dei per essentiam, non est cur de facto non detur, siquidem quævis intellectio connaturaliter petit esse terminatam per suum terminum, scilicet per verbum. Quoad primam vero partem, satis eadem consequentia ex antecedenti constat. Nam prædictum verbum ideo solum poterat esse impossibile, quia necessario deberet importare infinitam perfectionem.

Antecedens autem patet ex discrimine, quod versatur inter speciem impressam, et verbum. Nam licet species impressa debeat commensurari cum objecto, et immaterialitate ejus, quia tenet se ex parte illius, secus vero verbum, quia non commensuratur immediate ipsi objecto, sed perfectioni luminis, et actionis, per quam producitur. Quare cum hæc habeant esse limitata tam in esse entis, quam in genere intelligibili, non poterit non verbum habere eandem finitatem, et limitationem in utroque ordine.

205 Confirmatur primo. Verbum repræsentativum, quod Angelus format, non est necesse, ut adæquet in perfectione entitativa, aut in *esse* repræsentativo totam speciem impressam, per quam producitur : ergo neque etiam verbum repræsentans essentiam divinam debebit in aliquo *esse* reali, sive entitativo, sive repræsentativo adæquare perfectionem ejus, ut habet rationem speciei intelligibilis. Antecedens admittitur communiter a Theologis in materia de Angelis. Conseq. vero satis constare videtur. Tum ex paritate rationis. Tum etiam : quia hoc ipso, quod verbum Angelicum non adæquet speciem intelligibilem, media qua producitur, non erit de ratione verbi illam adæquare, et per consequens poterit produci verbum creatum repræsentativum Dei, prout est in se, licet non adæquet virtutem speciei, per quam fit. Confirmatur primo.

Confirmatur, et explicatur secundo. Nam verbum non potest non in repræsentando limitari a visione beata, quæ est finitæ perfectionis : ergo non poterit non esse finitum, et limitatum, et consequenter erit possibile, et de facto dabitur una cum eadem visione beata. Utraque conseq. patet ex dictis. Antecedens vero suadetur. Quia verbum non potest amplius repræsentare quam id, quod per cognitionem attingitur : ergo verbum non poterit non limitari per prædictam cognitionem. Secundo.

§ III.

Verior opinio.

206 Dicendum tamen est, non posse etiam de potentia Dei absoluta produci verbum repræsentans Deum per essentiam. Ita D. Thomas locis citatis, et perpensis dub. 1. hujus art. quem sequuntur Cajetan., Bannez, Zumel, Nazar., Gonzalez, Navarrete, Ripa, Alvarez, Jabellus, Soncinas locis dubio citato adductis, Capreolus in 4. dist. 49. quæst. 5. et nostri Complut. in lib. de Anima disp. 21. quæst. 5. et tandem Ledesma de perfectione Dei, quæst. 8. art. 5. et 6. ubi ait sententiam hanc esse communiorem inter Thomistas, quam etiam quamplures alii aperto Marte tuentur. Conclusio.

Assertio hæc aperte deducitur ex duplici illa ratione, quam in dubiis præcedentibus ad probandam impossibilitatem speciei impressæ creatæ repræsentantis quidditative Deum, attulimus. Nam sicut species im- Prima probatio assertionis.

pressa repræsentat quidditative, et prout est in se ipso Deum, ita species expressa, seu verbum per visionem beatificam formatum deberet illum quidditative etiam repræsentare. Unde quemadmodum ob hanc rationem non potest non species intelligibilis esse ejusdem naturæ cum objecto, scilicet cum Deo, sic ob eandem non posset non verbum esse etiam ejusdem naturæ cum illo; siquidem similitudo illa verbi ad Deum non posset non in unitate naturæ fundari, ut ex supra dictis constat : cumque implicet formam creatam esse in aliquo vero, et reali *esse* ejusdem naturæ cum Deo, ut ostensum est, implicabit etiam dari verbum, quod prædictam convenientiam petit.

Secunda. Deinde sicut species impressa debet esse ejusdem immaterialitatis cum objecto quidditative repræsentato, ita expressa, seu verbum : et ideo quotiescumque Angelus, v. g. cognoscitur medio verbo, ipsum quidditative repræsentante, toties verbum illud est ita immateriale sicut Angelus : et similiter verbum nostrum repræsentans aliquam quidditatem materialem, aut aliquod ejus prædicatum quidditativum est ejusdem immaterialitatis cum illis : ergo sicut propter illam rationem repugnat species impressa, et creata Dei per essentiam, ita verbum, seu species expressa, et creata illius prout est in se.

§ IV.

Solutiones argumentorum primæ sententiæ.

Ad primum. 207 Ad primum primæ sententiæ, quod erat ultimum ex dubio quarto relictum, respondetur negando antecedens. Et ad probationem distinguendum est antecedens : *Est vera actio vitalis, verumque fieri,* de prædicamento actionis consistens in fluxu, et *esse* viali negandum est : de prædicamento qualitatis habens per modum formæ perfectæ eminenti modo rationem actionis, et termini, concedendum est : et deinde neganda est prima consequentia.

Explicatur solutio. Explicatur hoc. Nam prædicta actio immanens, nempe intellectio, et aliæ jam dictæ ob suam eminentiam, ultimamque actualitatem æquivalent actioni transeunti, et termino illius : termino quidem, quia est forma, et qualitas quædam perfecta sicut terminus prædictæ actionis; actioni vero, quia eminenti modo est ultima actualitas potentiæ, et consistit in exercitio quodam actualissimo : et ita est forma quædam perfecta in actuali exercitio, et ultima actualitate constituta, qua intellectus actualiter vivit, et objecto virtualiter, et intelligibiliter unitur. Unde licet actio transiens, quæ est purum *fieri* ad prædicamentum actionis spectans, et realiter in *esse* viali, et fluxu consistens, debeat necessario habere terminum productum ex natura rei ab ea distinctum, cum *esse* ejus, quippe viale, sit propter illum : secus vero intellectio, quia non necessario est propter terminum, scilicet verbum, sed terminus, et verbum est propter ipsam, ut eo mediante, tamquam objecto (modo jam dicto) præintellecto, objectum contempletur.

Quapropter quando prædicta intellectio indiguerit hoc termino, ex hoc quod objectum non est actu præsens, et in ratione objecti terminativi non habet sufficientem actualitatem, quia non est de ratione ejus esse actualiter intellectum, seu esse actu terminans intellectionem, tunc eadem intellectio quatenus eminenter æquivalet actioni transeunti, estque ultima actualitas agentis, producit elevatiori modo terminum a se distinctum, nempe verbum : quando vero eo non indiguerit, ex eo, quod objectum est intime præsens, habetque sufficientem actualitatem ad hoc, ut non solum in ratione objecti motivi, sed etiam actu terminativi, se ipso immediate uniatur cum intellectu, ut in visione beatifica contingit, tunc non producit terminum a se distinctum : quia cum non sit propter illum, sicut actio transiens, sed potius terminus sit propter indigentiam ipsius intellectionis, non producit illum, cum eo non indiget, sed ipsa sola per modum formæ perfectæ, et habentis in se eminenter rationem actionis, et termini, procedit ab intellectu, illumque vitaliter, et in actu secundo cum objectu unit.

Ad primam confirm. 208 Ad primam confirmationem respondetur cum N. Complut. in lib. Phys. disp. 16. num. 13. et in lib. de Anima disp. 21. quæst. 1. necnon 2. et 3. maxime vero quæst. 1. quod visio beatifica non est actio de prædicamento actionis, sed vera qualitas : quia ut docet D. Thom. in 1. dist. 8. quæst. 4. art. 3. ad 3. actio, ut constituit peculiare prædicamentum ab omnibus aliis distinctum, dicit aliquid fluens cum motu : intellectio autem non consistit in fluxu, aut *esse* viali, nec habet rationem motus, sive mutationis instantaneæ, quæ in 3. Physic. diffinitur

diffinitur per hoc quod sit, *actus entis in potentia*, etc. quæque importatur ab actione de prædicamento actionis : de quo videndi sunt prædicti Complut. loco citato. Unde sicut intellectio est forma perfecta, ita non constituit subjectum in fluxu, et in via ; sed (ut loquitur Aristoteles 3. de Anima textu 22. et explicat D. Thom. ibidem lectione 12.) est actus perfecti, id est, constituens intellectum in *esse* perfecto, non vero in *esse* viali.

Diximus, non esse actionem de prædicamento actionis : non vero absolute, quod non sit actio : quia non negamus illam esse veram actionem, sed esse actionem de prædicamento actionis. Nam vera actio abstrahit ab ea, quæ constituit prædicamentum actionis a reliquis aliis distinctum, et ab ea, quæ est vera qualitas pertinens ad secundam speciem qualitatis, ut loco citato optime, et fuse N. Complut. ex D. Thom. explicant.

Ad probationem. Et ad probationem in contrarium negandum est, hinc fieri, visionem beatificam esse verbum mentis ; quia verbum istud non est utcumque qualitas, sed qualitas similis objecto, et procedens ab intellectu media alia qualitate, scilicet intellectione, ut habet rationem dictionis. Quid autem dicat intellectio, prout dictio, et quomodo inter se comparentur ipsa, ut intellectio, seu ut contemplatio objecti, et ipsamet, prout productio, et dictio verbi, et plura ad hoc spectantia, et ad exactiorem intelligentiam hujus dubii conducentia explicant ex D. Thom. prædicti Complut. in lib. de Anima disp. citata quæst. 4.

Ratio vero, ob quam verbum non procedit se ipso immediate ab intellectu, est, quia non habet rationem qualitatis, ita eminentis, sicut intellectio, quæ æquivaleat actioni transeunti, et ejus termino : et ita indiget actione a se distincta, per quam fiat, quæque habeat, ut supra tetigimus, rationem ultimæ actualitatis respectu illius, et intellectus, totiusque ordinis intelligibilis pure creati quatenus talis.

Replica. 209 Nec refert, quod ibidem dicitur, scilicet unumquodque producere sibi simile, ac proinde visionem beatificam procedentem ab intellectu, ut est similis objecto, debere esse similitudinem ejusdem objecti, et consequenter non posse non esse verbum : quandoquidem hoc nihil est aliud, quam qualitas expressa, seu producta ab intellectu, quæ sit similis objecto.

Solutio. Non itaque hoc refert. Quia intellectus creatus quoties versatur circa objectum, quod ex se ipso est objectum intelligibile, et simul essentialiter intellectum per aliquam intellectionem, scilicet circa divinam essentiam, prout est in se, toties in ratione productivi se habet per modum agentis æquivoci : et ita non producit, nisi tantum intellectionem, quæ ob sui eminentiam æquivalet actioni transeunti, et ejus termino, ut dictum est, quæque, ut etiam ex dictis constat, nequit esse similitudo formalis objecti, ne sit ejusdem naturæ in *esse* intelligibili cum Deo, ac proinde dicat in hoc ordine infinitam perfectionem, licet quando idem intellectus versatur circa alia objecta, habeat, saltim ex parte, rationem agentis univoci, et propterea producit verbum, quod est ejusdem naturæ in *esse* intelligibili cum objecto, seu specie intelligibili, modo tamen supra dub. 5. hujus disp. insinuato.

Ad secundam confirm. 210 Ad secundam confirmationem respondetur, quod hoc ipso, quod intellectio procedat ab intellectu per modum formæ perfectæ eminenter æquivalentis actioni transeunti, et termino illius, potest eminenti modo procedere ab illo, tam, ut *quo*, quam, ut *quod*, ac proinde si talis intellectio non indiguerit termino producto a se realiter distincto, ex eo, quod objectum ob sui eminentiam, et purissimam actualitatem est intime unitum cum intellectu in ratione objecti intellecti, tunc non producetur verbum.

Ad primam probationem. Et ad primam probationem in contrarium respondetur, quod licet *fieri*, de prædicamento actionis, et conjunctum cum motu non possit esse *fieri* sui ipsius, ita ut fiat, ut *quo*, et ut *quod*, sed solum ut *quo* : secus tamen *fieri*, eminens, et consistens in forma, et qualitate quadam perfecta. Nam ex quo capite est ultima actualitas agentis, et æquivalet actioni transeunti, non indiget alia actualitate, seu actione, media, qua procedat ab intellectu ; et ex quo capite est forma perfecta non consistens, quoad suam formalitatem sive entitatem in fluxu, et *esse* viali, procedit etiam, tamquam res effecta, ut *quod*. Nec inde sequitur quod sit antequam sit, ut argumentum intendit, sed quod simul habeat ratione suæ eminentiæ procedere, ut *quo*, et, ut *quod*, absque ulla distinctione ex parte rei conceptæ, sed solum ex parte modi concipiendi, et ad summum (de quo alibi) cum sola distinctione virtuali ; ita, ut illa formalitas, per quam

æquivalet actioni transeunti, sit prior virtualiter alia, per quam æquivalet termino illius, quamvis realiter loquendo utraque formalitas sit omnino simul.

Ad probationem secundam.

Per quod etiam ad secundam probationem satis patet. Nam licet effectus, vel terminus productus debeat indispensabiliter distingui a sua causa, vel principio productivo, non tamen est necesse, ut *fieri*, et productio alicujus rei, consistentis in actuali exercitio, et ultima actualitate agentis, et simul rationem formæ perfectæ habentis, distinguatur ab eadem forma, ut est producta, ut *quod* : quia tale *fieri* non est utcumque *fieri* reale illius, sed *fieri* reale, et eminens.

Unde sicut generatio passiva Verbi divini, quæ in satis probabili multorum sententia consistit in relatione filiationis per modum originis significatæ, simul habet esse realiter eminenter productam, ut *quo*, et, ut *quod*, et hoc non arguit in ipsa distinctionem realem, quia hoc non convenit illi utcumque realiter, sed realiter eminenter, atque adeo per modum alicujus præhabentis unite, et elevatiori modo utramque rationem : ita hoc ipsum, proportione servata, in emanatione intelligibili, et creata, ratione suæ eminentiæ invenietur.

Ad secundum principale.

211 Ad secundum respondetur cum nostris Complut. in lib. de Anima disp. 21. quæst. 2. 3. et 4. et peculiariter quæst. 2. num. 32. et sequentibus, negando antecedens. Et ad primam probationem ex testimonio August. desumptam respondetur cum Angelico Doctore 1. part. quæst. 34. art. 1. ubi postquam sibi opposuit verba Augustini in argumento hoc adducta, sic in solutione ad secundum loquitur : *Cum ergo dicitur, quod verbum est notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoscentis, vel pro aliquo ejus habitu, sed pro eo, quod intellectus concipit cognoscendo. Unde, et Augustinus dicit, quod verbum est sapientia genita, quod nihil aliud est, quam ipsa conceptio sapientis, quæ etiam pari modo notitia genita dici potest.*

Ad primam probationem.

Ad secundam.

212 Ad secundam probationem respondetur, loqui ibi S. Doctorem de *intelligere*, prout distincto a *dicere* : de eo autem sic sumpto verum est, quod in illo nulla ratio originis importatur, id est, quod ab eo nihil procedat, tanquam terminus, per illud productus, et ab eo distinctus, sicut in ipso *dicere* contingit, et propterea dixit D. Thom. quod in eo *nulla ratio originis importatur*, *sed solum informatio quædam in intellectu nostro*, ut denotaret non debere respicere aliud a se distinctum, tanquam terminum per illud productum, sed respicere subjectum, ut illud constituat in *esse* intelligentis objectum.

Cæterum cum post prædicta verba, scilicet : *Quod est informatio quædam in intellectu nostro*, statim adjecit : *Prout intellectus noster sit in actu per formam rei intellectæ*, noluit significare, quod forma rei intellectæ sit id, per quod formalissime constituitur intellectus in ratione intelligentis, ita, ut hoc sit effectus formalis talis formæ; sed quidnam sit illud, per quod intellectus redditur omnino proxime capax ad hoc, ut eliciat, et suscipiat in se intellectionem a prædicta forma distinctam, per quamque in *esse* intelligentis constituatur : et hoc dixit esse ipsam formam rei intellectæ, scilicet speciem intelligibilem : quam formam rei intellectæ sæpe nominat, ut ex 1. cont. Gent. cap. 53. et aliis locis supra citatis constat : quia nisi intellectus sit actuatus per prædictam formam intelligibilem, non est omnino proxime capax ad eliciendam, et suscipiendam in se intellectionem, quæ tam ab specie impressa, quam ab expressa, sive verbo distinguitur.

Unde non est omnino verum id, quod in eodem argumento additur, scilicet, quod *intelligere* dicitur a D. Thoma effectus formalis rei intellectæ, in qua nulla ratio originis importatur : quia licet verum sit, quod in *intelligere*, ut distinctio a *dicere* nulla ratio originis importatur, est tamen falsum, quod *intelligere* sit effectus formalis formæ rei intellectæ. Utrum autem species intelligibilis desideretur ad suscipiendam intellectionem, ita, ut in ipsa immediate inhæreat? an vero solum suscipiatur in intellectu, actuato tamen, et informato per prædictam speciem, eo proportionali modo, quo actiones Christi Domini, licet non recipiantur in subsistentia Verbi, recipiuntur tamen in humanitate, terminata per prædictam subsistentiam, et visio beata, licet non recipiatur in essentia divina, suscipitur tamen in intellectu beato actuato per essentiam divinam in ratione formæ intelligibilis : alia quæstio est, et alibi discutienda.

Ad ultimam probationem.

213 Ad ultimam probationem respondetur, non recte colligi ex eo, quod *intelligere* compleri non possit sine verbo, atque adeo non sit extrinsecum illi, quatenus per hoc significatur non esse de numero eorum, quæ nunquam ad intellectionem desiderantur,

desiderantur, quod prædictum verbum pertineat intrinsece ad actum intelligendi, tanquam aliquid in recto ab eo importatum : sed solum colligitur, quod habeat necessarium nexum cum illo, tanquam cum objecto per se primo, et (modo infra dicendo) intellecto in his intellectionibus ordinis naturalis, et aliis pluribus, in quibus objectum non est intime præsens in intellectu cum sufficienti actualitate, et immaterialitate, ad hoc, ut se ipso, absque adminiculo verbi a se distincti, possit uniri cum intellectu in ratione objecti intellecti.

Unde contra hoc nullam habet vim probatio ibidem adducta, scilicet intellectionem esse unicam, et simplicem qualitatem, atque adeo non posse resultare ex verbo, et aliqua alia qualitate, sed necessario consistere in verbo, si semel ad illam desideratur : nam quod intellectio sit simplex qualitas, tollit ab ea, ut importet verbum in recto, ut quid intrinsece illam constituens, non tamen, quod afferat illud, tanquam objectum modo explicato, et in eventu jam dicto. Nam sicut de ratione intellectus est, quod sit per se nexus cum objecto intelligibili, ita de ratione intellectionis est, ut habeat etiam nexum cum objecto, de cujus ratione sit esse actu intellectum, seu actu terminans intellectionem, ut supra tetigimus. Constat autem ex dictis in hoc dub. verbum esse objectum actu intellectum per intellectiones jam explicatas, et ita non mirum, quod cum eo habeat necessariam connexionem.

Ad ertium prin-cipale.

214 Ad tertium respondetur, duplicem esse actualem manifestationem rei : aliam quidem per modum vitalis operationis, aliam vero per modum objecti, et similitudinis, quæ non habitualiter, sed actualiter manifestet objectum, quæque sit semper, et indispensabiliter nexa cum actuali intellectione a se distincta. Intellectio igitur est actualis manifestatio rei per modum vitalis operationis, non vero per modum objecti terminantis intellectionem, quodque non habet rationem operationis vitalis. Per quæ ad omnia, quæ ibidem adducuntur, satis constat.

Ad con-firma-ionem.

Ad confirmationem patet ex modo dictis. Nam essentia divina ratione suæ eminentiæ, et purissimæ actualitatis habet adunate rationem, tam intellectionis, quam objecti, de cujus ratione est esse actu intellectum. Cæterum illud prius convenit illi, quia est manifestatio rei intellectæ per modum intelligibilis, et vitalis operationis : at vero hoc posterius competit ei, quatenus correspondet (modo tamen alibi dicendo) verbo mentali, quoad hoc, quod est esse de ratione illius, esse actu, et intrinsece terminans intellectionem, seu esse per modum objecti jam explicati manifestativum rei intellectæ. Unde secundum, quod exprimit hanc rationem, non exprimit se ipsam, ut est intellectio, sed ut objectum intellectum.

Ad quartum.

215 Ad quartum, concesso antecedenti, neganda est conseq. Quia intellectio non est formaliter similitudo quantumvis actualissima objecti. Et ad probationem dicendum est, solum probare, quod sicut species intelligibilis ratione suæ habitualis repræsentationis reddit objectum intelligibile, ita species expressa, sive verbum reddit illud actualiter intellectum, id est, actu terminans intellectionem : non tamen, quod sicut species intelligibilis constituit intellectum in actu primo, tanquam aliquid intrinsecum, et intrinsece pertinens ad talem actum primum, ita verbum constituat intellectum intelligentem, ut quid intrinsecum, et intrinsece spectans ad intellectionem.

Ratio disparitatis.

Et ratio disparitatis sumitur ex supra dictis. Quia licet intellectio debeat oriri, tanquam ab unico principio, et actu primo adæquato, a masculo, et a fœmina intellectuali, nempe ab intellectu, et objecto, sive ab specie intelligibili, quæ sit idem objectum in *esse* intelligibili, reddatque illud intelligibile : et similiter licet objectum, vel verbum, quod in eodem ordine, et actualiori modo sit idem objectum, et constituat illud in ratione intellecti, debeat terminare intellectionem, seu partum illum in intellectionibus supradictis ; non tamen ipsa intellectio in creaturis (de quibus loquimur) est ipsum objectum intellectum, adhuc in *esse* intelligibili, sicut principium et terminus illius habent esse prædictum objectum : quia non est similitudo illius, sed unio cum eo, tanquam cum objecto intellecto, sive tendentia vitalis in illud, tanquam in rem intellectam : ac proinde objectum, vel verbum non pertinebit intrinsece ad intellectionem, ut quid illam intrinsece constituens, sed solum, ut objectum per se inspectum, et cum ipsa actualiter nexum ; quamvis species intelligibilis pertineat ad intellectum, ut intrinsece illum complens, et constituens in actu primo, reddensque

objectum intelligibile; et similiter verbum spectet intrinsece ad rationem termini, et objecti actualis intellectionis : quia utrumque munus est munus rei intellectæ, vel ejus, quod est idem in *esse* intelligibili cùm illa.

Ad utranque confirm.

216 Per quod etiam ad utramque confirmationem patet. Non enim intellectus dicitur intelligere trahendo ad se res, ex eo, quod ipsa intellectio consistat in hoc, quod intellectus intelligibiliter habeat, aut trahat ad se res, seu (quod idem quoad præsens est) sit similitudo in *esse* intelligibili illarum, sed quia nequit dari intellectio, nisi objectum sit intime præsens intellectui, tam in ratione objecti motivi, quam terminativi, seu quantum est ex se actu terminantis intellectionem, sive per se ipsum, sive media prædicta similitudine. Unde cum volumus perfecte intelligere aliquam rem, ideo curamus perfectam ejus similitudinem expressam formare : quia in intellectionibus jam dictis, necessario desideratur talis similitudo ad præstandum hunc influxum; et cum fiat per intellectionem, non potest non ea formata haberi perfecta cognitio talis rei.

Objectio. Occurritur.

Nec refert si objicias, non cohærere hæc cum illis, quæ in Summulis lib. 1. de Terminis cap. 1. N. Complut. dicunt de actibus intellectus, scilicet eos esse per se expressas similitudines rerum. Respondetur enim, id tantum ab illis fuisse dictum adducendo actus intellectus in exemplum ad explicandum signum formale, ut distinctum a signo instrumentali : constat autem ex communi Doctorum sententia, quod ad adducendum aliquid in exemplum, satis superque est uti probabili aliorum sententia, ut D. Thom. multoties id fecit.

Ad ultimum.

217 Ad ultimum respondetur cum nostris Complut. in lib. de Anima disp. citata num. 102. concedendo antecedens. Nam licet intellectio formalissime sumpta non consistat in hoc, quod intellectus fiat res ipsa intellecta, quandoquidem hoc, quod est intellectum esse intelligentem, non est effectus formalis per se primus rei intellectæ : attamen nunquam datur intellectio, quin intellectus fiat in actu res intellecta; vel quia res intellecta unitur per se ipsam in ratione rei actu intellectæ cum ipso intellectu, vel quia unitur cum eo, mediante verbo illius defectum supplente. Et deinde neganda est utraque conseq. Et ad probationem prioris, in qua posterior innititur, patet ex modo dictis. Quoniam verbum non est utcumque forma rei intellectæ, seu res ipsa intellecta, sed forma illius expressa, et producta per intellectionem. Cæterum ad hoc, ut intellectus intelligat, non est necesse, ut fiat in actu per hanc formam, sed per eam, vel per ipsam rem intellectam, non expressam per intellectionem, sed per se ipsam ratione suæ summæ actualitatis unitam cum intellectu per modum objecti intellecti, seu objecti actu terminantis intellectionem, propter quam rationem solet nomine verbi, communiter dicti, nuncupari.

Ad argumenta secundæ sententiæ dubio sequenti responsum præbebimus.

DUBIUM X.

Utrum recte probetur impossibilitas verbi creati clare, et quidditative repræsentantis Deum, ex eo, quod Deus essentialiter est ipsum esse *quidditative intellectum, et ita nequit mediante verbo creato quidditative intelligi.*

Ratio excitandi hoc dubium.

218 Merito dubium hoc sigillatim a nobis excitatur. Nam, sicut agentes de impossibilitate speciei impressæ, et creatæ, quidditative repræsentantis Deum, desumpsimus impossibilitatem istam, tum ex rationibus, quæ expresse in hoc articulo a D. Thom. adducuntur, tum etiam, et sigillatim, ex ratione alia ab eodem S. Doctore, quodlibeto ibidem citato, et 4. contra Gent. cap. 11. adducta : ita æquum erat, ut tractantes de impossibilitate verbi creati, quidditative Deum repræsentantis, eam desumeremus, tum ex rationibus expresse a Sancto Doctore in hoc articulo adductis, quod quidem dubio præcedenti præstitimus : tum etiam et sigillatim ex ratione illa quodlibeto citato, et 4. cont. Gent. cap. relato ab eodem S. Doctore allata ad præsens tamen applicata, nimirum ex eo, quod Deus est suum *esse* intelligibile, et intellectum, seu (quod in idem redit) ex eo quod non solum ex se, et essentialiter habet esse objectum motivum intellectus respectu quidditativæ cognitionis sui, sed etiam esse objectum actu terminans prædictam cognitionem, et ita nequit dari verbum, quod quidditative ipsum repræsentet ut in hoc dubio latius expendemus.

Conjunximus autem rationes articuli præsentis in unico dubio, quia suppositis iis, quæ supra circa impossibilitatem speciei impressæ de illis diximus, nihil peculiare

liare circa ipsas occurrebat : sicut propter oppositam rationem examen illius rationis, quam D. Thom. quodlibeto citato adducit, in hoc peculiari dubio habebitur, quia ratio illa, quoad præsens applicata nonnihil majoris difficultatis, saltim externa specie, habere videtur.

§ I.

Refertur opinio negans.

Primum argumentum.

219 Partem negantem tuentur omnes Doctores dub. præcedenti pro prima, et secunda sententia adducti, potestque probari primo. Nam licet daretur verbum creatum quidditative repræsentans Deum, non tamen propterea tribueret ei, quod esset cognitus ab intellectu creato secundum eam rationem, secundum quam ipse habet ex se, et essentialiter esse cognitus ab illo, seu secundum eam rationem, secundum quam habet terminare cognitionem ejus : ergo ratio facta, et totum illius fundamentum ruit. Conseq. videtur certa. Quoniam tota vis hujus rationis, quam modo discutimus, consistit in hoc, quod si daretur verbum creatum, redderet Deum actu intellectum, seu constitueret eum in ratione objecti terminantis actu intellectionem creatam, licet ipse essentialiter id haberet : si autem verbum creatum non tribueret Deo esse intellectum quidditative ab intellectu creato secundum eam rationem, secundum quam illi convenit esse ex se, et essentialiter intellectum, non tribueret ei id, quod ipsi essentialiter competit, et ita tota vis istius rationis rueret.

Probatur antecedens.

Antecedens autem probatur. Quoniam esse actu intellectum, seu cognitum conveniens essentialiter Deo, consistit in hoc, quod ita sit quidditative solum cognitus ab intellectu creato, ut simul sit quidditative, et comprehensive cognitus a proprio intellectu divino : ac proinde hoc, quod est esse solum quidditative cognitum ab intellectu creato, excludendo, quod habeat esse intellectum quidditative, et comprehensive ab intellectu divino, non est *esse* intellectum, quod est proprium Dei, quodque convenit illi essentialiter, ut ex se constat. At licet daretur verbum creatum quidditative repræsentans Deum, tunc tribueret ei, quod esset quidditative cognitus ab intellectu creato, excludendo, quod ratione prædicti verbi esset quidditative, et comprehensive simul cognitus ab intellectu divino : siquidem prædictum verbum solum esset in intellectu creato, non vero in divino : ergo tale verbum non tribueret Deo esse intellectum, seu cognitum ab intellectu creato secundum eam rationem *esse* intellecti, quæ essentialiter, et ex se convenit ipsi Deo.

220 Quæ objectio habere videtur adhuc majorem vim contra hanc rationem, quatenus per eam probari innititur impossibilitas verbi creati repræsentantis quidditative Deum, quam contra eandem, quatenus per eam convinci intenditur impossibilitas speciei intelligibilis eodem modo repræsentantis illum, prout est in se. Nam quævis species intelligibilis quidditative repræsentans objectum, repræsentat illud, quatenus est ex se, comprehensive : non tamen quævis species expressa repræsentans quidditative suum objectum, debet repræsentare illud comprehensive : et ita species intelligibiles Angelicæ repræsentant comprehensive quidquid habent repræsentare quidditative ; secus vero species expressæ eorum : quia possunt pro libito uti prædictis speciebus ad cognoscendum præcise quidditative aliquod objectum per illas repræsentatum, et tunc verbum per talem cognitionem productum, solum repræsentat quidditative illud objectum, ex eo, quod commensuratur cum intellectione, per quam fit : ergo etiam verbum creatum productum per visionem beatorum, quæ solum quidditative Deum attingeret, repræsentaret tantum quidditative, non vero comprehensive divinam essentiam : et ita non posset Deo tribuere, quod esset cognitus quidditative, et comprehensive, seu quod terminaret cognitionem quidditativam, et comprehensivam respectu intellectus creati, vel divini : et per consequens nec tribueret ei illud *esse* actu intellectum, quod ipsi essentialiter competit.

Secundo.

221 Secundo probatur. Nam in divinis producitur verbum proprie, et stricte dictum, et nihilominus, quia essentia divina habet ex se ipsa esse intellectam, seu esse objectum actu terminans intellectionem, propterea non tribuit ei esse intellectam : ergo propter eandem rationem verbum creatum productum in visione beatifica non tribueret divinæ essentiæ id, quod ipsa essentialiter habet, nimirum, terminare intellectionem sui quidditativam. Antecedens communiter recipitur a Theologis. Conseq. autem ex paritate rationis constare videtur.

§ II.

Decisio dubii.

Conclusio. Probatur.

222 Dicendum tamen est, recte convinci impossibilitatem verbi creati quidditative Deum repræsentantis ex vi hujus rationis, quam in titulo innuimus. Ita discipuli D. Thom. Assertio hæc non aliter melius probabitur, quam adducendo prædictam rationem, et eam explicando : quæ quidem sub hac forma proponi potest. Nam sicut essentia divina est suum *esse* intelligibile, et suum *intelligere*, ita est suum *esse* actu intellectum : ergo sicut ob illam rationem, nimirum, quia est suum *esse* intelligibile, nequit reddi intelligibilis per aliquam aliam speciem intelligibilem, ac proinde, nec dari species intelligibilis creata repræsentans illam quidditative, cujus proprium est reddere intelligibile objectum, quod per illam sic repræsentatur ; ita propter hanc rationem, scilicet quia est suum *esse* actu intellectum, nequibit reddi objectum actu intellectum per aliquam formam creatam : et per consequens, nec poterit dari verbum creatum repræsentativum ipsius quidditative. Antecedens satis constat. Conseq. autem, quoad 1. part. ex dictis dub. 4. hujus disp. constat. Quoniam quotiescumque aliquid est a se ipso, et essentialiter tale, nequit reddi tale ab alio, sicut, quia unio essentialiter est unio extremorum, et unio sui cum illis, ideo nequit uniri ratione alterius : et ita si essentia divina se ipsa, et essentialiter est intelligibilis quidditative, nequibit dari species intelligibilis quidditative illam repræsentans, ex eo quod munus hujus speciei est reddere intelligibile objectum, quod per illam repræsentatur. Ex quo, etiam eadem conseq. quoad 2. part. patet : siquidem est proprium prædicti verbi reddere objectum per illud repræsentatum, actu intellectum.

Confirmatur primo.

223 Confirmatur, et explicatur. Quia si daretur prædictum verbum creatum, tunc constitueret, et non constitueret Deum in ratione intellecti, seu in hoc, quod est terminare actu visionem beatam : ergo sequeretur aperta contradictionis implicatio. Antecedens, quoad 1. part. patet. Quia, ut statim amplius explicabimus, de ratione verbi distincti essentialiter in *esse* entitativo ab objecto intellecto, quale esset prædictum verbum creatum respectu Dei, est constituere illud in ratione intellecti. Quoad 2. vero etiam constat, tum propter nuper dicta, tum etiam, quia jam aliquid creatum quodammodo actuaret divinam essentiam : siquidem tribueret ei, quod esset actu terminans intellectionem beatam.

Secundo.

224 Confirmatur 2. Nam ideo Angelus indiget specie expressa, ad hoc, ut se ipsum cognoscat, non vero specie impressa a se ipso distincta, quia licet sit cognoscibilis in actu primo ratione suæ immaterialitatis, et actualitatis, nihilominus, quia hæc non est per modum actus secundi, sed habet admixtam potentialitatem, propterea ex vi propriæ essentiæ præcise sumptæ non habet esse cognoscibilem in actu secundo, sed solum in actu primo, ac proinde indiget specie expressa, per quam in actu secundo reddatur intelligibilis, seu (quod idem est quoad præsens attinet) per quam constituatur in ratione objecti actu terminantis cognitionem sui : ergo cum Deus non solum habeat ex se esse proxime, et immediate cognoscibilem in actu primo, sed esse cognoscibilem in actu secundo, seu esse terminum actu terminantem quamlibet cognitionem sui quidditativam, siquidem non solum est suum *esse* intelligibile, sed etiam suum *esse* intellectum, ex eo, quod est actus purus in hoc ordine, consequens erit, ut non indigeat specie expressa, aut verbo ad hoc ut quidditative a beatis videatur, imo, quod non possit mediante eo videri.

§ III.

Solutio adversariorum, et prima ejus impugnatio.

Solutio.

225 Occurrunt adversarii, quod licet pertineat ad perfectionem divinæ essentiæ esse intelligibilem ab intellectu creato, non tamen esse actu intellectam ab illo : et ita illud prius habet a se, secus vero hoc ultimum : et ita nequit reddi intelligibilis per aliquam formam creatam, bene tamen poterit per aliquid creatum (nempe verbum) reddi intellecta respectu intellectus creati.

Confirmatio solutionis.

Hanc autem solutionem confirmant. Tum ex eo, quod si non esset Deus intelligibilis ab intellectu creato, non haberet infinitam perfectionem in ratione objecti intelligibilis; secus tamen licet non esset actu intellectus ab illo, et propterea ejusdem esset perfectionis, quamvis a nullo intellectu creato videretur, seu quamvis non esset objectum actu visum respectu illius. Tum etiam : quia

quia hoc, quod est esse objectum actu intellectum respectu intellectus creati, non convenit illi ante intellectionem, seu visionem creatam, ut ex terminis ipsis constare videtur : ergo signum est hoc non pertinere ad intrinsecam Dei perfectionem, atque adeo, neque ei ex se convenire; siquidem ea, quæ spectant ad intrinsecam perfectionem Dei, et ei ex se competunt, non possunt non ei convenire antecedenter ad intellectionem creatam. Tum denique (et est confirmatio, ac explicatio duplicis rationis præcedentis) quia potius ex hac ratione, in favorem nostræ assertionis adducta, videtur sequi dandum esse verbum creatum repræsentativum Dei prout est in se, ad hoc, ut ipse quidditative videatur. Nam licet essentia divina habeat essentialiter esse intellectam a Deo, non tamen ab intellectu creato : ergo licet ad hoc, ut intelligatur a Deo, non indigeat verbo producto, ratione cujus reddatur intellecta ab eo, bene tamen ad hoc, ut intelligatur ab intellectu creato.

Impugnatur primo.

226 Cæterum solutio hæc non satisfacit. Nam falsum est, quod esse objectum actu intellectum respectu intellectus creati, et beati, ut talis, non pertineat ad intrinsecam perfectionem divinæ essentiæ, si per hoc denotetur (ut re vera denotari debet) quod esse objectum, quantum est ex se, actu intellectum ab illo, seu quantum est de se habens sufficientem actualitatem, ad hoc, ut se solo, et sine adminiculo alterius terminet actu intellectionem creatam, scilicet visionem beatam (in quo sensu de *esse* intellecto in præsenti loquimur) non spectet ad intrinsecam ejusdem essentiæ perfectionem. Et ratio videtur aperta. Nam sicut ad munus objecti intellectus spectat, ut habeat rationem objecti motivi in ordine ad intellectionem, ita etiam ad munus ejusdem objecti pertinet, ut sortiatur rationem objecti terminativi, seu quantum est ex se actu terminantis eandem intellectionem : ergo sicut habere sufficientem immaterialitatem, et actualitatem, ad hoc, ut per se, et ratione sui, et absque interventu alterius habeat rationem objecti motivi, pertinet ad intrinsecam perfectionem prædicti objecti, et multo magis, quod habeat rationem objecti, quantum est ex se actu moventis in ordine ad intellectionem, ita etiam spectabit ad intrinsecam perfectionem ejusdem objecti, quod habeat sufficientem immaterialitatem, et actualitatem, ad hoc, ut quantum est ex se, et absque adminiculo alterius, habeat vim ad actu terminandam intellectionem, seu quantum est ex se actu terminet illam.

Explicatur, et corroboratur.

227 Confirmatur, et explicatur. Nam sicut in hoc, quod est esse objectum intelligibile, involvitur duplex intelligibilitas; alia, quæ est denominatio extrinseca proveniens a potentia intellectiva, atque adeo tenet se ex parte potentiæ, et refunditur in ipsum objectum; alia vero, quæ se tenet ex parte objecti, quæque provenit ex intrinseca immaterialitate, et actualitate ipsius, et si hæc illi desit, provenit ei ab specie intelligibili ex parte illius se tenente, et ejus defectum supplente : ita in hoc, quod objectum sit actu intellectum includitur etiam, duplex *esse* intellectum; aliud, quod est denominatio extrinseca proveniens ab intellectione, ac proinde tenet se ex parte ejus, et refunditur in ipsum objectum; aliud vero, quod se tenet ex parte objecti, et dicit in eo tantam immaterialitatem, et actualitatem, ut saltim quantum est ex se actu terminet intellectionem, et sit (ut sic dicamus) id, supra quod cadit immediate denominatio illa extrinseca ab ea intellectione proveniens; ita ut, ad hoc ut actu terminet, non indigeat aliquo supplente defectum actualitatis, et immaterialitatis ipsius : vel si eo indiguerit, tunc hic defectus suppleatur a verbo, ut ab aliquo ex parte ejus se tenente : ergo licet illud prius *esse* intellectum non dicat intrinsecam perfectionem in objecto, et ex parte illius primordialiter se tenentem; bene tamen hoc posterius *esse* intellectum : sicut quamvis illud prius *esse* intelligibile a potentia intellectiva proveniens non dicat intrinsecam perfectionem in objecto; bene tamen posterius *esse* intelligibile ex parte objecti se tenens : quandoquidem debita proportio, quæ est inter objectum intelligibile, et intellectum hæc exigit (ut ex se, et ex jam dicendis magis constabit). Imo (ut in hoc eodem dubio expendemus) hoc, quod est objectum esse actu intellectum, prout denotat *esse* intellectum ex parte objecti se tenens, et illam actualitatem, et immaterialitatem jam insinuatam, dicit longe majorem perfectionem in objecto, quam *esse* intelligibile, quod in eo reperitur.

§ IV.

Impugnatio secunda solutionis adversariorum.

228 Deinde hoc ipsum suaderi primo, et explicari potest, ex eo, quod quotiescunque

datur verbum creatum, tunc non desideratur ad intellectionem, tanquam aliquid, in quo ipsa intellectio essentialiter consistat, sed tanquam aliquid se tenens ex parte objecti, et supplens ejus defectum, seu tanquam objectum interius, quod essentialiter habet esse terminum actu terminantem eandem intellectionem, et ratione cujus objectum per illud repræsentatum habet ultimate terminare : ergo quoties producitur verbum per intellectionem, provenit ex defectu objecti, scilicet ex eo, quod non habet tantam actualitatem, et immaterialitatem, ut ex se, et essentialiter habeat esse objectum actu intellectum, seu actu terminans, quantum est ex se intellectionem : ergo, quod objectum se solo essentialiter, et absque indigentia verbi habeat, ut quantum est ex se sit actu intellectum, seu terminet actu intellectionem, dicit intrinsecam perfectionem, et actualitatem in ipso. Hæc secunda consequentia ex priori aperte patet. Nam si indigentia verbi ad hoc, ut objectum actu terminet, provenit ex defectu, ac proinde ex imperfectione intrinseca ejusdem objecti, consequens erit, ut quod non indigeat illo in ordine ad terminandum actu intellectionem, dicat intrinsecam perfectionem, et actualitatem in ipso : sicut, quia species intelligibilis desideratur, ut aliquid se tenens ex parte objecti, ut habet rationem objecti motivi, et ad supplendum ejus defectum, et potentialitatem intrinsecam, ideo, quod objectum ea non indigeat, sed se ipso essentialiter habeat movere intellectum, dicit intrinsecam actualitatem, et perfectionem in eodem objecto. Prima vero consequentia ex antecedenti patet. Nam si non proveniret ex defectu objecti, quod produceretur verbum per intellectionem, tunc verbum non desideraretur, ut aliquid se tenens ex parte objecti, et supplens ejus defectum, ut in antecedenti dicitur.

Probatio antecedentis quoad primam partem.

Antecedens autem, quoad 1. part. nempe, quod quotiescumque datur verbum per intellectionem creatam productum, tunc non desideratur tanquam aliquid, in quo essentialiter consistat intellectio, constat ex dictis dub. præced. et ex iis, quæ late nostri Complut. in lib. de Anima disp. 21. quæst. 23. et 4. docent, quæ ad hujus exactam intelligentiam sunt omnino videnda.

Quoad tertiam.

229 Quoad 3. vero part. scilicet verbum requiri, ut ratione ejus habeat objectum per illud repræsentatum esse actu terminans ultimate intellectionem, satis constat ex secunda parte ejusdem antecedentis, nempe verbum desiderari tanquam objectum interius, quod essentialiter habet esse terminum actu terminantem eandem intellectionem. Tum, quia, cum verbum non sit objectum, *quod*, ultimatum, non potest requiri per modum objecti actu, et essentialiter terminantis intellectionem, nisi, ut eo mediante objectum per illud repræsentatum habeat illam ultimate terminare. Tum etiam : quia ab eo, quod est essentialiter tale, debent omnia alia, quæ participant illam rationem, esse talia : et ita si verbum essentialiter est objectum actu terminans intellectionem, debet objectum per illud repræsentatum habere ab eo, quod actu terminet.

Quoad secundam suadetur primo.

230 Quoad 2. autem part. nuper dictam, idem antecedens suadetur. Tum quia illud docet D. Thom. 4. contra Gent. cap. 11. ubi inquit, quod *esse verbi est intelligi*, id est, quod esse ejus est talis conditionis, ut inter alia, indispensabiliter habeat esse objectum terminans actu intellectionem, et ita ibi inquit, quod verbum hominis non potest dici absolute, et simpliciter homo, sed secundum quid, scilicet homo intellectus. Unde hæc falsa esset : *Homo est verbum;* sed hæc potest esse vera : *Homo intellectus est verbum :* et quæst. 4. de verit. art. 2. ad 3. ait : *Quod conceptio intellectus est media inter intellectum, et rem intellectam, quia ea mediante operatio intellectus pertingit ad rem, et ideo conceptio intellectus non solum est id, quod intellectum est, sed etiam id, quo res intelligitur : ut sic id, quod intelligitur possit dici, et res ipsa, et conceptio intellectus, et similiter id, quod dicitur, potest dici, et res quæ dicitur per verbum, et verbum ipsum.* Si autem verbum non haberet ab intrinseco esse objectum actu intellectum, seu terminans actu intellectionem, non esset unum (ut nuper dicebamus) id, quo res per illud repræsentata intelligitur, seu quo terminat actu eandem intellectionem, ita, ut verbum immediate, et ratione sui, res vero repræsentata mediate, et ratione verbi terminaret : siquidem id, quod est prima et immediata ratio terminandi, habet per se, et ab intrinseco terminare : sicut id, quod est prima ratio dealbandi, habet per se, et ab intrinseco esse album, saltim, ut *quo*.

Secunda probatio ejusdem partis.

231 Tum etiam : quia illud satis explicat, et suadet sequens probatio. Nam cum sit proprium intellectus intelligere trahendo ad se suum objectum, et tale objectum habeat respectu illius, tum rationem objecti motivi

vi, tum etiam objecti terminativi, oportet, ut secundum utramque rationem trahatur ab intellectu, quoties prædictum objectum non est per se ipsum unitum illi, et cum sufficienti actualitate, et immaterialitate ad hoc, ut possit utrumque munus exercere. Quare, cum per speciem intelligibilem solum trahatur objectum ad intellectum in ratione objecti motivi, et principii intellectionis, non vero in ratione objecti terminativi, seu (ut melius dicamus) terminantis intellectionem, consequens est, ut in prædicto eventu debeat necessario dari species expressa, seu verbum, per quod objectum intellectum trahatur ad virtutem intellectivam in ratione objecti terminantis intellectionem.

Unde sicut species intelligibilis essentialiter est principium intellectionis, quia per eam res intelligibilis in ratione objecti motivi ad intellectum trahitur, et ideo objectum exterius ratione illius est principium efficiens respectu intellectionis, ita etiam verbum essentialiter erit ipsa intellectio intellecta, seu terminus, vel objectum interius, de cujus conceptu sit, esse objectum intellectum, seu objectum actu terminans intellectionem, et quod ratione illius objectum exterius non habens sufficientem immaterialitatem, et actualitatem, sit actu terminans ultimate intellectionem : siquidem per illud trahitur res ad intellectum in ratione objecti actu terminantis intellectionem.

Tertia. 232 Tum deinde (per quod tacita quædam evasio, quæ præcedenti probationi adhiberi poterat, manebit impugnata.) Quoniam cum verbum, seu species expressa creata essentialiter habeat hoc, quod est requiri præcise propter indigentiam intellectionis, ita, ut tantum detur quando intellectio ea indiguerit, secus vero quando ea non indiget, ut ex dubio præcedenti, et ex iis, quæ N. Complut. in lib. de Anima disp. 21. tradunt, constat; oportet, ut ei essentialiter etiam competat, quod tamdiu duret, quamdiu ipsa intellectio adest, quia tunc tantum ea indiget, et quod ea evanescente evanescat : siquidem intellectio, tunc non est illa indigens : ergo etiam oportebit, quod essentialiter habeat esse actu terminans intellectionem. Patet conseq. Quoniam id, cui essentialiter competit esse terminum, seu objectum intellectionis, et habere indispensabilem nexum in *esse fieri, et conservari* ab illa, non potest non habere essentialiter hoc, quod est, esse actu intellectum per ipsam, seu hoc, quod est actu eam terminare.

Ultima. 233 Tum denique ex discrimine, quod intercedit inter speciem intelligibilem, et verbum, seu speciem expressam. Nam cum species intelligibilis teneat se ex parte objecti, debet commensurari cum ipso : et ita sicut si objectum per se ipsum haberet rationem speciei intelligibilis præcise sumptæ, tantum haberet rationem objecti motivi, non vero peteret essentialiter, ut semper esset objectum actu movens ad intellectionem, et actu influens in eam, sic neque species intelligibilis id habet. Cæterum verbum tenet se ex parte objecti, ac intellectionis modo dicto, et ita ex qua parte se tenet ex parte objecti, est ejusdem naturæ cum illo, sicut etiam species intelligibilis quidditative repræsentans est propter eandem rationem ejusdem naturæ cum eodem objecto : at ex quo capite tenet se ex parte intellectionis, et non utcumque, sed tanquam aliquid propter indigentiam ipsius præcise productum, debet in ratione objecti habere eam actualitatem, quam ipsa intellectio in ratione intellectionis habet : et ita sicut ipsa essentialiter est actualis tendentia in verbum, et eo mediante in objectum ultimatum, et ita etiam verbum essentialiter erit objectum actu terminans intellectionem, et ratione cujus objectum ultimatum eam terminat.

Corollarium. Unde propter hanc rationem solet communiter dici, quod licet species intelligibilis, et species expressa sint similitudines formales objecti, attamen species intelligibilis repræsentat illud habitualiter, at vero species expressa actualissime. Nam sicut imago externa, tunc dicitur repræsentare actualiter visui suum prototypum, quando actualiter videtur, non vero quando sic non videtur, et propterea tunc solum in actu primo, et per modum habitus (formaliter tamen) illud repræsentat, ita, quia non est de essentia speciei intelligibilis actu intelligi, bene tamen de essentia verbi, propterea illa solum habitualiter, hoc vero actualissime repræsentat, licet tam hoc, quam illa sint similitudines formales ejusdem objecti.

§ V.

Satisfit tribus probationibus, quæ in favorem solutionis adversariorum num. 225. adductæ sunt.

Ad primam probationem.

234 Nec ea, quæ pro se adducit adversariorum solutio, ei favent. Nam ad 1. probationem patet ex dictis, quomodo Deus non haberet infinitam perfectionem, et actualitatem, si ex se, et absque indigentia verbi creati a se distincti, non esset actu intellectus ab intellectu creato, prout *esse* intellectum in præsenti sumitur, nimirum, prout dicit tantam actualitatem, et immaterialitatem, ut quantum est ex se et absque indigentia verbi distincti, habeat se ipso terminare, actu intellectionem creatam, per quam quidditative videatur, ita, ut quod actu semper non terminet non proveniat ex defectu divinæ essentiæ, sed ex defectu visionis creatæ. Cæterum cum his cohæret, ut maneret cum eadem perfectione, quam modo habet, licet non esset intellectus, ab intellectu creato, prout *esse* intellectum dicit denominationem extrinsecam provenientem ab intellectione creata : quia hoc *esse* intellectum oritur ab intellectione : et ita, nec auget, nec minuit divinam perfectionem. At illud prius *esse* intellectum tenet se ex parte objecti, et dicit maximam actualitatem, et immaterialitatem in illo, et propterea si a Deo auferretur, non posset non tolli ab ipso maxima quædam ejus perfectio, et actualitas.

Ad secundam.

235 Ex quo ad secundam probationem dicendum est, quod licet esse objectum actu intellectum respectu intellectus creati, prout dicit prædictam denominationem extrinsecam provenientem ab intellectione beatorum, non conveniat Deo ante talem intellectionem : bene tamen esse objectum actu intellectum respectu ejusdem intellectus creati, prout per hoc denotatur illud prius *esse* intellectum, nimirum, quod quantum est ex se, et ex vi suæ summæ actualitatis, et immaterialitatis, terminet actu prædictam intellectionem, seu habeat vim actualissimam ad illam actu terminandam, licet exercitium hujus terminationis non detur, nisi dum actu est intellectio creata quidditative ipsum attingens. Unde, quod semper non exerceat actu munus istud terminandi, non provenit ex defectu Dei, et immaterialitatis, ac actualitatis illius, sed ex defectu visionis creatæ, quæ requiritur per modum conditionis, et connotati : et ita hoc ipso, quod hæc ponatur, exercet Deus se ipso, et absque interventu, et indigentia alicujus a se distincti prædictum munus actu terminandi, ex eo, quod est suum *esse* actu intellectum, ut explicatum est, et statim adhuc magis explicabitur.

Ad ultim.

236 Ex quo etiam ad ultimam probationem negandum est antecedens. Nam licet essentia divina non habeat essentialiter esse intellectam ab intellectu creato, prout esse intellectam ab illo dicit denominationem extrinsecam provenientem ab intellectione creata, bene tamen prout esse intellectam ab eodem dicit esse objectum tantæ actualitatis, quod quantum est ex se actu terminaret intellectionem, ita ut, quod in exercitio non terminet, solum proveniat ex defectu ejusdem intellectionis, non vero ex defectu divinæ essentiæ : et ita non indigebit verbo a se distincto, ratione cujus reddatur intellecta respectu intellectus creati : quia verbum prædictum non desideratur ad hoc, ut tribuat objecto esse intellectum prout esse intellectum sumitur priori illo modo, sed ut tribuat illi esse intellectum prout dicit vim actualem ad actu terminandum, et ut suppleat defectum actualitatis, et immaterialitatis, qui est in objecto, ratione cujus non habet esse essentialiter intellectum per aliquam intellectionem, seu non habet actu terminare illam : et propterea hoc ipso, quod essentia divina sit a se ipsa essentialiter intellecta, nequibit indigere verbo creato, per quod modo dicto, reddatur actu intellecta respectu intellectus beati, sed ratione suæ actualitatis, et *esse* intellecti, quod a se habet, poterit absque indigentia alicujus verbi creati terminare, tam intellectionem increatam, quam intellectionem quamcumque beatificam, et creatam.

Exemplum ad ea, quæ dicta sunt explicanda.

237 Possuntque omnia hæc explicari exemplo personalitatis Verbi divini. Nam sicut ad hoc, ut *esse* personale illius possit secundario extendi ad terminandam naturam humanam Christi Domini, ita ut ex parte sui sit ipsa actualis terminatio illius, non requiritur, quod sit de ratione ejus esse actu, et in exercitio terminantem illam, sed satis est, quod habeat esse ipsam filiationem in abstracto per essentiam, et per modum actus purissimi : et propterea solum Verbum divinum, vel aliæ ex personis Sanctissimæ Trinitatis possunt (ut sic dicamus) personare naturam alienam : ita ad hoc, ut divina essentia possit se ipsa, et secundario, scilicet

scilicet post unionem cum intellectu divino uniri cum intellectu beato in esse objecti intellecti, non est necessarium, quod sit de ratione ejus esse actu intellectam ab illo, sed satis est eam esse ipsum actuale *esse* intellectum in abstracto per essentiam, et per modum actus purissimi.

Ratio hujus. Et ratio est eadem utrobique. Quia hoc ipso, quod subsistentia Verbi, et essentia divina habeant conditiones jam dictas, habent essentialiter esse actu terminantes suum proprium, et per se primum terminabile : et ita se ipsis absque aliqua additione possunt extendi ad secundarium terminabile ; et quod actu non extendantur, non est ex defectu earum, sed ex defectu, et potentialitate naturæ humanæ, et intellectionis creatæ. Unde sicut subsistentia creata dicit essentialem commensurationem cum natura creata, quam terminat, ita ut non possit aliam secundario terminare, secus subsistentia increata : et sicut subsistentia increata hoc ipso, quod terminet primario naturam divinam, et secundario creatam, habet, ut quoad terminationem primariam semper, et indispensabiliter actu, et in exercitio terminet, secus vero, quoad terminationem secundariam, sed solum, quoad hanc habet, ut quantum est ex se actu terminet : ita ad rationem verbi creati pertinet, ut habeat omnimodam commensurationem cum unica intellectione creata, quam terminat ; secus vero ad rationem verbi increati communiter dicti, de quo in præsenti loquimur : et ideo de ratione illius, nempe verbi creati est, ut non possit non semper terminare intellectionem, quam aptum est terminare, non vero de ratione verbi increati communiter dicti, et collati cum intellectione, quam secundario terminat, sed aliquando eam actu, et in exercitio terminat, aliquando vero eam non terminat, ita, ut hoc ex defectu ipsius intellectionis, non vero actualitatis ejusdem verbi proveniat. Cæterum in quo sensu, et qua ratione nomen *Verbi* divinæ essentiæ tribuamus, constat ex iis, quæ in solutione ad ultimum pro prima sententia dubio præcedenti diximus.

§ VI.

Corollarium notatu dignum ad elucidanda ea, quæ diximus, et ad solutionem plurium argumentorum.

238 Ex quibus omnibus sequitur, tum major elucidatio illius, quod nuper dicebamus, scilicet ad rationem objecti terminantis intellectionem, et non indigentis verbo, requiri majorem immaterialitatem, et actualitatem, majoremque perfectionem intrinsecam in ipso objecto, quam ad rationem objecti motivi : tum etiam, quomodo hoc, quod est objectum terminare actu intellectionem per se ipsum, et absque indigentia verbi, dicat perfectionem intrinsecam in illo, distinctam ab objecto, quod in potentia tantum est terminativum illius : tum denique, quomodo objectum per se, et absque verbo distincto terminans intellectionem, non possit non essentialiter habere, quod sit intellectum actu per aliquam intellectionem, ac proinde quomodo hoc soli divinæ essentiæ possit convenire.

Ratio Corollarii quoad primam ejus partem. 239 Ratio autem hujus Corollarii, quoad priorem part. est. Tum, quia datur objectum, quod per se, et absque indigentia alterius possit habere rationem objecti motivi, ut in essentia Angeli respectu proprii intellectus constat : et tamen non potest per se, et ratione sui absque interventu verbi, et indigentia ejus terminare actu intellectionem, ut ex dictis patet : ergo signum est, quod esse objectum per se, et ratione sui absque indigentia verbi terminans actu intellectionem, dicit majorem perfectionem, et actualitatem, quam sit illa, quæ in objecto per se, et ratione sui motivo intellectus, desideratur, alioqui non esset cur Angelo non conveniret utrumque.

Tum etiam : quia, ut jam tetigimus, verbum est actualius, quam species intelligibilis : ergo cum utrumque suppleat defectum objecti, signum est, quod defectus, qui suppletur in objecto terminativo, est major, quam ille, qui suppletur in objecto motivo : et per consequens, quod objectum terminativum non indigens, quod suppleatur in eo hic defectus, sit actualius objecto motivo non indigente etiam specie, sed se ipso movente ad intellectionem.

Tum denique (et est confirmatio, et explicatio præcedentis probationis.) Nam id ipsum actualitatis debet habere res non indigens verbo, quod habet verbum, ut supplens defectum illius, sicut id ipsum actualitatis debet habere objectum non indigens specie intelligibili, quod habet species supplens defectum objecti, quando ea indiget. Quare cum verbum dicat tantam actualitatem in ordine intelligibili, ut essentialiter dicat esse objectum actu intellectum, seu actu terminans intellectionem, consequens

est, ut id ipsum debeat habere objectum per se, et ratione sui, ac sine indigentia verbi terminans; cumque hoc dicat majorem actualitatem in ordine intelligibili, et propterea verbum sit quid actualius in hoc ordine, quam species intelligibilis, ut modo dicebamus, inde est, ut ad rationem prædicti objecti terminantis intellectionem requiratur major actualitas, majorque immaterialitas, quam ad rationem objecti motivi.

Quoad secundam.

240 Ratio vero ejusdem Corollarii, quoad secundam ejus partem, nempe, quod objectum terminare actu intellectionem per se ipsum, et absque indigentia verbi, dicat perfectionem intrinsecam in illo, distinctam ab objecto, quod tantum in potentia est terminativum, deducitur : tum ex prima, et secunda probatione pro prima parte hujus Corollarii adducta, ut intuenti constabit : tum etiam ex tertia. Nam sicut verbum supplens defectum objecti terminativi habet intrinsece, et in *esse* verbi esse actu terminans, non vero esse terminativum in potentia, et propterea non potest non distingui ab eo, quod tantum est in potentia terminativum, ita etiam objectum non indigens verbo, sed se ipso terminans habebit intrinsece esse actu terminans, non vero in potentia : ac proinde erit distinctum ab objecto, quod tantum in potentia est terminativum.

Quoad ultimam.

Ex quo etiam ratio ejusdem Corollarii, quoad ult. part. colligitur : siquidem, ut modo dicebamus, id ipsum actualitatis debet habere objectum non indigens verbo ad terminandum actu intellectionem, quod haberet verbum, si daretur, ad supplendum ejus defectum. Unde cum verbum supplens defectum objecti, debeat essentialiter habere esse objectum actu intellectum, consequens est, ut id ipsum debeat convenire objecto non indigenti verbo, atque adeo non possit non habere essentialiter, quod sit actu intellectum per aliquam intellectionem, nempe per eam, quæ est ipsi omnium connaturalissima : cumque hoc soli divinæ essentiæ possit competere, ut ex se constat, fit inde, ut sola illa possit non indigere verbo a se distincto ad terminandam actu intellectionem.

---

§ VII.

Fit obviam argumentis primæ sententiæ.

Ad primum.

241 Ad primum respondetur negando antecedens. Quia si daretur prædictum verbum creatum, tunc licet secundum id, quod exprimit, ut tribuit Deo esse intellectum tantum quidditative, et non comprehensive ab intellectu creato, et beato, non tribueret Deo adæquate totum *esse* intellectum, quod ipse ex se, et essentialiter habet, tribueret tamen illi inadæquate illud *esse* intellectum, quod illi essentialiter competit, et secundum eam rationem, secundum quam Deo convenit. Explicatur hoc. Nam dupliciter potest intelligi, quod Deo conveniat esse intellectum quidditative tantum ab intellecto creato, et non esse quidditative, et comprehensive simul cognitum ab intellectu divino. Primo quidem in sensu pure præcisivo, ita, ut ex vi illius conceptus solum concipiatur, ut cognitus tantum quidditative, seu, ut tantum terminans, quantum est ex se, cognitionem pure quidditativam respectu intellectus creati, non vero concipiatur aliquid de illo *esse* intellecto quidditative, et comprehensive, quod habet respectu intellectus divini; et sic in hoc solum sensu pure præcisivo dicatur non habere esse intellectum quidditative, et comprehensive simul ab intellectu divino, quatenus illud *esse* intellectum, seu illa vis terminandi actu intellectionem sui competens ex se Deo, concipitur præcise, quoad munus inadæquatum terminandi solummodo cognitionem quidditativam respectu intellectus creati, nihil curando de eodem secundum munus inadæquatum, quod habet terminandi intellectionem quidditativam, et comprehensivam respectu proprii intellectus divini. Secundo vero modo in sensu negativo, id est, ita, ut taliter concedatur Deo, quod sit cognitus quidditative tantum ab intellectu creato (seu quod in idem redit), quod sit objectum, quantum est ex se, terminans ratione sui prædictam cognitionem, ut simul negetur ab illo, quod habeat esse actu intellectum quidditative, et comprehensive respectu intellectus divini.

Etsi ergo esse intellectum tantum quidditative, seu quidditative, et non comprehensive simul ab intellectu creato, sumpto, ly *tantum* in sensu negativo, prout negat, quod

quod ulla ratione habeat simul esse intellectum quidditative, et comprehensive respectu intellectus divini, non sit adhuc inadæquate *esse* intellectum, seu cognitum conveniens divinæ essentiæ, bene tamen si sumatur in sensu pure præcisivo jam explicato : quia hoc est proprium, et peculiare divinæ essentiæ, ita ut nulli essentiæ creatæ, aut creabili communicari possit, ut licet sit in se unica essentia (ut sic dicamus) atoma, nihilominus a solo Deo sit quidditative, et comprehensive cognoscibilis, et cognita, ac proinde a quibusvis aliis solum quidditative sit cognoscibilis, solumque hoc modo sit cognita, quoties intellectus creatus circa illam, prout est in se, versatus fuerit. Quare cum verbum creatum ita tribueret Deo, quod esset intellectus, seu cognitus quidditative tantum, et non comprehensive ab intellectu creato, ut non negaret quominus ipse esset intellectus a suo divino intellectu, tam quidditative, quam comprehensive, alioqui hac etiam ratione implicaret prædictum verbum dari, si quidem nihil potest negare a Deo, seu tollere ab illo, quod sit a se quidditative, et comprehensive cognitus, seu (quod in idem quoad præsens redit), quod se ipso absque interventu verbi a se distincti, et absque indigentia ejus habeat actu terminare cognitionem quidditativam, et comprehensivam sui : consequens esset, ut tale verbum tribueret Deo quandam rationem inadæquatam, quam ipse ex se, et essentialiter habet, scilicet esse intellectum tantum quidditative, et non comprehensive ab intellectu creato.

Ex quo etiam fieret (ut ita tacita objectio solvatur) prædictum verbum consideratum secundum id, quod implicite, sive adæquate haberet, tributurum Deo, quod esset, et non esset quidditative, et comprehensive simul cognitus a se ipso. Nam ex quo capite esset creatum, non posset hoc tribuere, ut ex se constat : et ex quo capite tribueret Deo rationem illam inadæquatam jam dictam, quam ipse ex se, et essentialiter habet, scilicet esse intellectum tantum quidditative, et non comprehensive ab intellectu creato, deberet etiam secundum id, quod implicite, et adæquate affert, habere vim ad tribuendum ipsi Deo, quod esset quidditative, et comprehensive intellectus a se, seu quod esset objectum actu terminans quidditativam, et comprehensivam illam intellectionem, qua se ipsum comprehendit. Nam quod tribuit Deo aliquam rationem ipsi essentialem nequit intrinsece involvere limitationem, et per consequens si adæquate sumatur, debet dicere infinitatem intra suam lineam : at hoc ipso, quod prædictum verbum dicat hanc infinitatem, et excludat limitationem, poterit adæquate sumptum tribuere Deo, quod sit objectum actu terminans, tum quidditativam tantum visionem, qua illum intellectus creatus videt, tum etiam quidditativam, et comprehensivam visionem, qua ipse se comprehendit, alioqui tale verbum non diceret prædictam infinitatem, nec excluderet omnem limitationem, ut intuenti constabit.

Alia solutio.

242 Secundo respondetur, sive magis explicatur præcedens solutio negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, quod si semel daretur verbum creatum quidditative repræsentans Deum, tunc non tribueret, et tribueret Deo, quod esset quidditative, et comprehensive cognitus ab intellectu divino : non tribueret quidem, tum quia, ut supponitur, esset quid creatum : tum etiam, quia divina essentia est ipsa intellectualitas per modum actus purissimi : tribueret autem, quoniam, ut ex prima ratione hujus articuli constat, hoc ipso, quod repræsentaret quidditative Deum, esset ejusdem naturæ cum illo in *esse* intelligibili, et ita tribueret Deo esse intellectum quidditative, et comprehensive simul : siquidem verbum repræsentans Deum, quodque esset actus purus in ordine intelligibili, non posset non tribuere ei esse intellectum ex omni capite perfectissimum : atque adeo esse intellectum quidditative, et comprehensive : cumque hoc non posset habere respectu intellectus creati, tribueret ei, quod esset sic cognitus ab intellectu divino.

Replica.

243 Nec refert si urgeas, quod juxta hanc secundam solutionem, non salvatur, quod illud verbum tribueret Deo esse quidditative, et comprehensive simul cognitum a suo intellectu divino, si præcise sistatur in vi hujus rationis ultimæ, quam elucidamus, et non recurratur ad priorem illam de unitate naturæ in *esse* intelligibili inter verbum quidditative repræsentans, et suum objectum.

Solvitur.

Respondetur enim, hanc ultimam rationem fundari in illa priori, quia eatenus verbum præstat, ut suum objectum terminet actu intellectionem quidditativam, quatenus quidditative illud repræsentat, et non aliunde habet esse ejusdem naturæ cum illo in *esse* intelligibili, nisi quia illud quiddi-

tative repræsentat : cum autem ratio aliqua fundatur in alia, tunc supponit illam, et inde habet suam vim, quamvis ea supposita addat aliquid supra ipsam, ut in præsenti contingit. Nam semel supposito ex prima ratione, quod verbum illud esset ejusdem naturæ in *esse* intelligibili cum Deo, infertur aliud inconveniens, nimirum, quod tribueret, et non tribueret Deo esse intellectum, tam quidditative, quam comprehensive a suo intellectu, ut explicatum est.

Ad secundum.

244 Ad secundum concesso antecedenti, neganda est conseq. Et ratio disparitatis est. Quoniam Verbum divinum productum per intellectionem Paternam, non distinguitur essentialiter a divina essentia, sive in *esse* intelligibili, sive in *esse* entitativo sumpta, sed habet esse repræsentativum ab illa, ut a forma, seu natura, quam includit, et ita non præstat ei esse intellectam ab ipso Deo; sed e contra Verbum est intellectum ratione divinæ essentiæ, ut propriæ naturæ. Cæterum verbum illud, de quo in præsenti loquimur, haberet ex qua parte esset creatum, distingui essentialiter a divina essentia, saltim in *esse* entitativo accepta, et ab illa sic sumpta non acciperet, ut a forma intrinseca *esse* repræsentativum, et ita tribueret ei, quod esset intellecta mediante ipso, præstaretque illi id ipsum, quod prædicta essentia essentialiter habet. Quia verbum distinctum essentialiter ab objecto, ut est sub modo essendi entitativo ad ordinem essentiæ pertinente, non potest produci præcise propter fœcunditatem producentis, sed necessario debet produci, ut tribuat objecto esse actu intellectum : et propterea in divinis, ubi verbum producitur ex sola fœcunditate naturæ, non distinguitur essentialiter ab objecto primario, de quo in præsenti loquimur, ut est sub modo essendi entitativo, et naturali ad ordinem, seu lineam essentiæ pertinente.

Notandum.

Diximus, *ex qua parte esset creatum*, quia cum aliunde haberet etiam esse verbum increatum, ut ex dictis constat, inde est, ut ex hac parte esset ejusdem naturæ cum divina essentia, adhuc in *esse* entitativo sumpta, et haberet formaliter ab illa, et non solum efficienter esse repræsentativum : et ita non præstaret illi, quod esset intellecta, sed potius e contra prædictum verbum esset intellectum ratione divinæ essentiæ : hinc tamen sequitur impossibilitas, et implicatio prædicti verbi creati, quippe, quod si daretur, esset, et non esset creatum, et divinam essentiam redderet, et non redderet intellectam, et præstaret illi, quod terminaret, et non terminaret visionem terminatam ad ipsam prout est in se.

Aliud.

Unde cum ibidem etiam diximus, quod prædictum verbum ex qua parte esset creatum distingueretur essentialiter a divina essentia, saltim, ut est sub *esse* entitativo, non addidimus hanc limitationem, quia putaremus, quod prædictum verbum ex qua parte esset creatum, posset esse ejusdem naturæ cum Deo in *esse* intelligibili ; sed quia certius videtur non posse esse ejusdem naturæ cum Deo, ut est sub modo essendi entitativo, quamvis hoc ipso, quod tale verbum esset creatum, sequeretur fore, et non fore ejusdem naturæ cum divina essentia, adhuc sub *esse* intelligibili sumpta, ut supra dub. 5. et 9. ostensum est.

§ VIII.

Respondetur argumentis secundæ sententiæ dubio præcedenti num. 201. *et deinceps adductis.*

245 Quia ea, quæ pro solutione argumentorum secundæ sententiæ dubii præcedentis dicenda erant, plene capi non poterant, nisi prius illa, quæ in hoc dubio diximus, explicata manerent, ideo merito illa ad hunc locum remittenda duximus.

Ad primum.

Ad primum igitur pro prædicta secunda sententia, concedendum est antecedens iutellectum de prioritate virtuali, vel (quod probabilius est) de prioritate ex parte solius modi concipiendi, non vero ex parte rei conceptæ. Et deinde neganda est consequentia. Et ad probationem transeat prior pars antecedentis, et negetur secunda, scilicet intellectionem, ut est in *facto esse* habere rationem verbi. Nec oppositum convincit probatio ibidem adducta. Nam verbum non est, *factum esse*, intellectionis : siquidem intellectio se ipsa ab intellectu procedit, ut *quo*, et ut *quod*, per modum formæ perfectæ, quamvis prædictum verbum sit quid requisitum ex parte objecti, quoties objectum non habet sufficientem actualitatem ad hoc, ut se ipso, et ad intra absque alio supplente ejus defectum sortiatur rationem objecti actu intelligibilis, et intellecti. Sed hæc amplius in solutione sequenti explicabuntur.

Ad secundum.

246 Ad secundum dicendum est. Patrem Æternum non producere Verbum ex indigentia, sed ex fœcunditate : et ideo nihil referre, quod habeat præsentissimam, summeque proportionatam essentiam divinam in ratione objecti motivi, et terminantis suam intellectionem : nos enim solum asserimus, quod dum objectum est prædicto modo præsens, non potest formari verbum ex indigentia illius : quod autem tunc formetur ex sola fœcunditate, ut in intellectione divina Patris tantummodo contingit, nihil obest. Quia hoc ipso, quod producatur ex sola fœcunditate, non redditur ipsa essentia divina intellecta per illud, seu non accipit ab eo quod sit actu terminans intellectionem Dei, sed potius e contra se res habet : quia sicut divina essentia se ipsa, et essentialiter ratione sui habet, ut sit ipsa intellectio, et ipsum *intelligi*, seu esse actu terminans intellectionem sui, ita hoc ipso, quod Pater Æternus communicet eandem essentiam Verbo, communicat ei ipsum *intelligi*, id est, quod ratione divinæ essentiæ illi ex vi processionis communicatæ habeat essentialiter, quod sit intellectum, seu terminans actu divinam intellectionem.

Quare beatus non formet verbum ex fœcunditate.

247 Cur autem beatus quatenus videt Deum, licet non formet verbum ex indigentia, non possit ex fœcunditate illud producere, constat ex dictis. Tum quia solus ille intellectus, qui habet eandem immaterialitatem cum Deo clare viso, potest habere sufficientem fœcunditatem ad producendum verbum repræsentans quidditative illum, ex eo, quod prædictum verbum debet esse ejusdem naturæ in *esse* intelligibili cum Deo, ac proinde esse actus purus in hoc ordine, et per consequens etiam in *esse* entitativo : siquidem summa puritas in ordine intelligibili consistens in hoc, quod sit actus purus in prædicto ordine, non potest non esse conjuncta cum summa puritate in *esse* entitativo, ut explicatum est.

Alia ratio.

Tum etiam : quia solus ille intellectus, potest producere verbum præcise ex fœcunditate, qui potest ei communicare, ut habeat eandem numero naturam, tam in *esse* intelligibili, quam in *esse* entitativo cum objecto intellecto, licet aliàs realiter distinguantur. Quoniam hoc ipso, quod non esset ejusdem naturæ, modo dicto, cum objecto, non posset non verbum illud tribuere suo objecto, quod esset actu intellectum, siquidem hoc est proprium verbi non habentis eandem naturam cum objecto, tam in *esse* intelligibili, quam in *esse* entitativo, et naturali, ut tribuat suo objecto, quod sit actu intellectum, seu quod actu terminet intellectionem, ut inductive constat : et ita si verbum non habet eandem naturam in *esse* intelligibili, et entitativo cum suo objecto, signum erit, tale verbum non produci ex sola fœcunditate, sed etiam ex indigentia objecti. Quare cum solus intellectus Paternus possit tribuere suo Verbo, quod habeat eandem naturam, tam in *esse* intelligibili, quam in *esse* naturali, et entitativo cum objecto omnibus modis primario per suam intellectionem intellecto, consequens est, solum illum posse producere verbum ex sola fœcunditate, solumque illum posse etiam tribuere verbo, quod habeat essentialiter esse intellectum, seu actu terminans intellectionem ratione objecti omnibus modis primarii, et distincti ab ipso verbo, seu (quod in idem quoad præsens redit, ex eo, quod solum in divinis potest hoc reperiri) ratione divinæ essentiæ, quæ est objectum omnino primarium illius intellectionis : quandoquidem, ut supra dicebamus, verbum, et objectum, saltim omnibus modis primarium, per illud repræsentatum, ita inter se conferuntur, ut vel verbum ratione prædicti objecti, vel e contra objectum ratione verbi habeat essentialiter hoc, quod est intelligi, seu esse objectum actu terminans intellectionem.

Ad exemplum de Angelico intellectu.

248 Ad illud autem de Angelico intellectu, cui est intime præsens propria essentia, et natura Angelica, et nihilominus formet verbum, dicendum est, non esse mirum, quod Angelus se ipsum cognoscens formet verbum; quandoquidem licet habeat sufficientem actualitatem, et immaterialitatem, ad hoc, ut possit uniri secundum propriam substantiam cum suo intellectu in ratione objecti motivi, non tamen in ratione objecti intellecti, seu actu terminantis intellectionem per modum objecti interni, et actu existentis in eodem intellectu : siquidem non est de essentia ejus hoc, quod est intelligi, alioqui esset actus purus, et infinite perfectus in ordine intelligibili, et per consequens etiam in *esse* entitativo.

Ratio hujus.

Et ratio est aperta. Nam sicut existentia creata se ipsa, et essentialiter est ultimus actus essentiæ, et quodammodo se

ipsa existit, et nihilominus ex hoc non sequitur eam esse actum purum, aut infinite perfectum, et tamen hoc ipso, quod aliquid essentialiter sit, tam ipsa essentia, quam ipsa existentia, non potest non esse actus purus, et infinite perfectus, et propterea hoc soli Deo competit : ita, quod aliquid præcise habeat, ut essentialiter sit ipsum objectum actu terminans intellectionem, seu quod consistat in *intelligi*, vel quod sit ipsa intellectio, non arguit infinitam puritatem, et perfectionem in *esse* intelligibili, aut entitativo : attamen quod habeat simul rationem speciei intelligibilis, et naturæ intellectualis, ac tandem rationem objecti consistentis in hoc, quod essentialiter habeat esse intellectum, seu actu terminans intellectionem, ut in Angelico contingeret, si essentialiter esset objectum actu intellectum, arguit infinitam puritatem, et perfectionem in ordine intelligibili, et per consequens etiam in ordine entitativo; siquidem hoc ipso, quod essentialiter identificaret sibi una cum aliis jam dictis rationem objecti essentialiter intellecti, identificaret sibi etiam ipsam intellectionem, quæ necessario mediat inter naturam radicalem, et speciem intelligibilem ex una parte, et inter objectum actu intellectum ex alia parte ; sicut natura intellectiva, quæ essentialiter identificat sibi eandem intellectionem, oportet, ut identificet sibi intellectum, qui intelligitur mediare inter naturam, et intellectionem : ac proinde prædictus Angelus identificans sibi tamquam quid sibi essentiale, tam suam naturam, quam esse objectum actu intellectum, et intellectionem ipsam, esset actus purus.

Ad tertium.

249 Ad tertium negandum est antecedens. Et ad probationem dicendum est, verbum quidditative, et connaturaliter repræsentans aliquod objectum, debere commensurari, tam cum ipso objecto, quam cum potentia : quia partim se tenet ex parte objecti, partim vero ex parte potentiæ. Ex parte quidem potentiæ, ex eo quod debet esse effectus illius : ex parte autem objecti, tum ex eo, quod esset ejusdem naturæ cum illo in *esse* intelligibili, quoad illud, quod quidditative repræsentat : tum etiam, quia sicut species impressa reddit objectum intelligibile, et ideo tenet se ex parte ejus, ut quid gerens, et supplens ejus vices, ita verbum reddit objectum actu intellectum, actuque constituit illud in ratione objecti terminantis intellectionem, ac proinde debet etiam ex parte illius se tenere. Unde quando verbum debuerit esse talis conditionis, ut non possit ex parte utriusque, scilicet potentiæ, et objecti se tenere, et per consequens non potuerit habere utramque rationem, scilicet effectus potentiæ intellectivæ , et simul formæ habentis eandem naturam in *esse* intelligibili cum objecto, illudque constituentis in *esse* objecti actu intellecti, tunc tale verbum apertam implicabit contradictionem : cumque verbum repræsentans quidditative Deum, nequeat utramque rationem habere, tum quia implicat essentiam divinam constitui in ratione objecti actu intellecti per aliquid a se distinctum, ut supra dicebamus ; tum etiam, quia prout esset effectus potentiæ creatæ, diceret finitatem, et limitationem, ut autem esset ejusdem naturæ in *esse* intelligibili cum essentia divina, deberet importare infinitam perfectionem, et infinitam immaterialitatem in *esse* intelligibili : ideo tale verbum aperte implicat.

Ad primam confirm.

250 Per quod etiam ad primam confirmationem satis patet. Nam concesso antecedenti, neganda est consequentia, ex eo, quod licet verbum quidditative repræsentans, non repræsentet, nisi mediante specie intelligibili, non qualitercumque, sed secundum quod ea utitur intellectus, et ita possit Angelus habere verbum inadæquatum speciei intelligibili, et objecto adæquato per eam repræsentato, nihilominus verbum semper debet esse ejusdem naturæ, et immaterialitatis cum eo, vel iis prædicatis, quæ de objecto quidditative cognoscuntur, et constituere illud in ratione objecti actu terminantis cognitionem : hæc autem omnia in verbo repræsentante divinam essentiam, prout est in se, repugnant, nisi habeat infinitam perfectionem, et immaterialitatem ; ac proinde nisi sit ipsamet essentia divina, ut ostensum est.

Ad secundam confirmat.

251 Ad secundam confirmationem, etiam constat, verbum illud fore, et non fore limitandum a visione beata : fore quidem, quia, ut supponitur, esset effectus productus per talem visionem ; non fore vero, quia ex qua parte teneret se ex parte objecti, et illud quidditative repræsentaret, redderetque objectum ipsum actu intellectum, deberet esse ejusdem naturæ, et immaterialitatis cum Deo, et consequenter esset Deus. Unde non est eadem ratio de intellectione, et de verbo. Quia illa nec est similitudo objecti, neque constituit

tuit illud in ratione actu intellecti, tanquam ratio formalis terminandi intellectionem ex parte ejusdem objecti se tenens, sed solum est tendentia intellectualis in illud : et ita non desideratur, ut sit ejusdem naturæ in *esse* intelligibili cum ipso, seu quod sit similitudo univoca ipsius, sed sat est, quod attingat prædictum objectum, vel in se ipso, vel in sua similitudine univoca, quando per illam intellectionem formatur similitudo, seu verbum, ut in aliis intellectionibus contingit. Cæterum verbum, ut jam explicuimus, debet esse similitudo univoca objecti, et ejusdem naturæ in *esse* intelligibili cum illo, et constituere ipsum in ratione objecti actu intellecti, seu terminantis intellectionem : ita non mirum, quod verbum creatum, quidditative repræsentans divinam essentiam, implicet.

ARTICULUS III.

Utrum essentia Dei videri possit oculis corporeis ?

1 Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod essentia Dei videri possit oculo corporali. Dicitur enim Job. 19. *In carne mea videbo Deum*, etc. et 42. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.*

2 Præterea, Augustin. dicit ult. de Civitate Dei, cap. 29. vis itaque præpollentior oculorum erit illorum, scilicet glorificatorum, non ut acutius videant, quam quidam perhibentur videre serpentes, vel aquilæ : quamtalibet enim acrimonia cernendi eadem animalia vigeant, nihil aliud possunt videre, quam corpora : sed, ut videant et incorporalia : quicumque autem potest videre incorporalia, potest elevari ad videndum Deum : ergo oculus glorificatus potest videre Deum.

3 Præterea, Deus potest videri ab homine visione imaginaria : dicitur enim Isaiæ 6. *Vidi Dominum super solium*, etc. sed visio imaginaria a sensu originem habet : phantasia enim est motus factus a sensu secundum actum, ut dicitur in tertio de Anima : ergo Deus sensibili visione videri potest.

Sed contra est quod dicit Augu. in lib. de videndo Deum ad Paulinam : *Deum nemo vidit unquam*, vel in hac vita, sicut ipse est, vel in Angelorum vita, sicut visibilia ista, quæ corporali visione cernuntur.

Respondeo dicendum, quod impossibile est Deum videri sensu visus, vel quocumque alio sensu aut potentia sensitivæ partis. Omnis enim potentia hujusmodi est actus corporalis organi, ut infra dicetur ; actus autem proportionatur ei, cujus est actus. Unde nulla hujusmodi potentia potest se extendere ultra corporalia. Deus autem incorporeus est, ut supra ostensum est. Unde nec sensu, nec imaginatione videri potest, sed solo intellectu.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, in carne mea videbo Deum salvatorem meum, non intelligitur, quod oculo carnis sit Deum visurus, sed, quod in carne existens post resurrectionem visurus sit Deum. Similiter, quod dicitur, nunc oculus meus videt te, intelligitur de oculo mentis, sicut Ephes. 1. dicit Apostolus : *Det vobis spiritum sapientiæ in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri.*

Ad secundum dicendum, quod Aug. loquitur inquirendo in verbis illis, et sub conditione. Quod patet ex hoc, quod præmittitur, longe itaque potentiæ alterius erunt, scilicet oculi glorificati, si per eos videbitur incorporea illa natura. Sed postmodum hoc determinat dicens : valde credibile est sic vos visuros mundana tunc corpora cœli novi, et terræ novæ, ut Deum ubique præsentem, et universa etiam corporalia gubernantem clarissima perspicuitate videamus, non sicut nunc invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sed sicut homines, inter quos viventes, motusque vitales exercentes vivimus, mox, ut aspicimus non credimus videre, sed videmus. Ex quo patet, quod hoc modo intelligit oculos glorificatos Deum visuros, sicut nunc oculi nostri vident alicujus vitam. Vita autem non videtur oculo corporali, sicut per se visibile, sed sicut sensibile per accidens, quod quidem a sensu non cognoscitur, sed statim cum sensu aliqua alia virtute cognoscitiva. Quod autem statim visis corporibus divina præsentia ex eis cognoscatur per intellectum, ex duobus contingit, scilicet ex perspicuitate intellectus, et ex refulgentia divinæ claritatis in corporibus innovatis.

Ad tertium dicendum, quod in visione imaginaria non videtur Dei essentia, sed aliqua forma in imaginatione formatur repræsentans Deum secundum aliquem modum similitudinis, prout in Scripturis divinis divina per res sensibiles metaphorice describuntur.

Conclusio est negativa, circa quam nihil occurrit notandum, aut discutiendum, quoniam ex se, et ex dictis art. 1. hujus quæst. satis constat.

ARTICULUS IV.

Utrum aliquis intellectus per sua naturalia divinam essentiam videre possit ?

1 Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia divinam essentiam videre possit. Dicit enim Dyon. 4. c. de divin. nom. quod Angelus est speculum purum, clarissimum suspiciens totam (si fas est dicere) pulchritudinem Dei : sed unumquodque videtur, dum videtur ejus speculum : Cum igitur Angelus per sua naturalia intelligat se ipsum, videtur, quod etiam per sua naturalia intelligat divinam essentiam.

2 Præterea, illud, quod est maxime visibile, fit minus visibile nobis propter defectum nostri visus, vel corporalis, vel intellectualis : sed intellectus Angeli non patitur aliquem defectum : cum ergo Deus secundum se sit maxime intelligibilis, videtur, quod ab Angelo sit maxime intelligibilis : si igitur alia intelligibilia per sua naturalia intelligere potest, multo magis Deum.

3 Præterea, sensus corporeus non potest elevari ad intelligendam substantiam incorpoream, quia est supra ejus naturam : si igitur videre Deum per essentiam sit supra naturam cujuslibet intellectus creati, videtur, quod nullus intellectus creatus ad videndum Dei essentiam pertingere possit. Quod est erroneum, ut ex supradictis patet. Videtur ergo, quod intellectui creato sit naturale divinam essentiam videre.

Sed contra est, quod dicitur Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Sed vita æterna consistit in visione divinæ essentiæ secundum illud Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum*, etc. Ergo videre Dei essentiam convenit intellectui creato per gratiam, et non per naturam.

Respondeo dicendum, quod impossibile est, quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia essentiam Dei videat : cognitio enim contingit secundum, quod cognitum est in cognoscente : cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cujuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suæ naturæ. Si igitur modus essendi alicujus rei cognitæ excedat modum naturæ cognoscentis, oportet, quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis. Est autem multiplex modus essendi rerum. Quædam enim sunt, quorum natura non habet esse nisi in hac materia individuali, et hujusmodi sunt omnia corporalia. Quædam vero sunt, quorum naturæ sunt per se subsistentes, non in materia aliqua, quæ tamen non sunt suum esse, sed sunt esse habentes ; et hujusmodi sunt substantiæ incorporeæ, quas Angelos dicimus. Solius autem Dei proprius modus essendi est, ut sit suum esse subsistens. Ea igitur, quæ non habent esse nisi in materia individuali, cognoscere est nobis connaturale, eo, quod anima nostra, per quam cognoscimus, est forma alicujus materiæ, quæ tamen habet duas virtutes cognoscitivas, unam, quæ est actus alicujus corporei organi, et huic connaturale est cognoscere res secundum, quod sunt in materia individuali. Unde sensus non cognoscit nisi singularia. Alia vero virtus cognoscitiva ejus est intellectus, quia non est actus alicujus organi

corporalis. Unde per intellectum connaturale est nobis cognoscere naturas, quæ quidem non habent esse nisi in materia individuali, non tamen secundum, quod sunt in materia individuali, sed secundum, quod abstrahuntur ab ea per considerationem intellectus. Unde secundum intellectum possumus cognoscere hujusmodi res in universali, quod est supra facultatem sensus : intellectui autem Angelico connaturale est cognoscere naturas non in materia existentes, quod est supra naturalem facultatem intellectus animæ humanæ, secundum statum præsentis vitæ, quo corpori unitur. Relinquitur ergo, quod cognoscere ipsum esse subsistens, sit connaturale soli intellectui divino, et quod sit supra facultatem naturalem cujuslibet intellectus creati, quia nulla creatura est suum esse, sed habet esse participatum. Non igitur potest intellectus creatus Deum per essentiam videre, nisi in quantum Deus per suam gratiam se intellectui creato conjungit, ut intelligibile ab ipso.

Ad primum ergo dicendum, quod iste modus cognoscendi Deum, est Angelo connaturalis, ut scilicet cognoscat eum per similitudinem ejus in ipso Angelo refulgentem : sed cognoscere Deum per aliquam similitudinem creatam, non est cognoscere essentiam Dei, ut supra ostensum est. Unde non sequitur, quod Angelus per sua naturalia possit cognoscere essentiam Dei.

Ad secundum dicendum, quod intellectus Angeli non habet defectum, si defectus accipiatur privative, ut scilicet careat eo, quod habere debet : si vero accipiatur negative, sic quælibet creatura invenitur deficiens, Deo comparata, dum non habet illam excellentiam, quæ invenitur in Deo.

Ad tertium dicendum, quod sensus visus, quia omnino materialis est, nullo modo elevari potest ad aliquid immateriale : sed intellectus noster, vel Angelicus quia secundum naturam a materia aliqualiter elevatus est, potest ultra suam naturam per gratiam ad aliquid altius elevari. Et hujus signum est, quia visus nullo modo potest in abstractione cognoscere id, quod in concretione cognoscit : nullo enim modo potest percipere naturam, nisi, ut hanc ; sed intellectus noster potest in abstractione considerare, quod in concretione cognoscit. Etsi enim cognoscat res habentes formam in materia, tamen resolvit compositum in utrumque, et considerat ipsam formam per se. Et similiter intellectus Angeli, licet connaturale sit ei cognoscere esse concretum in aliqua natura, tamen potest ipsum esse secernere per intellectum, dum cognoscit, quod aliud est ipse, et aliud est suum esse. Et ideo cum intellectus creatus per suam naturam natus sit apprehendere formam concretam, et esse concretum in abstractione per modum resolutionis cujusdam, potest per gratiam elevari, ut cognoscat substantiam separatam subsistentem, et esse separatum subsistens.

Conclusio est negativa.

DISPUTATIO III.

De impossibilitate visionis Dei, prout est in se per vires creatas ordinis naturalis, vel alicui intellectui creato connaturales.

1 Postquam explicuimus cum D. Thom. posse intellectum creatum videre Deum, et insuper concursum, qui ex parte objecti desideratur ad hanc visionem, non posse exhiberi per aliquam speciem, sive impressam, sive expressam creatam, sed solum per essentiam divinam, restat, ut explicemus, an influxus, qui ex parte intellectus, et naturæ intellectualis requiritur, possit præstari per vires proprias illius, quæ sint ordinis naturalis, vel saltim sint prædictæ naturæ, et intellectui connaturales ? Et ideo, ad hoc explicandum, præsentem disputationem excitamus.

DUBIUM I.

An per potentiam Dei absolutam sit possibilis aliquis intellectus, qui per vires proprias ordinis naturalis possit videre Deum prout est in se.

2 Consulto in titulo addidimus particulam illam, *per potentiam Dei absolutam.* Nam de facto, vel per potentiam ordinariam certum est apud omnes Theologos non dari, nec dari posse prædictum intellectum. Id autem, quod de intellectu dicimus, et inquirimus, pari, et proportionali ratione de substantia intellectuali intelligendum est : quandoquidem quidquid convenit intellectui, ex suis viribus, et per modum potentiæ proximæ, debet etiam substantiæ eodem proportionali modo, scilicet per modum principii radicalis, convenire. Notabile.

§ I.

Recens opinio Molinæ.

Partem affirmantem tuetur Molina art. sequenti disp. 2. § *quod vero.* Fundamentum est. Quia intellectus cum lumine gloriæ est aliquid finitum : ergo poterit Deus producere intellectum aliquem ordinis naturalis tantæ virtutis ad intelligendum, sicut est intellectus cum lumine gloriæ, ac proinde prædictus intellectus ex propriis viribus poterit præstare id, quod intellectus cum lumine ; scilicet videre Deum per essentiam. Antecedens est certum. Prima vero consequentia probatur. Quia Deus potest intra ordinem naturalem producere perfectiorem, et perfectiorem intellectum usque in infinitum : ergo si intellectus cum lumine gloriæ est finitæ perfectionis, poterit deveniri ad aliquem intellectum, qui illum in perfectione adæquet, imo superet. Argumentum

Confirmatur primo. Deus est intra latitudinem objecti intellectus : ergo cum major, et major perfectio intellectuum possit in infinitum crescere, possibilis erit aliquis intellectus, qui ex se immediate Deum videre possit. Patet conseq. Quoniam hoc ipso aliquod, quod objectum contineatur intra latitudinem potentiæ, non desinit potentia terminari immediate ad illud ex defectu commensurationis essentialis cum ipso, sed ex defectu virium, et perfectionis : Prima confirmatur.

nis : ergo si vires istæ, et perfectio magis, ac magis, et sic in infinitum crescant, poterit deveniri ad intellectum, qui habeat prædictas vires, et perfectionem desideratam ad hoc, ut tale objectum videat.

Secunda. Confirmatur secundo. Nam ideo potest dari visus, qui immediate respiciat quodvis visibile, quantumvis excellens, prout est in se, quia continetur sub objecto adæquato illius, et ipse visus potest crescere in perfectione, et efficacitate naturali. Unde licet plures potentiæ visivæ non possint immediate intueri solem, prout est in se absque læsione, nihilominus si visus in perfectione, et efficacitate crescat, poterit illum sic intueri, ut in aquilis contingit: ergo cum Deus contineatur intra latitudinem objecti adæquati intellectus, et dato quocumque intellectu possit alius, et alius major in perfectione naturali inveniri; fiet inde, ut possit deveniri ad aliquem, qui valeat immediate, et prout est in se, Deum attingere.

§ II.

Communis sententia stabilitur.

Conclusio. 3 Dicendum tamen est, non posse etiam per divinam potentiam dari intellectum ordinis naturalis, qui ex propriis viribus possit videre Deum, prout est in se. Ita D. Thom. in præsenti, his verbis : *Respondeo dicendum, quod impossibile est, quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia essentiam Dei videat* : et loquitur S. Doctor de impossibilitate etiam per ordinem ad divinam potentiam, ut ex contextu, et ratione, quam subjungit, constat. Unde illum communiter sequuntur Theologi, et ideo non est necesse aliquem in particulari referre.

Prima ratio. Probatur primo ratione D. Thom. in præsenti, quæ potest ad hanc formam reduci. Nam hoc ipso, quod cognoscens sit intra ordinem naturæ, non potest non cognitio, ab ipso, ut tali procedens, esse intra eundem ordinem, et terminari ad objectum naturale : sed visio Dei per essentiam est ordinis supernaturalis, et divini : (ut supra diximus, et infra latius dicemus) ergo nullus intellectus per vires ordinis naturalis poterit prædictam visionem elicere. Minor cum consequentia satis constant. Major vero probatur. Quia cognitio fit secundum, quod cognitum est in cognoscente : cognitum autem est in cognoscente secundum modum ipsius cognoscentis : ergo cujuslibet cognoscentis cognitio debet esse proportionata illi, et secundum modum suæ naturæ, ac proinde si cognoscens, ut tale, sit intra ordinem naturalem, etiam cognitio sibi proportionata debebit esse in eodem ordine, et respectu objecti naturalis.

Confirmatur primo. 4 Confirmatur primo, ratione ejusdem S. Doctoris in hoc eodem art. quam supra tetigimus. Nam potentia intellectiva, quæ ex propriis viribus connaturaliter attingit aliquod objectum quidditative, et prout est in se, debet esse ejusdem immaterialitatis cum objecto cognito : sed implicat dari intellectum creatum ordinis naturalis, qui sit ejusdem immaterialitatis cum Deo, qui est actus purus : ergo etiam implicabit dari prædictum intellectum, qui ex propriis viribus attingat Deum, quidditative, et prout est in se. Minor cum conseq. satis constant. Major vero etiam patet, ex dictis art. 2. ubi eam ostendimus, tum inductione generali in omnibus potentiis cognoscitivis ; tum etiam ex eo, quod cognitum non potest esse omnino connaturaliter in cognoscente, atque adeo nec cognoscens potest (ut ibidem dub. 6. explicuimus) illud quidditative, et prout est in se ex propriis viribus attingere, nisi conveniant in gradu immaterialitatis, ita ut cognitum non excedat immaterialitatem cognoscentis, seu gradum immaterialitatis ipsius.

Secundo. Confirmatur secundo ratione, quam docet idem S. Doctor pluribus in locis. Quoniam implicat intellectum esse ordinis naturalis, et respicere Deum, prout est in se, ita ut propriis viribus possit videre ipsum : ergo, etc. Antecedens probatur. Nam sicut Deus intelligitur esse ens supernaturale, id est, supra totam naturam creatam, et creabilem, quatenus est in se ipso, nam omnes perfectiones, quæ sunt in illo secundum modum essendi, quem in eo habent, excedunt omnem naturam creatam, et creabilem, atque adeo sunt supernaturales, ita intellectus participans Deum, ut est in se ipso, ac proinde, ut potentem videre se, prout est in se ipso, non esse aliquid supernaturale.

Secunda ratio. 5 Secundo principaliter probatur assertio ratione D. Thom. 3. cont. Gent. cap. 52. Nam cognoscere Deum clare, et intuitive, est proprium, et connaturale Deo, sicut est proprium, et connaturale igni, quod calefaciat, et Soli, quod illuminet : ergo

intellectus creatus ex propria virtute naturali nequit videre Deum sicuti est. Antecedens patet. Tum quia cum sit proprium Deo esse naturæ intellectualis per modum actus purissimi, erit ei utique proprium, et naturalissimum cognoscere, sicuti est ipsam essentiam divinam, quæ est actus purissimus. Tum etiam : quia operari per propriam formam, atque adeo ex propriis viribus, solum est naturale, et proprium illi, cui est intima, et propria talis forma, non vero ei, cui est extranea : ergo cum visio Dei per essentiam debeat elici per formam divinam, scilicet per essentiam Dei unitam in ratione formæ intelligibilis, non poterit esse proprium, et naturale operari per illam ex propriis viribus, nisi ei, cujus est propria talis forma, scilicet intellectui divino. Consequentia vero probatur. Nam, quod est proprium superioris naturæ, non potest illud consequi natura inferior ex propriis viribus, nisi per actionem superioris, et virtute illius, cujus est proprium, ut in exemplis adductis cernitur : et ita nihil potest calefacere, nisi virtute ignis, et per participationem illius, vel alicujus agentis superioris.

Objectio. 6 Nec refert, si contra rationem hanc objicias, ex ea sequi intellectum creatum nunquam esse causam principalem visionis Dei per essentiam, sed solum Deum : quia quando actio aliqua est propria superioris naturæ, semper tribuitur illi non ut agenti universali, sed ut particulari, cui correspondet talis actio; et ideo illuminare semper tribuitur Soli, ut causæ particulari : ergo si videre Deum est propria, et naturalis actio naturæ superioris, scilicet essentiæ divinæ, debebit tribui Deo, ut agenti principali, et particulari, ac sub inde non creaturæ, nisi tanquam sustentanti rationem agendi. Patet hæc ultima consequentia. Tum quia ob hanc rationem aquæ calidæ tribuitur calefacere solum tanquam sustentanti rationem agendi, quia calefactio illa debet tribui igni, tanquam causæ principali, et particulari. Tum etiam : quia respectu ejusdem actionis non possunt dari duo agentia particularia.

Diluitur. Respondetur enim, duplex esse genus naturæ inferioris, et alienæ, cui communicatur actio propria et connaturalis superioris naturæ : aliud quod nullam habet virtutem respectu talis actionis etiam radicalem, et inchoatam; aliud vero, quod eam habet, ex eo, quod prædicta actio continetur intra objectum adæquatum illius : etsi ergo primum genus naturarum participantium actionem superioris naturæ non possit concurrere ad illam per modum causæ principalis; quatenus est elevata, seu actuata per virtutem superioris naturæ, ut in aqua respectu calefactionis contingit : secus vero aliud genus naturarum habentium virtutem, saltim radicalem, in ordine ad prædictam operationem, ex eo, quod sub suo objecto adæquato continetur. Nam sicut ob hanc rationem perficiuntur (ut sic dicamus) intra propriam lineam per virtutem superioris agentis, ita prout sic actuata possunt agere per modum causæ principalis, quia agunt per actionem contentam modo insinuato, intra latitudinem adæquatam suæ naturæ.

Ad primam probat. 7 Nec obest duplex probatio ibidem adducta. Non quidem prima : quia calefactio non continetur intra latitudinem adæquatam actionum, respectu quarum habet aqua aliquam propriam, et innatam virtutem. Nec secunda, scilicet respectu ejusdem actionis non posse esse duo agentia particularia; quia (ut bene notarunt nostri Complut. in. lib. de. Gener. disput. 9. num. 56.) non est inconveniens, ut una, et eadem actio proveniat a duplici agente particulari, dummodo attingant illam sub duplici ratione inter se subordinata, quamvis utraque contineatur intra lineam rationum correspondentium agentibus particularibus. Et ideo primus actus voluntatis Angelicæ processit a Deo, ut a causa particulari, ob idque talis actus non potuit esse peccaminosus : et idemmet processit a voluntate Angelica, ut a causa etiam proxima, quia fuit causa vitalis ipsius, quamvis a Deo processerit, ut habet se ad instar proprietatis voluntatis Angelicæ; ab Angelo vero, ut fuit actus vitalis propriæ voluntatis. Unde eadem visio creata Dei per essentiam, ut est participatio visionis increatæ prout est in se ipsa, dicitque habitudinem ad illam, ut ad visionem Deo omnibus modis connaturalem, procedit a Deo, ut a causa proxima, quia secundum istam rationem procedit a lumine gloriæ, ut est virtus ipsius Dei, et tenet se quodammodo ex parte ipsius, tanquam ex parte causæ efficientis elevantis intellectum ad talem visionem : et eademmet visio, ut est vitalis, tam vitalitate supernaturali, quam vitalitate sibi peculiari, quatenus hæc, saltim

Ad secundam.

inadæquate

inadæquate desumitur ex tali virtute vitali, nimirum ex intellectu, ut elevato per lumen gloriæ, procedit ab illo, ut sic elevato, tanquam a causa principali : quia procedit a tali lumine, ut se tenet ex parte intellectus, et ut, reduplicative loquendo, est illi intrinsecum in ordine ad operationem contentam sub objecto adæquato ejusdem intellectus : sicut etiam eadem visio, ut est actio immediate attingens Deum, prout est in se ipso, habetque suam rationem atomam, quoad ultimum munus, quod ei competit, procedit ab essentia divina quatenus habet rationem speciei intelligibilis.

Diximus, *ut reduplicative loquendo esi illi intrinsecum*, quia licet lumen gloriæ dum se tenet ex parte Dei, sit etiam intrinsecum, seu inhærens intellectui, non tamen est virtus ipsius Dei, nec tenet se ex parte ejus, quia est quid intrinsecum eidem intellectui, sed quia est participatio virtutis Dei, in ordine ad suam propriam, et connaturalissimam operationem : at, ut tenens se ex parte potentiæ importat, saltim inter alia, se ipsum, ut est intrinsecum potentiæ, et ut dicit vitalitatem illam sibi peculiarem, ut intrinsecam intellectui, et ex parte ejus se tenentem.

orolla-rium. 8 Ex quo fit primo, quod cum communiter dicitur, actionem propriam alicujus naturæ superioris, ideo esse propriam illius, quia a sola ipsa fit, ut a causa principali, debet intelligi cum hac limitatione, nimirum, quod, vel a sola ipsa fiat hoc modo, vel si ab alia causa, ut a causa principali processerit, ut in præsenti contingit, tunc talis causa non habeat principaliter influere, nisi simul natura illa superior, cujus est propriissima talis actio, influat influxu principali ad eandem actionem, secundum prædictam rationem consideratam; et alteri causæ, cujus non est ita propria talis actio prius communicet saltim quantitatem virtutis, ex qua, et ex commensuratione essentiali præsupposita in natura inferiori, fiat una integra causa totalis, et principalis.

Alia jectio. Fit secundo manere hinc solutam aliam objectionem, quæ contra dicta fieri posset, scilicet hinc rursus fieri, Deum videre se ipsum per actionem videndi creatam, per quam beatus ipsum videt, quod tamen (ut ex communi Doctorum sententia constat) negari debet. Patet sequela. Nam ideo ignis calefacit per calefactionem, qua animal calefacit, quia actio illa ab eodem igne, ut a causa principali, et particulari procedit : ergo si illa visio procedit a Deo, ut a causa particulari, et principali, nihil oberit, quominus ipse se per illam visionem videat, sicut ob hanc rationem beatus illum per eandem visionem intuetur.

Solvitur. Respondetur enim, quod videre dicit intrinsece, et essentialiter actionem vitalem procedentem a principio intrinseco vitali, et vitaliter influenti : et ita tantummodo prædictum principium, a quo vitaliter visio procedit, potest per eam videre Deum. Quare cum illa visio, ut procedit a Deo mediante lumine, ut est virtus Dei, non procedat ab illo, ut a principio intrinseco vitali, quia non procedit ab illo, ut est quid intrinsecum intellectui reduplicative, et formalissime loquendo, et ita non procedit ab illo, ut a principio conjuncto, seu intrinseco, ut tali, quod ad rationem principii vitalis requiritur; inde est, ut per talem visionem solus intellectus creatus perfusus lumine gloriæ, a quo, ut a principio vitali procedit, non vero Deus per eam videat se ipsum, quamvis Deus sit, modo explicato, causa principalis proxima illius. Maxime, quia cum videre sit de se actio immanens, non denominat videns, nisi principium illud, a quo elicitur, et in quo recipitur : et ita Deus producens, non tamen recipiens visionem creatam, non denominabitur ab illa videns.

§ III.

Respondetur argumentis primæ sententiæ.

Ad primum arg. 9 Ad primum concedendum est antecedens, et neganda consequentia. Et ad probationem concesso etiam antecedenti, negari debet consequentia. Nam, cum res aliqua est superioris, et eminentioris ordinis, tunc quantumcumque res inferioris ordinis crescat, et intra talem ordinem fiat ascensus, non poterit deveniri ad perfectionem rei superioris : et ita quantumcumque fiat ascensus in perfectioribus, et perfectioribus speciebus contentis sub substantia materiali ordinis naturalis, numquam devenietur ad aliquam speciem adæquantem Angelum in perfectione specifica. Quare, cum intellectus perfusus lumine gloriæ sit superioris, et divini ordinis, non poterit ejus perfectionem aliquis intellectus ordinis inferioris, et naturalis adæquare, quamtumvis in prædictis intellectibus fiat

major, et major ascensus : quia omnes illi semper sistunt (ut supponitur) intra ordinem inferiorem, scilicet intellectus pertinentis ad ordinem naturalem.

Ad primam confirm.

10 Ad primam confirmationem concesso antecedenti, neganda est consequentia. Et ad probationem dicendum, quod cum objectum contentum sub objecto adæquato potentiæ est improportionatum, et supernaturale, non desinit potentia terminari ad illud ex defectu virium qualiumcumque, sed ex defectu virium supernaturalium, et divini ordinis : et ideo quantumcumque crescat in viribus naturalibus, non poterit illud attingere, usque dum viribus supernaturalibus fulciatur. Quare cum Deus clare visus, licet contineatur sub objecto adæquato intellectus, nihilominus contineatur sub illo per modum objecti superexcedentis, et supernaturalis, consequens est, ut usque dum perficiatur lumine gloriæ supernaturali, nequeat illum videre, quantumvis vires naturales magis, ac magis ei superaddantur.

Ad secundam confirm.

Ad secundam confirmationem respondetur pro nunc verum esse, quod si fiat ascensus intra latitudinem visus corporei ordinis naturalis, deveniri poterit ad visum potentem attingere quodvis visibile sine læsione : quia visibile illud semper contineretur intra ordinem naturalem, ut nunc supponitur. Cæterum Deus clare visus non continetur intra ordinem naturalem : et ideo quantumvis fiat ascensus in intellectibus ordinis naturalis, nunquam devenietur ad intellectum, qui illum propriis viribus possit attingere. Unde si verum est claritatem corporis gloriosi esse supernaturalem, tunc oculus beati quantumvis in perfectione naturali cresceret, non posset illam propriis viribus intueri.

DUBIUM II.

Utrum sint possibiles per divinam potentiam aliqua substantia, aliquisque intellectus, quibus sit connaturale lumen gloriæ, et possint ex propriis viribus videre Deum per essentiam?

Explicatio tituli.

11 Alii aliis verbis dubium hoc excitant : an nimirum possit dari aliqua substantia ordinis supernaturalis, aliquisque intellectus, qui absque aliqua elevatione ei superaddita habeat *esse* supernaturale? Sed re vera uterque inquirendi modus in idem coincidit. Nam substantiæ, et intellectui ordinis supernaturalis non poterit non lumen gloriæ esse connaturale, etiamsi lumen istud sit supernaturale, ac proinde prædicta substantia poterit propriis viribus videre Deum per essentiam : nam tali substantiæ esset debitus debito connaturalitatis concursus supernaturalis ad illum videndum, ut ex se, et ex statim dicendis, et communi Doctorum sententia constat. Et licet decisio hujus dubii fere constet ex iis, quæ art. 2. diximus; nihilominus, quia plura, et non contemnenda argumenta contra sententiam, et rationem D. Thom. ab adversariis adducuntur, ideo placuit, ut eis fiat satis, et ratio S. Doctoris elucidata maneat, illud sigillatim excitare.

§ I.

Adducitur prior dicendi modus.

12 Partem affirmantem tuetur Major in 4. dist. 49. quæst. 4. ad finem : et Molina art. sequenti disp. 2. § *quod vero*, eam, ut probabilem defendit, quatenus asserit oppositum eatenus sufficienter non esse probatum, ac proinde posse a Deo fieri, cum divinæ potentiæ nihil sit denegandum sine sufficienti fundamento, et ratione.

Primum argumentum

Probatur primo. Nam possibile est fieri a Deo substantiam, et intellectum supernaturalem : ergo tali substantiæ, et intellectui erit connaturale lumen gloriæ : ergo propriis viribus poterit videre Deum per essentiam. Hæc ultima conseq. patet. Quia hoc ipso, quod lumen gloriæ esset ei connaturale, posset sine illo, licet non ita facile, intueri Deum, prout est in se. Nam substantia, et intellectus, cui est connaturalis aliquis habitus, potest absolute, et simpliciter sine illo (quamvis non facile) id, quod cum illo faciliter posset : et ideo intellectus humanus, cui est connaturalis habitus Metaphysicæ, potest ex se, et sine illo (quamvis difficulter) elicere demonstrationem metaphysicam, quam cum illo facile, et delectabiliter eliceret.

13 Prima vero conseq. ex antecedenti constat. Nam cum talis substantia esset ejusdem ordinis supernaturalis, et divini, non est cur lumen gloriæ, quod continetur intra prædictum ordinem, non sit ei connaturale. Antecedens autem probatur. Nam prædicta substantia non repugnat, vel ex eo, quod sit substantia, cum ratio substantiæ supernaturalis in Deo inveniatur :

nec

nec ex eo, quod esset creata, quandoquidem lumen gloriæ, et alia accidentia ordinis supernaturalis sunt quid creatum : nec tandem ex parte utriusque simul sumpti : tum quia repugnantia ex parte utriusque supponit repugnantiam ex parte alicujus : tum etiam, quia unio hypostatica est quid substantiale creatum, et simul supernaturale : atque adeo non repugnat rationem substantiæ creatæ cum ratione supernaturalitatis conjungi.

Secundum. Secundo. Nam de facto datur lumen gloriæ, quod est ordinis intellectualis, et supernaturalis; ergo saltim de possibili erit dabilis substantia intellectualis supernaturalis, ac proinde, etiam intellectus ejusdem ordinis. Antecedens est certum. Prima vero conseq. probatur. Quia, quodvis accidens, quale est lumen gloriæ, dicit essentialem, et connaturalem ordinem ad aliquam substantiam : siquidem ejus esse, est esse entis (id est, substantiæ) ens : ergo cum prædictum lumen intellectuale non possit respicere connaturaliter substantiam ordinis naturalis, alioqui non esset supernaturale, et supremi ordinis; nec substantiam divinam, quæ est incapax accidentium; consequens est, ut respiciat connaturaliter aliquam substantiam creatam, et supernaturalem, atque adeo talis substantia (saltim per divinam potentiam) erit dabilis. Ex quo etiam secunda conseq. constat. Nam substantiæ intellectuali, et supernaturali debitus est intellectus supernaturalis, sicut substantiæ intellectuali, et naturali intellectus naturalis, ac proinde talis intellectus supernaturalis erit possibilis.

Confirm. Confirmatur. Visio beata, quippe quæ est actio vitalis, non potest non esse connaturalis alicui potentiæ vitali : ergo talis potentia debet esse connaturalis alicui substantiæ viventi : ergo dabilis erit aliqua substantia vivens, cui talis visio, necnon et lumen ad illam desideratum, sint connaturalia. Hæc ult. conseq. satis constat. Prima vero etiam patet. Nam quævis potentia vitalis habet se ad instar passionis substantiæ viventis, ab eaque connaturaliter fluit, atque adeo erit illi connaturalis. Antecedens autem liquet. Quoniam actus vitalis debet oriri ab aliquo principio intrinseco vitali, et connaturali, ex eo, quod nequit esse a principio extrinseco, sed ab intraneo, et per consequens connaturali.

Tertium. 14 Tertio. Cæteræ aliæ perfectiones, quæ in Deo existunt, possunt participari a creatura non solum per participationem ordinis naturalis, sed etiam per participationem supernaturalem; ergo etiam ratio substantiæ poterit participari non solum participatione naturali, sed etiam supernaturali : et consequenter talis substantia pertinebit ad ordinem supernaturalem, poteritque ei esse connaturale lumen gloriæ. Hæc secunda conseq. ex priori legitime sequitur. Prior vero ex antecedenti. Quia non est, cur cæteræ aliæ perfectiones Dei sint utroque modo, scilicet naturaliter, et supernaturaliter, participabiles a creatura, non vero ratio substantiæ. Antecedens autem probatur inductione. Nam intellectualitas Dei potest participari per fidem supernaturalem, et lumen gloriæ : amor ipsius per charitatem : scientia, et sapientia per dona Spiritus Sancti, quæ sunt ordinis divini : et rursus hæc omnia possunt etiam partipatione naturali participari, ut ex se constat, et sic de aliis : ergo, etc.

Confirmatio. Confirmatur. Quia alioqui participatio perfectissimi ordinis, scilicet supernaturalis, esset valde imperfecta : hoc autem non videtur admittendum : ergo, etc. Sequela patet. Nam sisteret præcise intra latitudinem participationis accidentalis. Unde sicut participatio ordinis naturalis esset satis imperfecta, si solum sisteret in participatione accidentium, non vero se extenderet ad participationem substantialem; ita participatio ordinis supernaturalis erit valde imperfecta, si solum in participatione accidentium supernaturalium debet sistere. Falsitas autem consequentis constat. Nam, quo participatio est perfectioris ordinis, eo debet esse perfectior, ac proinde ab imperfectionibus participationis magis libera.

Ultimum. 15 Ultimo. Ex eo, quod daretur substantia supernaturalis, non sequeretur eam fore ejusdem naturæ cum Deo, aut infinitam : ergo dabilis erit. Conseq. patet. Quia nisi obstet, quod talis substantia esset ejusdem naturæ cum Deo, aut, quod deberet necessario esse infinita, non est cur implicet, ut ex se, et ex infra dicendis constabit. Antecedens autem probatur. Nam ex eo, quod Deus, ut primum ens per essentiam se alicui creaturæ communicet, non sequitur ipsam fore infinitam, vel intra genus entis creati, vel infinitam per essentiam sicut Deus; sed solum esse ens per participationem : ergo similiter ex eo, quod Deus, ut substantia supernaturalis se substantialiter, et ad extra communicet, non sequitur prædictam substantiam fore Deum, aut infinitam.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam ratio substantiæ supernaturalis non se habet nostro modo concipiendi, ut ratio specifica, aut numerica Dei : siquidem, tam ratio substantiæ, quam ratio supernaturalitatis abstrahunt a creata, et increata. Unde sicut cæteræ aliæ rationes quasi generice in Deo inventæ, ob similem abstractionem non se habent nostro modo concipiendi per modum rationis specificæ, aut numericæ in Deo, et ideo ex communicatione illarum, non sequitur effectum productum esse infinitum, aut esse Deum, ita pari ratione, quoad præsens de ratione substantiæ supernaturalis in illo reperta, et de communicatione ipsius philosophandum erit.

§ II.

Communis, et vera sententia, primumque illius fundamentum.

Conclusio. 16 Dicendum tamen est, implicare contradictionem dari aliquam substantiam, aut intellectum creatum, quibus sit connaturale lumen gloriæ : ac proinde substantia, aut intellectus supernaturalis implicabunt. Ita D. Thom. in hoc art. et 3. cont Gent. cap 52. necnon art. sequenti ad 3. his verbis : *Lumen gloriæ non potest esse naturale creaturæ, nisi creatura esset naturæ divinæ, quod est impossibile.* Quem sequuntur communiter omnes Theologi, tam ex ejus discipulis, quam ex extraneis, præter eos, quos pro prima sententia retulimus : et ideo ab eis in particulari referendis abstinemus.

Ratio ex D. Angel. Probatur primo ratione fundamentali desumpta ex Divo Thoma : quæ potest ad hanc formam reduci. Nam habere essentiam divinam, ut formam connaturalem intelligibilem, non potest esse connaturale alicui subtantiæ, aut intellectui creato, aut creabili, sed soli Deo : ergo nec lumen gloriæ poterit esse connaturale prædictæ substantiæ, et intellectui, nisi tantum Deo : ac proinde repugnabit dari aliquam substantiam, aut intellectum ordinis supernaturalis. Hæc ultima consequentia, ex se, et ex jam dictis patet : quandoquidem substantia, et intellectus ille, quibus esset connaturale lumen gloriæ, non possent non esse ordinis supernaturalis : sicut e converso intellectui, et substantiæ supernaturali non posset non esse connaturale lumen gloriæ, ex eo, quod cum substantia illa esset quid completum, et tantæ perfectionis, non posset non ad ordinem intellectualem pertinere, atque adeo non posset non ei, et suo intellectui esse connaturale lumen gloriæ, quod ad ordinem intellectualem, et supernaturalem una cum illis spectaret : et ita si semel repugnant substantia, et intellectus, quibus sit connaturale lumen gloriæ, repugnabit utique, quod ista sint supernaturalis, et divini ordinis. Prima vero conseq. etiam constat. Quoniam lumen gloriæ habet se per modum dispositionis in ordine ad habendam essentiam divinam tanquam formam connaturalem (modo tamen supra explicato) dispositio autem non est connaturalis, nisi ei, cui fuerit connaturalis forma, ad quam disponit : sicut dispositio ad formam ignis non convenit connaturaliter nisi ei, cui eodem modo competit forma ejusdem ignis ; et ita si essentia divina nulli substantiæ, aut intellectui creato potest esse connaturalis, nec lumen gloriæ poterit esse illis connaturale.

Antecedens autem probatur. Tum quia divina essentia est infinitæ perfectionis, actualitatis, et immaterialitatis, atque adeo non potest esse connaturalis nisi soli Deo, qui est ejusdem perfectionis, et puritatis; quandoquidem (ut supra ostendimus) inter formam intelligibilem, et intellectum, cui est connaturalis, debet esse convenientia in gradu immaterialitatis, et puritatis. Tum etiam ex dictis : quia sicut habere formam ignis non potest esse connaturale nisi igni, ita habere connaturaliter naturam, et essentiam Dei non potest esse connaturale, nisi soli Deo.

Prima solutio. 17 Occurrit primo Valentia in præsenti disput. 1. quæst. 12. punct. 3. quod licet dispositio physica ad aliquam formam in *esse* rei habendam, nequeat esse connaturalis alicui, nisi eadem forma connaturaliter eidem competat : secus vero dispositio ad habendam formam in *esse* intelligibili, at lumen gloriæ solum est dispositio ad habendam essentiam divinam per modum formæ in *esse* intelligibili : non vero in *esse* rei : et ita licet essentia divina nequeat esse connaturalis nisi soli Deo, poterit lumen gloriæ connaturaliter convenire alteri, scilicet alicui substantiæ, aut intellectui creabili.

Impugnatur. Sed contra. Nam in primis hæc solutio non enervat id, quod sæpe diximus, scilicet intellectum, formam intelligibilem, lumen, seu habitum intellectualem semper esse ejusdem puritatis, et immaterialitatis, quoties intellectus ex se, et connaturaliter attingit objectum intelligibile, atque adeo lumen

lumen gloriæ non erit connaturale prædicto intellectui, nisi forma intelligibilis sit eidem connaturalis ; vel si hæc non est connaturalis, neque etiam lumen gloriæ : quandoquidem connaturalitas in ordine intelligibili attenditur penes convenientiam in gradu immaterialitatis, ut supra ostendimus.

18 Deinde. Nam lumen gloriæ non est, utcumque dispositio, sed dispositio ultima ad habendam essentiam divinam in ratione formæ intelligibilis : at in quocunque ordine, in quo ultima dispositio est connaturalis alicui, non potest non forma, ad quam disponit, esse connaturalis ; ergo si lumen gloriæ potest convenire connaturaliter alicui substantiæ, aut intellectui creato, etiam essentia divina poterit in ratione formæ intelligibilis esse illi connaturalis ; vel si hæc non potest connaturaliter convenire, neque etiam illud.

Major constat. Nam sicut intellectus Angelicus est ultimate dispositus ad habendam propriam substantiam sibi unitam in ratione formæ intelligibilis hoc ipso, quod habeat lumen intellectuale Angelicum, quia per tale lumen habet efficaciam ex parte potentiæ requisitam ad attingendam connaturaliter talem substantiam ; et intellectus Dei est etiam (ut sic dicamus) ultimate dispositus ad habendam essentiam divinam per modum formæ intelligibilis hoc ipso, quod habeat lumen intellectuale divinum, quia lumen istud importat efficacitatem ex parte intellectus desideratam, ad quidditative, et prout est in se attingendum Deum : ita quia lumen gloriæ dicit efficacitatem ex parte intellectus se tenentem in ordine ad videndam essentiam divinam, prout est in se, erit ultima dispositio ad habendam prædictam essentiam in ratione formæ intelligibilis.

Minor autem ejusdem prioris syllogismi probatur. Quia in quocumque ordine connaturaliter debetur receptivo ultimate disposito, forma, ad quam est connaturaliter, et ultimate dispositum, alioqui non esset ultimate dispositum ad illam : ergo in quocumque ordine, in quo ultima dispositio fuerit connaturalis alicui, etiam forma, ad quam est talis dispositio, erit connaturalis : quandoquidem forma connaturaliter debita receptivo connaturaliter ad illam disposito, non potest non esse eidem connaturalis.

Secunda aliorum solutio.

19 Secundo occurrunt alii, quod licet essentia divina, ut est forma naturalis, et in *esse* rei, constituitque in hoc ordine Deum, nequeat esse connaturalis alicui nisi Deo, bene tamen, ut est forma intelligibilis, quia nihil refert dari per divinam potentiam intellectum aliquem creatum, qui connaturaliter sit Deus, non quidem in *esse* rei, sed in *esse* intelligibili.

Impugnatur.

Sed contra. Nam in quocumque ordine, in quo datur aliqua forma connaturalis alicui, ut proprio receptivo illius, debet tale receptivum esse proprium, et per se receptivum, et suppositum ipsius : at repugnat aliquid aliud, præter Deum, esse proprium, et per se receptivum, et suppositum essentiæ divinæ, ut habet rationem formæ intelligibilis : ergo etiam repugnabit, quod alicui, præterquam Deo, sit connaturalis. Major ex se constare videtur. Minor autem etiam patet. Nam sicut proprium, et per se suppositum substantiæ Angelicæ in ratione formæ intelligibilis, quod per se, et ex propriis meritis habet, seu petit illam, non potest esse aliud præter suppositum proprium Angelicum una cum intellectu ejus, ita proprium, et per se suppositum essentiæ divinæ in ratione formæ intelligibilis, quod per se, et ex propriis meritis habet, seu petit ipsam, nequit esse aliud præter ipsum Deum, una cum intellectu ejus divino, ac proinde non poterit hoc alicui intellectui creato communicari. Accedit, quod proprium, et per se suppositum alicujus formæ connaturalis non potest per se excedi ab ea in gradu puritatis, et immaterialitatis, ut inductive constat in omnibus formis, ac proinde repugnabit aliquid aliud, præter Deum, esse proprium, et per se suppositum essentiæ divinæ in ratione formæ intelligibilis, siquidem solus ipse est ejusdem perfectionis, et puritatis cum illa.

Tertia aliquorum solutio.

20 Tertio occurrunt aliqui, quod lumen gloriæ non disponeret intellectum creatum, cui esset connaturale, in ordine ad habendam essentiam divinam, ut primum ejus receptivum, sed ut secundarium, quia prædicta essentia per se primo soli Deo unitur, et creaturis intellectualibus solum secundario, et quasi per accidens : at licet forma, etiam in *esse* intelligibili, sit ei connaturalis, cui connaturalis fuerit ultima dispositio ad habendam eam, ut primum receptivum, non tamen ei, cui connaturaliter convenit esse ultimate dispositum ad habendam illam, ut secundarium receptivum, ut in præsenti contingit : et ita bene poterit dari substantia, et intellectus crea-

tus, cui sit connaturale lumen gloriæ, non tamen essentia divina in ratione formæ intelligibilis.

Expugnatio. Sed contra. Nam licet intellectui elevato per lumen gloriæ (ex quibus duobus integratur unicus, (ut sic dicamus) intellectus habens efficacitatem ad attingendum Deum, prout est in se) correspondeat solum, ut secundario receptivo essentia divina, quatenus habet rationem formæ intelligibilis, quia prædictus intellectus non se habet per modum potentiæ intellectivæ simplicis, et ita ut supra disp. 2. num. 170. et 191. dicebamus, nequit ei esse perfecte connaturalis visio Dei, aut species intelligibilis, sed solum imperfecte; attamen hoc ipso, quod intellectus habeat se per modum potentiæ simplicis, et totalis virtutis ad videndum Deum, prout est in se, non potest non illi correspondere propria species talis objecti, ut primo, et per se receptivo ejus. Tum quia (ut sæpe diximus) potentia, quæ per modum potentiæ simplicis, et totalis tendit connaturaliter ad aliquod objectum, debet esse ejusdem immaterialitatis cum eo, atque adeo etiam poterit esse primum, et per se receptivum ejus in ordine intelligibili. Tum etiam : quia cuivis potentiæ intellectivæ integræ, et completæ ex se, et ex propriis meritis, non potest non deberi, ut primo receptivo species ejus objecti, ad quod ex propriis meritis terminari potest. Tum denique : quia hoc ipso, quod sit potentia ex se, et sine elevatione integra, et completa, habebit omnimodam connaturalitatem cum prædicta specie, ut supra disp. 2. num. 155. et deinceps diximus : et ita erit per se primum receptivum illius.

Ultima solut. 21 Ultimo occurri potest ex Molina, quod falso in hac ratione D. Thom. supponitur lumen gloriæ esse connaturale soli Deo. Nam cum sit accidens, nequit Deo esse connaturale, alioqui posset illum connaturaliter afficere. Quare solum restat, ut posset alicui intellectui, saltim creabili, esse connaturale.

Præclauditur. Cæterum hæc solutio facile corruet, si semel vis rationis D. Thom. intelligatur. Etenim S. Doctor tantum intendit, quod lumen gloriæ secundum se est perfectio simpliciter simplex, abstrahens secundum suam rationem formalem a creato, et increato, a substantia, et accidenti, et reperta formaliter in Deo, et non utcumque, sed ad minus habet se ad instar proprietatis connaturalis solius naturæ divinæ, ex eo, quod soli Deo est connaturaliter proprium habere sibi unitam essentiam divinam in ratione formæ intelligibilis, ad quam unionem quasi ultimate disponit prædictum lumen. Nam ex hoc bene sequitur, quod lumen istud, etiam dum est imperfectionibus involutum, et sub modo essendi imperfecto, scilicet accidentali, nequeat esse connaturale alicui intellectui, aut substantiæ creatæ secundum ea, quæ ex propriis meritis afferunt : nam id, quod ex parte formæ, quam affert, est proprium naturæ divinæ prout est in se, et ut distinctæ ab omnibus aliis, nequit esse debitum, ac proinde nec connaturale alicui substantiæ, aut intellectui creato secundum ea, quæ ex propriis meritis important, etiamsi ratione modi essendi sit involutum imperfectionibus; sed ad summum per actionem, et influxum Dei poterit accidentaliter, et gratuito alteri convenire, ut supra dubio præcedenti dicebamus.

§ III.

Proponitur secundum fundamentum veræ sententiæ.

22 Secundo probatur assertio ratione desumpta ex doctrina Divi Thomæ variis in locis, scilicet 1. 2. quæst. 110. et 1. part. quæst. 7. Nam si daretur substantia, cui esset connaturale lumen gloriæ, et visio Dei, prout est in se, tunc talis substantia esset ipsa gratia subsistens : ergo esset creata, ut supponitur, et non esset creata, sed increata, et Deus. Antecedens videtur certum. Nam ratio uniuscujusque naturæ ex prima ejus proprietate innotescit : sed ex tali substantia manaret intellectus ex se, et connaturaliter tendens in Deum clare visum, atque adeo lumen gloriæ (ut adversarii admittunt) sicut nunc tale lumen quodammodo emanat ex gratia, dum est sub statu perfecto : ergo talis substantia, et natura esset ipsa gratia subsistens. Patet hæc consequentia. Nam ex quo capite manaret ab ea lumen gloriæ, esset ipsa gratia; et ex quo capite non solum lumen, sed etiam intellectus potens ex se videre Deum ab ea oriretur, esset ipsa gratia subsistens, ac proinde habens rationem substantiæ integræ, et completæ : quia a sola substantia integra, completa, et per se subsistente potest emanare intellectus per modum potentiæ simplicis, et totalis, potentis

videre

videre Deum prout est in se, et habentis connaturalitatem cum lumine gloriæ, ut tribuente eidem facilitatem ad talem visionem.

Consequentia vero quoad primam partem ex se constat. Quoad secundam vero etiam patet. Nam gratia participat naturam divinam secundum proprium ejus constitutivum, ut communiter docent Theologi : ergo si hoc reperiatur irreceptum, et per se subsistens in aliqua substantia, erit omnino illimitatum, increatum, et Deus. Unde gratia ideo est limitata, et finita, quia ex subjecto limitatur, et cæteræ aliæ perfectiones, ut sapientia, et scientia, licet possint participari sub modo essendi accidentali, et limitari a subjecto, attamen in ratione substantiæ soli Deo possunt convenire, ut ex se constat, et magis patebit ex iis, quæ in ultimo fundamento assertionis dicemus.

Confirmatur primo.

23 Confirmatur primo, et simul tacita quædam evasio, quæ huic rationi adhiberi poterat, eliditur. Nam si dabilis esset talis substantia, cui esset connaturale lumen gloriæ, et visio Dei per essentiam, non posset non talis visio esse principalior cognitio illius, ad quam ejus intellectus determinaretur : sed hoc repugnat, si semel est substantia creata : ergo, etc. Sequela patet. Tum quia Deus, ut clare visibilis, esset connaturalissimum ejus objectum. Tum etiam : quia talis substantia esset formalis divinæ naturæ participatio, sicut ipsa gratis : et ita non minus, quam ipsa Dei natura, ipsaque gratia respiceret Deum, ut clare visibilem, tanquam primum, et potissimum ejus objectum. Minor autem, seu falsitas consequentis, videtur certa. Nam quilibet intellectus primario, et principaliter nascitur determinatus ad cognoscendam substantiam, ex qua oritur, tanquam objectum connaturalissimum illius : ergo intellectus hujus substantiæ, aut non primo, et principaliter Deum respiceret, aut oriretur ex ipsa Dei substantia, ut ab essentia propria, in qua radicaretur : et per consequens repugnabit esse substantiam creatam, et prædicto modo respicere Deum.

Diximus, quemlibet intellectum primario, et principaliter nasci determinatum ad cognoscendam substantiam, ex qua oritur, non vero quamlibet virtutem ad ordinem intellectualem spectantem, quale est lumen gloriæ, nasci determinatam ad cognoscendum principium radicale, a quo emanat, scilicet gratiam, dato, quod re vera tale lumen oritur a gratia per modum veræ, et physicæ proprietatis ejus, de quo alibi. Quoniam hoc tantum est proprium intellectus, seu (quod in idem redit) potentiæ, seu facultatis intellectivæ simplicis, et totalis, ut inductione facta in omnibus intellectibus creatis, tam animarum separatarum, ubi vis intellectiva non est impedita, quam Angelorum constat; necnon in intellectu divino, ut ex parte modi concipiendi distinguitur ab essentia divina, et ab ea quasi emanat; non vero est proprium elevationum, et quantitatum virtutum supernaturalium, quale est lumen gloriæ. Et ratio est. Nam cum gratia, et lumen gloriæ se habeant per modum elevationum elevantium naturam creatam ad operationem, quæ sit propria Dei, oportet, ut sicut operatio propria Dei, prout est in se, per se primo tendit in Deum, et ad hoc est determinata, ita etiam gratia, et lumen gloriæ hoc ipsum habeant.

Confirmatur secundo.

Confirmatur, et explicatur magis hoc ipsum. Nam si intellectus prædictæ substantiæ primo, et principaliter eam, ut objectum respiceret, nequiret Deum, prout est in se per suam cognitionem, et ex propriis meritis attingere; ergo esset, et non esset illi connaturale lumen gloriæ. Antecedens patet. Nam cognitio propriæ essentiæ est mensura cæterarum cognitionum, quæ a natura intellectuali ex propriis meritis fiunt, ut supra art. 1. dubio 1. tetigimus, et constat in Angelis, et animabus separatis, eo quod activitas intellectus non excedit essentiam, a qua oritur; ergo jam talis intellectus non posset Deum propria virtute attingere : quia Deus etiam in ratione objecti, sicut et in ratione immaterialitatis in infinitum distaret a tali essentia, quæ esset mensura cognitionum, quæ ab ipsa eliciendæ essent. Ex quo etiam consequentia constat. Nam tali substantiæ esset connaturale lumen gloriæ, ut supponitur, et non esset connaturale, quandoquidem prædicta substantia ex propriis viribus nequiret Deum per essentiam videre, quod tamen non potest cohærere cum substantia, cui lumen gloriæ esset connaturale, ut ex dictis constat.

§ IV.

Ultimum fundamentum nostræ assertionis.

Primum supposi-tum.

24 Tertio principaliter probatur assertio, supponendo tamen duo ex communi Theologorum sententia. Primum est, es-

sentiam divinam, et omnes illius perfectiones, et attributa, si considerentur secundum modum, secundum quem in Deo reperiuntur, esse quid supernaturale, seu supra totam naturam creatam, et creabilem. Cujus ratio est. Nam omnia illa prout in Deo reperiuntur, habent esse a se, et rationem purissimi actus, ac proinde infinitatem intra propriam lineam : habere autem *esse* cum prædictis conditionibus ita elevatis non potest convenire alicui naturæ creatæ, aut creabili, sed est supra totam naturam creatam, et creabilem ; siquidem natura ista hoc ipso quod talis, debet habere *esse* ab alio, et permixtum cum potentialitate, et consequenter finitum, ac limitatum.

Secundum. Secundum est, supernaturalitatem convenientem creaturis debere eis competere per participationem, et communicationem a Deo, ut habet *esse* supernaturale ; cumque non possit eis communicari, ut formaliter, et intrinsece sit ens a se, et per modum purissimi, ac infiniti actus, ut ex se patet, consequens est, ut supernaturalitas illis communicata, tantum consistat in hoc, quod communicentur eisdem hæc omnia secundum habitudinem, id est, secundum aliquod *esse* elevatum, et eminens talis conditionis, ut ratione ipsius dicant habitudinem ad Deum, prout est in se, ut ad objectum specificativum, vel finem connaturalem ipsarum, ut ex dicendis infra amplius patebit.

Ratio. Hinc ergo sequens deducitur ratio. Quoniam nihil potest esse supernaturale, nisi habeat supernaturalitatem, vel per essentiam, et a se ; vel per participationem a primo ente supernaturali : sed substantia creata nequit aliquo ex his modis habere supernaturalitatem : ergo repugnabit eam dari, atque adeo, quod detur aliqua substantia, cui lumen gloriæ possit esse connaturale. Utraque conseq. cum maj. non indigent probatione, imo, nec minor, quoad 1. part. scilicet, substantiam creatam non posse esse supernaturalem per essentiam, et a se, alioqui non esset creata. Quoad secundam vero partem probatur. Nam cum substantia sit ens per se, non vero entis ens, sicut accidentia, non potest (ut N. Complut. in lib. Phys. disp. 10. quæst. 4. latius explicant) habere sicut illa suum *esse* per ordinem ad aliquod extrinsecum, et extra proprium prædicamentum, quod essentialiter respiciat, tanquam objectum, terminum, vel finem, quod quidem requiritur ad rationem entis supernaturalis per participationem. Videantur nostri Complut. loco cit. necnon lib. 5. Physic. disp. 23. num. 17.

§ V.

Duplex evasio adversariorum, et præclusio illius.

Prima evasio. 25 Occurres primo cum adversariis, hinc ad summum colligi non esse dabilem substantiam supernaturalem completam, non tamen incompletam, qualis est materia, et forma : quia his non repugnat specificari ab aliquo extrinseco.

Refellitur. Sed contra est, quod substantia incompleta per modum partis essentialis non specificatur, nisi per habitudinem ad alteram compartem, ut materia per habitudinem ad formam, et forma per habitudinem, qua respicit materiam : et ita repugnat substantia per modum partis essentialis, quæ talem habitudinem dicat ad Deum, prout est in se, seu prout est supra totam naturam creatam, et creabilem ; quia ipsi quocumque modo consideretur repugnat ratio partis formalis, et multo magis ratio partis materialis, ut ostendit D. Thom. supra quæst. 3. art. 8.

Ex quo etiam apparet, cur non repugnet modus substantialis humanitatis, aut cujuscumque alterius naturæ substantialis ad personam Verbi, qui sit supernaturalis. Nam cum modus iste non sit substantia completa, sed incompleta, poterit specificari ab aliquo extrinseco, et cum non sit modus unionis materiæ ad formam, sed naturæ creatæ ad suppositum divinum, prout est in se, poterit habere pro specificativo idem suppositum divinum, prout est in se, ac proinde esse supernaturalis.

Secunda. 26 Occurres secundo, non esse contra rationem substantiæ completæ dicere intrinsecam, et essentialem habitudinem ad aliquid extrinsecum, dummodo non dicat habitudinem ad illud tanquam ad subjectum : nam per hoc, quod essentialiter respiceret aliquid extrinsecum non habens rationem subjecti, non tolleretur ab ea, quod sit ens per se, seu non in alio tanquam in subjecto, ac proinde substantia illa supernaturalis, et creata bene posset respicere essentialiter Deum, ut proprium specificativum : siquidem non propterea respiceret illum, ut subjectum, cui inniteretur.

Potestque

Confirm. Potestque hæc solutio confirmari, ex eo, quod quælibet substantia creata, quantumvis completa, dicit habitudinem essentialem ad Deum, ut ad creatorem, et per consequens respicit illum, ut est ens supernaturale : siquidem, ut habet esse ens per essentiam, et infinitum, habet rationem creatoris, et ratione prædicti *esse* infiniti, et per essentiam, est primum ens supernaturale : et ita substantia creata per habitudinem ad illum sic sumptum, esset substantia supernaturalis, vel saltim ratione hujus præcise sumpti includeret aliquam rationem substantialem, et supernaturalem, si ratio pro assertione facta aliquid probaret.

Impugnatur. 27 Sed contra est. Quoniam in hoc distinguitur prædicamentum substantiæ ab aliis prædicamentis, quod illud, quippe perfectissimum omnium, habet esse omnibus modis completum in ratione prædicamenti, et intra suam propriam lineam, secus vero ista : et ita ista non habens omne suum complementum essentiale, seu pertinens ad suam specificationem intra propriam lineam, bene tamen illa : et propterea hæc possunt essentialiter respicere aliquid, quod sit extra suam lineam, et prædicamentum, non tamen id queit prædicamento substantiæ convenire.

Confirmatur primo. Confirmatur primo. Nam, quod aliquid non respiciat essentialiter aliud, quod sit extra proprium prædicamentum, quodque non intrinsece perficiat illud intra propriam lineam, non dicit infinitam perfectionem; siquidem res quæ esset libera a prædicta habitudine essentiali, posset aliunde finiri : ergo debet convenire prædicamento omnium perfectissimo, quale est prædicamentum substantiæ, quodque habet perfectissimum modum essendi, scilicet esse in se, et per se subsistens.

Secundo. 28 Confirmatur secundo. Nam accidentia ideo possunt respicere aliquid extra proprium prædicamentum, vel tanquam quid essentialiter inspectum, vel tanquam suum specificativum, quia sunt entis entia, et affectiones substantiæ, non vero sunt simpliciter entia : ergo, quod fuerit simpliciter ens, ac proinde, quod non fuerit alterius tanquam subjecti, quale est substantia completa, eo ipso non poterit habere prædictum specificativum, nec respicere essentialiter aliquid extra proprium prædicamentum. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem probatur. Nam sicut accidentia hoc ipso, quod talia, sunt adeo debilis entitatis, ut habeant esse entis entia, ac proinde indigeant alio extrinseco alterius prædicamenti, cujus sint affectiones, in quoque innitantur, ita non mirum, quod hinc oriatur, ut possint esse adeo debilis essentiæ, et specificationis, ut indigeant aliquo extrinseco alterius prædicamenti, ad quod dicant essentialem habitudinem, vel tanquam ad terminum essentialiter inspectum, vel tanquam ad proprium specificativum, juxta indigentiam substantiæ, cui deserviunt, et cujus sunt affectiones.

29 Nec id, quod in sui confirmationem in hac solutione adducitur, convincit intentum. Nam falsum in primis est, substantiam creatam respicere Deum, ut creatorem, ita, ut hoc ad intrinsecum, et quidditativum ejus conceptum spectet, quamvis non possit non hæc habitudo illam valde intime concomitari, et cum ea satis etiam intime identificari. Unde D. Thom. in 3. dist 11. quæst. 1. art. 2. ad 2. inquit, quod aliquid esse creatum, non quidem, prout dicit esse in se finitum, et compositum ex genere, et differentia, sed prout dicit esse quid factibile a Deo per creationem, non est prædicatum essentiale, et quidditativum, v. gr. respectu hominis : et ita cum S. Doctor in prædicto argumento sic sibi objecisset : *De quocumque prædicatur inferius, prædicatur et superius : sed creatura est superius ad hominem : ergo cum homo prædicetur de Christo, creatura de ipso prædicabitur.* Respondet in hæc verba. *Ad secundum dicendum, quod creatura non est superius ad hominem, quia creatio magis respicit esse quam naturam, esse autem non est genus, nec includitur in significatione alicujus generis, ut dicit Avicenna, cum ea, quæ sunt in uno genere, non conveniant in uno esse, sed in natura communi : vel dicendum, quod creatura non est superius ad hominem, significans quid est homo : quia creatio non respicit naturam, vel essentiam, nisi mediante actu essendi, qui est primus terminus creationis : humana autem natura in Christo, non habet aliud esse perfectum, quod est esse hypostasis, quam esse divinæ personæ, et ideo simpliciter loquendo, creatura dici non potest, quia intelligeretur, quod esse perfectum hypostasis Christi per creationem esset acquisitum.* Si autem semel est verum, quod in homine *esse* factibile a Deo per creationem non pertinet ad ejus intrinsecum conceptum, plane videtur hinc

sequi, quod ad ejus quidditatem non spectabit respicere Deum, ut causam efficientem sui et operantem alio modo, quam per creationem, ut intuenti constabit.

Complutensium doctrina quædam explicatur.

30 Quare cum nostri Complutenses in 2. Physicorum. disp. 9. num. 40. dicunt, quod dependentia hominis a Deo intime imbibitur in natura, et entitate hominis, non loquuntur de inclusione per modum prædicati quidditativi, sed de inclusione alicujus prædicati habentis se ad instar modi, aut quasi modi transcendentis, qui intime concomitatur prædicata quidditativa, et rationes essentiales transcendentes, quamvis talis modus, aut quasi modus non pertineat ad conceptum quidditativum rei : ea sane ratione (debita tamen proportione servata) qua ratio veri est modus, aut quasi modus quidam transcendens omnes rationes hominis, non quidem ut prædicatum quidditativum, sed ut modus, aut quasi modus intimus prædicamentorum essentialium, ita intime illa afficiens, ut ea semper in quovis, in quo trascenduntur, concomitetur : et propterea modi, aut quasi modi isti solent prædicata transcendentia intime in quavis re imbibita nuncupari.

31 Cæterum licet juxta doctrinam hanc admittamus, substantiam creatam respicere Deum, ut creatorem ratione hujus modi transcendentis, intime illam afficientis, non tamen inde sequitur id, quod juxta hanc solutionem, quam impugnamus, sequi intendebatur, scilicet, quod si ratio facta aliquid probat, convincit utique quamvis substantiam creatam esse supernaturalem, vel saltim ex vi hujus capitis præcise sumpti includere aliquam rationem substantialem formaliter supernaturalem. Nam licet quævis substantia hoc ipso, quod pendeat a Deo, ut a creatore, seu, ut a primo ente, dicat habitudinem ad illum, et ratio inspecta sit Deus ipse, ut est ens a se, actus purus, et infinitus, ac proinde, ut est supra totum ordinem naturæ ; non tamen ratio respiciendi : quia non respicitur *esse* divinum formalissime, ut est in se, sed illudmet *esse*, quod in se habet, prout splendere potest in creaturis modo proprio ipsarum, non vero modo proprio ipsius Dei : ac proinde talis habitudo non sufficiet ad constituendam creaturam sic respicientem intra ordinem supernaturalem.

Explicatur hoc.

Explicatur hoc, supponendo tamen prius, quod licet hoc, quod est Deum esse ens a se, et per modum purissimi, et infiniti actus, tantum participetur participatione supernaturali a creaturis secundum habitudinem illam, non quidem transcendentem omnem substantiam, sed secundum aliam particularem jam dictam : attamen, ut supra dicebamus, in hoc ipso intime imbibitur, quod participetur aliquod *esse* proprium Dei, ut est ens a se, et purissimus actus, ratione cujus respiciatur formaliter, ut est quid supra totam naturam creatam, et creabilem. Unde quia Deus, ut est ens a se, et purissimus actus, habet (ut ex dictis art. 2. constat) tum quod tendat in se ipsum, ut objectum connaturale, intelligendo, et amando se prout est in se ipso ; tum etiam, quod tendat infinito modo, ita ut sit proprium solius Dei, secundum istam rationem considerati, quod aliquo ex his modis attingat se, prout est in se ipso, et aliis solum possit convenire per communicationem a Deo, ut ab habente illud *esse*, ut proprium *esse* ipsius, eo proportionali modo, quo igne convenit esse calidum per naturam, et aliis non nisi per participationem ab igne : fit inde, quod ad hoc, ut creatura participet *esse* proprium Dei, ratione cujus dicat prædictam habitudinem peculiarem, debeat participare *esse* talis conditionis, ut ratione illius habeat, sive mediate, sive immediate attingere Deum per intellectum, et voluntatem, tanquam objectum connaturale, et prout est in se ipso ; non quidem ita, ut ratione prædicti *esse* attingat illum infinite, sed solum finite.

32 Et ratio est. Quia cum participare, sit partem capere, et (ut sic dicamus) partem relinquere, et Deus prout est ens a se, et actus purus, habeat tum connaturaliter, tum infinite cognoscere, et amare se prout est in se ipso, consequens est, ut creatura hoc ipso, quod participet *esse* proprium Dei formaliter, ut tale, debeat aliquid inde capere, scilicet posse connaturaliter, et modo nuper, et supra art. 2. dicto, tendere in illum, ut in objectum proportionatum, et ut est in se ipso ; et aliquid ibidem relinquere, quod non assumat, scilicet tendere infinite in ipsum Deum, ex eo, quod modus iste tendendi, ut stat sub hoc conceptu, est omnino incommunicabilis creaturæ ; alioqui *esse* supernaturale Dei non communicaretur per solam habitudinem jam explicatam, sed quoad æqualitatem, quod (ut ex se constat) implicationem involvit.

Diximus

Animadversio.

Diximus autem, debet participare, sive mediate, sive immediate, prædictum modum attingendi : quia licet proprium sit virtutum Theologicarum tendere immediate in Deum, non tamen hoc convenit omnibus rebus supernaturalibus. Nam reliquæ virtutes, et plura alia auxilia supernaturalia dicuntur talia, quia ex propria, et intrinseca ratione ad talem attingentiam conducunt, vel dispositive, vel meritorie, vel aliqua alia ratione : et ita licet non immediate, mediate tamen participant prædictum modum attingendi Deum, prout est in se ipso.

Hinc ergo satis constat, quomodo licet quælibet substantia creata respiciat, modo dicto, Deum, ut creatorem, et primum ens, ac, ut est actus purus, et infinitus ; nihilominus non respicit illum hac peculiari habitudine : ac proinde ratio respiciendi non est *esse* divinum formalissime, ut est in se, sed illudmet *esse*, quod in se habet, prout splendere potest in creaturis modo proprio ipsarum, non vero modo proprio ipsius Dei : siquidem non eo ipso participatur, modo explicato, aliquid proprium Dei, ut est in se actus purissimus, ratione cujus respiciatur formaliter, ut est quid supra totam naturam creatam, et creabilem.

Objectio.

33 Ex quibus omnibus fit, nihil referre si objicias, quod si semel requiritur participari aliquid proprium Dei, et modo proprio ipsius, ad hoc, ut Deus ipse respiciatur hac peculiari habitudine, non est cur non sit possibilis substantia, quæ habeat esse supernaturalem, ex eo, quod modo proprio Dei participet aliquid proprium ipsius, licet non dicat habitudinem jam dictam ad illum, et per consequens hæc ultima ratio pro assertione facta innitens in necessitate hujus habitudinis, nulla erit. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem etiam constat. Nam præcise per hoc, quod substantia illa participaret id, quod est proprium Dei, et modo proprio ipsius Dei jam explicato, non esset substantia ordinis naturalis : siquidem habere id, quod est proprium Dei, et modo proprio ipsius, est supra totum ordinem naturæ : ergo talis substantia præcise per hoc pertineret ad ordinem supernaturalem, quantumvis non diceret prædictam habitudinem.

Enodatio.

Ex dictis igitur constat, hoc nihil referre. Quoniam impossibile esset substantiam illam supernaturalem, de qua loquimur, cuique esset connaturale lumen gloriæ, participare id, quod est proprium Dei, et modo proprio ipsius Dei, quin diceret habitudinem ad eum, ut est in se, seu ut est ens supra totam naturam creatam, et creabilem. Et ratio est. Quoniam eo ipso haberet pro objecto specificativo Deum, prout est in se, ut ex dictis constat. Id autem, quod specificatur ab alio a se realiter distincto, non potest non dicere realem habitudinem ad illud.

Explicatur duplici exemplo.

34 Potestque hoc explicari. Tum exemplo essentiæ divinæ, cujus ratio sita est in hoc, quod sit intellectio sui, et quasi specificetur a se ipsa, dicatque habitudinem formaliter eminenter talem ad se, ut clare, et perfectissime cognoscibilem. Quare cum prædicta substantia supernaturalis creata, si daretur, esset participatio divinæ essentiæ, deberet etiam importare prædictam habitudinem : ita quidem, ut partem de illa caperet, et partem relinqueret. Partem quidem caperet, quatenus etiam diceret habitudinem ad Deum, prout est in se ; partem vero relinqueret, quatenus illa habitudo non esset formaliter eminenter talis, sicut habitudo divinæ intellectionis constituentis essentiam Dei hoc habet : quia intellectio divina propter sui eminentiam identificat sibi omnino, tam rationem intellectionis, quam objecti, etc. Et propterea licet ibidem sit illa habitudo, seu tendentia Dei ad se ipsum, ut clare cognoscibilem, necnon et ratio objecti terminantis hanc eandem intellectionem, etc. nihilominus non est ibidem habitudo intellectionis ad suum objectum, formaliter præcise talis, sed quæ sit talis formaliter eminenter : quia hic modus habitudinis, et quasi specificationis omnem hanc identitatem exposcit. Quod tamen in substantia illa supernaturali creata (si daretur) non posset inveniri : siquidem realiter distingueretur a suo objecto specificativo, scilicet a Deo, prout est in se : et ideo non esset in ea prædicta habitudo formaliter eminenter, sed solum formaliter talis : et per consequens collata cum illa habitudine, quam divina essentia diceret ad se ipsam, tunc ex vi hujus capitis partem relinqueret, et partem caperet de prædicta habitudine. Tum etiam exemplo gratiæ sanctificantis, quæ quia est participatio divinæ naturæ, prout est in se, et alias est accidens, propterea est in ea peculiaris ratio, propter quam sita est in hac habitudine ad Deum per modum primæ radicis visivæ ipsius prout est in se.

§ VI.

Ultima solutio adversariorum, et eversio ejus.

35 Tertio cum adversariis occurres dicendo, falsum esse id, quod in hac ratione supponitur, scilicet rationem entis supernaturalis desumi per ordinem ad Deum, ut est ens a se, et actus purus, ac infinitus. Nam cum totum hoc sit lumine naturæ cognoscibile, non extrahit eum a ratione authoris naturalis, nec ordo ad Deum sic sumptum constituit rem intra ordinem supernaturalem : et ita supernaturalitas creata ad summum consistet in prædicta habitudine ad Deum, in quantum est Unus, et Trinus. Nam ratio hæc est adeo elevata, ut lumine naturæ nequeat attingi.

Sed contra est, quod si per impossibile Deus tantum esset unus, tunc admittendi essent actus supernaturales, quales essent actus fidei, et prophetiæ innitentes in divina revelatione, et actus visionis claræ ipsius Dei, necnon et fruitionis, et similiter unio hypostatica naturæ creatæ cum illo, ac proinde non solum Deus ut Unus, et Trinus, sed etiam ut Unus, et modo dicto consideratus, erit objectum supernaturale.

Additamentum. Accedit, quod entia supernaturalia ordinantur ad Deum, prout est summum bonum, et ultimus finis : ergo ordinabuntur ad illum formaliter, ut est Unus, et consequenter ratio entis supernaturalis convenit Deo, ut est Unus. Antecedens, et hæc ultima consequentia ex se constat. Prima vero etiam patet. Nam ratio summi boni convenit Deo, ut est Unus, et ratione suæ essentiæ, quæ est una, ex eo, quod vel relationes in Deo non dicunt ex se perfectionem, sed omnis earum perfectio provenit ab essentia in illis per modum transcendentis inclusa, vel si quam habent ex se, illa non est perfectio in omni genere, atque adeo in ratione summi, et infiniti boni in genere entis; sed hoc habent ab essentia. Ex quo etiam fiet, quod non solum Deus, prout est Unus, et modo dicto consideratus, sit ens supernaturale, sed quod ratio entis supernaturalis per prius illi, ut est Unus, quam ut est Trinus, conveniat.

36 Nec refert id, quod in eadem solutione adducebatur, scilicet Deum ut Unum, et ut ens a se, et actum purum cognosci lumine naturæ, proindeque secundum istam rationem non esse objectum supernaturale.

Nam etiam eodem lumine cognoscitur Deum videre se ipsum clare, et intuitive, ut est prima causa rerum naturalium, et nihilominus totum hoc est objectum supernaturale : et ita nequit communicari alicui creaturæ, nisi elevando illam ad prædictum ordinem. Et ratio in utroque est eadem. Quia nimirum licet objectum cognitum sit supernaturale, non tamen attingitur sub ratione *sub qua* supernaturali, sed naturali : quatenus scilicet ex creaturis, et effectibus naturalibus cognoscibile est, quod Deus habeat in se prædictas perfectiones propter nexum, quem hæc prædicata habent in *cognosci* cum aliis, quæ in creaturis reperiuntur. Nam ex hoc, quod inter illas sint aliquæ creaturæ intellectuales, evidenter sequitur Deum habere hanc intellectualitatem seclusis imperfectionibus, et per consequens a se, et per modum actus purissimi, proindeque habere se ipsum pro objecto connaturali clare, et evidenter cognito.

Tacitæ objectioni occurritur. 37 Nec hinc fit (ut sic alia objectio maneat soluta) lumine naturæ posse certo cognosci Deum, ut est author supernaturalis. Nam aliud est cognosci Deum esse in se ens supernaturale, non quidem respectu sui, quia quidquid in eo reperitur, non potest non esse connaturalissimum respectu illius, sed respectu, v. g. nostri, seu respectu cujusvis substantiæ creatæ, aut creabilis, et aliud cognosci, esse authorem supernaturalem. Unde licet ratio naturalis assequatur, Deum posse clare, et intuitive attingere seipsum, ut est Unus, ipsumque esse purissimum actum, et ens a se, secundum quam rationem Deus est ens supernaturale; non tamen assequitur, ipsum secundum istas rationes esse communicabilem creaturis : ex eo, quod talis modus communicationis est elevatissimus, et non habet nexum in *cognosci* cum aliis rebus naturalibus, quæ ab eadem ratione naturali cognosci possunt. Non secus (debita tamen proportione servata) ac licet Deus sit in se subsistens, hocque sit lumine naturæ notum; non tamen eodem lumine notum est, posse substantiam istam alicui creaturæ communicari, taliter, quod per eandem subsistentiam Dei subsistat. Quare cum ad hoc, ut Deus, ut author supernaturalis cognoscatur, desideretur, quod attingatur possibilitas communicationis ipsius, prout est, modo dicto, aliquid supernaturale, ac proinde secundum rationes illas jam explicatas, ideo licet lumine naturæ cognoscatur Deus, ut est ens supernaturale, sub ratione tamen,

tamen, *sub qua* naturali; nihilominus, etiam sub ratione, *sub qua* naturali non attingitur certo secundum rationem authoris supernaturalis.

§ VII.

Respondetur argumentis primæ sententiæ.

Ad primum. 38 Ad primum negandum est antecedens. Et ad probationem dicendum est, substantiam illam supernaturalem creatam repugnare ex parte conjuncti, scilicet ex eo, quod est substantia supernaturalis, et simul creata. Ad priorem autem probationem ibidem adductam respondetur, quod sicut in chimæra non repugnant extrema secundum se sumpta, ut caput hominis, cauda capreæ, etc. bene tamen, quod ad constituendum unum, et idem conjungantur, ita nec ratio substantiæ supernaturalis secundum hanc rationem præcise sumpta, nec ipsamet præcise ob rationem generalem creaturæ repugnat; secus tamen utramque rationem simul sumptam in uno, et eodem inveniri. Quia substantia illa esset, et non esset creata: esset quidem, ut supponitur, non esset autem propter rationes a nobis assignatas. Ad posteriorem autem probationem de unione hypostatica patet ex dictis in explicatione hujus ultimæ rationis num. 25.

Ad secundum. 39 Ad secundum concesso antecedenti, neganda est utraque conseq. Et ad probationem prioris, ex qua probatio posterioris dependet, respondetur, quod licet lumen gloriæ, non quidem secundum se, et ut abstrahit ab imperfectionibus, quas ex modo essendi in creaturis habet, sed, ut est sub modo essendi, et imperfectionibus, et quas in eisdem creaturis involvit, dicat essentialiter ordinem ad aliquam substantiam creatam, imo talis ordo, ut se tenet ex parte ejusdem luminis sic considerati, sit ipsi connaturalis; non tamen inde sequitur, prædictum lumen, et ordinem ipsius esse connaturalem tali substantiæ: siquidem elevat illam ad altiorem ordinem, sive ad operationem propriam ipsius Dei. Quare, sicut licet sit connaturalissimum respectu Dei communicare se in ordine hypostatico humanæ naturæ, alioqui illa communicatio esset supernaturalis respectu ipsius, et per consequens supra naturam, et efficaciam divinæ subsistentiæ, et tamen talis communicatio est supernaturalis respectu humanæ naturæ: ita quamvis sit connaturale lumini gloriæ, ut involuto imperfectionibus, quod dicat ordinem ad substantiam intellectualem creatam; nihilominus talis ordo, taleque lumen non erit prædictæ substantiæ connaturale, seu debitum: quia comparatur cum illa præcise, ut accidens commune gratuito ei communicatum; non vero, ut quid eidem debitum, vel ut proprietas ab ipsa fluens.

Animadversio. Diximus: *Non quidem secundum se, et ut abstrahit ab imperfectionibus, quas ex modo essendi in creaturis habet*, quia si secundum se, et ut, modo dicto, abstrahit, consideretur, tunc debet esse formaliter in Deo, esseque saltim proprietas naturæ divinæ, et ad eam reduci: unde non potest aliis convenire nisi per participationem ab illa, et limitato modo. Quoniam Deus respectu talis luminis non solum est causa ea generali ratione, qua est causa aliarum creaturarum ordinis naturalis, quas virtualiter continet; sed ea speciali ratione, qua id, quod convenit alicui per naturam vel ut propria ipsius natura, vel ut proprietas illi connaturalis, nequit nisi ei convenire: et aliis non nisi per participationem ab illo. Sicut quia igni convenit esse calidum per naturam, ideo solus ipse est calidus; et alia non nisi per participationem ab eodem igne, vel ad summum ab alio agente superiori, quod eminenter ignem contineat. Quod quidem in præsenti reperiri non potest: siquidem nihil est, quod eminenter, et per modum naturæ superioris divinam naturam contineat.

Ad confirmationem. 40 Ad confirmationem concedendum est antecedens si nomine potentiæ vitalis intelligatur conjunctum illud, quod ex lumine gloriæ, et intellectu creato coalescit, et de connaturalitate, non quidem omnino perfecta, sed quantum est ex parte quantitatis virtutis, et modo supra disp. præced. a num. 190. usque ad num. 193. explicato: secus vero si de aliqua alia potentia vitali, aut de connaturalitate omnino perfecta intelligatur. Et deinde neganda est prima consequentia. Ad cujus probationem dicendum est, potentiam vitalem, quæ per modum potentiæ simplicis, et totalis tendit in aliquod objectum, debere oriri ab aliqua substantia creata, secus vero illam, quæ per elevationem, ac proinde per modum potentiæ coalescentis ex elevatione, et nativa virtute, seu potentia obedientiali ipsius, prædictum objectum attigerit, ut in præsenti contingit: nam hæc, ut sic elevata, non debet oriri ab in-

traneis substantiæ creatæ. Unde licet actus vitalis, et ordinis naturalis, debeat oriri a principio intrinseco, id est, fluente ab intimis, et per consequens connaturali substantiæ viventi; non tamen actus vitalis, et supernaturalis : sed satis est, quod loquendo de commensuratione essentiali potentiæ procedat realiter a principio, quod modo nuper dicto, sit intrinsecum; loquendo vero de quantitate virtutis, et efficacia illius procedat ab ea, ut a principio intrinseco, id est, inhærente in potentia, quamvis non sit ei connaturale, imo debeat esse respectu illius supernaturale, licet cum ipsa visione habeat connaturalitatem supra explicatam.

Quare cum intellectus, ut dicit potentiam obedientialem, et (ut art. 1. dub. 1. tetigimus) formaliter supernaturalem in ordine ad videndum Deum, oriatur ab anima, ut habet potentiam obedientialem omnino primam et similiter supernaturalem : et idem intellectus, ut (juxta alium modum dicendi ibidem insinuatum) dicit potentiam obedientialem, entitative, et formaliter naturalem, et terminative supernaturalem, oriatur realiter, et modo sibi debito, ab eadem anima, quia non distinguitur ex natura rei a se ipso, ut est potentia naturalis, saltim si secundum ea, quæ in recto importat, consideretur; fit inde, ut intellectus ex parte sua habeat sufficienter rationem principii intrinseci desideratam ad actum vitalem, et supernaturalem, sicut etiam lumen ex parte sua eam habet : siquidem inhæret in prædicta potentia, ut ex se, et ex infra art. seq. dicendis, amplius constabit.

Ad tertium. 41 Ad tertium respondetur, verum esse antecedens de participatione accidentali in aliquo accidenti ordinis supernaturalis, non tamen de participatione substantiali; quamvis omnia, quæ sunt in Deo sint substantialia. Unde in eodem sensu ratio substantiæ, et naturæ divinæ potest participari in aliquo accidenti ordinis supernaturalis : et ita gratia sanctificans, licet sit accidens, participat sub modo essendi accidentali naturam substantialem Dei : et sapientia supernaturalis participat rationem sapientiæ Dei, quæ est substantia, licet non participet modum essendi substantialiter.

Ad confirmationem. Ad confirmationem neganda est sequela. Nam ad rationem participationis perfectæ intra ordinem supernaturalem, sufficit posse participari quidquid intra eundem ordinem participabile est, et eo modo, quo participari potest. Nec est simile id, quod de participatione substantiali intra ordinem naturæ ibidem objicitur. Nam ideo participatio intra hunc ordinem esset imperfecta, si non pertingeret usque ad participationem substantialem, quoniam in hoc ordine talis participatio non implicat. Quare cum prædicta participatio repugnet, ut ostensum est, intra ordinem supernaturalem, consequens est, ut participatio intra hunc ordinem non sit imperfecta, etiam si non sit participatio substantiæ, et modo substantiali.

Objectio. 42 Nec refert si dicas, hinc saltim sequi, quod licet participatio Dei, quæ fit intra ordinem naturalem, non sit pensatis omnibus absolute, et simpliciter perfectior, quam participatio illius intra ordinem supernaturalem; nihilominus participatio illa naturalis erit perfectior in suo ordine, quam participatio ista supernaturalis in suo : hoc autem non videtur admittendum, ut de se constat : ergo, etc. Sequela probatur. Quoniam participatio naturalis fit intra lineam substantiæ integræ, et completæ, secus vero participatio intra ordinem supernaturalem : ergo licet participatio intra hunc ordinem sit pensatis omnibus absolute, et simpliciter perfectior, ex eo, quod ordo iste est absolute, et simpliciter nobilior; nihilominus participatio naturalis erit in suo ordine nobilior, quam participatio supernaturalis in suo : siquidem intra suum ordinem naturalem includit participationem substantiæ integræ, et completæ, quam intra suum ordinem supernaturalem non includit participatio supernaturalis.

Solvitur Respondetur enim negando sequelam. Nam, quod aliqua participatio Dei sit, vel absolute, et simpliciter ac pensatis omnibus perfectior alia, vel cum hac limitatione, nimirum, quod licet absolute, et simpliciter non sit perfectior, nihilominus sit nobilior in suo ordine nempe naturali, quam alia participatio supernaturalis in suo, non attenditur penes modum essendi, sub quo fit participatio, id est, quod participetur sub ratione substantiæ, vel accidentis, sed penes formam participatam, et nobiliorem. Constat autem, quod forma participata eo est perfectior ex parte formæ, quo participatur aliquid magis proprium Dei, et ut est in se ipso : cumque participatio intra ordinem supernaturalem sit participatio Dei, prout est in se ipso, consequens est, ut prædicta participatio sit utroque modo perfectior participatione naturali : ita ut non solum

solum sit absolute, et simpliciter nobilior, sed etiam adhuc facta limitatione illa, quæ in hac objectione adducta est.

Explicatur hoc.

43 Potestque hoc explicari ex eo, quod participationem Dei authoris naturalis fieri sub modo essendi substantiali, provenit ex imperfectione formæ passive participatæ, et ex imperfectione ex parte formæ se tenente. At participationem intra ordinem supernaturalem fieri sub modo essendi accidentali, oritur ex magna perfectione ex parte formæ, quæ participatur, quatenus prædicta forma ex parte sua est tantæ perfectionis, ut hoc ipso, quod participaretur sub modo essendi substantiali, tunc participaretur adæquate, et infinite, ut (juxta supra in hoc eodem dubio dicta) in gratia participante divinam naturam contingeret : cum tamen nulla participatio, quæ fit intra ordinem naturalem, sit ex parte formæ tantæ perfectionis intra eundem ordinem, ut hoc ipso, quod participetur sub modo essendi substantiali, debeat prædicta participatio esse adæquata, et infinita : ita, ut forma illa participata accipiatur cum tota illa perfectione, cum qua est in Deo, ut ex se constat.

Quare sicut non obstante, quod sapientia in creatis habeat propriam existentiam, non vero in Deo, nihilominus non ideo sapientia creata est perfectior, et actualior, adhuc in suo ordine, quam sapientia divina in suo, quia id non oritur ex perfectione, sed potius ex imperfectione sapientiæ creatæ, nimirum ex eo, quod est accidens, ita in præsenti, proportione tamen servata, philosophandum est.

Ad ultimum.

44 Ad ultimum negandum est antecedens. Et ad probationem, concesso antecedenti, juxta superius tamen dicta, neganda est consequentia ob rationes adductas. Ex quo ad confirmationem dicendum est, rationem substantiæ completæ, et supernaturalis importare infinitatem intrinsecam repugnantem creaturæ : et ita licet ratio substantiæ, ut sic non intelligatur esse ratio specifica, aut numerica Dei, attamen ratio substantiæ supernaturalis includit modum proprium, et atomum essentiæ divinæ, scilicet esse a se, et actum purum, ac infinitum, ac proinde modum individualem, qui cum creatura cohærere nequit, scilicet subsistere in tribus personis.

ARTICULUS V.

Utrum intellectus creatus ad videndum Dei essentiam aliquo creato lumine indigeat?

1 Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod intellectus creatus ad videndum essentiam Dei, aliquo lumine creato non indigeat. Illud enim, quod est per se lucidum in rebus sensibilibus, alio lumine non indiget, ut videatur : ergo nec in intelligibilibus : sed Deus est lux intelligibilis : ergo non videtur per aliquod lumen creatum.

2 Præterea, cum Deus videtur per medium, non videtur per suam essentiam : sed cum videtur per aliquod lumen creatum, videtur per medium : ergo non videtur per suam essentiam.

3 Præterea, illud, quod est creatum, nihil prohibet alicui creaturæ esse naturale : si ergo per aliquod lumen creatum Dei essentia videtur, poterit illud lumen esse naturale alicui creaturæ. Et ita illa creatura non indigebit aliquo alio lumine ad videndum Deum, quod est impossibile. Non est ergo necessarium, quod omnis creatura ad videndum Dei essentiam, lumen superadditum requirat.

Sed contra est quod dicitur in Psal. † *In lumine tuo videbimus lumen.* † Psal. 35.

Respondeo dicendum, quod omne, quod elevatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet quod disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra suam naturam. Sicut, si aer debeat accipere formam ignis, oportet, quod disponatur aliqua dispositione ad talem formam. Cum autem aliquis intellectus creatus videt Deum per essentiam, ipsa essentia Dei fit forma intelligibilis intellectus. Unde oportet, quod aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur, ad hoc, quod elevetur in tantam sublimitatem. Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam, ut ostensum est, oportet, quod ex divina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi. Et hoc augmentum virtutis intellectivæ illuminationem intellectus vocamus, sicut et ipsum intelligibile vocatur lumen vel lux. Et istud est lumen, de quo dicitur Apocal. 21. quod *Claritas Dei illuminabit eam*, scilicet societatem beatorum Deum videntium. Et secundum hoc lumen, efficiuntur Dei formes, id est, Deo similes : secundum illud 1. Joan. 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est.*

Ad primum ergo dicendum, quod lumen creatum, est necessarium ad videndum Dei essentiam, non quod per hoc lumen Dei essentia intelligibilis fiat, quæ secundum se intelligibilis est, sed ad hoc, quod intellectus fiat potens ad intelligendum per modum, quo potentia fit potentior ad operandum per habitum. Sicut etiam et lumen corporale necessarium est in visu exteriori, in quantum facit medium transparens in actu, ut possit moveri a colore.

Ad secundum dicendum, quod lumen istud non requiritur ad videndum Dei essentiam, quasi similitudo, in qua Deus videatur; sed quasi perfectio quædam intellectus confortans ipsum ad videndum Deum. Et ideo potest dici, quod non est medium, in quo Deus videatur; sed sub quo videtur. Et hoc non tollit immediatam visionem Dei.

Ad tertium dicendum, quod dispositio ad formam ignis non potest esse naturalis nisi habenti formam ignis. Unde lumen gloriæ non potest esse naturale creaturæ, nisi creatura esset naturæ divinæ, quod est impossibile. Per hoc enim lumen fit creatura rationalis Deiformis, ut dictum est.

Conclusio est affirmativa.

DISPUTATIO IV.

De necessitate luminis gloriæ ad videndum divinam essentiam prout est in se.

Lumen gloriæ ad plura, et diversa munera, in ordine ad visionem Dei, et divinam

essentiam, ut habet rationem speciei intelligibilis recipiendam, desideratur : et ideo, ut illa radicitus explicemus, disputationem præsentem statuimus.

DUBIUM I.

Utrum lumen gloriæ concurrat ad visionem Dei per modum speciei impressæ?

Quamvis decisio hujus dubii constet ex dictis art. 2. dub. 1. nihilominus quia Gab. Vazq. aliqua adducit, solutione aliquantulum digna, et alia, quæ peculiarem exposcunt impugnationem, ex quibus sententia D. Thom. magis elucescet, ideo placuit dubium hoc excitare.

§ I.

Recens, et singularis opinio.

1 Prima sententia asserit lumen gloriæ concurrere ad visionem per modum speciei intelligibilis, atque adeo tanquam dans virtutem requisitam ex parte objecti, non vero eam, quæ ex parte potentiæ desideratur. Ita Vazq. in præsenti disp. 43. cap. 3. et 7.

Primum argumentum.

Probatur primo. Lumen gloriæ non influit in visionem beatam per modum virtutis intellectualis activæ tenentis se ex parte intellectus, et cum eo unicum integrum principium intellectivum distinctum ab objecto constituentis : ergo, vel nullo modo influit in visionem, vel tantum influit per modum speciei intelligibilis gerentis vicem objecti, scilicet essentiæ divinæ. Conseq. patet. Quia quidquid est causa visionis una cum intellectu, tantum debet esse causa illius, aut per modum virtutis intellectualis tenentis se ex parte illius, aut per modum speciei intelligibilis gerentis vicem objecti : et ita si lumen gloriæ non est causa priori modo, vel non erit causa illius, vel erit posteriori, nimirum per modum speciei impressæ. Antecedens autem probat Vazquez. Quia intellectus ex parte sua, tantum attingit visionem secundum rationem generalem intellectionis, et ibi sistendo : sed ad hunc concursum non desideratur ex parte intellectus nisi vis nativa ipsius, quia nihil est magis proportionatum ad eliciendam intellectionem secundum rationem generalem intellectionis sistendo ibidem, quam intellectus : ergo lumen gloriæ non influet, nec desideratur ad visionem beatam per modum virtutis intellectualis requisitæ ex parte intellectus.

Confirmatio.

2 Confirmatur. Nam si lumen gloriæ non influit per modum speciei, non potest causare visionem quoad gradum specificum intellectionis talis objecti : quandoquidem gradus iste debet fieri ab objecto, seu ab specie, ex eo quod proprium est speciei, seu objecti modificare, et determinare intellectum ad cognitionem ejusdem objecti : nec etiam causaret illam, quoad claritatem, ratione cujus appellatur intuitiva, et quidditativa, quoniam essentia divina concurreret per modum speciei, si semel lumen non gerit vicem ipsius, et ipsa sic unita moveret ad quidditativam, et claram sui visionem, ut ex se constat : ergo superflueret lumen. Patet conseq. Quia in visione beata, tantum sunt hæ tres rationes, scilicet quod sit intellectio, quod sit talis objecti, ac tandem quod sit quidditativa, et clara : ergo si ad priorem sufficit intellectus secundum se sumptus, ut jam ostendimus, et ad duas posteriores, non potest lumen concurrere, si semel non habet rationem speciei intelligibilis, fit inde, ut ad talem visionem sit superfluus ejus concursus.

Solutio.

Nec potest dici, visionem oriri, tam ab intellectu, ut elevato lumine gloriæ, quam ab ipsa essentia divina, ut habet rationem objecti : ita, ut secundum omnes rationes enumeratas, ab utroque procedat : quia non concurrunt utcumque, sed ut inter se subordinata.

Impugnatur.

3 Nam contra hoc est, quod ad eundem effectum plures causæ proximæ, et propriæ concurrere nequeunt etiamsi inter se sint subordinatæ, nisi in effectu correspondeat unicuique causæ aliqua peculiaris ratio, ob quam ejus influxus desideretur : hoc autem in præsenti non invenitur, ut probatum est : ergo etc. Minor cum conseq. satis constat. Major vero etiam patet. Quoniam si non correspondet in effectu aliqua peculiaris ratio petens novam causam, frustra ejus concursus adhiberetur : siquidem influxus novæ causæ solum potest desiderari ob peculiarem aliquam rationem in effectu repertam, quæ ab unica causa attingi nequeat.

Secundum.

4 Secundo probatur principaliter eadem sententia. Nam lumen gloriæ præstat eum concursum, quem objectum debet præstare in ordine ad visionem Dei : ergo concurrit per modum speciei intelligibilis. Consequentia est certa. Antecedens autem probatur.

batur. Quia activitas objecti solum est determinare intellectum ad speciem actus concurrendo simul cum eo : at totum hoc præstat lumen, ex eo, quod elevat intellectum ad videndum determinate unicum objectum, scilicet essentiam divinam, ita ut ex vi ejus non possint cognosci creaturæ in proprio genere, sed solum in essentia divina prius cognita : ergo, etc.

Solutio. Nec refert si occurras cum Suarez tomo 1. in 3. part. disp. 29. sect. 4. lumen gloriæ non determinare intellectum ad videndum solam essentiam divinam, sed posse esse principium videndi Deum, et aliquas creaturas in proprio genere, quales sunt ipsummet lumen gloriæ, et alia lumina sibi similia, nec non gratia sanctificans, a qua oritur, et aliæ qualitates supernaturales, quæ ad eam per modum proprietatis comparantur : et ita egere aliqua determinatione non minus, quam alia lumina indifferentia ad plura objecta percipienda, proindeque indigere specie intelligibili, per quam determinetur ad visionem hujus potius objecti, scilicet essentiæ divinæ, quam alicujus alterius.

Rejicitur. Non igitur hoc refert. Quia lumen gloriæ est participatio divini intellectus, prout est in se ipso : ergo sicut intellectus Dei habet pro objecto adæquato essentiam divinam, et ideo solum intuetur eam, et id, quod in ea continetur, prout in ipsa inspicibile est, ita hoc idem, cum proportione, de lumine gloriæ dicendum erit.

§ II.

Communis sententia, et ejus fundamentum.

Conclusio. 5 Dicendum tamen est, lumen gloriæ non concurrere ad visionem per modum speciei impressæ, atque adeo neque tanquam dans virtutem requisitam ex parte objecti. Hæc est D. Thom. pluribus in locis, quæ supra art. 2. dub. 2. adduximus, et expendimus : estque ita communis inter Theologos, ut nullus præter unicum Gabrielem Vazq. eam neget. Et videtur satis indicari in diffinitione Concilii Viennensis, quæ habetur in Clementina *ad nostrum* de Hæreticis, ubi contra Beguardos, et Beguinas diffinitur, animam indigere lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum : ergo tale lumen desiderabitur ad hoc, ut addat intellectui, virtutem requisitam ex parte sui, non vero eam, quæ ex parte intellectus desideratur. Patet consequentia. Quia elevatio potentiæ debet se tenere ex parte potentiæ elevatæ, et indigentia elevationis significat defectum, quoad virtutem requisitam ex parte ejus, quod elevatur.

Ratio assertionis. 6 Deinde probatur assertio ratione, quam adducit D. Thom. art. 2. hujus quæst. quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam lumen gloriæ complet intellectum tribuendo ei activitatem illam, quæ ex parte potentiæ desideratur, in ordine ad claram Dei visionem : ergo non tribuit eam, quæ ex parte objecti requiritur : et per consequens non habet rationem speciei intelligibilis respectu visionis. Hæc ultima consequentia ex priori satis constat. Prior vero ex antecedenti aperte deducitur. Nam activitas ex parte potentiæ, debet (saltim in esse rei) distingui ab activitate ex parte objecti, ex eo, quod activitas potentiæ est per modum activitatis fœminæ : activitas vero objecti per modum activitatis masculi, juxta Augustini proloquium communiter receptum, scilicet, quod ab objecto, et potentia paritur notitia. Antecedens autem probatur. Tum quia intellectus secundum se non habet virtutem proportionatam, quoad quantitatem virtutis in ordine ad claram Dei visionem, ex eo, quod Deus, ut clare visus, est objectum superexcedens respectu illius secundum se sumpti, ut art. 1. diximus : et ideo requirit ex parte sua aliquam virtutem illum elevantem, per quam activitas, quæ ex parte ejusdem intellectus desideratur, fiat efficax, et compleatur in ordine ad prædictam visionem. Tum etiam : quia ad reliquos actus supernaturales, v. g. fidei, præter species repræsentantes objectum requiritur lumen ex parte intellectus se tenens, per quod confortetur, et elevetur ad credendum, ex eo, quod ipse habet virtutem improportionatam, et inferioris ordinis respectu talis actus : ergo cum visio non sit minus supernaturalis, quam actus fidei, desiderabitur etiam ad illam aliquod lumen, quod intellectum confortet, et elevet ex parte sua in ordine ad prædictam visionem.

Confirmatur. 7 Confirmatur, et explicatur. Nam intellectus ad hoc, ut eliciat actus ordinis naturalis, requirit, tum virtutem proportionatam prædictis actibus, tum etiam speciem intelligibilem distinctam ab hac virtute, et repræsentantem objecta, circa quæ versatur : ergo etiam in actibus supernaturalibus præter speciem impressam desiderabitur virtus proportionata ex parte potentiæ in ordine ad tales actus : et per consequens,

vel asserendum erit, ipsam virtutem naturalem intellectus esse ex se sufficientem, proportionatam, et completam ex parte sui in ordine ad illos, quod satis absurdum est, vel affirmandum, eam indigere virtute supernaturali, quam lumen gloriæ dicimus, per quamque fiat ex parte sua potens, et efficax ad illos eliciendos.

§ III.

Solutio prior, et impugnatio ejus.

8 Occurres primo ad omnia hæc, quod lumen gloriæ est perfectissimum inter omnia lumina, et ideo non mirum si sit virtualiter multiplex, et in eo sint unita quæ in inferioribus sunt dispersa, ac proinde simul habeat rationem luminis, et speciei : atque ita idemmet, prout est lumen, confortet potentiam, et disponat ad se ipsum prout est species. Imo addes cum Vazquez pro majori solutione illius, quod de actibus fidei adducitur, esse disparem rationem inter actum fidei, et visionem. Nam in actu fidei est aliquid, quod possit correspondere lumini, scilicet judicium, et assensus; et aliquid, quod correspondet speciebus, nimirum apprehensio : quia hic actus est virtualiter multiplex. Cæterum visio clara Dei est actus simplicissimus, et ita nihil est in eo, quod possit correspondere speciei intelligibili a lumine gloriæ distinctæ.

Addit Vazquez.

Impugn. 9 Sed contra primum obest, quod quoties agentia principalia distinguuntur realiter in *esse* entitativo, et unum influit per modum masculi, et aliud per modum fœminæ, nequeunt principia proxima agendi esse in ordine naturali, et entitativo idem : sed visio beatifica oritur ab intellectu creato, ut a potentia intellectiva, seu ut a fœmina intellectuali, et a Deo, ut ab objecto, seu ut a masculo tamquam ab agentibus principalibus in *esse* naturali, et entitativo distinctis : ergo cum lumen gloriæ sit virtus agendi proxima respectu intellectus, nequit idemmet entitative lumen, esse ratio agendi proxima respectu Dei ut objecti, ac proinde neque species illius esse. Patet hæc ultima consequentia. Quia species est virtus proxima objecti in ordine ad sui cognitionem. Prima vero consequentia ex se constat. Minor autem etiam patet. Quandoquidem (juxta illud commune proloquium ex Augustino desumptum) ex objecto, et potentia paritur notitia, et ita unum eorum scilicet objectum, se habebit per modum masculi, et aliud, nempe potentia intellectiva, per modum fœminæ, ut communiter docent Metaphysici; et non utcumque, sed ut ab agentibus principalibus in *esse* naturali, et entitativo distinctis : ut ex se patet. Et tandem major est perspicua. Quoniam ea, quæ modo dicto distinguuntur, et concurrunt per concursus adeo diversæ rationis, non possunt per unam, et eandem virtutem proximam, quæ quidem in *esse* reali, et entitativo sit eadem, concurrere : ut patet in masculo, et fœmina ad generationem, v. g., hominis concurrentibus.

Additio ex Vazquez rejicitur. Et similiter contra id, quod Vazquez addit, obstat, quod etiam in visione Dei est assensus, et judicium, ut ex se constat : ergo et apprehensio, quæ essentialiter ad judicium, saltim ex parte modi nostri concipiendi, præsupponitur. Accedit, quod actus fidei, et prophetiæ sunt satis simplices, et indivisibiles, non minus, quam actus visionis Dei, quoniam tendunt in suum objectum sub unica ratione indivisibili, scilicet divinæ revelationis : ergo ex omni parte procedit eadem ratio, tam in visione Dei, quam in actu fidei, ad hoc, ut intellectus indigeat, vel non indigeat speciebus distinctis a lumine : maxime, quia sicut lumen gloriæ determinat ad unicum numero objectum, ita etiam lumen propheticum potest ad illud determinare, ut ex se, et ex iis, quæ circa hoc docent Thomistæ, patet.

§ IV.

Alia evasio Vazquez, et præclusio illius.

10 Occurres secundo ex doctrina Vazq. disp. 43. cap. 4. 5. et 6. quod licet intellectus, et lumen, ut habet rationem speciei, concurrant ad visionem Dei, prout est in se; nihilominus concurrunt divisive. Nam intellectus nec ex se, nec ex superaddita virtute concurrit ad illam, nisi quoad rationem generalem intellectionis, secundum quam rationem visio est quid naturale : et ita non attingit nisi ad summum identice, et materialiter rationem peculiarem ipsius, id est, tantum attingit rationem generalem intellectionis ibidem repertam, quæ ad summum est alias identificata cum ratione specifica, et supernaturali ejusdem. At vero lumen gloriæ producit illam quoad suam rationem specificam, secundum quam est visio supernaturalis Dei, ita, ut eodem tantum proportionali modo attingat rationem generalem intellectionis. Unde non mirum,

mirum, quod intellectus ex vi suæ naturæ, habeat sufficientem proportionem, et efficacitatem ex parte sua, ad hoc, ut absque aliquo alio eliciat eam, quoad rationem jam dictam, quippe quæ est ordinis naturalis : ac proinde, nec etiam mirum, quod lumen gloriæ non concurrat, tanquam aliquid se tenens ex parte intellectus, et ut tribuens ei virtutem ex parte ejus desideratam, sed solum se teneat ex parte objecti per modum speciei illius : quamvis cum hoc stet, quod ad hoc, ut intellectus re ipsa attingat gradum hunc communem, debeat uniri cum activitate objecti, cui tribuitur prædicta visio, secundum gradum specificum, secundum quem est supernaturalis, et cum eo constituere unicam causam integram, et totalem.

Ad illud autem de actibus supernaturalibus viæ, v. g., fidei, responderi potest ex doctrina ejusdem authoris, esse disparem rationem inter actum fidei, et visionem Dei. Quod propositio objecti mediis speciebus requisita ad actum fidei est obscura, et ita licet necessitet intellectum quoad speciem apprehensionis, non tamen quoad speciem assensus. Unde requiritur habitus, vel auxilium supernaturale ex parte potentiæ, ad hoc, ut ipsa sufficienter determinetur. Cæterum propositio objecti medio lumine gloriæ in ordine ad visionem Dei est clara, et evidens, et ita potentia de se est sufficienter proportionata ad hoc, ut concurrente lumine gloriæ per modum speciei apprehendat, et judicet de tali objecto, scilicet de essentia divina, prout est in se ipsa.

Præcluditur evasio præcedens.

11 Cæterum hæc solutio multa continet falsa. Nam in primis falsum est, quod, licet visio procedat secundum totam suam entitatem ab intellectu, et a lumine, ut habet rationem speciei intelligibilis, nihilominus tantum attingatur ab intellectu, quoad rationem generalem intellectionis, et a lumine, quoad suam rationem specificam. Tum quia cum intellectio, prout est visio Dei per essentiam, sit operatio vitalis vitalitate illa peculiari, quæ propria est prædictæ visionis, non potest non oriri a principio vitali, ac proinde a potentia intellectiva, ut habet vitalitatem. Ex quo etiam fiet lumen gloriæ tenere se ex parte intellectus, et vitalitatis ejus : quia sola vitalitas intellectus, non elevata per vitalitatem luminis gloriæ importantis quantitatem virtutis vitalis ad videndum Deum, non potest tribuere prædictam vitalitatem. Tum etiam : quia cum visio Dei, ut talis, contineatur intra latitudinem actus adæquati intellectus, scilicet intellectionis, ut sic, oportet, ut intellectus attingat etiam ultimam, et atomam rationem ejusdem visionis : quoniam, quævis potentia attingit rationes atomas actuum inadæquatorum, qui sub suo actu adæquato continentur. Ex quo etiam colligetur lumen desiderari ex parte ejusdem intellectus ad hoc, ut prædictam visionem, quoad suam rationem atomam, eliciat siquidem licet ex se habeat commensurationem essentialem ad illam eliciendam, non tamen quantitatem virium, seu id, per quod proxime influxurus est.

Confirmatur.

Confirmatur. Quia intellectus beati non solum denominatur intelligens, sed etiam videns Deum, prout est in se ipso : ergo intellectus eliciet eandem visionem, quoad suam ultimam, et specificam rationem visionis Dei, prout est in se. Patet conseq. Tum quia idem est videre Deum, ac elicere visionem illius, ex eo, quod visio secundum suam rationem atomam est actio vitalis, quæ necessario debet elici a potentia vitali vidente per illam : tum etiam, quia nihil potest denominari ab aliqua actione secundum aliquam rationem formalem sui in esse actionis considerata, nisi illa actio sic sumpta dependeat ab eo : ergo si visio, quoad rationem visionis Dei, prout est in se, non pendet ab intellectu, ac proinde non fit ab illo, nequit intellectus denominari videns Deum, prout est in se per illam.

Explicatur magis falsitas præcedentis evasionis.

12 Deinde falsum est, rationem illam intellectionis, quæ in visione beatifica inclusa invenitur, esse quid naturale. Tum quia cum in visione illa non distinguantur, secluso intellectu, ratio intellectionis, et talis intellectionis ; sed sint una, et eadem simplicissima entitas, fit inde, ut vel tota illa, vel nihil ipsius debeat esse ordinis supernaturalis, et divini. Tum etiam : quia aliud est loqui de intellectione, ut sic, quatenus habet rationem generis, et est abstracta per intellectum ab omnibus intellectionibus specie distinctis ; aliud vero loqui de illa ratione intellectionis, quæ est contracta ad hanc speciem intellectionis, scilicet visionis Dei per essentiam. Sicut aliud est loqui de substantia, ut sic, prout est, genus ad substantiam materialem, et immaterialem ; aliud vero de illa, quæ est contracta ad substantiam immaterialem. Quare sicut licet ratio substantiæ, ut sic, non

sit immaterialis, sed abstrahat a materiali, et immateriali; nihilominus ea, quæ contrahitur ad substantiam immaterialem, debet esse immaterialis, non vero materialis : ita quamvis ratio intellectionis, ut sic, non sit supernaturalis, sed a naturali, et supernaturali abstrahat ; nihilominus intellectio contracta ad visionem Dei per essentiam, quæ est ens supernaturale, non potest non esse supernaturalis, ita ut non sit simul naturalis.

Aperitur amplius hoc ipsum.

13 Præterea falsum etiam est, activitatem convenientem intellectui ex sua natura habere sufficientem proportionem, et efficacitatem ex parte sua ad hoc, ut possit una cum lumine gloriæ, tanquam cum specie divinæ essentiæ concurrere ad visionem ipsius. Nam respectu activitatis, quam ex natura sua habet intellectus, nequit esse connaturalis activitas prædictæ speciei, scilicet luminis ; alioqui prædicta species esset ejusdem ordinis cum intellectu, et ejus activitate : proindeque esset ordinis naturalis, siquidem id, quod est connaturale activitati ordinis naturalis, nequit esse supernaturale, ut suprà ostendimus : ergo prædicti luminis activitas, ut habet rationem speciei, erit supernaturalis respectu intellectus, ut ex se constat : et per consequens activitas nativa ejusdem intellectus non erit ex se satis ad influendum una cum lumine, tanquam cum specie. Patet conseq. Quia alias prædicta activitas intellectus non esset naturalis, sed supernaturalis : quandoquidem ex natura sua esset sufficiens, et proportionata in ordine ad concurrendum cum specie ordinis supernaturalis : atque adeo haberet connaturalitatem cum illa, quod quidem activitati naturali convenire nequit.

Confirmatur.

14 Confirmatur. Nam, vel activitas nativa intellectus est satis ad concurrendum cum lumine, tanquam cum specie, absque eo, quod ex parte sua aliquid ei superaddatur, vel non? Si primum, ergo est omnino proportionata in ordine ad illud, et per consequens est ei debita talis species : quod quidem cohærere nequit cum hoc, quod est talem activitatem esse ordinis naturalis. Si vero secundum, ergo ultra speciem intelligibilem debet ei addi aliquid ex parte sua, ratione cujus proportionetur cum tali objecto : et per consequens ex vi sua non erit proportionata ad concurrendum una cum specie illius. Cumque hoc, quod ei additur, non possit esse aliud, quam lumen intellectuale, et divini ordinis ex parte ejusdem intellectus se tenens, fit inde, ut tale lumen non habeat rationem speciei intelligibilis respectu visionis divinæ essentiæ, prout est in se.

Evertitur discrimen Vazquez inter actus viæ, et patriæ.

15 Tandem contra discrimen illud, quod inter actus supernaturales viæ, v. g. fidei, et visionem patriæ assignat, obest. Tum, quod ideo ad assensum fidei requiritur lumen supernaturale fidei ex parte intellectus se tenens, quia ille assensus, et objectum formale illius sunt quid supernaturale : et ita si semel talis assensus non esset supernaturalis, non esset cur lumen fidei desideraretur, ut aliquid se ex parte intellectus tenens : ergo cum eadem supernaturalitas inveniatur in visione beatifica, et ejus objecto, non poterit non ultra speciem ejusdem objecti dari lumen ex parte potentiæ se tenens, ad hoc, ut una cum prædicta specie, nempe essentia divina concurrat. Tum etiam : quia si semel asseritur, potentiam ex parte sua esse sufficienter proportionatam in ordine ad præstandum id, quod ex parte sua ad assensum fidei requiritur, tunc satis esset ad tollendam indifferentiam, quam habet ad speciem assensus, illa propositio objecti fidei per species intelligibiles. Nam sicut in naturalibus ad hoc, quod intellectus determinetur quoad speciem actus ad assensum probabilem, sufficit propositio objecti per species intelligibiles, supposita tamen sufficienti efficacitate, et proportione ex parte intellectus ; ita etiam ad speciem assensus fidei idem sufficeret, si semel intellectus habet ex se sufficientem efficacitatem : maxime quia species deservientes fidei modificantur modo quodam supernaturali, ratione cujus possunt in ordine ad speciem assensus supernaturalis deservire, ut probatiores Thomistæ testantur.

§ V.

Fit obviam argumentis primæ sententiæ.

Ad primum.

16 Ad primum pro prima sententia, et ad ejus confirmationem bene respondetur ibidem. Et ad probationem in contrarium patet ex dictis, visionem beatificam, sicut et quamlibet aliam intellectionem esse talis naturæ, ut petat oriri ab aliquo principio proximo, et inadæquato, tanquam a fœmina ordinis intelligibilis, et ab alio etiam inadæquato, tanquam a masculo ejusdem ordinis. Unde etiam visio corporea, quoad suam

suam atomam rationem, debet oriri, tum a lumine intrinseco, et innato visus, ex eo, quod est proportionatum cum illa visione; tum etiam ab objecto media specie : non secus, proportione tamen servata, ac generatio naturalis filii, et filius ipse debent procedere ab unico principio proximo, tanquam a fœmina, et ab alio, tanquam a mare.

Ad probationem. Neque oppositum hujus convincit probatio ibidem adducta. Nam species ex una parte, et intellectus cum lumine gloriæ ex alia non constituunt plures causas proximas totales, et adæquatas; sed unicam, et eandem causam adæquatam intellectionis ex illis coalescentem, diversimode tamen in suo ordine influentibus, ut in exemplo filii in naturalibus cernere licet. Nam, ut diximus, cognitio est talis naturæ, ut non solum prærequirat virtutem in potentia ipsa, tanquam in fœmina idonea, et proportionata ad pariendum in ordine intelligibili, atque adeo respectu partus supernaturalis præsupponat virtutem supernaturalem ex parte illius se tenentem : sed etiam necessario petat illam præsupponi similem objecto, quia cognitio fit mediante attractione objecti ad intellectum : et per consequens prædicta potentia debet præcedere intellectionem, ut actuata, et fœcundata per objectum, vel similitudinem, et species ejus.

Animadversio. 17 Diximus *intellectum cum lumine gloriæ ex una parte, et speciem ex alia*, etc. Quia lumen gloriæ non constituit unam causam etiam partialem distinctam ab intellectu, ita ut etiam intellectus aliam constituat, sed constituunt unicam fœminam in ordine intelligibili, quæ sit unicum principium inadæquatum una cum objecto in ordine ad intelligibiliter pariendum. Nam quævis causa quantumvis partialis, dicit, tum commensurationem essentialem, tum etiam quantitatem virtutis, et efficaciam partialem in ordine ad illam actionem, respectu cujus dicitur partialis. At intellectus solitarie sumptus tantum dicit commensurationem essentialem ad videndum Deum, prout est in se; lumen vero quantitatem virtutis, et efficaciam in ordine ad talem visionem : et ita utrumque constituit unam, et indivisibilem causam, etiam inadæquatam, quæ licet in esse rei sit divisibilis, et composita; in esse tamen causæ, ita se habet influendo, ac si lumen gloriæ, et intellectus identificarentur.

Ad secundum. 18 Ex quo ad secundum respondetur, rationem potissimam, ob quam intellectus in ordine ad visionem Dei claram (quod idem de quavis cognitione cujuscunque potentiæ cognoscitivæ dicendum est) indiget activitate objecti, non esse, ut per eam determinetur intellectus ad speciem actus; sed quia (ut dicebamus) propria ratio cognitionis, quæ est partus quidam intentionalis, ac vitalis quædam generatio, petit, ut saltim quoad suam rationem atomam, procedat ab objecto per modum maris, et a potentia per modum fœminæ, seu (quod in idem redit) quia propria ratio actualis cognitionis secundum suam rationem atomam consistit in actuali, et vitali unione intellectus cum suo proprio objecto : et ad hanc non est sufficiens sola potentia cognoscitiva, nisi etiam suo modo objectum concurrat, non solum per modum terminantis, sed etiam ex parte principii. Sicut, quia volitio ex natura sua habet esse inclinationem sequentem formam apprehensam, colligimus inde voluntatem non sufficere ad productionem ipsius, nisi etiam objectum, ut propositum per intellectum influat aliquo modo ex parte principii. Unde rationem hanc tradidit D. Thomas articulo secundo hujus quæstionis, dicens : *Ad visionem, tam sensibilem, quam intellectualem duo requiruntur, scilicet virtus visiva, et unio rei visæ cum visu : non enim fit visio in actu, nisi per hoc, quod res visa est quodammodo in vidente.*

Objectio. 19 Nec refert, quod communiter soleat dici, ideo ultra activitatem potentiæ in suo ordine proportionatam, ad intellectionem desiderari activitatem objecti, ut per eam potentia determinetur ad speciem actus.

Solvitur. Non itaque hoc refert : quia talis ratio non assignatur, ut potissima, sed, ut universalior, et notior respectu omnium cognitionum, quas naturaliter habemus, ex eo, quod nulla potentia cognoscitiva naturalis, est ita determinata ad cognitionem ejusdem ordinis, ut non habeat indifferentiam respectu plurium objectorum, saltim materialium, vel inadæquatorum, ad quæ terminari possit, ita ut non debeat omnia illa in aliquo objecto formali, *quod* prius cognito attingere.

Explicatur magis hoc ipsum. Adde, et explicatur magis hoc ipsum, quod in potentiis cognoscitivis duplex est distinguenda determinatio : alia ex parte potentiæ, alia vero ex parte objecti se tenens. Ex quibus prior illa sita est in connaturalitate potentiæ cum objecto formali : et ideo per se, et ex propria ratione solum affert determinationem potentiæ ad

prædictum objectum, quamvis per accidens importare possit determinationem ad objectum materiale, seu (quod in idem quoad præsens redit) ad hoc numero objectum in *esse* entis consideratum, ex eo, quod intra latitudinem objecti formalis non reperitur nisi unicum tantum objectum materiale. Posterior vero consistit in unitate objecti materialis : unde per se, et ex propriis meritis importat determinationem ad unicum objectum materiale, ita ut non possit saltim per se primo ferri in aliud. Quare cum determinatio, quam habet intellectus a lumine gloriæ, sit prioris, non vero posterioris conditionis, ideo relinquitur locus ad hoc, ut determinetur determinatione posteriori ex parte objecti se tenente : sicut si Deus infunderet voluntati unicum habitum per accidens, et modo dicto inclinantem in unicum objectum materiale ; nihilominus egeret determinatione proveniente ab objecto, ut per intellectum ei proposito.

DUBIUM II.

Utrum lumen gloriæ sit dispositio necessaria ad hoc, ut essentia divina in ratione formæ, seu speciei intelligibilis uniatur intellectibus beatorum?

Postquam explicuimus, ad quid non desideretur lumen gloriæ, restat, ut statim explicemus, ad quidnam requiratur, ut ita ejus natura, et necessitas magis pateat.

§ I.

Sententia negans.

20 Partem negantem tuetur Vazquez in præsenti disput. 43. cap. 3. Nam in primis negat, essentiam divinam uniri in ratione formæ intelligibilis cum intellectu beato : hoc tamen admisso, iterum negat lumen gloriæ esse dispositionem necessario requisitam ad talem unionem. Sententia hæc quoad primam partem supra art. 2. et dubio præcedenti examinata, et impugnata est.

Primum argumentum.

21 Quoad secundam vero partem (de qua in præsenti) probatur primo. Quia unio hypostatica, qua Verbum unitur humanitati major, et principalior est unione illa, qua unitur cum intellectibus beatorum in ratione formæ intelligibilis, ut docet D. Thom. 3. part. quæst. 2. art. 9. et tamen ad hoc, ut Verbum divinum uniatur humanitati, non est necessaria aliqua dispositio accidentalis, ut testatur idem S. Doctor. ibidem quæst. 7. art. ult. ergo neque ad hoc, ut essentia divina uniatur intellectibus beatorum, erit necessarium lumen gloriæ, per modum dispositionis accidentalis ad talem unionem.

Secundum.

22 Secundo. Nam ad hoc, ut potentia aliqua possit recipere speciem alicujus objecti, requiritur, et sufficit, quod habeat ex se virtutem aliquam circa illud, secundum rationem generalem, et objectivam, quam per se respicit consideratum : sed intellectus habet ex se virtutem aliquam circa Deum clare visum, secundum rationem generalem, et objectivam, quam per se respicit consideratum : ergo poterit absque aliqua alia dispositione superaddita recipere speciem illius. Major probatur, et explicatur. Nam ideo visus nequit recipere speciem soni, quia non habet ex se aliquam virtutem ad illum, secundum rationem generalem, et objectivam, quam per se respicit : siquidem sonus non continetur sub ratione visibilis : e contra vero idem visus potest se ipso absque aliquo alio recipere speciem cujusvis visibilis, quia ex se habet aliquam vim in ordine ad illud secundum prædictam rationem generalem consideratum, scilicet secundum rationem visibilis, non vero, quia habeat vim completam in ordine ad illud ; siquidem vis ejus completa fit per receptionem speciei prædicti visibilis. Minor vero, etiam constat. Quoniam Deus, ut clare visibilis continetur sub ratione generali objectiva intellectus creati, scilicet sub ratione entis intelligibilis : atque adeo intellectus habebit vim aliquam in ordine ad illum secundum prædictam rationem sumptum.

Solutio.

Nec refert, si dicas, majorem esse veram, quando objectum est proportionatum potentiæ ; secus vero quando est superexcedens, ut in præsenti contingit. Nam contra hoc est, quod nullus sensus indiget confortari ad hoc : ut speciem alicujus excellentis sensibilis recipiat : ergo neque intellectus egebit confortatione, media aliqua dispositione, scilicet lumine gloriæ, ad hoc, ut essentiam divinam per modum formæ intelligibilis recipiat. Consequentia videtur legitima ex paritate rationis. Antecedens vero probat Vazquez, tum experientia, tum etiam, quia nulla species alicujus vehementis sensibilis opponitur temperamento potentiæ sensitivæ : nam *esse* intentionale

Impugnatio.

non

non opponitur *esse* naturali, et ita potius perficiet, quam lædet sensum, aut organum ejus.

Tertium. 23 Tertio. Nam intellectus creatus, etiam actuatus lumine gloriæ, manet adhuc inferioris rationis, quam essentia divina, ut habet rationem formæ intelligibilis : ergo ad recipiendam illam nihil obest, quod intellectus sit quid inferius, et longe ignobilius, quam ipsa : ergo se solo absque aliquo alio poterit eam recipere. Antecedens patet. Quia intellectus una cum lumine est quid finitum, et ita distat infinite in gradu immaterialitatis ab essentia divina, ut habet rationem formæ intelligibilis. Ex quo prima consequentia satis constat. Secunda vero ex prima videtur sequi. Quia quoties inferioritas potentiæ in ratione potentiæ non obest ad recipiendam aliquam formam, signum est, quod ad illam recipiendam solum requiritur potentia obedientialis ; non vero connaturalis, quæ in ratione potentiæ, non est inferior ad talem formam, sed ei omnino proportionata : sed intellectui secundum se sumpto convenit potentia obedientialis ad visionem Dei, ut supra ostendimus, ac proinde ad formam, et speciem intelligibilem ad illam requisitam, scilicet essentiam divinam : ergo hæc sola potentia obedientialis erit illi satis ad hoc, ut prædictam essentiam recipere possit.

Ultim. 24 Quarto. Nam ad receptionem luminis gloriæ, non desideratur in intellectu aliqua dispositio superioris ordinis : ergo neque ad recipiendam, aut quasi recipiendam essentiam divinam in ratione speciei. Antecedens communiter admittitur a Theologis. Conseq. vero probatur : quia etiam lumen est forma supernaturalis, et divini ordinis. Unde si non obstante hac supernaturalitate potest recipi in intellectu absque alia dispositione, fiet inde, ut etiam essentia divina possit absque illa eidem intellectui uniri.

§ II.

Vera D. Thomæ Sententia.

Conclusio. 25 Dicendum tamen est, lumen gloriæ requiri in intellectu beati ad recipiendam essentiam divinam, ut habet rationem formæ intelligibilis. Ita D. Thom. in hoc art. ubi sic ait : *Cum autem aliquis intellectus creatus videt Deum per essentiam, ipsa essentia Dei fit forma intelligibilis intellectus, unde oportet, quod aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur ad hoc, ut elevetur in tantam sublimitatem*, et idem docet 3. contra Gentes cap. 52. et 53. opusculo 2. cap. 105. et in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 6. de verit. quæst. 8. artic. 3. Quem sequuntur Cajet. Bannez, Zumel, Nazarius, Gonzalez in præsenti, Ferrara loco citato ex 3. cont. Gent. Capreol. in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 1. conclus. 2. et art. 3. ad primum Scoti contra secundam conclusionem, Sotus ibidem quæst. 2. art. 4. et alii plures.

Ratio assertionis D. Thom. Probatur ratione desumpta ex D. Thom. in præsenti, et 3. cont. Gent. cap. 63. quæ potest ad hanc formam reduci. Id quod elevatur ad aliquam formam, quæ sit supra suam naturam, debet disponi aliqua dispositione superante eandem naturam : sed, ut intellectus creatus videat Deum, elevatur ad aliquam formam, quæ est supra suam naturam : ergo debet disponi per aliquid, quod sit supra eandem naturam : ergo debet superaddi lumen gloriæ, per quod disponatur. Major probatur. Nam dispositio, saltim ultima, ad formam, et forma ipsa debent esse ejusdem ordinis : ergo ad hoc, ut aliquid elevetur ad formam, quæ sit supra naturam, debet disponi per dispositionem, quæ sit etiam supra eandem naturam. Minor autem satis constat. Nam in visione Dei elevatur intellectus creatus ad recipiendam essentiam divinam in ratione formæ intelligibilis, ut art. 2. ostendimus : at essentia divina in ratione formæ intelligibilis est quid supernaturale, ac proinde supra naturam intellectus creati : ergo, etc. Ex quo 1. consequ. satis constat, nec non et 2. Tum quia nomine luminis gloriæ intelligimus qualitatem disponentem pro receptione essentiæ divinæ in ratione formæ intelligibilis. Tum etiam : quia cum lumen gloriæ sit participatio divini intellectus, prout est in se, fiet inde, ut si semel requiritur dispositio ad recipiendam essentiam divinam in ratione speciei intelligibilis, tunc nihil aliud, præter illud, sit magis accommodatum ad disponendum in ordine ad talem receptionem. Nam sicut intellectus divinus hoc ipso, quod talis, est (ut sic dicamus) ultimate dispositus, saltim ex parte nostri modi concipiendi, ad hoc, ut habeat sibi unitam essentiam divinam in ratione formæ intelligibilis ; ita participatio ejusdem intellectus, prout est in se, erit ultima dispositio in intellectu creato, in ordine ad unionem prædictæ essentiæ cum ipso in ratione formæ intelligibilis.

Occurrit Vazquez primo. 26 Occurres primo ex Vazquez huic rationi, quod licet forma supernaturalis, quæ

inhæret, requireret dispositionem supernaturalem ex parte subjecti ; non tamen illa, quæ neque inhæret, neque inhærere potest, qualis est essentia divina.

Impugnatio prior. Sed contra. Quia licet essentia divina non inhæreat in intellectu beati, unitur tamen illi in ratione formæ intelligibilis : hoc autem sufficit ad hoc, ut petat in eodem intellectu lumen gloriæ in ordine ad talem unionem. Nam sicut forma naturalis petit suam dispositionem proportionatam, ita etiam forma intelligibilis petit suam : maxime cum forma intelligibilis, de qua loquimur, scilicet essentia divina, sit longe excellentior quavis alia forma naturali.

Alia impugnatio. Deinde. Nam hoc est proprium speciei intelligibilis sumptæ formaliter in ratione talis, ut nequeat uniri hoc modo, nisi potentiæ habenti virtutem sufficientem ad intelligendum objectum talis speciei : at intellectus absque lumine gloriæ non habet virtutem sufficientem ad videndum Deum, prout est in se ; ergo essentia divina, prout habet rationem speciei intelligibilis in ordine ad hanc visionem, non poterit ei in ratione speciei formaliter sumptæ uniri, nisi habeat prædictum lumen. Consequentia est perspicua. Minor autem ex dictis dubio præcedenti constat.

Triplex probatio majoris. Major vero probatur. Tum quia cum hæc unio essentialiter ordinetur ad hoc, ut potentia queat uti tali specie in ordine ad percipiendum illud objectum, fit inde, ut hoc ipso, quod potentia non possit uti ea ex defectu virium sufficientium ad talem usum, neque etiam possit prædicta species in ratione speciei cum illo uniri, quamdiu vires sufficientes ex parte ejusdem intellectus requisitas non habet. Tum etiam : quia proprium est speciei intelligibilis constituere intellectum in ratione ultimate, et complete potentis intelligere : at repugnat sic constitui, quin habeat ea, quæ ex parte sua desiderantur ad intelligendum : ergo, etc.

Tum denique : quia sicut repugnaret formam substantialem uniri in ratione talis formæ cum materia prima, quæ intra latitudinem prædictæ materiæ non esset (ut sic dicamus) materia prima, sed dimidium illius ; ita repugnabit speciem intelligibilem, ut habet rationem formæ intelligibilis, uniri cum intellectu non habente vires sufficientes ad intelligendum per talem speciem, scilicet commensurationem essentialem, et quantitatem virtutis : siquidem (ut supra numero 17. dicebamus) intellectus absque prædictis viribus tantum est dimidius intellectus, prout intellectus (ut sic loquimur) ex parte sua integer distinguitur contra formam intelligibilem. Sed de his videantur ea, quæ dub. sequenti num. 36. 37. et 38. dicemus.

Occurres secundo. 27 Occurres secundo ex eodem Vazquez, quod licet ad formam substantialem, et naturalem semper requiratur aliqua dispositio ultima proportionata eidem ; secus tamen ad formam supernaturalem, qualis est essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, alioqui cum illa dispositio esset etiam forma supernaturalis, requireretur ad eam alia dispositio ejusdem ordinis, et sic in infinitum.

Evertitur. Fundamentum. Sed contra. Quoniam essentia divina, ut habet rationem speciei impressæ non est utcumque forma supernaturalis, sed in ordine intelligibili est ultima forma intra lineam eorum, quæ ad constituendum intellectum in actu primo desiderantur : ac proinde tribuit illi, quod habeat in *esse* intelligibili naturam Dei : ergo licet ad plures alias formas supernaturales non desideretur aliqua dispositio ejusdem ordinis, bene tamen ad essentiam divinam, ut habet rationem speciei intelligibilis. Antecedens ex se, et ex dictis art. 2. dub. 2. constare videtur. Conseq. vero probatur. Quoniam forma, quæ in aliquo ordine est ultima, tribuitque rationem naturæ in eodem ordine, habet peculiari ratione, quod petat sibi aliquam dispositionem : et ideo gratia sanctificans, quia est forma ultima in ordine supernaturali, tribuitque in eodem ordine participium divinæ naturæ, debet habere aliquam dispositionem, ratione cujus subjectum disponatur ad illam recipiendam. Nam ad minus ipsimet habitus supernaturales, ipsam concomitantes, disponunt in ordine ad illam recipiendam, ex eo, quod licet in genere causæ efficientis sint posteriores, quam illa, in genere tamen causæ materialis sunt priores : et ita possunt ad illam disponere : non secus, ac calor, ut octo concomitans formam ignis, est posterior illa in genere causæ efficientis, et prior in genere causæ materialis dispositivæ. Sed de his videantur N. Complut. 1. de Generat. disp. 2.

Fundamentum Quamvis in hoc sit sua disparitas jam insinuata inter gratiam, et essentiam divinam, ut habet rationem formæ intelligibilis : nam cum gratia sanctificans tribuat participationem divinæ naturæ, ex eo, quod tribuit quantitatem virtutis radicalem ex parte animæ desideratam ad videndum Deum, fit inde,

inde, ut tantum debeat indispensabiliter supponere commensurationem essentialem in anima cum sua potentia obedientiali (sive hæc duo inter se in recto distinguantur, sive non, de quo alibi) quandoquidem ad quantitatem virtutis ex parte alicujus potentiæ desideratam tantum potest prædicta commensuratio essentialis, et sua potentia obedientialis indispensabiliter præsupponi; licet ad suavem, et connaturalem receptionem possit, et debeat, quando quantitas virtutis est quantitas virtutis formæ constituentis naturam, præsupponi sua propria dispositio, ut in receptione gratiæ contingit. At essentia divina, ut habet rationem formæ intelligibilis, non est quantitas virtutis ex parte potentiæ intellectivæ desiderata : et ita, quia debet præsupponere intellectum, qui ex parte sua, id est, prout distinguitur contra speciem, et est causa partialis, et inadæquata visionis, sit (ut sic dicamus) intellectus integer, et non dimidius intellectus, propterea debet pro dispositione indispensabiliter requirere prædictam quantitatem virtutis, scilicet lumen gloriæ.

Confirmatio. 28 Confirmatur : nam essentia divina, ita est forma supernaturalis respectu intellectus beati, ut intellectus ipse secundum se sumptus, sit pura potentia in ordine intelligibili respectu illius, et essentia sit purus actus in ratione formæ intelligibilis : ergo intellectus non erit capax recipiendi, aut quasi recipiendi prædictam essentiam, ut habet rationem formæ intelligibilis actualissimæ, nisi prius actuetur, et disponatur per lumen gloriæ. Antecedens ex se patet. Conseq. vero probatur. Nam (ut expendunt N. Complut. 1. Phys. disp. 9. num. 72.) ideo materia prima nequit recipere existentiam nisi in suo toto, atque adeo nisi recipiat prius formam, ratione cujus quasi disponatur ad existendum; quia cum sit pura potentia in genere entis, non potest esse capax actualitatis existentiæ, quæ est perfectissima, nisi prius præsupponatur alia actualitas essentiæ, quæ in ratione actualitatis sit minor, et sit via ad ipsam, ex eo, quod pertinet ad eundem ordinem actus, et habet actualitatem admixtam cum majori potentialitate : ergo cum intellectus creatus in ordine ad videndum Deum, prout est in se, sit pura potentia in genere intelligibili, et ipsa essentia divina, ut habet rationem speciei impressæ, sit perfectissimus, et purus actus, non erit sufficiens proportio in intellectu ad recipiendam talem speciem, nisi prius disponatur, et proportionetur per lumen gloriæ, quod et divinum ordinem attingit, et in eodem ordine habet actualitatem admixtam cum potentialitate.

§ III.

Respondetur argumentis primæ sententiæ.

Ad primum. 29 Ad primum concedatur major, et minor, negetur tamen conseq. Et ratio disparitatis desumitur ex diversis conditionibus utriusque unionis. Nam unio humanitatis cum Verbo est unio in eadem persona, atque adeo per illam communicatur humanitati subsistentia, et existentia Verbi, et ita non debet supponere in ea, vel aliam existentiam substantialem, ut constat ex illis, quæ N. Complut. in lib. Phys. disp. 3. docent, vel dispositionem aliquam accidentalem, ex eo, quod prius est humanitatem habere *esse* simpliciter, quod quidem communicatur ei per prædictam unionem, quam habere *esse* secundum quid, scilicet accidentale : ut optime ostendunt iidem Complut. lib. 1. de Generat. disp. 2. At vero unio essentiæ divinæ in ratione formæ intelligibilis non est unio ad subsistendum, vel existendum per subsistentiam, vel existentiam Dei, sed supponit intellectum creatum cum propria existentia, saltim in esse rei, et cum defectu efficacitatis ad intelligendum per prædictam speciem, si prædictus intellectus præcise consideretur secundum sibi propria, ut ostensum est. Et ideo ex qua parte præsupponitur existens, est capax prædictæ dispositionis accidentalis, scilicet luminis gloriæ : et ex qua parte non habet prædictam efficacitatem, non potest recipere essentiam divinam in ratione speciei, nisi disponatur per prædictum lumen, per quod sit potens ex parte sua ad videndum Deum : quandoquidem, ut in assertione dicebamus, species intelligibilis non unitur formaliter in ratione speciei, nisi intellectui potenti intelligere per illam.

Ad secundum. 30 Ex quo ad secundum neganda est major. Nam ad hoc, ut aliqua potentia possit recipere speciem repræsentantem aliquod objectum, prout est in se, non est satis, quod ex se habeat aliquam virtutem in ordine ad intelligendum illud secundum rationem generalem, et objectivam. Quoniam hinc ad summum sequitur, posse potentiam intelligere illud quoad prædictam rationem, atque adeo habere commensurationem es-

sentialem ad hoc, ut elevetur in ordine ad videndum illud, prout est in se; sed insuper desideratur, quod habeat virtutem, et efficaciam ex parte sui requisitam ad intelligendum illud, prout est in se. Neque oppositum hujus convincit probatio majoris ibidem adducta. Nam visus solum potest absque confortatione recipere species eorum visibilium, in ordine ad quæ habet sufficientem efficacitatem ex parte sui; secus vero aliorum. Diximus, *ex parte sui*, quia, ut ex supradictis constat, species objecti non complet visum complemento requisito ex parte visus, sed complemento desiderato ex parte objecti, quod necessario prius illud complementum præsupponit.

Ad impugnationem solutionis ibidem traditæ.

Per quod, etiam ad id, quod contra solutionem ibi datam adducitur, constat, negandum esse antecedens. Et ad primam probationem negandum etiam est antecedens: ad secundam vero dicendum est, quod licet daremus organum sensus non lædi per speciem vehementis sensibilis (cujus oppositum optime, et fuse N. Complut. in lib. de Anima disp. 9. a num. 62. usque ad 77. ex Arist. et D. Thom. ostendunt) nihilominus sensus egeret confortatione ad receptionem prædictæ speciei in ratione speciei, propter improportionem, quæ est inter ipsum, et tale objectum. Unde sicut sine tali confortatione non posset illud vel absolute, vel perfecte sentire, ita sine eadem non poterit eodem proportionali modo speciem ipsius recipere. Diximus, *vel absolute, vel perfecte sentire*, quia aliquando vehemens sensibile non est absolute improportionatum respectu sensus, ita ut nullo modo possit sentiri ab illo, ut in visu nostro respectu Solis directe inspecti, constat. Aliquando autem est absolute improportionatum, ut in visu Noctuæ respectu ejusdem Solis contingit. Unde in nobis desideratur confortatio respectu receptionis speciei corporis Solaris, ut est perfecte repræsentativa illius; et in Noctua requiritur confortatio in ordine ad receptionem ejusdem speciei, ut illud absolute repræsentet.

Ad tertium.

31 Ad tertium respondetur, quod licet intellectus elevatus lumine gloriæ sit inferioris rationis, quam essentia divina, quia non convenit cum ea in gradu immaterialitatis; nihilominus est ejusdem ordinis divini cum illa, quia lumen est participatio quædam divini intellectus, prout in se ipso. Unde inferioritas prædicta non obest, quominus essentia divina possit uniri intellectui sic elevato quamvis inferioritas, quam intellectus secundum se sumptus habet respectu divinæ essentiæ, obstet quominus eadem essentia uniatur illi in ratione formæ intelligibilis: tum propter dicta: tum etiam, quia propria species alicujus intellectus superioris ordinis non unitur nisi intellectui, cujus est propria, vel illi, qui habet participium prædicti intellectus, prout est in se ipso: hoc autem participium non habet intellectus secundum se; bene tamen perfusus lumine gloriæ.

Quare ad argumentum concesso antecedenti, et prima conseq. intellectis de inferioritate jam dicta, quæ simul habet convenientiam in ordine divino, et supernaturali, necnon et participationem divini intellectus, prout est in seipso, debet negari secunda conseq. Ad cujus probationem neganda est major. Et ad probationem in ea inclusam, scilicet potentiam, quæ non est obedientialis, sed connaturalis, respectu alicujus formæ, non esse inferiorem illa in ratione potentiæ, respondetur, id esse verum, quando potentia est omnino connaturalis formæ, tunc enim potentia non est inferior in ratione potentiæ, id est, tunc tanta est potentia in ratione potentiæ, quanta est forma in ratione formæ. Cæterum intellectus cum lumine gloriæ, licet non comparetur cum essentia divina per modum puræ potentiæ obedientialis, non tamen confertur cum eadem per modum potentiæ omnino connaturalis, ex eo, quod potentia, seu virtus intellectiva omnino connaturalis respectu essentiæ divinæ debet esse intellectus non elevatus, ac proinde non coalescens ex potentia intellectiva, et elevatione: sed intellectus, qui per modum virtutis simplicis, et totalis sit potens ad hoc, ut uniatur cum essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, ut supra disp. 2. num. 170. diximus: hoc autem soli intellectui divino convenit, ut ex ibidem dictis constat.

Ad quartum.

32 Ad quartum concesso antecedenti, neganda est conseq. Et ad probationem patet ex dictis. Nam lumen gloriæ non se habet per modum formæ ultimæ dantis participium divinæ naturæ: et ideo non est necesse, ut ad illud detur aliqua dispositio, nisi ad summum quatenus se habet ad instar proprietatis, seu quasi proprietatis gratiæ consummatæ: et ita dispositio, quæ ad illam desideratur, deserviet etiam ad receptionem luminis. Cæterum essentia divina habet rationem formæ ultimæ, modo explicato, tribuitque intellectui, quod habeat *esse* Deificum, seu divinam naturam in *esse* intelligibili:

ligibili : et ideo non mirum, quod propriam aliquam dispositionem ordinis divini, scilicet lumen gloriæ ex se exposcat : maxime, quia prædictum lumen complet intellectum in ratione intellectus, ita ut sine ipso sit adhuc ex parte sua quasi dimidiata potentia in ordine ad intelligendum Deum, prout est in se. Unde sine illo, quasi ita se habet, ac si non esset intellectus in ordine ad prædictam unionem.

Objectio. Ex quo etiam manet soluta objectio, quam Junior quidam adducit, scilicet essentiam divinam non se habere per modum formæ ultimæ in ordine intelligibili, ex eo, quod intellectio est forma ultima in hoc ordine : itaque ita lumen gloriæ non desiderari, ut dispositionem in ordine ad essentiam divinam, ut habet rationem speciei, bene tamen in ordine ad intellectionem, seu visionem Dei.

Solvitur. Respondetur enim ex dictis, visionem Dei non esse de numero formarum ex parte actus primi desideratarum, quia non confert virtutem ad videndum, sed est ipse actus secundus videndi : et ita essentia divina habet rationem formæ ultimæ in ordine intelligibili, et intra habitudinem eorum, quæ ad actum primum desiderantur : et ita sicut propter hanc rationem desideratur aliqua dispositio ad recipiendam gratiam sanctificantem, ita ad recipiendam divinam essentiam in ratione formæ intelligibilis. Adde, quod visio est ipsa existentia in ordine intelligibili : ut in tract. 4. disput. 1. num. 21. dicemus : existentia autem alicujus ordinis petit eandem dispositionem, quam petit forma ejusdem ordinis. Nec tollit quominus forma, ad quam sequitur, petat propriam, et eandem cum ipsa (debita tamen proportione servata) dispositionem, ut constat in existentia ordinis naturali. Sed de his videantur ea, quæ locis citatis asseremus.

DUBIUM III.

Utrum lumen gloriæ ad visionem Dei recipiendam necessario desideretur?

33 Ut completa causalitas, quam in genere causæ materialis lumen gloriæ habet, exacte intelligatur, solum restat explicandum, an etiam concurrat materialiter ad visionem Dei? et per consequens sit necessario requisitum ad illius receptionem, et ideo ad hoc explicandum præsens dubium excitamus.

§ I.

Opinio negans.

Primum argumentum. Partem negantem tuetur Scotus in 4. dist. 49. quæst. 15. et in 3. dis. 14. Vazquez in præsenti disp. 43. et alii ex junioribus. Probatur primo. Nam habitus non est dispositio ad recipiendum actum, sed potius e contra : ergo lumen gloriæ non desideratur per modum dispositionis ad recipiendam visionem beatificam. Conseq. patet. Quoniam comparantur per modum habitus, et actus. Antecedens autem etiam constat. Tum quia habitus fit per actum, atque adeo præsupponitur receptus in potentia, prius quam sit habitus, et ita habitus non disponet ad ejus receptionem : tum etiam, quia in habitibus supernaturalibus, quales sunt habitus gratiæ, et charitatis, non disponit gratia ad receptionem dilectionis Dei, sed potius ipsa dilectio requiritur per modum dispositionis ad gratiam.

Secundum. 34 Secundo. Nam quotiescumque subjectum aliquod ordinatur ad plures formas recipiendas, tunc maxime ordinatur ad perfectissimam, et illam immediate, et prius recipit : sed visio Dei est perfectissima forma inter omnes illas, ad quas ordinatur creatura intellectualis : ergo intellectus potissime ad illam ordinabitur, et eam immediate, et prius recipiet : et per consequens non desiderabitur aliqua alia forma ad illam recipiendam. Utraque conseq. est satis perspicua. Min. vero videtur nota. Nam visio Dei est beatitudo creaturæ intellectualis, ac proinde erit perfectissima inter omnes formas, quas prædicta creatura potest habere : siquidem summum bonum illius consistit in sua beatitudine. Major autem patet exemplo materiæ primæ, quæ licet respiciat formas substantiales, et accidentales, nihilominus potius ad illas, quam ad has ordinatur, et eas prius, quam formas accidentales recipit, ut constat ex iis, quæ N. Complut. ex communi consensu Thomistarum 1. de Generat. disp. 2. docent.

Tertium. 35 Tertio. Intellectus secundum se est proportionatus, et idoneus per modum subjecti ad recipiendam visionem, et ipsa visio secundum se non prærequirit lumen superadditum entitati intellectus, tanquam rationem recipiendi : ergo ex nullo capite desiderabitur lumen in intellectu ad recipiendam visionem. Conseq. patet. Quoniam

tantum ex duobus capitibus assignatis potest oriri necessitas luminis in intellectu ad hoc, ut recipiat visionem. Antecedens autem quoad. 1. part. probatur. Quia entitas naturalis intellectus est de se proportionata ad recipiendum lumen gloriæ, sicut etiam entitas naturalis animæ ad recipiendam gratiam; et entitas ejusdem intellectus ad hoc, ut suscipiat in se lumen fidei : ergo erit eodem modo proportionata in ordine ad receptionem visionis Dei, quandoquidem improportio inter intellectionem, et visionem solum posset oriri (si quæ esset) ex distantia, quæ est inter entitatem naturalem intellectus, et supernaturalem visionis : et hæc eadem reperitur inter illum, et lumen gloriæ, aut fidei. Quoad 2. vero part. idem antecedens etiam constat. Quoniam visio neque est aliquid luminis, scilicet, aut modus, aut intensio ejus, neque accipit ab eo tanquam a causa formali aliquid sibi necessarium ad inhærendum intellectui, sicut accidentia materialia accipiunt a quantitate esse extensa, et ratione hujus inhærent substantiæ : ergo visio secundum se nihil habet, ratione cujus prærequirat in intellectu lumen gloriæ, medio quo ei inhæreat.

Ultimum. Quarto. Quia alias intellectus ageret in lumen gloriæ, siquidem eliceret visionem, quæ in eo recipienda est : hoc autem est falsum : quia agens inferius nequit agere in rem superioris ordinis : nam sicut hæc est superior, ita nequit illi subdi.

§ II.

Præfertur sententia Thomistarum.

Conclusio. 36 Dicendum tamen est, lumen gloriæ necessario requiri in intellectu ad hoc, ut recipiat visionem Dei per essentiam. Assertionem hanc satis indicat D. Thom. tum locis citatis dub. præced. tum etiam in aliis statim adducendis. Quem sequuntur Palud. in 4. disp. 49. quæst. 1. Cajet. et Gonzal. in præsenti, Petrus de Ledes. de divina perfect. quæst. 8. art. 8. in dubio, quod movet post tertiam conclusionem : et communiter juniores discipuli S. Thom. ut testatur Gonzalez loco citato. Idem tenet Major in 3. dist. 14. quæst. 2. dub. 2. et in 4. disput. 49. quæst. 4. Marsilius in 3. quæst. 10. art. 3. Ricardus dist. 14. quæst. 1. art. 2. Valentia in præsenti disp. 1. punct. 3. et alii plures.

Animadversio prima. Ut autem rationem fundamentalem subjiciamus, notandum est primo ex D. Thom. in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 1. in corpore : hoc esse discrimen inter habitum, seu dispositionem, et potentiam; quod habitus, vel dispositio dantur ad bene, vel male, sive ad prompte, et faciliter posse; potentia vero ad posse simpliciter : et ita sine habitu, vel dispositione possumus simpliciter aliquid; secus vero sine potentia. Unde concludit Sanctus Doctor : *Hæc apparet differentia inter habitum, et potentiam, quia potentia est, qua possumus aliquid simpliciter : habitus autem, quo possumus illud bene, vel male : sicut intellectus, quo consideramus, scientia, qua bene consideramus, concupiscibilis, qua concupiscimus, temperantia, qua bene concupiscimus, et intemperantia, qua male, et similiter est de dispositione.*

Alia animadversio. 37 Secundo notandum est, ex eodem S. Doct. loco citato ex 4. sentent. et quæst. 24. de verit. art. 4. ad 9. quod habitus, vel dispositiones supernaturales, partim conveniunt cum naturalibus, partim vero ab eis differunt. Conveniunt quidem, quia etiam inclinant, et facilitant ad hoc, ut potentia bene, et delectabiliter possit, ut in habitu charitatis cernere licet; et ideo præsupponunt potentiam radicalem, et remotam; non vero tribuunt illam, ut ita possint eidem facilitatem ad operandum communicare. Differunt vero, quia cum sint quid supremum, inter habitus, et dispositiones, ex eo quod pertinent ad ordinem supremum, scilicet ad divinum, habent admixtum aliquid de propria natura potentiæ, quia re vera tribuunt *posse* simpliciter, ita ut sine illis non detur *posse* simpliciter in ordine ad operationes supernaturales, et divini ordinis; sed solum *posse* remotum, et radicale, seu commensuratio solum essentialis in ordine ad illas. Nam, ut docet Dionys. et passim repetit D. Thom. supremum infimi, attingit infimum supremi; et ita habitus supremus, scilicet supernaturalis attinget ad ordinem potentiarum, tribuens *posse* simpliciter.

Ratio illius. Cujus rationem tetigit ibidem S. Doct. dicens, quod sicut intra ordinem naturalem dantur propriæ operationes, et ideo debent assignari propriæ potentiæ per se requisitæ ad *posse* illarum; ita in ordine supernaturali dantur etiam propriæ operationes supernaturales; et sic debent dari propriæ potentiæ in ordine ad illas, quæ

quæ tribuant *posse* simpliciter; constat autem habitus, vel dispositiones supernaturales habere suo modo rationem potentiarum intra ordinem supernaturalem, seu tribuere una cum potentiis naturalibus radicaliter, et remote concurrentibus *posse* simpliciter. Nam, ut ex dictis art. 2. et 4. constat, implicat dari potentiam supernaturalem, v. g. intellectivam, quæ per modum potentiæ simplicis, et totalis tendat in Deum, ut est in se, ac proinde eliciat actum supernaturalem visionis : alioqui, ut ibidem probavimus, conveniret cum Deo in gradu immaterialitatis, et actualitatis, quod implicat. Et ideo potentia simpliciter intellectiva in ordine supernaturali necessario coalescit ex entitate naturali intellectus, sive ex potentia obedientiali supernaturali ejusdem (ut alii dicunt) et ex elevatione, quæ fit per habitum, vel auxilium supernaturale jam dictum; atque adeo elevatio illa habet, tum rationem habitus, vel dispositionis, quippe præsupponens *posse* saltim radicale, tum etiam modo insinuato rationem potentiæ, quatenus dat *posse* simpliciter. Utrum autem prædictæ dispositiones tribuentes *posse* simpliciter differant ex parte formæ ab habitibus, an vero ex parte modi habendi illam, quia nimirum habent eandem essentiam ex parte formæ, quamvis habitus habeat illam per modum permanentis, dispositio vero tribuens *posse* simpliciter per modum transeuntis? alia quæstio est alibi discutienda.

Prima ratio assertionis.

38 Hinc ergo et ex iis, quæ S. Doct. 1. part. quæst. 18. art. 3. ad 1. et quæst. 23. art. 2. ad 1. et quæst. 54. art. 1. ad 3. docet, ratio fundamentalis pro assertione desumitur, quæ potest hanc ad formam reduci. Nam de ratione actionis vitalis, et immanentis perfectæ est, ut recipiatur in eadem potentia proxima, a qua elicitur; unde visio corporea recipitur in visu, a quo fit : et auditio in auditu, et sic de aliis; sed intellectus creatus, non nisi ut lumine gloriæ perfusus, est potentia proxima elicitiva visionis Dei per essentiam, ut ostensum est : ergo non recipiet illam, nisi ut eodem lumine elevatus.

Confirmatio prima.

Confirmatur. Nam intellectio Angelica ut talis, sicut nequit elici nisi ab intellectu Angelico, ex eo, quod est actio vitalis petens oriri ab hoc determinato principio vitæ, scilicet intellectu Angeli, ita nequit recipi nisi in intellectu Angelico, et idem est de intellectione humana ut tali, et sic de aliis; ergo visio creata Dei, quæ est supernaturalis, et divini ordinis, sicut solum potest elici, ut a potentia intellectiva proxime, ab intellectu creato Deifico, seu divini ordinis per participationem, ita tantum poterit recipi in eodem intellectu sic elevato.

Secunda.

Confirmatur secundo. Nam licet intellectio, ut est actus immanens vitalis, non petat recipi in principio adæquato eliciente illam, et ita non debeat recipi in specie intelligibili, attamen requiritur, ut subjectetur in eo, quod se tenet ex parte potentiæ, et per modum potentiæ concurrit : ergo cum intellectus solus non se habeat per modum potentiæ, sed intellectus, ut elevatus, fiet inde, ut solus intellectus sic elevatus, sit capax recipiendi illam. Consequentia ex se constat. Antecedens autem etiam patet tum generali inductione omnium actuum vitalium, et immanentium; tum etiam : quia licet objectum, et potentia intellectiva concurrant ad intellectionem, attamen potentia influit per modum fœminæ parientis; objectum vero per modum masculi fœcundantis illam. Unde quia fœtus non recipitur, aut manet in masculo, licet ab eo debeat active procedere; bene tamen in fœmina; ideo intellectio, quæ vel se sola, vel una cum verbo, quando per illam producitur, est fœtus quidam intellectualis (modo tamen supra explicato) et non qualiscumque, sed immanens, ita ut in hac materia, et receptione talis partus consummetur, non debet recipi, aut manere in objecto, seu specie intelligibili, bene tamen in potentia. Quare cum intellectus non sit potentia intellectiva, seu fœmina intellectualis, respectu visionis Dei, prout est in se, nisi elevatus lumine gloriæ, ut probatum est, bene tamen una cum eodem lumine, consequens est, ut in illo sic elevato, et non aliter, possit recipi.

Secunda ratio.

39 Secundo principaliter probatur assertio ratione supra num. 32. tacta a D. Thom. insinuata. Quoniam *intelligere* est effectus formalis secundarius formæ intelligibilis, ex eo, quod habet se per modum existentiæ in ordine intelligibili : ergo id ipsum, quod requiritur ad receptionem, seu quasi receptionem speciei, desiderabitur ad receptionem intellectionis : ergo cum lumen gloriæ requiratur ad hoc, ut intellectus recipiat, seu uniatur cum essentia divina, ut habet rationem formæ intelligibilis respectu visionis Dei, ut ex dictis patet,

etiam desiderabitur ad receptionem ejusdem visionis. Antecedens constat ex iis, quæ in tract. 4. disp. 1. num. 21. et sequentibus dicemus : ubi ostendemus, quod sicut existentia ordinis naturalis, seu entitativi est effectus formalis secundarius formæ eodem modo sumptæ, ita *intelligere*, quia est existentia ordinis intelligibilis, ex eo, quod est ultima actualitas hujus ordinis, erit effectus formalis secundarius formæ ejusdem ordinis, scilicet speciei impressæ, ac proinde licet species, ut habet *esse* entitativum, et naturale, existitque per existentiam hujus ordinis, causet in genere causæ efficientis intellectionem : attamen ut pertinet ad ordinem intelligibilem, estque primus actus illius, causat etiam prædictum *intelligere* in genere causæ formalis, et tanquam effectum formalem secundarium ipsius.

Prima vero conseq. patet. Quoniam eadem dispositio, quæ requiritur ad receptionem alicujus formæ, desideratur ad *esse* existentiæ dimanantis ab illa, ut inductive constat in omnibus formis : ex quo etiam fiet lumen gloriæ ex duplici capite desiderari ad receptionem visionis. Primo quidem, quia constituit potentiam intellectivam in *esse* potentiæ simpliciter potentis videre Deum. Secundo vero, quoniam desideratur per modum dispositionis ad unionem, seu receptionem divinæ essentiæ, ut habet rationem formæ intelligibilis, ac proinde suo modo, et saltim mediate ad unionem cum ipsa visione, quæ est ultima forma, seu actualitas potentiæ creatæ visivæ Dei.

§ III.

Fit obviam argumentis opinionis negantis.

Ad primum. 40 Ad primum respondetur, antecedens verum esse ad summum de habitibus acquisitis, non vero de infusis, et constituentibus potentiam in *esse* potentiæ. Nam sicut ad receptionem prædictorum actuum requiritur potentia proxima elicitiva eorundem, ita et id, per quod talis potentia constituitur in *esse* potentiæ proximæ. Quare cum habitus luminis gloriæ sit per se infusus, et constituens potentiam in *esse* potentiæ proximæ visivæ Dei secundum id, quod requiritur ex parte potentiæ, fit inde, ut prædictum lumen desideretur ad receptionem proprii actus, scilicet visionis Dei.

Ad primam et secundam probationem. Ad primam probationem patet ex modo dictis. Ad secundam vero dicendum est, dilectionem Dei, et gratiam justificantem habere mutuam causalitatem in ordine ad receptionem cujuslibet ex illis in proprio subjecto, quamvis diverso modo hoc eis competat. Nam actus dilectionis requiritur ad receptionem gratiæ per modum causæ proprie et in rigore dispositivæ : gratia vero desideratur ad dilectionem Dei recipiendam ; non quidem per modum causæ proprie et in rigore dispositivæ, sed per modum constituentis primum omnino subjectum illius in ratione subjecti saltim connaturalis ejusdem. Nam sicut ad receptionem dilectionis naturalis concurrit anima, verbi gratia, per modum subjecti radicalis omnino primi, et voluntas per modum subjecti *quo*, neutra tamen influit per modum dispositionis proprie, et in rigore sumptæ ; sic ad receptionem actuum supernaturalium dilectionis influit voluntas ut elevata per habitum supernaturalem, et anima ut elevata per gratiam : illa quidem per modum subjecti *quo* ; hæc vero tanquam subjectum *quod* : neutra tamen per modum dispositionis proprie et in rigore acceptæ, licet sumpto late nomine dispositionis, possit dici, quod gratia, et charitas disponunt pro receptione prædicta dilectionis Dei.

Ad secundum. 41 Ad secundum respondetur majorem esse veram, quando formæ illæ ita inter se comparantur, ut una sit substantialis, cæteræ vero accidentales : secus vero quando omnes sunt accidentales, et superioris ordinis. Nam tunc illa, quæ constituit potentiam in ratione potentiæ in ordine ad alias, non poterit non recipi prius : alioqui cæteræ non recipientur in subjecto eis correspondente. Quare cum lumen gloriæ, et visio sint formæ accidentales, et lumen constituat intellectum in ratione potentiæ respectu visionis Dei, non poterit non prius recipi in illo, quam visio, et ipsa visio recipi ratione luminis, quamvis daremus (de quo alias) visionem esse perfectiorem, quam lumen. Ratio autem, ob quam facta collatione inter formam substantialem, et accidentales, debet necessario recipi in instanti generationis substantialis prius illa, quam istæ, est, quia ut nostri Complut. 1. de Generat. disp. 3. ex D. Thom. ostendunt, non potest materia habere *esse* secundum quid, quin prius habeat *esse* simpliciter. Unde cum istud

istud proveniat ei a forma substantiali, illud vero ab accidentalibus, consequens est, ut sit incapax recipiendi formas accidentales, nisi prius natura habeat formam substantialem.

Ad rtium.

42 Ad tertium negandum est antecedens, quoad utramque illius partem (modo tamen statim explicando.) Et ad probationem prioris concesso antecedenti, neganda est conseq. Quoniam lumen infunditur a solo Deo, ut a causa principali; visio vero fit ab intellectu creato per modum operationis vitalis petentis pro subjecto eandemmet potentiam vitalem proximam, a qua elicitur, ut ostensum est: et ita cum lumen constituat intellectum in ratione potentiæ proximæ elicitivæ visionis, modo jam insinuato, tribuit etiam illi, quod sit receptivus ejusdem visionis. Unde falsum est id, quod ibidem dicitur, scilicet improportionem inter intellectum unde sumptum, et visionem, propter quam intellectus sic acceptus nequit illam recipere, solum oriri ex distantia in ratione entis naturalis, et supernaturalis, quæ inter utrumque intercedit: quia revera non oritur ex hoc præcise capite, sed ex eo, quod jam explicuimus.

Ad obatio- nem sterio- rem.

Ad probationem vero posterioris partis ejusdem antecedentis dicendum est, visionem petere, tanquam subjectum *quo*, seu tanquam rationem recipiendi lumen gloriæ, non quidem ob ea, quæ ibidem enumerantur, sed quia, cum sit actus vitalis immanens, petit recipi in eadem potentia proxima, a qua elicitur, seu petit recipi in potentia visiva Dei: intellectus autem secundum se sine lumine gloriæ non est visivus Dei, licet habeat commensurationem essentialem cum visione.

Ad ultim.

43 Ad quartum neganda est sequela. Quia intellectus, et lumen non computantur, ut duæ causæ partiales, quarum quælibet habeat vim agendi proximam, sicut duo portantes lapidem; sed, ut una, et eadem indivisibilis causa in esse causæ. Quia unica causa in esse causæ, etiam partialis, petit commensurationem essentialem in ordine ad suam actionem, et insuper quantitatem virtutis, et efficaciam: intellectus autem ex se habet commensurationem essentialem in ordine ad visionem, et quantitatem virtutis a lumine gloriæ: et ita ex eo, quod visio recipiatur in intellectu elevato lumine gloriæ, non sequitur intellectum agere in lumen; sed intellectum, ut elevatum lumine gloriæ agere in se ipsum, quod non est inconveniens, imo necessarium ad rationem agentis per actionem vitalem, et immanentem. Nam sicut una cum lumine est principium activum, et constituit unum, et idem indivisibile principium elicitivum visionis, ita etiam unum, et idem indivisibile principium receptivum illius.

DUBIUM IV.

Utrum per potentiam Dei absolutam, possit intellectus creatus sine lumine gloriæ per solam suam potentiam obedientialem, addito tamen influxu concomitante in visionem, non vero aliquo alio prævio, in eundem intellectum, illam elicere?

Notabile pri- mum.

44 Postquam egimus de necessitate luminis gloriæ in ordine ad recipiendam, aut quasi recipiendam essentiam divinam, ut habet rationem formæ intelligibilis, necnon et de necessitate ejusdem ad hoc, ut ipsa visio in intellectu creato recipiatur, restat explicare, an intellectus ita indigeat prædicto lumine in ordine ad eandem visionem active eliciendam, ut hæc necessitas, et indigentia nequeat per aliquem influxum concomitantem in visionem ipsam per divinam potentiam suppleri.

Aliud.

Diximus, *Per divinam potentiam*; nam de potentia ordinaria certum est beatum indigere lumine gloriæ in ordine ad eliciendam visionem Dei. Nam in Concilio Viennensi, et habetur in Clementina *Ad nostrum* de Hæreticis, damnatur quintus error Beguardorum, et Beguinarum, dicentium, quod anima non indiget lumine gloriæ elevante ipsam ad Deum videndum: constat autem, quod videre Deum importat elicientiam actus videndi. Nam cum visio sit vitalis operatio, ille solus intellectus videt Deum, qui active elicit visionem: et ita si intellectus indiget lumine ad videndum, indigebit utique eo, ad prædictam visionem eliciendam.

§ I.

Refertur prior dicendi modus.

45 Partem affirmantem tuentur Suarez lib. 2. summæ Theologiæ cap. 16. num. 5. et 6. Molina hic disputat. 1. Vazquez disp. 46. cap. 2. Arrubal. disputat. 20. cap. 3. et referunt pro se Paludanum in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 3. et Thomam de Argentina quæst. 1. art. 1.

Primum fundamentum. Probatur primo, testimonio D. Thom. de veritate quæst. 10. art. 11. ubi inquit: *Sicut Petrum fecit, sine eo, quod ei dotem agilitatis tribuerit, super aquas ambulare, ita potest mentem ad hoc perducere, ut divinæ essentiæ uniatur in statu viæ modo illo, quo sibi unitur in patria, sine hoc, quod a lumine gloriæ perfundatur*: ergo possibile erit intellectui creato elicere visionem per solam suam potentiam obedientialem, et cum concursu speciali Dei in ipsam visionem, non vero in intellectum. Patet consequentia. Quia ex quo capite potest videre Deum sine lumine gloriæ, potest etiam sine aliquo ipsi superaddito elicere visionem. Nam quidquid illi superadderetur, haberet rationem luminis, seu (quod idem est) virtutis visivæ Dei: et ex qua parte visio est supernaturalis, et elicita a causa secunda, nequit elici per potentiam pure naturalem, sed per obedientialem, et cum concursu speciali, seu supernaturali Dei in illam.

Secundum. 46 Secundo. Lumen gloriæ solum desideratur ad hoc, ut suppleat virtutem effectivam, quæ deest intellectui: ergo poterit a Deo suppleri per suam divinam potentiam. Antecedens constat ex dictis. Conseq. vero probatur. Quia virtus, quæ deest intellectui, quamque lumen supplet, non est virtus ad eliciendam visionem, quatenus vitalis est: tum, quia ad hoc sufficit intrinseca vitalitas, et vitalis conatus intellectus: tum etiam, quia lumen solum exigitur ad visionem illam, prout est supernaturalis, et clara: tum denique, quia lumen advenit ab extrinseco, et de foris: at principium vitale, et vitaliter influens debet esse ab intrinseco, et ideo actus vitalis diffinitur per hoc, quod sit a principio intrinseco, et conjuncto: at omnem virtutem effectivam causæ secundæ potest Deus supplere, dummodo non sit virtus effectiva causæ vitalis ut vitalis, ut communiter admittunt omnes Philosophi, et Theologi: ergo poterit supplere defectum luminis, et influxum illius, per hoc, quod ipse immediate, et per concursum supernaturalem influat in ipsam visionem, id quod per influxum luminis præstandum erat.

Tertium. 47 Tertio. Lumen gloriæ non influit in visionem per modum totalis virtutis in ordine ad illam, sed solum per modum virtutis partialis, atque adeo intellectus erit etiam causa partialis respectu ipsius: ergo poterit Deus supplere efficientiam luminis influendo immediate in visionem id ipsum, quod lumen præstiturum erat. Antecedens patet, tum ex dictis, tum etiam, quia alioqui visio non esset actus vitalis, quippe quæ non procederet active a potentia vitali.

Consequentia autem probatur, et explicatur. Nam quoties duæ causæ partiales influunt in aliquem effectum, non petitur necessario, quod una informet aliam, aut, quod alicui ex illis addantur intrinsecæ vires, ratione quarum fiat completa causa in ordine ad talem effectum; sed sufficit, quod vel causa partialis adjuvetur aliquo ex his modis, vel quod alia ex his causis partialibus simul cum altera influat in effectum, non influendo in eandem causam, ut contingit in Petro habente vim partialem, et dimidiatam ad portandum aliquod pondus: tunc enim poterit portare illud; vel per hoc, quod ei addantur vires intrinsecæ, seu inhærentes, ita ut virtus dimidiata, quam habebat, et alterum dimidium ei superadditum concurrant per modum duarum causarum partialium, et integrantium unam causam totalem; vel per hoc, quod Paulus habens etiam dimidiatam virtutem ad portandum prædictum pondus una cum Petro influat in illum effectum, absque eo, quod influat in eundem Petrum, aut ei intrinsecam, et inhærentem virtutem superaddat.

Ultimum. 48 Ultimo. Actus fidei, et charitatis supernaturales possunt fieri sine habitibus eis proportionatis, et sine aliquo alio influxu Dei in causam: ergo eodem modo actus visionis Dei poterit, saltim per divinam potentiam, fieri per solum influxum Dei in eandem visionem, absque eo, quod Deus imprimat aliquid prævium in intellectu. Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens autem quoad 1. partem constat: quandoquidem prædicti actus sunt dispositiones ad suos habitus, et ita non possunt fieri ab illis, nam hoc ipso, quod ad illos disponant, præsupponuntur cum proprio *esse* ante eosdem. Quoad secundam vero partem ex dictis patet. Nam illud prævium, quod Deus infunderet in intellectu, et voluntate ad eliciendos prædictos actus, non esset distinctum ab habitibus eis correspondentibus: siquidem ejus essentia consisteret in hoc, quod est habere rationem principii respectu illorum, quod quidem est proprium habituum fidei, et charitatis.

Soluti Nec refert, si dixeris, illud, quod Deus infunderet in intellectu, et voluntate in ordine ad eliciendos actus fidei, et charitatis, fore qualitatem quandam transeuntem, et non

non permanentem, atque adeo non habituram rationem habitus. Unde hinc ad summum colligitur, visionem Dei posse elici ab intellectu creato sine habitu luminis gloriæ, non vero sine aliquo superaddito entitati intellectus, per quod confortetur antecedenter ad visionem, et influxum Dei in eandem visionem.

Non itaque hoc refert. Quoniam ex eo, quod illa qualitas impressa intellectui ad videndum Deum parum duret, non sequitur distingui specie a qualitate, quæ sit principium ejusdem visionis, et permanenter duret : sicut ex eo, quod visio Dei fuerit communicata Paulo per modum transeuntis, non colligitur eam distingui specie ab eadem visione Dei permanenti, quam idem Paulus postea in patria habuit. Et ratio a priori est, quod permanens, vel non permanens duratio non potest species qualitatis distinguere, cum pertineat ad aliud prædicamentum.

Confirmatio. Confirmatur. Quia illa qualitas impressa in intellectu, non esset transiens, ex eo, quod a contrario corrumperetur, ut ex eo constat, nec quia ex alio capite id peteret. Nam cum sit principium visionis ex se perpetuæ, quippe quæ mensuratur æternitate participata, non habet unde exigat, quod ex se sit transiens.

§ II.

D. Thom. Sententia, et primum ejus fundamentum.

Conclusio. 49 Dicendum tamen est, visionem Dei non posse etiam per divinam potentiam fieri ab intellectu creato per puram, et nudam potentiam obedientialem ipsius, addito solo concursu Dei supernaturali in ipsam visionem, non vero in intellectum. Ita D. August. et Angelicus Doctor, ut ostendunt, et sequuntur Nunno 3. part. quæst. 62. art. 6. quæst. 2. conclus. 1. Alvarez lib. 7. de auxiliis disp. 67. et ita idem S. Doct. 2. cont. Gent. cap. 53. et 2. 2. quæst. 175. art. 3. ad 2. ait : *Quod divina essentia non potest videri ab intellectu creato, nisi per lumen gloriæ.* Quod etiam docent Cajetanus in præsenti, Capreolus in 4. dist. 49. quæst. 4. ad argumenta contra secundam conclusionem, scilicet ad 3. et ad 4. Soto in eadem dist. quæst. 2. art. 4. Bannez in præsenti dubio 3. Navarrete controversia 39. § 1. Nazarius in hoc art. et communiter Thomistæ.

Fundamentum. 50 Probatur primo testimonio Concilii Viennensis in hoc dubio adducto, ubi exigitur lumen gloriæ elevans potentiam intellectivam, non quidem ex Dei tantum institutione, sed ex natura ipsius actus, et potentiæ. Nam sicut hæretici aiebant, intellectum suapte natura posse consequi beatitudinem, sic ex opposito definit Sanctum Concilium, illum indigere ex natura rei elevatione, et lumine ob inferioritatem, et insufficientiam, quam habet ad videndum Deum : sed nomine luminis gloriæ nequaquam intelligit Concilium visionem ipsam, seu influxum concomitantem Dei in illam, qui nihil est aliud, quam prædicta visio, sed aliquid prævium ad illam : ergo ex natura rei non sufficit ipsemet actus, seu concursus Dei concomitans una cum potentia obedientiali intellectus; sed desideratur aliquid prævium ipsi a Deo impressum : ergo etiam per ordinem ad divinam potentiam hoc ipsum desiderabitur,

Hæc ultima consequentia patet ex priori. Quia quod ex natura rei desideratur ob improportionem, et insufficientiam intrinsecam, quæ est in causa in ordine ad aliquem effectum, non potest non etiam requiri per ordinem ad divinam potentiam, ita ut ex parte ejusdem causæ se teneat, ut statim magis expendemus. Prima vero consequentia ex utraque præmissa satis constat. Minor autem videtur certa. Tum quia si per lumen gloriæ intelligeret Concilium visionem ipsam, seu influxum concomitantem Dei in illam, qui nihil est aliud, quam ipsa visio, tunc nihil contra prædictos hæreticos definiret, siquidem ipsi non negabant, quod ad videndum Deum requiritur ipsa visio illius, aut influxus concomitans Dei in eam, qui est idem, quod prædicta visio. Tum etiam : quia Concilium in ea significatione accipit lumen gloriæ, in qua communiter accipitur a Theologis; alioqui si verba Concilii possent ad aliam significationem, præterquam ad eam, secundum quam communiter accipiuntur, detorqueri, nihil haberemus firmum in definitionibus Conciliorum : constat autem apud Theologos nomine luminis gloriæ non intelligi visionem ipsam, sed aliquid prævium ad illam, et intrinsecum potentiæ, elevansque illam ad hoc, ut visionem eliciat.

§ III.

Proponitur secundum fundamentum sententiæ D. Thom.

51 Secundo principaliter probatur assertio ratione desumpta ex D. Thom. loco citato ex 3. cont. Gent. quæ potest ad hanc formam reduci. Causa de se insufficiens ad aliquam altiorem operationem non potest illam elicere, nisi ei superaddatur vel intensio propriæ virtutis, si illa actio solum, quoad intensionem superet efficacitatem illius, vel aliqua alia virtus specie distincta, si talis operatio sit eminentior, et specie distincta ab illa, quæ ab eadem causa elici potest : sed visio Dei est operatio eminentior, et specie distincta ab ea, quam intellectus creatus per propriam, et innatam virtutem elicere potest : ergo debet ei superaddi aliqua virtus altior, et eminentior, specieque distincta ab entitate intellectus, et potentia obedientiali ipsius, per quam elevetur in ordine ad talem actionem : ergo talis virtus debet esse distincta a prædicta potentia obedientiali, aut intensione ejus, et a concursu speciali, et concomitanti, quo Deus in prædictam visionem influit.

Majorem explicat, et probat D. Thom. exemplis calidi remissi, et diaphani illuminantis : quorum primum eget sola intensione caloris ad eliciendam calefactionem intensam, quia prædicta calefactio solum quoad intensionem excedit ejus virtutem : secundum vero, scilicet diaphanum, indiget forma specie ab illo distincta ad illuminandum, ex eo, quod illuminatio est actio eminentior, et specie distincta ab ea, quam diaphanum secundum se sumptum potest elicere.

52 Et deinde probari potest ex proportione inter virtutem effectivam, et operationem ab ea eliciendam, quæ quidem, ut intuenti constabit, servari nequit, nisi actioni altiori, et eminentiori, specieque distinctæ ab iis, quas potentia activa secundum se potest elicere, correspondeat virtus activa altior, et specie distincta : sicut etiam ad eandem proportionem desideratur, ut ad actionem excedentem præcise in intensione vim activam, superaddatur ex parte causæ sola intensio virtutis in illa existentis.

Minor autem ex dictis in hoc eodem art. satis constat. Prima vero conseq. ex utraque præmissa deducitur. Secunda vero, quoad utramque part. ex priori sequitur. Quoad 1. quidem, videlicet, quod talis virtus superaddita debeat esse eminentior, et specie distincta a potentia obedientiali intellectus, aut intensione ejus, inde patet. Quoniam alias non superadderetur illi virtus in ordine ad actionem eminentiorem, et specie distinctam ab iis, quas secundum se potest elicere. Quoad 2. vero, nimirum quoad influxum concomitantem Dei in ipsam visionem, etiam constat. Nam id, in ordine, ad quod efficiendum causa indiget elevatione, non potest esse ipsa virtus elevativa : sicut id, in ordine, ad quod datur virtus productiva, non potest esse ipsa vis productiva, ut ex terminis ipsis constare videtur : ergo si ad eliciendam visionem Dei, indiget intellectus virtute elevante, et specie distincta ab ejus innata virtute, nequit talis virtus elevans esse ipsamet visio : ergo cum concursus concomitans Dei in visionem, sit eademmet visio prout a Deo, et non aliquid prævium ad ipsam; nequit per talem concursum potentia intellectiva elevari ad illam eliciendam.

§ IV.

Prior solutio adversariorum, et impugnatio illius.

53 Quæ ratio est adeo efficax, ut omnes solutiones, quæ ex doctrina adversariorum possunt illi adhiberi, maneant sola explicatione, et expensione illius impugnatæ. Nam in primis id, quod respondent, scilicet posse Deum supplere per suam omnipotentiam concursum luminis, ex eo, quod omnis efficientia causæ secundæ potest suppleri ab ipso, quamvis alias si eam non suppleret, tunc activitas talis causæ desideraretur, satis corruit ex dictis. Solutio prior.

Nam licet possit Deus se solo efficere quidquid causæ secundæ possunt, dummodo causa secunda per modum principii vitalis, ut talis, non concurrat; attamen nequit facere, ut prædicta causa attingat talem effectum, aut eliciat aliquam actionem, quin habeat sufficientem virtutem, et efficacitatem ex parte sua in ordine ad illam : ergo cum ostensum sit, intellectum ex se non habere virtutem sufficientem, et efficacitatem ad eliciendam visionem Dei, nequit Deus facere, ut eam eliciat, quin illi præstet virtutem Impugnatur.

virtutem ad id proportionatam. Conseq. ex se constat. Antecedens autem etiam patere videtur, tum ex terminis ipsis : tum etiam, quia alias causa illa posset, et non posset elicere eam operationem : posset quidem, ut supponitur : non posset vero, quia sine sufficienti virtute, et efficacitate non potest eam elicere : tum denique, quia repugnat causam secundam prodire in actum secundum, nisi in suo ordine præsupponatur in actu primo proportionato, quandoquidem omnis effectus, aut operatio debet præcontineri in sua causa, et in actu primo illius : ac proinde nequit etiam per divinam potentiam talis actus secundus ab ea prodire, nisi habeat sufficientem vim, et efficacitatem, per quam constituatur in actu primo.

onfir-
atio.

54 Confirmatur. Nam lumen gloriæ non concurrit præcise in genere causæ efficientis ad visionem, sed ei aliquid de causalitate formali intrinsece, et indispensabiliter admiscetur : ergo nequit suppleri a Deo. Conseq. patet. Quoniam causam formalem, et effectum ejus nequit Deus supplere. Antecedens autem probatur, et explicatur. Quoniam sicut intellectus Angelicus, ut est potentia naturalis, non solum concurrit ad intellectionem Angelicam ejusdem ordinis per modum causæ efficientis, sed etiam ibidem admiscetur aliquid de causa formali, seu specificante, ex eo, quod talis intellectio dicit intrinsecum ordinem, et indispensabilem dependentiam ab intellectu, ut a principio illius; et ideo nequit Deus facere, ut fiat intellectio Angelica sine intellectu Angelico; ita intellectio divini ordinis debet procedere a potentia intellectiva divini, et supernaturalis ordinis, non solum, ut a principio effectivo, sed ita, ut aliquid de causalitate formali admisceatur; ac proinde ad prædictum intellectum talis intellectio intrinsecam, et indispensabilem habitudinem dicet, ipseque habebit etiam rationem specificativi respectu ipsius : ergo cum lumen gloriæ constituat intellectum creatum, in ratione potentiæ supernaturalis, et divini ordinis, fiet inde, ut non solum concurrat per modum principii effectivi, sed ibidem aliquid de causalitate formali misceatur.

§ V.

Evasio secunda adversariorum, et præclusio ejus.

asio
ia.

55 Deinde etiam ex dictis corruit alia solutio, quæ ex doctrina adversariorum solet adhiberi, scilicet intellectum habere virtutem partialem per suam potentiam obedientialem in ordine ad eliciendam visionem Dei prout est in se, siquidem lumen non est adæquata causa illius : et ita satis est, quod alia causa partialis, scilicet Deus, immediate in visionem influat concursu illo simultaneo : non secus, ac virtus, ut duo, quam habet Petrus ad portandum lapidem resistentem, ut quatuor, completur per aliam virtutem ut duo, qua influit Paulus ad portandum cum Petro eundem lapidem, licet unus non influat in alium, sed uterque in effectum.

Præclu-
ditur
primo.

Hæc igitur solutio non minus, quam præcedens ex sola explicatione rationis D. Thom. corruit. Nam cum S. Doctor denegat intellectui sufficientem vim ad hoc, ut possit sine lumine gloriæ attingere Deum, prout est in se, non est, quia secundum se habeat virtutem proximam ad illum sic videndum, et hæc sit partialis, atque ita non possit se solo visionem elicere, ut in proposito exemplo contingit; sed quia secundum se nullam virtutem proximam quantumvis partialem habet in ordine ad talem visionem, sed tantum remotam, et radicalem, ex eo, quod virtus proxima, quantumvis partialis attingens aliquem effectum, debet esse ejusdem ordinis cum illo, ut in eodem exemplo allato cernere licet, et intellectus secundum se, non est ejusdem ordinis supernaturalis, et divini cum Deo, ut clare viso. Quare repugnabit, quod secundum se sumptus, etiam partialiter concurrat, quantumvis Deus simul per concursum pure simultaneum in visionem influat : quandoquidem implicat causam agere sine virtute agendi proxima, ut omnes Theologi fatentur.

Confir-
matur
primo.

56 Confirmatur, et explicatur. Nam propter hanc rationem intellectus, et voluntas creata non habent virtutem proximam etiam partialem ad eliciendos actus supernaturales Fidei, Spei, et Charitatis, sine aliqua gratia prævenient, etiamsi potentia ejus obedientialis pertineat, juxta probabilem illum dicendi modum disp. 1. hujus tract. adductum, ad ordinem supernaturalem per modum puræ capacitatis : ergo cum visio beatifica sit etiam actus supernaturalis, et excellentior, non habebit intellectus, adhuc hypothesi illa data, prædictam virtutem in ordine ad talem visionem. Conseq. patet. Antecedens vero probatur. Nam in Concilio Tridentino sess. 6. canone 3. diffinitur hominem indigere gra-

tia præveniente in ordine ad illos actus; si autem haberet virtutem agendi proximam respectu illorum, non esset, cur talis gratia præveniens desideraretur in potentiis elicitivis eorum, sed sufficeret gratia concomitans.

Secundo. Deinde. Nam insufficientia, quam tribuit D. Thom. intellectui creato secundum se sumpto in ordine ad videndum Deum, est talis, ut non sit ei sic sumpto debitus debito connaturalitatis concursus ille specialis, et supernaturalis, quo Deus una cum illo influeret in visionem : ergo prædicta insufficientia debet etiam esse talis, ut non solum non possit secundum se consideratus influere in visionem, ex eo, quod tantum habet virtutem agendi partialem, licet proximam, sed ex eo, quod nullo modo habet talem virtutem proximam quantumvis partialem. Antecedens patet. Quia alioqui concursus ille non esset ordinis supernaturalis, et divini, quippe debitus titulo connaturalitatis entitati naturali intellectus. Nam, ut adversarii fatentur, potentia obedientialis illius non est secundum se ordinis supernaturalis. Conseq. vero etiam constat. Nam causæ proximæ partiali debetur titulo connaturalitatis unio, cum alia concausa proxima, et partiali, et ei sic unitæ est etiam debitus concursus proportionatus in ordine ad actionem, quam elicitura est.

Tertio. 57 Præterea. Nam insufficientia, et inefficacitas, quæ a D. Thom. tribuitur intellectui secundum se, et absque lumine in ordine ad visionem Dei, oritur ex inferioritate, et imperfectione ejus. Si autem intellectus secundum se, et per suam puram potentiam obedientialem haberet virtutem agendi proximam, etiam partialem respectu illius, non esset in eo talis inferioritas, et imperfectio : ergo, etc. Major constat. Quoniam quælibet insufficientia in genere causæ efficientis oritur ex imperfectione, et inferioritate : nam sicut hæc causa agit, ut est in actu, et in se perfecta, ita insufficientia ejus ortum ducit ex potentialitate, et consequenter ex inferioritate, et imperfectione.

Minor autem etiam constat. Quia, quod ex se, et ex sua innata virtute habet vim proximam, et partialem respectu visionis supernaturalis, ita ut nihil aliud præter illud per modum fœminæ intellectualis concurrat, continet in ordine supernaturali omnem perfectionem, quæ intra latitudinem potentiæ intellectivæ potest ei competere : nam tota latitudo potentiæ intellectivæ, tantum potest se extendere ad hoc, ut sola ipsa per modum fœminæ, et per modum causæ partialis partialitate causæ possit propria virtute influere in actum omnium perfectissimum, scilicet visionem beatificam : at in casu, de quo loquimur, solus intellectus concurreret per modum fœminæ intellectualis, ac per modum causæ partialis in hoc ordine, alioqui actio illa prout a Deo esset vitalis, et Deus ipse, ut hoc modo concurrens indigeret speciali ratione, ut fœcundaretur per speciem objecti cogniti, tam in hac, quam in aliis intellectionibus ordinis supernaturalis : ergo prædictus intellectus creatus contineret omnem perfectionem latitudinis intellectus creati, et per consequens non esset inferior in ratione potentiæ intellectivæ in ordine ad visionem beatificam.

Ultimo. 58 Accedit tandem, quod intellectus per suam potentiam obedientialem nequit habere virtutem proximam etiam instrumentalem, per quam in hoc ordine præcontineat in actu primo quælibet opera miraculosa : ergo neque per illam poterit habere virtutem proximam partialem in ordine ad visionem Dei. Conseq. patet. Quoniam visio Dei producitur ab intellectu, ut a causa principali, ex eo, quod continetur intra latitudinem sui actus adæquati, scilicet intellectionis. Constat autem virtutem aliquam esse ex se minus proportionatam ad concurrendum per modum causæ principalis, licet partialis, in actum secundum, secundum substantiam supernaturalem, et omnium perfectissimum, qualis est visio, quam ad concurrendum instrumentaliter in opera miraculosa : quandoquidem tota latitudo causæ instrumentalis alicujus ordinis nequit pertingere ad perfectionem, quæ continetur in causa principali etiam partiali contenta intra eundem ordinem, quo causa instrumentalis.

Antecedens autem probatur. Quoniam si intellectus haberet talem virtutem, tunc potentia illa obedientialis ejus esset infinita secundum virtutem continendi. Nam effectus miraculosi, et supernaturales se excedunt in infinitum in perfectione, saltim accidentali : et omnis hæc perfectio debet in instrumento physico, de quo loquimur, saltim in suo ordine, simul, et semel præcontineri : ita ut licet non sit æqualis perfectionis cum effectu, attamen ex eo, quod in suo ordine contineat illum, colligatur

ligatur habere in se aliquam perfectionem : et ita si continet infinita, se invicem in perfectione excedentia, non potest non esse quid infinite perfectum. Sed de his videantur ea, quæ nostri Complut. in lib. Phys. disp. 12. a num. 14. usque ad 16. docent.

§ VI.

Ultima responsio, et eversio illius.

Ultima solutio.

59 Ex quibus omnibus manet impugnata alia solutio adversariorum, scilicet intellectum creatum solum instrumentaliter influere in visionem, et ita non indigere, nisi solo influxu Dei in illam, non vero in intellectum. Nam cum instrumentum non elevetur ad *esse*, sed ad *operari*, non est necesse, ut causa principalis aliquid illi imprimat, sed satis est, ut una cum illo operetur : quod si aliquando aliquid ei imprimitur, ut in præsenti contingit, quippe cum intellectus per lumen gloriæ ad videndum Deum de facto elevetur, hoc tantum fit ad hoc, ut suavius, et connaturalius videat ; non vero, quia id etiam per ordinem ad divinam potentiam sit necessarium.

Ejicitur.

Nam contra hoc urget ratio facta, in hunc tamen modum perpensa. Etenim licet daremus intellectum solum instrumentaliter concurrere ad visionem, nihilominus hoc ipso, quod sit insufficiens ex parte sua ad illam, ac proinde indigeat elevatione ad *operari*, elevatur ad hoc, ut saltim in suo ordine, scilicet per modum instrumenti contineat eandem visionem prius natura, quam illam eliciat, et consequenter ad hoc, ut prius constituatur in actu primo operativo, quam in actu secundo, ut ex dictis num. præced. constat : ergo debet illi imprimi aliquid pertinens ad ordinem essendi, per quod contineat effectum principalis agentis, scilicet prædictam visionem, quam ante elevationem non continebat. Maxime quia, ut recte N. Complutens. 2. Phys. disp. 12. quæst. 1. ostendunt, et infra dub. seq. dicemus, per solam subordinationem ad Deum non potest constitui in actu primo etiam in suo ordine ad operandum.

Impugnatur solius.

60 Deinde falsum est, intellectum concurrere instrumentaliter in visionem Dei. Nam, ut dicemus infra, nequit illam elicere, nisi elevatus lumine gloriæ, et ut sic elevatus attingit eam per modum causæ principalis, ut supra art. 4. tetigimus : et ratio ipsa suadet. Tum quia visio beatifica est actus connaturalis respectu luminis gloriæ, ut supra art. 2. tetigimus : et eadem visio, ejusque objectum non sunt extra latitudinem actus, et objecti adæquati intellectus : at ut ex supra dictis, art. 1. dub. 1. constat, ad rationem causæ principalis satis est, ut concurrat per formam, cui sit connaturalis illa operatio, et quod talis operatio et objectum ejus sint contenta sub operatione, et objecto adæquato illius potentiæ.

Tum etiam : quia quælibet natura mediantibus suis potentiis per modum causæ principalis concurrit ad proprias operationes : at gratia sanctificans habet rationem naturæ in ordine supernaturali, et divino, et ejus propria, ac connaturalis operatio est videre Deum : ergo per suam potentiam ordinis divini, scilicet per lumen gloriæ, attinget tanquam causa principalis eandem visionem, ac proinde etiam anima, et intellectus, ut elevata per gratiam, et lumen, hoc ipsum habebunt : siquidem, ut modo dicebamus, elevantur ad actum, et objectum contentum sub actu, et objecto proprio, et adæquato illorum, et per formam habentem virtutem per modum causæ principalis, et modo supra explicato, in ordine ad illa. Unde non recte infert Suarez ex eo, quod intellectus concurrit, ut elevatus, quod influat instrumentaliter, quia elevatio cum conditionibus jam dictis, non extrahit rem elevatam a ratione causæ principalis.

§ VII.

Respondetur argumentis contrariæ sententiæ.

Ad primum.

61 Ad primum patebit ex iis quæ dub. seq. num. 77. et 86. dicemus.

Ad secundum.

Ad secundum concesso antecedenti, neganda est consequentia : tum propter ea, quæ statim ad probationes ejusdem consequentiæ asseremus : tum etiam, quia, ut ex jam dictis constat, licet Deus possit cum limitatione supradicta se solo efficere, quidquid mediis causis secundis efficit ; non tamen potest facere, ut ipsæ efficiant suos effectus, quin habeant in actu primo virtutem ad illos : hic autem non loquimur de visione utcunque efficienda ; sed ut efficienda ab intellectu creato.

Et ad primam probationem ejusdem consequentiæ debet negari antecedens. Ad cujus primam, et secundam probationem dicendum est lumen desiderari ad visionem Dei, quatenus est vitalis, vitalitate non qualicumque, sed supernaturali, quæ sola in ea invenitur. Nam sicut intra ordinem naturæ datur sua vitalitas, ita intra ordinem supernaturalem, et divinum reperitur etiam vitalitas supernaturalis, juxta illud Joan. *Gratia Dei vita æterna* : et ideo etiam ex hoc capite nequit Deus vices luminis gloriæ per suum concursum supplere. Unde ad prædictam visionem, prout est vita supernaturalis, non sufficit vitalitas naturalis intellectus, nisi elevata per lumen gloriæ.

Ad tertiam vero probationem respondetur, quod lumen gloriæ participat, ut *quo* vitalitatem supernaturalem divini intellectus, quoad efficaciam vitalem, qua gaudet in ordine ad videndum se, prout est in se ipso : et simul inhæret potentiæ vitali, atque ita nihil illi deest, ad hoc, ut visio procedat ab eo, ut a principio intrinseco vitali.

Ad tertium.

62 Ad tertium concedendum est antecedens juxta superius dicta. Ita nimirum, ut licet lumen non sit tota, et adæquata ratio per exclusionem virtutis etiam radicalis, et remotæ, sit tamen tota, et adæquata ratio ex parte potentiæ per exclusionem alterius virtutis proximæ ex parte ejusdem potentiæ se tenentis : quia intellectus solum habet ex se virtutem radicalem, et inchoatam. Et deinde neganda est consequentia. Ad cujus probationem patet ex dictis antecedens esse verum, quoties illæ causæ sunt partiales partialitate causæ proximæ, ita ut quælibet habeat suam virtutem partialem proximam agendi, ut in exemplo ibidem allato contingit, secus vero quando sunt partiales partialitate causæ, ita, ut una sit remota in suo ordine, alia vero proxima. Nam tunc ea, quæ tantum habet virtutem agendi remotam, et non proximam in suo ordine (ut quoad præsens accidit) nequit operari, nisi prius talis proxima ei conferatur.

Ad ultimum.

Ad ultimum transeat antecedens, quoad priorem partem, et negari debet, quoad posteriorem. Ad cujus probationem bene respondetur ibidem. Ad impugnationem autem contra solutionem ibi datam constabit ex dicendis num. 87. et 88.

DUBIUM V

Utrum per divinam potentiam possit in ratione luminis divina essentia uniri intellectui creato, et ita constituere illum absque creato lumine in actu primo ad videndum Deum, ut est in se ?

Necessitas luminis gloriæ creati in ordine ad videndum Deum, et modus influendi ipsius in prædictam visionem, maxime ex discussione hujus dubii pendet : et ideo, ut eam magis radicitus explicemus, illud excitavimus.

§ I.

Opinio affirmans.

63. Prima sententia affirmat, Deum posse uniri in ratione luminis cum intellectu creato, atque ita sufficere prædictam unionem absque lumine creato, una cum concursu supernaturali Dei in visionem, ad hoc, ut intellectus creatus videat illum : ad eum sane modum, quo putant sufficere, Deum per se ipsum uniri in ratione speciei intelligibilis absque aliquo alio inhærenti, ad hoc, ut sine specie creata, et inhærente, cum concursu tamen supernaturali Dei, visio eliciatur. Ita aliqui, quos refert Ledesma de perfectione Dei quæst. 8. art. 8. in subarticulo, et alii plures ex junioribus : quod reputat probabile Vincentius in relectione de gratia Christi quæst. 6.

Argumentum primum

Probatur primo. Nam essentia divina est suum *esse* in omni genere : ergo poterit uniri in ratione luminis gloriæ cum intellectu creato, ita, ut constituat illum in actu primo ad videndum eandem essentiam, absque eo, quod addatur ei aliquod lumen gloriæ creatum. Antecedens constat ex dictis art. 2. hujus quæst. alioqui essentia divina non esset actus purus in omni genere. Consequentia vero probatur. Nam, ideo potest uniri in ratione speciei absque inhæsione, quia in ratione formæ intelligibilis est suum *esse*, ut loco citato ostendimus : ergo si eodem modo in ratione luminis est suum *esse*, ac proinde præhabet omnem effectum, quem lumen creatum una cum informatione, et inhæsione continet, poterit per se, et intime in intellectum illapsa, absque eo, quod inhæreat, prædictum effectum illi communicare.

64 Confirmatur

Confirmatio prima.

64 Confirmatur primo. Nam lumen gloriæ pertinet ad ordinem intelligibilem, ut ex se constat : et Deus est purissima forma in ordine intelligibili : ergo poterit uniri in ratione luminis cum intellectu creato. Patet consequentia, tum, quia ideo potest uniri in ratione speciei, quia species pertinet ad ordinem intelligibilem : tum etiam, quia uniri intelligibiliter, nullam involvit imperfectionem, sed potius, quo forma est perfectior, eo melius in hoc ordine uniri potest : et ideo substantia Angelica licet sit quid completum in genere substantiæ, potest cum suo intellectu in ratione formæ intelligibilis uniri.

Secunda.

Confirmatur secundo. Nam, ex eo potest essentia divina uniri in ratione speciei, quia species non tribuit primam virtutem ad agendum; sed supponit virtutem, et complet illam, ut loco citato ostendimus : at neque lumen tribuit primam virtutem ad videndum Deum, sed supponit virtutem radicalem intellectus : ergo poterit etiam Deus seipso formaliter supplere virtutem et defectum luminis gloriæ.

Solutio.

65 Nec refert, si dicas, speciem esse complementum tenens se ex parte objecti, atque adeo extrinsecum ; at vero lumen esse complementum tenens se ex parte potentiæ, et per consequens debere etiam esse intrinsecum, et inhærens.

Impugnatur.

Nam contra hoc est. Quoniam complementum aliquod tenere se ex parte potentiæ, nihil aliud est, quam quod sit intrinsecum ipsi, et ad eam ex parte sua confortandam desideratum, sed neutrum ex his obest, quominus Deus totum hoc possit per se ipsum, et modo dicto præstare; ergo, etc. Major videtur certa. Minor autem quoad 1. part. scilicet quoad intrinsecitatem, patet. Quia unio essentiæ Dei per illapsum est intimior, quam unio formæ creatæ per inhærentiam, ut loco relato ex Div. Thom. diximus : ergo ex parte intimitatis nihil oberit, quominus possit Deus munus luminis gloriæ modo explicato supplere. Quoad 2. vero etiam constat, quia si essentia divina continet illud ipsum, quod ex parte potentiæ creatæ deest ad visionem, et alias non requiritur unio per inhæsionem ad talem effectum præstandum, ut probatum est, ac proinde ibidem nulla involvitur imperfectio , non est cur essentiæ divinæ denegetur, ut id per modum formæ, et absque imperfectionibus præstet.

Secundum argumentum.

66 Secundo principaliter probatur eadem sententia. Quoniam ideo causa formalis creata indiget informatione, aut inhæsione ad tribuendum suum effectum formalem, quia ipsa non est talis effectus formalis : sed essentia divina est in ratione luminis suus effectus formalis; ergo non indiget informatione, aut inhæsione ad hoc, ut uniatur cum intellectu creato, in ratione luminis, et tribuat illi, quod ex parte sua sit efficax ad videndum Deum, ac proinde non erit unde prædicta unio repugnet. Hæc ultima conseq. ex priori aperte patet. Prior vero ex utraque præmissa. Minor autem constat ex dictis : siquidem Deus in ratione luminis est infinitus, et per consequens est in ratione luminis suus effectus formalis. Major vero etiam constat. Quoniam ideo forma creata eget informatione, ut causet, et quasi extra se emittat suum effectum formalem, quia informatio est ipsa causalitas, qua forma de novo ponit in rerum natura suum effectum formalem ; ergo si illa forma esset suus effectus formalis, non indigeret informatione, aut causalitate ad illum in rerum natura ponendum.

Tertium.

67 Tertio. Nam aliæ causæ inferiores ex conjunctione, et subordinatione ad superiores, absque eo quod illis aliquid inhærens, aut in *esse* entitativo eas informans superaddatur, possunt reddi sufficientes in actu primo in ordine ad aliquem effectum, quem sine tali conjunctione, et subordinatione attingere non poterant : ergo etiam intellectus ex conjunctione, et subordinatione ad Deum, ut habet rationem luminis increati, et ut est ei assistens, poterit constitui in actu primo in ordine ad visionem, absque eo, quod ei aliud lumen intrinsecum, et ipsi inhærens communicetur. Conseq. patet, tum ex paritate rationis, tum etiam, quia prædictæ causæ superiores non ita intime assistunt inferioribus, sicut Deus est intime assistens intellectui creato. Antecedens vero probatur. Nam colores ex subordinatione ad lucem extrinsece eis assistentem redduntur visibiles, et sufficientes in actu primo ad immutandum visum : phantasma etiam ex conjunctione ad intellectum agentem, absque eo, quod ipsi aliquid intrinsecum superaddatur, fit potens producere speciem intelligibilem : et tandem cogitativa redditur eodem modo ex subordinatione ad intellectum pos-

sibilem sufficiens ad habendum aliquem discursum.

Confirmatio.

68 Confirmatur ex D. Thom. 1. part. quæst. 106. art. 1. ubi sic inquit: *Sicut virtus inferioris corporis confortatur ex situali propinquitate perfectioris, et minus calidum crescit in calore ex præsentia magis calidi, ita virtus intellectiva inferioris Angeli confirmatur ex conversione superioris Angeli ad ipsum*: ergo multo magis intellectus ex intima assistentia, et illapsu Dei in ipsum in ratione luminis gloriæ, quæ est peculiaris quædam conversio Dei ad illum, confortabitur, et reddetur potens in ordine ad attingendum active effectum improportionatum tali conversioni, qui, ut constat, non potest esse alius præter visionem ejusdem Dei, prout est in se.

§ II.

Proponitur prior assertio.

69 Dicendum tamen est primo, implicare contradictionem, Deum uniri in ratione luminis gloriæ cum intellectu creato, atque adeo prædictum intellectum sine lumine creato eidem inhærente non posse etiam per divinam potentiam elicere visionem beatificam. Assertio hæc satis colligitur ex D. Tho. locis dub. præced. relatis, et ex iis, quæ in hoc art. et art. 2. docet, ut statim magis expendemus: et ita S. Doctorem sequuntur Cajetanus, Bannez, Zumel in præsenti, Sotus, Capreolus, et communiter Thomistæ, ut refert Gonzalez in hoc art. disput. 27. sect. 3.

Alia animadversio. Notabile.

Ut autem rationem fundamentalem ex eodem S. Doctore desumptam assignemus, præsupponendum est ex ipso in art. 2. hujus quæst. illud, quod sæpe diximus, scilicet lumen gloriæ in eo distingui ab specie intelligibili, quod hæc tenet se ex parte objecti, illud vero ex parte potentiæ, quia constituit illam in ratione potentiæ visivæ Dei: sicut species intelligibilis, ex eo quod tenet se ex parte objecti, reddit illud intelligibile. Ex quo etiam fit, quod sicut ob hanc rationem species sic debet commensurari quoad perfectionem, quam habet in ratione speciei cum objecto, ut non stet ipsum esse infinitæ perfectionis, et immaterialitatis in ratione objecti, non vero speciem intelligibilem, et ideo, quia Deus, prout est in se ipso, habet infinitam perfectionem, et immaterialitatem in ratione objecti, etiam species illum, prout est in se, repræsentans, non potest non in ratione speciei esse infinitæ perfectionis, et immaterialitatis: ita, quia lumen gloriæ tenet se ex parte potentiæ, et est elevatio ipsius in ordine ad visionem, ac proinde potentia sine illo non habet rationem potentiæ visivæ Dei, etiam quoad ea, quæ ex parte ejusdem, ut condistinctæ ab objecto requiruntur, ideo debet eodem proportionali modo commensurari, quoad suam entitatem, et perfectionem in ratione luminis cum prædicta potentia. Quoniam virtus tenens se ex parte potentiæ operativæ elevans, et constituens illam in actu primo, dicit essentialem ordinem ad eandem potentiam, estque propter illam, ut ex statim dicendis magis constabit: atque adeo debet commensurari cum illa, quatenus licet sit perfectior quam ipsa, quippe quæ elevat eam ad altiorem ordinem, nihilominus non potest non finiri, et coarctari secundum suam entitatem, et perfectionem per ipsam.

Ratio assertionis.

70 Hinc ergo sequens deducitur ratio. Nam repugnat Deum uniri in ratione formæ, aut alicujus alterius rei, per se, et ab intrinseco petentis, quod finiatur, et limitetur quoad suam entitatem, et perfectionem per id, in quo recipitur; alioqui Deus, ut sic, unitus esset secundum suam entitatem simul infinitus et finitus: sed lumen gloriæ elevans potentiam inferioris ordinis, ad hoc, ut sit ex parte sua proxime visiva Dei, petit per se, et ab intrinseco, ut commensuretur cum intellectu creato, et finiatur, ac limitetur per illum: ergo repugnabit Deum uniri cum ipso in ratione luminis in ordine ad visionem, ac proinde, quod hæc eliciatur absque lumine creato, et in eadem potentia intellectiva inhærente.

Patet hæc ultima conseq. Quia, ut ex dictis dub. præcedent. constat, non sufficit influxus concomitans Dei in ipsam visionem, sed requiritur, ut Deus influat aliquid prævium in intellectum, et per consequens aliquid habens rationem luminis gloriæ, seu virtutis proximæ visivæ Dei, quæ sola prædicto intellectui deest.

Confirmatio prima.

71 Confirmatur, et explicatur primo. Repugnat Deum uniri in ratione formæ naturalis cum intellectu creato, aut cum quavis alia creatura, ut supra artic. 2. dub. 2. diximus: sed hoc ipso, quod uniretur in ratione luminis gloriæ, haberet uniri in ratione formæ naturalis: ergo repugnat, quod uniatur in ratione luminis: et consequenter, quod intellectus sine lumine creato, et inhærente Deum videat. Minor, in qua sola

la est difficultas, probatur. Nam intellectus, si præcise consideretur una cum lumine elevante, tantum habet rationem puræ potentiæ in ordine intelligibili respectu divinæ essentiæ, et visionis ipsius : ergo lumen elevans intellectum solum in *esse* entitativo, et naturali, habet rationem formæ; non vero in *esse* intelligibili : ac proinde Deus, ut unitus in ratione luminis, solum habebit rationem formæ in ordine entitativo, et naturali; secus vero in ordine intelligibili, in quo secundum istam rationem esset pura potentia.

Secunda. 72 Confirmatur secundo. Nam ideo Deus potest uniri in ratione speciei intelligibilis cum intellectu creato, tanquam cum secundario perfectibili; et similiter potest eodem modo, nimirum, tanquam cum perfectibili secundario, uniri in ratione existentiæ, vel subsistentiæ cum natura humana; quia, sicut habet rationem formæ intelligibilis respectu intellectus creati, et rationem termini respectu naturæ humanæ, ita comparatur per modum formæ intelligibilis respectu sui intellectus, et per modum termini respectu propriæ essentiæ, et naturæ : sed essentia divina nequit habere rationem formæ naturalis respectu Dei, ut loco citato ostendimus : ergo nequit uniri cum intellectu creato tanquam cum secundario perfectibili per modum prædictæ formæ : ergo cum unio in ratione luminis includat unionem in ratione formæ naturalis : ut modo dicebamus, nequibit divina essentia uniri in ratione luminis cum creato intellectu, adhuc tanquam cum secundario perfectibili. Major, quæ sola indiget probatione, suadetur sic. Nam licet non sit necessarium, ut secundarium perfectibile, ita perficiatur sicut primarium, debet tamen ab eo, quod illud perficit, respici, aut quasi respici sub eadem ratione formali ac respicitur primarium perfectibile; quia tota ratio respiciendi secundarium perfectibile, est, quod respiciat primarium : ergo ideo potest essentia divina respicere, v. g. per modum formæ intelligibilis intellectum creatum, tanquam secundarium perfectibile, quia eodem modo, nempe per modum formæ intelligibilis, respicit intellectum divinum, ut perfectibile primarium.

Tertia. 73 Confirmatur tertio. Quoniam lumen gloriæ indispensabiliter petit, tum quod spectet ad ordinem intelligibilem, tum etiam quod pertineat ad ordinem naturalem, et entitativum : ergo Deus nequibit in ratione luminis cum intellectu creato uniri. Antecedens quoad 1. part. probatur. Nam sicut intellectus cum sua quantitate virtutis naturali, et in ordine ad objecta naturalia, et proportionata comparatur per modum puræ potentiæ in ordine intelligibili, respectu primæ formæ hujus ordinis, scilicet respectu speciei intelligibilis, et secundum istam rationem pertinet ad hunc ordinem, tanquam pura potentia intra illum; ita etiam idem intellectus cum sua quantitate virtutis supernaturali, scilicet lumine gloriæ, et in ordine ad objectum supernaturale, nempe Deum clare visum, habet se per modum puræ potentiæ in ordine intelligibili respectu primæ formæ supernaturalis, et intelligibilis, nimirum essentiæ divinæ, ut habet rationem speciei intelligibilis : atque adeo secundum hanc rationem non poterit non spectare ad ordinem intelligibilem. Quoad secundam vero partem idem antecedens suadetur. Quia cum intellectus cum lumine gloriæ, et ut elevatus per illud, debeat active per modum potentiæ influere in visionem claram, et quidditativam Dei, non potest non habere rationem actus, et formæ in *esse* entitativo, et naturali : quandoquidem secundum istam rationem debet influere in intellectionem secundum id, quod prædicta intellectio habet de *esse* entitativo, et naturali. Consequentia autem patet ex iis, quæ nuper diximus, nimirum divinam essentiam non posse uniri in ratione formæ naturalis, quamvis possit uniri in ratione formæ intelligibilis.

Appareus solutio. 74 Nec refert si occurras, quod ad hoc, ut Deus uniatur in ratione luminis, non est necesse, ut uniatur in ratione formæ naturalis, seu in *esse* entitativo; sed satis est uniri in ratione actus in hoc ordine. Quare cum essentia divina sit in prædicto ordine actus perfectissimus, poterit sic uniri, sicut posset in ratione formæ naturalis uniri, si veram rationem formæ in hoc ordine haberet.

Evertitur primo. Nam contra hoc est primo. Quod ex vi hujus solutionis non occurritur sufficienter probationibus a nobis adductis, ut intuenti constabit secundo.

Secundo. Nam si semel divina essentia posset uniri in ratione actus prædicti, et per modum luminis cum intellectu creato, deberet hæc unio esse non in ratione actus, ut sic, in ordine entitativo considerati, sed in ratione talis actus, ut ex se constat : actus autem in *esse* entitativo alteri unibilis

adæquate dividitur in actum, qui habet veram rationem formæ informantis, vel veram rationem termini : ergo hoc ipso, quod essentia non possit uniri in ratione formæ informantis in *esse* naturali, et entitativo, nequibit etiam uniri in ratione luminis.

Consequentia patet. Quoniam, quod essentia divina possit habere rationem termini in *esse* naturali, et entitativo considerata, nihil conducit ad hoc, ut possit uniri in ratione luminis, ex eo, quod sola essentia, seu existentia, non vero lumen intellectuale, habent rationem termini in *esse* entitativo, et naturali : ergo cum nihil possit uniri in ratione actus cum altero, nisi vel in ratione formæ, vel in ratione termini, et unio termini, quoad præsens nihil conducat, consequens est, ut hoc ipso, quod essentia divina nequeat uniri in ratione formæ naturalis, et in *esse* entitativo cum intellectu creato, repugnet etiam uniri cum eo in ratione luminis. Minor autem probatur. Nam ideo essentia Angeli, licet si verus actus, nihilominus nequit uniri per modum actus cum altero Angelo, aut cum materia prima, quia non habet veram rationem vel formæ informantis, vel termini : hoc autem satis indicat actum alteri unibilem in *esse* entitativo debere esse, vel formam informantem vel terminum in hoc ordine.

Confirmatio. 75 Confirmatur. Nam Theologi multum laborant in explicando, quomodo Verbum divinum possit uniri cum humanitate absque aliqua imperfectione ; et ut id explicent, confugiunt tanquam ad unicam viam ad hoc, quod Verbum unitur per modum puri termini : si autem ad unionem Dei cum aliquo in *esse* entitativo, et naturali, per quam unum tertium resultet, sufficeret in illo ratio actus perfectissimi, non esset cur ita anxie insisterent in hoc, quod unio Verbi ad humanitatem est per modum termini, ad hoc, ut explicarent, cur inde nulla imperfectio in Deo subsequatur : sed satis illis esset asserere, hanc unionem esse per modum actus perfectissimi : ad quod tamen eos non confugere, sed ad solam, et puram rationem termini, est omnino certum, ut intuenti illos constabit.

Evertitur secundo. 76 Tandem contra eandem solutionem obstat, quod in ordine intelligibili, qui ita potens, et universalis est ac ordo naturalis entitativus, nihil potest uniri per modum actus, quin uniatur, vel per modum formæ intelligibilis, vel intellectæ, seu per modum termini : ergo etiam in ordine naturali, prout ordo naturalis distinguitur, non quidem contra supernaturalem, sed contra intentionalem, sive intelligibilem, nihil poterit uniri in ratione actus cum altero, quin uniatur cum illo vel per modum formæ naturalis, vel per modum termini in eodem ordine. Consequentia ex paritate rationis videtur constare. Antecedens autem probatur. Quia nihil potest uniri cum alio per modum actus in ordine intelligibili : nisi vel ipsa species impressa, quæ est forma intelligibilis, vel species expressa, seu verbum, quæ est forma intellecta, ut nostri Complutenses in libris de Anima disp. 21. num. 42. docent, et nos in hoc eodem tractatu diximus, vel sit ultimus terminus hujus ordinis, qualis est intellectio in *esse* intelligibili pure considerata : siquidem secundum istam rationem habet rationem existentiæ in prædicto ordine, ut constabit ex iis, quæ in tractatu de scientia Dei disp. 4. num. 7. et in tractatu de voluntate Dei disp. 1. num. 21. dicemus. Unde cætera alia, quæ in hoc ordine non uniuntur aliquo ex his duobus modis, non habent uniri per modum actus, sed solum per modum potentiæ in eodem ordine, ut constat de intellectu, et lumine gloriæ, aut de aliis luminibus supernaturalibus, quæ uniuntur cum speciebus, et intellectione : sicut hæc eadem quatenus in ordine entitativo, et naturali uniuntur, hoc ipso, quod habeant uniri per modum actus in hoc ordine, habent etiam uniri per modum formæ naturalis in prædicto ordine.

§ III.

Assertio posterior statuitur.

77 Dicendum est secundo. Lumen gloriæ, quod requiritur indispensabiliter ad visionem Dei, non est lumen creatum præcise per modum habitus, sed vel hoc lumen per modum habitus, vel lumen creatum per modum dispositionis, seu per modum transeuntis. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 175. art. 3. ad 2. ubi inquit : *Divina essentia videri ab intellectu creato non potest nisi per lumen gloriæ, de quo dicitur in Psalm. In lumine tuo videbimus lumen. Quod tamen dupliciter participari potest. Uno modo per modum formæ immanentis : et sic beatos facit Sanctos in patria. Alio modo per modum cujusdam passionis transeuntis, sicut dictum est de lumine prophetiæ : et hoc modo lumen illud fuit in Paulo,*

lo, quando raptus fuit. Loquitur autem Sanctus Doctor per ordinem ad divinam potentiam, quia in hoc articulo fit sermo de visione communicata Paulo in via, quæ non secundum communem cursum, sed de potentia Dei absoluta communicata fuit. Et hoc ipsum docet idem Angelicus Doctor de veritate quæst. 13. art. 2. et quæst. 20. art. 2. Unde illum communiter sequuntur ejus discipuli, assertione præcedenti relati.

Ratio assertionis.

78 Ratio vero fundamentalis desumitur ex hoc testimonio Divi Thomæ, ad hanc tamen formam redacta. Nam aliæ qualitates constituentes aliquam potentiam in actu primo possunt participari vel per modum habitus, et permanenter, vel per modum dispositionis, et transeunter : ergo etiam lumen gloriæ constituens intellectum in ratione potentis videre Deum, poterit utroque modo participari. Consequentia patet ex paritate rationis.

Antecedens vero etiam constat. Tum, quia communiter recipitur a Metaphysicis, et ita, in hoc distinguunt habitum a dispositione, vel id, quod se habet per modum habitus, ab illo, quod est ad instar dispositionis, quod licet utraque qualitas possit versari circa idem objectum, sive in esse rei, sive in esse objecti consideratum, de quo infra ; attamen una datur per modum permanentis, scilicet habitus, alia vero per modum transeuntis, nimirum dispositio, vel id, quod ad instar ejus datur. Tum etiam, quia, ut etiam admittunt Thomistæ, voluntas, verbi gratia, aliquando constituitur in actu primo in ordine ad actus charitatis per habitum eis correspondentem, ut cum justus habens charitatem, ut quatuor, prorumpit in actum secundum ejusdem intensionis : aliquando vero per aliquam qualitatem per modum transeuntis, ut cum idem justus elicit actum ferventiorem, quam sit habitus charitatis, quem habet. Nam cum non sit, quoad illum excessum sufficienter constitutus in actu primo per habitum, oportet, ut per aliquam aliam qualitatem per modum transeuntis communicatam constituatur in actu primo in ordine ad illum.

Confirmatur.

79. Confirmatur. Visio Dei potest participari vel per modum transeuntis, ut contigit in Paulo dum adhuc in via Deum vidit; vel per modum permanentis, ut accidit in beatis : ergo, etiam lumen gloriæ poterit utroque modo communicari. Consequentia patet. Tum, ex paritate rationis : tum etiam, quia cum lumen gloriæ sit proprium principium visionis Dei, fit inde, ut sicut ipsa visio potest habere duplicem illum modum essendi, ita etiam ejus principium, quandoquidem visio nectitur cum lumine, et lumen cum visione : et ita, si visio est per modum transeuntis, vel per modum permanentis, etiam lumen hoc ipsum, proportione tamen servata, poterit habere.

§ IV.

Enodatio argumentorum primæ sententiæ.

Ad primum.

80 Ad primum patet ex dictis. Nam concesso antecedenti, neganda est conseq. Et ad probationem dicendum est, ideo Deum posse uniri in ratione speciei intelligibilis cum intellectu creato, quia et habet rationem formæ intelligibilis, et simul est suum *esse* in hoc ordine. Cæterum, licet Deus in ratione luminis sit suum *esse*, non tamen secundum istam considerationem convenit ei ratio formæ proportionatæ in ordine ad supplendum vices luminis creati, et elevandam potentiam intellectivam in ordine ad videndum Deum. Tum, quia lumen elevans, ut tale, necessario debet finiri per potentiam elevatam, ut dictum est. Tum etiam : quia, ut jam explicuimus, munus luminis non potest suppleri nisi per aliquid habens rationem formæ naturalis in *esse* entitativo, quæ omnia, ut supra ostendimus, cum divina perfectione pugnant. Tum denique : quia id, quod debet elevare in ratione luminis potentiam intellectivam creatam, debet in ordine intelligibili habere rationem puræ potentiæ proximæ, et munus hoc intellectui in ordine ad visionem Dei præstare. Quare cum repugnet divinam essentiam habere rationem puræ potentiæ in aliquo ordine, ac proinde munus hoc alicui creaturæ per se ipsam formaliter communicare, etiam repugnabit eandem per se ipsam vices luminis gloriæ supplere, ac proinde habere rationem formæ in ordine ad hunc effectum. Maxime, quia, ut dub. 3. hujus. disp. num. 36. 37. et 38. dicebamus, lumen gloriæ, et id, quod ejus vices poterat supplere, debet concurrere in genere causæ materialis, et receptivæ una cum intellectu ad recipiendam visionem : at munus hoc præstare pugnat cum infinita Dei actualitate.

Ad primam confirmationem.

81 Ad primam confirmationem patet ex modo dictis, lumen elevans potentiam creatam in ordine ad visionem pertinere ad ordinem intelligibilem per modum puræ po-

tentiæ in hoc ordine, et per consequens solum in ordine naturali, et entitativo habere rationem formæ, speciem vero intelligibilem spectare ad illum per modum formæ in hoc eodem ordine : et ita speciei non admisceri necessario aliquid, quod habeat rationem formæ in ordine naturali, seu entitativo, et per consequens nec informationem, vel inhæsionem in eodem *esse* entitativo. Unde essentia divina poterit uniri in ratione speciei, et formæ intelligibilis, quia unio hæc si pure sit in ordine intelligibili, nullam involvit imperfectionem, ut supra art. 2. dub. 2. ostendimus ; secus vero in ratione luminis. Quia, ut in hoc eodem dubio probavimus, Deus nequit uniri in ratione formæ naturalis, vel rationem talis formæ habere, nec rationem puræ potentiæ in ordine intelligibili alicui per se ipsum communicare.

Ad secundam. 82 Ad secundam confirmationem respondetur, non ideo præcise essentiam divinam posse uniri in ratione speciei intelligibilis , quia supponit, utcumque primam virtutem ad videndum Deum, sed insuper primam virtutem proximam in ordine ad talem visionem, seu quidquid ex parte potentiæ visivæ desideratur, quodque indispensabiliter petit provenire a forma naturali, ut explicatum est. Quare cum lumen hæc non supponat, sed necessario involvat rationem formæ naturalis, et insuper rationem puræ potentiæ in ordine intelligibili, nequit Deus in ratione luminis uniri. Per quæ ad omnia, quæ in prædicta confirmatione adducuntur, satis constat.

Secundum argumentum. 83 Ad secundum principale distinguenda est major : *Quia non est suus effectus formalis*, utcumque, neganda est : *Quia non est suus effectus formalis*, ex eo, quod per se, et ab intrinseco petitur ex parte ejusdem effectus, quod non sit suus effectus formalis, quem præstitura est, concedenda erit. Et deinde concedenda est etiam minor, juxta statim dicenda, sed neganda consequentia. Quia hoc ipso, quod ex parte effectus per se, et ab intrinseco petatur, quod forma, quæ illum præstitura est, non sit prædictus effectus, ac proinde sit finita, et limitata, oportet, ut essentia divina, quæ in ratione luminis est infinita, et est tam id, quo eadem essentia videtur, quam id, quod eam videt, et per consequens in hoc dumtaxat sensu est (ut sic dicamus) suus quasi effectus formalis, nequeat esse forma naturalis, nec in ratione formæ naturalis, et per modum luminis uniri cum intellectu creato. Unde ad probationem majoris distinguendum est eodem proportionali modo antecedens. Nam, quod forma in *esse* naturali, et entitativo indigeat informatione, et causalitate, est quid intrinsece petitum ab effectu formali, ita, ut non aliter possit talis effectus in rerum natura poni, neque alia ratione queat habere rationem effectus formalis : et ideo licet Deus sit, ver. gr. sua existentia, et suum *existere*, et sua vis ad videndum seipsum, non tamen hæc habent in illo rationem effectus formalis proprie et in rigore talis, nec ipse sic sumptus habet rationem formæ naturalis : quia non uniuntur media vera causalitate, et informatione.

Cur autem forma naturalis, et effectus ejus formalis ita inter se comparentur, ut effectus necessario petat oriri ab illa prædicto modo, et ipsa forma indispensabiliter exposeat, quod sit finita, et limitata, imo, quod sit entitas accidentalis, vel, quod si fuerit substantialis, tunc sit partialis, et incompleta, constat ex iis, quæ in hoc tractatu disp. 2. num. 52. et deinceps diximus : et propterea tota latitudo formæ substantialis non potest ascendere supra perfectionem animæ rationalis : et eo ipso, quod detur aliqua entitas substantialis, ea essentialiter perfectior, qualis est entitas, v. g. infimi Angeli, qui est substantia integra, et completa, nequit habere rationem formæ naturalis.

Ad tertium. 84 Ad tertium fatendum est causam inferiorem perfici per conjunctionem ad superiorem : cæterum inde aliquid intrinsecum, seu inhærens a causa superiori in inferiorem derivatur. Unde color aliquid reale recipit a luce, ut fatetur Aristotel. 2. de Anima text. 70. et Cajetan. ibidem, ubi dicit, quod ex participatione lucis, et substantiarum separatarum recipit virtutem ad immittendas species intentionales : et similiter phantasma, ac cogitativa aliquid recipiunt, per quod, illud ex elevatione intellectus agentis possit instrumentaliter influere ad productionem specierum intelligibilium ; hæc vero ex participatione alicujus derivati ad ipsam ab intellectu possibili sit potens ad discurrendum aliqualiter circa singularia sibi proportionata, ut bene notavit Capreolus in 2. distinct. 11. quæst. 2. artic. 3.

Ad confirmationem. 85 Ad confirmationem respondetur cum Bannez ibidem, illuminationem inferioris Angeli a superiori, ratione cujus dicitur Angelum superiorem converti ad inferiorem,

rem, fieri per modum magisterii proponendo objectum modo proportionato ipsi Angelo inferiori : et ideo non esse necessarium, quod illi aliquam qualitatem, seu lumen imprimat, Cæterum peculiaris conversio Dei ad intellectum beati confortando, et reddendo illum potentem in ordine ad visionem, non est per modum magisterii, sed per modum dantis virtutem ex parte potentiæ requisitam, ut ostensum est : et ideo debet esse per impressionem alicujus virtutis inhærentis, ut ex dictis constat.

§ V.

Fit obviam argumentis ex dubio præcedenti relictis.

Ad primum ex dub. præcedenti.

86 Ad primum ergo in favorem primæ sententiæ num. 45. adductum constat ex dictis. Nam Divus Thomas loco citato solum vult non esse indispensabiliter necessarium lumen gloriæ per modum habitus ad visionem Dei, non vero, quod non desideretur saltim per modum transeuntis. Potestque hæc solutio exemplo a S. Doctore ibi adducto, confirmari. Nam D. Petro, ut ambularet super aquas communicata est quædam qualitas per modum dispositionis transeuntis, ratione cujus potuit effectum illum præstare : hæc autem qualitas, ut docet D. Thom. 3. part. quæst. 45. art. 2. fuit quodammodo ejusdem rationis, quoad essentiam cum dote agilitatis corporis gloriosi, quamvis differat ab ea quoad modum, quatenus non datur per modum permanentis, sicut dos sub conceptu dotis tribuitur ; sed per modum transeuntis.

Ad ultimum.

87 Ad ultimum ex eodem dubio relictum, et num. 48. adductum bene occurritur ibidem, ut num. 62. diximus. Et ad probationem in contrarium respondetur, quod licet parum, vel multum per accidens durare, non variet speciem, nihilominus habere talem naturam, ut per se, et ab intrinseco petat, quod sit parum durans, innuit aliquam essentialem distinctionem ab eo, quod ab intrinseco, etiam petit, ut diu duret, et habeat *esse* permanens : lumen autem gloriæ communicatum per modum transeuntis dicit qualitatem per modum dispositionis ; communicatum vero, ut habet *esse* permanens, importat qualitatem per modum habitus : et ita ab intrinseco petitur, quod illud parum, et transeunter, hoc vero multum, et permanenter duret : atque adeo licet quodammodo sint ejusdem rationis ex parte formæ, quatenus utrumque est principium visionis beatificæ, nihilominus non possunt non aliqua distinctione essentiali gaudere.

Neque obest illud, quod de visione Dei ibidem adducitur. Nam juxta hunc dicendi modum, visio communicata Paulo in via, et ea, quam in patria habet, distinguuntur essentialiter : quia illa ex se fuit facile tansiens, quippe quæ non extraxit Paulum a via, hæc vero ex se est permanens, quandoquidem constituit illum in ratione, et statu beati, et habet nexum inseparabilem ex natura rei cum lumine gloriæ per modum habitus : unde ista per se habet mensurari æternitate participata ; secus vero illa.

Objectio.

88 Nec refert, si contra hoc objicias, quod visio ex se permanens non videtur pertinere ad aliquam speciem qualitatis : quia non ad dispositionem, siquidem hæc non est ex se permanens : neque ad habitum, ut ex se constat : neque ad aliquam aliam speciem, ut patet ex iis, quæ nostri Complut. disput. 15. Logicæ docent : ergo talis visio erit impossibilis. Nam, ut constat ex supra dictis art. 2. debet necessario pertinere ad prædicamentum qualitatis.

Solvitur.

Respondetur enim, Aristotelem solum cognovisse qualitates ordinis naturalis, non vero qualitates ordinis supernaturalis, et divini, et ita non esse universaliter necessarium, ut pertineant ad prædicamentum qualitatis, vel ad aliquam ejus speciem, eo modo, quo aliæ qualitates naturales pertinent. Unde licet visio sit vera qualitas, attamen ratione suæ eminentiæ habet aliquid de dispositione, scilicet actualitatem, et aliquid de habitu,, nimirum permanentiam, atque adeo est eminens quædam dispositio consistens in qualitate quadam ex se actualissima, et permanenti.

ARTICULUS VI.

Utrum videntium essentiam Dei unus alio perfectius videat.

1 Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod videntium essentiam Dei unus alio perfectius non videat. Dicitur enim 1. Joan. 3. *Videbimus Deum sicuti est :* sed ipse uno modo est : ergo uno modo videbitur ab omnibus. Non ergo perfectius, et minus perfecte.

2 Præterea Augustin. dicit in lib. 83. quæst. 32. quod unam rem non potest unus alio plus intelligere : sed omnes videntes Deum per essentiam intelligunt Dei essentiam : intellectu enim videtur Deus, non sensu, ut supra habitum est : ergo videntium divinam essentiam unus alio non clarius videt.

3 Præterea. Quod aliquid altero perfectius videatur, ex duobus contingere potest ; vel ex parte objecti visibilis,

vel ex parte potentiæ visivæ videntis : ex parte autem objecti per hoc, quod objectum perfectius in vidente recipitur, scilicet secundum perfectiorem similitudinem, quod in proposito locum non habet. Deus enim non per aliquam similitudinem, sed per ejus essentiam præsens est intellectui essentiam ejus videnti. Relinquitur ergo, quod si unus alio perfectius eum videat, quod hoc sit secundum differentiam potentiæ intellectivæ, et ita sequitur, quod cujus potentia intellectiva naturaliter est sublimior, clarius eum videat, quod est inconveniens, cum hominibus promittatur in beatitudine æqualitas Angelorum.

Sed contra est, quod vita æterna in visione Dei consistit, secundum illud Joan. 17. ***Hæc est vita æterna,*** etc. : ergo si omnes æqualiter Dei essentiam vident in vita æterna, omnes erunt æquales : cujus contrarium dicit Apost. 1. Corinth. 15. *Stella differt a stella in claritate.*

Respondeo dicendum, quod videntium Deum per essentiam unus alio perfectius eum videbit : quod quidem non erit per aliquam Dei similitudinem perfectiorem in uno, quam in alio, cum illa visio non sit futura per aliquam similitudinem, ut ostensum est : sed hoc erit per hoc, quod intellectus unius habebit majorem virtutem, seu facultatem ad videndum Deum, quam alterius : facultas autem videndi Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam, sed per lumen gloriæ, quod intellectum in quadam Deiformitate constituit, ut ex superioribus patet : Unde intellectus plus participans de lumine gloriæ, perfectius Deum videbit. Plus autem participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate, quia ubi est major charitas, ibi est majus desiderium, et desiderium quodammodo facit desiderantem aptum, et paratum ad susceptionem desiderati. Unde qui plus habebit de charitate, perfectius Deum videbit, et beatior erit.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, *Videbimus eum sicuti est*, hoc adverbium, *sicuti*, determinat modum visionis ex parte rei visæ, ut sit sensus, videbimus eum ita esse sicuti est : quia ipsum esse ejus Videbimus, quod est ejus essentia : non autem determinat modum visionis ex parte videntis, ut sit sensus, quòd ita erit perfectus modus videndi, sicut est in Deo perfectus modus essendi.

Et per hoc etiam patet solutio ad secundum. Cum enim dicitur, quod rem unam, unus alio melius non intelligit, hoc habet veritatem si referatur ad modum rei intellectæ : quia quicunque intelligit rem esse aliter, quam sit, non vere intelligit : non autem si referatur ad modum intelligendi, quia intelligere unius est perfectius, quam intelligere alterius.

Ad tertium dicendum, quod diversitas videndi non erit ex parte objecti : quia idem objectum omnibus præsentabitur, scilicet Dei essentia : nec ex diversa participatione objecti per differentes similitudines, sed erit per diversam facultatem intellectus, non quidem naturalem, sed gloriosam, ut dictum est.

Conclusio est affirmativa.

DISPUTATIO V.

De qualitate, et inæqualitate visionum in beatis.

Postquam D. Thom. de possibilitate visionis beatificæ, et de eis, quæ ex parte principii ad illam desiderantur, egit : jam nunc de ipsa visione secundum se sermonem instituit. Quia vero ad ejus naturam explicandam valde conducit æqualitatem, vel inæqualitatem unius visionis comparatæ cum alia, declarare, ideo Sanctus Doctor agens de illis secundum se, exordium hinc sumit : et propterea nos una cum ipso de eadem æqualitate, et inæqualitate disputationem sequentem excitamus.

DUBIUM I.

Utrum inter visiones beatificas reperiatur inæqualitas ?

1 Dicendum est primo, inter visiones beatorum debere esse inæqualitatem. Ita habetur Joan. 14. *In domo patris mei mansiones multæ sunt :* ubi aperte Christus Dominus loquitur de gloria cœlesti, ad quam ipse tendebat : et de qua dixit : *Vado parare vobis locum.* Et primæ ad Corinth. 15. *Stella enim differt a stella in claritate, sic et resurrectio mortuorum.* Quod testimonium de inæqualitate gloriæ corporum, ac proinde de inæqualitate gloriæ animæ ab illa in corpus redundantis, explicant Sancti Patres Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum, Augustinus lib. de sancta Virginitate cap. 26. Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus, Echumenius, Primasius, et Beda super eundem locum Pauli : et similiter secundæ ad Corinth. 9. *Qui parce seminat, parce et metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* Ubi abundans præmium abundanti merito correspondet, et minus minori : constat autem secundum fidem præmium futurum correspondens præsenti merito esse visionem beatificam. Conclusio.

Deinde hæc veritas definita est (inquit Gonzalez disput. 29. sectione prima) contra Jovinianum in Concilio Pellensi sub Sergio Papa in epistola Concilii ad ipsum, quæ est epistola 81. inter eas, quas divus Ambrosius, qui huic Concilio interfuit, scripsit. Et similiter in Concilio Florentino sub Eugenio Quarto in litteris sanctæ unionis, ubi habetur, quod juxta meritorum distinctionem, varie etiam Dei essentia a beatis videtur. Unde hoc ipsum communiter sentiunt Sancti Patres, et Theologi exponentes prædicta Scripturæ loca : et ita rejiciendus est Vazquez, qui ea enervat, vel illa rejiciens, vel solum eadem admittens, ut probabiliter suadentia inæqualitatem visionum, tanquam certam secundum fidem. Nam testimonia Scripturæ communiter a Sanctis Patribus, et Theologis recepta ad aliquam veritatem probandam, non solum probabiliter, ut vult Vazquez, sed etiam efficacissime eandem convincunt.

2 Tandem assertio ratione desumpta ex D. Paulo 2. ad Timotheum 4. et ex D. Thom. ibidem, probatur. Nam visio beatifica confertur adultis per modum coronæ : ergo Ratione probatur.

ergo debet in ea tribuenda ratio justitiæ servari, ita ut secundum proportionem meritorum conferatur : ergo cum certum sit justos, quoad merita esse inæquales, certum etiam est fore in visione beatifica, quæ est corona illis correspondens, inæquales. Utraque consequentia ex antecedenti constat. Antecedens autem ex loco citato Pauli, ubi inquit : *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex, non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus.*

Confirmatur. Confirmatur. Nam cum Deus in futura vita punit peccata, tunc servat rationem justitiæ, ita ut majoribus peccatoribus majorem pœnam infligat : ergo etiam, dum tribuit visionem beatificam per modum coronæ, servabit rationem justitiæ, et proportionem ad merita inæqualia justorum.

Objectio. 3 Sed objicies parabolam illam, quam Jovinianus oppositum sentiens, teste Divo Hieronymo lib. 2. contra illum, Augustino, hæresi 82. et D. Thom. opusculo 19. ex Matthæo cap. 10. adducit. Ubi finito labore diurno unicus etiam denarius diurnus cunctis in vinea domini laborantibus concessus est : ut per hoc æqualitas præmii denotetur : et ita operarii, qui prius ad laborandum venerant, conquerebantur dicentes, *pares nobis illos fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus.*

Respondet Vazquez. Ad hanc objectionem fatetur Vazq., quod juxta communem Patrum intelligentiam per hunc denarium diurnum intelligendum est præmium beatitudinis inæqualiter, et pro inæqualitate meritorum distributum, et nihilominus hanc explicationem, et sigillatim Patres impugnat, et adducit aliam singularem, et textui violentam, quam referunt, et optime impugnant Gonzal. in præsenti, Suar. 1. tom. summæ cap. 10. num. 11. et communiter juniores.

Rejicitur. Nobis tamen pro illius impugnatione satis sit, quod in Concil. Trid. ses. 4. decreto de editione, et usu sacrorum librorum præceptum est, ut nullus audeat Scripturam in rebus fidei (qualis hæc est, ut Patres, et idem Vazq. fatetur) et morum exponere contra unanimem consensum Patrum.

Vera solut. Rejecta igitur hac expositione dicendum est, quod ut D. Thom. hic et 1. 2. quæst. 5. art. 2. ad 1. et alii ex Patribus notarunt, nomine denarii diurni non intelligitur beatitudo formalis, scilicet visio Dei, sed beatitudo objectiva, nimirum divina essentia a beatis visa, in qua omnes sunt æquales ; quippe cum omnes, prout est in se illam videant, licet in visione ipsa habente rationem beatitudinis formalis, non sint æquales.

4 Ad illud autem de querimonia operariorum dicendum est, non esse necessarium ut in parabolis singula verba accommodentur ; sed sufficere præcipuum intentum illarum salvari, et in ordine ad illud verba parabolæ accommodari : intentum autem præcipuum hujus parabolæ est ostendere, ut communiter docent Patres, præmium beatitudinis non esse mensurandum ex antiquitate vocationis, vel ex diuturnitate laboris præcise, sed ex merito ipsorum operum ex charitate dimanantium, et juxta fervorem, et intensionem eorum : et ita multoties contingit, ut ex abundantiori, et efficaciori gratia Dei sit majus meritum in breviori tempore, et consequenter majus præmium in posterius vocatis, facta præcipue comparatione inter operarios veteris, et novi Testamenti, in quo gratia per Christum abundantius confertur. Unde conclusio hujus parabolæ est, quod novissimi erunt primi, et primi novissimi, id est, quod ad præmium recipiendum non refert præcise hoc, quod est prius fuisse vocatos, quandoquidem ii, qui posterius vocantur, possunt ex gratia Dei ad majus præmium ratione majoris meriti pervenire.

Secunda conclusio. 5 Dicendum est secundo visiones beatificas non debere necessario esse inæquales, sed posse, et multoties debere esse æquales. Explicatur, et probatur assertio in pueris ante usum rationis baptizatis, et ante illum decedentibus, qui sicut in effectu Baptismi, quoad omnia sunt æquales, ita etiam in gratia, et gloria per modum hæreditatis eis correspondente : et hoc ipsum potest etiam cum proportione in adultis habentibus æqualia omnino merita reperiri, ut communiter fatentur Patres et Theologi.

Objectio. Neque obest id, quod aliqui Catholici, inter quos est Paludanus in 4. dist. 4. quæst. 4. objiciunt, scilicet homines fuisse electos ad sedes Angelorum, qui ceciderunt, instaurandas. Quare sicut omnes illi, si non cecidissent, haberent inæqualem beatitudinem, ut communiter docent Theologi, ita etiam omnes homines beati debent habere inæqualitatem in visione.

Respondetur. Respondetur enim, sufficienter instaurari sedes illas, etiamsi non servetur quoad omnia omnimoda commensuratio, ac proin-

de nec prædicta inæqualitas : quia satis est , quod facta collatione inter totum cumulum gloriæ, qui tribuendus erat toti collectioni illorum Angelorum, sit æqualis cumulus gloriæ, qui cunctis hominibus tribuetur, quod si hoc ad prædictam instaurationem satis est, multo melius sufficiet id, quod in prædicta instauratione reperitur, nimirum esse longe majorem gloriam, quæ toti cumulo hominum correspondebit, quam illa, quæ prædictis Angelis in unum collectis tribuenda erat, ut juniores Theologi in præsenti notant.

DUBIUM II.

Utrum inæqualitas reperta in visionibus beatificis non solum sit intensiva, et extensiva, sed etiam essentialis, et specifica?

Explanatio tituli.

6 Postquam explicuimus *an est* inæqualitatis repertæ in visionibus beatificis, restat, ut *quid est* ipsius exponamus , seu utrum hæc inæqualitas non solum sit intensiva (id est, consistens in majori intensione visionis) aut etiam extensiva (hoc est extendens se ad plura objecta saltim secundaria) sed etiam specifica, et essentialis. Loquimur autem non de solis visionibus hominum inter se præcise collatis, nam has certum est non posse ad invicem essentialiter distingui : sed de visionibus hominum, et Angelorum inter se se, et de visionibus Angelorum ad invicem comparatis : et de his ultimis fit sermo, non utcumque , sed supposita sententia D. Thom. asserentis quemlibet Angelum debere necessario distingui specie essentiali ab alio.

§ I.

Variæ sententiæ recensentur.

7 Prima sententia affirmat visiones beatificas hominum, et Angelorum inter se collatas, et Angelorum ad invicem comparatas, esse de facto inæquales, tam in intensione, et extensione, quam in perfectione essentiali, ex eo quod omnes visiones beatificæ Angelorum distinguuntur inter se specie, et similiter humanæ ab Angelicis. Ita Major in 4. dist. 49. quæst 11.

Sententia hæc, quoad inæqualitatem intensivam, et extensivam videtur sequi ex posteriori ejusdem sententiæ parte. Nam hoc ipso quod una cognitio beatifica esset essentialiter perfectior alia, deberet meliori modo attingere Deum, ac proinde magis illum penetrare : ergo eo ipso cognosceret illum intensius et clarius, et in eo tamquam in objecto prius cognito plura cognosceret. Patet utraque consequentia. Quia cognitio beatifica perfectius attingens Deum, magis illum penetrat, et quo magis habet eundem penetrare, eo est intensior et clarior, sicut magis cognito et penetrato objecto, cognoscuntur plura ex illis, quæ in eodem continentur.

Primum argum

8 Quoad inæqualitatem vero specificam probatur. Nam intellectus humanus, et Angelicus distinguuntur specie, et similiter Angelici inter se comparati : ergo visiones ab eis procedentes debent etiam specie distingui, et consequenter erunt inæquales in perfectione essentiali, quandoquidem species sunt sicut numeri. Antecedens supponitur ut certum. Consequentia vero probatur. Quia causæ specie distinctæ, quatenus tales, debent producere effectus specie diversos.

Corroboratur.

Confirmatur. Quotiescumque potentiæ distinguuntur specie, etiam actus eis correspondentes debent eodem modo distingui specie : ergo si prædicti intellectus specie distinguuntur, etiam visiones, quæ eis correspondent, debent specie distingui. Consequentia patet. Antecedens vero probatur. Quoniam hoc ipso quod potentiæ specie distinguantur, tendunt ad distinctum objectum formale : ergo eo ipso actus debent distinctum objectum formale inspicere : nam potentiæ, non nisi mediantibus actibus attingunt sua objecta formalia : et consequenter prædicti actus distinguentur specie, cum actus respicientes distincta objecta formalia non possint non specie distingui.

Solutio.

9 Nec refert, si dicas, visiones non procedere ab his intellectibus quatenus specie distinctis, nisi solum materialiter, quia formaliter procedunt ab illis, ut sunt unum, et idem secundum speciem, scilicet quatenus elevantur per lumen gloriæ, quod est ejusdem speciei in omnibus : et ita non distinguuntur inter se specie : quia actus non distinguuntur specie, ex eo quod respiciant principia materialiter diversa.

Impugnatur.

Nam contra hoc est, quod hoc ipso, quod intellectus Angelicus, et humanus distinguantur specie, non potest non lumen, quod utrumque elevat in ordine ad visionem, distingui etiam specie : ergo ex hoc

hoc non erunt visiones illorum idem secundum speciem. Consequentia satis constat.

Prima probatio antecedentis.

Antecedens autem probatur. Tum, quia lumen gloriæ est quantitas virtutis, et efficacia intellectus ad videndum Deum : ergo debet proportionari, et distingui specie, juxta distinctionem specificam commensurationis essentialis intellectuum, quorum est quantitas virtutis ; siquidem efficacia potentiæ, et ipsa potentia debent habere inter se maximam proportionem.

Secunda.

Tum etiam ; quia hoc ipso quod intellectus, et voluntas distinguantur specie, nequeunt elevari per eandem formam supernaturalem secundum speciem, quandoquidem virtus agendi, quæ est in intellectu, quippe inclinans ad verum, non potest non distingui specie a virtute, quæ est in voluntate, utpote quæ inclinat ad bonum : ergo hoc ipso quod intellectus Angelicus, et humanus specie differant, non poterunt elevari per eandem formam secundum speciem.

Tertia.

Tum denique ; quia si elevarentur per eandem formam secundum speciem, et ad actus ejusdem speciei, jam tales actus visionis essent, et non essent contenti sub actu adæquato cujuslibet ex illis intellectibus : essent quidem, ut supponitur ; non essent autem, quia sicut actus adæquatus unius intellectus specie distincti debet etiam specie distingui ab actu adæquato alterius, ut communiter docent Metaphysici ; ita actus inadæquati sub illo contenti, quatenus sub eodem continentur, debent etiam specie distingui, alioqui non participabunt naturam ipsius, ac proinde nec sub illo continebuntur.

Secundum argum.

10 Secundo principaliter. Nam in cognitione prophetica datur distinctio, et inæqualitas specifica, siquidem cognitiones propheticæ solent versari circa diversa objecta : ergo etiam in beatifica. Conseq. probatur. Tum quia utraque notitia habet rationem notitiæ supernaturalis, et claræ : ergo sicut una potest multiplicari secundum speciem, ita etiam alia. Tum etiam : quia Deus, ut clare cognoscibilis est objectum eminentissimum : ergo potest diversis modis specie distinctis attingi, sicut ob hanc rationem potest diversimode sub lumine prophetico cadere : nam, quo objectum est eminentius, eo amplius potest modis distinctis, secundum speciem attingi.

Tertium.

Tertio. Unus beatus est essentialiter beatior altero, quia habuit in via majus meritum essentiale : ergo debet illi majus præmium essentiale, et non solum majus accidentaliter correspondere : ergo debet habere visionem beatificam essentialiter perfectiorem, quandoquidem præmium essentiale in prædicta visione consistit.

Secunda sententia.

11 Secunda sententia convenit cum præcedenti in hoc, quod detur inæqualitas intensiva, et extensiva in visionibus beatorum ; negat tamen dari de facto distinctionem, et inæqualitatem specificam in illis, quamvis admittat id in ordine ad divinam potentiam non repugnare. Ita Navarrete in præsenti controv. 39. §. 2. Sententia hæc quoad tres priores ejus partes constabit ex dicendis pro nostra sententia, quoad easdem.

Fundamentum.

Quoad ultimam vero probatur sic. Nam si ob aliquam rationem non possent visiones beatorum distingui specie, ac proinde esse essentialiter inæquales, maxime quia omnes tendunt in Deum, prout est in se : at hæc ratio est nulla : ergo, etc. Major patebit ex dicendis in hoc eodem dub. Min. vero probatur. Quia visio creata, et increata differunt specie, habentque inæqualitatem essentialem, ut ex se constat, et nihilominus utraque terminatur ad Deum prout est in se : ergo, etc.

Confirmatur primo.

Confirmatur primo. Nam ideo visio, qua Deus se ipsum videt, distinguitur specie a visione creata beatorum, quia est infinite immaterialior, et clarior quam ista : ergo penes majorem, vel minorem accessum ad hanc infinitam immaterialitatem, et claritatem poterunt visiones beatorum distingui inter se specie, et esse essentialiter inæquales.

Confirmatur secundo.

Confirmatur, et explicatur secundo. Nam intellectiones ordinis naturalis, quas habent Angeli, distinguuntur inter se specie, penes majorem, vel minorem immaterialitatem ejusdem ordinis : ergo etiam visiones beatorum poterunt distingui specie penes majorem, vel minorem immaterialitatem ordinis supernaturalis, atque adeo penes majorem, vel minorem accessum ad infinitam immaterialitatem Dei. Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens vero probatur. Nam Angeli distinguuntur specie intra ordinem naturalem per hoc, quod unus sit magis, vel minus intellectivus, quam alius, ac

proinde per hoc, quod unus sit magis immaterialis, seu habeat minus de potentialitate, quam alter, quia intellectualitas provenit ex immaterialitate, et major intellectualitas ex majori immaterialitate : ergo etiam intellectiones eorum penes majorem, vel minorem immaterialitatem distinguuntur specie.

§ II.

Vera sententia Thomistarum, et primum ejus fondamentum.

Assertio. 12 Dicendum tamen est visiones beatorum posse esse inæquales in intensione, et extensione ; non tamen in perfectione essentiali, seu non posse distingui inter se specie. Assertio hæc satis colligitur ex D. Thom. in præsenti, et locis supra citatis, ut ex jam dicendis constabit. Et quidem quoad duas priores partes est valde communis inter Theologos : quoad posteriorem autem eam tuentur discipuli D. Thom. Cajet. 3. part. quæst. 10. art. 4. Gonzalez, Machin, et alii in præsenti.

Ratio assertionis. Probatur primo ratione ex D. Thom. desumpta. Nam ut S. Doct. in præsenti docet, tota inæqualitas visionis Dei, non qualiscunque, sed beatificæ, de qua in præsenti loquimur, debet oriri ex inæqualitate habitus luminis gloriæ : sed lumen istud potest esse inæquale in intensione, et extensione, non vero in perfectione essentiali, et specifica, ita, ut dentur duo lumina gloriæ specie distincta : ergo visiones poterunt esse inæquales in intensione, et extensione, non vero in perfectione essentiali, ita ut distinguantur specie. Major constabit ex dicendis infra, et ex dictis disput. præcedenti : quandoquidem tota virtus proxima videndi Deum est lumen gloriæ : et non utcumque, sed ita, ut diversitas potentiarum, et perfectio earum naturalis materialiter se habeat in ordine ad eliciendam visionem beatificam, ex eo quod non concurrit potentia naturalis formaliter ut talis, sed ut elevata per virtutem supernaturalem, et proportionatam, quæ, quoad præsens debet esse lumen gloriæ, ut supra ostensum est, ac proinde quævis inæqualitas debet oriri ex inæqualitate luminis.

Minor vero, quoad primam partem constat. Tum, quia communiter recipitur a Theologis, tum quia lumen gloriæ est qualitas quædam habitualis, ac proinde poterit, sicut aliæ qualitates, seu habitus magis, vel minus intendi ; tum denique, quia cum fides sit intensibilis, etiam lumen gloriæ ei in patria correspondens poterit secundum intensionem augeri. Quoad secundam vero partem, nempe quoad extensionem, constat ex priori ejusdem minoris parte, ut ex iis, quæ in probatione consequentiæ statim dicemus, satis patebit. Quoad tertiam partem etiam constat. Quoniam essentia cujuscumque habitus luminis gloriæ est tendere permanenter in Deum, prout est in se, et ita non dabitur distinctio specifica inter illa lumina, et consequenter neque inæqualitas essentialis jam dicta.

Ex quo etiam consequentia satis constat. Quoniam ad intensius lumen sequitur intensior visio beatifica, et ex extensiori visione oritur, quod eadem visio sit magis extensa, et respiciens plura objecta, saltim secundaria, ut infra dicemus, et tandem ad æquale lumen secundum speciem debet sequi æqualis visio secundum speciem : quandoquidem, ut supra dicebamus, visio, et unio essentiæ divinæ in ratione speciei debet esse juxta quantitatem, et modum luminis.

Evasio. 13 Nec refert, si dixeris, in luminibus gloriæ, tantum esse rationem quandam genericam, quod sint habitus clare cognoscitivi Dei prout est in se ipso, non vero rationem atomam : quia hæc consistit in hoc, quod sint magis, vel minus immateriales intra ordinem intellectivum supernaturalem, ac proinde in hoc, quod magis, vel minus accedant ad immaterialitatem supernaturalem divini intellectus, prout est in se ipso.

Præcluditur. Nam contra hoc est, quod major perfectio habitus luminis gloriæ creati, non potest pertingere quantumvis magis crescat, ad hoc, ut prædictus habitus sit comprehensivus Dei, ut art. 7. ostendemus, sed solum ad hoc, quod clarius, et clarius Deum, prout est in se, attingat : at ad hoc, ut clarius, et clarius valeat illum attingere, ita tamen, ut non pertingat ad prædictam comprehensionem, sufficit major intensio luminis intra eandem speciem : ergo licet possit crescere in intensione, non tamen in perfectione specifica modo dicto. Minor patet. Nam cum habitus luminis gloriæ ex se habeat vim ad videndum clare Deum, non poterit non clarius, et clarius, modo dicto, illum attingere,

si

si magis, ac magis eodem modo in intensione crescat. Sicut, quia charitas supernaturalis est de se inclinatio in Deum, prout est in se summum bonum, non poterit non magis, ac magis eodem proportionali modo in hac inclinatione crescere, si amplius in intensione proportionaliter augeatur.

Confirmatur.

14 Confirmatur. Nam ex eo intellectus Angelici possunt in immaterialitate arguente distinctionem specificam crescere, quia, quo aliquis intellectus est perfectior, eo potest per pauciores species intelligere, ac proinde minorem potentialitatem habere : sed quivis habitus luminis gloriæ solum potest uti unica, et perfectissima specie ab illo distincta, scilicet essentia divina, et quo fuerit intensior, eo valebit melius, et perfectius per illam videre Deum, ut ex se constat, et ex dicendis art. 7. amplius patebit : ergo inter habitus luminis gloriæ non poterit dari excessus in immaterialitate arguens distinctionem specificam inter illos.

Tacitæ objectioni occurritur.

Confirmatur, et explicatur, ac simul tacita quædam solutio evertitur. Quoniam licet essentia divina in ratione formæ intelligibilis considerata habeat, non obstante, quod sit unica, et eadem, ut simul sit eminentissima, et universalissima, æquivalensque infinitis speciebus intelligibilibus ; nihilominus secundum omnem universalitatem, quam habet in ordine ad videndum ea, quæ sunt formaliter in Deo, unitur cuivis intellectui beato, ut ex dicendis disp. 7. dubio 1. 2. et 3. constabit ; et secundum universalitatem, quam habet ad cognoscendum creaturas in ipso Deo, eo universalius unitur in ordine ad videndum plures creaturas in ipso, quo prædictum lumen in intensione crescit : ergo non est unde lumina gloriæ possint ratione majoris, ac majoris immaterialitatis distingui specie essentiali : siquidem, ut nuper dicebamus, hæc major immaterialitas innuens distinctionem essentialem consisteret in hoc, quod posset uti universaliori specie, et ad hunc usum satis est majus incrementum luminis in intensione, ut ex dicendis in hoc tractatu disp. ult. dub. ult. amplius patebit.

§ III.

Fundamentum secundum veræ sententiæ.

15 Secundo probatur assertio ratione, quam insinuat D. Thom. in hac 1. part. quæst. 118. art. 2. et in 2. dist, 9. quæst. 1. art. 8. et 3. cont. Gent. cap. 53. et 57. quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam visio beata animæ Christi Domini est longe perfectior quacumque visione beata cujusvis Angeli, imo sola ipsa sigillatim sumpta est nobilior omnibus aliis in unum collectis : ergo prædicta visio est perfectior in intensione, et extensione, quam cæteræ aliæ visiones, ita, ut non excedatur ab illis in perfectione essentiali, ac proinde, licet visiones beatificæ possint esse inæquales in perfectione intensiva, et extensiva, non tamen in specifica, et essentiali, ita ut distinguantur specie. Antecedens est D. Thom. locis citatis, et communiter docetur a Theologis.

Prima vero consequentia, quoad excessum intensivum, et extensivum, aperte sequitur ex antecedenti. Nam, ut infra ostendemus, quo aliqua visio beata fuerit perfectior, eo intensius Deum attinget, et plura ex iis, quæ in eo virtualiter continentur, cognoscet : penes quod ultimum attenditur excessus extensivus. Quoad secundam vero partem, nimirum visionem beatam Christi Domini non excedi in perfectione specifica ab Angelicis, etiam constat. Quia alioqui nunquam visio illius posset adæquare perfectionem visionis Angelicæ : quia facta collatione inter duas visiones beatificas, ut tales, quæ specie essent distinctæ, tunc incomparabiliter esset major excessus in perfectione essentiali, quam in accidentali : atque ita quantumcunque augeretur visio humana Christi Domini in intensione, aut extensione, remaneret minus perfecta, quam Angelica. Secunda vero consequentia etiam patet. Quoniam si aliquis esse posset excessus essentialis inter illas, tunc visio Angelica superaret humanam, quippe cum ille excessus non proveniret ex perfectione essentiali luminis, quod est ejusdem speciei in omnibus, ut dictum est ; sed ex majori perfectione specifica intellectus : quam quidem satis constat non convenire intellectui Christi Domini, bene tamen intellectui Angelico.

Occurrit Major.

16 Nec refert si respondeas primo ex doc-

trina Majoris loco citato, hinc solum fieri, visionem animæ Christi esse perfectiorem in ratione beatitudinis, ac proinde, quoad hoc non excedi specifice ab Angelica, secus tamen in ratione cognitionis.

Rejicitur. Nam contra hoc est, quod prædicta visio, etiam quatenus beatitudo, habet rationem cognitionis : et ita non recte cohæret, quod in ratione beatitudinis sit nobilior, et non in ratione cognitionis. Adde, quod ille excessus in ratione cognitionis nequit oriri ab intellectu Angelico præcise, secundum rationem generalem intellectus, neque secundum, quod excedit excessu essentiali, humanum intellectum. Quoniam (ut jam diximus, et ex dicendis dubio sequenti amplius patebit) excessus iste materialiter se habet in prædictis potentiis in ordine ad actus supernaturales secundum substantiam, qualis est visio beatifica.

Occurrit secundo. 17 Nec etiam refert, si secundo cum eodem Majori respondeas, visionem Christi Domini non esse perfectiorem quoad entitatem visione Angelica, sed solum, quoad valorem præmii, et in ordine ad satiandum appetitum : et ita licet nunquam possit excessus iste adæquare in ordine entitativo visionem Angelicam; nihilominus in ratione valoris, et præmii potest illam adæquare, et superare. Nam sicut aurum secundum suam speciem et entitatem est perfectius argento, attamen si huic fiat additio secundum multitudinem, aut magnitudinem, poterit ab eo illud superari quoad valorem, ita visio animæ Christi, quæ quoad entitatem, et perfectionem specificam est ignobilior, quam Angelica, poterit ex intensione luminis gloriæ crescere in ratione valoris, et præmii.

Non igitur hoc refert. Qnoniam, vel in hac solutione fit sermo de valore conveniente rei ex meritis suæ naturæ secundum se sumptæ, vel de eo, qui competit ipsi in ordine ad aliquem usum, et finem extrinsecum. Non primum, nam alias visio beatifica, ut talis, quæ excedit aliam secundum perfectionem specificam, non posset non esse nobilior, etiam quoad valorem : quandoquidem hujusmodi valor conveniens illi, ratione suæ naturæ secundum se consideratæ, consistit in perfectione prælictæ speciei, et naturæ, vel ab ea necessario dimanat.

18 Secundum autem dici nequit, quia alioqui perfectio visionis Angelicæ nequiret per intensionem visionis humanæ adæquari, quoad valorem. Tum quia in hoc casu non habet locum prædictus valor : siquidem non potest esse aliquis finis, aut usus extrinsecus, in ordine ad quem fit majoris valoris visio humana, quam Angelica, si semel hæc in perfectione essentiali visionis excedit humanam. Tum etiam : quia non posset perfectio specifica visionis Angelicæ superari per intensionem quoad formalem rationem beatitudinis consistentis in hoc, quod sit possessio summi boni : quoniam ad perfectionem possessionis magis conducit excessus, quoad perfectionem specificam, quam quoad intensionem.

Corollarium ex dictis. Ex quo etiam fit, non posse visionem Christi excedere Angelicam in excellentia valoris consistente in majori sufficientia ad satiandum appetitum. Nam cum perfectio, quæ convenit rei secundum speciem, sit major, quam illa, quæ competit eidem ratione intensionis, fit inde, ut excessus perfectionis specificæ fit aptior ad satiandum appetitum, quandoquidem iste per assequutionem bonitatis, et perfectionis satiatur.

Unde etiam sequitur, exemplum adductum de argento excedente aurum in valore per sui incrementum non esse ad rem, quia argentum, quantumcumque augeatur, non potest pervenire ad valorem intrinsecum competentem auro, ratione suæ naturæ secundum se spectatæ, licet in ordine ad humanos contractus, aut alios usus possit esse majoris valoris extrinseci, ut etiam contingit in ferro, et lapidibus, et aliis rebus imperfectis, ac multiplicatis : hic autem valor non habet in præsenti locum, ut explicatum est.

§ IV.

Solvuntur fundamenta utriusque sententiæ.

Ad primum. 19 Ad primum primæ respondetur, ad summum convincere, quoad causas specie distinctas, et consequenter inæquales in perfectione essentiali, quando formaliter concurrunt quatenus sic inæquales sunt; secus vero quoties prædictus excessus materialiter se habet in ordine ad concurrendum, ut in præsenti contingit.

Ad confirmationem. Per quod, etiam ad confirmationem patet. Unde solutio ibidem data, et juxta ea,

ea, quæ jam dicemus intellecta, debet admitti. Et ad impugnationes contra illam constat etiam ex dictis. Nam commensuratio essentialis, quam intellectus humanus et Angelicus dicunt in ordine ad visionem Dei, prout est in se, est ejusdem rationis : quandoquidem potentia obedientialis in ordine ad illam, in qua (modo tamen supra art. 1. hujus quæstionis explicato) consistit prælicta commensuratio, non potest non, si formaliter sumatur, esse ejusdem rationis in utroque. Quia in utroque respicit eundem terminum, et actum formaliter, nempe eandem potentiam activam, et supernaturalem Dei, secundum quod per communicationem sui luminis intellectualis potest elevare prædictas potentias ad visionem beatificam, ipsæque sic elevatæ possunt prædictam visionem (quæ, ut ex dictis constat, est ejusdem speciei) elicere. Per quod, ad omnia quæ in eadem impugnatione adducuntur, satis patet.

Ad secundum.

2° Ad secundum transeat antecedens, et negetur consequentia. Ad cujus primam probationem dicendum est, esse disparem rationem. Quia licet utraque cognitio sit supernaturalis, et modo sibi proportionato clara, attamen quivis habitus luminis gloriæ non potest non habere ratione suæ maximæ perfectionis idem objectum formale, illudque excellentissimum, scilicet divinam essentiam, ut clare cognoscibilem, prout est in se : et ita quivis excessus inter prædictos habitus luminis gloriæ solum potest esse accidentalis, ut ostensum est. Cæterum lumen propheticum, quippe longe inferius, non petit, ut habeat semper perfectissimum objectum, quod sub lumine prophetico cadere potest : et ita aliquando poterit manifestare quidditatem objecti revelati, aliquando vero solum existentiam illius futuram, quantum, ad *an est* : similiter ex ea parte, qua fertur in varia objecta sub ratione temporali, potest variari, ex diversitate objectorum, et ex modo illa attingendi.

Ad secundam vero probationem dicendum est, quod ex eminentia Dei, prout est clare cognoscibilis, non sequitur ipsum sub ista ratione posse attingi sub diversis luminibus specie distinctis : quia Deus sic consideratus, tantum constituit unicum objectum formale, et intra unam, et eandem lineam. Sicut ex hoc, quod Deus, ut attingitur per fidem, sit objectum eminentissimum, non sequitur (ut multi valde probabiliter volunt) illum secundum istam rationem esse attingibilem per lumina fidei distincta secundum speciem. Unde ratione suæ eminentiæ tantum habet, quod ipsemet absolute consideratus valeat attingi diversis luminibus, et diversis modis, scilicet per lumina gloriæ, et fidei, per lumina prophetiæ, per scientiam inditam, et dona Spiritus Sancti, etc.

Ad tertium.

21 Ad tertium respondetur, quod licet in pluribus beatis sint plures beatitudines essentiales, non tamen plures essentialiter, seu specifice diversæ, sed solum individualiter : sicut licet in pluribus hominibus sint plures essentiæ humanæ, non tamen plures essentialiter, sed numerice : atque adeo solum hinc colligitur danda esse plura individua beatitudinis essentialis, quæ secundum majorem, vel minorem perfectionem numericam distinguantur ; non vero, quod essentialiter differant. Et ita cum communiter dicitur, unum beatum habere majus præmium essentiale altero, sensus est, quod habeat essentiam beatitudinis individualiter perfectiorem, imo et sub majori intensione. Quia juxta communem modum loquendi Theologorum, totum id, quod conducit ad Deum clarius attingendum, connumeratur inter ea, quæ ad beatitudinem essentialem pertinent : sicut totum id, quod se tenet ex parte Dei visi, ut per se primo terminat visionem, pertinet ad beatitudinem eorundem objectivam.

Ad fundamentum secundæ sententiæ.

22 Ad fundamentum secundæ sententiæ, concessa majori, neganda est minor. Et ad probationem dicendum est, quod intra lineam objecti beatifici, et supernaturalis, tantum sunt duæ differentiæ essentiales, duoque modi attingendi Deum, prout est in se, specie diversi, scilicet attingere comprehensive, et adæquate, et attingere non comprehensive, sed inadæquate, et finite : Deus autem attingit se comprehensive, et infinite ; intellectus autem creatus attingit illum inadæquate, et finite. Unde licet uterque tendat ad divinam essentiam, prout est in se, attamen visiones illæ sunt essentialiter inæquales, ob diversum, et jam explicatum tendendi modum. Quare cum omnes intellectus creati tendunt finite, ac proinde eodem modo in ordine ad visionem beatificam, ut ostensum est; ideo prædictæ visiones nequibunt ex parte objecti formalis specie distingui.

Ad confirmationem.

Ex quo ad primam confirmationem satis patet. Nam excessus in claritate videndi

Deum, finito tamen modo, non variat modum tendendi essentialiter, sed solum accidentaliter, ut in assertione ostendimus : sicut etiam non potest inter lumina gloriæ, aut visiones esse excessus in immaterialitate sufficiens ad distinctionem specificam, propter rationem loco citato assignatam. Unde communicatio Dei per visionem beatificam attingit *maximum, quod sic* communicationis divinæ, quoad gradum specificum immaterialitatis, secundum quem Deus per dona creata, et supernaturalia communicari potest intellectui creato : sicut communicatio per gratiam sanctificantem pertingit etiam, usque ad *maximum*, *quod sic* communicationis suæ naturæ, quæ per dona creata gratiæ fieri potest Neque exemplum illud de majori immaterialitate Angelorum aliquid convincit, ut in prima ratione pro assertione tetigimus. Per quæ etiam ad secundam confirmationem satis patet.

DUBIUM III.

Utrum melior potentia intellectiva cum æquali lumine gloriæ clarius essentiam divinam intueatur?

23 Quamvis decisio hujus dubii non difficulter ex dictis in præcedenti colligatur : cæterum, ut Angelici Doctoris sententia amplius maneat elucidata, et argumentis adversariorum melius occurratur, ideo illud in præsenti excitamus, et jure sane optimo dubium hoc statim præcedenti annectimus. Nam postquam explicuimus, an distinctio specifica intellectuum refundat distinctionem, et inæqualitatem essentialem in visiones, merito dubitatur, an major perfectio naturalis illorum, quæcumque illa sit, refundat aliquam majorem perfectionem accidentalem, et intensivam in visiones beatificas, ita, ut quo major fuerit prædicta perfectio naturalis, eo, cæteris paribus, clarius Deus per talem intellectum videatur?

§ I.

Prima sententia affirmans.

Partem affirmantem tuentur Ricardus in 4. distinct. 49. quæst. 8. art. 2. Major quæst. 10. Scotus dist. 50. quæst. 6. Durandus in 3. dist. 14. quæst. 1. ad ultimum, Holcot in suis determinationibus quæst. 8. art. 1. ad 4. referturque pro eadem Molina in præsenti disp. 9. et Cajetan. 3. part. quæst. 10. art. 4. ad secundum.

Probatur primo, testimonio D. Thom. 3, part. quæst 10. art. 4. ad 2. ubi inquit : *Gradus in visione secundum perfectionem, magis attenditur secundum ordinem gratiæ, quam secundum ordinem naturæ.* Ubi illud comparativum *magis*, videtur innuere perfectionem visionis, etiam attendi secundum ordinem naturæ, id est, secundum perfectionem naturalem intellectuum, quia comparativum supponit suum positivum. Probatur primo.

Confirmatur ex eodem Sancto Doctore in præsenti in solutione ad 3. ubi inquit : quod diversitas videndi erit per diversam facultatem intellectus, non quidem naturalem, sed gloriosam. Ubi non solum in lumen gloriæ, sed in facultatem ipsam gloriosam diversitatem videndi Deum refundit, ut per hoc denotet non solum diversitatem luminis, sed etiam facultatis intellectivæ lumine gloriæ perfusæ conducere in ordine ad clariorem, et perfectiorem visionem. Confirmatio.

24 Secundo probatur ratione. Quia quotiescunque duæ causæ ad unum, et eundem effectum concurrunt, toties per incrementum cujusvis producitur major, et perfectior effectus : sed ad visionem Dei concurrunt tam intellectus, quam lumen gloriæ : ergo per incrementum cujuscumque ex illis elicietur intensior visio : ac proinde perfectior intellectus cum æquali lumine gloriæ perfectius, et clarius videbit Deum. Utraque conseq. patet. Major vero ex se constare videtur. Nam quo causa totalis crescit in perfectione, eo producit perfectiorem effectum : causa autem totalis in prædicta perfectione crescit per incrementum cujuslibet ex causis partialibus eandem integrantibus. Minor vero etiam liquet. Nam si lumen non concurreret, non posset visio esse actus supernaturalis, nec intellectus videret Deum, prout est in se, ut ex sæpe dictis constat : si autem intellectus non influeret, non esset illa actio vitalis, neque intellectus diceretur videre Deum ; quandoquidem intellectus non intelligit, seu videt, nisi per intellectionem, seu visionem a se elicitam. Suadetur secundo.

Confirmatur. Nam perfectior causa cum æquali instrumento meliorem producit effectum, sicut etiam æqualis causa cum perfectiori instrumento perfectius operatur : ergo perfectior intellectus cum æquali lumine gloriæ perfectius videbit Deum. Antecedens Confirmatur.

tecedens satis constat in agentibus artificialibus, ubi videmus peritiorem pictorem cum æquali pennicillo melius depingere, et æqualem pictorem cum pennicillo meliori perfectiorem effectum producere. Consequentia vero etiam constat : nam concursus causæ partialis, et principalis magis conducit ad effectum, quam concursus causæ instrumentalis, ut ex se constat : ergo si major perfectio instrumenti conducit ad perfectiorem effectum, multo magis conducet major nobilitas causæ principalis, et partialis, qualem esse intellectum in ordine ad visionem supra ostensum est.

olutio. 25 Nec satis erit, si dixeris, argumentum hoc, et ejus confirmationem, tantum habere vim in causis partialibus, quarum quælibet habeat suam vim proximam ad agendum, distinctam ab alia : hoc autem non reperiri in intellectu, et lumine gloriæ, ut supra dictum est.

mpug- atur. Nam contra hoc est, quod concursus radicalis conveniens intellectui, re vera est concursus in ordine causæ efficientis : ergo major perfectio intellectus conducet ad meliorem visionem. Antecedens constat. Quoniam alioqui intellectus solum concurreret per modum subjecti sustentantis, non vero in genere causæ efficientis. Consequentia vero probatur. Nam hoc ipso quod intellectus sit perfectior, jam influxus totalis coalescens ex majori influxu radicali intellectus, et proximo luminis esset nobilior ; quandoquidem quivis ordo, quodvisque conjunctum crescit in perfectione, ex eo quod coalescat ex rebus perfectioribus per se spectantibus ad illum ordinem, ad illudque conjunctum. Et ideo licet forma substantialis solum concurrat radicaliter ad constituendum integrum, et proximum susceptivum accidentium, scilicet compositum ; nihilominus compositum ipsum eo est perfectius susceptivum illorum, eoque magis concurrit, et petit nobiliora accidentia, quo forma ipsa radicaliter influens est nobilior. Et similiter licet substantia creata tantum sit radicaliter, non vero proxime operativa, ut ostendunt N. Complut. 2. Physic. disp. 10. attamen, quo substantia fuerit perfectior, eo influxum radicalem perfectiorem præstabit, ac proinde eo meliorem, et perfectiorem effectum attinget, ut ex se constat, et ibidem ostenditur.

ıfirm. Confirmatur. Nam ideo major perfectio aquæ non conducit ad perfectiorem calefactionem, quia aqua solum se habet ut subjectum sustentans calorem, ut communiter docent Philosophi : ergo cum intellectus concurrat radicaliter in ordine causæ efficientis, consequens erit, ut major perfectio intellectus conducat ad perfectiorem visionem. Patet conseq. Quoniam aliquid amplius debemus tribuere intellectui propter hunc radicalem concursum in ordine ad visionem, quam aquæ sustentanti calorem respectu calefactionis : ergo cum major perfectio aquæ nihil conducat ad perfectiorem calefactionem, fiet inde, ut major perfectio intellectus radicaliter influentis debeat aliquid quantumvis parum, ad meliorem effectum conducere.

Suadetur tertio. 26 Tertio, et principaliter. Quoniam major perfectio intellectus concurrentis cum æquali lumine fidei ad alios actus ordinis supernaturalis non parum prodesse solet ad eliciendos perfectius prædictos actus : ergo etiam major perfectio illius conducet cum æquali lumine gloriæ ad nobiliorem visionem. Conseq. patet. Nam utrobique effectus est snpernaturalis, et potentia intellectiva ordinis naturalis, ac tandem lumen elevans, et supernaturale est æquale : ergo utrobique erit par ratio, quoad hoc, quod est majorem perfectionem potentiæ intellectivæ cum æquali lumine conducere, vel non conducere ad majorem, et perfectiorem actum ordinis supernaturalis, vel visionis Dei, vel fidei. Antecedens autem probatur. Quoniam nobilior intellectus æquali lumine fidei perfusus, solet plura fidei mysteria magis, et perfectius penetrare, quam intellectus non ita nobilis, ut constat in fideli acuti ingenii collato cum fideli rustico.

Ultimo. 27 Tandem, intellectus perfectior cum æquali lumine gloriæ potest magis conari in ordine ad visionem, quam intellectus minus perfectus : ergo perfectius, et intensius Deum videbit. Antecedens probatur. Nam conatus ad operationem, seu (quod idem est) applicatio in ordine ad illam non convenit potentiæ ratione habituum, sed potius e contra, quia habitus subordinantur potentiis in ordine ad *operari*, et ideo possumus indifferenter uti, et non uti illis, quod quidem non possent habere nisi conatus, et applicatio potentiæ ad operandum conveniret illi ratione sui, non vero ratione habituum. Conseq. vero probatur. Quoniam, quod ratione sui potest conari ad operandum, poterit etiam si crescat in perfectione, magis conari : ergo tunc eliciet

perfectiorem effectum : quandoquidem ad meliorem conatum , et applicationem sequitur nobilior operatio, sive talis conatus , et applicatio sit idem cum prædicta operatione, sive ad illam præsuppositus.

§ II.

Sententia D. Thomæ una cum primo ejus fundamento.

Conclusio. 28 Dicendum tamen est, visionem beatificam omnino commensurari cum lumine gloriæ, atque adeo perfectiorem potentiam intellectivam naturalem cum æquali lumine non videre Deum perfectius , seu clarius. Ita D. Thom. in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 4. et 3. contra Gent. cap. 58. et in hoc art. his verbis : *Dicendum, quod videntium Deum per essentiam, unus alio perfectius eum videbit · sed hoc erit per hoc, quod intellectus unius habebit majorem virtutem, seu facultatem ad videndum Deum, quam alterius : facultas autem videndi Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam, sed per lumen gloriæ, quod intellectum in quadam Deiformitate constituit. Unde intellectus plus participans de lumine gloriæ, perfectius Deum videbit.* Ubi , ut vides, in solam diversitatem luminis refundit S. Doctor diversitatem, et majorem perfectionem visionis beatificæ. Et in solutione ad tertium, sic ait : *Diversitas videndi erit per diversam facultatem intellectus, non quidem naturalem, sed gloriosam :* id est, per diversum lumen gloriæ; ut in solutione ad confirmationem primi pro opposita sententia adducti, ex eodem S. Doct. ostendemus.

Unde Sanctum Doctorem sequuntur ejus discipuli, Ferrara tertio contra Gentes cap. 55. et 58. Sotus in 4. distinct. 49. quæst. 3. artic. 2. Medina prima secundæ quæst. 3. artic. 2. Bannez, Zumel, et Gonzalez in præsenti, Navarrete controversia 42. Alvarez de auxiliis disput. 63. et ex extraneis Valentia in hoc art. disput. 1. punct. 4. in fine. Arrubal disp. 22. Suarez 1. tomo summæ Theologicæ lib. 2. cap. 21. Vazquez disp. 47. cap. 7. quamvis hi duo in assignanda ratione pro hac sententia ab schola Thomistica dissentiant.

Prior ratio assertionis. 29 Ratio fundamentalis tangitur a D. Thom. in hoc articulo, quæ potest sub hac forma proponi. Intellectus nequit ex solis naturæ viribus, sed solum, ut elevatus per vires gratiæ, et supernaturales pertingere ad videndum Deum : ergo nequit per majores vires naturæ, nisi elevetur per majores gratiæ vires, pertingere ad perfectiorem, et clariorem visionem. Antecedens constat ex iis, quæ art. 4. et 5. diximus. Consequentia ex antecedenti sequitur. Nam sicut operatio ordinis divini est supra vires naturæ, eique improportionata, et propterea non potest intellectus ex solis suis viribus in illam prorumpere, ita operatio ordinis divini magis perfecta superabit vires naturæ perfectiores, et erit ei improportionata, ac proinde nequibit ex illis procedere, nisi per vires perfectiores ordinis gratiæ elevetur : quandoquidem, ut ex communi illa Dialecticorum regula constat : *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis*, quoties fit comparatio inter eadem extrema, ut in præsenti contingit.

Confirmatur. Nam juxta diffinitionem Concil. Viennensis, quam supra adduximus, intellectus creatus in ordine ad visionem indiget elevatione, ac proinde ad meliorem visionem meliori elevatione indigebit. Patet conseq. tum ex modo dictis : tum etiam, quia ejusdem ordinis est primus gradus, aut quasi gradus perfectioris visionis, ac reliqui : ergo necessitas formæ ad primum gradum inducit necessitatem incrementi formæ ad reliquos gradus. Confirmatur.

§ III.

Secunda ratio pro Angelici Doctoris sententia examinatur.

30 Secundo principaliter probatur assertio ratione, quam etiam insinuat idem S. Doct. Quoniam alias visio beatifica non tribueretur unicuique juxta proportionem suorum meritorum : hoc autem est contra fidem : ergo, etc. Sequela probatur. Nam si ex duobus habentibus æqualia merita unus polleret perfectiori intellectu, tunc utrique tribueretur æquale lumen gloriæ, quippe, quod correspondet meritis, quæ ut supponimus, sunt æqualia in ambobus, et nihilominus si perfectior intellectus conducit cum æquali lumine ad perfectius videndum Deum, non poterit non ille, qui alium in intellectu superat, elicere perfectiorem, et clariorem visionem. Minor autem probatur. Nam in Concilio Florentino sess. ultima in literis sanctæ unionis, de animabus justorum, quæ nihil habent purgandum, dicitur in cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum, et Unum sicuti est, meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.

31 Occurrunt

vasio.

31 Occurrunt primo Molina, et alii, concedendo, quod in hoc casu dabitur utrique æquale lumen, et æqualis visio, quamvis unus eorum habeat præstantiorem intellectum, quam alius : quia habenti imperfectiorem intellectum tribuetur majus auxilium actuale, quantum satis sit ad compensandum prædictum excessum ; et illi, qui perfectiori intellectu polluerit, præstabitur auxilium actuale ita attemperatum, ut non prorumpat in intensiorem visionem, quam alter.

efuta-tur.

Sed contra Quia causæ operanti per modum naturæ, seu per modum agentis necessarii debetur debito connaturalitatis auxilium actuale ita intensum, sicut est virtus operativa illius. Unde si Deus non tribueret prædictum auxilium, non operaretur juxta communes naturæ leges, sed miraculose : ergo in casu posito habenti æqualia merita cum altero, excedenti tamen illum in intellectu, tribuetur a Deo auxilium actuale intensius, et consequenter eliciet intensiorem visionem, tribueturque ei intensius præmium. Hæc ult. conseq. ex priori aperte sequitur. Prior vero ex antecedenti. Quia Deus, ut justus judex, et retributor præmii, et mercedis meritorum operatur secundum communes leges, atque adeo non miraculose : ergo habenti æquale lumen cum perfectiori intellectu, dabitur intensius auxilium actuale, si verum est, quod ex æquali lumine cum perfectiori intellectu consurgit perfectior virtus activa in ordine ad videndum Deum. Antecedens autem ex se constat. Nam cum auxilium actuale debeatur debito connaturalitatis virtuti operativæ completæ, et expeditæ, cum omnibus requisitis ad operandum, fit inde, quod perfectiori virtuti operativæ, et expeditæ, petentique operari per modum naturæ, et consequenter necessario, et quantum potest, debeatur intensius auxilium actuale.

ddita-entum.

32 Adde, quod in hac solutione contradictoria involvuntur, scilicet habenti imperfectiorem intellectum tribui majus auxilium actuale, non vero majus lumen, quam alteri, ita, ut simul cum hoc habeat elicere intensiorem visionem. Nam in eo eventu eliceret, et non eliceret visionem magis intensam : eliceret quidem, ut supponitur; non eliceret autem, quia repugnat causam secundam prorumpere in actum secundum, quin prius præsupponatur in actu primo proportionato tali actui secundo : at per auxilium actuale intensius, seu per intensiorem influxum Dei in visionem, quem adversarii nomine auxilii actualis in præsenti intelligunt, non constituitur intellectus in actu primo proportionato respectu intensioris visionis, ut art. præcedent. ex professo ostendimus : ergo ratione illius non eliceret perfectiorem visionem, ac esset illa, quæ ex vi luminis, et quantitatis ipsius elicienda erat.

Aliud Molinæ effugium.

33 Occurrit secundo Molina tribuendam esse in casu argumenti utrique ex illis hominibus æqualem visionem, non tamen æquale lumen gloriæ, sed habenti imperfectiorem intellectum esse concedendum tantum de majori intensione luminis, quantum satis est hoc, ut eliciat ita intensam visionem ac alius, qui habet præstantiorem intellectum cum æqualibus meritis ; e contra vero huic concedendum esse lumen minus intensum, et in ea proportione, ut eliciat æqualem visionem cum altero. Ratio autem, ob quam inquit potius visionem, quam lumen debere proportionari meritis, est, quia visio secundum se habet rationem præmii, et beatitudinis formalis, et ita ex se exigit proportionari meritis. Cæterum lumini gloriæ non convenit esse præmium, aut beatitudinem, sed dispositionem elevantem, et fulcientem intellectum, ut adipiscatur præmium : et ita debet proportionari indigentiæ potentiæ in ordine ad præmium, unde quia potentia perfectior indiget remissiori lumine ad efficiendam visionem æqualem cum visione alterius, qui imperfectioris est intellectus ; e contra vero iste indiget intensiori lumine in ordine ad prædictum effectum, ideo debet juxta hanc proportionem illius tribui.

Præclu-ditur primo.

Sed contra. Nam si lumen gloriæ non tribueretur juxta proportionem meritorum, et quantitatem incrementi visionis, fieret inde, ut visio, seu præmium non concederetur juxta mensuram eorundem meritorum : ergo habentibus æqualia merita debet tribui æquale lumen. Consequentia patet. Antecedens autem probatur. Quoniam jam visio, quoad aliquod sui incrementum non corresponderet in habente perfectiorem intellectum, incremento luminis (siquidem huic non tribuitur ita intensum lumen, ac est visio) sed nativæ virtuti intellectus, cui, juxta hunc dicendi modum Molinæ, correspondet aliqua virtus proxima, licet partialis, respectu visionis : ergo talis visio, et præmium non concederetur juxta mensuram meritorum : nam, quod jure naturæ est debitum, et ex propria virtute habetur, non

tribuitur per modum coronæ, atque adeo nec juxta proportionem, et mensuram meritorum.

34 Quocirca licet, juxta hanc evasionem Molinæ habenti quatuor opera meritoria, ut unum cum intellectu, ut unum perfectiori, tribuatur lumen, ut tria, et visio, ut quatuor, nihilominus quartus gradus incrementi non tribueretur, ut præmium, sed unum ex illis operibus sine præmio maneret. Et ratio est aperta. Quoniam prædictus gradus corresponderet nativæ virtuti intellectus : et ita solum tria ex illis operibus remunerata manerent, ac proinde præmium non ad mensuram operum tribueretur : siquidem tribui præmium ad mensuram et juxta proportionem meritorum, necessario involvit, ut cuilibet operi suum peculiare præmium, et juxta proportionem, et quantitatem ipsius correspondeat.

Confirmatur. Confirmatur. Quia ex opposito etiam fieret, quod illa visio, quoad aliquem gradum non est quid supernaturale, et divini ordinis, et per consequens nec tribueretur per modum coronæ, et juxta proportionem meritorum. Sequela, quoad priorem partem probatur. Quia incrementum illud visionis, quod corresponderet nativæ virtuti perfectioris intellectus, esset illi proportionatum, et per consequens ordinis naturalis, non vero ordinis supernaturalis, et excedentis. Quoad secundam vero partem etiam constat. Quia merito supernaturali non correspondet per modum coronæ, aut juxta mensuram ipsius, aliquid ordinis naturalis, sed necessario debet illi correspondere aliquid ejusdem ordinis.

Præcluditur secundo. 35 Deinde. Nam etsi daremus servari proportionem, juxta hunc modum dicendi Molinæ, inter merita, et visionem cum inæqualitate luminis, non potest salvari debita proportio inter eadem merita, et totale præmium beatificum, ita ut daretur juxta mensuram meritorum : ergo, etc. Antecedens probatur. Nam habens meritum ut quatuor, una cum perfectiori intellectu, necessario debet habere charitatem ut quatuor, quandoquidem augetur gratia, et charitas juxta gradum meritorum ; cumque ille, qui est perfectioris intellectus, sit etiam perfectioris voluntatis, consequens erit, ut postea habeat fruitionem, et amorem beatificum, ut quinque, quæ etiam spectant ad totale, et completum præmium beatitudinis : ergo non salvabitur, quod præmium merito adaptetur, et consequenter neque quod alteri habenti æqualia merita, cum imperfectiori voluntate tribuatur æquale præmium cum illo priori.

Rejicitur id, quo pro se affert Molina. 36 Nec disparitas illa inter visionem, et lumen, ob quam in hac solutione dicitur visionem debere proportionari meritis, esseque juxta mensuram illorum, secus vero lumen, est alicujus momenti ; quamvis per eam asserat Vazquez loco citato sufficienter enervari vim hujus rationis pro nostra assertione. Nam ad eliciendos actus, qui sunt dispositiones proportionatæ ad gratiam sanctificantem, non detrahitur aliquid de virtute supernaturali requisita in actu primo ad illos, quantumcunque potentiæ sint magis perfectæ secundum suam naturam, quamvis virtus illa sit id, per quod potentiæ habent elevari, et fulciri in ordine ad prædictos actus : ergo licet lumini gloriæ conveniat esse dispositionem elevantem, et confortantem intellectum in ordine ad visionem, non adimetur aliquid de quantitate luminis juxta mensuram perfectioris visionis, quamvis intellectus secundum suam naturam sit magis perfectus. Antecedens communiter admittitur a Theologis in materia de gratia. Consequentia vero probatur. Nam tota ratio, quare id admittitur in prædictis actibus viæ, est supernaturalitas eorum, et proportio, quæ in eodem ordine debet esse inter illos, et suum principium elevans : hæc autem majorem vim habet respectu visionis, quæ in ordine supernaturali est excellentior.

Ex quibus omnibus satis constat, lumen gloriæ habere etiam rationem præmii. Tum, quia est donum per se pertinens ad patriam, et necessarium ad eliciendam visionem beatificam. Tum etiam : quia si major intensio habitus charitatis viæ potest esse præmium actus intensioris ejusdem viæ, cur lumen gloriæ non poterit, licet sit habitus, esse præmium operum viæ, cum etiam tale lumen ex parte principii meriti non desideretur ?

§ IV.

Solutio argumentorum oppositæ sententiæ.

Ad primum 37 Ad primum ex testimonio Divi Thomæ desumptum dicendum est, illud adverbium *magis* non habere ibi vim comparationis affirmativæ, sed negativæ, et exclusivæ respectu unius extremi, et affirmativæ respectu alterius : sicut ad Hebræos 11. ubi fit sermo de Moyse magis eligente affligi cum populo Dei, quam temporalis

peccati

peccati habere jucunditatem. Nam ly *magis* accipitur in sensu dicto, ita, ut significet, quod Moyses nullo modo elegit temporalis peccati jucunditatem, sed potius jucundissimo animo pertulit affligi cum populo Dei. Ita ergo in præsenti, proportione servata, philosophandum est, atque adeo in illis verbis Divi Thomæ, tantum significatur diversitatem, et inæqualitatem visionis nullo modo sumi ex quantitate facultatis naturalis intellectus, sed ex quantitate luminis gloriæ.

Ad confirmationem respondetur, nomine facultatis gloriosæ intelligi lumen gloriæ, seu potentiam intellectivam quatenus elevatam, et juxta mensuram elevationis; alioqui argumentum, cui prædicta solutio adhibetur, maneret insolutum, convinceretque intentum, ut intuenti patebit.

38 Ad secundum, et ejus confirmationem bene respondetur ibidem. Et ad probationem in contrarium concesso antecedenti, neganda est consequentia. Ad cujus probationem dicendum est, intellectum alias perfectiorem in virtute naturali intelligendi, non concurrere etiam radicaliter ad visionem, quatenus habet prædictum excessum: sed hoc materialiter se habere: quia solum influit per potentiam obedientialem, quæ est ejusdem speciei in omnibus intellectibus creatis: et ita etiam influxus radicalis, et remotus illius erit æqualis.

Unde in hoc manifesta cernitur disparitas inter intellectum concurrentem radicaliter in ordine ad actus supernaturales, et inter substantiam influentem, etiam radicaliter in ordine ad proprios effectus. Nam substantia concurrit quatenus habet tantam perfectionem naturalem, et quatenus causa elevans, non vero elevata; secus vero intellectus: et ita substantia concurrit, ut æqualis, vel ut majoris perfectionis cum effectu producendo, ejusque major vel minor perfectio debet in prædicto effectu relucere: intellectus autem influit, ut agens inferius, elevabile tamen, et non nisi, ut elevabile: et propterea effectus non habet tantam, vel tantam perfectionem, nisi juxta tantitatem elevationis. Per quod etiam ad id, quod de forma substantiali ibidem adducitur, satis, proportione servata, constat.

39 Ad confirmationem ejusdem impugnationis respondetur negando antecedens, si ly *ideo* reddat causam adæquatam. Quoniam hoc, quod est, majorem perfectionem alicujus non debere necessario splendere in effectu producto, potest provenire vel ex ratione ibidem adducta, vel ex eo quod solum habet concursum remotum, et radicalem modo explicato, solumque influat, ut elevatum ad superiorem ordinem, ut in præsenti contingit. Quare licet sit tribuendum aliquid amplius intellectui in ordine ad visionem, quam aquæ respectu calefactionis, non tamen, quod visio crescat juxta majorem perfectionem naturalem intellectus, sed quod ipse, ut elevatus, et perfusus lumine gloriæ habeat rationem causæ principalis respectu visionis, propter rationem supra assignatam; secus vero aqua calida respectu calefactionis. Nam in ordine ad hanc tota ratio agendi est calor: et ideo prædicta calefactio non continetur sub actu adæquato aquæ; secus vero in intellectu: et ita visio sub objecto, et actu adæquato illius clauditur, artic. 1. diximus.

Object. 40 Nec refert, si contra ea, quæ in solutione hujus secundi argumenti, ac proinde confirmationis illius, diximus, objicias, quod licet, juxta modum illum dicendi, quem disput. 1. hujus tractat. num. 13. adduximus (nempe potentiam obedientialem intellectus in ordine ad visionem Dei esse quid supernaturale, et formaliter, sive ex natura rei distinctam ab eodem intellectu, secundum suam essentiam, et vim naturalem ad intelligendum considerato) possit defendi, quod prædicta potentia obedientialis intellectus Angelici, et humani est ejusdem speciei, et per consequens, quod excessus, quo intellectus Angelicus excedit humanum, materialiter tantummodo se habet, siquidem, tantum influunt in visionem Dei per prædictas potentias obedientiales; non tamen poterit id defendi, aut cohærere cum altero dicendi modo, quem loco citato num. 14. adduximus (nempe intellectum Angelicum, et humanum per sua essentialia formaliter sumpta videre Deum, et prædictam potentiam obedientialem non esse secundum id, quod in recto importat, distinctam formaliter ab essentialibus prædictorum intellectuum, sed tantum importare essentialia illorum, connotando tamen carentiam efficacitatis proximæ, sive quantitatis virtutis ad agendum) ergo saltim juxta hunc dicendi modum, melior, et perfectior intellectus, qualis esset Angelicus, melius, et perfectius Deum videbit, quam intellectus humanus, si utrique æquale lumen gloriæ concederetur.

Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem, quoad primam partem patet

ex dictis. Quoad secundam vero probatur. Nam hoc ipso, quod prædicta potentia obedientialis, per quam intellectus creatus una cum lumine gloriæ influit, non sit distincta ab essentialibus intellectus humani, et Angelici, oportet, tum, quod se excedant in prædicta potentia obedientiali, quandoquidem se excedunt in essentialibus suorum intellectuum specie distinctorum : tum, quod hic excessus non se habeat materialiter, et per accidens ad influxum prædictæ potentiæ obedientialis, quippe qui per se, et indispensabiliter ad illam quatenus talem spectat.

Solvitur. 41 Respondetur enim, negando antecedens, quoad secundam ejus part. Et ad probationem dicendum est, quod cum disp. 1. hujus tract. num. 15. diximus, potentiam obedientialem intellectus creati ad videndum Deum esse ipsammet essentiam illius, connotando tamen defectum efficacitatis proximæ, seu quantitatis virtutis ad prædictam visionem, loquebamur de intellectu creato secundum rationem generalem intellectus creati, non tamen de eodem quatenus (v. g.) Angelico, vel humano. Quia, sicut visus non convenit homini, quia homo, sed præcise, quia animal ; et propterea visus hominis, et leonis non distinguuntur specie, ita vis obedientialis ad videndum Deum non convenit eidem homini, aut Angelo, quia homo, vel Angelus: sed quia sunt naturæ intellectualis creatæ : et ideo potentiæ istæ non distinguuntur specie, quivisque excessus, qui in intellectibus eorum reperitur, habet se per accidens, et de materiali in ordine ad prædictam potentiam obedientialem, ac proinde in ordine ad influxum, quem intellectus, ut perfusus lumine gloriæ, exhibet. Unde falsum est id, quod in hac probatione dicitur, scilicet prædictam potentiam obedientialem, adhuc in recto sumptam, non distingui ab essentialibus intellectus humani, et Angelici, quatenus ille humanus, et iste Angelicus est : quemadmodum falsum esset, vim radicalem ad videndum, quam habet homo, et equus, non distingui ab essentialibus eorum, quatenus ad invicem distinguuntur specie. Et propterea licet intellectus humanus, et Angelicus se alias in perfectione essentiali excedant, possunt esse ejusdem perfectionis in potentiis obedientialibus ad videndum Deum, quæ in eis solo numero distinguuntur.

Replica prior. 42 Ex quo fit, nihil referre, si urgeas. Tum, quod si intellectus humanus, et Angelicus præcise, quia habent rationem intellectus, influunt in visionem una cum lumine gloriæ, fiet inde, ut visio, ex quo capite procedit ab intellectibus eorum, non erit una in specie atoma : siquidem intellectus secundum istam rationem non est unus in specie atoma, et principium alicujus operationis non debet habere in se minorem unitatem, quam sit unitas ipsius operationis, cum hæc ab illo specificetur. Maxime, quia cum unumquodque operetur secundum, quod est in actu, nequit esse operationis principium, id, quod est adeo potentiale, et indeterminatum, qualis est gradus genericus, et differentia subalterna illum constituens, quodque ex se non petit existentiam, usque dum sit actuatum per differentiam atomam.

Alia. Tum etiam, quod si intellectus humanus, quia intellectus, habet pro objecto adæquato verum, ut sic, ac proinde ibidem includitur Deus, ut clare visibilis, et similiter intellectus Angelicus ; tunc intellectus humanus, quia humanus, habebit pro objecto adæquato idem verum, ut sic, quatenus speciali modo attingibile, terminabiturque ad Deum clare visibilem, ut peculiari etiam modo proprio prædicti intellectus est attingibilis : et similiter intellectus Angelicus, quia Angelicus, habebit pro objecto adæquato prædictum verum, ut sic, et ibidem includetur Deus clare visibilis, quatenus omnia hæc alio speciali modo proprio intellectus Angelici sunt attingibilia : ergo etiam oportebit, ut visiones claræ Dei, et intellectus humani, et Angelici distinguantur specie ex illo peculiari modo, quo a singulis ex his intellectibus attinguntur. Conseq. videtur perspicua. Antecedens autem probatur. Quia sicut intellectus Angelicus, et humanus habent rationem intellectus, et insuper determinant illum ad rationem, modumque specialem intelligendi ; ita etiam debent habere, quod tendant in totam latitudinem objecti intellectus, et quod hanc tendentiam ad cunctam illam latitudinem determinent ad hoc, ut isto, vel illo speciali modo singulis intellectibus proprio, in illam, et in quamvis intellectionem intra eandem latitudinem contentam, tendat.

Solutio ad primum 43 Ex dictis igitur patet, hæc duo nihil referre. Non quidem primum, ut constat ex exemplo visus, et visionis humanæ, quæ oriuntur ab homine quatenus animal, et tamen sunt ejusdem speciei atomæ cum visu leonis. Et ratio est eadem utrobique.

Quia

Quia licet animal in *esse* entis, et ut totum quoddam potentiale est, non habeat essentiam, et speciem atomam; secus tamen si sumatur in ratione totius actualis, et in ratione virtutis radicalis videndi. Sicut licet immaterialitas, et depuratio a materia physica intellectum Angelorum dicat in *esse* rei rationem genericam; et in *esse* gradus importet rationem atomam; quia, nec animal, nec prædicti intellectus secundum rationes jam explicatas sunt ulterius determinabilia, sed dicunt peculiares rationes ultimate constitutas, ut disp. 2. num. 166. latius explicuimus.

Ad illud autem, scilicet gradum genericum, ac proinde differentiam subalternam constituentem illum, non petere existentiam, usque dum sit actuatus per differentiam atomam, constat ex iis, quæ late N. Complut. 1. de Generat. disp. 2. num. 112. et deinceps docent, dicendum esse oppositum.

Ad cun-um.

44 Secundum autem etiam nihil referre ex dictis constat. Nam hoc ipso, quod prædictæ potentiæ obedientiales sint ejusdem speciei, non possunt habere diversos illos tendendi modos in Deum clare visum ibidem insinuatos, et per consequens nec in verum, ut sic. Et ad probationem in contrarium dicendum est, intellectum creatum quatenus talem, consistere essentialiter in hoc, quod possit tendere in verum, ut sic, finito tamen modo attingibile, ac proinde possit extendi in Deum clare visum; cæterum secundum suam essentiam consideratus abstrahit, tum ab hoc, quod possit tendere in prædictum verum, ut sic naturali modo, ac proinde solum tendendo in Deum clare visibilem, non quidem quidditative, et prout est in se, ac formaliter, ut clare visibilem, sed eo modo, quo ex creaturis potest naturali modo utcumque, et quoad *an est* cognosci, illum esse clare visibilem; tum etiam ab hoc, quod possit tendere in idem verum supernaturali modo : et per consequens in Deum clare visibilem formaliter, ut talem, et videndo ipsum, prout est in se. Cæterum hæc potentialitas, et indeterminatio, quam dicit intellectus creatus, ut sic, non tollitur adæquate in intellectu Angelico, aut humano per proprias eorum differentias essentiales, sed partim per differentias accidentales, in quibus specie accidentali conveniunt, et numerice differunt. Nam illa indifferentia, quoad attingentiam naturali modo, tollitur per differentias essentialiter contrahentes intellectum, ut sic. Quoad attingentiam vero supernaturali modo, per differentias accidentales, scilicet per additionem luminis gloriæ : ex eo quod rationes supernaturales nequeunt essentialiter contrahere intellectum creatum, ut constat ex iis, quæ disp. 3. num. 16. et sequentibus diximus, ne possit dari intellectus creatus ordinis supernaturalis, et per consequens substantia supernaturalis completa.

Quare cum lumen gloriæ, de quo loquimur, sit ejusdem speciei in omnibus intellectibus creatis, ut in hac disp. num. 12. ostendimus; et per consequens recipiatur in illis, quia intellectus creati sunt, fit inde, ut differentiæ propriæ intellectus humani, et Angelici solum determinent intellectum, ut sic, quoad specialem, et distinctum specie modum naturalem attingendi verum, ut sic, et Deum, ut clare visibilem, ly, *ut* specificative tantummodo accepto : non vero, quoad modum attingendi supernaturaliter omnia hæc, et per consequens Deum, ut clare visibilem, ly, *ut* reduplicative sumpto; sed quod hæc determinatio posterior debeat fieri per determinationem accidentalem luminis gloriæ, quod est ejusdem speciei in omnibus intellectibus creatis. Nam intellectus creatus, ut sic, qui secundum suam tendentiam essentialem abstrahit ab hoc, quod tendat supernaturali modo in suum objectum, habet, quod hoc ipso, quod sua essentialia jam dicta perfundantur lumine supernaturali, tendat supernaturali modo in ens, ut sic, et hoc ipso, quod eis communicetur lumen gloriæ, terminetur supernaturaliter, et clare, ac, prout est in se in Deum clare visum : sicut hoc ipso, quod contrahatur per differentias essentiales, v. g. per differentiam intellectus humani tendat in objectum proprium naturale illius, et modo proprio naturali, qui ei competit.

Ad tertium

45 Ad tertium dicendum, in actu fidei posse distingui duo, quorum primum est apprehensio, et explicatio mysteriorum. Secundum vero est ipse assensus fidei. Ex quibus illud prius poterit perfectius haberi ex majori perfectione intellectus : quoniam est quid proportionatum facultati nativæ illius, estque actus ordinis naturalis ejusdem. Secundum vero non crescit juxta quantitatem perfectionis naturalis intellectus, quia est quid supernaturale, et divini ordinis; sed solum juxta quantitatem vir-

tutis supernaturalis elevantis, per quam intellectus redditur efficax, et proportionatus in ordine ad talem assensum eliciendum.

Ad quartum.

46 Ad quartum respondetur negando antecedens. Quia conatus potentiarum, de quo in argumento fit sermo, non est aliquid distinctum ab actibus earundem. Unde sicut potentiæ non possunt magis efficere in ordine supernaturali, nisi ut elevatæ, et juxta quantitatem elevationis; ita nec possunt magis conari. Maxime, quia habitus supernaturales constituunt potentias, in quibus sunt, in ratione potentiarum ad ordinem supernaturalem spectantium. Unde sicut potentia nequit conari in ordine naturali, nisi juxta quantitatem suæ perfectionis naturalis, ratione cujus habet esse potentiam in hoc ordine, ita nec in ordine supernaturali, nisi juxta quantitatem habituum, vel virtutis elevantis, et præstantis per modum transeuntis id, quod habitus per modum permanentis præstaret.

Ad probationem.

Ad probationem negandum est antecedens. Nam juxta modum, quo habitus constituunt in actu primo potentias, tribuunt illis, quod possint conari : ex eo quod, ut diximus, prædictus conatus, seu applicatio earum ab eisdem active proveniens non distinguitur ab illarum operatione. Unde, quia habitus naturales non dant posse simpliciter, sed posse facile, et cum delectatione operari, ideo non nisi eodem proportionali modo habent potentiæ ratione illorum conari ; quia vero habitus supernaturales tribuunt posse simpliciter, propterea tribuunt etiam posse simpliciter conari.

Nec obest id, quod ibidem adducitur, scilicet habitus subordinari potentiis, quoad *operari*, et quod potentiæ possint indifferenter uti, et non uti eisdem . Nam in primis licet habitus naturales subordinentur potentiis, quia supponunt illas constitutas in ratione potentiarum ; non tamen habitus supernaturales id habent, saltim in eo sensu, in quo argumentum intendit, sed habent elevare, et constituere illas in ratione potentiarum supernaturalium . Unde sicut potentia non subordinatur sibi ipsi proprie, et in rigore loquendo, ita neque habitus supernaturalis, v. g. potentiæ intellectivæ, subordinabitur ipsi secundum se sumptæ : quia nequit eo uti, nisi, ut elevata per prædictum habitum.

Ad id, quod in hac

47 Deinde hoc, quod est posse, et non posse potentiam uti prædictis habitibus, non convincit, quod ratione sui habeat aliquem conatum distinctum ab operatione supernaturali illorum, quo applicentur ad operandum, sicut ex eo quod eadem potentia possit pro sua nativa libertate in ordine naturali uti, et non uti se ipsa, non infertur habere aliquem conatum activum distinctum a sua operatione, quo se applicet ad agendum ; sed satis est, vel quod potentia sit libera, et ideo elevata juxta propriam naturam per habitum, non vero sine elevatione possit libere operari in ordine supernaturali ; vel quod si libera non fuerit, subordinetur una cum suis habitibus supernaturalibus (modo tamen alibi dicendo) potentiæ liberæ, et elevatæ in ordine ad usum illorum : quamvis hoc ultimum in via habeat locum ; ex eo quod potentiæ nostræ non determinantur, seu necessitantur, quoad exercitium per suos habitus ; non vero in patria, in qua oppositum contingit respectu actus saltim prioris habituum ad statum beatificum per se primo spectantium, ut in lumine gloriæ cernere licet.

probatione adducit

Animadversio.

48 Diximus, quod conatus, seu applicatio potentiarum ab eis active proveniens non distinguitur ab illarum operatione : nam utrum ultra hanc determinationem activam, alia determinatio, seu applicatio passiva, qua a Deo applicentur in ordine ad proprias operationes, tam naturales, quam supernaturales, desideretur, non est hujus loci.

Cæterum hæc applicatio Dei, si semel datur (de quo nihil modo, ut decreto sanctissimi D. N. Pauli V. magis pareamus) est in operationibus naturalibus, juxta quantitatem virtutis naturalis expeditæ, si loquamur de agentibus necessariis, et si de liberis juxta præscriptum divinæ voluntatis, sicut etiam in operationibus supernaturalibus non potest excedere quantitatem habitus, sive virtutis elevantis, estque ordinis supernaturalis, et divini, ut ex dictis satis constare poterit.

ARTICULUS VII.

Utrum videntes Deum per essentiam ipsum comprehendant ?

1 Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod videntes Deum per essentiam, ipsum comprehendant. Dicit enim Apost. Phil. 3. *Sequor autem, si quo modo comprehendam :* non autem frustra sequebatur : dicit enim ipse 1. Corinth. 9. *Sic curro, non quasi in incertum :* ergo ipse comprehendit, et eadem ratione alii, quos ad hoc invitat, dicens : *Sic currite, ut comprehendatis.*

2 Præterea. Ut dicit August. in lib. de videndo Deum ad

ad Paulinam, illud comprehenditur, quod ita totum videtur, ut nihil ejus lateat videntem : sed si Deus per essentiam videtur, totus videtur, et nihil ejus latet videntem; cum Deus sit simplex : ergo a quocumque videtur per essentiam, comprehenditur.

Si dicatur, quod videtur totus, sed non totaliter. Contra. Totaliter, vel dicit modum videntis, vel modum rei visæ : sed ille, qui videt Deum per essentiam, videt eum totaliter, si significetur modus rei visæ, quia videt eum sicuti est, ut dictum est : similiter videt eum totaliter, si significetur modus videntis : quia tota virtute sua intellectus, Dei essentiam videbit : quilibet ergo videns Deum per essentiam, totaliter eum videbit : ergo eum comprehendet.

Sed contra est, quod dicitur Jerem. 32. *Fortissime, magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi : magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu :* ergo comprehendi non potest.

Respondeo dicendum, quod comprehendere Deum impossibile est cuicumque intellectui creato : attingere vero mente Deum qualitercumque magna est beatitudo, ut dicit August.

Ad cujus evidentiam sciendum est, quod illud comprehenditur, quod perfecte cognoscitur; perfecte autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile. Unde si id, quod est cognoscibile per scientiam demonstrativam opinione teneatur, ex aliqua ratione probabili concepta, non comprehenditur, puta si hoc, quod est triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, aliquis sciat per demonstrationem, comprehendit illud. Si vero aliquis ejus opinionem accipiat probabiliter per hoc, quod a sapientibus, vel pluribus ita dicitur, non comprehendet ipsum : quia non pertingit ad illum perfectum modum cognitionis, quo cognoscibilis est. Nullus autem intellectus creatus pertingere potest ad illum perfectum modum cognitionis divinæ essentiæ, quo cognoscibilis est, quod sic patet. Unumquodque enim sic cognoscibile est, secundum quod est ens actu. Deus igitur, cujus esse est infinitum, ut supra ostensum est, infinite cognoscibils est. Nullus autem intellectus creatus potest Deum infinite cognoscere. In tantum enim intellectus creatus divinam essentiam perfectius, vel minus perfecte cognoscit, in quantum majori, vel minori lumine gloriæ perfunditur. Cum igitur lumen gloriæ creatum in quocumque intellectu creato receptum non possit esse infinitum, impossibile est, quod aliquis intellectus creatus Deum infinite cognoscat. Unde impossibile est, quod Deum comprehendat.

Ad primum ergo dicendum, quod comprehensio dicitur dupliciter. Uno modo stricte et proprie secundum quod aliquid includitur in comprehendente : et sic nullo modo Deus comprehenditur, nec intellectu, nec aliquo alio : quia, cum sit infinitus, nullo finito includi potest : ut aliquid finitum eum infinite capiat, sicut ipse infinitus est : et sic de comprehensione nunc quæritur. Alio modo comprehensio largius sumitur secundum quod comprehensio insecutioni opponitur. Qui enim attingit aliquem quando jam tenet ipsum, comprehendere eum dicitur : et sic Deus comprehenditur a beatis, secundum illud Cant. 3 : *Tenui eum, nec dimittam.* Et sic intelliguntur authoritates Apostoli de comprehensione : et hoc modo comprehensio est una de tribus dotibus animæ, quæ respondet spei, sicut visio fidei, et fruitio charitati. Non enim apud nos omne quod videtur, jam tenetur, vel habetur, quia videntur interdum distantia, vel quæ non sunt in potestate nostra. Neque iterum omnibus, quæ habemus, fruimur, vel quia non delectamur in eis, vel quia non sunt ultimus finis desiderii nostri, ut desiderium nostrum impleant, et quietent. Sed hæc tria habent beati in Deo : quia, et vident ipsum, et videndo tenent sibi præsentem in potestate habentes semper eum videre : et tenentes fruuntur sicut ultimo fine desiderium implente.

Ad secundum dicendum, quod non propter hoc Deus incomprehensibilis dicitur, quasi aliquid ejus sit, quod non videatur : sed quia non ita perfecte videtur sicut visibilis est : sicut cum aliqua demonstrabilis propositio per aliquam probabilem rationem cognoscitur, non est aliquid ejus, quod non cognoscatur, nec subjectum, nec prædicatum, nec compositio, sed tota non ita perfecte cognoscitur sicut cognoscibilis est. Unde August. diffiniendo comprehensionem dicit, quod totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem : aut cujus fines circunspici, vel circunscribi possunt : tunc enim fines alicujus circunspiciuntur quando ad finem in modo cognoscendi illam rem pervenitur.

Ad tertium dicendum, quod totaliter dicit modum objecti : non quidem ita, quod totus modus objecti non cadat sub cognitione, sed quia modus objecti non est modus cognoscentis. Qui igitur videt Deum per essentiam, videt hoc in eo, quod infinite existit, et infinite cognoscibilis est. Sed hic infinitus modus non competit ei, ut scilicet ipse infinite cognoscat. Sicut aliquis probabiliter scire potest aliquam propositionem esse demonstrabilem, licet ipse eam demonstrative non cognoscat.

Conclusio :

Impossibile est aliquem intellectum creatum comprehendere divinam essentiam.

DISPUTATIO VI.

De incomprehensibilitate Dei ab intellectu creato.

1 Ex incomprehensibilitate Dei ab intellectu creato infinitas ejus in ratione objecti cognoscibilis melius, quam ex aliis colligitur, ut dubio sequenti explicabimus; et ideo D. Thom. peculiariter hoc inquirit, ut inde melius infinitas divinæ essentiæ in ratione objecti cognoscibilis deprehendatur.

DUBIUM UNICUM.

Utrum per divinam potentiam possit intellectus creatus comprehendere Deum?

Ignorata significatione comprehensionis, de qua in præsenti fit sermo, non possunt recte, quæ in hoc dub. dicenda sunt, intelligi : et ideo oportet primo explicare quid nomine comprehensionis intelligamus.

§ I.

Explicatio tituli.

Pro cujus intelligentia notandum est, comprehensionem intellectualem nuncupari talem per ordinem et analogiam ad comprehensionem materialem. Comprehensio autem materialis, teste D. Thom. in præsenti in solut. ad 1. dupliciter sumi potest. Vel large, prout opponitur insecutioni, et hoc modo dicitur comprehendi, quod manu, v. g. jam tenetur : et huic acceptioni correspondet alia in rebus spiritualibus, scilicet assecutio ejus, quod desiderabatur, atque adeo etiam obtentio, et possessio ultimi finis dicitur hoc modo comprehensio. Secundo sumitur stricte pro inclusione et continentia, Animadversio.

qua unum corpus quantum continet intra se totum aliud corpus, ut cum manus ita continet totum aliquem globum, ut nihil ejus sit extra illam : et huic comprehensioni correspondet alia in rebus intellectualibus, et earum cognitionibus, secundum quam tunc res aliqua comprehendi dicitur per intellectionem, cum tam perfecte, ac tantum cognoscitur, quantum ipsa ex natura sua est cognoscibilis : quia cum res ita cognoscitur, quasi continetur, et clauditur tota, et totaliter intra cognitionem, eo proportionali modo, quo unum corpus quantum comprehensum ab alio, continetur secundum se totum, et totaliter clauditur ab illo.

Diffinitio comprehensionis.

Unde D. August. lib. 20. de Civitate Dei, cap. 8. loquens de hac comprehensione per cognitionem, inquit : *Quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur, quatenus nimirum nihil est in re sic cognita, quod sit extra cognitionem comprehendentem illam*, et tomo 2. epist. 112. cap. 9. circa principium diffiniens comprehensionem, inquit : quod *totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, quod nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circunspici, vel circunscribi possunt.* Nam, ut loco citato explicat D. Thom. tunc finis alicujus circunspicitur, quando ad finem in modo cognoscendi illum pervenitur, id est, quando talis res cognoscitur tantum, seu tam perfecte, quantum ipsa ex natura sua est cognoscibilis.

Explicatur præcedens diffinitio.

2 Nomine autem finitionis ad comprehensionem desideratæ, et in particula illa, *finitur*, explicatæ, non intelligitur finitio positiva, quasi necesse sit ad comprehensionem, quod res cognita finiatur positive per talem cognitionem, alioqui Deus non esset comprehensibilis etiam a se ipso ; quandoquidem ad hanc finitionem positivam requiritur, ut objectum in ratione objecti cognoscibilis sit in se finitum ; sed intelligitur finitio negativa, per quam tantum significatur, quod licet objectum sit infinitum in ratione cognoscibilis, nihilominus ita perfecte videatur, ut nihil sit in eo, quod totum et totaliter per cognitionem illam non attingatur : atque adeo nullus sit excessus inter cognitionem in ratione cognitionis consideratam, et inter objectum cognoscibile in ratione cognoscibilis sumptum. Et similiter cum idem August. inquit, tunc aliquid comprehendi, cum fines ejus circunspiciuntur, aut circunscribi possunt, non intelligitur de circunscriptione positiva, sed negativa ; ac proinde, nec de finibus objecti positivis, sed negativis in collatione ad comprehensionem ; quatenus, ut modo dicebamus, nihil est in objecto cognito, quod totum et totaliter non attingatur per illam cognitionem, ita ut nullus sit excessus inter eam, et objectum, si illa in ratione cognitionis et attingentiæ prædictæ, et objectum in ratione objecti cognoscibilis consideretur.

Titulus ergo dubii non intelligitur de comprehensione primo modo sumpta ; quia sicut certum est omnes beatos tenere et consequi per visionem beatificam suum ultimum finem, scilicet Deum clare visum, ita certum esse debet omnes illos comprehendere Deum, sumpta comprehensione pro hac (ut sic dicamus) tentione intellectuali ultimi finis. Unde D. Thom. in hoc sensu explicat illud Canticorum : *Tenui eum, nec dimittam :* et similiter illud Pauli : *Sic currite, ut comprehendatis :* quia comprehensio hoc modo sumpta, est una de tribus dotibus animæ, quæ correspondet spei, sicut visio fidei, et fruitio charitati.

Sensus tituli.

Quare titulus solum intelligendus est de comprehensione posteriori modo accepta, quatenus dicit cognitionem ita perfectam in ratione cognitionis, ut cognoscat objectum tantum, quantum ex natura sua cognoscibile est, ac proinde attingat illud totum et totaliter. Diximus, *ex natura sua*, quia ad comprehensionem stricte sumptam non desideratur, ut cognitio attingens objectum comprehendendum, sit omnium perfectissima ; alioqui solus Deus posset comprehendere aliquod objectum : sed sufficit, ut sit tanta in ratione cognitionis, quanta ab objecto ex meritis propriæ cognoscibilitatis exigitur.

§ II.

Rationes dubitandi pro parte affirmativa.

Primum argum.

3 Partem affirmantem suadere videntur hæc argumenta. Primum quidem. Nam intellectus creatus potest comprehendere scientiam visionis Dei : ergo etiam divinam essentiam. Consequentia patet. Nam, sicut essentia divina est infinita, ita etiam ejus attributa : ergo si hæc, non obstante

infinitate,

infinitate, possunt comprehendi ab intellectu creato, etiam essentia divina erit comprehensibilis ab illo : quandoquidem sola infinitas potest hanc comprehensionem impedire. Antecedens autem probatur. Nam, ut docet D. Thom. 3. part. quæst. 10. art. 4. anima Christi Domini videt omnia, quæ Deus scit scientia visionis. Unde sicut comprehenderet attributum scientiæ simplicis intelligentiæ, si attingeret omnia possibilia, ad quæ talis scientia extenditur, ita comprehendet scientiam visionis hoc ipso quod videat omnia et singula, ad quæ talis scientia extenditur : siquidem ad comprehendendam aliquam scientiam sufficit attingere illam, et omnia objecta, ad quæ se extendit.

Secundum. 4 Secundo. Quilibet beatus potest, imo debet videre divinam essentiam, tam secundum totam suam entitatem, quam secundum omnes modos, qui in ipsa reperiuntur : ergo potest, et debet comprehendere Deum. Consequentia videtur legitima. Nam hoc ipso quod res videatur secundum totam suam entitatem, et secundum omnes modos ejus, videtur tota et totaliter ; quia nihil est in ea, præter totam suam entitatem, et omnes modos illius, et per consequens, nec ulterior cognoscibilitas in eadem restat : et ad comprehensionem nihil aliud desideratur, nisi quod res cognita tota et totaliter, ac proinde secundum omnem cognoscibilitatem, quam habet, attingatur : ergo, etc. Antecedens autem probatur. Nam tota entitas divinæ essentiæ, et omnes ejus modi sunt una et eadem simplicissima realitas : ergo non potest videri secundum aliquid ipsius, et secundum aliquid non videri : quandoquidem id, quod simplicissimum est, vel non attingitur secundum aliquid ipsius, vel attingitur secundum se totum.

Solutio. 5 Nec refert, si dixeris, hinc ad summum colligi beatos intueri Deum secundum ea, quæ sunt formaliter in ipso, non vero secundum ea, quæ eminenter continet ; at cognitio horum, etiam desideratur ad comprehensionem.

Impugnatur. Nam contra hoc est, quod ea, quæ continentur eminenter in Deo, non sunt ipse Deus, sed creaturæ : ergo ex eo quod ipsæ non videantur, non sequitur essentiam divinam visam secundum totam suam entitatem et omnes modos ejus, non videri totam et totaliter.

Alia solutio. Nec refert, si ulterius dicas, quod licet res eminenter in Deo contentæ, non sint ipsæ Deus, bene tamen eminentia illa, in qua continentur ; hanc autem, quippe objectum eminentissimum, et æquivalens infinitis objectis, non posse ab intellectu creato et finito videri.

Impugnatio. Nam contra hoc etiam est, quod hæc eminentia divinæ omnipotentiæ, quatenus continet prædictas creaturas, est etiam formaliter in Deo, quandoquidem divina omnipotentia est formaliter virtus agendi eminentissima, et ratione hujus formalis, et infinitæ eminentiæ continet virtualiter omnes creaturas : ergo prædicta eminentia non poterit non ab omnibus beatis videri, et consequenter omnes creaturæ eminenter et virtualiter ibidem contentæ. Prima consequentia patet ex dictis, secunda autem ex prima. Quia sicut repugnat cognosci divinam potentiam, ut est virtus formaliter eminens, continens virtualiter, verbi gratia, equum, et non cognosci eundem equum, ita repugnabit cognoscere eam, ut est virtus formaliter eminens, continens virtualiter omnes creaturas, quin omnes illæ cognoscantur.

Confirmatur. 6 Et confirmari potest totum hoc argumentum. Nam, cum dicitur, Deum videri a beatis totum et quoad omnes perfectiones et formalitates in eo repertas, non vero totaliter ; vel ly, *totaliter*, dicit modum tenentem se ex parte rei visæ ? et hoc non ; quandoquidem quidquid est in Deo, est una et eadem simplicissima formalitas, et ideo nequit secundum aliquid sui videri, et secundum aliquid non videri ; vel dicit modum se tenentem ex parte videntis ? et hoc non ; tum quia potentia tota virtute sua videt Deum ; tum etiam, quia ad comprehensionem non desideratur, ut objectum omni modo tenente se ex parte videntis videatur ; alioqui una creatura non comprehenderetur ab alia, sed a solo Deo ; quia a solo ipso videtur omni modo, et omni perfectione possibili, quæ ex parte videntis se tenere potest.

Tertium. 7 Tertio. Intellectus creatus potest, saltim per divinam potentiam, elevari ad videndum omnia, quæ sunt in Deo formaliter et eminenter : ergo etiam ad comprehendendum illum. Consequentia patet. Tum quia D. Thom. art. sequenti illi soli intellectui tribuit virtutem ad comprehendendum Deum, qui habet virtutem ad cognoscendum omnia, quæ in eo formaliter et eminenter continentur. Tum etiam ex iis, quæ in hoc eodem dubio dicemus. Antecedens autem quoad primam partem,

scilicet quoad ea, quæ in Deo sunt formaliter, communiter admittitur a Theologis, et ex dictis, et dicendis constabit. Quoad 2. vero part. nimirum, quoad ea, quæ in illo eminenter continentur, probatur sic. Nam Deus, et simul reliqua omnia, quæ in ipso eminenter continentur, non sunt objectum aliquod absolute, et intensive perfectius, quam sit solus ipse Deus secundum ea, quæ ipse est formaliter, et quidditative; ergo cum possit intellectus elevari ad videndum illud objectum, quod est Deus formaliter, et quidditative, etiam poterit elevari, saltim per divinam potentiam, ad videndum alterum objectum, quod simul est Deus, et omnia, quæ in ipso eminenter continentur.

Confirm. Confirmatur. Quoniam omnipotentia non est factiva rei factibilis, ut sic, sed hujus, et istius, et illius factibilis in particulari; ergo repugnabit eam quidditative cognosci, quin cognoscantur prædictæ creaturæ in particulari; ergo cum quivis beatus videat quidditative omnipotentiam, et cuncta, quæ in Deo sunt formaliter (ut ex iis, quæ disp. sequenti dub. 1. dicemus, constabit) consequens erit, ut quivis ex illis videat in omnipotentia omnes creaturas possibiles, comprehendatque Deum. Hæc ultima consequentia ex nuper dictis constat. Prima vero ex antecedenti. Quia repugnat cognosci omnipotentiam, ut factivam harum, et illarum creaturarum in particulari, quin tales creaturæ cognoscantur. Antecedens autem probatur. Quoniam omnipotentia est potentia factiva (ut sic dicamus) practica : potentia autem practica, sicut non potest producere factibile, ut sic, sed hoc, et illud factibile, ita nec est virtus factiva rei factibilis, ut sic, sed hujus, et illius factibilis in particulari.

Quartum. 8 Quarto. Quoniam Deus totus, et totaliter, ac proinde secundum omnem rationem intelligibilitatis passivæ, quam habet, continetur intra objectum adæquatum intellectus creati : ergo poterit elevari ad illum sic videndum, et consequenter ad comprehensionem ipsius. Hæc ult. conseq. patet ex dictis. Prima vero ex antecedenti. Nam quævis potentia potest elevari ad cognoscendam quamvis rem contentam sub objecto adæquato ipsius, et eo modo, quo sub illo continetur : ergo si Deus, ut cognoscibilis, totus, et totaliter continetur sub objecto adæquato intellectus creati, poterit elevari ad illum sic videndum. Antecedens autem probatur. Nam objectum adæquatum intellectus est ens in tota sua latitudine : at sub ente in hac amplitudine, certum est contineri quodvis ens, ac proinde quodvis intelligibile secundum quamvis rationem intelligibilitatis consideratum : ergo etc.

Ultimum. 9 Quinto. Deus potest communicare intellectui creato lumen gloriæ infinite intensum : ergo intellectus elevatus per hoc lumen, poterit comprehendere Deum. Consequentia videtur certa. Tum ex D. Thom. in hoc art. ubi inde colligit, non posse intellectum creatum cognoscere Deum infinite, sicut requiritur ad comprehensionem, quia nequit recipere lumen gloriæ infinitum : ergo si hoc potest illi a Deo communicari, valebit illum comprehendere. Tum etiam ratione ejusdem S. Doct. Quia, sicut Deus est infinite cognoscibilis, ita intellectus elevatus per lumen infinitum esset infinite cognoscitivus Dei, atque adeo virtus cognoscitiva intellectus, et cognoscibilitas objecti se adæquarent. Antecedens autem probatur. Quia lumen gloriæ non petit limitationem quoad intensionem, et efficacitatem ex propria ratione formali, quandoquidem secundum istam est formalis participatio divini luminis, quod est infinitum per essentiam : nec ex parte causæ efficientis, scilicet divinæ virtutis; cum hæc etiam sit infinita : nec tandem ratione subjecti, scilicet intellectus; nam hic non est capax luminis secundum potentiam naturalem, sed secundum obedientialem, quæ non est determinata ad aliquem certum gradum luminis, ut ex se constat.

Solutio. 10 Nec refert, si dixeris, non quamvis infinitatem ex parte luminis sufficere ad cognoscendum Deum infinite, sicut requiritur ad comprehensionem; sed insuper desiderari infinitatem per essentiam : quandoquidem Deus in ratione objecti cognoscibilis non qualemcunque infinitatem, sed infinitatem per essentiam habet.

Refutatur. Nam contra hoc est, quod lumen creatum, et infinitum, esset sufficiens ad cognoscendum Deum secundum omnia, quæ sunt in ipso etiam eminenter : ergo ad cognoscendum illum infinite ea infinitate, quæ requiritur ad comprehensionem. Conseq. constat ex iis, quæ modo dicebamus. Antecedens vero suadetur. Nam per lumen intensum, ut duo, cognoscuntur ex vi visionis divinæ essentiæ tot, vel tot creaturæ possibiles in Dei omnipotentia contentæ : ergo si lumen hoc sit duplo intensius, videbuntur per illud

illud ex vi visionis divinæ essentiæ creaturæ possibiles duplo plures : ergo si infinite crescat in intensione, ac proinde tantum, quantum crescere queit, non poterunt non videri per ipsum infinitæ creaturæ possibiles, quæ in divina omnipotentia continentur.

§ III.

Veritas Catholica testimoniis Scripturæ et Patrum stabilitur.

Conclus. 11 Dicendum tamen est intellectum creatum etiam perfusum lumine gloriæ, non posse per ullam potentiam comprehendere Deum. Ita communiter omnes Theologi unico excepto Valentia, qui tomo 1. disp. 1. quæst. 12. punct. 5. asserit assertionem hanc esse veram secundum potentiam Dei ordinariam : et licet de ea in ordine ad divinam potentiam nihil diffiniat, nihilominus magis inclinat in oppositum nostræ assertionis. Unde non erit necesse cæteros alios Theologos sigillatim adducere. Assertio hæc quoad incomprehensibilitatem Dei ab intellectu creato de potentia Dei ordinaria, probatur ex Basiliensi Concilio sess. 22. ubi diffinitur, propositionem Augustini Romani, scilicet animam Christi videre Deum, tam perfecte, et clare sicut Deus videt se ipsum, et alias propositiones ex hac procedentes esse erroneas. Quare cum ex illa priori propositione apèrte sequatur, animam Christi comprehendere Deum, ut ex dictis constat, fit inde, ut ex vi prædictæ diffinitionis maneat etiam damnata, ut erronea hæc propositio, nimirum eandem animam Christi comprehendere Deum. Cui diffinitioni maxima fides adhibenda est : quia, ut bene notavit Gonzalez in præsenti disp. 30. sect. 1. damnatio illa facta fuit anno 1435. antequam anno 1437. dissolveretur Concilium a Pontifice, et fuit approbata per Bullam Nicolai V. qui successit Eugenio IV. ut habetur in summa Concil. in fine Concil. Basiliensis.

Quoad incomprehensibilitatem vero ipsius Dei ab intellectu creato, etiam de potentia absoluta, probatur testimoniis Scripturæ Ieremiæ 32. *Fortissime, magne, et potens, Dominus exercituum nomen tibi : magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu :* ad Rom. 11. *incomprehensibilia* dicuntur *judicia ejus.* Quod si operationes dicuntur incomprehensibiles, multo magis erit incomprehensibilis essentia. Et in cap. *firmiter,* de summa Trinitate, et fide Catholica dicitur de Deo, quod sit immensus, incommutabilis, et incomprehensibilis : et in cap. 2. quod incipit, *damnamus,* asseritur : *Nos autem, sacro approbante Concilio, credimus, et confitemur cum Petro, quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem, et ineffabilis.* Quæ testimonia intelliguntur a Patribus et Theologis etiam per ordinem ad divinam potentiam.

12 Nec refert, si cum Gabr. Vazq. in præsenti dicas, testimonia hæc non esse intelligenda de intellectu beati, sed viatoris. Nam contra hoc est, quod prædicta testimonia communiter intelliguntur a Theologis et a Sanctis Patribus de incomprehensibilitate a quocumque intellectu etiam beato, ut optime probat Gonzalez in hoc art. disp. 30. jam citata referens Dionys. Cyprianum, Nazianzenum, Basil. Ambros. August. Chysost. Greg. Magnum, Epiphan. Hilar. Cyrill. Ierosolimitan. Damascen. Theodor. Bedam, et alios : et ita non licet illa aliter interpretari : quandoquidem nemini fas est testimonia Scripturæ contra unanimem Theologorum et SS. Patrum consensum explicare.

Alia evasio. Nec obstant duo illa, quæ idem Vazquez tanta multitudine testium contra ipsum deponentium oppressus addit. Primum est, non esse in hac re audiendos Chrysost. Cyrill. Ierosolimitanum, Basil. Theod. Epiphan. Bedam, et alios ex Patribus Græcis, quia sentit, omnes illos circa ultimum finem nostræ beatitudinis errasse, negantes, Deum posse a beatis, prout est in se, videri. Secundum est, reliquos Patres intelligendos esse de intellectu viatoris, non vero beati.

Refellitur. Non itaque hæc obstant. Non quidem primum. Tum quia supra disputat. 1. dub. 2. satis ostendimus, prædictos Patres vere cognovisse, et affirmasse Deum videri ab intellectu beato. Tum etiam : quia non ita modeste videtur dictum, Sanctos Patres circa veram beatitudinem nostram errasse ; maxime cum error circa ultimum finem, qui in moralibus primi principii rationem habet, totum ordinem moralem penitus destruat. Tum denique : quia si prædicti Patres beatitudinem in assecutione alicujus boni creati scilicet in visione cujusdam luminis finiti, (ut vult Vazq. disp. 37. c. 2. num. 7. et 8.) collocassent, fieret inde, eos nec

habuisse fidem, ut oportet ad salutem, nec etiam spem, quæ sit virtus Theologica : hoc autem satis absurdum est, ut ex se constat : ergo, etc. Sequela, quoad priorem part. constat. Nam, teste Apostolo ad Hebræos 11. *Accedentes ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit.* Quod testimonium de remuneratione, quæ sit ipse Deus, intelligit D. Thom. ibidem lectione 2. Quoad secundam vero part. etiam constat. Nam objectum spei est Deus in beatitudine obtinendus, ut docet Angel. Doct. 2. 2. quæst. 17. art. 2. dicens : *Non minus atiquid ab eo sperandum, quam sit ipse, cum non sit minor ejus bonitas, per quam bona creaturæ communicat, quam ejus essentia?* Unde, hoc ipso, quod prædicti Patres erravissent circa hoc objectum, sentientes non posse Deum ab intellectu creato videri, nullum actum spei virtutis Theologicæ habuissent.

Ex quo etiam satis constat interpretationem, quam aliis Patribus Latinis adhibet, non esse legitimam : quandoquidem sicut testimonia Scripturæ contra explicationem Patrum non sunt explicanda, ita nec testimonia Patrum contra communem Scholasticorum consensum et intelligentiam. Quare cum omnes Scholastici communiter intelligant dicta Patrum in sensu in assertione a nobis explicato, inde est, ut Gabriel Vazquez, non recte ea in alio sensu intellexerit, et ideo ejus interpretatio admittenda non est.

§ IV.

Eadem veritas Catholica rationibus probatur.

Prima ratio assertionis.

13 Deinde probatur assertio ratione ex D. Thom. in hoc articulo desumpta, quæ potest sub hac forma proponi. Ad hoc, ut intellectus comprehendat aliquod objectum, requiritur, ut cognoscat illud ita perfecte, sicut prædictum objectum ex natura sua petit cognosci : sed nullus intellectus creatus potest hoc modo cognoscere Deum : ergo nec comprehendere. Conseq. non indiget probatione.

Probatio minoris.

Minor autem etiam constat. Quia nullus intellectus creatus potest cognoscere Deum cognitione infinita per essentiam, ut de se constat : Deus autem per se petit cognosci per prædictam cognitionem. Tum, quia exigit cognitionem convenientem cum Deo in gradu immaterialitatis, ad hoc, ut omnino connaturaliter cognoscatur, atque adeo cognitione, quæ sit immaterialis per modum actus purissimi, ac proinde infinita per essentiam. Tum etiam : quia Deus non habet minus de intelligibilitate, quam de intellectualitate, cum utraque ratio in eo oriatur, nostro modo intelligendi, ex eodem gradu immaterialitatis : at Deus in ratione intellectivi ex natura sua petit intelligere intellectione infinita per essentiam : ergo etiam in ratione intelligibilis ex natura sua exiget intelligi per intellectionem infinitam per essentiam.

Tum denique : quia Deus in ratione cognoscibilis, infinite magis excedit virtutem intellectivam creatam, et quamcunque intellectionem ejus, quam cognoscibilitas Angelica vim et facultatem intellectus humani pro hoc statu, et quamlibet cognitionem ejus, cum excessus in gradu immaterialitatis, quo Deus excedit omnem intellectum creatum, sit infinite major, quam ille, quo essentia Angelica, et cognoscibilitas ejus superat in suo immaterialitatis gradu intellectum humanum : sed Angelus ratione hujus excessus ex natura sua exigit cognosci cognitione perfectiori, quam sit ea, quæ potest ab intellectu humano pro hoc statu elici : ergo multo melius essentia divina ratione infiniti excessus, quo superat omnem intellectum creatum, postulabit ex sua natura intelligi per cognitionem perfectiorem, quam sit illa, quæ a quocumque intellectu creato elici potest, et consequenter per intellectionem infinitam per essentiam.

Multiplex probatio majoris.

Major autem constat ; tum ex dictis num. 1. et 2. hujus dubii : tum etiam exemplo, et ratione ab eodem S. Doctore adductis : exemplo quidem. Nam ille, qui hanc propositionem demonstrabilem, *Triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis,* cognoscit solum per medium probabile, non attingit comprehensive illam : quia non cognoscit illam per cognitionem ita perfectam, sicut ipsa ex natura sua petit cognosci, scilicet per cognitionem demonstrativam.

14 Ratione vero. Tum quia ad hoc, ut aliqua cognitio sit comprehensiva, requiritur, ut sit æqualitas jam dicta inter cognitionem in ratione cognitionis, et objectum cognoscibile in ratione cognoscibilis, ut ex se constat, quamvis in *esse* entitativo possint habere inæqualitatem : at si cognitio non attingit objectum cognoscibile ita perfecte sicut ex natura sua petit cognosci,

nosci, non erit prædicta æqualitas inter tale objectum in ratione cognoscibilis et cognitione illam in ratione cognitionis, ut de se patet : ergo etc.

Tum etiam : quia sicut cognitio attingens objectum ita perfecte sicut attingi petit, cognoscit illud, tam quoad ea, quæ in ipso formaliter, quam quoad ea, quæ eminenter continentur, ex eo quod objectum non petit aliam perfectiorem cognitionem, quam eam, per quam, quoad omnia hæc ipsum exhaurientia cognoscitur; ita si cognitio non attingit objectum ita perfecte sicut ex natura sua petit attingi, tunc per illam non cognoscentur omnia, quæ in illo objecto in *esse* rei tam formaliter, quam eminenter continentur : atque adeo tale objectum non continebitur, nec claudetur totum, et totaliter in prædicta cognitione, cujus oppositum ad comprehensionem desideratur. Unde, ut optime notavit idem S. Doctor, si aliquis per medium probabile cognoscat propositionem quandam demonstrabilem, et eam posse demonstrari, tunc licet attingat extrema, et eorum compositionem, necnon et compositionis modum esse necessarium, nihilominus non penetrabit perfecte hunc modum compositionis, adhuc in *esse* rei consideratum : quia ex vi suæ cognitionis cognoscit imperfecte talem compositionem esse necessariam, aut in quo consistat ejus necessitas : nam si hanc necessitatem penetraret, non posset non prædictam propositionem demonstrative cognoscere.

ecunda et rincipalis ratio pro assertione.

15 Secundo probatur ratione desumpta ex eodem S. Doctore. Nam quotiescumque aliqua operatio convenit alicui per naturam, et ex vi propriæ formæ, convenit illi perfecte, et in summo; at vero aliis, quibus convenit per participationem, et per formam aliquo modo extraneam, convenit imperfecte, et deficienter : sed cognitio Dei, prout est in se, convenit ipsi per naturam, et ex vi propriæ formæ : aliis autem per participationem a Deo, et per formam aliquo modo extraneam; ergo Deo conveniet perfecte, et in summo; cæteris vero aliis imperfecte, et deficienter, ac proinde in istis non erit comprehensiva cognitio, secus vero in ipso Deo.

Hæc ultima consequentia ex priori satis liquet. Prior vero ex utraque præmissa Minor autem ex se, et ex dictis art. 4. et 5. constat; sicut etiam major ex ibidem dictis satis colligitur. Nam, ut ibidem notavimus, ideo ignis est summe calidus, et alia, quæ per participationem ab illo, et per formam aliquo modo extraneam sunt calida, non habent prædictum calorem in summo, sed imperfecte, et deficienter, quia ignis est per naturam calidus, cætera vero per participationem ab igne, et per formam aliquo modo extraneam.

Additamentum.

16. Accedit, quod quoties operatio convenit alicui per naturam, est in illo, ut in subjecto omnino connaturali, atque adeo secundum omnem perfectionem, quam ex sua natura petit, tam ipsa, quam objectum, circa quod versatur : at quando convenit alicui per participationem, et per formam aliquo modo extraneam, est ibidem, ut in subjecto aliquo modo extraneo, atque adeo non secundum omnem perfectionem, quam ipsa, et ejus objectum ex natura sua postulant : ergo, etc.

Quæ duæ probationes majoris propositionis, quæ in hac secunda ratione D. Thom. adductæ sunt, habent quoad præsens majorem efficaciam, nempe, etiam in ordine ad divinam potentiam. Nam, ut ex dictis disp. 2. hujus tractatus num. 154. et deinceps constat, ad hoc, ut aliqua cognitio sit comprehensiva, requiritur, tum quod cognitum sit in cognoscente omnino connaturaliter; et per consequens, quod forma, seu species intelligibilis, per quam cognoscit, sit omnino connaturalis eidem cognoscenti : tum etiam, quod ipsa cognitio omnino connaturaliter recipiatur in cognoscente. Quare cum essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, per quam intellectus beatus debet videre Deum, non possit esse omnino connaturalis intellectui creato, quantumvis perfuso lumine gloriæ, sed sit ei aliquo modo extranea, ut ex ibidem dictis, et ex iis, quæ disp. 4. num. 25. et deinceps diximus, constat : et similiter visio intuitiva Dei non fit omnino connaturaliter in intellectu creato, ut ex dictis disp. 2. num. 170. patet, consequens est, ut prædictus intellectus participans visionem Dei per prædictam formam aliquo modo extraneam, et non recipiens eandem visionem omnino connaturaliter, non possit habere prædictam visionem in summo, id est, ita ut sit comprehensiva, sed deficienter, et diminute, et non pertingendo usque ad comprehensionem.

§ V.

Fit obviam argumentis initio adductis.

Ad primum. 17 Ad primum negandum est antecedens. Et ad probationem respondetur, esse disparem rationem. Quia scientia simplicis intelligentiæ, ut est attributum terminatum ad creaturas, habet pro objecto adæquato, et necessario sibi correspondenti, ultra quod non potest se extendere, omnes effectus possibiles : unde qui omnes illos ex vi visionis attingeret, non posset non attingere ejus objectum adæquatum, et necessarium, ultra quod progredi nequit, ac proinde non posset non comprehensive cognoscere illam. At scientia visionis, ut respicit creaturas, libere terminatur ad illas ; et ita posset ipsa, secundum suam entitatem invariata permanente, ad plures alias ex libera Dei voluntate terminari, si Deus illas producere decrevisset. Unde ex eo, quod cognoscantur omnia, ad quæ de facto se extendit, non bene colligitur prædictam scientiam comprehendi ; siquidem eademmet posset ad plura alia objecta se extendere. Quare scientia visionis creaturarum sub hoc formalissimo conceptu non est attributum Dei ; quia secundum hanc rationem dicit aliquid liberum ; attributa autem ut talia dicunt aliquid necessarium. Diximus, *secundum hanc rationem*, quia eademmet, ut est scientia divina, est attributum, ut ex se, et ex infra dicendis patebit.

Ad secundum. 18 Ad secundum distinguendum est antecedens intellectum de modis, et formalitatibus essentiæ divinæ, dicentibus, seu fundantibus relationem ad creaturas, et concedendum de prædictis modis, et formalitatibus secundum realitatem, quam dicunt : negandum vero de eisdem secundum terminationes, quas important ad creaturas in particulari sumptas. Et deinde neganda est consequentia, quia, ad hoc, ut divina essentia secundum omnem suam entitatem, et quamvis rationem formalem tota, et totaliter attingeretur, oportebat, ut secundum omnes suas formalitates, et modos, cum quibus habet nexum indispensabilem, videretur ; non utcumque, sed quatenus dicunt prædictas terminationes : quandoquidem eis cognitis secundum suam realitatem, restat in illis ulterior cognoscibilitas ; nimirum quoad terminationes jam explicatas.

Ad probationem antecedentis. Ad probationem autem antecedentis quatenus contra solutionem hanc pugnare videtur, dicendum est, non recte colligi ex eo quod tota entitas, et omnes modi, aut formalitates divinæ essentiæ sint una et eadem simplicissima entitas et formalitas, quod debeant videri quoad omnes terminationes, quas dicunt ad creaturas in particulari acceptas, bene tamen, quoad suam realitatem. Tum, quia terminationes illæ, saltim ex parte diversorum connotatorum, quæ involvunt, sunt plures, et diversæ, et ad hoc, ut in particulari videantur, debent ut sic diversæ videri. Tum etiam ; quia modi, aut formalitates istæ nec fundant habitudinem ad creaturas in particulari per se primo (ut sic dicamus) terminatam, sed solum ad easdem in communi sumptas : nec fundant prædictam habitudinem tendentem expresse, sed solum implicite ad easdem creaturas in particulari acceptas : nec habent connexionem (ut sic loquamur) per se primo, et expresse cum eisdem sic acceptis, sed ad summum cum illis in communi : et ideo prædictæ formalitates ad summum debent videri, quoad terminationem ad creaturas in communi, sicut vero in particulari.

Approbatur duplex solutio num. 5. tradita. 19 Unde utraque solutio ibidem data, et intellecta juxta ea, quæ modo diximus, est legitima. Et ad probationem contra priorem optima etiam est prima solutio ibidem adducta ; si juxta ea, quæ modo diximus, intelligatur. Et ad probationem dicendum est, quod licet creaturæ secundum *esse*, quod asserunt in proprio genere, ac proinde involutum imperfectionibus, non sint formaliter ipse Deus ; nihilominus ex eo quod non videantur omnes in particulari secundum prædictum *esse*, optime colligitur non videri divinam essentiam totam et totaliter, quoad omnes formalitates et modos, et e contra, ut explicatum est.

Ad probationem contra primam.

Ad probationem contra secundam. Ad probationem vero contra posteriorem patet ex dictis, concedendum esse antecedens, et primam consequentiam, si intelligatur de eminentia illa secundum suam realitatem, et terminationem ad creaturas in communi sumptas : non vero si intelligatur de terminationibus ad creaturas in particulari : et ita neganda est ultima conseq. Nam licet ad cognoscendam eminentiam divinæ potentiæ, ut continet peculiariter equum, oporteat cognosci eundem equum : et similiter ad cognoscendam

cognoscendam eandem eminentiam, ut continet creaturas in particulari consideratas, debeat cognosci secundum terminationes ad illas, ut ex se constat; nihilominus ad cognoscendam eandem eminentiam, ut continentem virtualiter omnes creaturas in communi, id est, prout est factiva cujuscumque creaturæ non implicantis, secundum quam solam rationem debet indispensabiliter videri a beatis, satis est cognoscere prædictam eminentiam secundum terminationem, quam ad factibile, ut sic importat.

eclaratio ræcentium.

20 Explicantur hæc omnia. Etenim si divina omnipotentia, v. g. secundum unam formalitatem esset factiva equi, et secundum aliam virtualiter diversam leonis, et similiter secundum unam terminationem terminaretur ad equum, et secundum aliam, virtualiter etiam ex parte eorum, quæ in Deo reperiuntur distinctam, terminaretur ad leonem, et sic de aliis, non posset non videri : ut terminatur ad has, et ad omnes creaturas in particulari ; atque adeo non possent non prædictæ creaturæ eodem modo videri : quia quælibet ex his formalitatibus, et terminationibus in Deo repertis fundaret ex parte sua peculiarem habitudinem ad suam creaturam, et cum illa in particulari sumpta haberet connexionem. Nam ejus essentia sita esset in hoc, quod esset factiva hujus creaturæ, et non alterius : et ita non posset quidditative cognosci non cognita secundum esse formale virtualiter distinctum ab aliis *esse* formalitatibus, atque adeo nec posset quidditative attingi, nisi prædicta creatura videretur.

Cæterum non sic res se habet, sed per eandem simplicissimam formalitatem absque distinctione virtuali, per quam est factiva equi, est etiam factiva leonis ; et per eandem terminationem in ea formaliter repertam, per quam terminatur ad equum, terminatur ad leonem ; ita ut terminatio illa ex parte eorum, quæ in Deo reperiuntur, non sit multiplex virtualiter : quia terminus (ut sic dicamus) per se primo inspectus ab omnipotentia, et ad quem per se primo extenditur illa terminatio, tantum est factibile, ut sic, non vero hoc, vel illud factibile in particulari. Nam hæc solum secundario, indispensabiliter tamen, inspiciuntur : et ideo non est necesse, ut per distinctam formalitatem, aut termina tionem inspiciantur.

21 Quare, quia ad cognoscendum quidditative aliquam rem secundum omnem formalitatem ex parte ejus in *esse* entis se tenentem, et similiter secundum omnem terminationem in eadem repertam, secundum id reale, et formale, quod formaliter ponit in ea, satis est cognoscere objectum (ut sic dicamus) per se primo, et explicite inspectum ab illa re ; non vero objecta (ut sic loquamur) secundaria, licet indispensabilia, et implicite tantum inspecta : ideo ad hoc, ut quilibet beatus videat Deum secundum omnem formalitatem ex parte ejus in *esse* entis se tenentem, et secundum omnem terminationem in eo repertam, secundum id reale, quod formaliter ponit in illo, non est indispensabiliter necessarium attingere creaturas in particulari, sed solum in communi, secundum rationem generalem factibilium : quia divina omnipotentia solum respicit (ut sic dicamus) per se primo factibile, ut sic.

Et similiter quia ad cognoscendam aliquam potentiam, et terminationem ejus, quatenus eademmet absque distinctione ex parte sui extenditur ad objecta secundaria, et indispensabilia in particulari, necesse est attingere illam, quatenus eodem modo connotat prædicta objecta, ac proinde necesse est attingere eandem terminationem, quatenus, ut est conjuncta cum hoc connotato in particulari distinguitur ratione illius a se ipsa, ut conjuncta cum alio, et sic de aliis ; et ad hunc modum cognoscendi requiritur tanta virtus cognoscitiva in potentia, quanta est cognoscibilitas in objecto ; et consequenter ad sic cognoscendam omnipotentiam, et terminationes ejus desideratur virtus infinita per essentiam : ideo solus divinus intellectus potest sic cognoscere, ac proinde comprehendere eandem potentiam, quia solus ipse potest eam sic cognoscere.

Animadversio notatu digna.

22 Diximus, divinam omnipotentiam solum respicere (ut sic dicamus) per se primo factibile, ut sic, quia ut in tract. de voluntate Dei notabimus, nulla formalitas divina per se primo respicit aliquid extra Deum : quia ad intra habet omne suum, quasi specificativum. Cæterum cum hoc stat, ut facta collatione inter ea, quæ secundario respicit, tunc ratio aliqua communis ambiens sub se plura objecta inadæquata, debeat per prius inspici, tanquam ratio adæquate inspecta, ita ut ex multiplicatione diversarum ra-

tionum adæquatarum, et modo dicto inspectarum, colligatur a posteriori esse in Deo multiplicem formalitatem, et terminationem, ex parte sui virtualiter distinctam : secus vero ex multiplicatione objectorum inadæquatorum, et respectu quorum prædicta ratio communis, quasi per se primo inspicitur.

Major explicatio præcedentium.

23 Ex quo etiam magis intelligitur, quare ad cognoscendam quidditative omnipotentiam sit necessarium cognoscere factibile, ut sic, non vero hæc, et illa factibilia in particulari. Tum quia divina essentia, ut est ratio faciendi omne factibile, ut sic, quasi specificat omnipotentiam, non vero, ut est ratio faciendi hæc, vel illa factibilia in particulari, licet indispensabiliter habeat esse rationem faciendi ista, sigillatim, et determinate sumpta. Et ita si divina essentia, ut specificat omnipotentiam, quasi diffiniretur, tunc sufficienter explicaretur ejus natura per hoc, quod esset quid inspectum ab omnipotentia, tanquam ratio faciendi quodvis factibile, ut sic, etiamsi non descenderetur ad hæc, vel illa factibilia in particulari : ac proinde ad cognoscendum quidditative omnipotentiam, ut terminatam ad suum specificativum, oportebit cognoscere divinam essentiam, ut est ratio faciendi factibile, ut sic, non vero ut est ratio faciendi hæc, vel illa factibilia in particulari.

Tum etiam : quia licet factibile, ut sic non sit specificativum formale omnipotentiæ, habet tamen nonnihil de specificativo virtuali, quatenus habet tantum nexum omnipotentia cum illo, ut si per impossibile posset ab aliquo extrinseco specificari, tunc specificaretur a factibili, ut sic, non vero ab his, vel illis factibilibus in particulari, et sigillatim. Et propterea non potest nunc quasi diffiniri, et explicari, nisi per hoc, quod sit factiva cujusvis factibilis, ut sic, et per consequens nec poterit omnipotentia quidditative cognosci, quin cognoscatur factibile, ut sic, nec ad hanc quidditativam cognitionem desiderabitur cognitio horum, et illorum factibilium in particulari : siquidem ad cognitionem quidditativam alicujus oportet cognoscere illud, quod habet nonnihil specificativi, adhuc virtualis, ex eo, quod res specificata expresse importat nexum cum illo, et ratione hujus nequit quasi diffiniri, et explicare, nisi per hoc, quod sit verbi gratia, factiva illius : non tamen universabiliter loquendo oportet ad prædictam cognitionem quidditativam alicujus cognosci ea, quæ nihil habent specificativi, adhuc virtualis, et per consequens nec habent expresse involvi, et innui per rem significatam, quamvis talis res implicite, et secundario nectatur cum illis, ut contingit in omnipotentia collata cum creaturis in particulari.

Ad confirm.

24 Ex quo ad confirmationem respondetur, quod *ly totaliter*, non dicit modum tenentem se ex parte rei visæ in *esse* entis. Quia omnia divina sic sumpta videntur a quovis beato, etiam secundum illud *esse*, quod formaliter ponunt in Deo, quatenus extenduntur ad creaturas in particulari : quandoquidem per eandem simplicissimam habitudinem, ut modo dicebamus, absque aliqua distinctione ex parte sui, respiciunt creaturas, ut sic, et eas in particulari acceptas : et ita eis cognitis, ut extenduntur ad creaturas in communi, cognoscuntur secundum illudmet esse, quod in *esse* entis dicunt, et ponunt in Deo, ut terminantur ad easdem in particulari. Quare *ly totaliter*, dicit modum se tenentem ex parte objecti in genere objecti, id est, quod objectum illud quoad easdem formalitates non cognoscatur tanto lumine, tantaque cognitione, quantam ex natura sua petit : quia eo ipso non videtur, ut extenditur ad creaturas in particulari. Nam prædictæ formalitates, ut visibiles secundum hanc rationem, seu secundum, quod dicunt prædictum modum in genere objecti, dicunt se ipsas, ut visibiles tali lumine, et tali cognitione scilicet lumine, et visione infinita per essentiam, ac proinde, ut connotant prædictum lumen, et cognitionem : et ita nisi sic videantur, non videntur prædicto modo, nec ut extendentur ad creaturas in particulari.

Ad tertium.

25 Ad tertium negandum est antecedens, quoad secundam ejus partem. Et ad probationem dicendum est, quod licet Deus, et ea, quæ in illo eminenter continentur, non sint objectum intensive perfectius, quam Deus, ita ut creaturæ addant illi aliquam cognoscibilitatem ; attamen ipsemet, ut cognoscibilis tanta cognitione, et lumine, ut sit ratio cognoscendi omnes creaturas, est objectum intensive perfectius in genere objecti, quam ipse, ut cognoscibilis, quoad ea, quæ sunt in ipso formaliter, aut secundum, quod est ratio cognoscendi

cognoscendi has, vel illas creaturas, et non alias. Unde licet possit elevari intellectus creatus ad videndum Deum secundum hanc posteriorem rationem, non vero secundum illam priorem, nisi tribueretur ei tantum lumen, quantum ad id requiritur, scilicet lumen infinitum per essentiam, quod tamen ut ex se constat, est impossibile.

Ad onfirmat.

26 Ad confirmationem respondetur, distinguendo antecedens . *Non est factiva rei factibilis, ut sic,* rei immediate, actu, et in executione factæ, concedendum est : tanquam rationis faciendi immediate, actu, et in exercitio hoc, et illud factibile in particulari; quamque per prius, quasi recipit, negandum est. Et deinde debet negari consequentia. Quoniam ad cognoscendam quidditative omnipotentiam satis est cognoscere illam, ut est virtus factiva rei factibilis, quæ per prius, quasi inspicitur ab omnipotentia, quæque per modum rationis per prius quasi inspectæ, est ratio faciendi quælibet factibilia in particulari, non determinando expresse quænam , et qualia sint ista factibilia. Unde, quia factibile ut sic, secundum istam universalitatem est quid per prius quasi inspectum ab omni potentia, et ratione illius respicit hæc, et illa factibilia in particulari, ac proinde est per modum alicujus per prius quasi inspecti ratio faciendi hoc, et illud factibile in particulari ; propterea ad cognitionem quidditativam omnipotentiæ satis est cognoscere factibile, ut sic, et non desideratur, quod hæc, et illa factibilia in particulari cognoscantur.

ucidatio ræceatium.

27 Explicatur magis hoc. Etenim potentia , seu facultas practica non distinguitur a potentia, seu facultate speculativa, in hoc, quod ista possit per prius respicere aliquod objectum universaliter sumptum ; secus vero illa. Nam, cum objecta materialia, vel inadæquata, inspecta, aut quasi inspecta a potentia practica, non inspiciantur , aut quasi inspiciantur formaliter , quatenus inter se distincta sunt, oportet, ut inspiciantur, aut quasi inspiciantur secundum quod conveniunt in aliqua una ratione universaliter sumpta , quæ facta collatione cum objectis particularibus, respiciatur per prius, quam illa. Sed prædictæ potentiæ, seu facultates in hoc distinguuntur, quod potentia practica respicit prædictam rationem universaliter acceptam , quatenus per modum alicujus per prius inspecti,aut quasi inspecti, est ratio respiciendi, et faciendi objecta particularia, ita quidem, ut ab illa ad hæc descendat, et non habeat nexum cum istis , nisi quia prius habuit prædictum nexum cum illa ratione universaliter accepta, ex eo, quod non nectitur cum objectis particularibus, nisi quia continentur sub illa ratione communiter accepta. Cæterum potentia pure speculativa respectu sui objecti non respicit aliquam rationem communem, quatenus per modum alicujus per se primo inspecti, aut quasi inspecti, est ratio faciendi alia objecta particularia, quæ sub illo objecto communi continentur.

Ad quartum.

Ad quartum dicendum est, Deum clare visum contineri sub objecto adæquate intellectus creati , non quidem ut infinite cognoscibilem , sed solum , ut finite attingibilem , atque adeo non ut comprehensibilem : quia objectum illius est ens, vel intelligibile , ut sic, quatenus finite attingibile.

Ad ultimum.

28 Ad quintum negandum est antecedens. Et ad probationem in contrarium dicendum est, infinitum lumen creatum infinite intensum repugnare. Tum ex parte ipsius luminis : quia cum dicat essentiam finitam, non potest esse capax intensionis infinitæ, alioqui essentia illa esset infinita. Unde licet participet lumen divinum , quod est infinitum , debet illud finito modo participare. Tum etiam ex parte subjecti : quia subjectum finitum non est capax accidentis, quod actu habeat infinitatem in actu, licet sit capax accidentis infinite intensi infinitate in potentia. Sed de his videantur ea, quæ nostri Complut. 3. Phys. disp. 18. quæst. 1. et 6 docent.

Approbatur solutio n. 10. tradita. Ad probationem.

Adde, optimam esse solutionem ibi traditam. Et ad probationem in contrarium dicendum est, quod licet admitteretur videndas fore infinitas creaturas possibiles, se invicem, in perfectione essentiali excedentes, ad intellectu perfuso lumine infinite intenso ; nihilominus non viderentur omnes, quæ in divina potentia continentur : quia in ea sunt plures aliæ series infinities infinitæ creaturarum possibilium, et omnes istæ non possunt videri per tale lumen. Unde quia dato uno lumine infinite intenso, posset dari aliud adhuc intensius, quia unum infinitum potest esse majus altero , juxta ea , quæ nostri Complut. disput. citata quæst. ultima docent, ideo per hoc lumen intensius possent videri plures creaturæ possibiles, quam

per illud prius, quamvis per utrumque infinitæ viderentur.

Objectio. 29 Nec refert, si dicas, quod admissa possibilitate luminum habentium infinitam intensionem saltim sequitur fore possibilem comprehensionem Dei ab intellectu creato, si omnes gradus intensionis infinitæ, quæ omnibus luminibus communicari possunt, communicarentur uni, et eidem lumini, quia tunc tot essent gradus intensionis in illo lumine, quot creaturæ continentur in divina potentia ; quandoquidem non est Deus minus potens ad producendum majorem, ac majorem multitudinem graduum intensionis in lumine creato, quam ad producendam majorem, ac majorem multitudinem aliarum creaturarum : et ita possent per tale lumen omnes creaturæ possibiles cognosci.

Solvitur. Respondetur enim, quod gratis admissa, non tamen concessa possibilitate luminis gloriæ infiniti secundnm intensionem, non ideo admittenda est possibilitas unius, et ejusdem luminis infiniti, habentis tot (ut sic dicamus) infinitates graduum intensionis, quot sunt creaturæ possibiles se se invicem in perfectione essentiali excedentes : quia alias illud lumen esset, et non esset creatum. Esset quidem, ut supponitur : non esset autem, quia, ut jam ostendimus, lumen habens efficacitatem ad videndum Deum quantum visibilis est, seu (quod in idem redit) ad videndum eum secundum omnia, quæ formaliter, et eminenter continet, non potest non esse lumen infinitum per essentiam. Ex quo etiam fit, non solum implicare dari unicum, et idem lumen habens totam intensionem prædictam, verum etiam, quod omnia illa lumina infinita collective sumpta haberent actu tot gradus intensionis, quot sunt creaturæ possibiles, petentes majus lumen ad sui visionem in verbo, ita, ut omnia illa in ordine ad unam, et eandem visionem eliciendam unirentur : alioqui non reperiretur major cognoscibilitas in Deo, quam esset virtus cognoscitiva in omnibus illis luminibus simul sumptis : atque adeo omnia illa collective sumpta, essent, et non essent aliquid creatum, ut ex ratione modo facta constat.

Replica. 30 Neque etiam refert, si urgeas, esse nunc possibiles tot gradus intensionis luminis gloriæ, quot sunt creaturæ possibiles petentes majorem intensionem luminis, ad hoc, ut in Deo videantur : ergo semel gratis admisso, quod non implicet unicum, vel plura lumina infinita in actu, tunc neque etiam implicabit esse possibiles tot gradus intensionis. et modo dicto, in prædictis luminibus, quot sunt prædictæ creaturæ possibiles. Consequentia ex paritate rationis videtur constare. Antecedens autem probatur. Quia nulla ex prædictis creaturis est, quæ non possit sigillatim, et divisive videri in Deo : quandoquidem ad talem visionem non requiritur infinitas in lumine : ergo nulla erit visibilis in Deo, cui non correspondeat aliquis gradus intensionis luminis, ac proinde tot erunt possibiles gradus intensionis in illo, quot prædictæ creaturæ possibiles.

Diluitur. Respondetur enim, esse disparem rationem. Nam modo omnes isti gradus infiniti, per quos divisive sumptos potest videri in Deo quælibet creatura divisive accepta, non sunt possibiles, ut quid infinitum in actu ; sed tantum, ut quid infinitum in potentia : ita ut quicumque gradus, qui de facto fuerint, debeant esse finiti ; et qui possunt fieri, sint plures, et plures sine termino. Unde ex possibilitate horum omnium non sequitur, posse unquam actu, et in exercitio esse tantam cognitionem totius luminis creati, et possibilis, quanta est cognoscibilitas Dei : nec rursus esse tantam virtutem cognoscitivam in omnibus luminibus, et gradibus eorum simul sumptorum, quantam petit divina cognoscibilitas : quia cognoscibilitas divina, quippe infinita in actu, petit virtutem cognoscitivam infinitam in actu, ac proinde potentem prorumpere in cognitionem eodem modo infinitam. Cæterum si omnes prædicti gradus sint possibiles, tanquam simul possibiles in actu, et consequenter, tanquam quid infinitum in actu, et potens elicere unam, et eandem visionem eodem modo infinitam, tunc tale lumen esset, et non esset creatum, et adæquaret, et non adæquaret divinam cognoscibilitatem, ut explicatum est.

ARTICULUS VIII.

Utrum videntes Deum per essentiam omnia videant in Deo ?

1 Ad octavum sic proceditur. Videtur, quod videntes Deum per essentiam omnia in Deo videant : dicit enim Greg. in 4. Dialog. *Quid est, quod non videant, qui videntem omnia vident : sed Deus est videns omnia : ergo qui vident Deum, omnia vident.*

Item. Quicumque videt speculum, videt ea, quæ in speculo

culo resplendent : sed omnia quæcumque fiunt, vel fieri possunt, in Deo resplendent, sicut in quodam speculo : ipse enim omnia in se ipso cognoscit : ergo quicumque videt Deum, videt omnia, quæ sunt, et quæ fieri possunt.

2 Præterea. Qui intelligit id, quod est majus, potest intelligere minima, ut dicitur 3. de Anima : sed omnia, quæ Deus facit, vel facere potest, sunt minus, quam ejus essentia : ergo quicumque intelligit Deum, potest intelligere omnia, quæ Deus facit, vel facere potest.

3 Præterea. Rationalis creatura omnia naturaliter scire desiderat : si igitur videndo Deum non omnia sciat, non quietatur ejus naturale desiderium : et ita videndo Deum non erit beata, quod est inconveniens : videndo igitur Deum omnia scit.

Sed contra est, quod Angeli vident Deum per essentiam, et tamen non omnia sciunt : inferiores enim Angeli purgantur à superioribus à nescientia, ut dicit Dionys. 7. cap. cæl. hierarch. Ipsi etiam nesciunt futura contingentia, et cogitationes cordium : hoc enim solius Dei est. Non ergo quicumque vident Dei essentiam, vident omnia.

Respondeo dicendum, quod intellectus creatus videndo divinam essentiam non videt in ipsa omnia, quæ facit Deus, vel facere potest : manifestum est enim, quod sic aliqua videntur in Deo secundum quod sunt in ipso. Omnia autem alia sunt in Deo, sicut effectus sunt in virtute in sua causa. Sic igitur videntur omnia in Deo, sicut effectus in sua causa : sed manifestum est, quod quanto aliqua causa perfectius videtur, tanto plures ejus effectus in ipsa videri possunt. Qui enim habet intellectum elevatum, statim uno principio demonstrativo proposito, ex ipso multarum conclusionum cognitionem accipit. Quod non convenit ei, qui debilioris intellectus est, sed oportet quod ei singula explanentur. Ille igitur intellectus potest in causa cognoscere omnes causæ effectus, et omnes rationes effectuum, qui causam totaliter comprehendit. Nullus autem intellectus creatus totaliter Deum comprehendere potest, ut ostensum est. Nullus igitur intellectus creatus, videndo Deum, potest cognoscere omnia, quæ Deus facit, vel potest facere : hoc enim esset comprehendere ejus virtutem. Sed horum, quæ Deus facit, vel facere potest, tanto aliquis intellectus plura cognoscit, quanto perfectius Deum videt.

Ad primum ergo dicendum, quod Greg. loquitur quantum ad sufficientiam objecti, scilicet Dei, quod quantum in se est sufficienter continet omnia, et demonstrat. Non tamen sequitur, quod unusquisque videns Deum, omnia cognoscat : quia non perfecte comprehendit ipsum.

Ad secundum dicendum, quod videns speculum non est necessarium, quod omnia in speculo videat, nisi speculum visu suo comprehendat.

Ad tertium dicendum, quod licet majus sit videre Deum, quam omnia alia : tamen majus est videre sic Deum, quod omnia in eo cognoscantur, quam videre sic ipsum, quod non omnia, sed pauciora, vel plura cognoscantur in eo. Jam enim ostensum est, quod multitudo cognitorum in Deo consequitur modum videndi ipsum, vel magis perfectum, vel minus perfectum.

Ad quartum dicendum, quod naturale desiderium rationalis creaturæ est ad sciendum omnia illa, quæ pertinent ad perfectionem intellectus, et hæc sunt species, et genera rerum, et rationes earum, quæ in Deo videbit quilibet videns essentiam divinam. Cognoscere autem alia singularia, et cogitata, et facta eorum, non est de perfectione intellectus creati : nec ad hoc ejus naturale desiderium tendit : nec iterum cognoscere illa, quæ nondum sunt, sed fieri à Deo possunt. Si tamen solus Deus videretur, qui est fons, et principium totius esse, et veritatis, ita repleret naturale desiderium sciendi, quod nihil aliud quæreretur, et beatus esset. Unde dicit Aug. 5. Conf. *Infelix homo, qui scit omnia illa, scilicet creaturas, te autem nescit. Beatus autem qui te scit, etiam si illa nesciat : qui vero te, et illa novit, non propter illa beatior est, sed propter te solum beatus.*

Prima conclusio. Nullus intellectus creatus videns Deum per essentiam, videt in ipso omnia, quæ Deus facit, et facere potest.

Secunda conclusio. Eorum, quæ Deus facit vel facere potest, tanto intellectus creatus plura cognoscit, quanto perfectius videt Deum.

DISPUTATIO VII.

De iis, quæ viso Deo in eo videntur, aut videri possunt.

1 Ea, quæ in Deo continentur, alia sunt in eo eminenter, ut creaturæ ; alia vero formaliter : et rursus ex his, alia libere, quales sunt actus liberi ; alia vero omnino necessario in illo existunt ; et tandem ista alia sunt absoluta, ut attributa ; alia vero relativa, ut relationes Paternitatis, Filiationis, etc. Quare ut exacte explicemus, an Deo viso, omnia in Deo videantur, de omnibus istis in hac disp. agemus : quamvis quoad ea, quæ in ipso eminenter continentur, non inquiremus, an omnia illa, sed solum aliqua, et quænam, Deo viso, videantur? quia omnia illa non posse a beatis, Deo, viso, videri, satis ex dictis disp. præced. constat. Animadversio.

DUBIUM I.

Utrum videntes Deum, videant omnia absoluta, quæ formaliter, et omnino necessario sunt in illo?

Quia in Deo absoluta, seu quæ pertinent ad eum, ut unum, priora sunt relativis, et quæ sunt absoluta et necessaria, habent etiam esse priora, quam libera, et absoluta ; ideo primo loco de absolutis, et quæ necessario sunt in Deo, inquirimus. Prior sententia.

Pro parte negante referunt aliqui Henricum quodlib. 7. quæst. 4. Godofredum quodlib. 6. quæst. 3. Victoriam, ac Tenorium ejus Magistrum, necnon Ferraram 3 cont. Gent. cap. 46.

Probatur primo. Nam in Deo sunt infinitæ perfectiones absolutæ, virtualiter inter se distinctæ : ergo nullus beatus poterit eas clare intueri. Antecedens probatur. Quoniam Deus secundum sua absoluta, est imitabilis, et communicabilis infinitis modis, et specie distinctis : ergo continet infinitas perfectiones absolutas, quibus infinitis modis communicabilis sit. Conseq. autem probatur. Nam ad videndum omnes istas perfectiones requiritur lumen infinitum, quandoquidem ad videndum unam requiritur aliquod lumen, atque adeo ad videndum duas lumen duplo majus, et sic de aliis, ac proinde ad videndum infinitas desiderabitur lumen infinite intensum. Argumentum primum.

Confirmat. Confirmatur. Quia majus lumen exigitur ad videndum omnes illas perfectiones Dei, quam ad cognoscendum omnes creaturas possibiles : siquidem magis illæ, quam istæ habent de entitate, et per consequens de cognoscibilitate : ergo cum ad cognoscendas cunctas creaturas possibiles petatur lumen infinitum, etiam petetur ad videndas omnes prædictas perfectiones : et per consequens nulla creatura poterit eas videre.

Secundum. 2 Secundo. Nam in Deo sunt infinitæ ideæ, quarum quælibet per se, et in particulari respicit per se primo illam creaturam, cujus est idea : ergo si quilibet beatus videt omnes has perfectiones ideales, videbit omnes creaturas possibiles, et per consequens comprehendet Deum. Antecedens probatur. Nam quælibet creatura possibilis habet suam ideam, et ideo, ut Deus producat hominem, non utitur idea Angeli, aut e contra : cumque idea hujus creaturæ, et non alterius, non possit non per se primo terminari ad eam, et non ad aliam, fit inde, ut non solum sint in Deo distinctæ ideæ, sed etiam quævis earum per se primo terminetur, seu respiciat suam creaturam possibilem. Ex quo etiam conseq. constat. Nam propterea viso Deo, et ejus omnipotentia, videntur creaturæ sub communi ratione factibilium, quia omnipotentia per se primo terminatur ad factibile, ut sic : ergo si quævis ratio idealis in Deo inventa, terminatur per se primo ad suam creaturam possibilem, consequens erit, ut illis visis, videantur etiam omnes creaturæ.

Conclusio. 3. Dicendum tamen est, omnes beatos videre omnes perfectiones absolutas, et necessarias, formaliter in ipso existentes, quoad omnem realitatem, quam in ipso ponunt. Ita D. Thom. art. 7. hujus quæst. et 2. 2. quæst. 2. art. 8. ad 3. et communiter Theologi.

Fundamentalis ratio. Probatur ratione D. Thom. locis citatis. Nam essèntia divina cum omnibus absolutis, quæ sunt in Deo formaliter, et necessario, est a parte rei, et in se unum simplex, et indivisibile objectum, et visio ex natura sua habet terminari ad suum objectum clare, et immediate : ergo secundum naturam hujus objecti, et visionis necesse est eum, qui videt essentiam, videre simul prædicta omnia. Conseq. patet. Quia objectum indivisum, et simplex postulat non dividi, et visio, ut clara, et immediata postulat terminari ad istum objectum sine ulla distinctione : quia non potest esse clara, et immediata visio, per quam non apparent omnia, quæ a parte rei, et in se ipsis sunt omnino idem formaliter, et indivisa. Antecedens autem quantum ad 1. p. constat. Quia omnia illa sunt idem formaliter realiter cum essentia divina. Et quoad posteriorem, ex se, et ex jam dictis constat. Cæterum omnia hæc ex dicendis in sequenti dubio magis patebunt.

Ad primum argumentum. 4 Ad primum transeat antecedens, et negetur consequentia : quia sufficit omnes illas perfectiones non esse actu distinctas, sed solum virtualiter, atque adeo non constituere aliquem numerum, qui actu sit talis, sed solum in virtute, et fundamento. Ex quo ad probationem consequentiæ satis constat, non requiri majus lumen ad videndum duas ex his perfectionibus, quam ad videndum unicam, vel infinitas : sed satis esse, quod prædictæ perfectiones sint a parte rei unum, et idem formaliter.

Ad confirm. Ad confirmationem, quod si intelligatur de cognitione omnium creaturarum possibilium in Deo clare viso, tunc (ut notavit D. Thom. in hoc art. 8. in solut. ad 3.) licet majus sit videre Deum, quam omnia alia ; tamen majus est videre Deum, ita, ut omnia creabilia in eo cognoscantur, quam videre solummodo illum, vel simul, quoad aliquas tantum creaturas, quæ in ipso continentur. Quoniam Deus, ut priori modo visibilis, infinite plus intelligitur habere de cognoscibilitate, quam secundo modo consideratus : et ita exigit ad sui cognitionem lumen infinitum. Si vero prædicta probatio intelligatur de creaturis in proprio genere, non vero in Deo clare viso, tunc fatemur requiri ad visionem earum simul sumptarum lumen infinitum : et ideo talem cognitionem sicut et prædictum lumen omnino implicare ; dato tamen per impossibile, quod omnes simul hoc modo cognoscerentur, tunc lumen gloriæ, quo de facto videtur Deus, esset perfectius, quam lumen illud infinitum, quo omnes illæ creaturæ viderentur. Quia lumen gloriæ est secundum suam speciem perfectius omnibus aliis luminibus : et ita quantumvis cætera lumina in perfectione intensiva, et accidentali crescant, numquam pertingent ad perfectionem prædicti luminis : sicut quantumvis

tumvis perfectio accidentalis virtutis sensitivæ augeatur, numquam pertinget ad perfectionem intellectivæ. Unde licet Deus habeat secundum ea, quæ in ipso formaliter sunt, plus de cognoscibilitate, quam omnes creaturæ possibiles in proprio genere cognoscendæ, poterit per lumen gloriæ, quod est lumen perfectius, quam esset illud lumen infinitum, clare videri.

Ad ecun-um.

5 Ad secundum dicendum est, quod si loquamur de divinis ideis secundum illud reale, et perfectionis, quod in Deo ponunt, tunc non distinguuntur etiam virtualiter, sed sunt una et eadem formalitas, perfectio, et attributum. Quare secundum hanc rationem non respicit (ut sic dicamus) per se primo quamvis creaturam in particulari, sed tantum in communi : et ideo distinctio idearum, tantum est distinctio unius, et ejusdem perfectionis, ut peculiariter connotat hanc, vel illam creaturam possibilem, ut secundarium connotatum, et inadæquatum illius, ac proinde ad videndam perfectionem divinarum idearum, et unicam, ac simplicissimam realitatem ejus, non erit necesse cognoscere in particulari eandem, ut terminatur ad creaturas possibiles in particulari, seu omnes illius terminationes ; sed satis erit cognoscere eam secundum terminationem (ut sic dicamus) ejus primariam, necnon et creaturas possibiles secundum communem illam rationem, secundum quam sunt quasi per se primo connexæ cum prædicta realitate.

Diximus, *Ut terminatur ad creaturas possibiles*, quia hic non loquimur de ideis rerum futurarum, ut talium : quia in his involvitur libera Dei determinatio : in præsenti autem solum agimus de iis, quæ non utcumque formaliter, sed omnino necessario in Deo reperiuntur.

DUBIUM II.

Utrum Divina essentia possit videri sine personis, vel una persona sine alia?

xponi-tur ulus.

6 Intelligitur titulus non solum de iis, quæ de facto contingunt, sed de eisdem per ordinem ad divinam potentiam ; quia de facto omnes beatos videre Deum secundum quod est Unus, et Trinus, certum est apud omnes Theologos. Unde in Concil. Florent. sessione ult. in literis sanctæ unionis diffinitur, animas, quæ rapiuntur in cœlum, intueri clare Deum ipsum Trinum, et Unum sicuti est. Et ratio id suadet. Nam, ut notavit D. Thom. art. 7. hujus quæst. visio patriæ correspondet fidei : unde sicut in via credimus mysterium Trinitatis, ita in patria clare illud intuebimur, juxta illud Apostoli : *Videmus nunc per speculum, et in ænigmate, postea autem facie ad faciem.*

§ I.

Placitum Scoti.

Primum argu-mentum.

Partem affirmantem tuetur Scotus in 1. dist. 1. quæst. 2. quem tota Scotistarum schola sequitur. Probatur primo. Quia relationes non pertinent ad objectum primarium visionis beatificæ : ergo poterit dari visio terminata ad essentiam, et non ad illas. Consequentia patet. Tum quia visio tantum pendet essentialiter a suo objecto primario. Tum etiam ; quia ideo potest dari eadem visio, et non terminata ad creaturas, quia istæ non spectant ad objectum primarium illius. Antecedens autem probatur. Nam relationes non videntur ratione sui, secundum quam rationem distinguuntur, et opponuntur, sed ratione essentiæ ; quandoquidem habent unam, et eandem rationem visibilitatis, et fruibilitatis : ergo non pertinent ad objectum primarium visionis ; siquidem objectum primarium, et ea, quæ ad illud pertinent, videntur ratione sui, et non ratione alterius.

Confir-matur primo.

7 Confirmatur primo. Pater Æternus videt suam essentiam prius ordine originis, quam sit productus Filius, et Spiritus Sanctus : ergo in illo priori non videbit has duas personas : ergo nec pertinebunt ad objectum primarium suæ beatitudinis, nec nostræ, quæ est ejusdem rationis cum illa. Prima consequentia patet. Quoniam in illo priori nondum sunt productæ, et ita in illo eodem non possunt intueri ; quandoquidem visio intuitiva supponit productionem, et existentiam rei visæ. Secunda vero consequentia etiam constat. Quia si prædictæ personæ pertinerent ad objectum primarium beatitudinis, non posset visio Paterna terminari in illo priori ad essentiam, et non ad illas. Antecedens autem pro-

batur. Quia Pater ex cognitione divinæ essentiæ producit Filium, ac proinde prius videt divinam essentiam, quam illum producat, et consequenter, quam ipse sit productus.

Confirmatur secundo. Nam si Filius, et Spiritus Sanctus pertinerent ad objectum primarium visionis Paternæ, tunc Pater haberet aliquid ab his duabus personis, atque adeo non esset simpliciter prior illis ordine originis : hoc autem est falsum, ut communiter docent Theologi ; ergo, etc. Prima sequela patet. Nam objectum primarium visionis est principium illius : ergo si Filius, et Spiritus Sanctus habent una cum essentia esse objectum primarium visionis Paternæ, erunt principium illius, et ita Pater habebit eam ab ipsis. Confirmatur secundo.

Confirmatur tertio. Nam quotiescumque aliquid est a se tale, toties habebit esse tale, etiamsi quodlibet aliud non sit : sed Pater est a se beatus : ergo esset beatus, etiamsi per impossibile non essent personæ Filii, et Spiritus Sancti : et consequenter visio, per quam est beatus, solum terminabitur per se primo ad essentiam secundum se, non vero ut est in aliis personis. Confirmatur tertio.

8 Secundo, et principaliter. Nam essentia divina potest communicari, et uniri in ratione speciei intelligibilis cum intellectu beato, non unitis personis in ratione prædictæ speciei : ergo tunc poterit videri essentia non visis relationibus. Consequentia non indiget probatione : quia nequit dari visio terminata ad aliquod objectum, quin prius tale objectum uniatur in ratione speciei intelligibilis : unde si potest uniri essentia in ratione speciei, non unitis relationibus, poterit illa, non visis istis, videri. Antecedens autem probatur. Quia essentia communicatur Filio per generationem, et unitur Filiationi cum summa identitate, ut subsistat per eam, cum tamen Paternitas non communicetur ei, nec uniatur : ergo etiam poterit essentia communicari, et uniri intellectui beato in ratione speciei intelligibilis, non unitis, nec communicatis relationibus personalibus : non enim in hoc ulla disparitatis ratio apparere videtur. Secundum.

Confirmatur, et explicatur. Nam ratio, ob quam visa essentia deberent videri relationes, nulla potest esse alia, nisi quia identificantur cum illa, suntque ei valde intrinsecæ, et essentia unitur intellectui, ut est in seipsa : sed etiamsi essentia communicetur Filio, prout est in se ipsa, et habeat prædictam identitatem cum eisdem relationibus, nihilominus communicatur, et unitur eidem Filio, non communicatis, et unitis omnibus relationibus : ergo eodem modo poterit eadem essentia uniri intellectui beato in ratione speciei intelligibilis, absque eo, quod relationes simul cum illa uniantur. Roboratur.

9 Tertio. Quoniam Deus præcisis relationibus intelligitur esse prima causa creaturæ intellectualis : ergo præcisis illis erit ultimus finis ipsius : ergo etiam sub hac præcisione poterit esse objectum beatificum prædictæ creaturæ. Antecedens patet. Tum, quia Deus non agit ratione relationum, quippe quæ non sunt formæ activæ ; tum etiam, quia si per impossibile Deus non subsisteret, nisi tantum per unicam subsistentiam absolutam, adhuc esset prima causa, possetque producere ad extra quidquid modo producit. Prima vero consequentia etiam constat. Quia primum efficiens, et ultimus finis coincidunt, ex eo quod non potest agere, nisi propter semetipsum tamquam propter ultimam rationem finalem, atque adeo non nisi ordinando omnia ad se, tamquam ad ultimum finem. Secunda autem consequentia etiam constat. Quia, cum visio beatifica sit consecutio ultimi finis, nihil aliud desideratur ex parte objecti beatifici, nisi illud, quod ad rationem ultimi finis ex parte ipsius requiritur. Tertium.

10 Quarto. Nam Filiatio potest terminare humanitatem Christi, absque eo, quod spiratio, et Paternitas illam terminent ; ergo etiam poterit terminare visionem sui, absque eo, quod aliæ relationes simul cum ea prædictam visionem terminent : ergo etiam essentia poterit videri non visis eisdem relationibus. Antecedens constat ex iis, quæ in materia de Incarnatione docent communiter Theologi. Prima vero consequentia etiam constat : tum ex paritate rationis : tum etiam, quia ideo Filiatio potest per ipsam, et in solidum terminare humanitatem, quia ex vi propriæ rationis formalis, ut distinctæ a reliquis, id est, secundum propriam rationem relativam habet vim ad terminandum : sed etiam secundum eandem rationem est per se ipsam intelligibilis, quandoquidem secundum eam est intra Ultimum.

intra suam lineam aliquid reale verum, et per modum actus purissimi : ergo etiam poterit terminare in solidum visionem sui. Ex quo etiam secunda conseq. satis constat. Nam essentia divina habet potiori ratione propriam intelligibilitatem, quatenus virtualiter distinguitur ab omnibus relationibus : et ita poterit in solidum terminare visionem.

§ II.

Communis sententia testimoniis Scripturæ, et Patrum stabilitur.

onclu-sio.

11 Dicendum tamen est, implicare contradictionem essentiam divinam videri, prout est in se ipsa sine personis, aut unam personam sine alia. Ita Cajet. 2. 2. quæst. 2. art. 8. Medina 1. 2. quæst. 11. art. 4. et 3. part. quæst. 3. art. 3. Soto in 4. dist. 49. quæst. 3. art. 3. Cabre. 3. part. quæst. 10. art. 2. ad 5. Suar. lib. 2. de Attributis cap. 23. Vazq. in præsenti disp. 13. et 48. et alii quamplures.

Prima probatio.

Probatur primo ex illo Joan. 14. *Philippe, qui videt me, videt et Patrem.* Nam licet Tert. et alii verba hæc de visione, seu cognitione per fidem explicent, ita, ut qui credit in Filium, necesse sit credere in Patrem; nihilominus Chrys. hom. 63. in Joan. Cyril. lib. 9. in eundem, Hilar. 7. de Trinit. Nazianz. orat. 49. et alii, illa explicant de visione clara, et intuitiva; unde cum Philippus petiisset dari sibi videre Patrem, aut corporeis oculis sub aliqua forma sensibili aut mente sub obscuritate fidei, tunc Christus, arrepta hinc occasione, respondit verba proposita : quibus significavit necessarium esse, ut qui videt ipsum, videat et Patrem : cumque quoad hoc sit eadem ratio de essentia divina collata cum relationibus, et e contra, aut de qualibet relatione comparata ad reliquas (ut statim expendemus) consequens erit, ut juxta hæc Christi Domini verba, oporteat visa essentia, videri relationes, et e contra : et similiter visa una persona videri alias.

onfir-atur imo.

12 Confirmatur primo, et explicatur vis hujus testimonii. Nam, ut Christus redderet rationem ejus, quod dixerat, statim subjecit : *Non credis, quia egó in Patre, et Pater in me est?* quasi diceret : ideo videntem eundem Christum debere intueri Patrem, quia ipse in Patre, et Pater in ipso est : ex eo quod una, et eadem est natura utriusque cum eis identificata ratione cujus Pater in Filio, et e converso per circuminsessionem (ut Theologi loquuntur) est. Unde Christus Dominus hoc argumentum virtute formavit : *Ego sum in Patre, et Pater est in me, quia sumus idem in una numero natura divina : ergo necessarium est, ut qui videt me, videat et Patrem.* Quod argumentum, ut intuenti constabit, etiam probat, quod quavis relatione, aut formalitate Dei visa, debeant cætera alia formaliter in ipso existentia videri.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo testimoniis D. Thom. Nam 2. 2. quæst. 2. art. 8. ad 3. inquit : *Summa Dei bonitas secundum modum, quo nunc intelligitur per affectus, potest intelligi absque Trinitate personarum. Sed secundum quod intelligitur in se ipso, prout videtur a beatis, non potest intelligi sine Trinitate personarum, et* 3. part. quæst. 3. art. 3. sic ait : *Intellectus dupliciter se habet ad divina : uno modo, ut cognoscat Deum sicuti est : et sic impossibile est, quod circumscribatur per intellectum aliquid a Deo, et quod aliud remaneat : quia totum, quod est in Deo, est unum, salva distinctione personarum. Quarum tamen una tollitur sublata alia : quia distinguuntur solum relationibus, quas oportet esse simul.* Et art. præced. hujus quæst. in solut. ad 2. admittit id, quod in argumento dicitur, scilicet, Deum, quia est omnino simplex, non posse videri per essentiam, nisi videatur totus, et nihil ejus lateat videntem. Quod etiam docent Nazianz. loco citato, et August. super Psalm. 84. et 85. necnon tract. 70. in Joann. et lib. 1. de Trinitate, cap. 8. his verbis : *Sive ergo audiamus, ostende nobis Filium, sive audiamus, ostende nobis Patrem, tamtumdem valet : quia neuter sine altero potest ostendi.*

Solutio adversariorum ad hæc testimonia impugnatur.

Ex quibus omnibus fit nullam esse solutionem, quam aliqui prædictis testimoniis reddunt dicentes, intelligenda esse de iis, quæ de facto contingunt, non vero per ordinem ad divinam potentiam. Nam ratio, quæ in prædictis testimoniis adducitur, est tum identitas omnium divinorum in una, et eadem essentia; tum quod visio ista debet terminari ad Deum sicuti est. Unde cum hæc duo immutabilia sint, etiam per ordinem ad divinam potentiam, fiet inde, ut etiam per ordinem ad illam sit impossibile videri es-

sentiam sine personis, aut unam personam sine alia.

§ III.

Eadem sententia rationibus fulcitur.

Prima ratio. 13 Deinde probatur assertio ratione desumpta ex D. Thom. loco cit. ex 3. part. Nam divinæ personæ constituuntur relationibus : sed has oportet esse simul natura, et cognitione : ergo non poterit clare, et quidditative videri una, quin videantur aliæ, ac proinde quin etiam videatur natura. Major constat ex iis, quæ in hac 1. part. quæst. 40. communiter docent Theologi ex Conciliis, et Patribus. Minor etiam constat ex communi consensu Dialecticorum, cap. de relatione. Prima autem consequentia ex utraque præmissa satis videtur sequi. Ex quo etiam secunda consequentia perspicua manet : cum impossibile sit videri clare, et quidditative persona, non visa clare, et quidditative essentia, et natura illius.

Solutio. 14 Nec refert quod respondet Lorca 1. 2. quæst. 3. disp. 13. scilicet ex vi hujus rationis solum sequi Filium non posse videri sine Patre, et e converso; non tamen sine Spiritu Sancto, quia Pater, et Filius non constituuntur in *esse* personarum per spirationem activam, per quam respiciunt Spiritum Sanctum, sed per Paternitatem, et Filiationem. Quare sicut ad cognoscendas earum personas non est necesse ex vi hujus rationis cognoscere spirationem activam, quæ non est constitutiva illorum in *esse* personarum, ita nec necesse erit cognoscere Spiritum Sanctum, qui est terminus spirationis activæ.

Refutatur. Nam contra hoc est, quod si Pater, et Filius constituuntur in *esse* personarum per Paternitatem, et Filiationem, ut re vera constituuntur, oportet, ut ibidem involvatur, quod licet Pater, v. g. non referatur formaliter per Paternitatem ad Spiritum Sanctum : nihilominus ipsemet constitutus per Paternitatem, sit suppositum relatum, ut *quod* per spirationem activam, et non utcumque, sed tanquam per aliquid sibi formaliter identificatum, ut in materia de Trinitate communiter docent fere omnes Theologi : ergo ibidem etiam involvitur, quod debeat videri, tanquam quid relatum, ut *quod* ad personam Spiritus Sancti; atque adeo ex vi hujus rationis sufficienter probatur omnes relationes simul esse videndas. Hæc ult. conseq. non indiget probatione. Prima vero ex antecedenti aperte sequitur. Nam, ut dub. præced. dicebamus, ea, quæ sunt idem actu, et formaliter, et per visionem claram, et immediatam videntur, debent videri simul ex vi ejusdem visionis, alioqui visio illa non erit clara, et rei sicuti est, quippe, quæ non erit conformis modo essendi, quem objectum habet in se ipso, cum per eam in prædicto objecto separetur aliquid ab aliquo, scilicet id, quod cognoscitur, ab eo, quod non cognoscitur, non obstante, quod in re cognita sit identice una, et eadem formalitas.

Confirmatur. 15 Confirmatur. Nam quando per abstractivam cognitionem, quæ non est rei, prout est in se, cognoscitur objectum simplex, et indivisum in se, ita, ut quoad aliquid attingatur, et quoad aliquid non attingatur, tunc non fit in eo distinctio, prout est in se, sed per ordinem ad nostros conceptus : ergo proportionali ratione quando per cognitionem claram, et intuitivam cognoscitur idem objectum, prout est in se, ita, ut quoad aliquid cognoscatur, et quoad aliquid, modo jam dicto, non cognoscatur, fiet in eo distinctio, ut est in se ipso : ergo non potest cohærere, quod illa simplex formalitas Paternitatis, et spirationis videatur, prout est in se ipsa, et quod per talem visionem non videatur, modo jam explicato, quoad omnia, quæ sibi identificat : alioqui optime inde colligeremus Paternitatem, et spirationem non identificari inter se.

Secunda ratio assertionis. 16 Secundo principaliter probatur assertio ratione, quam insinuat idem D. Tom. Quia repugnat essentiam divinam videri quidditative, quin videantur ejus prædicata quidditativa, ut ex se constat : ergo repugnabit etiam videri sine tribus personis : ergo similiter implicabit unam personam videri sine alia. Prima conseq. patet. Quia licet personæ non sint de conceptu quidditativo essentiæ, sed solum modi, aut quasi modi intrinseci illius; nihilominus hoc, quod est essentiam esse communicabilem per modum actus purissimi personis Trinitatis, est de conceptu quidditativo ipsius : sed non potest videri quidditative, prout est modo dicto communicabilis prædictis personis, quin tales personæ videantur : ergo, etc. Ex quo etiam secunda conseq. constat. Quoniam repugnat videri quidditative aliquam personam divinam, non

non visa quidditative natura divina ipsius : ergo si repugnat videri quidditative essentiam, et naturam divinam, non visis tribus personis Trinitatis, etiam repugnabit videre unam personam sine alia.

Evasio. 17 Nec refert, si dicas, hinc solum haberi videndas esse personas divinas secundum rationem communem personæ divinæ. Nam sicut visa omnipotentia quidditative, non est necesse videri creaturas possibiles, nisi secundum communem rationem creaturæ possibilis, quia hæc ratio quasi per se primo inspicitur ab illa, ita visa divina essentia secundum quod est communicabilis tribus personis divinis, non erit necesse eas videri in particulari, quia essentia, ut communicabilis solum habet per se primo quasi respicere illas secundum rationem communem personæ divinæ.

Præcluditur. Nam contra hoc est. Tum, quod divina omnipotentia non est connexa cum creaturis in particulari secundum illud *esse*, quod in proprio genere habent, tanquam cum iis, cum quibus actu, et formaliter identificatur; secus vero cum personis divinis, etiam secundum propria cujuslibet consideratis. Unde licet visa omnipotentia non sit necesse videre creaturas in particulari, cum quibus connexione omnino secundaria est connexa : nihilominus visa essentia necesse erit videre personas secundum propria ipsarum, etiam si solum secundario esset cum illis secundum istam rationem connexa : quia, ut in præcedenti ratione dicebamus, repugnat videri quidditative, et prout est in se ipsa aliquam rem simplicissimam, quin videantur omnia, quæ cum illa identificantur. Tum etiam : quia essentia divina non secundario, sed per se primo, quasi respicit personas divinas, secundum propria ipsarum, quia quasi respicit illas, seu est connexa cum eisdem per se primo, ut constituunt Trinitatem, quam tamen nonnisi secundum propria ipsarum, et ut ad invicem distincta sunt, constituere possunt.

Confirmatur primo. 18 Confirmatur primo. Quia de essentia naturæ divinæ non est esse communicabilem utcumque, sed intellectuali modo, scilicet per intellectum, et voluntatem, ac proinde generando Filium per intellectum, et spirando Spiritum Sanctum per voluntatem, eo modo, quo in materia de Trinitate dici solet : ita quidem, ut formaliter, et expresse debeat hoc importare : ergo non potest in particulari ejus communicabilitas quidditative videri, quin videantur in particulari Spiritus Sanctus, et Filius, atque adeo quin etiam videatur Pater.

Secundo. Confirmatur, et explicatur secundo. Quoniam de ratione visionis quidditativæ Dei, prout est in seipso, est quod per eam appareat seu percipiatur Deus, ut est in seipso : ergo cum Deus, ut est in seipso, habeat expresse, et formaliter nexum cum suis formalitatibus, secundum propria ipsarum, et quævis personalitas habeat eundem nexum cum essentia, oportet, ut per visionem ejus, prout est in seipso, appareant omnia hæc, ut expresse, et formaliter sunt in illo.

Tertio. 19 Confirmatur tertio. Nam connexio, quam Deus habet cum creaturis possibilibus secundum suas particulares rationes consideratas, est in eo implicite tantum, non vero expresse, et propterea non est necesse, ut per visionem Dei, prout est in seipso videantur expresse prædictæ creaturæ in particulari, sed tantum implicite, quatenus videtur id, in quo implicite continentur : ergo hoc ipso, quod essentia divina, et personalitates sint in illo expresse, et formaliter, oportet, ut per visionem ejus prout est in seipso, expresse, et formaliter cognoscantur. Consequentia videtur certa. Antecedens autem quoad secundam partem constat ex dictis disput. præced. necnon ex priori parte ejusdem antecedentis. Quoad priorem vero partem etiam patet. Quoniam connexio illa est tantum expresse cum creaturis secundum generalem rationem factibilium : et quia sub hac ratione implicite continentur ipsæmet secundum particulares rationes, ideo divina essentia implicite est etiam connexa cum illis in particulari sumptis.

Additamentum 20 Accedit tandem, quod hoc ipso, quod unio hypostatica, verbi gratia, humanitatis ad Verbum terminetur immediate ad illud, prout est in se ipso, debet habere omnem essentialem perfectionem, quæ intra latitudinem unionis hypostaticæ ad Verbum dari potest : et similiter hoc ipso, quod essentia divina, prout est in se ipsa, immediate uniatur cum intellectu beato in ratione speciei intelligibili, debet illa unio habere omnem perfectionem essentialem, quamvis non accidentalem quæ intra lineam talis unionis cum intellectu creato excogitari potest (quod idem de unione ejusdem essentiæ, prout est in

se ipsa in ratione verbi, seu objecti actu visi, dicimus) : ergo, hoc ipso quod visio quidditativa, et intuitiva Dei terminetur immediata ad eum, prout est in se ipso, debet habere omnem perfectionem essentialem, quæ intra latitudinem visionis creatæ Dei, prout est in se ipso excogitari potest : ergo cum visio creata Dei habens omnem perfectionem essentialem suæ latitudinis possit, et debeat terminari ad Deum, quoad omnem realitatem et formalitatem, quam actu, et formaliter habet in se ipso, ut in visione, quæ de facto datur in beato quamvis minimo, constat, oportet, ut quævis visio ipsius Dei, hoc ipso quod terminetur immediate ad Deum, prout est in se ipso, habeat hanc perfectionem, et modum attingendi.

§ IV.

Fit obviam argumentis primæ sententiæ.

Ad primum. 21 Ad primum transeat antecedens, neganda tamen est conseq. Et ad primam probationem respondetur, quod licet visio tantum pendeat ab objecto primario, ut a ratione quasi specificativa ipsius, nihilominus potest esse necessario connexa cum objecto secundario : ex eo quod objectum primarium, et secundarium habeant inter se necessariam connexionem in ratione objecti quidditative, et clare cognoscibilis ; tum propter identitatem, quam habent; tum etiam, ex eo quod hæc connexio est talis conditionis, ut non possit non objectùm primarium exprimere illam hoc ipso quod quidditative et prout est in se videatur, ut explicatum est. Unde, licet in visione divinæ essentiæ creaturæ possibiles tantum sint objectum secundarium, nihilominus quia prædicta essentia habet connexionem nuper insinuatam cum illis secundum communem rationem possibilium, ideo non potest videri, quin prædictæ creaturæ secundum rationem jam explicatam videantur. Et similiter, licet in visione corporea color sit objectum primarium, et quantitas secundarium, nihilominus, quia color in ratione in ordine objecti visionis corporeæ habet necessariam connexionem cum extensione quantitativa, etiam in ordine ad locum, ita, ut non possit exprimere illam : ideo valde probabile est, non posse etiam per potentiam Dei absolutam sine illa vi : et ita corpus Christi sub speciebus sacramentalibus, non est visibile oculo corporeo, ut docet D. Thom. 3. part. quæst. 76. art. 7. quia caret prædicta extensione.

Alia solutio. Vel secundo responderi potest pro nunc probabiliter, negando antecedens. Nam licet essentia divina sit objectum primarium *quo*, at personæ sunt objectum primarium, *quod*, terminans eandem visionem. Nam sicut de ratione divinarum personarum est, quod sint tres, et habeant unam et eandem naturam ita in ratione earum necessario includitur, quod sint triplex objectum, *quod*, visionis beatificæ, cum unica tamen ratione terminandi. Unde licet quod terminent ratione essentiæ, tollat ab illis rationem objecti *quo*, non tamen objecti *quod*.

Ad primam confirmationem. 22 Ad primam confirmationem dicendum est, quod licet Pater Æternus, etiam dum est prior origine, quam Filius, videat suam essentiam, et sit beatus, nihilominus non est prius beatus ordine originis, quam sit productus Filius, et Spiritus Sanctus, quia beatitudo est unum de prædicatis essentialibus : et ita Pater secundum illam non est prior ordine originis, quam Filius. Et ratio est. Quia non possunt reperiri prius, et posterius secundum aliquem ordinem, nisi ubi talis ordo reperitur. Quare cum inter Patrem, et Filium, quoad essentialia non sit ordo originis, sicut nec producere, nec produci, consequens erit ut nec ibi, quoad eadem essentialia sint prius, et posterius ordine originis.

Ad probationem. Et ad probationem dicendum est, falsum esse, Patrem ex cognitione divinæ essentiæ producere Filium, si intelligatur de productione activa : quia per illam particulam, *ex*, denotatur ordo originis inter cognitionem Paternam, et productionem activam Filii, quod tamen est falsum, quandoquidem ipsamet cognitio Paterna est actualis productio activa Filii absque aliqua distinctione virtuali, quamvis cum hoc stet, ut distinguatur a productione passiva ejusdem Filii : et ita verum sit Filium produci ex cognitione Paterna essentiæ. Ex hoc tamen non licet colligere, Patrem videre essentiam non visa persona Filii, et Spiritus Sancti : quia hæc prioritas non est prioritas in *quo* etiam cognitionis. Nam cum persona Patris habeat necessariam connexionem cum persona Filii, v. g. non est aliquod signum, in quo sit persona Patris, et non persona Filii,

Filii, aut in quo sit Pater producens, et non productus Filius, aut tandem in quo possit intelligi persona Patris, prout est in se, non intellecta persona Filii ; sed in quolibet signo , in quo videtur unus, debet videri alius : quamvis unus (scilicet Pater) ut producens, et alius (nimirum Filius) ut productus.

Ad secundam confirmationem.

23 Ad secundam confirmationem neganda est utraque sequela. Et ad probationem prioris respondetur, quod si semel verum esset, relationes non pertinere ad objectum primarium beatitudinis, satis apparet quomodo ex eo quod Pater necessario videat essentiam una cum persona Filii, et Spiritus Sancti, non ideo habeat ab illis suam visionem ab objecto secundario, sed solum a primario : si autem personæ pertinent ad objectum primarium beatitudinis, spectabunt utique ad illud, tanquam objectum terminativum, non vero tanquam objectum motivum : quia sola essentia divina habet rationem objecti motivi intellectus in ordine ad visionem. Cæterum objectum pure terminativum, non est principium visionis, sed objectum motivum : quia hoc solummodo est, quod unitur intellectui in ratione speciei intelligibilis, atque adeo in ratione principii nostro modo intelligendi respectu visionis. Sed de his videantur, tum ea, quæ in sequenti tractatu disp. 3. num. 36. dicemus : ubi explicabimus, an relationes divinæ pertineant ad objectum primarium et specificativum divini intellectus : tum etiam illa, quæ in hoc dub. num. 29. dicentur.

Ad tertiam.

Ad tertiam confirmationem concedenda est major, et minor una cum 1. conseq. sed neganda est 2. Quia sicut in casu primæ consequentiæ esset Pater beatus per visionem essentiæ, ut esset in se ipsa : ac proinde, prout esset sine prædictis personis, ita nunc debet esse beatus, ut est de facto in se ipsa : et quia de facto est in tribus personis identificata cum eis formaliter, ideo debet, prout est in eis, videri. Adde , pro majori explicatione, majorem hujus argumenti tantum esse veram in iis, quæ habent esse talia, et non sunt necessario connexa cum aliis; at sicut Pater Æternus licet sit a se, seu non ab alio, Deus, et beatus; habet tamen ejus natura nexum indispensabilem cum aliis duabus personis ; ita ejus beatitudo, ut modo est, habet etiam indispensabilem nexum cum visione aliarum personarum, ex eo quod ejus natura debet videri, prout est in se ipsa. Diximus, *ut modo est*, quia si semel implicarent aliæ personæ divinæ, tunc sicut natura Patris esset alia, ac modo est, ita et ejus beatitudo, et per consequens satis tunc esset videre essentiam divinam in unica persona, scilicet in ea, quæ alias nunc est persona Patris.

Ad secundum principale.

24 Ad secundum respondetur, verum esse antecedens, si intelligatur de unione relationum immediata ratione sui, secus vero de unione earum etiam mediata, et ratione essentiæ. Nam essentia divina habet rationem speciei intelligibilis, tam respectu sui, quam respectu relationum, ex eo quod istæ sunt proprietates personales illius. Et ad probationem in contrarium dicendum est, esse disparem rationem. Nam Paternitas, et Filiatio opponuntur relative, ac proinde sunt incomposibiles in ratione communicabilium uni, et eidem personæ : et propterea non mirum, imo necessarium est, quod communicata Filio essentia divina, non communicetur ei Paternitas, et quod prædicta communicatio hoc ipsum petat. Cæterum divina essentia, et omnes ejus proprietates personales non sunt incomposibiles in ratione simul visibilium per unam, et eandem visionem. Tum quia alioqui de facto non sic viderentur, cujus oppositum, ut certum initio hujus dubii supposuimus, et probavimus. Tum etiam : quia sicut natura petens unicam tantummodo personalitatem potest simul videri cum illa, ita natura exigens triplicem personalitatem poterit cum omnibus illis videri, imo non solum poterit, sed debebit sic inspici propter rationes pro nostra assertione traditas.

Additamentum.

25 Adde quod essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis respectu sui, et respectu relationum, non distinguitur adhuc virtualiter, nec requirit majus lumen, ad hoc, ut secundum utramque rationem ex parte solius modi concipiendi distinctam uniatur, quam ad hoc, ut uniatur secundum unam. Unde sicut impossibile est dari intellectum perfusum lumine gloriæ, et non habentem sibi unitam essentiam divinam in ratione speciei intelligibilis, ita si semel non requiritur majus lumen, ad hoc, ut essentia divina uniatur per modum speciei intelligibilis respectu sui, et respectu relationum, nequibit uniri secundum priorem illam

rationem ex parte solius modi nostri concipiendi distinctam, quin uniatur secundum istam, ac proinde quin videatur una cum suis personalitatibus, sicut explicatum est. Cæterum essentia divina, et Paternitas distinguuntur virtualiter, et propterea non mirum, quod communicata essentia possit non communicari relatio: siquidem distinctio virtualis, quæ est inter essentiam, et Paternitatem, æquivalet distinctioni reali actuali; maxime quia talis distinctio ob suam peculiarem rationem habet quodammodo oriri ex incomposibilitate, et oppositione reali, quæ est inter Paternitatem et Filiationem, quod tamen plures aliæ distinctiones virtuales in Deo repertæ non habent : et propterea non potest non talis distinctio sufficere, ad hoc ut possit communicari Filio essentia, non communicata Paternitate.

Interrogationi fit satis.

26 Si autem inquiras, cur repugnet intellectum esse perfusum lumine gloriæ, et non habere sibi unitam essentiam divinam? Respondetur id oriri ex eo quod hæc unio, per quam essentia divina, quæ semper est intime præsens cuilibet intellectui creato, denuo unitur ei in ratione speciei, non debet de novo incipere per hoc quod aliquid addatur divinæ essentiæ eam immutans : sed per hoc quod aliquid addatur intellectui creato, quod habeat rationem connotati respectu prædictæ unionis, per quodque prædictus intellectus immutetur, ut ex dictis constat. Et ita hoc ipso quod tale connotatum ponatur, non potest non dari prædicta unio : sicut quia modus unionis hypostaticæ, ex parte humanitatis Christi se tenens, est connotatum requisitum ad unionem Verbi cum humanitate, et eam immutans, propterea nequit dari tale connotatum, quin Verbum sit unitum humanitati. Quare cum connotatum necessarium, ad hoc ut essentia divina uniatur in ratione formæ intelligibilis, sit lumen gloriæ immutans intellectum, consequens est, ut implicet, hoc dari in intellectu, et quod simul non detur unio essentiæ divinæ cum eo in ratione formæ intelligibilis.

Ad confirmationem.

27 Ex quo ad confirmationem respondetur, rationem, propter quam essentia divina non potest videri non visis relationibus, esse, quia unitur, ut est in seipsa, non utcumque, sed ut est in se ipsa visibilis : visibilitas autem ipsius, prout est in se ipsa, ac proinde per visionem claram, et immediatam, ac quidditativam, exposcit ne natura videatur sine personis, aut una persona sine alia, ut ostensum est. Cæterum ex eo quod eadem divina essentia communicetur Filio prout est in se ipsa, id est, prout est in se ipsa communicabilis illi per modum naturæ, non sequitur communicandam esse essentiam una cum Paternitate : quia cum Paternitas et Filiatio in ratione communicabilium, licet non in ratione simul visibilium, sint incomposibiles, oportet, ut licet essentia divina communicetur Filio, prout est in se ipsa communicabilis per naturalem generationem, non ideo communicetur Paternitas, sed potius id repugnet.

Quare licet conceptus formalissimus unionis, aut communicationis essentiæ divinæ, prout est in se ipsa secundum suam generalem rationem spectatus, non sit idem ac conceptus unionis, et communicationis ipsius, prout est in se ipsa absolute, ut simpliciter, id est, quoad omnem realitatem, quam actu, et formaliter habet; attamen conceptus peculiaris unionis essentiæ divinæ, prout est visibilis in se ipsa, coincidit omnino cum conceptu visibilitatis ipsius, secundum quod absolute, et simpliciter est in se ipsa, id est, secundum omnem realitatem, quam in se ipsa formaliter habet; siquidem (ut jam diximus) et rationibus ostendimus repugnat videntem Deum non videre hæc omnia.

Adde rationem, propter quam visa essentia videndæ sunt relationes, non esse qualemcumque identitatem, sed eam quæ ab eadem essentia, ut habet rationem objecti unibilis respectu sui, et relationum, petitur, quæque excludit distinctionem etiam virtualem : siquidem essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis respectu sui, et relationum, non distinguitur virtualiter : ex eo quod totum hoc ad lineam speciei intelligibilis spectat.

Ad tertium.

28 Ad tertium transeat antecedens et negetur utraque consequentia. Quia licet primum efficiens, et ultimus finis sint idem realiter, est tamen diversa ratio formalis illius, ut primum efficiens, et ut ultimus finis creaturæ intellectualis : et ideo, licet demus, quod ut primum efficiens non involvat, quantum est ex parte effectus, relationes; attamen, ut ultimus finis involvit etiam ex parte visionis easdem relationes : quia visio debet terminari ad illum, prout est in se.

29 Ad

Ad quartum.

29 Ad quartum respondetur ex dictis concedendo antecedens, et negando utramque consequentiam, et ad primam probationem prioris neganda est paritas ibidem adducta. Ad 2. vero probationem concedenda est major, et neganda minor. Quoniam relationes divinæ non possunt per se, et ratione sui uniri in ratione speciei intelligibilis, nec ratione sui terminare visionem, sed solum ratione divinæ essentiæ, quæ est ratio formalis primaria motiva, et terminativa respectu visionis claræ, et quidditativæ Dei, ex eo quod relatio divina quamvis sit actus purus intra suam lineam, non habet ratione illius, sed solum ratione essentiæ tantam actualitatem, et immaterialitatem, quanta requiritur ad hoc, ut possit per se ipsam formalissime terminare visionem, et uniri in ratione speciei intelligibilis in ordine ad eandem visionem : siquidem ad hoc desiderabatur, quod esset suum *existere* absque aliqua virtuali distinctione, ut in hoc tractatu disp. 2. n. 116. diximus, et in tractatu de scientia Dei, disp. 3. num. 36. dicemus. Ex quo, ad probationem secundæ consequentiæ dicendum est, quod licet essentia divina habeat propriam intelligibilitatem, attamen ejus intelligibilitas est id, ratione cujus videntur, et clare intelliguntur personalitates, ut loco citato magis explicabitur, et nequit uniri in ratione speciei respectu sui clare visæ, quin eodem modo uniatur respectu relationum, nec potest uniri in ratione speciei respectu unius personæ, quin eodem modo uniatur respectu aliarum, ut ostensum est.

DUBIUM III.

Utrum beati ex vi visionis divinæ essentiæ possint videre, et de facto videant decreta libera Dei?

Explicatio tituli.

30 Consulto in titulo addita est illa particula *ex vi visionis divinæ essentiæ*, ut denotetur non fieri in eo sermonem de visione actuum liberorum Dei per aliam scientiam, sed tantum per visionem beatorum, ita, ut eademmet visio, quæ terminatur ad essentiam divinam, habeat ratione suæ perfectionis terminari etiam ad decreta libera divinæ voluntatis.

———

§ I.

Placitum Durandi, et aliorum.

Partem negantem tuentur Durand. in 3. dist. 14. quæst. 2. num. 4. et 5. et in 4. dist. 49. quæst. 3. num. 12. et sequentibus. Vazq. 1. p. disp. 50. cap. 3. num. 23. et Molina in hoc art. disp. 5. memb. 5. et 6. § *ad primam*, et § *dicendum*.

Argumentum primum.

Probatur primo. Nam licet essentia hominis v. gr. et voluntas ejus intuitive, et quidditative, imo etiam comprehenisve cognoscantur, nihilominus, non ideo ex vi hujus cognitionis cognoscuntur, aut cognosci possunt determinationes liberæ prædictæ voluntatis : ergo, etsi essentia divina, et voluntas ejus quidditative videantur a beatis, non ideo ex vi talis visionis videbuntur decreta libera divinæ voluntatis. Antecedens communiter recipitur a Theologis in materia de Angelis. Ubi multis Scripturæ, et Sanctorum testimoniis ostenditur, quod licet Angelus comprehendat voluntatem humanam, non tamen propterea attingit, aut attingere potest ex vi talis cognitionis actus liberos ejusdem voluntatis.

Consequentia autem probatur. Quia, ita se habet determinatio voluntatis divinæ ad essentiam divinam in ratione objecti cogniti, sicut determinatio voluntatis humanæ ad essentiam humanam : ergo, sicut hæc non est cognoscibilis ex vi cognitionis essentiæ, ita nec illa.

Secundum argumentum.

31 Secundo. Nam si decreta libera Dei ex vi visionis divinæ essentiæ viderentur, aut videri possent, tunc necessario deberent omnia a quovis beato videri : hoc autem est contra communem Theologorum sententiam, tam in præsenti, quam 3. part. quæst. 10. ergo, etc. Major patet. Nam, quod decreta divina ex vi prædictæ visionis viderentur, solum posset provenire ex eo quod identificantur cum divina essentia, ut constat ex iis, quæ dubio præcedenti diximus : at decreta libera Dei, vel omnia, vel nullum eorum debet identificari cum divina essentia : ergo, vel nullum, vel omnia debent videri.

Tertium.

32 Tertio, determinatio libera divinæ voluntatis nihil reale addit supra actum necessarium, sed solam relationem rationis : ergo non potest ex vi visionis videri. Antecedens patet. Nam si aliquid reale ad-

deret, illud non esset quid necessarium, alioqui non esset aliquid additum supra eundem actum necessarium, neque etiam quid reale liberum, quod proinde potuit esse, et non esse in Deo, alias aliquid reale, quod est in Deo, et est Deus, potuit non esse in illo, et non esse Deus, quod quidem, ut constat, est absurdum : ac proinde illud, quod additur, tantum erit relatio quædam rationis. Consequentia autem probatur. Quia relationes rationis non cognoscuntur, nisi ab intellectu fingente, quandoquidem earum *esse*, in *fingi*, et *cognosci* situm est : at per visionem beatam cognoscitur res sicuti est, quia cognoscitur quidditative, et intuitive : ergo nulla fictio ibidem intervenire potest, media qua prædictæ relationes attingantur.

Quartum. 33 Quarto. Nam si ex vi visionis divinæ essentiæ viderentur, aut videri possent decreta libera Dei, fieret inde, ut cresceret visio in perfectione, ex eo quod ad illa extenderetur : at hoc repugnat : ergo, etc. Sequela videtur certa. Nam extensio ad aliquod objectum, et non qualecumque, sed divinum, et infinitæ puritatis, quale est liberum decretum Dei, non posset non refundere aliquam perfectionem in visionem. Minor autem etiam constat. Nam cum visio Dei sit actus necessarius, habet necessario, et independenter a libero decreto Dei omnem suam perfectionem.

Ultimum. 34 Ultimo. Hujusmodi actus non possunt videri virtute luminis gloriæ, nec essentiæ divinæ, ut habet rationem speciei intelligibilis : ergo nullo modo videntur, aut videri possunt ex vi visionis essentiæ. Consequentia non indiget probatione : quandoquidem nihil potest videri ex vi visionis essentiæ divinæ, nisi virtute luminis gloriæ, et ejusdem essentiæ, ut influit per modum speciei intelligibilis.

Antecedens autem probatur. Tum, quia alioqui prædicti actus liberi non essent per se occulti respectu intellectus habentis lumen gloriæ, et essentiam divinam, sibi unitam in ratione speciei intelligibilis ; siquidem utrumque operatur per modum causæ necessariæ, ac proinde explicat in visione sibi correspondente totam vim, quam habet ad videndum ea, quæ sunt in Deo : hoc autem est falsum, et contra naturam actus liberi : qui per se est occultus omni alio, præter quam illi agenti, a quo elicitur. Tum etiam : quia alias, a quocumque vidente aliquem ex his actibus deberent videri omnes, ut supra dicebamus. Quoniam nec ex parte luminis, nec ex parte essentiæ potest reddi aliqua ratio, propter quam potius quidam ex his actibus, quam alii inspiciantur, cum omnia lumina sint ejusdem speciei, et essentia divina æqualiter repræsentet omnes.

Confirmatur. 35 Confirmatur. Nam si hujusmodi actus viderentur virtute luminis gloriæ, et essentiæ divinæ unitæ in ratione speciei intelligibilis, non posset non ille, qui est magis beatus, videre eosdem, imo plures actus liberos, quam minus beatus : hoc autem est contra communem Theologorum sententiam : ergo etc. Major probatur. Quia magis beatus haberet majus lumen, et essentiam divinam perfectius sibi unitam : ergo si virtute luminis, et essentiæ viderentur prædicti actus, non poterit non magis beatus videre omnes, imo et plures actus liberos, quam minus beatus. Minor autem probatur. Nam juxta doctrinam communiter receptam, ab illis beatis cognoscuntur plures ex his actibus, ad quos spectant plures ex effectibus ad quos ipsimet actus terminantur. Quare cum possit accidere, quod facta collatione inter duos inæqualiter beatos, tunc pertineant plures ex prædictis effectibus ad minus beatum, ex eo quod habuit curam universaliorem in Ecclesia militante, ut si fuisset institutor alicujus Religionis, consequens erit, ut tunc minus beatus debeat cognoscere plures ex his actibus liberis, quam magis beatus.

§ II.

Vera sententia.

Prima conclusio. 36 Dicendum tamen est primo, actus liberos Dei posse videri immediate, et in se ipsis a beatis ex vi visionis divinæ essentiæ, seu formaliter per prædictam visionem. Ita D. Thom. 3. part. quæst. 10. art. 2. in corpore, et ad 2. et quæst. 8. de veritate art. 4. ad 1. quem communiter sequuntur Theologi, exceptis iis, quos § præcedenti retulimus.

Explicatur conclusio. Explicatur assertio. Etenim consulto in ea addita est illa particula *immediate, et in se ipsis*, ut denotetur prædictos actus in particulari sumptos, non posse videri a beatis in essentia divina immediate, id est, tanquam in causa, et in objecto prius cognito, et penetrato, ad eum modum, quo creaturæ possunt in essentia divina, ut in causa, et objecto prius cognito, ac penetrato videri ; sed immediate, et in se ipsis, tanquam aliquid

quid prædictæ essentiæ, eo proportionali modo, quo attributa ex vi visionis beatæ attinguntur. Nam licet in hoc distinguantur ab actibus liberis formaliter sumptis, quod attinguntur in essentia prius quodammodo visa per modum radicis virtualis illorum, secus tamen actus liberi, ut tales; nihilominus prædicta attributa videntur, etiam immediate in se ipsis, tanquam aliquid Dei: ita, ut si per impossibile non attingerentur in essentia, tanquam in radice prius quodammodo visa; nihilominus visio beatifica terminaretur ad ea, ex eo quod sunt aliquid Dei, et in eo formaliter existunt. Unde essentia divina solum concurret ad visionem actuum liberorum, ut talium, per modum speciei intelligibilis, non vero simul, tanquam causa, quæ prius penetrata, et cognita ducat in cognitionem eorum per modum objecti prius visi, ut *quod*. Nam certum est actus liberos Dei in particulari sumptos, et quatenus terminantur ad creaturas futuras, non posse videri in essentia divina, ut in causa, et modo explicato. Tum, quia hoc probant omnia fere argumenta § præcedenti adducta. Tum etiam: quia, ut aliquid ex vi visionis essentiæ prius, modo dicto, visæ videatur, oportet eandem essentiam, ut visam, habere necessariam connexionem cum eo, quod sic videndum est; quam tamen connexionem non esse inter essentiam, et inter actus liberos prædicto modo consideratos, est omnino certum.

Ratio ex Ang. Doct.

37 His ergo suppositis probatur assertio ratione desumpta ex D. Thom. Nam Deus per visionem, qua se ipsum intuetur, attingit decreta libera suæ voluntatis, tanquam aliquid sui: ergo etiam intellectus beatus poterit per visionem beatam videre eadem decreta immediate, et in se ipsis, tanquam aliquid Dei. Antecedens patet. Nam cum prædicta decreta sint realia realitate divina, quippe quæ sunt aliquid Dei, erunt utique cognoscibilia immediate, et in se ipsis ab ipso Deo, tanquam aliquid sui, et per visionem, qua se ipsum intuetur: sicut ob hanc rationem attributa, et relationes videntur hoc modo a Deo ex vi visionis suæ essentiæ. Conseq. vero probatur. Nam cum visio beati sit participatio visionis, qua Deus se ipsum intuetur, poterit terminari ad id ipsum, ad quod visio increata terminatur, dummodo ad illud non desideretur infinitas: constat autem, quod ad visionem istam actuum liberorum Dei, non desideratur infinitas in eadem visione, sicut neque ad intuitionem essentiæ attributorum, aut relationum, ut ex dictis patet.

Confirmatur.

38 Confirmatur. Quia lumen intellectuale unius Angeli potest attingere actus liberos alterius, v. gr. Gabrielis, tanquam aliquid illius, dummodo Gabriel eos ad illum ordinet, quia, eo ipso habent quidquid illis deerat ad hoc, ut sint objectum proportionatum prædicti luminis: ergo etiam lumen intellectus creati per lumen gloriæ, ac proinde per visionem creatam, et beatificam poterit attingere decreta libera Dei, dummodo illa Deus ad prædictum intellectum ordinet. Antecedens communiter admittitur a Theologis in materia de Angelis. Consequentia autem probatur. Quia sicut lumen intellectuale Angelicum est de se proportionatum ad videndos, modo dicto, actus liberos alterius Angeli, ex eo quod habet eandem proportionem ad intuendam essentiam illius, ita lumen gloriæ habens de se proportionem ad videndam essentiam Dei, prout est in se, erit etiam proportionatum ad videndum, eodem modo, decreta divinæ voluntatis, id est, si Deus illa ad intellectum perfusum tali lumine ordinaverit.

Secunda conclusio.

39 Dicendum est secundo nullum beatum videre de facto, aut videre posse omnia decreta libera Dei, ut ad effectus creatos in particulari terminantur: quamvis unusquisque ex vi visionis videat decreta illa, quæ versantur circa effectus pertinentes ad suum statum. Assertio hæc, quoad priorem partem constat ex iis, quæ in tractatu de voluntate Dei disp. 5. dub. 3. dicemus: ubi ostendemus voluntatem divinam non potuisse manere suspensam circa futuritionem, aut non futuritionem cujuscumque creaturæ; et ita de qualibet decrevisse suum *fore, vel non fore*: atque adeo decreta divina extendi ad omnes creaturas possibiles, decernendo de futuris futuritionem ipsarum, de non futuris vero positivam (ut sic dicamus) non futuritionem. Quare cum lumen gloriæ creatum non possit extendi ad omnes creaturas possibiles, nec etiam poterit extendi ad omnia decreta libera Dei quatenus ad illas in particulari terminantur.

Quoad secundam vero partem est D. Thom. 3. part. quæst. 10. art. 2. et 3. cont. Gent. cap. 59. quem sequuntur communiter ejus discipuli, et fere omnes Theologi, et colligitur ex Concilio Senonensi,

ubi habetur, quod beati vident quidquid eorum intersit.

Fundamentalis ratio.

40 Ratio autem fundamentalis pro hac 2. part. desumitur ex D. Thom. loco citato. Quoniam quilibet beatus naturaliter appetit scire ea, quæ ad suum statum pertinent, ut ex se constare videtur : at beatitudo perfecta implet per se ipsam appetitum naturalem, et ordinatum sciendi, quem habet beatus, alioqui non esset beatitudo perfecta : ergo quilibet ex illis per visionem beatam videbit omnes effectus futuros, vel positive non futuros, qui ad suum statum pertinent, ac proinde decreta libera Dei, quæ circa illos versantur. Patet hæc ultima consequentia. Nam per visionem beatam nequeunt prædicti effectus sciri, nisi quatenus habent connexionem cum essentia divina : constat autem prædictos effectus, quoad suam futuritionem vel non futuritionem non habere connexionem cum divina essentia, nisi ratione decretorum suæ voluntatis.

§ III.

Fit obviam argumentis partis negantis.

Ad primum.

41 Ad primum respondetur, solum convincere beatos non videre aliqua decreta libera Dei in particulari sumpta ex vi visionis essentiæ eo modo, quo vident creaturas possibiles, id est, in essentia ipsa, ut in causa prius visa, et penetrata, secus tamen eo proportionali modo, quo intuentur attributa, et relationes, tanquam aliquid ejusdem essentiæ. Nam ad visionem eorum in essentia, ut in causa requirebatur necessaria connexio ipsorum cum eadem essentia ; quam tamen connexionem certum est non reperiri modo dicto acceptam, inter illa, et divinam essentiam. Cæterum ad visionem eorum immediate in se ipsis, et tanquam aliquid Dei, satis est, quod re vera inveniantur in Deo, et quod divina voluntas ea ad intellectum beati ordinet, ut in simili de actibus liberis voluntatis Angelicæ comparatis cum lumine intellectuali alterius Angeli dicebamus.

Ad secundum.

42 Ad secundum (in cujus solutione aliquantulum immorabimur, quia ex ejus intelligentia non parum tota hæc difficultas pendet) dicendum est, quod ex identitate actuum liberorum cum divina essentia, solum colligitur omnes illos videndos esse a beatis, quoad suam realitatem, non vero, prout in particulari terminantur ad omnes creaturas, cognoscendo nimirum in particulari quænam ex illis sint futuræ vel quæ sint non futuræ, aut in communi attingendo quasdam esse futuras et quasdam non futuras ; sed solum omnes creaturas (quæcumque illæ sunt) esse futuras, vel non futuras : sicut ex eo quod omnipotentia identificetur cum divina essentia, tantum infertur videndam esse a quolibet beato secundum suam realitatem, seu secundum omne id positivum, quod ponit in Deo, non autem quoad creaturas possibiles in particulari sumptas.

Animadversio.

Diximus : *Cognoscendo nimirum in particulari quænam ex illis sint futuræ, vel quæ sint non futuræ, aut in communi attingendo quasdam esse futuras, et quasdam non futuras*, quia ut in tract. de voluntate Dei disp. 5. dub. 3. notabimus, cum in Deo non detur voluntas per modum potentiæ, sed per modum actus purissimi, et hæc ratione suæ purissimæ actualitatis non possit manere suspensa, sed necessario debeat terminari ad creaturas uno ex his duobus modis, scilicet, vel volendo, vel nolendo earum futuritionem ; ideo sicut beatus videns omnipotentiam cognoscit eam terminari ad factibile, ut sic, ita idem beatus videns realitatem divinæ voluntatis debet videre eam terminari ad quamlibet creaturam, volendo ejus futuritionem, aut nolendo illam, seu (quod idem quoad præsens est) volendo ejus non-futuritionem, non vero cognoscendo quænam ex illis in particulari sint futuræ, vel quæ non sint futuræ, ut ex se et ex dictis constat, aut attingendo quasdam esse futuras, et quasdam non futuras.

Ratio animadversionis.

43 Et ratio est. Nam licet divina voluntas habeat necessariam connexionem cum aliqua ex his duabus terminationibus jam dictis, vage et confuse sumptis, non tamen cum aliqua ex illis in particulari : et ideo ad intuendam prædictam realitatem sufficit cognoscere, eam terminari ad creaturas, vel volendo, vel nolendo earum futuritionem.

Corollarium.

Unde (ut id obiter dicamus) propter hanc rationem non est necesse cognoscere, etiam in communi creaturas futuras, ut terminant actus liberos divinæ misericordiæ, v. g. ad hoc, ut eadem misericordia per modum actus purissimi, secundum suam realitatem videatur : quia misericordia tantum terminatur necessario,

cessario, ut ad objectum primarium ad divinam bonitatem, quatenus est ratio sublevandi miseriam creatam, modo tamen in eodem tractatu de voluntate Dei disp. 7. num. 63. et deinceps explicando : et non habet necessariam connexionem cum aliqua terminatione secundaria ad creaturas, ut ostendemus ibidem, sed idemmet actus, qui per se primo terminatur ad divinam bonitatem, potest terminari, et non terminari ad creaturas, ut a miseria sublevandas, et manere (si Deo placuerit) sine aliqua terminatione ad illas ; vel si oppositum placuerit (ut de facto placuit) manere cum terminatione ad easdem. Quid autem addat prædicta terminatio supra realitatem actus divinæ misericordiæ, et quomodo eadem realitas connotando hanc potius creaturam, quam illam, ut connotatum inadæquatum ipsius, dicatur terminari ad illam, et esse volitio ipsius, aliaque huc spectantia, in tract. de voluntate Dei late explicabimus.

44 Adde quod licet ad hoc ut actus liberi secundum quod in particulari connotant hanc vel illam creaturam, et ad illam terminantur, possint videri immediate et in se ipsis ex vi visionis divinæ essentiæ, requiratur quod identificentur cum illa; nihilominus in prædictis actibus, modo dicto consideratis, est adhuc peculiaris ratio, propter quam hoc non sufficiat : quia saltim secundum istam rationem et aliam jam explicatam, sunt objectum per se occultum, ex eo quod omnis actus liber cujuscunque voluntatis ex propria natura habet esse, saltim secundum terminationem, objectum occultum et improportionatum respectu cujuscunque intellectus, præterquam respectu intellectus divini, et intellectus illius creaturæ, quæ illos elicit : et ideo nisi Deus ordinet per suam voluntatem suos actus liberos ad intellectum hujus beati potius quam illius, non poterit beatus eos, modo dicto, intueri : non quidem ex defectu intensionis luminis præcise, quandoquidem potest dari eadem, vel major intensio luminis in alio beato, et nihilominus non intueri illos, sed ex defectu prædictæ ordinationis ad intellectum ejus.

Diximus, actus liberos saltim secundum terminationem, esse per se occultos, quia in creaturis, in quibus entitas actuum liberorum, et terminatio eorum est libera, debent prædicti actus, tam secundum suam entitatem, quam secundum terminationem esse liberi, ac proinde per se, et modo dicto occulti, secus vero in Deo : in quo tales actus, quoad realitatem sunt necessarii, non vero quoad terminationes jam explicatas, ut in tractatu de voluntate Dei late dicemus : et propterea, quoad realitatem sunt per se manifesti respectu intellectus videntis Deum, non vero quoad terminationem ad aliquam creaturam in particulari, etc.

45 Ad tertium respondetur, aliud esse, an actus liber sit aliquid reale ; aliud vero, an addat aliquid reale, sive actualiter, sive virtualiter solummodo distinctum ab omni actu necessario Dei. Quare licet actus liber, quo Deus amore charitatis diligit creaturas, non addat aliquid virtualiter distinctum ab actu necessario, quo diligit suam bonitatem : et similiter licet actus misericordiæ nihil addat, etiam virtualiter distinctum ab actu necessario, quo diligit suam bonitatem, ut est ratio sublevandi miseriam creaturarum, qui quidem est virtualiter distinctus ab actu charitatis jam dicto, et sic de aliis; nihilominus quivis actus liber, ut talis semper est aliquid reale et divinum, quamvis hoc reale et divinum non sit distinctum etiam virtualiter a realitate alicujus ex actibus necessariis : et ita non addit, tanquam constitutivum sui, aut quid ad ipsum pertinens, aliquam relationem rationis formaliter sumptam. Ad tertium.

Cæterum hinc non potest colligi, prædictos actus non posse videri ex vi visionis divinæ essentiæ. Nam sicut res se habent ad *esse*, ita et ad *cognosci*. Quare cum prædicti actus quantum ad omnia, quæ pertinent ad genus rei, seu entis, semotis imperfectionibus, sint ita sufficientes, ac si importarent aliquam realitatem, realiter actualiter, aut virtualiter distinctam a quovis actu necessario (quia per eos Deus est æque perfecte volens libere, ac si essent realiter actualiter, aut virtualiter distincti a quavis realitate divina) fit inde, ut absque prædicta distinctione sint etiam sufficientes. quoad omnia, quæ pertinent ad genus objecti cognoscibilis : et ita immediate, et in se ipsis poterunt ad intellectu beato attingi.

46 Ad quartum neganda est sequela. Et ad probationem negandum est antecedens. Nam si actus liberi Dei considerentur secundum realitatem, quam ponunt Ad quartum.

in ipso Deo, debent attingi a quacumque visione quantumvis minima, quia quæcumque est intuitiva, et terminatur ad Deum sicuti est, ac tandem prædicti actus secundum istam rationem sunt omnino necessarii. Si vero sumantur, prout terminantur, v. g. ad aliquem effectum futurum in particulari sumptum, non possunt attingi nisi a visione ita perfecta, et intensa, ut possint extendi ad speciem, seu naturam illam specificam, sub qua talis effectus continetur, semel autem concessa in visione prædicta perfectione, non requiritur, aut additur in illa aliqua perfectio, ex eo quod terminetur ad aliquod, vel aliqua individua contenta sub tali specie, ac proinde nec ex eo quod terminetur ad decreta libera Dei circa illa. Quoniam, ut infra dicemus, visio, quæ potest cognoscere in Deo aliquam speciem, potest attingere, quantum est ex parte luminis, omnia individua contenta sub illa, vel solum quoad possibilitatem, etiam quoad futuritionem illorum, et per consequens decreta Dei circa talem futuritionem; dummodo ponatur conditio jam explicata, scilicet, quod divina voluntas ordinet actum liberum suæ voluntatis, quo decrevit futuritionen illorum, ad intellectum ipsius beati.

Ad ultimum.

47 Ad ultimum negandum est antecedens, dummodo ex parte divinæ voluntatis addatur prædicta ordinatio suorum actuum liberorum ad intellectum beatificum. Nam tunc ex vi luminis gloriæ, et essentiæ divinæ, ut habet rationem speciei intelligibilis, cognoscentur actus liberi. Et ad primam probationem neganda est sequela intellecta de his actibus, secundum quod terminantur ad creaturas, modo jam explicato : quandoquidem, ut nunc dicebamus, requiritur ad eorum cognitionem ordinatio toties a nobis petita, quæ ad instar revelationis quodammodo se habet, et qua posita transeunt ab objecto per se occulto, ad objectum manifestum respectu intellectus beati. Unde licet tam lumen gloriæ, quam visio explicent totam suam virtutem in visione aliorum, quæ sunt in Deo, non tamen in visione actuum liberorum, ut modo explicato terminantur ad effectus futuros, nisi adsit prælicta ordinatio, quæ per se petitur. Ex quo etiam ad secundam probationem constat quomodo ex vi luminis, et essentiæ divinæ solum possint videri illi actus liberi, respectu quorum adest prædicta ordinatio, non vero alii.

Ad confirmationem.

48 Ad confirmationem neganda est major. Et ad probationem concesso antecedenti, neganda est consequentia. Quia hoc quod est videre plures actus liberos, atque adeo quantitas ordinationis, seu manifestationis respectu plurium, vel pauciorum ex illis, non attenditur penes majorem intensionem luminis, et visionis, quo unus beatus est beatior altero. Nam quicumque ex illis videt omnes species, et genera, quæ pertinent ad hoc universum, tam, quoad *esse* naturale, quam quoad *esse* supernaturale illius : atque adeo habet sufficiens lumen, et visionem ex se sufficientem, ad attingendos omnes actus liberos terminatos ad omnia individua futura hujus universi. Sed prædicta quantitas hujus ordinationis, seu hoc, quod est ordinari plures, vel pauciores actus liberos, ad intellectum alicujus beati, commensuratur cum lege præscripta a Deo, qua stabilitum est, ut cuilibet beato solum manifestentur ex vi visionis ea, quæ ad illius statum pertinent. Unde quando dicitur, magis beatum, ac proinde habentem majus lumen, habere etiam perfectiorem visionem : et rursus, eam visionem esse perfectiorem, per quam videntur plura in ipso Deo, intelligitur de excellentiori visione quoad intensionem, et de illis, quæ videntur in Deo ex vi luminis gloriæ præcise sumpti : et non, ut habet manifestationem, et ordinationem jam explicatam, per quam ea, quæ sunt in Deo, peculiariter debeant a divina voluntate ordinari ad intellectum beati, ut dictum est.

DUBIUM IV.

Utrum ex vi visionis divinæ essentiæ possint, aut debeant videri effectus existentes in aliqua differentia temporis?

Quamvis decisio hujus dubii constet ex iis, quæ in præcedenti diximus, nihilominus quia Gabriel Vazquez, et alii aliqua, quoad hoc, solutione, et impugnatione digna, adducunt; ideo dubium præsens ut D. Thom. doctrina magis elucidata maneat, sigillatim excitamus.

Explicatur titulus.

Particula autem illa *ex vi visionis divinæ essentiæ* in titulo adducta, non sumitur radicaliter, ita, ut reddat hunc sensum, nimirum, quod ex visione prædictæ essentiæ oriatur alia notitia, per quam isti effectus attingantur, sive illa cognitio detur mediante divina revelatione, sive mediis propriis speciebus

speciebus talium effectuum ; sed accipitur formaliter, ita, ut ipsamet visio essentiæ sit etiam visio prædictorum effectuum, non quidem accidentaliter, et per aliquid extra propriam lineam ei competens, sed ratione propriæ perfectionis, id est, quæ ei intra propriam lineam conveniat.

§ I.

Opinio negans.

49 Partem negantem tuentur, saltim quoad effectus futuros et præsentes, Durand. in 3. distinc. 14. quæst. 2. num. 4, et in 4. dist. 49. quæst. 3. num. 15. et sequentibus, et cum eo Molina art. 8. hujus quæst. disp. 5. num. 2. Et, quoad eosdem effectus, etiam, ut præteritos, tenent eandem sententiam Gabriel in 3. dist. 14. quæst. 1. art. 1. notabili 3. Major quæst. 3. et Vazquez tom. 3. in 1. part. disp. 50.

Probatur primo. Nam prædicti effectus repræsentantur libere a divina essentia : ergo nequeunt ex vi visionis divinæ essentiæ videri. Antecedens patet. Quia ita repræsentantur, sicut continentur : at continentur in essentia divina libere, seu media determinatione libera divinæ voluntatis : ergo etiam libere repræsentabuntur. Consequentia vero probatur. Quoniam ea, quæ videntur ex vi visionis divinæ essentiæ, seu ex vi propriæ perfectionis illius, debent necessario videri, et necessario repræsentari : ex eo quod sicut propria perfectio visionis convenit illi necessario, ita et videre omnia illa, quæ ex vi perfectionis propriæ attingere potest.

50 Secundo. Quia alioqui, etiam ex vi visionis divinæ essentiæ viderentur prædicti effectus, ut possibiles : hoc autem destruit naturam visionis beatificæ : ergo, etc. Sequela videtur certa ex paritate rationis. Minor autem probatur. Quia tunc prædicta visio esset, et non esset eadem secundum speciem : esset quidem, ut supponitur ; non esset vero, quia terminaretur ad futura, et possibilia sub diversa formaliter ratione : ad illa quidem, quatenus continentur in decreto libero ; ad hæc vero quatenus præhabentur præcise in omnipotentia antecedenter ad decreta.

Confirmatur. Quia si tam futura, quam possibilia viderentur ex vi visionis, tunc eademmet visio esset intuitiva, et abstractiva neque adeo esset, et non esset unica et eadem. Prima sequela patet. Quoniam terminaretur, tum ad res ut existentes et præsentes in æternitate, scilicet ad futura ; tum etiam ad res abstrahentes a prædicta existentia et præsentialitate, nimirum ad possibilia, ut talia. Ex quo etiam secunda sequela constat. Nam tunc visio esset unica, ut supponimus, siquidem ex vi perfectionis intra propriam lineam ei convenientis, utramque attingeret : et simul non esset unica, quoniam notitia intuitiva, et abstractiva, adæquate dividunt cognitionem, sicut rationale et irrationale adæquate dividunt animal : ex eo quod omnis notitia debet terminari, vel ad rem, ut præsentem, atque adeo intuitive, vel, ut absentem, seu abstrahentem a præsentialitate, ac proinde abstractive : ergo quemadmodum propter illam rationem idem animal nequit esse simul rationale et irrationale, sic eadem visio non poterit esse simul intuitiva et abstractiva.

§ II.

Assertio prior pro D. Thom. sententia stabilitur.

51 Dicendum tamen est primo, posse optime ex vi visionis divinæ essentiæ, et per consequens formaliter per eam videri effectus, ut existentes in aliqua differentia temporis. Ita S. Doctor 3. cont. Gent. cap. 59. ubi inquit : Per ipsam visionem divinæ essentiæ cognosci a beatis naturales species, et per cognitionem specierum cognosci individua sub eis existentia. Et art. 8. hujus quæstionis, ubi loquens de iis, quæ per visionem divinæ essentiæ videntur, docet : *Sed horum, quæ Deus facit, vel facere potest, tanto aliquem intellectum plura cognoscere, quanto perfectius Deum videt :* Constat autem, quod per ea, quæ Deus facit, intelligit S. Doctor effectu existentes in aliqua differentia temporis : nam distinguit ea a rebus præcise possibilibus. Et 3. part. quest. 10. art. 2. ad secundum, loquens de iis, quæ anima Christi cognoscit in verbo, seu (quod idem est) ex vi visionis divinæ essentiæ, de quibus argumentum illud fuerat propositum, inquit : *Scit ergo anima Christi omnia, quæ Deus in se ipso cognoscit per scientiam visionis : non tamen omnia, quæ Deus in se ipso cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ.* Quod etiam docet 2. 2. quest. 83. artic. 4. ad secundum.

Unde sanctum Doctorem communiter

sequuntur ejus discipuli, Capreolus in 4. dist. 49. quest. 6. art. 3. in solutione ad argumenta Durandi contra primam conclusionem, et ad argumenta Aureoli, contra secundam, Soto quest. 3. art. 3. Ferrara 3. contra Gent. cap. 59. § *circa prædicta*, Cajetanus in hoc art. si conferatur explicatio tituli cum explicatione conclusionis, et 3. part. quest. 10. art. 2. et loco citato ex 2. 2. Bannez, Zumel, Nazarius, Ripa, Zanardus, Gonzalez in præsenti, et ex aliis fere omnes recentiores.

Ratio fundamentalis pro assertione.

52 Rationem autem fundamentalem hujus assertionis tetigit D. Thom. in art. 8. hujus quest. et art. 6. quest. 14. quæ potest ad hanc formam reduci. Nam essentia divina, ut determinata per decretum liberum suæ voluntatis, potest esse ratio per modum objecti prius cogniti, ac proinde per modum speciei intelligibilis, ad cognoscendum creaturas existentes in aliqua differentia temporis : ergo poterunt ex vi visionis ejusdem essentiæ videri. Consequentia patet. Nam ex vi visionis alicujus essentiæ possunt videri ea, respectu quorum prædicta essentia potest habere rationem speciei, et objecti prius cogniti, ducentis in cognitionem illorum. Antecedens autem probatur. Nam causa continens aliquem effectum, et habens sufficientem immaterialitatem, et unionem cum intellectu, potest habere rationem speciei intelligibilis, et objecti prius cogniti, ducentis in cognitionem effectuum, quos continet, et propterea essentia Angeli unitur hoc modo cum proprio intellectu in ordine ad cognitionem effectuum, qui in illa connaturaliter præhabentur : sed essentia divina determinata per decreta libera suæ voluntatis, continet per modum causæ omnes effectus existentes in aliqua differentia temporis, et habet infinitam immaterialitatem, et intimam unionem cum intellectu beato : ergo poterit uniri cum illo per modum speciei, et objecti prius cogniti in ordine ad visionem eorundem.

Confirmatur.

53 Confirmatur ratione, quam insinuat idem sanctus Doctor, quamque supra tetigimus. Quoniam Deus ex vi visionis propriæ essentiæ, ut determinatæ per sua decreta libera, videt effectus futuros in aliqua differentia temporis : ergo etiam beatus poterit eosdem ex vi visionis ejusdem essentiæ eodem modo determinatæ videre. Consequentia videtur perspicua ex iis, quæ dubio præcedenti circa hanc rationem diximus. Antecedens autem probatur. Quoniam Deus nullum effectum creatum videt extra se, id est, per speciem distinctam a propria essentia, sed omnes illos intuetur in ipsa, tanquam in aliquo, in quo præhabentur : at prædicti effectus continentur in essentia divina, non utcunque, sed determinata per decreta suæ voluntatis : ergo ex vi visionis suæ essentiæ, ut determinatæ per talia decreta attinget illos.

Occurrit Vazq.

54 Occurrit Vazquez tom. 1. in 1. part. disp. 50. cap. 3. num. 24. negando, essentiam divinam posse tanquam causam, et objectum prius cognitum ducere in cognitionem effectuum creatorum ; et ita neque etiam Deum posse in sua essentia, ut in causa, et objecto prius cognito intueri prædictos effectus ; sed attingere illos in sua essentia, ut in cognitione. Quia, ut ipse explicat disp. 60. cap. 2. et 3. cognitio essentialis in Deo est ipsa essentia divina secundum rem, quæ nostro modo concipiendi habet rationem speciei impressæ, actus primi speciei expressæ, seu verbi, et actus secundi, et hoc respectu omnium, quæ a Deo cognoscuntur, sive sint ipse Deus, sive creaturæ : et propterea essentiam divinam solum deservire ad cognitionem sui, et aliorum, quovis ex his modis, non vero per modum causæ, vel objecti prius cogniti.

Impugnatur.

Sed contra. Nam in primis, juxta hanc solutionem, non occurritur sufficienter probationi illi a nobis insinuatæ, scilicet hoc ipso quod cognoscatur causa, ut eminenter continens aliquem effectum, atque adeo, ut potens illum producere, et est determinata ad productionem ejusdem, debere ex vi illius cognitionis attingi talem effectum : quandoquidem repugnat cognosci causam, ut continentem, exempli causa, gratiam sanctificantem, et non cognosci eandem gratiam. Quare, cum Deus, et beati possint cognoscere essentiam divinam, ut eminenter continentem gratiam, et ut est determinata ad productionem illius, tum propter dicta, tum etiam, quia totum hoc convenit essentiæ, prout est in se ipsa, secundum quam rationem est objectum beatificum, consequens est, ut ex vi cognitionis divinæ essentiæ, et modo dicto, possit prædictus effectus a Deo, et a beatis cognosci.

Alia impugnatio.

55 Deinde. Nam hæc solutio est aperte contra D. Thom. loco citato, ex quest. 14. ubi

14. ubi ostendit Deum cognoscere omnes creaturas cognitione propria, seu secundum ea, quæ unicuique competunt, prout ab aliis differt, quia hoc modo in essentia divina eminenter continentur; et propterea ipsum non attingere perfecte suam essentiam, nisi hoc modo creaturas attingat : at hæc ratio necessario involvit, Deum cognoscere creaturas in sua essentia, tanquam in causa, et objecto prius cognito : ergo, etc. Minor probatur. Quia cognoscere creaturas per propriam cognitionem earum, ex eo quod propria ipsarum continentur eminenter in essentia divina, necessario involvit cognoscere illas in prædicta essentia, ut in aliquo eminenter illas continente, atque adeo in eadem, ut in causa, quia non aliter nisi per modum causæ eas eminenter continet, ac proinde necessario etiam involvit cognoscere ipsa in eadem essentia, et in objecto prius cognito : quia causa non aliter nisi ut prius cognita ducit in cognitionem suorum effectuum, ut in omnibus causis inductive constat : ergo, quod creaturæ cognoscantur in essentia divina, ex eo quod continentur in eadem essentia eminenter, necessario importat cognitionem earum in eadem essentia, ut in causa, et objecto prius cognito.

efutatur terius.

56 Tandem. Nam essentia divina non gerit vicem speciei in ordine ad cognitionem creaturarum, nisi quatenus est causa illarum : ergo nec potest ducere in cognitionem earundem, nisi per modum causæ, et objecti prius cogniti. Patet consequentia. Quia species eo modo deseruit ad cognitionem alicujus objecti, quo illud continet, et repræsentat : ergo si essentia divina solum per modum causæ gerit vicem speciei respectu creaturarum, nequibit ducere in cognitionem illarum, nisi per modum causæ, atque adeo nisi per modum objecti prius cogniti : siquidem, ut supra dicebamus, causa ut talis non ducit in cognitionem effectus, nisi ut prius cognita. Antecedens autem probatur. Nam essentia divina nequit habere rationem speciei respectu creaturarum ad eum modum, quo species creatæ repræsentant sua objecta, alioqui haberet ex natura sua ordinari ad repræsentandum illa, et in hoc esset natura ejus sita : sicut species creatæ, quæ hoc ipso quod non repræsentent sua objecta per modum causæ eminenter illa continentis, non habent aliud *esse* præter hoc quod est ordinari ad illa repræsentanda.

57 Ex quo etiam sequitur major impugnatio illius, quod in hac solutione dicitur, scilicet non posse cognosci creaturas in essentia divina, nisi ut in cognitione, seu specie expressa, non vero ut in objecto prius cognito. Nam species expressa et adæquata alicujus speciei impressæ non aliter repræsentat, quam species impressa; siquidem prior et potissima ratio determinans, nostro modo intelligendi, ad intellectionem, et intellectionis modum, nec non et ad speciem expressam, debet esse species impressa : ergo si essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, non repræsentat æque immediate se ipsam et creaturas, sed se ipsam, ut causam, et ut objectum primarium, atque adeo ut prius cognoscendam; et creaturas, ut effectus, ac proinde, ut objectum secundario cognoscendum : consequens est, ut cognitio et species expressa non terminetur ad eandem essentiam, et ad creaturas, nisi sub hoc eodem ordine, ita ut ad essentiam terminetur, ut ad causam, et objectum prius cognitum; ad creaturas vero, ut ad effectus, et objecta secundaria ex vi cognitionis objecti primarii cognita. Rejicitur tandem.

58 Ex quo etiam soluta manet quædam objectio, quam junior quidam adducit, scilicet, quod si effectus futuri in aliqua differentia temporis possent cognosci ex vi cognitionis essentiæ, et per consequens essentia divina haberet rationem speciei intelligibilis respectu illorum, non cognoscerentur eo modo, quo in hac assertione diximus, scilicet cognoscendo essentiam divinam, et determinationem liberam suæ voluntatis, qua ad eorum productionem determinata est : ergo, etc. Antecedens probatur. Quia sufficeret ad eorum cognitionem essentia divina, ut habet rationem specici intelligibilis, et existentia prædictorum effectuum in sua temporis differentia, absque eo quod videretur determinatio libera divinæ voluntatis, sicuti ad hoc ut Angeli videant extra verbum, et per proprias species effectus existentes, satis est quod habeant species repræsentativas illorum, et quod tales effectus existant, absque eo quod cognoscant determinationem suæ causæ : nam eo ipso species illæ repræsentantes antea prædictos effectus præcise, quoad sua essentialia, habent propter suam eminentiam repræsentare etiam eosdem quatenus existentes, ut communiter docent Thomistæ. Objectio.

Diluitur. 59 Respondetur enim, negando antecedens. Et ad probationem negari etiam debet antecedens. Ratio autem disparitatis inter cognitionem Angelicam extra verbum, et visionem beatam, est. Quoniam species Angelicæ, quibus tunc in ordine ad illam cognitionem utuntur, non repræsentant per modum causæ eminenter continentis effectus futuros in aliqua temporis differentia : et ita ad cognoscendos eos ex vi cognitionis elicitæ, per prædictas species, non est necesse, ut illud, quod habet rationem speciei respectu cognitionis eorundem, prius attingatur per modum causæ determinatæ ad tales effectus. Cæterum essentia divina non gerit vicem speciei intelligibilis respectu talium effectuum, nisi per modum causæ, et causæ determiatæ in ordine ad productionem ipsorum : et ita nisi prædicta essentia cognoscatur, ut causa determinata, atque adeo una cum decretis liberis, quibus determinata est, nequit ducere in cognitionem eorundem. Unde quoties aliqui effectus cognoscuntur ab Angelo per cognitionem extra verbum, et non utcunque, sed per aliquid, quod per modum causæ, atque adeo per modum objecti prius cognoscendi, gerat vicem speciei, respectu illorum, non possunt cognosci, quin præcognoscatur causa, determinatio illius in ordine ad productionem eorundem.

Alia objectio. 60 Nec refert si urgeas, non posse cohærere hunc modum repræsentandi cum essentia divina. Nam cum secundum se sit infinita in omni genere, non egebit aliquo alio ad repræsentandos effectus, ut existentes in aliqua differentia temporis.

Solvitur. Non itaque hoc refert. Tum, quia libera determinatio divinæ voluntatis, ut libera est, non addit aliquam perfectionem, etiam virtualiter distinctam, supra alias perfectiones necessarias Dei, ut multi valde probabiliter volunt, et nos in tract. de voluntate Dei art. 3. dub. 8. dicemus. Tum etiam : quia libera determinatio non desideratur ad hoc ut det virtutem repræsentativam essentiæ divinæ, ut habet rationem speciei intelligibilis, sed ad hoc ut determinet, absque imperfectione tamen, virtutem repræsentandi, quam habet. Nam, cum effectus sint repræsentabiles, vel secundum *esse* existentiæ exercitum in aliqua differentia temporis, vel cum positiva exclusione talis exercitii, secundum omnes temporis differentias, et nequeat utrumque simul repræsentari, ut constat, oportet dari aliquid, ratione cujus prædicti effectus habeant determinate, vel exercitium prædictum, vel exclusionem talis exercitii ; ac proinde quod determinet essentiam divinam, ad hoc ut potius repræsentet exercitium existentiæ illorum, quam non exercitium ; cumque hoc non sit esse aliud, quam libera determinatio divinæ voluntatis, a qua habent effectus quod sint futuri, vel non futuri, sit inde, quod prædicta determinatio desideretur, ad hoc ut infinita illa vis repræsentativa, quæ in essentia divina est, determinetur ad repræsentationem prædicti exercitii potius quam non exercitii. Unde sicut in divina potentia non tollit hæc determinatio infinitam ejus vim in ratione potentiæ, ita neque essentiæ divinæ auferet infinitam vim repræsentandi, quæ in ratione speciei convenit.

§ III.

Assertio posterior pro elucidatione sententiæ Angelici Doctoris statuitur.

Fundamentum. 61 Dicendum est secundo, quamvis effectus existentes in aliqua differentia temporis possint videri ex vi visionis divinæ essentiæ, modo explicato, non tamen esse necessarium quod sic videantur sive in particulari, sive in communi ; sed potest essentia divina videri, non visis prædictis effectibus secundum utramque rationem sumptis. Assertio hæc est communis inter Theologos, et ita non erit necesse aliquem in particulari pro ea referre, deduciturque aperte ex dictis, tam in hoc dubio, quam in præcedenti. Quoniam effectus isti nequeunt videri ex vi visionis divinæ essentiæ non visis determinationibus liberis suæ voluntatis : at non est necesse, visa divina essentia, videri has determinationes liberas sive in communi, sive in particulari : ergo neque etiam erit necessarium videri effectus prædictos, aut in communi, aut in particulari. Major cum consequentia satis constant. Minor autem probatur, et explicatur. Nam licet quilibet beatus videat Deum necessario habere circa quamlibet creaturam possibilem aliquod decretum vage sumptum, per quod decernat *fore*, vel *non fore* illius, quia ratione actualitatis divinæ voluntatis nequit manere suspensus circa futuritionem, vel non futuritionem creaturarum, ut in tract. de voluntate Dei disp. 5. dub. 3.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

5. dub. 3. dicemus : attamen non est necesse, ut per visionem divinæ essentiæ determinate videatur, vel quod Deus determinate vult futuritionem hujus creaturæ, potius quam non futuritionem ejus, vel quod Deus habuerit circa aliquas creaturas decretum futuritionis earum, potius quam non futuritionis, ex eo quod determinationes liberæ voluntatis divinæ hoc modo sumptæ, sunt formaliter liberæ, ac proinde sunt objectum per se occultum, ut ex dictis dubio præcedenti constat : ergo ad visionem divinæ essentiæ non erit necessarium videri prædictas determinationes divinæ voluntatis, sive in communi, et modo explicato, sive in particulari. Patet consequentia. Quia per hoc quod non sit necessarium videri prædictas determinationes sive in communi, sive in particulari, nihil aliud intelligimus, nisi non esse necessarium videre determinate, quod Deus vult futuritionem hujus creaturæ in particulari, potius quam non futuritionem illius, quod est cognoscere determinationes liberas Dei in particulari, vel quod circa aliquas creaturas (quæcunque illæ sint) potius habet decretum de futuritione earum, quam de non futuritione, quod est cognoscere eadem decreta, non ut peculiariter applicata alicui creaturæ in particulari, sed aliquibus vage, aut in communi sumptis.

orrobo-atur. 62 Confirmatur. Quia non est necessarium, et indispensabile, ex vi visionis divinæ essentiæ videri omnes effectus existentes in aliqua differentia temporis : ergo nec videri aliquem ex vi ejusdem visionis, sive in communi, sive in particulari acceptum. Conseq. patet. Nam, quoad prædictam necessitatem videndi effectus futuros, ac proinde decreta libera, eadem est ratio de omnibus, et singulis, ex eo quod necessitas indispensabilis videndi omnes, solum potest oriri, ex eo quod decreta libera Dei, ex quorum visione videntur, sunt formaliter in Deo, et ita debent necessario videri ex vi visionis divinæ essentiæ : at hæc ratio, ut constat, æqualiter procedit tam respectu unius ex divinis decretis, quam respectu omnium : ergo, etc. Antecedens autem probatur. Tum quia de die judicii dicitur Matthæi 24. *De die autem illa, et hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater.* Et Marci 13. *De die autem illa, vel hora nemo scit, neque Angeli in cælis, neque Filius, nisi Pater.* Quare cum in utroque loco fiat mentio de Angelis beatis, consequens est, ut ibidem satis significetur prædictum effectum ignorari a beatis. Tum etiam : quia, ut docet Divus Thomas 3. part. quæst. 10. solus Christus Dominus intuetur ex vi visionis omnes effectus futuros : ergo non est necesse, ut hoc cuilibet beato tribuatur.

Objectio. 63 Nec refert, si objicias confirmationem hanc, quod prior probatio antecedentis non videtur esse alicujus roboris ad illud confirmandum, siquidem in prædicto testimonio ex cap. 13. Marci desumpto asseritur, quod neque Filius de die illa judicii scit : sed de Filio, juxta communem interpretationem Patrum solum dicitur ignorare illam, quia nescit ipsam ad eam aliis revelandam : ergo eodem modo, et non alio, Angeli beati illam ignorabunt. Patet consequentia : quia eodem modo de Filio, et de Angelis beatis dicitur ignorare prædictam diem.

Enodatio. 64 Non itaque hoc refert. Quoniam licet eodem modo loquendi materialiter sumpto utatur Scriptura, ad negandum Filio scientiam illius diei ex vi visionis divinæ essentiæ, et ad negandam illam Angelis beatis, non tamen eodem formaliter. Quoniam dum Christo negat visionem illius diei, loquitur de visione ad dicendum, et revelandum eam alteri ; cum vero eam denegat Angelis, denegat eam ipsis absolute, et simpliciter.

Ratio solutionis ex August. Et ratio est aperta. Tum quia juxta regulam ab Augustino traditam, et ab universis Theologis receptam, verba Scripturæ sunt intelligenda in sensu proprio, nisi cum inde sequitur aliquod absurdum. Quare cum ex hoc quod verba illa Marci intelligantur quoad Filium de ignorantia absolute, et simpliciter, aut de ignorantia ex vi visionis, sequatur magnum absurdum, ut ex se, et ex dictis constat, fit inde, ut quoad Filium non sint intelligenda in sensu proprio, sed juxta expositionem datam : quia eam communiter Patres tradunt. Cæterum ex eo quod prædicta verba, quoad Angelos intelligantur in sensu proprio, ac proinde in eis denotetur Angelos beatos nescire absolute, et simpliciter diem judicii, atque adeo neque ex vi visionis illam cognoscere, nullum sequitur absurdum, quippe cum inde nihil vel contra fidem, vel contra rationem naturalem inferatur, et ita debent quoad illos in sensu proprio intelligi.

Alia ratio. 65 Tum etiam : nam Patres dum exponunt prædicta verba, supponunt tanquam certum Angelos absolute et simpliciter ignorare illam diem, et solum explicant, modo jam dicto, quomodo Filius eam igno-

ret. Ita Chrysost. in cap. 24. Matth. hom. 78. et in opere imperfecto hom. 50. Cyrillus lib. 1. de recta fide ad Reginas duobus foliis post initium, Athanasius sermone 4. contra Arianos prope medium, et in epistola ad Amphiloquium in principio Theophyl. et Euthym. super verba relata Matth. August. lib. 1. de Genesi contra Manich. c. 22. et lib. 1. de Trinitate c. 12. Hieronymus in expositione ejusdem testimonii apud Matthæum, et Marcum, et Gregorius lib. 8. registri epist. 42. ad Eulogium citans explicationem Augustini, ita ait : *Unde et Pater solus dicitur scire, quia consubstantialis ei Filius, ejus natura, qua est super omnes Angelos, habet, quod sciat, quod Angeli ignorant.*

§ IV.

Enodatio argumentorum primæ sententiæ.

Ad primum. 66 Ad primum concesso antecedenti in sensu explicato, neganda est conseq. Et ad probationem negari etiam debet antecedens. Unde, sicut voluntas divina ex vi propriæ perfectionis vult creaturas, et nihilominus vult illas libere, non obstante quod perfectio illa, ut talis, reperiatur necessario in Deo, ita beatus poterit ex vi perfectionis necessariæ suæ visionis videre creaturas futuras, quamvis non necessario debeat eas videre. Et ratio est eadem utrobique. Quia nimirum, nec voluntas divina specificatur a creaturis volitis, neque est necessario connexa cum illis, nec visio beata a prædictis effectibus specificatur, nec habet necessariam connexionem cum eisdem : quamvis ratione suæ eminentiæ, et posita manifestatione ex parte liberæ determinationis Dei possit ad illas, ut supra explicatum est, terminari.

Ad secundum. 67 Ad secundum concedenda est sequela, et neganda minor. Et ad probationem dicendum est, quod licet creaturæ possibiles videantur in omnipotentia, et futuræ in eadem omnipotentia, ut determinata per decreta libera, nihilominus adhuc videatur sub eadem formalissima ratione, quia ratio videndi formalissima, semper est aliquid divinum continens prædictos effectus.

Ad confirmationem. Ad confirmationem concedenda est prima sequela, et neganda est secunda. Et ad probationem dicendum est, quod licet daremus rationem notitiæ intuitivæ adæquate dividere notitiam, sive cognitionem, ita ut una et eademmet notitia inferioris rationis non possit simul utramque rationem habere; non tamen id esset admittendum de notitia superioris et eminentis conditionis : hæc enim propter sui eminentiam potest formaliter eminenter esse simul intuitiva et abstrativa respectu diversorum objectorum, ut in præsenti contingit, et ita cognitio, qua Deus intelligit, habet, ut terminatur ad essentiam divinam, esse intuitivam, et ut terminatur ad creaturas possibiles esse abstractivam, ut communiter docent Theologi.

Nec exemplum in argumento adductum obest. Quoniam esse irrationale propter sui imperfectionem non potest adunate, et formaliter contineri in una, et eadem ratione eminenti simul cum rationali, sed unum dicit exclusionem alterius, ut ex se patet.

DUBIUM V.

Utrum ex vi visionis divinæ essentiæ possint videri creaturæ possibiles?

Tituli intelligentia ex dictis dub. præcedenti satis constat.

§ I.

Refertur prior sententia.

Primum argumentum. 68 Partem negantem tuetur Vazquez ubi supra. Probatur primo. Quoniam essentia divina non habet necessariam connexionem cum creaturis possibilibus : ergo non potest esse ratio videndi illas : ergo nec prædictæ creaturæ poterunt ex vi visionis divinæ essentiæ videri. Hæc ult. conseq. patet ex priori : quia idem est creaturas videri ex vi visionis divinæ essentiæ, ac eandem essentiam esse rationem, et medium, quo ducitur intellectus ad earum cognitionem. Prima vero conseq. ex antecedenti aperte sequitur. Quoniam ea, quæ non habent necessariam connexionem quoad *esse*, non poterunt illam habere quoad *cognosci*, ita ut unum sit ratio, et medium ducens in cognitionem alterius. Antecedens autem probatur. Quia quod est necessario connexum cum alio, dicit necessariam habitudinem ad illud, ut patet in potentiis, collatis cum suis objectis : at essentia divina non potest dicere

cere necessariam habitudinem ad possibilia, alioqui secundum illam habitudinem specificaretur ab illis : ergo, etc.

Confir matur. Confirmatur. Nam etiam si nulla creatura esset possibilis, adhuc manerent divina essentia, et omnipotentia : ergo signum est non dicere necessariam connexionem cum illis. Conseq. patet : nam quoties aliqua sunt necessario connexa, toties per ablationem unius tollitur aliud. Antecedens autem constat. Quia essentia, et omnipotentia Dei sunt entia magis necessaria, quam possibilitas creaturarum; quandoquidem sunt entia increata, et a se : si autem per ablationem creaturarum possibilium tollerentur essentia, et omnipotentia Dei, non essent magis necessariæ, quam prædictæ creaturæ.

Secun dum. 69 Secundo. Quoniam nec ex parte divinæ essentiæ, neque ex parte luminis potest assignari ratio, ob quam videantur istæ potius creaturæ, quam illæ : ergo cum non possint videri omnes, alioqui comprehenderetur Deus, ut ex dictis constat , fiet inde, ut nulla earum ex vi visionis videatur. Conseq. patet. Quoniam ad hoc ut possent videri aliquæ, et non omnes, oportebat ut ex parte eorum, quæ ad visionem concurrunt, assignaretur aliqua ratio, propter quam istæ potius quam illæ creaturæ viderentur : cumque solum lumen, seu intellectus illo perfusus, et divina essentia ad talem visionem concurrant, necesse est, ut ex parte alicujus ex his duobus assignetur aliqua ratio, propter quam istæ potius quam illæ creaturæ viderentur.

Antecedens autem quoad priorem partem probatur. Nam essentia divina æque continet, et repræsentat omnes creaturas, cum non contineat aut repræsentet unam mediante alia, sed æque immediate omnes. Quoad 2. vero part. probatur. Quoniam quodvis lumen gloriæ est ejusdem speciei cum alio, siquidem omnia illa terminantur ad idem objectum formale , scilicet ad Deum, ut est in se ipso : ergo ex parte luminum non potest oriri hæc diversitas : quandoquidem ea, quæ sunt idem in ratione principii videndi, non possunt esse ratio diversitatis, quæ est in visione.

Solutio. 70 Dices, lumina gloriæ esse diversa, et inæqualia tam in intensione, quam in perfectione individuali : et ita ratione diversæ intensionis, aut individualis perfectionis posse esse radicem videndi has creaturas potius quam alias.

Impugnatio. Sed contra : nam major aut minor intensio, licet sit ratio cognoscendi perfectiori modo idem objectum, non tamen cognoscendi hoc objectum potius quam illud, ut in habitibus scientiarum naturalium constat : in quibus major intensio non est ratio assentiendi pluribus conclusionibus, aut his potius quam illis intra eandem scientiam contentis, sed assentiendi perfectius eidem conclusioni : sicut etiam major aut minor perfectio individualis præcise sumpta, non potest esse ratio attingendi hoc objectum potius quam illud , ut in eisdem habitibus scientificis cernitur.

Tertium. 71 Tertio. Quia alioqui visa essentia divina, possent videri infinitæ creaturæ possibiles distinctæ secundum speciem : hoc autem est impossibile ; ergo, etc. Falsitas consequentis patet. Nam ad videndum unam creaturam possibilem ex vi visionis, requiritur aliquid luminis gloriæ ; et ad videndam aliam perfectiorem, et distinctam secundum speciem, desideratur aliquid majoris luminis, ac proinde ad videndas infinitas creaturas possibiles distinctas secundum speciem, desiderabitur lumen infinitum, quod tamen implicat dari.

Sequela vero probatur. Quoniam infra quamlibet creaturam possibilem, et signatam possunt produci infinitæ aliæ minoris et minoris perfectionis , sicut supra quamlibet creaturam determinatam possunt produci infinitæ aliæ majoris et majoris perfectionis essentialis, ut expendunt N. Compl. in lib. Phys. : ergo qui viderit quamlibet creaturam determinatam, poterit videre infinitas illas, quæ sunt minoris perfectionis quam ipsa. Patet conseq. Nam sicut hoc ipso quod divina essentia contineat talem creaturam, non ideo ex vi talis continentiæ continet creaturas perfectiores, et propterea non debent istæ cognita illa cognosci , ita, quia hoc ipso quod divina essentia contineat talem creaturam, debet etiam continere illas, quæ sunt infra eam, oporteret ut hac visa, cæteræ aliæ infinitæ, et imperfectiores viderentur.

§ II.

Ex mente D. Thom. difficultatis nodus dissolvitur.

Conclusio. 72 Dicendum tamen est, quod licet omnes creaturæ possibiles nequeant videri ex vi visionis beatæ, possunt tamen videri aliquæ, ita ut juxta majorem, vel minorem perfectionem luminis plures, vel pauciores cognoscantur. Ita D. Thom. in hoc art. et locis statim referendis : quem sequuntur fere omnes Theologi, et ideo ab illis in particulari nominandis abstinemus.

Ratio assertionis quoad primam partem. Ratio autem fundamentalis hujus assertionis, quoad utramque partem jam supra a nobis tacta est, et traditur a D. Thom. loco citato, et in 4. dist. 49 quæst. 2. art. 5. et 3. cont Gent. cap. 55. et 56. potestque quoad priorem partem assertionis probandam sub hac forma proponi. Quia solus ille intellectus cognoscit cognita causâ omnes effectus in illa contentos, qui eam omnino penetrat, ac proinde eandem comprehendit : sed solus intellectus divinus, non vero aliquis alius penetrat omnino, et comprehendit essentiam divinam, quæ est causa creaturarum : ergo solus ille visa eadem essentia cognoscit omnes effectus possibiles in ea contentos. Min. cum conseq. non indigent probatione, suppositis iis, quæ art. præced. diximus. Major autem etiam liquet. Quoniam effectus non videntur ex vi visionis causæ, nisi ea penetrata : ergo solus ille intellectus cognoscet omnes effectus in aliqua causa latitantes, qui eam, et omnes ejus quasi sinus omnino penetraverit.

Ratio quoad secundam. 73 Ex quo etiam secunda ejusdem assertionis pars ratione ejusdem S Doct. probatur. Quoniam licet aliqua visio non penetret omnino causam, ac proinde nec videat omnes effectus in ea contentos ; nihilominus visa causa possunt ex vi visionis illius videri, seu cognosci effectus, qui in illa latitant, ita ut plures, vel pauciores videantur, juxta majorem, vel minorem perfectionem luminis non penetrantis omnino illam : ergo licet visio creata non sit sufficiens ad penetrandam omnino divinam essentiam, quæ est causa creaturarum ; nihilominus ea visa cognoscentur ex vi visionis illius plures, vel pauciores effectus juxta majorem, vel minorem perfectionem luminis. Conseq. non indiget probatione. Antecedens autem patet exemplo ejus, qui habet intellectum elevatiorem. Nam hic statim uno principio demonstrativo proposito, infert ex eo plures conclusiones, juxta majorem, vel minorem elevationem sui intellectus, licet non omnino tale principium penetret, neque ipsum comprehendat ; quod tamen non contingit in eo, qui debilioris ingenii est ; sed oportet quod ei singula explanentur : ergo, etc.

§ III.

Respondetur primo argumento oppositæ sententiæ.

74 Ad primum negandum est antecedens. Et ad probationem respondetur, quod licet plura, quæ sunt necessario connexa cum aliis, debeant dicere habitudinem ad illa, et specificari ab eis, ut contingit in exemplis in argumento propositis, non tamen id est universaliter necessarium : et ita objecta scientiarum, quatenus talia, sunt necessario connexa cum suis scientiis, et nihilominus non dicunt relationem realem ad illas, sive prædicamentalem, sive transcendentalem, ut communiter docent Dialectici, et Metaphysici. Unde licet essentia, et omnipotentia divina sit necessario connexa cum creaturis possibilibus, non tamen hinc sit dicere realiter habitudinem ad illas, vel ab iisdem specificari : quia ratione suæ eminentiæ est omnino libera, et absoluta ab omni respectu, et habitudine per se primo terminata ad creaturas.

Ad confirmationem. 75 Ad confirmationem respondetur, quod data illa hypothesi, tunc divina essentia, et omnipotentia saltim non manerent, ut modo sunt, et ita antecedens saltim in hoc sensu negari debet.

Ad probationem. Ad cujus probationem, ut respondeatur, supponendum est id quod in tract. de volunt. Dei tangemus, nimirum, quod licet ex implicatione creaturarum sequatur, saltim modo dicto, destructio divinæ essentiæ, et omnipotentiæ, et data per impossibile destructione, divinæ essentiæ, et omnipotentiæ divinæ sequatur destructio possibilitatis creaturarum : aliter tamen, et aliter, nam ex impossibilitate creaturarum solum colligitur a posteriori

posteriori destructio jam explicata divinæ essentiæ, et omnipotentiæ, id est, ex vi talis implicationis non sequitur talis destructio ; sed signum est, prius fuisse destructam : sicuti ex absentia lucis ab hoc hemisphærio solum sequitur a posteriori absentia Solis ab eo : et propterea ex vi absentiæ lucis non ponitur absentia Solis, sed solum sequitur, sive colligitur, prius natura abfuisse Solem a prædicto hemisphærio, quam lux abesset : siquidem abest lux, quæ ex præsentia Solis in illo debebat causari.

Cæterum ex destructione, aut impossibilitate divinæ essentiæ, et omnipotentiæ sequitur a priori destructio possibilitatis creaturarum, et ex vi positionis illarum ponitur prædicta possibilitas, et necessitas harum, sicut ex præsentia Solis, debita tamen proportione servata, ponitur præsentia lucis.

Ad probationem antecedentis.

Hinc ergo ad probationem prædicti antecedentis satis constat. Nam cum necessitas essendi, quam habent divina omnipotentia, et essentia, sit causa necessitatis possibilitatis creaturarum, et ex destructione illius sequatur a priori, tanquam ex destructione propriæ causæ, necessitas possibilitatis earundem ; ex destructione vero possibilitatis creaturarum solum a posteriori colligatur destructio essentiæ, et omnipotentiæ divinæ, modo explicato, consequens est, ut essentia, et omnipotentia divina sint entia magis necessaria : quia quoties duo sunt necessaria, et inter se connexa, toties id, quod est causa necessitatis alterius, habet in se majorem necessitatem, juxta illud Aristotelicum axioma : *Propter quod unumquodque tale, et illud magis.*

§ IV.

Diluitur secundum argumentum ejusdem sententiæ oppositæ.

76 Ad secundum negandum est antecedens, quoad utramque partem. Nam in primis aliquo modo ex parte divinæ essentiæ provenit, quod videantur hæ potius creaturæ possibiles quam illæ : quoniam prædicta diversitas potest aliquo modo oriri, ex eo quod ex creaturis contentis in divina essentia, aliæ sint in ea minus latentes, aliæ vero magis in eadem lateant. Unde D. Thom. quæst. 8. de veritate art. 4. ad 12. explicans quomodo ex hoc capite possit aliquo modo provenire, quod hæ potius creaturæ quam illæ a beatis videantur, sic inquit : *Dicendum, quod etiamsi nullo modo ad beatitudinem pertineat creaturæ cognitio, non tamen sequitur quod omnis cognitio creaturæ æqualiter se habeat ad visionem beatitudinis : cognita enim causa aliqua, in promptu est, ut aliqui effectus cognoscantur in ipsa, aliqui vero magis lateant : sicut patet, quod ex principiis demonstrationis statim aliquæ conclusiones eliciuntur, quædam vero non nisi per multa media : et ad hæc cognoscenda non potest quilibet per se, sed oportet quod ab alio manuducatur. Similiter est etiam cognitio rationum intelligibilium de effectibus respectu essentiæ divinæ : quia quædam sunt latentiores, quædam manifestiores ; et ideo ex visione divinæ essentiæ quædam cognoscuntur, quædam non.*

Unde proveniat, quod in divina essentia hæ potius creaturæ quam aliæ videantur.

Et similiter ex parte luminis gloriæ potest provenire prædicta diversitas. Unde idem S. Doct. in hoc art. postquam dixit, eo plures videri effectus in aliqua causa, ac proinde etiam in essentia divina, quo magis prædicta causa penetratur, concludit : *Nullus igitur intellectus creatus videndo Deum potest cognoscere omnia, quæ Deus facit, vel potest facere : hoc enim esset comprehendere ejus virtutem : sed horum, quæ Deus facit, vel facere potest, tanto aliquis intellectus plura cognoscit, quanto perfectius Deum videt.* Quare cum eo perfectius Deus videatur, quo majori lumine videtur, ut idem S. Doct. art. 6. hujus quæst. docet, dicens : *Intellectus plus participans de lumine gloriæ, perfectius Deum videbit*, consequens est ut juxta doctrinam S. Doct. eo quis plures videat creaturas, ac per consequens has potius quam illas, ut statim magis explicabimus, quo amplius de lumine gloriæ habuerit.

Ratio hujus.

77 Potestque hujus rei sufficiens reddi ratio, ex eo quod quantumcumque objectum aliquod sit inæqualiter cognoscibile, attamen intellectus, qui versatur circa ipsum, si nullam habeat inæquatitem collatus cum aliis intellectibus, nequit illud inæqualiter cognoscere. Unde cum Deus sit inæqualiter cognoscibilis a diversis beatis, oportet ut ex parte intellectus, atque adeo ex parte luminis gloriæ detur aliqua inæqualitas, ratione cujus

unus præ alio possit magis divinam essentiam videre, et penetrare.

Et ad probationem contra priorem partem ejusdem antecedentis dicendum est, quod licet concederetur (de quo statim) essentiam divinam æque continere, et repræsentare creaturas possibiles, quatenus per hoc significatur quod non contineat per modum causæ, et consequenter nec repræsentet unam rationem alterius, seu mediante alia, ita ut nequeat eam aliter causare, et repræsentare ; nihilominus eadem essentia non æque continet, et repræsentat omnes illas, quatenus per hoc denotatur, quod omnes æque latenter contineantur, et repræsententur ab eadem essentia : quia ut ex D. Thom. nuper dicebamus, ex effectibus contentis in aliqua causa, et ab illa repræsentatis quidam magis latent, quidam minus, quidam vero sunt fere omnino manifesti. Unde si essentia divina uniatur in ratione speciei, ut continet creaturas manifestiores, videbuntur istæ : si vero, ut continet creaturas magis latentes in ipsa, tunc istæ inspicientur : imo etiam, ut statim magis explicabimus, una cum illis videbuntur etiam creaturæ manifestiores, seu non ita latentes in divina essentia.

Quænam ex creaturis magis lateant in divina essentia.

78 Regula autem ad dignoscendum quænam ex creaturis magis lateant in divina essentia, quæ vero plus in ea pateant, videtur posse desumi ex majori, vel minori perfectione possibili, et in potentia earundem creaturarum, ita ut illæ creaturæ magis lateant, quæ fuerint, tam secundum suam essentiam, quam secundum suum modum essendi perfectiores ; e contra vero illæ sint manifestiores, et non ita (ut sic dicamus) in intimioribus, et profundioribus ejusdem omnipotentiæ finibus contineantur, et lateant, quæ minus perfectionis (modo tamen insinuato) habuerint.

Redditur ratio præcedentis regulæ.

Et ratio hujus reddi potest. Tum quia cum creaturæ, ut continentur virtualiter in Deo, lateant quasi intra sinus suæ potentiæ, oportet ut illæ dicantur magis latere, quæ continentur in omnipotentia, vel ut dicit majorem activitatis gradum virtualiter ab aliis gradibus distinctum (ut alii loquuntur) vel juxta nostram sententiam, ut in eadem simplicissima formalitate absque aliqua distinctione virtuali ipsius exprimit majorem actualitatem in ordine ad producendas creaturas, modo dicto perfectiores. Nam eo ipso essentia divina, ut eas continet, et ut ratio est illas videndi, difficilius attingitur, ac proinde ipsæ magis latitant in illa. Tum etiam (id quod ex præcedenti sequitur) quoniam hoc ipso quod omnipotentia, ut continet aliquas creaturas, exprimat majorem perfectionem, majoremque vim activam, modo explicato, necesse est ut petat majus lumen in intellectu attingente illam, ut dicit prædictam perfectionem, et in particulari continet tales creaturas, ut ex se patet, et art. præced. diximus : et ita necesse etiam erit ut debeat magis ex vi prædicti luminis penetrari, ad hoc ut illæ creaturæ in ea ut in causa inspiciantur : siquidem universaliter loquendo, ideo petitur majus lumen ad cognitionem alicujus effectus in sua causa, quia requiritur major penetratio ejusdem causæ, ad hoc ut talis effectus in ea cognoscatur, et consequenter hinc etiam fiet, prædictum effectum magis latere in eadem causa, alioqui non esset necessaria major illa penetratio causæ ad eum attingendum.

Accedit, quod hoc quod est, creaturas esse latentiores, non potest sumi, nisi vel ex eo quod sint perfectiores quoad essentiam solummodo, vel quoad essentiam, et modum essendi simul, vel ex eo quod sint imperfectiores, quoad utrumque, vel quoad aliquod ex his : at non ex eo quod sint perfectiores quoad essentiam tantum, alioqui gratia sanctificans esset latentior quavis alia creatura, quippe quæ in valde probabili Thomistarum sententia est perfectior quoad essentiam, licet non quoad modum essendi, quam omnes aliæ creaturæ possibiles, ex eo quod est formalis participatio rationis perfectioris, quæ in Deo reperitur, nempe naturæ divinæ, prout est in se. Cum tamen certum sit, prædictam gratiam sanctificantem ab omnibus beatis videri, et minus latenter contineri in divina essentia, quam aliæ creaturæ possibiles, ut ex statim dicendis constabit : nec etiam ex eo quod sit imperfectior quoad essentiam, et modum essendi simul, aut quoad aliquid ex his duobus, alioqui qui cognosceret creaturas hoc modo imperfectiores, posset et deberet cognoscere in eadem divina essentia omnes creaturas, quæ in tota latitudine entis sunt perfectiores quoad essentiam, et modum essendi simul : siquidem, ut in hoc eodem dub. dicemus, qui cognoscit in Deo creaturam latentiorem, potest attingere in ipso creaturas manifestiores, seu non ita in ipso latitantes : ergo necesse est, ut hoc quod est

est creaturam aliquam esse latentiorem in Deo, proveniat ex eo quod sit perfectior, tam quoad essentiam, quam quoad modum essendi simul.

Occurritur probationi pro 2. p. anteced.

79 Ex quo ad probationem pro secunda parte ejusdem antecedentis respondetur fatendo inæqualitatem visionum, ac proinde, quod hæ creaturæ possibiles potius quam illæ videantur non oriri ex luminibus gloriæ præcise secundum suam essentiam consideratis, ut probatio ibidem facta recte concludit. Ceterum id poterit provenire ex inæqualitate intensionis eorundem luminum, ita ut, quo lumen fuerit intensius, eo attingat plures creaturas, et non qualescunque, sed modo dicto magis perfectas.

Ad probationem in contrarium.

Et ad probationem in contrarium dicendum est, quod licet major intensio luminis non sit ratio videndi hoc objectum potius quam illud, quando illa objecta primario terminant cognitionem; attamen cum lumen per se primo terminatur ad aliquod unum objectum, et in eo prius viso, et penetrato, tanquam causa, cognoscit reliqua, tunc major intensio luminis potest esse ratio, quare hæc objecta secundaria potius quam illa attingantur: quia talis intensio est sufficiens ratio majoris penetrationis objecti primarii, atque adeo cognoscendi in illo eos effectus, qui in eodem magis latitant, et consequenter etiam illos, qui ibidem manifestiores sunt, ut statim dicemus.

Ad d quod e scientia cquisita dducebatur.

Nec obest, sed potius prodest illud quod de habitibus scientiarum acquisitarum in hac probatione adducitur. Nam major intensio luminis scientifici, et acquisiti potest aliquando conducere, ad hoc ut in aliqua causa, seu conclusione prius cognita, et magis penetrata cognoscantur plures effectus, seu conclusiones inde deductæ, et ad hoc ut istæ potius quam illæ inferantur, quatenus intensio prædicti luminis potest pertingere, modo tamen alibi dicendo, usque ad majorem, vel minorem penetrationem profundiorum sinuum ejusdem causæ.

Explicatur magis æquata ratio, quam aliæ eaturæ ossibiles in ivina ssentia inspiiantur.

80 Ex quibus omnibus fit, rationem adæquatam, propter quam videntur in essentia divina hæ creaturæ possibiles potius quam illæ, non esse reddendam ex parte solius essentiæ divinæ, ut habet rationem speciei, et causæ creaturarum, aut ex parte solius luminis gloriæ; sed ex parte utriusque: quia repugnat cognosci ex vi visionis beatæ has potius creaturas quam illas, nisi essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, uniatur cum intellectu beato per unionem tantæ, vel tantæ perfectionis, et similiter nisi eadem essentia cognoscatur per modum objecti prius cogniti, ut habet tantam, vel tantam activitatem, modo explicato: at repugnat essentiam divinam sic uniri, sicque videri, nisi intellectus habeat tantam, vel tantam perfectionem, seu intensionem luminis, sicut etiam repugnat, intellectum habentem tantam, vel tantam luminis intensionem, non habere sibi unitam essentiam divinam in ratione speciei intelligibilis, per unionem tantæ, vel tantæ perfectionis commensuratæ cum virtute, et intensione ejusdem luminis: et consequenter non poterit non, saltim per se, et ex natura rei loquendo, videri essentia divina, quatenus continet creaturas tantæ perfectionis.

Objectio.

81 Nec refert si objicias, essentiam, et omnipotentiam divinam, ut per modum causæ continet creaturas perfectiores, non distingui adhuc virtualiter a se ipsa, ut continet creaturas imperfectiores, ac proinde nec ut habet rationem speciei intelligibilis respectu illarum distingui virtualiter a se ipsa, ut est species respectu harum: ergo non poterit uniri cum intellectu beato, ut est ratio videndi creaturas imperfectiores, quin uniatur, ut est ratio videndi perfectiores: quandoquidem ad hoc ut uniretur secundum unam rationem, et non secundum aliam, requirebatur ut esset in ea aliqua distinctio saltim virtualis.

Solvitur.

Non itaque hoc refert. Quoniam ad hoc ut essentia divina uniatur, ut est ratio videndi has creaturas potius quam illas, et ut habet activitatem respectu harum magis quam illarum, non est necesse, ut virtualiter distinguatur, seu quod habeat diversos virtualiter activitatis gradus; sed sufficit quod sit forma eminens, et modo statim explicando, æquivalens pluribus: sicut ad hoc ut eadem essentia uniatur in ratione speciei intelligibilis cum intellectu beato, non vero in ratione visionis, non desideratur eam in ratione visionis sui, et in ratione speciei intelligibilis distingui virtualiter; sed satis est prædicta eminentia, et æquivalentia.

82 Et ratio est eadem utrobique. Quoniam eminentia formæ satis est, ad hoc ut æquivaleat pluribus actu, et realiter distinctis, non minus ac si esset realiter actualiter distincta; et solum distinguitur ab iis, quæ habent virtualem distinctionem in hoc, quod ea quæ

virtualiter distinguuntur, æquivalent pluribus pertinentibus ad distinctas lineas; cum tamen forma eminens, ut talis, et ut non pertingit ad distinctionem virtualem sui, solum æquivaleat pluribus spectantibus ad eandem lineam.

Quare sicut si divina potentia haberet in se multiplicitatem realem actualem graduum, aut potentiarum, posset uniri cum intellectu beato secundum unum gradum, aut potentiam, et non secundum alios, ita per hoc quod sit forma eminens, et æquivalens prædictis potentiis realiter distinctis, et ad eandem lineam pertinentibus, poterit hoc ipsum præstare.

§ V.

Solutio tertii argumenti sententiæ adversæ.

83 Ad tertium concedenda est sequela, si intelligatur de infinitis creaturis possibilibus contentis infra perfectionem alicujus certæ, determinatæ, ac finitæ creaturæ possibilis, ut v. g. infra hominem: secus vero si intelligatur de infinitis creaturis possibilibus non contentis infra perfectionem alicujus certæ, et finitæ creaturæ possibilis. Quoniam ad cognoscendum ex vi visionis beatificæ infinitas creaturas hujus posterioris generis desideratur lumen infinitum: secus vero ad attingendum ex vi ejusdem visionis creaturas infinitas illius prioris generis. Nam lumen, quod sufficit ad videndum in essentia divina speciem hominis plene et perfecte, atque adeo divinam essentiam, ut exprimentem eam activitatis perfectionem, quæ ad ejus productionem desideratur, sufficit ad attingendum omnes creaturas minoris perfectionis, ut statim magis explicabimus.

Ad probationem.

Et ad probationem in contrarium dicendum est, quod licet ad visionem unius ex his creaturis possibilibus specie distinctis, et infra perfectionem hominis contentis, seu non pertingentibus ad ejus nobilitatem, requiratur aliquod lumen, et ad videndam aliam ex his creaturis requiratur majus lumen, et sic in infinitum: non tamen inde fiet, requiri ad omnes illas simul videndas infinitum lumen: quia incrementum luminis requisitum ad perfectiorem, et perfectiorem creaturam ex his intuendam, non fit (ut sic dicamus) per partes, et gradus certæ, et determinatæ magnitudinis, ac aliquotas, sed per partes incertæ, et indeterminatæ magnitudinis, proportionales, et inter se communicantes: et ita non sequitur totum illud lumen requisitum ad collectionem illarum creaturarum videndam fore infinitum; sicut nec ex additione proportionali, et per partes minores, et minores in infinitum quacumque certa, et determinata parte, quæ est in digito, ascendendo a medietate illius, usque ad totum ipsum, non sequitur resultare ibidem magnitudinem aliquam actu infinitam: quia ad hanc inter alia requiritur additio per partes certæ et determinatæ magnitudinis.

Cur augmentum luminis non sit per partes determinatas.

84 Ratio autem, propter quam non debet augmentum illud luminis esse per partes, seu quasi per partes certæ, et determinatæ magnitudinis quantitatis virtutis, potest reddi, tum ex parte prædictarum creaturarum, tum etiam et maxime ex parte divinæ essentiæ, et omnipotentiæ, ut sunt rationes videndi tales creaturas. Ex parte quidem creaturarum, quia etiam ipsæ non se excedunt excessu perfectionis, qui sit certæ et determinatæ quantitatis; ita ut si quantitas perfectionis unius sit ut unum, tunc species illi suo modo immediata habeat perfectionem, ut duo vel ut unum et dimidium: sed habet perfectionem ut unum, et aliquid amplius: ita tamen ut illud amplius non debeat esse alicujus certæ et determinatæ magnitudinis, seu perfectionis, sed incertæ et indeterminatæ, minoris scilicet, et minoris quacumque determinata perfectione signabili. Ex parte vero divinæ essentiæ et omnipotentiæ, quia essentia Dei, et omnipotentia illius, ut continent omnes has creaturas, non excedunt excessu infinitæ perfectionis se ipsas, ut continent aliquas ex illis: sicut ipsæmet, quatenus continent omnes creaturas possibiles, excedunt excessu infinito se ipsas, ut continent has vel illas, seu exprimunt perfectionem infinite eminentiorem, quam ut continent has vel illas.

Corollarium.

85 Ex quo etiam sequitur illud, quod supra tetigimus, nimirum illud lumen gloriæ, quod sufficit ad videndum in Deo aliquam speciem creatam, sufficere ad videndas omnes creaturas possibiles, quæ tam quoad essentiam, quam quoad modum essendi sunt infra perfectionem illius. Tum quia lumen sufficiens ad cognoscendum Deum, ut exprimit majorem virtutem

virtutem activam, sufficit etiam ad attingendum illum, ut exprimit minorem vim agendi. Tum etiam : quia virtus habens vim penetrandi magis aliquam causam, habet etiam vim ad penetrandam illam minus. At ad cognoscendas in Deo creaturas perfectiores, requiritur major penetratio divinæ essentiæ ex eo, quod prædictæ creaturæ sunt in eo magis latentes : e contra vero ad cognoscendas ni eo creaturas imperfectiores, non est necessaria tanta penetratio, sed sufficit minor : ergo lumen, quod fuerit sufficiens ad cognoscendas in Deo creaturas perfectiores, sufficiet ad attingendas in illo imperfectiores.

emplo plica- tur.

86 Potestque hoc explicari exemplo caloris ut octo, qui hoc ipso, quod talis, potest præstare quidquid alii calores minus intensi præstant : ex eo, quod intensio majoris radicationis, ut octo, continet virtualiter modos radicationis minoris intensionis. ut N. Complut. 1. de Generat. disp. 4. quæst. 9. ostendunt. Ita ergo lumen gloriæ habens intensionem, v. g, ut octo, poterit præstare quidquid lumen minus intensum ratione minoris intensionis præstat; ac proinde si lumen, ut quinque potest videre has potius creaturas, quam illas, etiam lumen, ut octo, poterit quatenus virtualiter continet intensionem, ut quinque, eas videre, et insuper aliquas alias excellentiores, quæ ei ratione suæ majoris intensionis debent correspondere.

§ VI.

Objectiones contra solutionem hujus ultimi argumenti, et enodatio earum.

bjec- tio ima.

87 Nec refert, si contra ea, quæ in solutione hujus ult. argumenti diximus, objicias primo, ex eis sequi, quod si cognita creatura perfectiori, tam quoad essentiam, quam quoad modum essendi, cognoscuntur ex vi illius visionis omnes creaturæ imperfectiores, quoad essentiam, et modum essendi, fiet inde, ut visa gratia, quæ est perfectior quoad essentiam, licet non quoad modum essendi, videndæ sint omnes aliæ creaturæ quoad essentiam, licet non quoad modum essendi. Patet sequela, tum ex paritate rationis, tum etiam : quia ideo visa creatura perfectiori quoad essentiam, et modum essendi, videntur imperfectiores quoad utramque : quia essentia divina, ut continet perfectiorem, dicit majorem perfectionem, ad quam non potest visio pertransire, nisi per minorem : sed etiam eadem essentia, ut continet gratiam, quoad essentiam, exprimit majorem perfectionem, quam, ut continet alia quoad essentias, ad quam proinde majorem perfectionem non potest visio pervenire, nisi fiat transitus per minorem : ergo, etc.

Diluitur.

Respondetur negando sequelam. Et ad primam probationem neganda est paritas, ut ex statim dicendis patebit. Ad secundam probationem distinguenda est major, et si intelligatur de majori perfectione, tam in genere entis, quam in genere objecti, concedenda est : secus vero si de majori perfectione præcise in genere entis intelligatur, et eodem modo distinguenda est minor, quoad primam partem, et neganda si intelligatur de majori perfectione in genere objecti ; secus vero in *esse* rei. Quia divina essentia, ut continet gratiam, est perfectior in *esse* rei, quam, ut continet creaturam intellectualem valde perfectam, ut Angelum perfectissimum, non vero in *esse* objecti, quia non petit cognosci tanto lumine, ut continet istam, quam ut continet illum, eo quod ista est manifestior in essentia divina, quam ille : quia cognita natura divina prout est in se, facilius deducitur esse communicabilem illo expresso modo, qui ibi elucet, scilicet per modum radicis videndi Deum, quam esse communicabilem aliis modis. Sicut visa Trinitate, et infinitate personarum, facile est deducere mysterium Incarnationis, consistens in hoc, quod una persona divina terminet alienam naturam. Unde neganda est secunda pars minoris, necnon et consequentia, ut ex dictis constat.

Replica.

88 Nec refert etiam, si contra solutionem hanc urgeas, sequi ex ea esse magis latentem formicam in Deo, quam creaturam intellectualem, v. g. hominem, ac proinde requiri majus lumen ad illam, quam ad istum in Deo videndum. Patet sequela. Quia habet majorem convenientiam cum Deo secundum ea, quæ videntur formaliter in illo, scilicet secundum intellectualitatem ; et ratio, propter quam gratia est minus latens, est, quia habet majorem similitudinem cum Deo.

Respondetur.

Respondetur negando sequelam. Quia gratia non ideo est minus latens, quia ha-

bet utcunque similitudinem cum Deo, sed quia habet similitudinem in aliquo prædicato, quod est in illa eo modo, quo est in Deo, prout est in se ipso, scilicet in vi ad intelligendum se prout est in se ipso : sicut etiam alia accidentia supernaturalia sunt minus latentia in Deo, quia participant, modo disp. 3. dub. 2, § 4. et 5. insinuato, aliquid proprium Dei prout est in se ipso. Unde quævis alia similitudo non reddit objectum minus latens in Deo, sed juxta regulam num. 78. datam, scilicet juxta majorem, vel minorem perfectionem, tam quoad essentiam, quam quoad modum essendi, habet prædictum objectum, esse magis, vel minus latens in divina essentia,

Alia replica.

89 Nec deinde refert, si contra prædictam solutionem urgeas, quod cognita gratia, necesse est cognoscere visionem, atque adeo creaturam intellectualem, quæ illam elicitura est : et ita non erit magis abscondita talis creatura, quam formica.

Enodatio.

Respondetur, inde ad summum convinci, cognoscendam esse creaturam intellectualem quoad potentiam obedientialem, quæ etiam est supernaturalis, per quam concurrit : et licet inde possit deduci cognitio potentiæ naturalis, est tamen in hoc major aliqua difficultas : et ideo hæc est latentior.

Additamentum.

Adde, solum, quoad *an est* posse cognosci ex vi solius, et præcise cognitionis potentiæ obedientialis potentiam naturalem, tanquam id, cum quo habet aliquam connexionem, ac proinde, tanquam terminum, non vero quidditative, et eo modo, quo gratia; et adduc tunc non nisi ratione potentiæ naturalis intellectivæ ut sic.

Secunda objectio.

90 Nec rursus refert, si secundo, et principaliter contra dicta in prædicta solutione ad idem ultimum argumentum initio hujus dubii adductum objicias, quod ad hoc, ut Deus contineat hominem, non est necesse, ut contineat formicam, et alias creaturas, quoad essentiam, et modum essendi imperfectiores : ergo ad hoc, ut ducat in cognitionem hominis, non est necesse, ut ducat in cognitionem formicæ, et prædictarum creaturarum. Patet consequentia, Tum quia ducit ex eo, quod continet : ergo si ad hoc, ut contineat hominem, non est necesse, ut contineat formicam, nec etiam erit ad hoc, ut ducat in cognitionem hominis, quod ducat in cognitionem formicæ. Tum etiam: quia ita se habet res ad *esse*, sicut ad *cognosci* : ergo quæ non sunt necessario nexa quoad *esse*, neque etiam quoad cognosci. Antecedens autem probatur. Quoniam etsi implicaret formica, cæteræque aliæ creaturæ imperfectiores homine, et per consequens licet prædictæ creaturæ non continerentur in Deo, non tamen idcirco implicaret homo, aut desineret in divina essentia, et omnipotentia conneri.

Occurritur.

91 Respondetur enim, quod etsi concedatur antecedens, debet negari consequentia. Et ad primam probationem, concesso antecedenti, neganda etiam est consequentia. Quoniam licet essentia divina prius visa ducat in cognitionem prædictarum creaturarum homine ignobiliorum, quia continet eas, et hoc ipso, quod eas contineat, ducat in illarum cognitionem, quoties homo in eadem essentia divina contentus videtur in Deo, et similiter quamvis non sit necessarium ex parte effectuum, quod, ut Deus contineat hominem, contineat v. g. formicam, ac proinde præhabitio hominis in Deo non pendeat, ex eo, quod formica contineatur in ipso : nihilominus, quod homo in divina essentia videatur, potest pendere ex eo, quod eadem formica hoc ipso, quod contineatur in Deo, habeat etiam videri in ipso.

Disparitas.

Et ratio disparitatis desumitur ex essentiali subordinatione, quæ est inter gradus intensionis in lumine gloriæ desideratos ad videndum hominem in essentia divina, et eos, qui requiruntur ad videndam formicam : et ex defectu (ut sic dicamus) subordinationis adhuc virtualis inter continentiam, qua Deus continet eundem hominem, et formicam, et ab eo continentur. Nam gradus intensionis luminis gloriæ, v. g. ut quinque, desiderati ad videndum hominem in Deo, et gradus intensionis, v. g. ut duo, ad intuendum in eo formicam, sunt essentialiter subordinati ex vi propriæ lineæ : ita ut gradus, ut quinque, præcontineat gradum ut duo, et visio, ut quinque divinæ essentiæ visionem ut duo ejusdem, et Deus ut visibilis, ut quinque præhabeat in ratione objecti quodammodo se ipsum, quatenus visibilem, ut duo : et ideo nequit beatus per lumen, et visionem, ut quinque videre Deum, nisi videat illum per lumen, et visionem, ut duo eminenti quadam

quadam ratione ibidem repertam : sicut nequit dari calor, et calefactio ut quinque, nisi ibi eminenti quadam ratione inveniatur calor, et calefactio ut duo : et ideo nequit homo petens lumen, ut quinque v. g. videri in Deo, quin videatur in eo simul formica exigens lumen, ut duo.

Cæterum continentia, qua Deus continet formicam, non habet adhuc virtualiter, et seclusis imperfectionibus, subordinari continentiæ, qua continet hominem. Quia licet implicaret formica, non esset necessarium per locum saltim intrinsecum, quod implicaret homo, et e converso : cum tamen si implicaret lumen, ut duo, implicaret lumen, ut quinque Quia, licet homo non debeat præhabere perfectionem formicæ, attamen lumen, ut quinque non potest non eminenter continere perfectionem luminis, ut duo, præstando id, quod prædictum lumen ut duo præstaret. Per quod ad secundam probationem patet.

92 Secundo respondetur, quod etsi non sit necessarium, creaturam perfectiorem continere virtualiter, et eminenter creaturas imperfectiores, attamen essentia divina omnes illas præcontinens, oportet, ut præcontineat creaturas imperfectiores, ad hoc, ut præcontineat superiores. Et ratio est. Quoniam creaturæ specie diversæ excedunt se in perfectione essentiali, ad hunc autem excessum non est necesse, ut una præcontineat perfectionem alterius, sed sufficit, quod habeat perfectionem aliam meliorem, quæ excedat perfectionem creaturæ ignobilioris. Cæterum essentia, et omnipotentia divina ob sui eminentiam debent præcontinere omnes perfectiones cunctarum creaturarum ; ita quidem, ut eo requirant majorem, et (ut sic dicamus) intensiorem perfectionem, quo creaturæ sunt perfectiores : ac proinde ad continendam creaturam perfectam ut quinque petant perfectionem, seu intensionem, v. g. ut quinque. Quare cum perfectio ut quinque nequeat connaturaliter dari in eo, qui habet simul perfectionem ut ter, nisi prius habeat hanc eandem perfectionem, ut ter, inde est, ut divina essentia, et omnipotentia continentes omnem perfectionem omnium creaturarum, et per consequens virtutem effectivam earum, nequeant continere creaturas perfectiores, quin prius nostro modo concipiendi contineant imperfectiores.

Potestque hoc explicari exemplo graduum intensionis in opinione eorum, qui dicunt intensionem fieri per additionem gradus ad gradum, et hos esse heterogeneos : ita ut gradus caloris ut octo, non præcontineat gradum caloris, ut 6. Nam juxta hunc dicendi modum, satis est ad calorem ut 8. quod dicat gradum nobiliorem, licet talis gradus alicubi, aut in eo, qui omnes gradus habet, non possit connaturaliter inveniri, nisi illudmet subjectum, quod est calidum, ut 8. habeat prius alios gradus heterogeneos caloris ut 6. vel ut 5. etc. Ita ergo in præsenti, proportione servata, philosophandum est.

Tertia objectio.

93 Nec præterea obest, si tertio principaliter objicias, quod si cognita creatura nobiliori, tam quoad essentiam, quam quoad modum essendi simul, debeant cognosci creaturæ quoad utrumque imperfectiores ; fieret inde, ut cognita gratia, et accidentibus supernaturalibus, cognoscerentur etiam omnia accidentia possibilia ordinis naturalis, et per consequens omnes substantiæ possibiles, quibus talia accidentia sunt connaturalia : hoc autem admitti non debet, ne quilibet beatus videns in Deo gratiam, et alia accidentia supernaturalia, videat etiam in eo omnes creaturas possibiles. Sequela quoad primam partem videtur perspicua. Quoniam gratia, et accidentia supernaturalia sunt perfectiora quoad essentiam, quam alia accidentia ordinis naturalis, ut ex se constat, et non sunt imperfectiora quoad modum essendi, sed potius perfectiora, quippe quæ licet habeant modum essendi in alio, sicut alia accidentia naturalia, nihilominus talis modus essendi est ordinis divini. Quoad secundam vero partem eadem sequela videtur certa. Quoniam lumen, quod sufficit ad videndum in Deo accidentia naturalia, quæ connaturaliter conveniunt alicui substantiæ, sufficit ad videndum in ipso eandem substantiam. Et ideo lumen, quod sufficit ad intuendum in Deo proprietates essentiæ hominis, sufficiet etiam ad intuendum in illo prædictam essentiam : ergo si visa gratia, et aliis accidentibus supernaturalibus, debent videri omnia accidentia naturalia, ut ex probatione primæ partis hujus consequentiæ constat, consequens erit, ut debeant etiam videri omnes substantiæ creatæ, et creabiles, quibus prælicta accidentia sunt connaturalia.

Solvitur. 94 Respondetur enim negando sequelam quoad utramque partem. Et ad probationem prioris, ex qua pendet probatio posterioris, dicendum est, quod regula illa a nobis adducta, nempe beatum videntem in Deo creaturas perfectiores quoad essentiam, et modum essendi simul, visurum etiam creaturas ignobiliores quoad utrumque, debet intelligi de creaturis perfectioribus, quæ discunt naturam aliquam completam; ita ut non solum afferant quantitatem virtutis, et efficacitatis proximæ in ordine ad aliquam operationem, sed etiam se ipsis tribuant commensurationem essentialem in ordine ad prædictam operationem.

Quare cum gratia, et alia accidentia supernaturalia non dicant naturam aliquam completam, sed solum quantitatem virtutis, et efficacitatis proximæ, illa quidem per modum radicis ad videndum Deum, ista vero per modum dispositionis ejusdem ordinis, conducentis, et disponentis aliquo modo ad eandem visionem, et gratiam; propterea visa gratia, et aliis accidentibus supernaturalibus, non debent videri omnia alia accidentia naturalia.

Ratio autem, ob quam regula illa debet intelligi de naturis integris, et completis, et ex se dicentibus, tam commensurationem essentialem, quam quantitatem virtutis in ordine ad proprias operationes, non vero de accidentibus importantibus solam quantitatem virtutis ad videndum Deum, vel ad aliquem effectum supernaturalem, aliquo modo ad hoc conducentem, vel disponentem, jam supra in hoc eodem dubio tacta est, dum diximus, gratiam, et alia accidentia supernaturalia habentia se ad instar proprietatis, aut quasi proprietatis respectu illius, habere propter specialem conditionem suam, quod sint minus latentia in divina essentia. Quare cum omnia ista ob peculiarem etiam rationem suam, tantum dicant quantitatem virtutis, et efficacitatis proximæ in ordine ad effectus jam dictos, non vero quantitatem virtutis, et commensurationem essentialem simul, ac proinde gratiam sanctificans afferat quantitatem virtutis, et efficacitatis proximæ per modum radicis in ordine ad eandem visionem; et lumen gloriæ importet quantitatem virtutis potentiæ proximæ ad videndum Deum, inde est, ut regula jam dicta non debeat intelligi de iis creaturis ordinis supernaturalis dicentibus solam quantitatem virtutis, v. gr. ad videndum Deum, sed de naturis integris, et completis afferentibus ex se, et ex propriis meritis, tam commensuratio em essentialem quam quantitatem virtutis in ordine ad operationes proprias.

Alia objectio. 95 Ex quo etiam manet soluta alia objectio, quæ hic poterat fieri, nempe, quod omnes creaturæ possibiles sunt quoad essentiam imperfectiores, quam gratia sanctificans, et insuper secundum suam essentiam consideratæ abstrahunt a modo essendi substantiali, vel accidentali, et ita possunt in speciebus intelligibilibus, per quas repræsentantur, habere modum essendi accidentalem : ergo visa in Deo gratia, videbantur essentiæ aliarum creaturarum possibilium, vel secundum se, vel saltim ut habent esse in suis speciebus intelligibilibus, in quibus est propria natura earum, sub alio tamen modo essendi accidentali, ut in tract. de scientia Dei disp. 2. dub. 2. dicemus.

Respondetur. Ex dictis igitur hæc objectio manet soluta : siquidem sit collatio inter naturam integram, et totalem creaturarum possibilium, et inter accidentia, quæ dicunt solam quantitatem virtutis jam explicatam. Quibus etiam addi potest, satis esse, quod essentiæ creaturarum usque in infinitum possibilium, v. gr. substantialium, non abstrahant a modo per se essendi naturali, et entitativo, quem in se ipsis habent, et a modo essendi in alio, quem in specie accidentali illarum repræsentativa, et non superexcedente earum perfectionem retinent, ad hoc, ut non videantur necessario in Deo, hoc ipso, quod essentiæ non abstrahentes a duobus illis modis essendi per se, et in alio inspiciantur : et ita visa gratia creata sanctificante, quæ sub conceptu gratiæ creatæ non abstrahit a modo substantiali essendi per se, et in alio, sed necessario debet esse accidens, non oportet, ut aliæ creaturæ in infinitum possibiles videantur.

Additamentum.

ARTICULUS IX.

Utrum ea, quæ videntur in Deo, a videntibus divinam essentiam per aliquas similitudines videantur?

1 Ad nonum sic proceditur. Videtur, quod ea, quæ videntur in Deo, a videntibus divinam essentiam per aliquas similitudines videantur : omnis enim cognitio est per assimilationem cognoscentis ad cognitum : sic enim intellectus in actu fit intellectum in actu, et visus in actu visibile in actu, in quantum ejus similitudine informatur, ut pupilla similitudine coloris : si igitur intellectus videntis Deum per essentiam intelligat in Deo aliquas creaturas, oportet, quod earum similitudinibus informetur.

2 Præterea

2 Præterea, ea, quæ prius vidimus, memoria retinemus : sed Paulus videns in raptu essentiam Dei (ut dicit Aug. 12. sup. Genes. ad litteram) postquam desiit essentiam Dei videre, recordatus est multorum, quæ in illo raptu viderat : unde ipse dicit, quod *audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*, 2. Corinth 12. Ergo oportet dicere, quod aliquæ similitudines eorum, quæ recordatus est, in ejus intellectu remanserint. Et eadem ratione quando præsentialiter videbat Dei essentiam, eorum, quæ in ipsa videbat, aliquas similitudines, vel species habebat.

Sed contra est, quod per unam speciem videtur speculum, et ea, quæ in speculo apparent : sed omnia sic videntur in Deo, sicut in quodam speculo intelligibili : ergo si ipse Deus non videtur per aliquam similitudinem, sed per suam essentiam, nec ea, quæ in ipso videntur per aliquas similitudines, sive species videntur.

Respondeo dicendum, quod videntes Deum per suam essentiam, ea, quæ in ipsa essentia Dei vident, non vident per aliquas species, sed per ipsam essentiam divinam intellectui eorum unitam : sic enim cognoscitur unumquodque, secundum quod similitudo ejus est in cognoscente. Sed hoc contingit dupliciter. Cum enim quæcunque uni, et eidem sunt similia, sibi invicem sint similia, virtus cognoscitiva dupliciter assimilari potest alicui cognoscibili : uno modo secundum se, quando directe ejus similitudine informatur, et tunc cognoscitur illud secundum se : alio modo, secundum quod informatur specie alicujus, quod est ei simile : et tunc non dicitur res cognosci in se ipsa, sed in suo simili. Alia enim est cognitio, qua cognoscitur aliquis homo in se ipso, et alia, qua cognoscitur in sua imagine : sic ergo cognoscere res per earum similitudines in cognoscente existentes, est cognoscere eas in se ipsis, seu in propriis naturis, sed cognoscere eas, prout earum similitudines præexistunt in Deo, est videre eas in Deo : et hæ duæ cognitiones differunt. Unde secundum illam cognitionem, qua res cognoscuntur à videntibus Deum per essentiam, in ipso Deo non videntur per aliquas similitudines alias, sed per solam essentiam divinam intellectui præsentem, per quam et Deus videtur.

Ad primum ergo dicendum, quod intellectus creatus videntis Deum assimilatur rebus, quæ videntur in Deo, in quantum unitur essentiæ divinæ, in qua rerum omnium similitudines præexistunt.

Ad secundum dicendum, quod aliquæ potentiæ cognoscitivæ sunt, quæ ex speciebus primo conceptis alias formare possunt. Sicut imaginatio ex præconceptis speciebus montis, et auri, format speciem montis aurei, et intellectus ex præconceptis speciebus generis, et differentiæ format rationem speciei, et similiter ex similitudine imaginis formare possumus in nobis similitudinem ejus, cujus est imago. Et sic Paulus, vel quicunque alius videns Deum, ex ipsa visione essentiæ divinæ potest formare in se similitudines rerum, quæ in essentia divina videntur. Quæ remanserunt in Paulo etiam postquam desiit Dei essentiam videre. Ista tamen visio, qua videntur res per hujusmodi species sic conceptas, est alia à visione, qua videntur res in Deo.

Conclusio.

Creaturæ visæ in essentia divina non videntur per aliquas species creatas, sed per ipsam essentiam divinam unitam in ratione speciei intelligibilis.

Circa hanc conclusionem videantur ea, quæ art. 2. et 8. hujus quæst. diximus.

ARTICULUS X.

Utrum videntes Deum per essentiam, simul videant omnia, quæ in ipso vident ?

1 Ad decimum sic proceditur. Videtur quod videntes Deum per essentiam non simul videant omnia, quæ in ipso vident. Quia secundum Philosophum contingit multa scire, intelligere vero unum : sed ea, quæ videntur in Deo, intelliguntur : intellectu enim videtur Deus : ergo non contingit à videntibus Deum simul multa videri in Deo.

2 Præterea. Augustus. dicit. 8. super Gen. ad litteram, quod Deus movet creaturam spiritualem per tempus, hoc est per intelligentiam, et affectionem : sed creatura spiritualis est Angelus, qui Deum videt : ergo videntes Deum successive intelligunt, et afficiuntur ; tempus enim successionem importat.

Sed contra est, quod August. dicit ultim de Trinit. Non erunt volubiles nostræ cogitationes ab aliis in alia euntes, atque redeuntes : sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus.

Respondeo dicendum, quod ea, quæ videntur in verbo, non successive, sed simul videntur. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod, ideo nos simul non possumus multa intelligere, quia multa per diversas species intelligimus : diversis autem speciebus non potest intellectus unius simul actu informari ad intelligendum per eas : sicut nec unum corpus potest simul diversis figuris figurari. Unde contingit, quod quando aliqua multa una specie intelligi possunt, simul intelliguntur. Sicut diversæ partes alicujus totius, si singulæ propriis speciebus intelligantur, successive intelliguntur, et non simul. Si autem omnes intelligantur una specie totius, simul intelligentur. Ostensum est autem, quod ea, quæ videntur in Deo, non videntur singula per suas similitudines, sed omnia per unam essentiam Dei. Unde simul, et non successive videntur.

Ad primum ergo dicendum, quod sic unum tantum intelligimus, in quantum una specie intelligimus. Sed multa una specie intellecta, simul intelliguntur. Sicut in specie hominis intelligimus animal, et rationale, et in specie domus parietem, et tectum.

Ad secundum dicendum, quod Angeli quantum ad cognitionem naturalem, qua cognoscunt res per species diversas eis inditas, non simul omnia cognoscunt. Et sic moventur secundum intelligentiam per tempus, sed secundum, quod vident res in Deo, simul eas vident.

Conclusio est affirmativa.

Contra eam tamen plura solent adduci, ad probandum esse impossibile, quod infinita simul, et distincte intelligantur ; ac proinde, quod beati simul videant omnia, quæ in Deo vident : quia hæc possunt esse infinita. Cæterum omnia ista ex iis, quæ art. 8. diximus, manent soluta.

ARTICULUS XI.

Utrum aliquis in hac vita possit videre Deum per essentiam ?

1 Ad undecimum sic proceditur. Videtur, quod aliquis in hac vita possit Deum per essentiam videre. Dicit enim Jacob Gen. 32. *Vidi Deum facie ad faciem :* sed videre facie ad faciem est videre per essentiam, ut patet per illud, quod dicitur 2. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum, et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem :* ergo Deus in hac vita per essentiam videri potest.

2 Præterea. Numeri 12. dicit Dominus de Moyse : *Ore ad os loquor ei :* sed qui ore ad os loquitur Deo palam, et non per ænigmata et figuras, videt Deum : sed hoc videre, est Deum per essentiam videre : ergo aliquis in statu hujus vitæ potest Deum per essentiam videre.

3 Præterea illud, in quo alia omnia cognoscimus, et per quod de aliis indicamus, est nobis secundum se notum : sed omnia etiam nunc in Deo cognoscimus : dicit enim August. 12. Confes. Si ambo videmus verum esse, quod dicis, et ambo videmus verum esse, quod dico : ubi quæso illud, videmus? Nec ego in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa, quæ supra mentes nostras est, incommutabili veritate. Idem etiam in lib. de vera Religione dicit, quod secundum veritatem divinam de omnibus indicamus. Et 12. de Trinit. dicit, quod rationis est indicare de istis corporalibus secundum rationes incorporales, et sempiternas. Quæ nisi supra mentem essent, incommutabiles profecto non essent : ergo et in hac vita ipsum Deum videmus.

4 Præterea, secundum August. 12. super Genes. ad litteram. Visione intellectuali videntur ea, quæ sunt in anima per suam essentiam : sed visio intellectualis est de rebus intelligibilibus, non per aliquas similitudines : sed per suas essentias, ut ipse ibidem dicit : ergo cum Deus sit per essentiam suam in anima nostra, per essentiam suam videtur à nobis.

Sed contra est, quod dicitur Exod. 32. *Non videbit me*

homo, et vivet. glos. Quamdiu hic mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest.

Respondeo dicendum, quod ab homine puro Deus videri per essentiam non potest, nisi ab hac vita mortali separetur. Cujus ratio est: quia sicut supra dictum est, modus cognitionis sequitur modum naturæ rei cognoscentis. Anima autem nostra, quandiu in hac vita vivimus, habet esse in materia corporali. Unde naturaliter non cognoscit aliqua, nisi, quæ habent formam in materia, vel quæ per hujusmodi cognosci possunt. Manifestum est autem, quod per naturas rerum materialium divina essentia cognosci non potest. Ostensum est enim supra, quod cognitio Dei per quamcunque similitudinem creatam non est visio essentiæ ipsius. Unde impossibile est animæ hominis, secundum hanc vitam viventis essentiam Dei videre. Et hujus signum est, quod anima nostra quanto magis à corporalibus abstrahitur, tanto intelligibilium abstractorum fit capacior. Unde in somnis, et alienationibus à sensibus corporis magis divinæ revelationes percipiuntur, et prævisiones futurorum. Quod ergo anima elevetur, usque ad supremum intelligibilium, quod est essentia divina, esse non potest, quandiu hac mortali vita utitur.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum Dionys. 4. cap. Cœlest. Hierarc. sic in Scripturis dicitur aliquis Deum vidisse in quantum formatæ sunt aliquæ figuræ, vel sensibiles, vel imaginariæ secundum aliquam similitudinem aliquod divinum repræsentantes. Quod ergo dicit Jacob: *Vidi Deum facie ad faciem*, referendum est non ad ipsam divinam essentiam, sed ad figuram, in qua repræsentabatur Deus. Et hoc ipsum ad quandam prophetiæ eminentiam pertinet, ut videatur persona Dei loquentis, vel loquens Deus, licet imaginaria visione, ut infra patebit, cum de gradibus prophetiæ loquemur. Vel hoc dixit Jacob ad designandam quandam eminentiam intelligibilem contemplationis supra communem statum.

Ad secundum dicendum, quod sicut Deus miraculose aliquid supernaturaliter, in rebus corporeis operatur, ita etiam et supernaturaliter, et præter communem ordinem mentes aliquorum in hac carne viventium, sed non sensibus carnis utentium, usque ad visionem suæ essentiæ elevavit, ut dicit Augustin. 12. super Genes. ad litteram, et in lib. de videndo Deum, de Moyse, qui fuit magister Judæorum, et Paulo, qui fuit magister Gentium. Et de hoc plenius tractabitur, cum de raptu ejus agemus.

Ad tertium dicendum, quod omnia dicimur in Deo videre, et secundum ipsum de omnibus judicare, in quantum per participationem sui luminis omnia cognoscimus, et dijudicamus. Nam, et ipsum lumen naturale rationis participatio quædam est divini luminis, sicut etiam omnia sensibilia dicimus videre, et judicare in Sole, id est, per lumen Solis. Unde dicit August. 1. Soliloquiorum, Disciplinarum spectamina videri non possunt, nisi aliquo velut suo Sole illustrentur, videlicet Deo. Sicut ergo ad videndum aliquid sensibiliter non est necesse, quod videatur substantia Solis, ita ad videndum aliquid intelligibiliter non est necessarium, quod videatur essentia Dei.

Ad quartum dicendum, quod visio intellectualis est eorum, quæ sunt in anima per suam essentiam, sicut intelligibilia in intellectu. Sic autem Deus est in anima beatorum, non autem in anima nostra, sed per præsentiam, essentiam, et potentiam.

Conclusio.

Deus nequit videri per essentiam ab homine puro, nisi ab hac vita mortali separetur. Intelligitur autem assertio secundum legem Dei ordinariam, hoc est, sine miraculo, quo intellectus hominis in hac vita degentis elevetur ad hoc, ut sine dependentia a sensibus possit intelligere, ut constat ex iis, quæ D. Thom. in solutione ad 2. docet.

Animadversio. Consulto autem in conclusione dictum est, *ab homine puro*, ut per hoc excipiatur Christus Dominus, qui hoc ipso, quod ratione unionis ad verbum petebat esse comprehensorem, potuit absque aliquo novo miraculo intelligere, etiam per intellectionem ordinis naturalis, sine conversione ad phantasmata, ut videri potest in D. Thom. 3. part. quæst. 11. art. 2.

Utrum vero hoc miraculum fuerit in aliquibus aliis factum, ita, ut usque ad visionem divinæ essentiæ elevarentur, non est nunc disputandum : tum, quia neutra pars pugnat cum conclusione hujus articuli : tum etiam, quia quoad Moysen egit de hoc D. Thom. 2. 2. quæst. 174. art. 4. et quoad Paulum quæst. 145. art. 3. Constat autem, quod solum quoad Moysen, et Paulum est, quoad hoc specialis difficultas inter Theologos.

Circa id autem, quod habetur apud S. Doctorem in probatione hujus conclusionis, scilicet quod in somniis, et dum quis est alienatus a sensibus, tunc magis divinas revelationes percipit, videatur Cajetanus, qui bene hoc explicat, dicens, esse intelligendum de somno, in quo sensus interni manent soluti, et de revelationibus, quoad earum susceptionem : nam hæc eo fit melius, quo animus minus habet distractionis circa sensibilia ; non vero quoad judicium circa res revelatas : quoniam, quoad hoc potest multum juvare resolutio ad consonantiam cum sensibus externis.

Notandum tamen, quod cum quis divina virtute alienatur a sensibus, sive tantum externis, sive etiam simul internis mediante extasi, vel raptu, tunc non solet impediri judicium circa res revelatas, ex eo, quod sicut divina virtute alienatur mens a sensibus, ut reddatur aptior ad suscipiendas illustrationes supernaturales, ita etiam solet elevari ad hoc, ut possit elicere perfectissimum judicium absque indigentia illius resolutionis ad sensus externos. Videatur D. Thom. 2. 2. quæst. 173. art. 3. inquiens, mentem alienatam a sensibus elevari ad contemplanda sublimiora : ubi per actum contemplandi intelligit judicium : et propterea judicium istud nequit ob sui imperfectionem esse insufficiens ad hoc, ut voluntas maneat libera libertate requisita ad meritum, ut ibidem docet D. Thom. de quo etiam potest videri Cajetanus eodem loco.

Alia animadversio

ARTICULUS XII.

Utrum per rationem naturalem Deum in hac vita cognoscere possimus ?

1 Ad duodecimum sic proceditur. Videtur, quod per naturalem rationem Deum in hac vita cognoscere non possimus. Dicit enim Boet. in lib. de Consol. quod ratio non capit simplicem formam : Deus autem maxime est simplex forma, ut supra ostensum est : ergo ad ejus cognitionem ratio naturalis pervenire non potest.

2 Præterea. Ratione naturali sine phantasmate nihil intelligit anima, ut dicitur in 3. de Anima : sed Dei, cum sit incorporeus, phantasma in nobis esse non potest : ergo cognosci non potest a nobis cognitione naturali.

3. Præterea. Cognitio, quæ est per rationem naturalem, communis est bonis, et malis, sicut natura eis communis est : sed cognitio Dei competit tantum bonis. Dicit enim August. 1. de Trinit. quod mentis humanæ acies in tam excellenti luce non figitur, nisi per justitiam fidei emundetur : ergo Deus per rationem naturalem cognosci non potest.

Sed contra est, quod dicitur Rom. 1. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis*, id est, quod cognoscibile est de Deo per rationem naturalem.

Respondeo dicendum, quod naturalis nostra cognitio a sensu principium sumit. Unde tantum se nostra naturalis cognitio extendere potest, in quantum manuduci potest per sensibilia. Ex sensibilibus autem non potest usque ad hoc

hoc intellectus noster pertingere, quod divinam essentiam videat : quia creaturæ sensibiles sunt effectus Dei virtutem causæ non adæquantes. Unde ex sensibilium cognitione non potest tota Dei virtus cognosci : et per consequens, nec ejus essentia videri. Sed quia sunt ejus effectus a causa dependentes, ex eis in hoc perduci possumus, ut cognoscamus de Deo, an est : et ut cognoscamus de ipso ea, quæ necesse est ei convenire, secundum quod est prima omnium causa excedens omnia sua causata. Unde cognoscimus de ipso habitudinem ipsius ad creaturas, quod scilicet omnium est causa : et differentiam creaturarum ab ipso, quod scilicet ipse non est aliquid eorum, quæ ab eo causantur : et quod hæc non removentur ab eo propter ejus defectum, sed quia superexcedit.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio ad formam simplicem pertingere non potest, ut sciat de ea quid est; potest tamen de ea cognoscere, ut sciat, an est.

Ad secundum dicendum, quod Deus naturali cognitione cognoscitur per phantasmata effectus sui.

Ad tertium dicendum, quod cognitio Dei per essentiam, cum fit per gratiam, non competit nisi bonis; sed cognitio ejus, quæ est per rationem naturalem, potest competere bonis, et malis. Unde dicit August. in lib. Retractationum : Non approbo, quod in oratione dixi, Deus, qui non nisi mundos verum scire voluisti : responderi enim potest multos etiam non mundos multa scire vera, scilicet per rationem naturalem.

Conclusio.

Deus, ut est in se ipso, sive quidditative, nequit per rationem naturalem cognosci; bene tamen, quoad *an est*, et quoad ea, quæ ipsi necessario conveniunt, ut est prima causa omnium, qualia sunt continere omnes creaturas, differre a cunctis illis, et esse excellentiorem eisdem, etc.

ARTICULUS XIII.

Utrum per gratiam habeatur altior cognitio Dei, quam ea, quæ habetur per rationem naturalem?

1 Ad decimum tertium sic proceditur. Videtur, quod per gratiam non habeatur altior cognitio Dei, quam ea, quæ habetur per naturalem rationem. Dicit enim Dionys. 1. lib. de mystica Theologia, quod ille, qui melius unitur Deo in hac vita, unitur ei sicut omnino ignoto. Quod etiam de Moyse dicit : Qui tamen excellentiam quandam obtinuit in gratiæ cognitione, sed conjungi Deo, ignorando de eo quid est, hoc contingit etiam per rationem naturalem : ergo per gratiam non plenius cognoscitur à nobis Deus, quam per rationem naturalem.

2 Præterea : Per rationem naturalem in cognitionem divinorum pervenire non possumus, nisi per phantasmata; sic etiam, nec secundum cognitionem gratiæ. Dicit enim Dionys. 1. cap. Cœlest. Hierarch. quod impossibile est nobis aliter lucere divinum radium, nisi veritate sacrorum velaminum circumvelatum : ergo per gratiam non plenius cognoscimus Deum, quam per rationem naturalem.

3 Præterea : Intellectus noster per gratiam fidei Deo adhæret : fides autem non videtur esse cognitio : dicit enim Gregor. in homil. quod ea, quæ non videntur, fidem habent, et non agnitionem : ergo per gratiam non additur nobis aliqua excellentior cognitio de Deo.

Sed contra est, quod dicit Apost. I. Corinth. 2. *Nobis revelavit Deus per spiritum suum* illa, scilicet, quæ *nemo principum hujus sæculi cognovit,* id est, Philosophorum, ut exponit glos.

Respondeo dicendum, quod per gratiam perfectior cognitio de Deo habetur à nobis, quam per rationem naturalem. Quod sic patet. Cognitio enim, quam per naturalem rationem habemus, duo requirit, scilicet phantasmata ex sensibilibus accepta, et lumen naturale intelligibile, cujus virtute intelligibiles conceptiones ab eis abstrahimus.

Et quantum ad utrumque juvatur humana cognitio per revelationem gratiæ. Nam et lumen naturale intellectus confortatur per infusionem luminis gratuiti, et interdum etiam phantasmata in imaginatione hominis formantur divinitus magis exprimentia res divinas, quam ea, quæ naturaliter à sensibilibus accipimus : sicut apparet in visionibus prophetalibus. Et interdum etiam aliquæ res sensibiles, formantur divinitus, aut etiam voces ad aliquid divinum exprimendum, sicut in baptismo visus est Spiritus Sanctus in specie columbæ, et vox Patris audita est : *Hic est Filius meus dilectus.*

Ad 1. ergo dicendum, quod licet per revelationem gratiæ in hac vita cognoscamus de Deo, quid est, et sic ei quasi ignoto conjungamur; tamen plenius ipsum cognoscimus in quantum plures, et excellentiores effectus ejus nobis demonstrantur, et in quantum ei aliqua attribuimus ex revelatione divina, ad quæ ratio naturalis non pertingit, ut Deum esse Trinum, et Unum.

Ad 2. dicendum, quod ex phantasmatibus, vel à sensu acceptis secundum naturalem ordinem, vel divinitus in imaginatione formatis, tanto excellentior cognitio intellectualis habetur, quanto lumen intelligibile in homine fortius fuerit. Et sic per revelationem ex phantasmatibus plenior cognitio accipitur ex infusione divini luminis.

Ad 3. dicendum, quod fides cognitio quædam est, in quantum intellectus determinatur per fidem ad aliquod cognoscibile. Sed hæc determinatio ad unum non procedit ex visione credentis, sed à visione ejus, cui creditur. Et sic in quantum deest visio, deficit à ratione cognitionis, quæ est in scientia. Nam scientia determinat intellectum ad unum per visionem, et intellectum primorum principiorum.

Conclusio est affirmativa.

An vero hæc cognitio debeat esse excellentior, quoad species intentionales : an vero tantum quoad lumen, et alia, quoad hunc modum excessus spectantia, alibi solent explicari : et ideo in præsenti ea consulto omittimus.

TRACTATUS TERTIUS

IN QUÆST. XIV. PRIMÆ PARTIS D. THOMÆ

De Scientia Dei.

Quamvis permultæ ex quæstionibus D. Thom. sint satis difficiles, hæc tamen, in qua de Scientia Dei agit, quamplurimis est implicata difficultatibus, quæ non satis ab intellectu creato investigari, et expediri possunt, juxta illud Apost. ad Rom. 11 : *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Cæterum, licet omnia, quæ ad divinam scientiam spectant, exacte explicari a nobis non possint, curabimus tamen, ut quamvis veritas non omnino percipiatur, saltim nunquam omittatur. Non enim quidquid perfecte explicare non possumus, idcirco tanquam a veritate alienum rejiciendum est ; sed potius humilis illa, ac profunda Divi Patris Augustini doctrina, in lib. de dono perseverantiæ, cap. 14. ante oculos præhabenda est, dum inquit : *Numquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus non ita esse, quoniam cur ita sit non possumus invenire? numquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est?* Unde tam Augustini, quam Angelici Doctoris vestigiis inhærendo, quæ circa hanc materiam vera sunt, trademus ; quamvis plura ex illis non omnino capere, nec expedire valeamus.

QUÆSTIO XIV.

De Scientia Dei.

PROŒMIUM

D. Thomæ.

Post considerationem eorum, quæ ad divinam substantiam pertinent, restat considerandum de iis, quæ pertinent ad operationem ipsius. Et quia operatio quædam est, quæ manet in operante; quædam vero, quæ procedit in exteriorem effectum, primo agemus de scientia, et voluntate (nam intelligere in intelligente est, et velle in volente) et postmodum de potentia Dei, quæ consideratur, ut principium operationis divinæ in effectum exteriorem procedentis. Quia vero intelligere quoddam vivere est, post considerationem divinæ scientiæ considerandum est de vita divina. Et quia scientia verorum est, erit etium considerandum de veritate, et falsitate. Rursum, quia omne cognitum in cognoscente est,

rationes autem rerum, secundum quod sunt in Deo cognoscente, ideæ vocantur, cum consideratione scientiæ erit etiam adjungenda consideratio de ideis. Circa scientiam vero quæruntur sexdecim.

Annotatio. 1 Antequam D. Thom. articulum primum hujus quæstionis proponat, reddit rationem ordinis hujus quæstionis ad præcedentes, ut ex verbis ejus nuper relatis constat. Quare ut omnia, quæ S. Doct. in hac quæst. tradit, explicata maneant, placuit breve hoc, profundissimum tamen, ejusdem S. Thom. Proœmium, in quo ratio ordinis hujus quæstionis ad præcedentes continetur examinare.

DUBIUM UNICUM.

Utrum ea, quæ D. Thom. in Proœmio hujus quæstionis docet, sint vera?

Dubium hoc breviter expediendum est, ut ad altiora alia, quæ in hoc tract. occurrunt, pergamus.

§ I.

Rationes dubitandi.

Prima. Prior dubitandi ratio est, videri falsum id, quod primo loco præmittit, scilicet se hic agere de iis, quæ pertinent ad operationem Dei, post considerationem eorum, quæ spectant ad divinam substantiam. Quoniam divinum *intelligere* spectat ad substantiam, et essentiam Dei: non qualitercunque, sed tanquam proprium, et maximum ejus constitutivum, ut in art. 4. hujus quæstionis latius dicemus: ac proinde disputatio de illo, quæ in hac quæst. habetur, spectabit ad tractatum, et disputationem de iis, quæ ad substantiam Dei pertinent.

Accedit, Sanctum Doctorem post quæstionem istam de scientia Dei disputare de veritate, et vita Dei: constat autem veritatem non importare operationem, sed conformitatem, et consonantiam ad rem, et similiter vitam pertinere ad ipsam substantiam rei vivæ: et per consequens D. Thom. in his quæstionibus agit de multis spectantibus ad substantiam Dei, prout nostro modo intelligendi distinguitur ab operatione: et ita non recte videtur dixisse, se a quæstione ista 14. incipere disputationem de iis, quæ pertinent ad operationem Dei, finitis jam illis, quæ ad ejus substantiam spectant.

Secunda 2 Secunda dubitandi ratio deducitur ex eo, quod S. Doctor loco citato dixit, scilicet, quod cum sit duplex operatio, quarum una sit immanens, alia vero transiens, prius oportet agere de scientia, et voluntate: quia *intelligere* est in intelligente, et *velle* in volente, postmodum autem de potentia, quæ consideratur, ut principium exteriorum effectuum. Nam in primis non videtur Sanctum Doctorem recte hæc duo extrema inter se comparasse: quia licet facta comparatione inter operationem immanentem, et transeuntem, tunc illa sit prior, hæc vero posterior: et propterea idem D. Thom. post tractatum de processionibus divinis, et aliis ad eas necessario requisitis, egerit de operatione ad extra; nihilominus si fiat comparatio inter operationem immanentem, et potentiam Dei, tunc operatio immanens non est prior, quam divina potentia, sed e contra: sicut in universum quævis potentiæ cujuscumque naturæ sunt priores operationibus immanentibus illius: ergo etc.

Tertia. 3 Deinde, quia Deus non agit ad extra per operationem formaliter transeuntem, sed per actum divini imperii, juxta illud: *Ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt:* ergo male distinxit D. Thom. ordinem harum quæstionum: ex eo, quod in quibusdam ex illis agitur de actionibus immanentibus Dei: in aliis vero de potentia, quæ consideratur, ut principium operationis divinæ in effectum exteriorem procedentis, ac proinde, ut principium actionis transeuntis.

Nec satis erit, si dicatur, quod licet actus imperii sit formaliter immanens; quippe, qui est actus intellectus, ut docet D. Thom. 1. 2. quæst. 17. art. 1. nihilominus est virtualiter transiens: et ita potuit de illo in diversis quæst. secundum has diversas rationes considerato, disputare.

Nam contra hoc est, quod ad agendum de actibus immanentibus divinis, ut sunt virtualiter transeuntes, necesse non erat diversas quæstiones instituere. Et propterea in hac eadem quæst., et in quæst. 19. de voluntate Dei agitur de scientia, et voluntate illius, prout sunt causæ rerum, ac proinde prout sunt virtualiter transeuntes.

§ II. *Decisio*

§ II.

Decisio dubii.

Assertio. 4 Dicendum tamen est, vera esse quæ D. Thom. in hoc proœmio docuit, ac proinde optimam methodum, et pulcherrimum ordinem in his quæstionibus tradendis servasse. Ita communiter ejus discipuli, et quamplures alii. Prior assertionis pars ex infra dicendis, et ex solutionibus rationum dubitandi satis patebit. Posterior vero ex priori sequitur. Quia, quod præcipue in proœmio D. Thom. continetur est prædictus ordo, et methodus. Et deinde hæc eadem pars non aliunde melius probatur, quam ex ratione ordinis ab eodem in exordio ejus quæst. adducta : quæ sic potest amplius declarari.

Etenim primo loco egit de divino *esse* et aliis attributis (ut sic dicamus) entitativis, quæ ad Dei substantiam per modum quasi proprietatis pertinent, qualia sunt infinitas, immutabilitas, æternitas, invisibilitas ab intellectu creato per proprias vires, et tandem in quæst. immediate præcedenti explicuit, quomodo hæc omnia vocibus, et nominibus exprimi, et significari deberent. Quare cum attributa (ut sic dicamus) entitativa, priora sint attributis operativis, seu operationibus divinis, ut ex se constat ; inde est, ut merito primo loco de illis actum fuerit : cumque inter operationes sint priores immanentes, quam transeuntes, quippe cum istæ dirigantur ab illis in suum finem, et inter immanentes prior sit cognitio, sive scientia, quam volitio ; propterea jure optimo de scientia Dei primo loco, post attributa (ut sic dicamus) entitativa, discussit.

§ III.

Solutio rationum dubitandi initio adductarum.

Ad primum. 5 Unde ad id, quod primo loco contra proœmium hujus quæst. objiciebamus, dicendum est, quod licet *intelligere* (modo infra art. 4. explicando sumptum) pertineat ad intrinsecum conceptum Dei ; tanquam ratio differentialis, et ultimum constitutivum ejus ; nihilominus titulus hujus quæst. non est de illo, secundum hanc rationem accepto, sed sub formalitate scientiæ, secundum quam rationem non pertinet, nostro modo intelligendi, ad intrinsecum constitutivum Dei, ut in hoc eodem tract. disp. 1. num. 68. dicemus.

Ad id autem, quod de quæstionibus de veritate, et vita Dei ibidem adducitur, dicendum est, in his quæstionibus de attributis operativis ideo egisse D. Thom. veritate, quia, ut ipse in proœmio hujus quæstionis notat, scientia verorum est ; et propterea debuit de veritate, et falsitate agere, sicut quia *intelligere*, et *scire* quoddam *vivere* est ; propterea, ut inquit ibidem Angelicus Doctor, post considerationem divinæ scientiæ, considerandum est de vita divina.

Nec refert id, quod ibidem dicitur, scilicet vitam pertinere ad conceptum substantiæ, et essentiæ Dei : sicut etiam in nobis vita spectat ad conceptum quidditativum nostræ substantiæ, et essentiæ : ergo potius debuit S. Doct. agere de vita Dei in quæst. anteced. ad hanc de scientia Dei, quam in subsequentibus ad eam.

Respondetur enim, quod vita potest pertinere, tam ad conceptum essentiæ, quam ad conceptum potentiarum, et actionum vitalium, ut constat ex iis, quæ D. Thom. quæst. 18. hujus 1. part. docet, et ex illis, quæ N. Complut. 1. de Anima asserunt. Et propterea potuit S. Doctor de vita Dei, post hanc quæstionem de scientia Dei, peculiariter agere. Ratio autem, propter quam peculiarius, et expressius egit de vita operationum vitalium Dei, et ab ejus essentia quasi dimanantium, est : quia apud nos ratio vitæ potissime habet inter omnes alias res, ut dignoscatur per operationem vitæ, seu per hoc, quod aliquid a se ipso moveatur. Quod adeo verum est, ut etiam illa, quæ videntur moveri ex se, quamvis re vera non sic moveantur, soleant a nobis nomine vitæ insigniri, ut argentum vivum, aqua viva, etc.

Replica. Nec etiam refert, si urgeas, quod adhuc loquendo de vita operationum vitalium non pertinentium ad essentiam, videtur debuisse S. Doctorem prius agere de vita Dei, quam de illius scientia : quandoquidem illa ratio vitæ est communior, et universalior, ac proinde prior, quam ratio scientiæ.

Solutio. Respondetur enim, scientiam, quæ agit de aliqua specie, tanquam de objecto adæquato, non debere prius agere de remotioribus, et universalioribus, ut in Theologia contingit, cujus objectum adæquatum est ipse Deus.

Ad secundum. 6 Ad secundum respondetur, quod licet in creaturis operationes immanentes intellectus, et voluntatis non sint priores poten-

tiis operativis earum, sed potius posteriores ; attamen in Deo sunt quodammodo ex parte nostri modi concipiendi priores : quia actus immanentes sui intellectus, et voluntatis, ut sunt virtualiter transeuntes, et habent efficaciam ad producendum quidquid ei placuerit, sortiuntur rationem omnipotentiæ ; et quia in his actibus prius est nostro modo intelligendi, quod sint actus immanentes intelligendi, et volendi, quam, quod habeant prædictam efficaciam, et vim virtualem agendi transeunter, ut jam explicamus ; propterea in hac quæst. et in quæst. 19. hujus 1. part. agitur prius de illis secundum illam, quam secundum hanc ultimam considerationem.

Ad tertium.

Ex quo ad tertiam rationem dubitandi constat. Dicimus enim solutionem ibi traditam, esse legitimam. Et ad probationem, quod licet agere de actibus immanentibus intellectus, et voluntatis divinæ, prout sunt virtualiter transeuntes per modum dirigentis, et intendentis effectus futuros, pertineat ad hanc quæstionem, quia hoc est proprium intellectus, et voluntatis, ut distinguuntur a potentia exequente ; nihilominus agere de eisdem, prout sunt idem cum omnipotentia, modo infra dicendo ; ac proinde, prout sunt virtualiter transeuntes per modum exequentis in tempore id, quod ab æterno per divinam scientiam dirigitur, et per voluntatem Dei intentum, et præfinitum est, non immerito ad distinctam quæstionem etiam spectat : quandoquidem, ut infra videbimus, aliter Deus influit per hos actus secundum illam priorem considerationem, et aliter per eosdem secundum hanc posteriorem.

ARTICULUS I.

Utrum in Deo sit scientia ?

1 Ad primum sic proceditur. Videtur, quod in Deo non sit scientia. Scientia enim habitus est, qui Deo non competit, cum sit medius inter potentiam, et actum : ergo scientia non est in Deo.

2 Præterea. Scientia (cum sit conclusionum) est quædam cognitio ab alio causata, scilicet ex cognitione principiorum : sed nihil causatum est in Deo : ergo scientia non est in Deo.

3 Præterea. Omnis scientia vel universalis, vel particularis est : sed in Deo non est universale, et particulare, ut ex superioribus patet : ergo in Deo non est scientia.

Sed contra est, quod Apost. dicit Roman. 11 : *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei !*

Respondeo dicendum, quod in Deo perfectissime est scientia. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod cognoscentia a non cognoscentibus in hoc distinguuntur : quia non cognoscentia nihil habent, nisi formam suam tantum : sed cognoscens natum est habere formam etiam rei alterius ; nam species cogniti est in cognoscente. Unde manifestum est, quod natura rei non cognoscentis est magis coarctata, et limitata. Natura autem rerum cognoscentium habet majorem amplitudinem, et extensionem. Propter quod dicit Philosoph. 3. de Anima, quod anima est quodammodo omnia : coarctatio autem formæ est per materiam. Unde et supra diximus, quod formæ secundum quod sunt magis immateriales, secundum hoc magis accedunt ad quandam infinitatem. Patet igitur, quod immaterialitas alicujus rei est ratio, quod sit cognoscitiva, et secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis. Unde in 2. de Anima dicitur, quod plantæ non cognoscunt propter suam immaterialitatem : sensus autem cognoscitivus est, quia receptivus est specierum sine materia : et intellectus adhuc magis cognoscitivus, quia magis separatus est a materia, et immixtus, ut dicitur in 3 de Anima. Unde cum Deus sit in summo immaterialitatis (ut ex superioribus patet), sequitur, quod ipse sit in summo cognitionis.

Ad primum ergo dicendum, quod quia perfectiones procedentes a Deo in creaturas altiori modo sunt in Deo, ut supra dictum est, oportet, quod quandocunque nomen sumptum a quacunque perfectione creaturæ Deo attribuitur, secludatur ab ejus significatione omne illud, quod pertinet ad imperfectum modum, qui competit creaturæ. Unde scientia non est qualitas in Deo, vel habitus ; sed substantia, et actus purus.

Ad secundum dicendum, quod ea, quæ sunt divisim, et multipliciter in creaturis, in Deo sunt simpliciter, et unite, ut supra dictum est : homo autem secundum diversa cognita habet diversas cognitiones. Nam secundum quod cognoscit principia, dicitur habere intelligentiam : scientiam vero secundum quod cognoscit conclusiones : sapientiam secundum quod cognoscit causam altissimam : consilium, vel prudentiam, secundum quod cognoscit agibilia : sed hæc omnia Deus una, et simplici cognitione cognoscit, ut infra patebit. Unde simplex Dei cognitio omnibus istis nominibus nominari potest : ita tamen, quod ab unoquoque eorum, secundum quod in divinam prædicationem venit, secludatur quidquid imperfectionis est, et retineatur quidquid perfectionis est. Et secundum hoc dicitur Job 12 : *Apud ipsum est sapientia, et fortitudo, et ipse habet consilium, et intelligentiam.*

Ad tertium dicendum, quod scientia est secundum modum cognoscentis ; scitum enim est in sciente, secundum modum scientis : et ideo cum modus divinæ essentiæ sit altior, quam modus, quo creaturæ sunt, scientia divina non habet modum creatæ scientiæ, ut scilicet sit universalis, vel particularis, vel in habitu, vel in potentia, vel secundum aliquem talem modum disposita.

Prima conclusio. In Deo invenitur scientia.

Secunda conclusio, quam Sanctus Doctor in solutione ad secundum innuit. Scientia Dei est ejus attributum.

Tertia conclusio. In hoc distinguuntur cognoscentia a non cognoscentibus, quod cognoscentia habent formam suam, et aliarum rerum, fiuntque res cognitæ : at vero non cognoscentia solum habent suam formam.

DISPUTATIO I.

De scientia Dei quoad an est.

Quia quæstio *an est* solet alias quæstiones præcedere, ideo merito cum Divo Thoma primam disputationem huic quæstioni tribuimus.

DUBIUM I.

Utrum cognitio intellectiva sit formaliter in Deo ?

1 Quamvis D. Thomas tractet ex professo in hac quæstione de scientia Dei, prout habet formaliter rationem scientiæ,

tiæ, nihilominus multa immiscet de intellectione, quæ aliquo modo distinguitur à scientia : et ita, tum propter hanc rationem, tum etiam, quia scientia nequit alicui competere, quin in eo sit intellectiva cognitio, inquirimus primo loco, utrum in Deo sit formaliter intellectiva cognitio, præscindendo, an talis cognitio habeat rationem scientiæ, vel non.

§ I.

Argumenta pro parte negativa.

2 Primum est. Nam Dionysius de divinis nominibus cap. 7. ad medium loquens de Deo, inquit : *Quomodo enim intelliget aliquid intelligibilium non habens intellectuales operationes?* ergo aperte sentit non esse in Deo cognitionem intellectivam, quæ operatio mentis est.

Secundum, Quia in lib. de causis propositione vigesima secunda dicitur, quod cum dicimus Deum intelligentem, non nominamus eum nomine proprio, sed nomine sui primi causati, nempe intelligentiæ, seu Angeli, qui est primus effectus Dei.

Tertium. Tertium. Quoniam in intellectione includitur imperfectio Deo repugnans : ergo non debet poni in illo formaliter, sed solum eminenter : sicuti, quia esse ratiocinativum includit imperfectionem pugnantem cum divina perfectione, propterea non ponitur in Deo formaliter, sed tantum eminenter. Antecedens probatur. Quia intellectio est quoddam *pati*, et motus rei intelligentis, ut docet Arist. 3. de Anima : at *pati*, et *moveri* dicunt imperfectionem Deo repugnantem, quia necessario includunt potentialitatem : ergo, etc.

§ II.

Veritas Catholica.

Conclusio et probatio illius. 3 Dicendum tamen est, dari formaliter in Deo cognitionem intellectivam. Hæc conclusio est de fide, Job. cap. 31. *Nonne ipse considerat vias meas?* Psalm. 137. *Excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit.* Quæ testimonia cum non intelligantur de cognitione imperfecta, scilicet, sensitiva, quippe quæ ab intrinseco est materialis, debent necessario intelligi de cognitione perfecta, scilicet intellectiva. Item Baruch. 3. ubi Deus vocatur fons sapientiæ, et dicitur cognoscere omnia. Eclesiast. 1. *Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper.* Et Psalm. 93. ubi postquam in versu 7 præmisit impiorum sententiam his verbis : et dixerunt : *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob*; et versu 8. eos corripuit asserens : *Intelligite insipientes, et stulti aliquando sapite* : postea in versu 9. et 10. sic arguit : *Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat? qui docet hominem scientiam*, etc. Quasi dicat : repugnat, quod qui hominibus virtutem intelligendi, et sciendi dedit, non sit sciens, et intelligens. Unde assertionem hanc late probant Dionysius de divin. nomin. cap. 2. Damas. in Paralelis lib. 1. c. 2. D. Thom. in præsenti, et in 1. distinct. 35. quæst. 1. art. 1. et 1. cont. Gent. cap. 44. et quæst. 2. de verit. art. 1. eandemque tuentur omnes Patres, et Theologi.

Inane effugium. 4 Nec obstat, si cum aliquibus, quos refert Divus Thomas quæst. 2. de verit. art. 1. dicas, hujusmodi testimonia, et cætera, quæ adduci solent, non esse intelligenda in sensu formali, sed causali, aut metaphorico, ad eum modum, quo Deus dicitur irasci : quia licet re vera non sit in eo ira, nihilominus ita punit, ac si esset iratus.

Præcluditur. Nam contra hoc urget regula ex August. desumpta, et communiter a Theologis recepta, nimirum verba Scripturæ debere in sensu proprio, et formali intelligi, quoties inde non sequitur aliquod absurdum : alioqui nihil firmum ex Scriptura haberemus : siquidem unusquisque posset, prout libuerit, ea in sensu, v. gr. improprio, et metaphorico explicare : at nullum sequitur absurdum, ex eo, quod prædicta testimonia in sensu proprio, et formali intelligantur, ut ex se constat, quin potius inde magna perfectio in Deo ponitur, ut ex se, et statim dicendis magis patebit : ergo inepte in sensu solum metaphorico, aut in solo sensu causali intelliguntur.

Secundo 5 Deinde contra eandem solutionem optime arguit D. Thom. in 1. distinct. 35 quæst. 1. art. 1. ratione desumpta ex Anselmo in Monologio cap. 14. Quoniam esse intelligentem est perfectio simpliciter simplex : ergo non est de numero eorum, quæ conveniunt Deo causaliter,

aut metaphorice; sed eorum, quæ formaliter in ipso reperiuntur. Antecedens probatur. Quia perfectio simpliciter simplex est illa, quæ in quocunque est melior ipsa, quam non ipsa, et quam quælibet incomposibilis cum illa : sed in quacunque re est longe melius esse intelligentem, quam esse inscium, et ignarum, ut ex se, et ex communi omnium conceptione constat : ergo, etc. Consequentia autem ex antecedenti aperte patet : quandoquidem omnis perfectio simpliciter simplex debet inveniri formaliter in ente omnibus modis perfectissimo : alioqui non esset omnibus modis perfectissimum, siquidem deesset illi aliqua perfectio, quæ formaliter sumpta, est in quovis melior ipsa, quam non ipsa : ergo, etc.

Confirmatur primo ex Angel. Doct.

Confirmatur primo ratione D. Thom. in 1. distinct. 35. quæst. 1. art. 2. Ad Anibaldum his verbis : *Oportet enim id, quod est rerum omnium principium, summe perfectum esse, quia omnia imperfecta reducuntur ad aliquod perfectum, sicut ad principium : sicut semen ad plantam, vel animal : summa autem perfectio non potest inveniri nisi in cognitione. Nam res non cognoscens habet suam propriam perfectionem, et desunt sibi perfectiones omnium aliarum rerum : res autem cognoscens non solum habet perfectionem propriam, per quam in natura sua subsistit ; sed etiam aliorum, in quantum alia per formas suas possunt esse apud cognoscentem, et omnium, si res illa cognoscens nata sit omnia cognoscere. Quod non potest esse nisi habeat cognitionem intellectualem. Nam cognitio sensitiva ultra corporalia se non extendit. Oportet ergo Deum, qui est perfectissimus, et a quo omnis perfectio derivatur, intellectivam cognitionem habere : quam scientiam dicimus ad præsens.*

Confirmatur secundo.

6 Confirmatur secundo ratione alia ex eodem S. Doct. desumpta. Nam quoties Deo aliquid convenit causaliter, aut metaphorice, non tamen formaliter, toties competit ei ratione alterius in ipso formaliter existentis, et de se proportionati ad causandum illum effectum. Sicut licet in Deo non sit actus iræ, est tamen in eo actus justitiæ, ratione cujus non minus punit, ac si esset iratus : at nisi in Deo sit *intelligere* formaliter sumptum, tunc nihil aliud posset deservire ad hoc, ut causaret effectus, quos causat : ergo signum est, quod *intelligere* non est de numero earum rerum, quæ solum causaliter, aut metaphorice ei competunt. Major cum consequentia satis constat.

Minor autem probatur. Nam ad hoc, ut homines v. g. manerent prædestinati, et eisdem leges necessariæ in ordine ad eos dirigendos imponerentur, et tandem ad hoc, ut Deus esset supremus judex, puniens eorum delicta, et bona opera remunerans, nihil aliud posset ipsi deservire, si semel non esset formaliter intelligens : siquidem id, quod est formaliter inscius, et ignarus finis, non potest destinare, et dirigere alium in finem : sicut nec id, quod nequit intelligere, potest condere leges, aut per modum judicis habita ratione ad gravitatem culpæ, et dignitatem operis punire, aut præmium conferre : ergo etc.

Aliud effugium.

Ex quo etiam manet impugnata alia solutio, quam D. Thom. loco citato refert, scilicet, quod esse intelligentem, aut scientem prædicatur de Deo ratione negationis, quam importat, ita ut tantum significetur, quod Deus non sit ignorans, sicut lapis ; non vero quia positive verificetur, esse in eo intellectionem aut scientiam. Nam solutio hæc satis (ut intuenti constabit) ex dictis corruit : et præterea contra illam urget ratio, quam S. Doct. ibidem adducit his verbis : *Quia omnis negatio de re aliqua fundatur super aliquid in re existens, ut cum dicitur, homo non est asinus, veritas negationis fundatur supra hominis naturam, quæ naturam negatam non compatitur. Unde si Deo denegatur ignorantia, oportet, quod hoc sit ratione alicujus, quod in ipso est, et ita oppositum ignorantiæ oportet in ipso ponere.*

Rejicitur.

Secunda probatio conclusionis.

7 Tandem probatur assertio ratione alia ex eodem Angelico Doctore loco citato his fere verbis adducta. Quia, omne agens habet aliquam intentionem, et desiderium finis, ita, ut ad prædictum desiderium præcedat aliqua cognitio præstituens finem, et dirigens in eum ea, quæ sunt ad finem : ergo primum agens, qualis est Deus, non potest non habere formaliter cognitionem finis : ac proinde cognitionem intellectivam, quæ sola attingit finem formaliter sumptum, ut 1. 2. quæst. 1. art. 2. docent Angelicus Doctor, et ejus discipuli.

Antecedens ex se constat. Prima autem

tem consequentia probatur, et explicatur. Nam licet in quibusdam agentibus cognitio finis non sit conjuncta cum illis; attamen tunc oportet, quod talia agentia dirigantur per aliquod prius agens : sicut sagitta tendit in determinatum locum per determinationem sagittantis, et omnia, quæ agunt per necessitatem naturæ non cognoscentia finem, determinantur per intellectum aliquem instituentem illam naturam, juxta illud Philosophi 2. Physicor : *Opus naturæ est opus intelligentiæ* : ergo primum agens non potest non cognoscere finem : alioqui dirigeretur in finem ab alio priori agente, et per consequens esset, et non esset primum.

Confirmatur.

Confirmatur ratione, quam adducit idem D. Thom. his verbis : *Nam quod invenitur in pluribus, magis, ac magis secundum quod plures alicui appropinquant, oportet, ut in illo maxime inveniatur, sicut calor in igne, ad quem quanto corpora mixta magis accedunt, calidiora sunt. Invenitur autem, quod quanto aliqua magis accedunt ad primum ens* (scilicet Deum), *nobilius cognitionem participant : sicut homines plus, quam bruta, et Angeli magis, quam homines. Unde oportet, quod in Deo nobilissima cognitio inveniatur.*

§ III.

Respondetur argumentis initio adductis.

Ad primum.

8 Ad primum dicendum est, mentem Dionysii solum esse denegare Deo cognitionem per defectum, seu defectibus, et imperfectionibus involutam, non vero cognitionem per excessum, seu excedentem omnem modum cognitionis creatæ, ut ex ipso contextu Dionysii constat.

Quæ solutio desumitur ex D. Thom. loco citato ex 1. sent. in solutione ad 1. his verbis : *Dicendum, quod quandocunque scientia, vel intellectus, vel aliquid, quod ad perfectionem pertinet, a Deo negatur, intelligendum est secundum excessum, et non secundum defectum. Unde dicit Dionysius c. 7. de divinis nominibus : sine mente, et insensibile* esse, *secundum excessum, et non secundum defectum, in Deo, est ordinandum. Pro tanto ergo negatur nomen intellectus Deo proprie convenire : quia non per modum creaturæ intelligit, sed eminentius.*

Quod etiam docuit 1. part. quæst. 13. art. 3. ad 2. ubi loquens de his nominibus, *sapiens, intelligens, etc.* inquit : *Dicendum, quod ideo hujusmodi nomina dicit Dionys. negari a Deo : quia id, quod significatur per nomen, non convenit eo modo ei, quo nomen significat, sed excellentiori modo. Unde ibidem dicit Dionysius, quod est super omnem substantiam, et vitam.*

9 Ad secundum respondet D. Thom. quæst. 2. de verit. art. 1. ad 11. his verbis : *Dicendum, quod ratio, quam significat nomen, est diffinitio, ut dicitur 4. Metaphys. et ideo illud est nomen proprie alicujus rei, cujus significatum est diffinitio : et quia nulla ratio significata per nomen diffinit ipsum Deum, nullum nomen a nobis impositum est proprie nomen ejus, sed est proprie nomen creaturæ, quæ diffinitur ratione significata per nomen : et tamen ista nomina, quæ sunt creaturarum nomina, Deo attribuuntur secundum quod in creaturis aliqua similitudo ejus repræsentatur.*

Ad tertium respondetur cum D. Thom. 1. part. quæst. 79. art. 2. testimonium illud Aristotelis intelligendum esse de *intelligere* nostro, sive creato, non vero de *intelligere* divino, et ab imperfectionibus libero. Sed de his videantur quæ nostri Complut. 3. de Anima disp. 21. num. 8. et deinceps dicunt.

DUBIUM II.

Utrum ex eo, quod Deus sit summe immaterialis, recte probet Angelicus Doctor eum esse summe intelligentem.

10 Quamvis ex iis, quæ dubio præcedenti dicta sunt, satis convincatur, Deum esse summe intelligentem, ut intuenti constabit : quia tamen D. Thom. sæpissime, et præcipue in hoc articulo probat, quod res sit cognoscitiva, ex eo, quod sit immaterialis, atque adeo esse summe cognoscitivam, seu summe intelligentem ex eo, quod habeat summam immaterialitatem, et hæc ratio non parum difficultatis habet : propterea, ut præcipua probatio, quam Sanctus Doctor in præsenti adducit, maneat omnino explicata, præsens dub. ad eam examinandam excitamus.

§ I.

Opinio negans.

Prima sententia negat, ex summa immaterialitate recte colligi Deum esse intelligentem. Ita Gabriel in 1. distinct. 35. quæst. 2. Aureolus apud Capreolum ibidem quæst. unica.

Ar gum. 1. Probatur primo. Quia plura sunt entia simpliciter immaterialia, quæ non sunt intellectiva : ergo ex immaterialitate simpliciter tali, et pura spiritualitate non colligitur aliquid esse intellectivum : ergo nec ex summa immaterialitate inferetur aliquid esse summe intellectivum. Hæc ultima consequentia patet ex priori. Quoniam si id, quod est summe immateriale, eo ipso esset summe intellectivum ; tunc id, quod esset magis immateriale, esset magis intellectivum : ac proinde id, quod esset simpliciter immateriale, seu pure spirituale, esset simpliciter intellectivum ; juxta regulam illam Aristotelis *Sicut se habet magis ad magis, ita simpliciter ad simpliciter*. Antecedens autem probatur. Nam voluntas, et habitus illius, necnon et intellectus agens sunt simpliciter immaterialia, seu pure spiritualia, et tamen non sunt intellectiva, ut ex se constat, et communiter docent Philosophi, et Theologi : ergo, etc.

Solutio. 11 Nec satis erit, si dicas, quod licet ex immaterialitate, et pura spiritualitate accidentium non colligatur, illa esse intellectiva, secus tamen ex immaterialitate, et pura spiritualitate substantiæ : quia nulla est substantia pure spiritualis, quæ non sit intellectiva. Quare cum Deus habeat summam immaterialitatem substantialem, optime inde deducitur, illum esse summe intellectivum.

Impugnatur primo. Nam contra hoc est. Tum quia D. Thom. ideo colligit esse aliquid magis, vel minus cognoscitivum ex majori, vel minori immaterialitate : quia immaterialitas reddit formam, in qua reperitur, magis amplam, et minus coarctatam, et juxta majorem, vel minorem amplitudinem formæ, est aliquid magis, vel minus cognoscitivum, ut in hoc eodem dubio dicemus : sed hæc ratio æque procedit in immaterialitate substantiali, et accidentali : quia utraque abstrahit a materia, quæ est radix coarctationis, tollentis amplitudinem formæ : ergo, etc.

Tum etiam : nam species intelligibiles, habitus intellectuales, nec non et intellectus ipse possibilis habent spiritualitatem accidentalem, et nihilominus sunt intellectiva : ergo si immaterialitas esset ratio cognoscendi, etiam immaterialitas accidentium hoc haberet : et consequenter voluntas, et intellectus agens, quæ possunt esse æque immaterialia, ac intellectus possibilis, et illius species, essent eodem modo intellectiva. Secundo.

12 Tum denique : quia potest Deus creare substantiam pure spiritualem, quæ non esset intellectiva, vel quia nullam haberet operationem, sicut plures substantiæ corporeæ illam non habent, ut de cœlo Empyreo docet D. Thom. in 2. dist. 2. quæst. 2. art. 3. solum fuisse creatum ad hoc, ut esset sedes beatorum : vel quia ejus operatio tantum esset producere per modum principii primi, et radicalis, et mediante aliquo intellectu agente species intelligibiles in nostris intellectibus possibilibus. Nam, sicut intellectus agens potest habere hoc munus respectu intellectus possibilis, radicati in eadem anima, ita non inconvenit, ut per divinam potentiam detur aliquis intellectus agens, et aliqua substantia, cujus munus solum sit producere in intellectibus possibilibus omnium hominum species intelligibiles, quibus possint intelligere. Impugnatur tertio.

Confirmatur. Nam motio, quæ tribuitur aquæ Baptismi ad producendam gratiam Baptismalem, est spiritualis, ut ex D. Thom. docent nostri Complut. in lib. Physic. disp. 12. num. 22. et tamen non est intellectiva, ut ex se constare videtur : ergo etc. Confirmatio.

13 Secundo, et principaliter. Nam anima rationalis est immaterialis, et pure spiritualis : et tamen ex hac spiritualitate non sequitur eam esse pro hoc statu in actu, seu per se intelligibilem : ergo neque ex eadem spiritualitate colligetur, eam esse simpliciter intellectivam ; ac proinde neque ex summa spiritualitate Dei deducetur, illum esse summe intellectivum. Hæc ultima consequentia patet ex priori, et ex nuper dictis. Prima vero ex majori, et minori aperte videtur constare. Quia longe melius est esse aliquid intellectivum, quam intelligibile ; quippe cum ratio intellectivi includat rationem vitæ perfectissimæ, scilicet intellectualis ; secus vero Argumentum secundum principale.

vero ratio intelligibilis : ergo si hoc ipso, quod aliquid sit spirituale, non ideo habet id, quod est minus perfectum in ordine intelligibili, scilicet esse per se intelligibile, multo minus habebit id quod est perfectissimum in hoc ordine, nimirum esse intellectivum.

Minor autem est expressa D. Thom. 1. part. quæst. 87, art. 1. ubi propter hanc rationem docet, animam pro hoc statu non intelligere se per se ipsam, sed per species rerum materialium, et reflexe per suum actum, quatenus cognoscendo illum devenit in sui cognitionem. Major vero est Aristot. 3. de Anima cap. 4. eamque communiter admittunt omnes Theologi, et Philosophi ibidem, et optime probant nostri Complut. in lib. de Anima, disp. 16. num. 4. et deinceps.

Confirmatur primo.

14 Confirmatur primo. Nam etiam intellectus noster pro hoc statu est pure spiritualis : sed ex hac spiritualitate non sequitur, eum proxime, et per se esse intelligibilem : ergo propter rationem nuper in hoc secundo argumento redditam, et ad præsens cum proportione applicatam, multo minus ex tali immaterialitate sequitur ipsum esse proxime, et per se intellectivum. Conseq. cum majori videtur certa. Minor autem etiam liquet. Quia etiam intellectus pro hoc statu nequit cognosci, nisi per species rerum materialium, ut ex loco citat. ex D. Thom. satis colligitur, et N. Compl. in lib. de Anima disp. 17. num. 24. et deinceps docent.

Confirmatur secundo.

15 Confirmatur secundo. Nam anima rationalis, dum est conjuncta corpori, habet modum essendi minus immaterialem, quam dum est separata ab illo, ut ex se constat : quandoquidem dum est in corpore, minus abstrahit a materia, quam dum est extra illud : at intra corpus melius intelligit, quam extra ipsum : ergo signum est, ex immaterialitate non recte colligi intellectualitatem. Conseq. videtur legitima. Nam si ex immaterialitate recte deduceretur intellectualitas, non posset id, quod est minus immateriale, esse magis intellectivum ; sed potius e contra, quod haberet majorem immaterialitatem, esset majoris virtutis ad intelligendum.

Minor autem, in qua est difficultas, probatur ex D. Thom. tum 1. part. quæst. 89. art. 1. ubi inquit, melius esse animæ rationali esse in corpore, et per conversionem ad phantasmata intelligere, quam esse extra corpus, et intelligere sine tali conversione. Tum etiam 1. 2. quæst. 54. art. 5. ad 4. ubi ait, separationem animæ a corpore retardare illam, ne tota intentione tendat in visionem divinæ essentiæ.

Tertium.

16 Tertio. Nam si summa immaterialitas esset ratio habendi virtutem summe cognoscitivam, non posset non desiderari aliqua immaterialitas ad habendum utcunque virtutem cognoscendi, ut ex nuper dictis patet : at hoc est falsum : ergo summa immaterialitas non erit ratio summæ virtutis cognoscitivæ. Minor probatur. Nam bruta nihil habent immaterialitatis, siquidem sunt omnino materialia, et corporea; et nihilominus habent aliquam virtutem ad cognoscendum : ergo, etc.

Evasio.

Nec refert, si dixeris, bruta esse materialia in essendo, tamen in modo operandi esse elevata supra materiam, et aliquo modo immaterialia, ex eo, quod habent modum operandi elevatiorem, quam non cognoscentia : siquidem operantur per formas elevatas supra materiam, scilicet qualitates intentionales.

Rejicitur.

Nam contra hoc est, quod modum operandi sequitur modum essendi : ergo si bruta sunt omnino materialia, quoad *esse*, et nullo modo elevata supra materiam, quippe quæ eam essentialiter includunt, et ab illa in *esse fieri*, et *conservari* dependent, non possunt non esse etiam prorsus materialia quoad operationem, et modum illius.

Quartum.

17 Quarto. Nam materialitas ea sola ratione poterat impedire, aut tollere virtutem ad cognoscendum, quatenus tollit amplitudinem formæ : ex eo, quod est proprium materiæ limitare, et coarctare illam, ut constat ex iis, quæ in hoc articulo et in 1. sentent. distinct. 35. quæst. 1. art. 1. D. Thom. docet : at propter hanc rationem nequit tollere virtutem ad cognoscendum : ergo propter nullam aliam : et per consequens nec immaterialitas ponet aliquo modo prædictam virtutem, aut summa immaterialitas summam virtutem ad cognoscendum. Hæc ultima consequentia patet ex priori. Nam quoties aliqua duo directe opponuntur, ut contingit in materialitate, et immaterialitate. tunc non potest unum ponere ex vi sua aliquid in subjecto, quod non removeatur

ab altero, si ibidem esset : sicut quia calidum, et frigidum, gratia, et peccatum opponuntur, propterea nihil potest calidum ponere in calido, quod non removeatur a frigido in eo, in quo reperitur : et similiter nihil potest ponere gratia in anima, quod non tollatur a peccato : ergo si materialitas non tollit ab eo, in quo est, virtutem ad cognoscendum, nec immaterialitas ponet illam.

Prior autem conseq. ex majori, et minori aperte sequitur. Minor autem, in qua est difficultas, probatur. Quia materia solum tollit amplitudinem formæ, quatenus est causa, quod talis forma sit *hæc*, et non *illa*, ex eo, quod est radix individuationis ejusdem formæ : at hic modus tollendi amplitudinem formæ non tollit virtutem ad cognoscendum ; siquidem etiam in formis subsistentibus, quales sunt Angeli, differentia individualis eorum limitat hoc modo illos ; et nihilominus non propterea tollit ab eis virtutem ad cognoscendum : ergo, etc.

Ultimum. 18 Ultimo. Nam ex immaterialitate nequit probari a priori, aut a posteriori virtus ad cognoscendum : ergo nullo modo. Conseq. videtur legitima. Antecedens autem, quoad priorem part. probatur. Tum, quia prius est aliquam substantiam esse cognoscitivam, quam, quod possit recipere species intentionales, siquidem ideo est capax earum, quia cum sit cognoscitiva, nequit sine illis cognoscere : ergo etiam prius erit, eam esse cognoscitivam, quam esse immaterialem : quia idem est in illa esse immaterialem, ac posse recipere species intentionales in *esse* specierum formaliter consideratas : et ideo bruta dicuntur a D. Thom. (ut infra in hoc dub. videbimus) habere immaterialitatem requisitam ad cognoscendum per cognitionem sensitivam, quia possunt recipere species sensibiles in *esse* sensibili, et formaliter consideratas, quæque ab eodem Angelico Doctore propter rationem n. 34. insinuandam, appellantur formæ sine materia : ergo virtus ad cognoscendum non poterit a priori probari per immaterialitatem. Tum etiam : quia id in Deo peculiariter repugnat ex eo, quod ejus essentia consistit formalissime loquendo, in *intelligere*, et ita *intelligere* nequit habere aliam rationem a priori, per quam probetur.

Quoad secundam vero part. idem antecedens probatur. Quoniam immaterialitas abstrahit ab immaterialitate vitali, qualis reperitur in virtute cognoscitiva, et ab immaterialitate ex se non vitali, quæ invenitur in specie intelligibili : ergo est prior, quam ratio vitæ intellectualis : ac proinde, si ex ea posset probari, esse in aliquo virtutem ad intelligendum, talis probatio non esset a posteriori, sed a priori.

§ II.

Sententia, et ratio D. Thomæ defenditur.

Assertio. 19 Dicendum tamen est, virtutem cognoscendi optime probari ex immaterialitate; atque adeo summam vim ad summe intelligendum congruentissime deduci ex summa immaterialitate. Ita D. Thom. in præsenti, et in 1. dist. 35. quest. 1. art. 1. et eodem loco ad Anibaldum, 1. cont. Gent. cap. 44. de veritate quest. 2. art. 1. et in Compendio Theologiæ, cap. 28. Quem sequuntur Cajetan., Zumel, Bannez, Nazar., Ripa, Gonzal., Machin, Suarez, et alii in præsenti, Ferrara loco citato ex 1. contra Gent. Capreolus in 1. dist. 35. et communiter Theologi, et Philosophi una cum Aristotele 12. Metaphys. cap. 7. et 2. de Anima textu 26. et 123.

Fundamentum assertionis. Probatur assertio ratione S. Doctoris, quæ desumpta est ex Philosopho locis citatis. Nam immaterialitas simpliciter talis, qualis est illa, quæ reperitur in substantiis pure spiritualibus, ut in Angelis, et anima nostra, est ratio intelligendi : ergo summa immaterialitas erit ratio summe intelligendi : ergo D. Thom. optime ex summa immaterialitate Dei intulit, illum esse summe intelligentem. Hæc ultima consequentia non indiget probatione. Prior vero ex antecedenti sequitur. Nam sicut, quod est summe album ideo summe disgregat, quia album est disgregativum, ita si immaterialitas est ratio intelligendi, tunc quod fuerit summe immateriale, erit summe intelligens.

Prima probatio antecedentis. 20 Antecedens autem, in quo est difficultas, multipliciter probatur. Tum ratione Angelici Doctoris in præsenti, et in primo, ubi supra, necnon et Arist. 2. de Anima text. 123. et 3. de Anima text. 4. usque ad 7. Nam ideo plantæ non sunt cognoscitivæ, quia sunt nimis materiales : bruta vero habent aliquam virtutem cognoscitivam, quia habent aliquid magis de immaterialitate, ex eo, quod

quod in suis operationibus minus pendent a materia, et a conditionibns ejus, ut ostendunt N. Complut. 1. de anima, disp. 4. n. 7. et deinceps : ergo signum est immaterialitatem perfectiorem, per quam aliquid est simpliciter immateriale, esse rationem perfectius cognoscendi, quam omnia bruta, ac proinde cognoscendi per cognitionem intellectivam, Tum etiam : quia inter substantias intellectuales illæ sunt magis intellectivæ. quæ sunt magis, modo dicto, immateriale, magisque accedunt ad divinam immaterialitatem : et ita anima rationalis, quia minus abstrahit a materia, quam infimus Angelus, ex eo, quod licet sit secundum suam substantiam spiritualis, nihilominus est vera forma corporis, propterea minus habet de intellectualitate, quam prædictus Angelus : ergo, etc.

Se-
unda.

21 Tum deinde ratione sanctissimi Præceptoris loco citato ex Compendio Theologiæ. Quoniam res materiales fiunt intelligibiles in actu per species intentionales immateriales immaterialitate simpliciter tali, non autem per materiales : ergo signum est, immaterialitatem istam esse rationem virtutis intelligendi. Patet consequentia : quia eadem species intentionalis, quæ objectum reddit intelligibile in actu, reddit etiam intellectum complete intellectivum, ut infra in hoc eodem art. dicemus : ergo si immaterialitas dicta est ratio intelligibilitatis, erit etiam ratio virtutis intellectivæ.

'ertia.

Et confirmari, ac explicari possunt omnes istæ probationes, reddendo radicem satis intimam illarum. Primo quidem ratione desumpta ex Aristot. 3. de Anima, cap. 4. et D. Thom. ibidem, lect. 6. necnon 1. part. quæst. 75. artic. 2. Nam virtus intellectiva potest intelligere omne corpus, tam in particulari, quam in universali sumptum : at si virtus intellectiva esset materialis, et corporea, non posset sic attingere omne corpus, quia intus existens prohibet extraneum : sicut lingua affecta humore colerico, non potest propter hanc rationem percipere alios sapores, sed omnia ei videntur amara. Quam probationem late expendunt nostri Complut 3. de Anima disp. 16 num. 7. usque ad. 22. et deinceps, et plures objectiones, quibus solet impugnari, solvunt.

Confir-
mantur
primo
ræced.
roba-
iones
ntece-
entis.

22 Confirmantur, et explicantur secundo eædem probationes, adducendo aliam rationem, et radicem depromptam ex Divo Thom. 1. part. quæst. 50. artic. 2. ad 2. ubi inquit : quod forma intelligibilis recipitur in intellectu secundum rationem formæ, id est, ut bene explicat Bannez ibidem, secundum totam amplitudinem, et universalitatem, quam in *esse* intelligibili habet. Nam licet species repræsentans naturam lapidis nequeat recipi in intellectu, nisi in *esse* entitativo individuetur, et limitetur per illum; attamen in *esse* intelligibili, et repræsentativo manet ita universalis, sicut ipsa ratio, et natura talis formæ in sua amplitudine exigit : et ita repræsentat naturam lapidis universaliter acceptam : ergo signum est, intellectum eam recipientem non esse materialem, sed debere esse immaterialem, et immateriali modo eam recipere : ergo etiam signum erit, quod ex ista immaterialitate intellectus, et ex hoc modo immaterialiter recipiendi, aut quasi recipiendi speciem intelligibilem, recte deducatur, intellectum habentem illam immaterialitatem, et immaterialiter speciem sic recipientem, habere vim ad intelligendum per illam. Patet utraque conseq. Prior quidem : quia, quod est materiale, et materiali modo formam recipit, non recipit illam secundum rationem formæ, id est, cum universalitate conveniente formæ, sed individuando, et limitando illam per individuationem, et limitationem provenientem a materia, ut a primo principio limitationis, et individuationis.

robo-
ntur
undo.

23 Secunda vero conseq. ex illa priori etiam constat. Nam hoc ipso, quod intellectus debeat esse immaterialis, et immaterialiter recipere formam intelligibilem, ad hoc, ut debite, et in *esse* formæ intelligibilis eam recipiat, recte sequitur, quod immaterialitas est ratio recipiendi eam, eo peculiari modo, quo ipsa petit recipi, ad hoc, ut tribuat suum effectum formalem, qui est reddere intellectum complete intellectivum : ergo etiam ex eadem immaterialitate sequetur, quod recipiat illam tanquam aliquid habens vim ad intelligendum per modum potentiæ intellectivæ : siquidem species intelligibilis, ut talis, non recipitur, aut quasi recipitur eo peculiari modo, quo petit, quasi recipi, nisi in eo, quod habet virtutem intelligendi per modum potentiæ, sive virtutis intellectivæ, ne aliquid aliud præter istam potentiam constituatur ab ea in *esse* virtutis intellectivæ complete talis.

Major confirmatio præcedentium.

24 Explicatur, et confirmatur magis hæc eadem radix eleganti discursu, quem innuunt Arist. 2. de Anima text. 121. et Ang. Doct. ibid. lect. 24. et in hoc art. et alibi sæpe. Quoniam formalis ratio naturæ cognoscitivæ, et intellectualis consistit in hoc, quod prædicta natura non solum sit ipsamet, sed etiam mediantibus speciebus intelligibilibus possit esse omnia alia : et ita Philosoph. 3. de Anima text. 17. dicit, quod intellectus possibilis, quatenus potest omnia cognoscere, potest etiam omnia fieri, et Ang. Doctor locis relatis docet, quod perfectio cognoscentis, in quantum est cognoscens, consistit in hoc, quod perfectio, quæ est propria unius rei, in altera inveniatur, ut infra in hoc eodem art. latius dicemus : ergo talis natura non poterit non esse simpliciter immaterialis, et immateriali modo formas, et perfectiones aliarum rerum mediis prædictis speciebus recipere. Patet conseq. Quia hoc, quod est naturam, seu formam aliquam posse omnia fieri, dicit maximam amplitudinem, et illimitationem, ut ex se constat : ergo, eo ipso debet valde abstrahere a materia, quæ est radix limitationis, et coarctationis ejusdem formæ.

Fulciuntur amplius hucusque dicta.

25 Maxime, quia hoc ipso, quod natura intellectualis fiat mediis speciebus omnia, quæ intelligit, necesse est, ut sicut dum intelligit naturam aliquam quoad speciem, et essentiam suam præcise sumptam, fit hoc modo illa natura, quam intelligit, atque adeo recipit formam secundum rationem formæ, ut nuper dicebamus; ita etiam dum percipit eandem naturam, quoad essentialia, et numerica, oportet, ut idem intellectus fiat etiam illamet natura, quoad perfectionem specificam, et numericam illius, ut ex paritate rationis patet, et ex infra in hoc art. dicendis, amplius patebit : ac proinde recipiet etiam ex hac parte prædictam formam, et perfectionem secundum rationem formæ, ut jam explicamus : ergo etiam oportebit, ut prædicta natura recipiens mediante specie intelligibili, per quam fit idem cum suo objecto, talem formam, et perfectionem eandem secundum numerum, sit immaterialis, et immateriali modo eandem suscipiat : quia materia limitat, et distinguit formam secundum numerum, ita ut formæ, quæ in diversis materiis repertæ fuerunt, debeant numerice distingui. Et ita si eadem numero perfectio, quæ est in re intellecta, est in natura intellectuali mediante specie intelligibili, et intellectione talis objecti, non poterit non talis natura esse immaterialis, et immateriali modo illam recipere; imo non poterit non recipere prædictam formam, secundum rationem formæ, id est non immiscendo in ea id, quod est proprius effectus materiæ, scilicet limitare, individuare, et distinguere secundum numerum prædictam formam : qui quidem modus recipiendi formam est quodammodo illam in actu (ut sic loquamur) puro, quantum est ex parte illius receptionis, suscipere.

Diximus, *in actu (ut sic loquamur) puro, etc.* ut denotaremus, quod licet ibi revera involvantur imperfectiones, non tamen hæc peculiaris imperfectio limitandi formam intelligibilem, quoad eam amplitudinem, quam secum habet. Quod adeo universaliter verum est, ut non solum in formis intelligibilibus simpliciter spiritualibus, atque adeo petentibus ad munus jam dictum, in virtute cognoscitiva spiritualitatem simpliciter talem; sed etiam proportionate in quibusvis speciebus intentionalibus, etiam sensibilibus, sit eodem modo philosophandum. Et ita licet potentiæ sensitivæ, et cognoscitivæ non sint pure spirituales; nihilominus, quia non limitant hoc modo species intentionales in *esse* sensibili formaliter consideratas, quia non comparantur ad eas sic sumptas per modum veri subjecti, sed alio altiori modo, ut disp. 2. a num. 72. usque ad 84. explicabimus, cum ipsis uniuntur, propterea dicuntur eas suscipere, seu quasi suscipere, vel (ut melius dicamus) eis uniri secundum, quod ipsæ habent rationem formæ et (ut sic loquamur) in actu puro.

Animae versio.

§ III.

Respondetur argumentis primæ opinionis.

Ad primum

26 Ad primum dicendum est, immaterialitatem omnimodam, seu puram spiritualitatem non includentem in sua ratione esse corporeum, esse rationem intelligendi, vel elecitive, et receptive simul; vel solum elicitive, vel tantum consecutive, vel denique per modum requisiti ad intelligendum; ita tamen, ut hæc omnia ad partem intellectivam, adæquate sumptam, pertineant. Cæterum licet prædicta immaterialitas debeat esse uno ex his modis ratio intelligendi; attamen in substantiis semper, et necessario, saltim connaturaliter loquendo, debet esse ratio intelligendi elicitive, et receptive, et non utcunque, sed ut *quod*, id est, ita ut prædicta

prædicta substantia eliciat intellectionem, et recipiat, aut quasi recipiat ipsam : ac proinde revera intelligat per illam. In accidentibus vero satis erit, quod aliquo ex modis assignatis sit ratio intelligendi; quamvis etiam possit esse aliquando ratio intelligendi elicitive, aut etiam receptive, non quidem, ut *quod*, sed ut *quo*. Et propterea immaterialitas in voluntate est ratio intelligendi consecutive, id est, habet se per modum inclinationis intellectivi, quæ et illud necessario præsupponit, et ad ipsum quodammodo consequitur. Quod idem, proportione servata, et de habitibus voluntatis dicimus. Et deinde intellectus est ratio intelligendi, ut *quo* elicitive, et receptive simul, ut ex se patet. Et similiter species intelligibilis est etiam ratio intelligendi elicitive, ut *quo*, per modum rationis tenentis se ex parte objecti, licet non recipiat in se intellectionem, ut ex iis, quæ in tract. de visione Dei diximus, constat. Et tandem intellectus agens est etiam ratio intelligendi per modum requisiti ad intelligendum tanquam quid efficiens species intelligibiles, quibus intellectio elicienda est.

Ratio solutionis.

27 Ratio autem, propter quam hoc diverso modo in substantiis, et accidentibus philosophari debet, desumitur ex natura utriusque, et eam insinuarunt N. Complut. in 2. Phys. disp. 10. quæst. 4. et 5. Nam substantia immaterialis est absolute, et simpliciter immaterialis, ut *quod*, id est, per modum rei subsistentis, ita ut non sit propter aliud, quod per prius, et principalius sit immateriale, sicut accidentia id habent : et ideo si immaterialitas ejus est ratio intelligendi, debet esse ratio absolute, et simpliciter intelligendi, atque adeo intelligendi, ut *quod* elicitive, et receptive. At vero accidentia immaterialia, sicut sunt entis entia, quæ ex se nequeunt habere immaterialitatem, ut *quod*, sive per modum subsistentium, sic sunt propter indigentiam substantiæ, cui per prius convenit immaterialitas : et propterea commensurantur ratione suæ immaterialitatis cum hac indigentia, ita ut deserviant illi in ordine ad varios, et diversos effectus, quibus substantia ipsa immaterialis, ratione suæ immaterialitatis, et virtutis cognoscitivæ, quæ est talis, ut *quod*, indiget.

Unde, quia substantia aliquando indiget potentia vitali, et immateriali, quæ objecta materialia reddat intelligibilia in actu, producendo species intelligibiles, per quas prædicta objecta fiant in actu intelligibilia, inde est, ut debeat ei tribui prædicta potentia, scilicet intellectus agens, qui ratione suæ immaterialitatis possit munus hoc præstare. Et similiter, quia prædicta substantia creata, et immaterialis solum potest esse radicaliter intellectiva, ut constat ex iis, quæ N. Complut. 2. Physic. disp. 10. jam citata num. 22. et sequentibus docent; ideo indiget alia potentia immateriali, quæ ratione suæ immaterialitatis sit virtus proxima ad intelligendum. Et tandem quia intelligens, ut tale, naturaliter appetit bonum intellectivum, et substantia ipsa nequit esse principium proximum hujus inclinationis, propterea tribuitur ei potentia immaterialis, quæ propter suam immaterialitatem sit illimitata, ac proinde potens tendere in omne bonum, et sic de aliis.

Ad primam et secundam probationem contra solutionem inter arguendum traditam.

28 Quare solutio ibidem data, et juxta modo dicta intellecta, est optima. Et ad primam, ac secundam probationem in contrarium patet ex modo dictis, quomodo immaterialitas in accidentibus sit etiam ratio amplitudinis, et illimitationis : ita tamen, ut juxta diversam naturam substantiæ, et accidentis, necnon et diversam indigentiam substantiæ modificetur diversimode talis immaterialitas in substantiis, et in accidentibus, in quibus per modum accidentis, et juxta naturam cujuslibet imbibitur. Et ita immaterialitas in substantia tribuet amplitudinem talis conditionis, qualis requiritur ad hoc, ut modo explicato sit ratio intelligendi. Et similiter in accidentibus tribuet illis illimitationem, ita modificatam, ut omnia illa aliquo ex modis jam dictis sint ratio intelligendi, et juxta diversam indigentiam, secundum quam substantia intellectualis, in qua sunt, eis indiget, sint diversimode ratio intelligendi.

Ad ultimam probationem.

Ad ultimam vero probationem negandum est antecedens. Nam sicut substantia illa ratione suæ immaterialitatis esset supra omnes substantias sensitivas, quæ non sunt pure spirituales sicut illa, ita etiam deberet habere vitam, saltim radicalem, atque adeo vitam intellectivam radicaliter. Unde licet admittatur, cœlum Empyreum (de quo et testimonio D. Thom. alibi) quod non est corpus vivum, posse esse sine aliqua operatione, cujus sit radix ; non tamen id potest de prædicta substantia affirmari. Unde falsum erit id, quod

ibidem additur, scilicet posse dari aliquam substantiam creatam, quæ solum habeat per modum principii radicalis producere species intelligibiles in intellectibus hominum. Nam hoc ipso, quod talis substantia sit vivens vita elevatiori supra omnes substantias sensibiles, non potest non ejus operatio esse ad minus per se loquendo immanens, in eodem saltim supposito, quod operatur. Nam actio vitalis per se loquendo petit, ut ad minus maneat in supposito eliciente illam, ex eo quod officium proprium vitæ est movere se ipsum. Si autem productio illa specierum reciperetur in prædicta substantia, jam ipsa haberet aut saltim peteret intellectum possibilem, in quo proxime reciperetur: et ita talis substantia esset intellectiva.

Ad confirmat. Ad confirmationem patet ex dictis. Nam cum motio illa sit accidens quoddam, satis est, quod ordinetur ad aliquid ordinis intellectualis, scilicet ad producendam gratiam sanctificantem, quæ est participatio quælam divinæ intellectualitatis.

Ad secundum principale. 29 Ad secundum respondetur ex Cajet. 3. de Anima, cap. 1. in fine textus quinti, eo modo animam esse intelligibilem, quo est intellectiva, et e contra. Unde sicut anima pro hoc statu est intelligibilis in potentia et ita redditur actu, et complete intelligibilis per speciem intelligibilem, ita etiam est intellectiva non in actu, et complete, sed in potentia, quia est intellectiva per modum puræ potentiæ radicalis in ordine intelligibili: et redditur in actu, completurque per formam hujus ordinis, scilicet per speciem intelligibilem, necnon et per intellectum, qui per modum potentiæ est proxime intellectivus.

Cæterum licet anima pro hoc statu dicatur intellectiva in potentia, seu per modum potentiæ: et similiter eodem proportionali modo sit intelligibilis: nihilominus aliter est intelligibilis in potentia, ac res materiales sunt in potentia intelligibiles. Quoniam anima pro hoc statu, ita est intelligibilis in potentia, ut potentia illa sit intra ordinem, seu genus intelligibile participans ejus immaterialitatem, ac proinde aliquam rationem pertinentem intrinsece ad tale genus. Sicut licet materia prima sit pura potentia in genere substantiæ, est tamen potentia contenta intra hoc genus, et veram rationem substantiæ participans. At vero res materiales, quatenus sunt intelligibiles in potentia, non participant immaterialitatem ordinis intelligibilis, nec rationem aliquam pertinentem intrinsece ad talem ordinem: quia ordo intelligibilis incipit extrinsece ab intelligibilitate in potentia rerum materialium, prout proxime denudabilium a sua materialitate, et intrinsece ab intelligibilitate in potentia rerum spiritualium, qualis est anima pro hoc statu, et alia similia. Quare cum dicitur, animam esse intelligibilem in potentia, non additur prælicta particula *in potentia*, ad hoc, ut excludatur anima ab ordine intelligibili, tanquam quid non intrinsece contentum in illo, sed ut dicatur modus, quo ab aliquibus aliis, ad eundem ordinem intrinsece spectantibus, differt, et secundum quem ad prædictum ordinem intelligibilem modo dicto pertinet.

Alia solutio secundi principalis. 30 Secundo respondetur, animam rationalem plus habere de intellectualitate pro hoc statu, quam de intelligibilitate: quia ad hoc, ut sit intellectualis, prout *esse* intellectuale distinguitur ab *esse* intelligibili, non est necessarium, ut compleatur, nisi per aliquid, quod ex propriis meritis ab ea affertur, scilicet per intellectum ab ea dimanantem: at ut reddatur objectum actu, seu per se intelligibile, requiritur addi aliquid ex parte sui in *esse* objecti se tenens, quod aliunde adveniat, scilicet speciem intelligibilem.

Cæterum hinc nihil contra nos sequitur. Quoniam tripliciter potest aliquid esse intelligibile: vel ita, ut solum sit in actu, seu per se intelligibile, non autem intellectivum per modum virtutis intellectualis, vel alicujus ex parte ejus se tenentis: vel ita, ut non sit intelligibile in actu, seu per se, sed solum sit intellectivum in actu, id est, habens actu quidquid ex parte virtutis intellectivæ requiritur, non tamen id, quod ex parte objecti desideratur, ut in anima nostra pro hoc statu contingere diximus: vel tandem ita, ut simul sit intelligibile in actu, et intellectivum etiam in actu, et modo nuper dicto.

Dicimus igitur, quod id, quod præcise est intelligibile in actu, seu reddit objectum intelligibile in actu, est secundum quid perfectius intellectivo in actu, quatenus actuat ipsum, et comparatur per modum formæ respectu illius; attamen est simpliciter ignobilius illo, quia non est necesse, ut vivat ita perfecte vita intellectiva, quæ maximam quandam perfectionem præ se fert; quam tamen vitæ perfectionem intellectivum in actu petit. Cæterum id, quod simul est intellectivum, et intelligibile

gibile in actu , est secundum hanc rationem nobilius eo, quod tantum est intellectivum in actu , ut ex se constat. Quare licet anima rationalis ob defectum perfectionis, et excessum simpliciter talem, quo exceditur ab iis, quæ simul haberent rationem intelligibilium, et intellectivorum in actu, non sit intelligibilis, et intellectiva in actu; nihilominus poterit habere rationem intellectivæ in actu, et modo explicato. Sicut etiam ratione excessus simpliciter talis, secundum quem excedit res, quæ præcise sunt intelligibiles in actu , et non intellectivæ , ex defectu immaterialitatis, modo dicto vitalis, qua carent; et ratione excessus , quo secundum quid exceditur ab iis , quæ tantum sunt intelligibilia in actu, potest non esse de numero earum rerum , quæ præcise sunt intelligibiles in actu ; sed de numero earum, quæ habent intelligibilitatem in potentia jam explicatam una cum intellectualitate in actu.

31 Unde ad formam argumenti , concessa majori, et minori, neganda est utraque consequentia. Et ad probationem prioris, ex qua pendet probatio posterioris , respondetur distinguendo antecedens : *Longe melius est esse aliquid intellectivum, quam intelligibile* , intellectivum intellectualitate ita perfecta, ut sit etiam ex se intelligibile in actu, concedendum est: intellectivum cum præcisione, ita ut non sit simul in actu intelligibile , iterum distinguendum est antecedens; et concedendum de excessu simpliciter intellectivi , sic sumpti supra intelligibile in actu, et simul compatiente excessum secundum quid ejusdem intelligibilis supra prælictum intellectivum: negandum vero de excessu simpliciter ipsius intellectivi, excludente excessum secundum quid intelligibilis in actu supra ipsummet intellectivum . Et deinde neganda est conseq. propter rationem nuper in hac solutione traditam.

Ad primam confirmationem.

Ad primam confirmationem respondetur primo, intellectum juxta priorem solutionem argumenti præcedentis eodem modo esse pro hoc statu intelligibilem, et intellectivum proxime . Nam sicut non est proxime intellectivus, nisi dependenter a phantasmatibus, ita nec intelligibilis proxime, et per se, nisi cum eadem dependentia. Quamvis, quia præ licta dependentia est diversæ rationis , ob sui peculiarem naturam in eo, ut est intellectivus, et ut est intelligibilis, propterea petat ad hoc , ut sit proxime intellectivus per modum potentiæ, quod phantasia possit, et debeat simul producere suum phantasma circa aliquod objectum connexum , aut habens affinitatem cum illo, quod tunc ab intellectu intelligitur : at vero ad hoc, ut sit proxime, intelligibilis, exigit, ut intellectus possibilis dependenter ab eodem phantasmate producat speciem intelligibilem , per quam aliquo modo intellectus ipse intelligibilis in actu pro hoc statu reddatur.

Vel secundo ad eandem confirmationem potest eodem modo, servata tamen proportione , occurri, quo secundo loco ad secundum argumentum immediate præcedens occurrimus.

Ad secundam confirmationem.

32 Ad secundam confirmationem neganda est minor. Et ad primum testimonium dicendum est, Sanctum Doctorem solum velle, quod animæ, ut parti hominis, sit melius intelligere per conversionem ad phantasmata, et esse conjunctam corpori, quam intelligere sine tali conversione, et esse separatam ab illo. Nam cum quævis pars, ut talis, optime se habeat dum est in suo toto, inde est, ut animæ secundum rationem partis, melius sit intelligere per illam conversionem, quam sine illa, et esse intra corpus, quam extra ipsum. Inde tamen non sequitur, talem modum intelligendi, secundum se sumptum, esse nobiliorem modum intelligendi eo, quem habet extra corpus, ut docet idem S. Doctor in hoc eodem testimonio in corpore articuli.

Diximus, *secundum se sumptum* : quia, ut bene notavit Cajet. ibidem, licet modus intelligendi sine conversione ad phantasmata sit secundum se , sive ex genere suo nobilior, quam modus intelligendi per conversionem ad illa ; attamen modus iste, ut modificatus, et qualificatus ad intellectum humanum, quia est aliquo modo improportionatus respectu illius, ut optime explicat idem Cajet. loco citato; propterea quatenus sic sumitur, est ignobilior modo intelligendi per conversionem ad phantasmata.

Hinc tamen nihil contra nos sequitur. Quoniam etsi major immaterialitas, et modus operandi immaterialior arguat per se loquendo meliorem modum intelligendi ; non tamen inconvenit, quod per accidens, sive ratione alicujus impedimenti, et improportionis aliqualis, quæ est inter intellectum sic operantem , et modum illum

majoris immaterialitatis, oppositum contingat, ut in præsenti cernitur. Quia, ut notarunt N. Complut. in lib. de Anima disp. 2. num. 55. modus essendi extra corpus non est ita connaturalis animæ, et intelligere per conversionem ad superiora intelligibilia, seu independenter a corpore, est aliquo modo improportionatum respectu intellectus humani: et propterea ratione hujus impedimenti, sive improportionis non potest intellectus humanus separatus, ita perfecte intelligere absque conversione ad phantasmata, ac cum conversione ad illa.

Unde (ut optime advertit Cajetan.) dum dixit D. Thom. quod modus ille intelligendi absque conversione ad phantasmata est nobilior in se, et absolute, non tamen animæ, non est sensus, quod prædictus modus in anima retineat nobilitatem majorem in se; sed quod in anima non ponitur absolute, sed conditionatus, et modificatus conditione, et modificatione diminuente scilicet cum aliqua improportione, et defectu commensurationis specierum ad intellectum, quatenus intellectus humanus dicit ordinem ad corpus, et illud, ejusque unionem per se petit: secus vero prædictæ species, et ita sunt universaliores, et abstractiores speciebus, quæ conveniunt animæ conjunctæ corpori. Unde Sanctus Doctor, in hoc eodem art. postquam dixit, quod melior simpliciter est modus intelligendi per conversionem ad intelligibile simpliciter, seu sine conversione ad phantasmata, quæ sunt intelligibilia in potentia, quam per conversionem ad phantasmata, statim addidit, quod modus ille prior, prout est possibilis animæ, est imperfectior isto, ut per hoc denotaret, quod modus ille ex genere suo, et sine adjunctis aliunde imperfectionibus sit nobilior; non tamen consideratus, prout est in anima, et ut in illa modificatur, et qualificatur.

Secundum testimonium enodatur.

33 Ad 2. vero testimon. ex 1, 2. quest. 4. art. 5. ad 4. respondetur, Angel. Doctor. solum velle, animam, ut separatam retardari, seu impediri a perfectione extensiva beatitudinis, ex eo, quod ejus beatitudo non redundat in corpus, quamdiu est separata: non vero retardari a perfectione intensiva, quæ non potest crescere, nisi juxta majoritatem, vel minoritatem luminis gloriæ recepti in anima, sive separata, sive conjuncta, quodque ante, et post resurrectionem est ejusdem intensionis, ut docet D. Thom. ibidem ad 4. et ex dictis in tract. de Visione Dei constat. Unde illa particula, *ne tota intentione*, etc. intelligitur de tota intentione habente omnem perfectionem extensivam, jam explicatam, quæ potest eo convenire.

Ad tertiu

34 Ad tertium neganda est minor. Et ad probationem dicendum est, quod licet bruta sint simpliciter materialia, et corporea, non tamen ita, ut non habeant aliquid immaterialitatis, quantum satis sit ad hoc, ut sint cognoscitiva. Rationem autem hujus adduxit Aristot. lib. 2. de Anima, cap. 3. D. Thom. ibidem lect. 4. et 1. part. quæst. 78. art. 1. de verit. quæst. 12. art. 2. ad 2. quæst. de Anima, art. 13. Nam licet, tam secundum *esse*, quam secundum suas operationes dependeant a materia, nihilominus non omnino comprehenduntur ab illa, nec omnino sunt in eadem immersa, sed sunt aliquo modo elevata supra conditiones materiæ. Hæc autem elevatio, et supergressio consistit in hoc, quod habeant esse talis naturæ, ut sint radices operandi sine motu, et passione physicis, et proprie dictis.

Nam, ut bene notavit idem S. Doctor in lib. Physic. et communiter omnes Philosophi, moveri, et pati per passionem, et motum jam dictum, est propria conditio materiæ; ita ut ei, ut primæ radici, conveniat, et aliis, quibus ipsa non parum dominatur, ratione ipsius. Et propterea operari sine prædicto motu, et passione, est operari per operationem non omnino mixtam cum conditionibus materiæ, sed non parum elevatam supra prædictas conditiones, et habere *esse*, quod sit radix hujusmodi operationis est habere *esse* non omnino comprehensum, et immersum in materia, sed non parum elevatum, et supergrediens conditiones illius. Unde cum in argumento dicitur, bruta esse omnino materialia, et corporea, debet concedi, si ly *omnino* tollat puram spiritualitatem, qualis reperitur in anima nostra rationali: non tamen si tollat tam hanc, quam hoc, quod est habere elevationem jam dictam. Sed de his videantur N. Complut. et in lib. Physic. disput. 16. num. 13. et deinceps, et in lib. de Anima, disp. 21. quæst. 1. et peculiariter, num. 19. in quibus locis explicant quid requiratur ad motum, sive mutationem instantaneam physicam proprie dictam, et cur cognitio intellectiva rerum intellectualium,

lium, et sensitiva brutorum non habeant rationem talium motuum.

xplica-
tur
lutio.

35 Potestque amplius sic explicari hæc elevatio brutorum secundum suas formas. Nam ut D. Thom. locis citatis notavit, hoc ipso, quod sit in eis prædictus modus operandi, habent modum essendi talis conditionis, ut sit radix operandi non quidem per solas qualitates valde materiales, valdeque pendentes a materia, quales sunt primæ qualitates, et aliæ secundæ, quæ ex harum permixtione oriuntur, sed per qualitates altiores, et elevatiores, quales sunt species intentionales, quas ratione elevationis, quam habent supra materiam, appellat Aristot. 2. de Anima cap. ultimo, formas sine materia, ex eo, quod *esse* intentionale, est talis conditionis, ut num. 24. et 25. tetigimus, et infra in hoc eodem art. ex Philosopho, et D. Thom. dicemus, ut licet secundum *esse* pure naturale creatum, ut distinguitur ab *esse* intentionali, nihil possit habere eandem numero perfectionem, quam aliud habet; et ideo prædictum *esse* naturale sit *esse* magis determinatum, et coarctatum : attamen sub modo essendi intentionali optime potest aliqua res habere eandem numero perfectionem, quam habet alia : et propterea prædictum *esse* est elevatum supra conditiones materiæ, quæ ex se est radix limitationis, ac coarctationis : ac proinde hujus, quod est aliquam perfectionem, sive formam esse *hanc*, et non *illam*, esseque ita *hujus*, ut non reperiatur in *illo*. Sed de his videantur ea, quæ N. Complut. 1. de Anima disp. 4. quæst. 1. et 2. docent : necnon et illa, quæ nos disp. sequenti num. 14. et deinceps dicemus.

Declaratur magis hoc ex iis, quæ in hoc dub. num. 24. et 25. dicebamus. Nam hoc ipso, quod species intentionales sensibiles, vel intelligibiles (si in *esse* sensibili, vel intelligibili formaliter, et cum præcisione sumantur) non limitentur, et coarctentur ab iis, in quibus secundum hoc *esse* recipiuntur, aut quasi recipiuntur; ac proinde bruta recipientia has species, et formas intentionales sensibiles, in *esse* sensibili consideratas, non limitent illas, sed eas in sua amplitudine relinquant, nec tollent quominus eadem numero species in *esse* sensibili, quæ est in hoc bruto, possit esse in alio; oportet formas prædictorum brutorum habere *esse* satis elevatum supra conditiones materiæ : siquidem, ut toties diximus, proprium est materiæ, ac proinde eorum, quibus ipsa non parum dominatur, quod limitent, et coarctent formam, et virtutem operandi in ipsa receptam; ita ut faciant, quod sit *hæc*, et non *illa*; et *hujus*, non vero *illius*.

Replica.

36 Nec refert, si contra solutionem hanc objicias, quod si elevatio prædicta supra materiam, et conditiones ejus, esset ratio cognoscendi, tunc paries albus esset cognoscitivus : quia habet esse talis conditionis, ut possit operari sine motu, et passione proprie dicta, seu sine motu, et passione physicis : ut contingit, cum diffundit species intentionales sui per medium : et similiter Sol illuminans medium, et ipsum medium, v. g. aer recipiens prædictas species, et transmittens illas, essent cognoscitiva, quia omnia hæc operantur absque eo, quod interveniat ibidem passio, et motus proprie dicta.

Solutio.

Respondetur enim, quod modus operandi supra conditiones materiæ, indicans virtutem cognoscitivam in operante, debet esse non qualiscunque, sed per se immanens, ac proinde vitalis, quia cognitio ex se est actus per se immanens, et consequenter vitalis. Unde, quia omnia illa, quæ in hac objectione recensentur, operantur per operationem transeuntem, quæ est operatio longe ignobilior, non vero per actionem per se immanentem, et vitalem, propterea ille aliqualis modus elevationis, quem habent, non est satis ad hoc, ut habeant virtutem cognoscendi.

Adde falsum esse, illuminationem non esse motum physicum proprie dictum, de quo in 3. Physic. ut constat ex iis, quæ N. Complut. in 3. de Anima disp. 21. num. 19. notarunt.

Ad quartum.

37. Ad quartum dicendum est, differentiam individualem Angeli limitare eum, ut ita sit *hic*, quod non sit cætera alia in *esse* naturali; non tamen tollere quominus possit esse in *esse* intentionali, et intelligibili, ut N. Complut. 3. de Anima, disp. 16. a num. 1. usque ad num. 20. explicant : at materia comprehendens aliquam formam omnino in eadem immersam, vel non ita elevatam, sicut formæ brutorum, limitat, et restringit illam, ne sint aliæ res etiam in *esse* intentionali, et repræsentativo, ut ex dictis constat. Unde non quævis coarctatio, sed illa, quæ tollit, ne una forma habere possit perfectiones

aliorum in *esse* repræsentativo, est, quæ tollit amplitudinem necessario requisitam, ut habeat virtutem cognoscendi.

Ad ultimum. 38 Ad ultimum respondetur, rationem D. Thom. quatenus ex summa immaterialitate Dei ostendit, eum esse summe intelligentem, non esse proprie, et in rigore loquendo a priori, aut a posteriori : quia summa immaterialitas non se habet proprie, et rigorose, ut fundamentum, et radix summæ, et purissimæ intellectualitatis divinæ, quin potius constituitur in summo actu immaterialitatis per summum actum suæ actualissimæ intellectualitatis.

Quare hæc ratio tantum procedit ex una ratione inadæquata reperta in divina essentia ad aliam inventam in illa, et ab illa priori non virtualiter, sed ex parte nostri modi concipiendi distincta. Nam hæ duæ rationes ita sunt inter se connexæ, ut ubi una fuerit, debeat necessario esse alia, et non utcunque, sed ita, ut ad unam, et eandem lineam spectent. Et ratio est. Nam hoc ipso, quod essentia divina dicat per se primo, et ratione sui, entitatem per essentiam per modum purissimi actus : ac proinde abstrahentem ab omni materia, et potentialitate, necesse est, ut ibidem sit ratio alia inadæquata summæ, et purissimæ intellectualis in actu secundo ad eandem lineam pertinens, ut ex dictis in hoc dubio, et ex dicendis disp. 4. satis constabit.

Cæterum cum hoc stat, quod loquendo de *esse* cognoscitivo, et creato, et de immaterialitate illius, tunc immaterialitas creata sit ratio a priori respectu *esse* cognoscitivi ei proportionati, nempe creati : loquendo vero de *esse* intellectivo Dei per modum actus purissimi, tunc ejus summa immaterialitas erit ex parte nostri modi concipiendi ratio quædam inadæquata prior respectu suæ purissimæ intellectualitatis : quia hæ duæ rationes non distinguuntur in Deo adhuc virtualiter, sed solum sunt duo munera inadæquata ejusdem purissimæ rationis ex parte nostri modi concipiendi distincta.

39 Unde ad formam argumenti, negandum est antecedens, quoad priorem partem. Et ad primam probationem concedenda est major, juxta dicta, et neganda consequentia. Et ad probationem negandum est antecedens in sensu formalissimo intellectum. Nam substantiam aliquam, et ejus potentiam cognoscitivam esse immaterialem ea immaterialitate, quæ desideratur, ut habeat rationem substantiæ, et potentiæ cognoscitivæ, est habere naturam ita depuratam a materia, et ita elevatam, ut maneat cum sufficienti actualitate, elevatione, et amplitudine ad hoc, ut inde sequatur, quod possit recipere species intentionales desideratas ad cognoscendum. Unde in creaturis ratio immaterialitatis sic considerata pertinet ad easdem creaturas, ut habent rationem essentiæ, et ratio recipiendi species spectat ad ipsas, ut habent rationem naturæ : constat autem in eis rationem essentiæ, et naturæ esse virtualiter distinctas, ut nostri Complut. in lib. Phys. disp. 7. num. 15. et in lib. de Anima, disp. 3. num. 16. et deinceps docent.

Ad secundam vero probationem respondetur : solum probare, quod divinum *intelligere*, in quo Dei natura consistit, nequeat habere aliam rationem virtualiter priorem illo ; non tamen, quod ex parte nostri modi concipiendi non possimus ibidem distinguere plura munera inadæquata ejusdem eminentissimæ intellectionis : ita, ut eademmet intellectio ratione suæ summæ immaterialitatis intelligatur habere eam actualitatem, et amplitudinem purissimam, quæ requiritur ad hoc, ut per modum actus purissimi fiat omnia in *esse* intelligibili, et ratione sui, ut exprimit se ipsam, ut habet formaliter rationem speciei intelligibilis respectu sui, necnon et ultimam, et supremam actualitatem intelligendi, fiat perfectissimo, et actualissimo modo omnia in eodem *esse* intelligibili.

DUBIUM III.

Utrum in Deo sit scientia proprie, et formaliter dicta, et respectu quorum?

Postquam ostendimus esse in Deo intellectivam cognitionem proprie, et formaliter sumptam, restat, ut explicemus, an talis intellectio simul habeat rationem scientiæ proprie, et formaliter acceptæ, sive talis distinguatur virtualiter ab intellectione, ut præcise Dei intellectio est ; sive solum ex parte nostri modi concipiendi, de quo infra.

§ I. *Referuntur*

§ I.

Referuntur duæ sententiæ.

40 Prima sententia denegat Deo rationem scientiæ proprie, et formaliter sumptæ. Ita aliqui, quos refert D. Thom. in 1. dist. 35. art. 1. pro qua sententia sic primo arguit. Nam scientia, de qua loquimur, est habitus conclusionis, sicut intellectus est habitus principiorum, ut docet Philosoph. 6. Ethic. cap. 3. 5. et 6. sed Deus non cognoscit aliquid per modum conclusionis; quia sic ejus intellectus descenderet a principiis in conclusiones, quod etiam ab Angelis Dionysius 7. de divinis nominibus removet : ergo scientia non est formaliter in Deo.

Confirmatque hoc ipsum S. Doctor de verit. quæst. 2. art. 1. Nam omne, quod scitur per scientiam, debet sciri per aliquid notius : sed Deo non est aliquid magis, et minus notum, sed omnia sunt ei æque notissima : ergo in eo nequit esse scientia.

Secundo arguit loco citato ex 1. sententiarum. Simplicissimo, et primo nihil convenit, quod sibi aliquid præsupponat, quodque addatur rei præexistenti : sed scientia præsupponit vitam, et essentiam, et dicit aliquid additum eisdem, ut in principio libri de causis dicitur : ergo cum Deus sit ens simplicissimum, et primum, nequibit in eo scientia reperiri.

41 Tertio, hoc ipsum probat S. Doctor. Nihil, quod pluralitatem requirit, invenitur in eo, quod summe est unum : sed scientia requirit pluralitatem quandam, scilicet, scientis, scientiæ, et scibilis : ergo Deo, qui summe unus est, non conveniet.

Nec refert, si dicas, non esse necessariam ad rationem scientiæ, distinctionem scientis, et scibilis : sed posse in idem coincidere.

Nam contra hoc est (inquit D. Thom.) quod nihil sibi ipsi simile dici potest, ut dicit Hilarius; neque aliquid se ipsum recipit, aut capit : sed secundum Philos. 1. de Anima text. 25. scientia est assimilatio scientis ad rem scitam, et scientia fit secundum receptionem scibilis in sciente : ergo videtur, quod non possint idem esse sciens, et scitum.

Ultimo probatur. Nam cognitio Dei per se primo terminatur ad suam essentiam, et in illa sic cognita attingit attributa, et creaturas : ergo non est in Deo scientia proprie, et formaliter dicta. Antecedens constat ex iis, quæ in tractatu de Visione Dei diximus, et ex infra dicendis amplius patebit, communiterque a Theologis admittitur. Conseq. autem probatur. Quoniam in hoc differt scientia a notitia luminis principiorum, quæ dicitur intelligentia, quod illa per se primo versatur circa conclusionem, ista vero per se primo tendit ad principia, et causas conclusionum : ergo si omnis cognitio divina per se primo versatur circa suam essentiam, quæ habet rationem principii, et causæ, aut quasi causæ suorum attributorum, et creaturarum : consequens erit, ut omnis cognitio divina sit cognitio principiorum, nulla vero scientifica, si de cognitione scientifica proprie, et formaliter fiat sermo.

Posterior sententia.

42 Secunda sententia admittit in Deo scientiam proprie, et formaliter sumptam; negat tamen illam respectu suorum attributorum, et aliarum veritatum creatarum, quæ sunt omnino necessariæ. Ita quoad utramque partem Durandus in 1. dist. 35. quæst. 4. et Ferrara relatus a Gonzalez in præsenti disp. 34. n. 4. Et quoad posteriorem Democritus, et Hervæus quodlib. 2. quæst. 2.

Fundamentum est. Quoniam omnis cognitio scientifica debet esse per causam : at neque ea, quæ sunt formaliter in Deo, qualia sunt attributa, neque prædictæ veritates creaturarum habent sui causam : ergo cognitio Dei attingens prædicta non habebit veram rationem scientiæ. Major cum conseq. patent. Minor autem quoad priorem part. etiam constat. Quoniam quidquid causatum est, non potest non esse creatum. Quoad secundam vero part. etiam patet. Quoniam id, quod non potest non esse, nequit habere sui causam : quoniam causa desideratur ad hoc, ut aliquid producatur, et sit : at prædictæ veritates hoc ipso, quod sint omnino necessariæ, non possunt non sic esse : ergo nequeunt habere sui causam.

§ II.

Vera sententia duabus conclusionibus explicatur.

Assertio prima

43 Dicendum tamen est primo, in Deo esse scientiam proprie, et formaliter

dictam. Assertio hæc videtur certa secundum fidem. Esther. 14. *Te, Domine, qui habes omnium scientiam.* Job. 21. *Numquid Deum docebit quisquam scientiam?* Psal. 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Ecclesiast. 42. *Cognovit enim Dominus omnem scientiam.* Ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei.* Ad Colossenses 2. *In quo sunt omnes Thesauri scientiæ, et sapientiæ Dei.* Quæ testimonia juxta regulam Augustini dub. 1. hujus disp. adductam, et communiter a Theologis receptam, debent intelligi in sensu proprio, et formali, ut ex ibidem dictis constat. Unde sancti Patres hoc ipsum communiter tuentur, Dionys. cap. 7. de divinis nominib. August. 1. de doctrina Christiana cap. 8. et lib. 6. de Trinit. cap. 7. tom. 3. et lib. 15. cap. 5. et cap. 6. per totum, D. Thom. in præsenti, et 1. cont. Gent. cap. 45. et alii plures, quibus communiter subscribunt omnes Theologi.

Animadversio. Ut autem rationem fundamentalem hujus assertionis ex D. Thom. desumptam tradamus, notandum est cum Bannez in præsenti, quod cum scientia sit cognitio rei per causam, dupliciter potest intelligi, quod, res per causam cognoscatur, scilicet, vel per causam ex parte cognoscentis, et rei cognitæ, vel per causam rei cognitæ solummodo. Tunc autem aliquid scitur per causam ex parte cognoscentis, quando non solum scitur unum esse causam alterius; sed etiam cognitio rei scitæ causatur ex alia cognitione, per quam cognoscitur causa. Tunc vero aliquid scitur per causam rei cognitæ solum, quando sciens scit unum esse causam alterius, quamvis cognitio unius non causetur ex alia cognitione causæ.

44 Hinc ergo ratio fundamentalis ex Divo Thoma desumitur. Quoniam ad rationem scientiæ proprie, et formaliter sumptæ non requiritur, ut sit cognitio rei per causam tam ex parte cognoscentis, quam ex parte rei cognitæ, sed satis est cognitio rei per causam ex parte rei cognitæ se tenentem : sed Deus perfectissime cognoscit res per suas causas, seu per causas ex parte illarum se tenentes : ergo non solum erit scientia proprie, et formaliter dicta, sed etiam scientia perfectissima. Major patet. Tum quia scire nihil aliud est, quam rem per causam cognoscere : at ad hoc, ut res certo noscatur per causam, sat est, ut sciatur per suam causam, seu per causam ex parte ejus tantummodo se habentem. Tum etiam : quia Angeli habent veram, et propriam scientiam formaliter sumptam, ut communiter admittunt omnes Theologi, et tamen non cognoscunt rem per causam ex parte cognoscentis se tenentem; id est, ita ut cognitio effectus causetur ex alia cognitione causæ, alioqui intelligerent discurrendo, et ex una cognitione alicujus veritatis deveniendo in cognitionem alterius, quod quidem aperte pugnat cum modo proprio cognoscendi illorum, scilicet per simplicem intuitum, ut docet D. Thom. 1. part. quæst. 58. art. 3. et de verit. quæst. 2. art. 1. ad 4. et cum eo cuncti Theologi.

Minor etiam constat. Quoniam Deus cognoscit perfectissime omnes effectus creatos, et causas eorum, et quod prædictæ causæ sunt causæ talium effectuum, licet omnia ista per simplicem intuitum et absque discursu attingat : hoc autem satis est ad hoc, ut perfectissime sciat per causas ex parte earum se tenentes : ergo, etc.

45 Confirmatur. Nam Deus perfectissime cognoscit omnes creaturas in sua essentia, tanquam in causa : ergo habet perfectissimam scientiam earum. Consequentia patet. Antecedens autem constat. Tum ex dictis in tract. de Visione Dei disp. 7. n. 72. Tum etiam : quia cum essentia divina sit causa creaturarum, et Deus perfectissime penetret, et comprehendat illam, non potest non in ea, ut in causa penetrata, et comprehensa cognoscere omnes effectus creatos. Confirmatur.

Nec refert, si objicias, quod scientia alicujus rei est cognitio per causam propriam illius : at essentia divina non est causa propria, et peculiaris, v. g. hominis, sed causa communis omnium effectuum possibilium : ergo cognitio hominis in essentia divina, ut in causa, non erit cognitio scientifica. Objectio.

Respondetur enim, essentiam divinam, ut habet rationem causæ, dupliciter posse considerari. Primo adæquate, secundum quod continet omnes creaturas, non solum secundum rationes, in quibus adunantur, sed etiam secundum speciales, in quibus distinguuntur. Secundo inadæquate, secundum quod præcise exprimit continentiam alicujus creaturæ determinatæ (v. g. hominis) longe eminentiorem, et perfectiorem, quam si solum esset destinata ad illum continendum. Enodatio.

continendum. Dicimus ergo, quod etsi essentia divina adæquate sumpta, sit causa communis omnium creaturarum; non tamen si inadæquate accipiatur: et ita quamvis demus ad scientiam alicujus rei desiderari, quod cognoscatur per causam propriam ipsius, nihil ex hac parte obstabit, quominus cognitio alicujus effectus in essentia divina, ut in causa, sit vera scientia.

46 Quamvis cum hoc stet, (ut ex se patet) quod scientia Dei ratione suæ summæ perfectionis, et eminentiæ nequeat terminari ad divinam essentiam, cum præcisione sumptam, ut est causa adæquata alicujus creaturæ: sed necessario debeat simul terminari ad eandem essentiam, ut est causa adæquata omnium, licet terminetur ad hanc creaturam, v. g. hominem, quia peculiariter illum continet, et ad bruta, quia peculiariter etiam habet ea continere. Sed circa hæc videantur illa, quæ in tract. de Visione Dei disp. 6. dub. unico diximus, et juxta ibidem dicta intelligantur ista.

Assertio secunda.

47 Dicendum est secundo, dari in Deo veram, et propriam scientiam suorum attributorum, et proprietatum, necnon et quarumcunque veritatum creaturarum, quantumvis illæ necessariæ sint. Hæc est contra secundam sententiam initio adductam. Eam tamen communiter tuentur omnes fere Theologi, et ideo ab eis in particulari referendis abstinendum.

Probatur prior assertionis pars.

Ratio autem ejus, quoad priorem part. quam tuetur D. Thom. in hac quæst. art. 16. inquiens, quod *Deus habet de se scientiam speculativam,* innuitur ab eodem Angelico Doctore supra quæst. 1. art. 2. Quoniam nostra Theologia est vera scientia demonstrans de Deo sua attributa seu proprietates, aut quasi proprietates, quamvis nulla earum habeat proprie, et in rigore veram causam: ergo eadem ratione poterit in Deo esse vera, et propria scientia de eisdem proprietatibus, etiam si non possit dari vera causa illarum. Patet conseq. et antecedens discursu ejusdem Angelici Doctoris, qui sic se habet. Quoniam ad hoc, ut aliqua cognitio habeat veram rationem scientiæ, non est necesse, ut attingat rem per veram, et propriam causam illius; sed satis est, quod attingat illam per aliquam rationem formalem ipsius, ut patet in Metaphysica, ostendente passiones entis de ipso ente, non quidem per causam proprie dictam, sed per rationem formalem; quippe cum ratio entis, quæ non distinguitur a ratione boni, vel veri, nequit esse causa vera, et propria eorum, sed solum ratio formalis: ergo licet divina attributa non habeant causam proprie dictam sui, sed solum rationem formalem, poterunt sciri a nostra Theologia, et a Deo per scientiam proprie talem.

Confirm.

48 Confirmatur ratione, quam tangit Sanctus Doctor ibidem. Quoniam Theologia nostra est scientia subalternata respectu scientiæ beatorum, et scientiæ Dei: ergo principia cognita per fidem, in quibus innititur Theologia ad demonstrandam de Deo æternitatem, v. g. per ejus immutabilitatem, scientur a beatis, et a Deo per veram scientiam. Conseq. patet. Quoniam de ratione scientiæ subalternatæ est, ut subordinetur alteri scientiæ subalternanti quæ veram, et propriam rationem scientiæ habeat, ut communiter docent omnes Dialectici, et Theologi.

Antecedens vero probatur et explicatur. Nam quædam sunt scientiæ, quæ procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus, sicut Arithmetica, Geometria, et hujusmodi. Quædam vero sunt, quæ procedunt ex principiis notis lumine superioris scientiæ, sicut Perspectiva procedit ex principiis notificatis per Geometriam; et Musica ex principiis per Arithmeticam notis, et propterea vocantur scientiæ subalternatæ: quia non nisi ut quodammodo sunt sub lumine alterius scientiæ et illi subordinantur tanquam lumini superiori, cui sua principia sunt nota, habent rationem scientiæ. Et hoc modo nostra Theologia est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, scilicet Dei, et beatorum. Et ita sicut Musica credit principia tradita sibi ab Arithmetico; non tamen ea evidenter attingit; et ideo est scientia subalternata respectu Arithmeticæ: ita nostra Theologia, sive nos actuati per illam credimus per fidem principia revelata a Deo, non tamen ea evidenter cognoscit, et propterea est scientia subalternata respectu scientiæ divinæ. Sed de his videantur ea, quæ N. Complut. in sua Logica disp. 19. quæst. 3. docent, necnon et ea, quæ in hoc dub. dicemus: ut ita tacita quædam objectio, quæ contra hujus confirmationis vim fieri poterat, facile diluatur.

Suadetur assertio quoad secundam partem.

49 Secunda vero pars ejusdem assertionis, scilicet quascunque veritates creaturarum, sive creabiles, quantumvis necessarias, sciri a Deo per scientiam

proprie et in rigore dictam, præter quam quod habetur apud D. Thom. art. 5. et 6. hujus quæstionis, probatur ratione desumpta ex D. Thom. variis in locis statim referendis, quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam quæcunque veritates creabiles, quantumvis necessariæ, habent veram causam suæ necessitatis, et veritatis : ergo sunt scibiles : ergo scientur a Deo per suam scientiam. Hæc ultima consequentia evidenter sequitur ex priori. Nam cum scientia Dei sit infinita intra suam lineam, non potest non terminari ad omne scibile. Prima vero consequentia ex antecedenti patet. Quoniam quævis veritas necessaria habens causam suæ necessitatis est scibilis : quia sicut scire nihil aliud est, quam rem per causam cognoscere, ita quod habuerit causam, et fuerit cognoscibile, erit utique scibile.

Antecedens autem probatur. Tum quia Aristot. 5. Metaph. text. 6. et 8. Physic. text. 16. probat contra Democritum, entia necessaria habere causam suæ necessitatis, cui etiam subscribit D. Thom. infra quæst. 44. art. 1. ad 1. Tunc etiam : quia, ut docet idem S. Doct. propterea hæc veritas v. g. quod homo sit animal rationale, est de re omnino necessaria, et sempiternæ veritatis, quia Deus necessario, et ab æterno habet potentiam ad producendum hominem : et ita si implicaret in Deo potentia ad illum producendum, tunc etiam prædicta veritas implicationem involveret : et ratio hujus implicationis redderetur a priori ex implicatione prædictæ potentiæ : quia omnis veritas per participationem, qualis est prædicta veritas creabilis, debet esse talis dependenter a veritate, et omnipotentia entis increati, et per essentiam.

50 Tum etiam : quia hoc, quod est hominem esse hominem, est propter divinam bonitatem, ut docet D. Thom. infra quæst. 21. art. 4. et ratio id suadet. Quia cum hoc, quod est hominem esse hominem, non sit perfectio infinita, nec habeat rationem ultimi finis respectu aliarum perfectionum ; consequens est, ut sit perfectio finita, et creata ; ac proinde dependens ab increata Dei perfectione, et ex natura sua ordinabilis ad divinam bonitatem ; et ita jam habebit causam finalem, per quam sit scibilis a Deo. Tum denique : nam hæc veritas, *homo est animal rationale*, habet in Deo causam formalem, seu exemplarem : siquidem est in illo idea prædictæ veritatis, ut docet D. Thom. supra quæst. 13.

Accedit, quod hæc veritas, *homo est visibilis*, est valde necessaria, et nihilominus habet causam, per quam in scientia de homine demonstratur per rationalitatem : ergo etiam hæc veritas, *homo est animal rationale*, poterit habere aliquam causam, saltim increatam, per quam possit sciri a Deo. Patet consequentia : quoniam homo, et quidquid in homine est, majorem dependentiam habet ab ente per essentiam, quam passiones hominis ab essentia illius.

§ III.

Satisfit argumentis utriusque sententiæ.

Ad primum primæ sententiæ.

51 Ad primum primæ sententiæ respondet D. Thom. de verit. quæst. 2. art. 1. ad 4. his verbis : *Dicendum, quod quia illud, quod in Deo est absque omni imperfectione, in creaturis cum aliquo defectu invenitur ; propter hoc oportet, ut si aliquid in creaturis inventum Deo attribuatur, separemus totum, quod ad imperfectionem pertinet, ut solum maneat hoc, quod perfectioni est : quia secundum hoc tantum creatura Deum imitatur. Dico igitur, quod scientia, quæ in nobis invenitur, habet aliquid perfectionis, et aliquid imperfectionis : ad perfectionem ejus pertinet certitudo ipsius : quia quod scitur, certitudinaliter cognoscitur : sed ad imperfectionem pertinet discursus intellectus a principiis in conclusiones, quorum est scientia ; hic enim discursus non contingit, nisi secundum quod intellectus cognoscens principia, cognoscit in potentia tantum conclusiones. Si enim actu cognosceret, non esset ibi discursus, cum motus non sit, nisi exitus de potentia ad actum. Dicitur ergo in Deo scientia ratione certitudinis de rebus cognitis, non autem ratione discursus prædicti, qui nec etiam in Angelis invenitur, ut Dionysius dicit.*

Ad confirmationem.

Ad confirmationem respondet idem Angelicus Doctor ibidem in solut. ad 5. ubi sic habet : *Dicendum, quod quamvis Deo non sit aliquid magis, et minus notum, si consideretur modus cognoscentis, quia eodem intuitu omnia videt : tamen si consideretur modus rei cognitæ, Deus cognoscit, quædam esse magis cognoscibilia in se ipsis, et quædam*

dam minus. Sicut inter omnia maxime est cognoscibilis sua essentia, per quam quidem omnia cognoscit, non aliquo discursu, cum simul videndo essentiam suam omnia videat. Unde et quantum ad istum ordinem, qui potest attendi in divina cognitione ex parte cognitorum, etiam salvatur in Deo ratio scientiæ ; ipse enim præcipue omnia per causam cognoscit.

Ad secundum.

52 Ad secundum respondetur cum D. Thom. 1. sentent. dist. 35. quæst. 1. art. 1. quod licet primo, et simplicissimo nihil possit addi, præsupponens realiter aliquid aliud, a quo realiter distinguatur, cum quoque compositionem faciat; bene tamen potest ei aliquid additione secundum rationem addi, ita ut id, quod additur, sola ratione, seu virtualiter distinguatur ab eo, cui fit talis additio : ut in præsenti contingit. Nam scientia sola ratione additur divinæ essentiæ, ex eo quod actu, et formaliter sunt una, et eadem simplissima formalitas præstans propria essentiæ, et scientiæ Dei, non minus, ac si ibidem intercederet realis actualis distinctio, aut realis, et actualis additio.

Ad tertium.

Ad tertium patet ex modo dictis ex Sancto Doctore. Unde solutio ibidem data, est legitima, et ad impugnationem illius respondet D. Thom. 1. sent. ad Anibaldum, ubi supra in solutione ad secundum, his verbis : *Dicendum, quod ratio illa procedit de scientia, quæ est a rebus accepta ; talis autem non est divina scientia, sed potius causans res.*

Ad ult.

53 Ad ultimum respondetur, concedendo antecedens, et distinguendo consequens : et si intelligatur de scientia, quæ tantum sit scientia, concedenda est consequentia : si vero intelligatur de scientia, quæ formaliter eminenter sit simul scientia, et sapientia, negari debet consequentia. Et ad probationem dicendum est, antecedens esse verum de scientia, quæ tantum sit scientia, ac proinde non pertingit ad rationem sapientiæ : non tamen de scientia, quæ in una, et eadem simplicissima ratione, absque distinctione virtuali habet esse simul formaliter eminenter scientiam, et sapientiam, ut in scientia Dei contingit.

ucida-
tur
olut.

Explicatur hoc. Etenim sapientia, quæ est perfectissima scientia, continet formaliter eminenter quidquid pertinet ad rationem scientiæ, quæ tantum est scientia, et quidquid spectat ad habitum primorum principiorum, sive ad intelligentiam, quæ tantum habet rationem intelligentiæ : quia sub ratione quadam communiori, et eminentiori complectitur intelligentiam, et scientiam. Quare licet scientiæ, cui tantum convenit ratio scientiæ, non possit competere, ut per se primo versetur, tam circa principia, quam circa conclusiones : secus tamen scientiæ, quæ simul est scientia, et sapientia : ac proinde simul, et formaliter continet ea, quæ sunt propria intelligentiæ, seclusa imperfectione, et limitatione ipsius. Quare cum scientia Dei : quippe, quæ est perfectissima scientia, attingens omnia per altissimas causas, habeat rationem sapientiæ, non mirum, quod per se primo terminetur, tum ad principia, tum etiam ad conclusiones, seu ad essentiam divinam, quæ est principium, et veluti causa suorum attributorum, et simul terminetur per se primo (modo tamen infra disp. 3. num. 34. et 35. explicando) ad sua attributa, quæ se habent ad essentiam divinam, veluti conclusiones per se primo illatæ ex cognitione ipsius, tamquam principii, et quasi causæ, et tandem quod terminetur per se secundo ad creaturas, quæ etiam sunt quasi conclusiones, per se secundo illatæ ex divina essentia, ut est causa illarum.

Cæterum licet divina scientia habeat dictam eminentiam, per quam habeat propria intelligentiæ, et scientiæ, nihilominus cum his cohæret, ut etiam sit in Deo dandum lumen aliud virtualiter distinctum, quod præcise sit intelligentia, et secludat imperfectionem, et limitationem luminis intelligentiæ creatæ, licet non habeat tantam eminentiam, quantam sapientia : ut dubio sequenti num. 84. magis explicabimus.

Alia solutio ult.

54 Secundo respondetur, concedendo antecedens, et negando consequentiam. Et ad probationem dicendum est cum D. Thom. 1. 2. quæst. 57. art. 2. sapientiam non distingui ab intelligentia, seu ab habitu, aut quasi habitu principiorum, in hoc, quod sapientia nullo modo versetur circa prima principia : sed in hoc, quod intelligentia versatur circa illa absolute, et seorsum sumpta, ut num. 84. magis explicabimus : at vero sapientia terminatur ad ipsa, ut ex illis deducuntur conclusiones. Et ita scientia Dei, quæ est perfectissima sapientia, poterit per se primo terminari ad essentiam divinam ; quia versatur circa illam, ut est ratio attingendi creaturas ; sicut

etiam scientia divina potest versari, quatenus scientia, seu sapientia est circa essentiam Dei, ut est ratio attributorum; ex eo, quod prædicta attributa habent se ad instar conclusionum deductarum ex essentia divina, tamquam ex principio, seu ratione formali illorum.

Ad fundamentum secundæ sententiæ.

55 Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur, majorem esse veram, si sensus illius sit, quod omnis cognitio scientifica debet esse per causam, sive illa sit vera, et formalis causa, sive tantum virtualis, quæ coincidit cum ratione a priori. Quo pacto immutabilitas dicitur causa virtualis æternitatis, quia est ratio a priori illius. Et deinde neganda est minor, quoad utramque partem. Et ad probationem contra priorem dicendum est, quod licet quod habet veram, et propriam causam formaliter talem, sit creatum; non tamen quod habuerit causam solum virtualem, seu rationem a priori, ut contingit in æternitate, collata cum immutabilitate, et in quibusvis attributis divinis, comparatis cum essentia Dei.

Ad probationem vero secundæ partis neganda est major. Ad cujus probationem dicendum est, causam desiderari, tum ad hoc, ut id, quod est indifferens ad *esse*, et non *esse*, producatur, et sit : tum etiam ad hoc, ut sit ens, et verum per participationem, quantumvis nunquam actu producatur, aut existat : vel quantumvis secundum suam essentiam sit sempiternæ, et necessariæ veritatis. Quia quælibet entitas, et veritas per participationem, non esset talis, neque haberet prædictam necessitatem, nisi ad minus esset aliquod primum ens, et prima veritas per essentiam, a quo (modo insinuato) essent participabiles.

56 Diximus : *Nisi ad minus esset aliquod primum ens, et prima veritas* : quia non est contra rationem veritatis necessariæ, quod habeat causam creatam suæ necessitatis : et propterea hæc veritas, *homo est risibilis*, quæ est necessaria, habet causam creatam suæ necessitatis, scilicet quod homo sit rationalis : et ita in scientia de homine demonstratur per illam.

Explicatur solutio ex D.Thom.

Quæ solutio desumitur ex D. Thom. 1. part. quæst. 44. art. 1. ad 1. his verbis : *Dicendum, quod licet habitudo ad causam non iniret diffinitionem entis, quod est causatum, tamen sequitur ad ea, quæ sunt de ejus ratione : quia ex hoc, quod aliquid per participationem est ens, sequitur quod sit causatum ab alio. Unde hujusmodi ens non potest esse, quin sit causatum : sicut nec homo, quin sit risibile.*

Elucidatur amplius ex eodem.

Quod adhuc magis explicuit in solutione ad secundum. Nam cum sibi objecisset, ad hoc aliquid indigere causa, ut sit ac proinde quod non potest non esse, quales sunt veritates necessariæ, non indigere tali causa. Respondet : *Dicendum, quod ex hac ratione quidam moti fuerunt ad ponendum, quod id, quod est necessarium, non habeat causam, sed hoc manifeste apparet falsum in scientiis demonstrativis, in quibus principia necessaria sunt causæ conclusionum necessariarum. Et ideo dicit Aristotel. in* 5. *Metaphys. quod sunt quædam necessaria, quæ habent causam suæ necessitatis. Non ergo propter hoc solum requiritur causa agens, quia effectus potest non esse, sed quia effectus non esset, si causa non esset : hæc enim conditionalis est vera sive antecedens et consequens sint possibilia, sive impossibilia.*

Replica.

57 Nec refert, si contra solutionem hanc objicias, quod licet respectu nostri possit dari scientia attributorum Dei, quia cognoscimus unum posse esse rationem a priori alterius, et essentiam esse etiam rationem a priori omnium illorum; non tamen respectu Dei : ex eo quod nos distinguimus ratione unum attributum ab alio : et ita possumus cognoscere unum esse rationem alterius; non tamen Deus, qui attingit illa ut in se sunt : ac proinde non fingit in eis aliquam distinctionem rationis, quæ in illis prout in se sunt, non reperitur : ergo saltim ex hac parte solutio data corruet.

Solvitur.

Respondetur enim, quod licet demus Deum cognoscentem (de quo alibi) se ipsum, et sua attributa, non efficere distinctionem rationis inter illa, nisi ad summum per ordinem ad intellectum creatum viatoris, nihilominus per se, et ratione sui præcise cognoscit virtualem distinctionem, quæ est inter attributa, tam inter se, quam ut collata cum essentia : et hoc sufficit ad hoc, ut unum attributum v. g. cognoscatur, ut ratio a priori alterius.

Ratio solutionis.

Ratio autem, propter quam Deo tribuimus, ut modo dicto prædictam distinctionem cognoscat, est : quoniam talis distinctio virtualis re vera reperitur inter illa, ratione

ratione summæ eminentiæ, quam habet illa simplicissima formalitas divinæ essentiæ, et attributorum. Nam sicut in creatis re vera distinguuntur actu, et formaliter essentia, et ejus proprietates, ita re vera distinguuntur virtualiter essentia divina, et ejus attributa : ex eo quod illa simplicissima formalitas non minus præstat propria plurium pertinentium ad distinctas lineas, quam si esset actu, et formaliter plures, in quo ratio virtualis distinctionis re vera talis consistit.

Alia plica. 58 Neque etiam obest, si urgeas, non posse divinum intellectum cognoscere per se, et ratione sui præcise prædictam distinctionem virtualem, quin eodem modo cognoscat illam distinctionem rationis : quoniam distinctio virtualis nihil est aliud, quam fundamentum ad distinctionem rationis : ac proinde, quod per se, et ratione sui attigerit illam, non poterit non eodem modo cognoscere distinctionem rationis, imo efficere illam, cum ejus *esse* solum consistat in *cognosci*.

noda- tur. Non itaque hoc obest. Quoniam juxta hunc modum dicendi, licet demus, quod distinctio virtualis sit simul distinctio rationis fundamentalis respectu intellectus non attingentis rem prout est in se, vel attingentis illam per ordinem ad prædictum intellectum ; non tamen respectu intellectus, qui terminatur ad rem prout est in se, et consideratur, ut est sub hac præcisione non attingendi illam aliquo modo per ordinem ad intellectum jam dictum, seu ut est cognoscibilis per distinctos conceptus ab intellectu non attingente ipsam prout est in se.

Et ita conceptus formalissimus distinctionis virtualis ut sic, non est conceptus formalissimus ejusdem, ut est distinctio rationis fundamentalis : tum propter modo dicta. Tum etiam : quia si daremus implicare omnem intellectum viatoris, maneret tunc illa distinctio virtualis sub conceptu distinctionis virtualis : siquidem posset præstare propria plurium pertinentium ad distinctas lineas, non minus, quam si esset plures ; non tamen maneret sub conceptu distinctionis fundamentalis : quandoquidem implicante intellectu potente distinguere secundum rationem, implicat etiam potentia (ut sic dicamus) passiva, fundans talem distinctionem.

59 Unde poterit Deus, prout consideratur sub hac præcisione attingendi se ipsum absque ordine ad intellectum viatoris, cognoscere distinctionem virtualem suorum attributorum, non cognoscendo distinctionem rationis, quæ fit, et cognoscitur ab intellectu viatoris, non attingente ipsum Deum prout est in se : quamvis (quia intellectus divinus non potest non simul cognoscere suam essentiam, et attributa esse attingibilia ab intellectu viatoris imperfecte, et per distinctos conceptus) debeat etiam ibidem cognoscere prædictam distinctionem fundamentalem : ac proinde sit etiam valde probabile, quod debeat per ordinem, aut quasi ordinem ad prædictum intellectum creatum efficere eandem distinctionem rationis, ut bene explicat noster Didacus a Jesu in sua Logica disp. 3. quæst. 3.

DUBIUM IV.

Utrum scientia Dei sit attributum illius?

Quia D. Thom. in hoc art. in solut. ad 2. docet, scientiam Dei esse attributum illius ; ideo in hac 1. disp. merito de hoc inquirimus ; maxime quia non tam explicabimus *quod quid est* divinæ scientiæ, quam *an est* illius per modum attributi, id est, an reperiantur in Deo tauquam attributum ejus? Et ita agere de illa secundum hanc considerationem spectat ad disputationem de scientia Dei quoad *an est* ipsius.

§ I.

Argumenta pro parte negativa.

Primum argumentum. 60 Primum est. Quoniam *intelligere* Dei pertinet ad intrinsecum constitutivum divinæ naturæ : ergo etiam scientia illius : ergo talis scientia non erit attributum Dei. Hæc ult. conseq. patet ex priori. Quoniam ut ex Damasceno in hoc dub. dicemus, attributum habet se ad instar proprietatis divinæ naturæ : ac proinde id, quod pertinuerit ad intrinsecum constitutivum illius, nequibit rationem attributi habere.

Prima vero conseq. ex antecedenti constat. Quoniam *intelligere* Dei spectans ad intrinsecum constitutivum divinæ essentiæ, debet esse summe perfectum intra lineam, et genus intelligendi, ut ex se constat : ergo debet esse *intelligere* scientificum : quandoquidem *intelligere*, quod non pertingit ad hoc, ut sit scientificum, non est summe perfectum intra lineam, et

genus intelligendi. Antecedens autem ex dicendis in hoc tract. disp. 4. num. 43. et tract. 4. disp. 2. num. 57. patebit.

Confirmatur primo.

61 Confirmatur primo. Quoniam *intelligere* prout constituit divinam naturam, debet esse conprehensivum Dei : ergo debet habere rationem scientiæ : ac proinde scientia non poterit se habere ad instar proprietatis, seu attributi Dei. Antecedens patet. Tum quia prædictum *intelligere* convenit cum Deo in gradu immaterialitatis, ut ex se constat : at *intelligere* conveniens cum aliqua essentia in gradu immaterialitatis est comprehensivum illius, ut supra quæst. 12. art. 2. dici solet. Tum etiam : quia intellectio constitutiva Dei, est tanta in ratione intellectionis, quantus est Deus in ratione objecti intelligibilis, alioqui non constitueret illum in sua essentia, et intelligibilitate : constat autem ex dictis supra quæst. 12 art. 8. quod ad comprehensionem intellectivam satis est, quod intellectio sit tanta in ratione intellectionis, quanta est essentia, quæ intelligitur in ratione objecti intelligibilis.

Prima vero consequentia etiam constat. Quia *intelligere* comprehensivum Dei attingit in eo tanquam in causa, vel ratione formali a priori omnia attributa, necnon et cunctas creaturas possibiles : ac proinde secundum suam formalem rationem erit cognitio attributorum, et creaturarum possibilium per suam causam, vel rationem a priori : et consequenter secundum suam formalissimam rationem erit scientia : siquidem hæc nihil est aliud, quam cognitio rei per suam causam.

Confirmatur secundo.

62 Confirmatur secundo. Nam vel *intelligere* constitutivum Dei secundum se, et præcise sumptum attingit omnia, quæ sunt in illo, tam formaliter, quam eminenter, et ut in causa, vel non? Si primum, ergo secundum se, et præcise consideratum habebit rationem scientiæ, ut constat ex iis, quæ modo dicebamus. Si vero secundum dicatur, ergo prædictum *intelligere* erit finitum, et limitatum : et per consequens non poterit esse constitutivum Dei. Patet utraque consequentia. Quoniam intellectio, per quam non attingitur Deus secundum omnia, quæ habet, tam formaliter, quam eminenter, est finita, ut constat in visionibus beatorum, quæ propter hanc rationem sunt finitæ in ratione visionis Dei, ut supra quæst. 12. art. 8. communiter dici solet : intellectio autem finita nequit esse constitutiva Dei.

Secundum.

63 Secundo. Quia in nobis esse radicaliter, et in potentia scientes, non habet rationem proprietatis, sed pertinet ad constitutivum intrinsecum nostræ essentiæ : ergo in Deo esse in actu secundo scientem, non se habebit ad instar proprietatis, seu attributi illius, sed spectabit ad conceptum divinæ essentiæ, prout distinctæ a suis attributis, et proprietatibus.

Antecedens est perspicuum. Quia nequit intelligi essentia hominis adæquate, quin intelligatur cum potentia radicali ad sciendum : et ita esse radicaliter, et in potentia scientem spectabit ad ejus intrinsecum conceptum : sicut propter hanc rationem esse radicaliter intellectivum, aut admirativum spectat ad ejus quidditatem.

Consequentia autem ex antecedenti aperte videtur sequi. Quoniam quidquid importans perfectionem simpliciter pertinet ad quidditatem creaturæ intellectualis, debet seclusis imperfectionibus, cum quibus est involutum, constituere naturam Dei per modum actus purissimi, excludentis omnem potentialitatem : quia talis ratio est ex se constitutiva naturæ : et ita si depuretur ab omnibus imperfectionibus, non potest aliam præter Dei naturam constituere : ergo si in nobis esse radicaliter, et in potentia scientes, dicit perfectionem simpliciter, involutam tamen cum imperfectionibus, et spectantem ad quidditativum conceptum nostræ essentiæ, consequens erit, ut esse actu scientem per modum actus purissimi excludentis omnem imperfectionem, et potentialitatem, pertineat ad conceptum quidditativum divinæ essentiæ.

Tertium.

64 Tertio. Quia potentia, quam Deus habet ad creandum, non distinguitur a potentia, quæ in ipso est ad transubstantiandum unum in aliud, aut a potentia patrativa cujusvis miraculi ; sed omnia hæc constituunt unam, et eandem indivisibilem omnipotentiam absque aliqua distinctione virtuali : ergo eadem ratione non erit in Deo multiplex virtualiter intellectio, sed illamet absque aliqua distinctione virtuali, quæ est constitutiva Dei, erit intellectio scientifica : et per consequens intellectio ut scientifica, non erit attributum : siquidem attributum debet

bet virtualiter distingui a divina essentia, ut habet rationem essentiæ, et a constitutivo illius, scilicet intellectione divina. Antecedens non indiget probatione. Quia sicut in nobis potentia intellectiva dicit unam simplicissimam potentiam absque aliqua distinctione virtuali, per quam possumus intelligere quodvis intelligibile : et ideo potentia ad intelligendum substantiam, non est distincta a potentia intellectiva accidentis, ita in Deo omnipotentia dicit unam simplicissimam potentiam absque aliqua distinctione virtuali, per quam potest producere omne factibile : et propterea potentia ad creandum nequit esse virtualiter distincta a potentia transsubstantiativa, aut patrativa alicujus miraculi.

Consequentia probatur. Nam ideo prædictæ potentiæ non distinguuntur virtualiter, quia omnes competunt Deo ob unam, et eandem indivisibilem rationem, scilicet quatenus est actus purus, et infinitus, ex eo, quod unumquodque agit in quantum est in actu; atque adeo, quod est in actu puro, et infinito, debet esse infinite, et summe activum : ergo cum omnis cognitio intellectualis competat Deo sub unica ratione formali, et indivisibili, scilicet, quia est summe immaterialis, consequens erit, ut non multiplicentur in eo intellectiones, sed quævis intellectio in eo inventa, sit una, et eadem simplicissima intellectio absque aliqua distinctione virtuali.

Quarto. 65 Quarto. Nam, si *intelligere* Dei, ut est constitutivum illius, distingueretur a scientia ipsius, deberet etiam distingui ab habitu, seu quasi habitu principiorum, qui vocatur *intelligentia* : sed hoc est impossibile : ergo, etc. Sequela ex paritate rationis satis videtur constare. Nam sicut scientia est virtus intellectualis, ita etiam intelligentia, ut ex Arist. docet D. Thom. 1. 2. quæst. 57. art. 2. ergo si *intelligere*, ut est constitutivum Dei, non potest pertingere ad hoc, ut identificet sibi absque aliqua distinctione virtuali unam ex istis virtutibus, scilicet scientiam, neque etiam poterit pertingere ad hoc, ut identificetur absque eadem distinctione virtuali cum alia virtute intellectuali; nimirum intelligentia, seu lumine principiorum.

Falsitas autem consequentis etiam constat. Quoniam ut docet Angelicus Doct. loco nuper citato, intelligentia in hoc distinguitur a sapientia, quod hæc fertur in principia, ut sunt causa conclusionum ; intelligentia vero in principia secundum se : ergo intelligentia in Deo non poterit distingui virtualiter ab *intelligere*, prout est constitutivum divinæ essentiæ. Patet consequentia. Quia utrunque habet idem objectum formale : siquidem *intelligere*, ut est constitutivum divinæ essentiæ, fertur ad illam secundum se, et cum eadem essentia secundum se sit primum principium, et causa omnium conclusionum ex illa deducibilium, fit inde, ut intelligentia, seu lumen principiorum repertum in Deo, quod terminatur ad primum principium secundum se, debeat terminari ad essentiam divinam secundum se sumptam.

Confirmatur. 66 Confirmatur. Nam eadem ratione scientia Dei distingueretur a sapientia, ab arte, a prudentia, ab aliisque virtutibus intellectualibus, ut ab Eubulia, seu virtute bene consiliativa, et a Synesi, ac Gnome, quæ sunt virtutes indicativæ de rebus agibilibus : hoc autem dici nequit : ergo, etc. Sequela videtur certa. Nam scientia, quæ non pertingit ad hoc, ut constituat scientem in sua natura, sistit intra latitudinem virtutis intellectualis cum præcisione sumptæ; virtus autem intellectualis scientiæ, aut sapientiæ sic acceptæ, debet distingui ab aliis virtutibus intellectualibus, ut docet D. Thom. 1. 2. quæst. 57. art. 2.

Falsitas vero consequentis probatur. Nam cum scientia Dei sit perfectissima in ratione scientiæ, et contempletur perfectissimam, et altissimam causam, scilicet divinam essentiam, non distinguetur a sapientia, ut docet D. Thom. in 1. dist. 35. quæst. 1. art. 1. ad ult. et in eodem loco ad Anibaldum. Et similiter hoc ipso, quod sit perfectissima scientia, debet etiam esse perfectissima in ratione scientiæ practicæ : ac proinde debet etiam esse perfectissima ratio in intellectu Dei existens, tam omnium agendorum, quam faciendorum : quorum primum pertinet ad prudentiam, et ad alias virtutes ei annexas, scilicet consiliativam, et indicativam : secundum vero ad artem, ut docet D. Thom. quæst. 57. nuper citata.

Ultimum. 67 Ultimo. Nam in Deo non distinguimus virtualiter multiplicem scientiam,

aliam rerum metaphysicarum, aliam vero rerum physicarum, et sic de aliis, sed solum unicam, quæ correspondeat, et æquivaleat omnibus aliis scientiis inferioribus : ergo nec ponetur in eo duplex virtualiter intellectio, alia, quæ sit constitutiva divinæ essentiæ, alia vero, quæ habeat rationem scientiæ. Antecedens communiter recipitur a Theologis, uno, vel alio excepto.

Consequentia probatur. Quoniam ideo unica scientia absque aliqua distinctione virtuali est sufficiens in Deo, quia cum sit infinita intra genus scientiæ, debet ambire omnem perfectionem, et scientiam, intra prædictum genus contentam ; ergo cum scientia Dei sit etiam infinita, tam in ratione scientiæ, quam in ratione intellectionis, debet etiam ambire absque aliqua distinctione virtuali omnem intellectionem in Deo inventam ; ac per consequens esse omnino idem cum intellectione constitutiva Dei in sua propria essentia.

§ II.

Vera D. Thomæ sententia.

Assertio.

68 Dicendum tamen, scientiam Dei proprie, et in rigore sumptam, esse attributum divinum : atque adeo non pertinere ad intrinsecum constitutivum essentiæ divinæ, ut distinctæ a suis proprietatibus, seu attributis. Ita D. Thom. in proœmio hujus quæst. ubi supra vidimus, inquit ; *Quod post considerationem eorum, quæ ad divinam substantiam pertinent, restat considerandum de iis, quæ pertinent ad operationem ipsius*, seu de iis, quæ spectant ad operationem, non constituentem Dei essentiam, et substantiam : et inter ea connumerat scientiam ; atque adeo sentit, scientiam non spectare ad divinam substantiam, seu essentiam ; sed esse quid consequens ad illam, per modum quasi proprietatis, seu attributi illius. Idem etiam docet, tum in hoc art. in solut. ad 2. ut in probatione assertionis expendemus. Tum etiam in 1. dist. 35. quæst. 1. art. 1. in solut. ad 2. his verbis : *Cum Deus nominatur ens, non exprimitur aliquid, nisi quod pertinet ad perfectionem ejus, et non tota perfectio ipsius. Et similiter cum dicitur sciens, et volens, et hujusmodi. Et ita patet, quod omnia hæc unum sunt in Deo secundum rem, sed ratione differunt : quæ non tantum est in intellectu, sed fundatur in veritate, et perfectione rei : et sicut proprie Deus dicitur ens, ita proprie dicitur sciens, et volens, et hujusmodi ; neque est ibi aliqua pluralitas, vel additio, vel ordo in re, sed in ratione tantum.* Ubi, ut vides, distinguit S. Doct. distinctione rationis cum fundamento in re, seu distinctione virtuali rationem entis repertam in Deo, scilicet entis per essentiam, a ratione scientiæ, et volitionis ; ac proinde sentit, non pertinere ad intrinsecum conceptum divinæ essentiæ, ut præintelligitur attributis. Quoniam constitutivum divinæ essentiæ non potest virtualiter distingui a ratione entis per essentiam, essentialiter spectante ad conceptum divinæ essentiæ ; ex eo, quod omnia, quæ in Deo pertinent ad unam, et eandem lineam vel essentiæ, vel proprietatis, debent esse una, et eadem formalitas, absque aliqua distinctione virtuali, ut in tractatu de Voluntate Dei, disp. 2. latius dicemus.

69 Eandem sententiam tuetur Chrysost. hom. 1. de incomprehensibili Dei natura circa medium ; ubi cum dixisset, extremæ insaniæ esse, velle scire quid sit substantia Dei, ut hoc ostendat, distinguit substantiam Dei ab ejus sapientia, dicens : *Quanquam non a sapientia substantia est, sed ex substantia sapientia* : et subjungit : *verum cum Prophetæ eam* (nempe Dei sapientiam) *plene percipere non valeant, quantum ii insaniunt, qui substantia ipsam suis objicere rationibus posse arbitrantur.* Ecce ubi manifeste docet, sapientiam Dei oriri ab ipsa Dei substantia : et per consequens esse attributum illius. Quod etiam docet Damascenus lib. 1. de Fide cap. 4. in fine, ibi : *Ita sive bonum, sive justum, sive sapientem, sive quidcunque, tandem aliud dicere libeat, non Dei naturam, sed quæ naturæ insunt, exponis.* Unde assertionem hanc tuentur communiter Theologi, Henricus de Gandavo, in sua summa Theologiæ quæst. 2. num. 27. Ægid. tom. 1. de beatudine lib. 5. quæst. 4. art. 8. referens pro ea omnes Theologos. Gonzalez in præsenti dub. ultim. disp. 34. sect. 4. Granado 1. part. tract. 2. disp. 9. et omnes illi, qui asserunt divinam essentiam non constitui per *intelligere* in actu secundo, sed per hoc, quod sit radicaliter intellectiva, quos infra art. 4. referemus.

§ III. *Sententia*

§ III.

Sententia Doctoris Angelici, ratione ex ipso, et ex Damasceno desumpta, stabilitur.

nimad
ersio
prima
pro
ation
sertio-
nis.

70 Ut autem rationem fundamentalem hujus assertionis ex Damasceno lib. 1. de Fide, cap. 12. et ex D. Thom. locis citatis desumptam tradamus, supponendum est primo, attributum nihil esse aliud, ut sumitur ex Damasceno, et admittunt communiter Theologi, quam rationem quandam absolutam necessario, et formaliter existentem in Deo, et subsecutam, nostro modo intelligendi, seu (quod in idem quoad præsens redit) virtualiter, ad ejus essentiam, tanquam aliquid in certa quadam quasi specie atoma constitutum. Dicitur ergo primo, quod attributum debet esse ratio quædam absoluta, ut per hoc excludantur divinæ relationes, quæ licet sint formaliter, ac necessario in Deo, et ad ejus essentiam nostro modo intelligendi subsequantur ; nihilominus quia non sunt rationes absolutæ, sed relativæ, ideo non sunt proprietates attributales divinæ essentiæ, sed personales, vel constitutive, vel consecutive : constitutive quidem, ut de Paternitate, Filiatione, et Spiratione passiva personas constituentibus, constat : consecutive autem, ut in spiratione activa cernitur, quæ supponit personas Patris, et Filii constitutas, et consequitur ad illas, quatenus sic constitutæ sunt.

71 Additur deinde, quod talis ratio absoluta debet esse formaliter, et necessario in Deo, ut per priorem particulam rejiciantur illa, quæ solum virtualiter in ipso continentur, et per posteriorem ea, quæ solum libere in ipso sunt. Et ita nec creaturæ possibiles virtualiter in Deo contentæ, nec volitio libera Dei, quatenus talis, quæ formaliter in eo existit, habet rationem attributi.

Et ulterius asseritur, attributa debere consequi, nostro modo intelligendi, ad essentiam Dei constitutam, ut per hoc eadem essentia a ratione attributi excludatur ; quandoquidem licet divina essentia habeat cæteras alias conditiones nuper petitas, ut ex se constat, non tamen potest etiam nostro modo intelligendi subsequi ad se ipsam jam constitutam.

Et tandem ultimo loco dicitur, tanquam aliquid in certa quadam quasi specie atoma constitutum, ut per hoc distinguatur a rationibus communibus, sive transcendentibus, quæ in eisdem attributis, aut aliis rationibus divinis includuntur, necnon a rationibus quasi differentialibus eorundem attributorum : quia licet istæ duæ rationes concurrant ad constituendum attributum; neutra tamen ex illis per se sumpta rationem attributi habet.

72 Secundo supponendum est, scientiæ Dei convenire priores particulas, necnon et ultimam hujus diffinitionis, aut quasi diffinitionis : quandoquidem ex se constat, eam esse rationem absolutam, non vero aliquid formaliter relativum. Et similiter illam esse quid formaliter, et necessario in Deo existens, ut ex dictis dub. præced. constat. Ac tandem esse aliquid in certa quadam quasi specie atoma constitutum, ut ex se, et ex iis, quæ statim adjiciemus, amplius patebit. Quare tota difficultas est, an sit aliquid virtualiter distinctum a divina essentia, ut præintelligitur attributis, atque adeo a divina intellectione, ut est constitutiva Dei. Nam eo ipso, quod prædicto modo ab illa distinguatur, non poterit non virtualiter consequi ad eam, ut magis explicabitur, ac proinde habere omnes conditiones ad rationem attributi requisitas. Secunda

73 Ut autem hanc virtualem distinctionem scientiæ ab *intelligere* ostendamus, supponendum est tertio id, quod in tract. de Voluntate Dei disp. 2. num. 31. ad probandam distinctionem virtualem inter voluntatem divinam, et ejus virtutes affectivas, in simili adducemus ; nimirum potissimam probationem hujus distinctionis virtualis inter *intelligere* constitutivum Dei, et scientiæ divinæ desumendam esse ex communi consensu Philosophorum, et Theologorum asserentium, quod proprius actus scientiæ, ut abstrahit a creata, et increata, est cognoscere rem per suas causas, aut rationes formales, ac proinde ejus objectum formale, et adæquatum esse rem, ut cognoscibilem hoc peculiari, et determinato modo, scilicet per suas causas, sive per prædictas rationes. Tertia.

74 Ratio autem, ob quam ad communem hunc Theologorum, et Philosophorum consensum quoad præsens recurrimus, est, quia objecta formalia, et adæquata habent se ad instar primorum principiorum respectu potentiarum, aut virtutum, sive affectivarum, sive intellectualium, ex eo, quod tota earum ratio ex objectis, tanquam ex prima radice desumitur : prima autem principia, non tam probanda, quam ex communi Doc-

torum consensu accipienda sunt. Maxime, quia quoad præsens, adest peculiaris ratio, ob quam communi placito standum sit, alioqui facile potentiæ, aut virtutes inter se distinctæ confunderentur, assignando pro illis unam, et eandem rationem formalem magis universalem, ad quam terminentur, ratione cujus sint una, et eadem potentia, aut virtus, nec posset facile oppositum ratione ostendi.

Ratio fundamentalis pro assertione.

75 His ergo suppositis non erit difficile ex eis fundamentalem rationem pro assertione a D. Thom. et Damasceno insinuatam ad hanc formam reducere. Quoniam certum est, reperiri in Deo proprie, et formaliter scientiam : ergo respicit tanquam proprium objectum formale, et adæquatum suum proprium scibile, quatenus tale, id est, hoc determinato modo, nimirum quatenus cognoscibile per suas causas, sive rationes formales : ergo talis scientia distinguetur virtualiter ab *intelligere* Dei, ut constituit ejus essentiam, eritque verum attributum respectu illius. Antecedens constat ex dictis in secundo præsupposito. Prima vero conseq. ex illis, quæ in tertio præsupposito diximus. Nam quævis virtus, potentia, aut actus respicit suum proprium formale, et adæquatum objectum : ergo cum objectum formale, et adæquatum scientiæ sit suum proprium scibile, ut tale, seu ut est cognoscibile hoc determinato modo, scilicet per suas causas, sive rationes formales, consequens est, ut divina scientia hoc formale, et adæquatum objectum respiciat.

Ex quo etiam secunda conseq. quoad priorem ejus partem, scilicet quoad distinctionem virtualem inter *intelligere* Dei, ut est constitutivum suæ essentiæ, et inter scientiam, constat. Nam prædictum *intelligere* respicit distinctum objectum adæquatum formale, scilicet essentiam, sive ens divinum sub alia ratione ampliori, nempe quatenus est (ut sic dicamus) ens, seu intelligibile divinum, ut sic (modo tamen in solutionibus argumentorum explicando) non tamen ut est intelligibile hoc determinato modo, scilicet per causam, aut rationem a priori. Tum quia adhuc in creatis natura intellectualis non respicit, ut objectum formale adæquatum, suum intelligibile, ut est intelligibile hoc determinato modo, scilicet per causas. Tum etiam : quia essentia divina, saltim quatenus est sibi ratio intelligibilitatis passivæ, secundum quam rationem ad minus primario, et principaliter est objectum intellectionis divinæ, ut constitutivæ Dei, non est cognoscibilis per causam, sive rationem a priori, ut ex se constat.

76 Et tandem eadem consequentia quoad secundam ejus partem, scilicet quod scientia sit verum attributum Dei, ut constituti per suum *intelligere*, ex priori parte ejusdem consequentiæ, et ex secundo præsupposito aperte sequitur. Quoniam id, quod distinguitur virtualiter ab essentia divina, non potest pertinere ad ejus intrinsecum conceptum, prout suis attributis præsupponitur : ex eo quod quidquid pertinet ad conceptum prædictæ essentiæ, constituit unicam tantum lineam essentiæ, et id, quod pertinet ad unicam præcise lineam, est unica, et eadem simplicissima formalitas, absque aliqua distinctione virtuali, ut in tractatu de Visione Dei disp. 2. diximus, et in tractatu de Voluntate Dei disp. 2. dub. 2. latius asseremus : ac proinde id, quod virtualiter ab eadem essentia distinguitur, non potest non ad illam consequi, ut ex se constat : et per consequens, si fuerit ratio absoluta, formaliter, et necessario in Deo existens, etc. ut in scientia, juxta ea, quæ in secundo præsupposito diximus, constat, non poterit non rationem attributi habere, ut ex diffinitione attributi, in secundo præsupposito adducta, patet.

Confirmatur primo.

Confirmatur. Nam ad hoc ut *intelligere* divinum constitutivum Dei sit infinitum, et actus purus intra propriam lineam, seu ordinem, requiritur, et sufficit, quod sit ens per essentiam, et quod se ipso formalissime habeat rationem virtutis intellectivæ, et intellectionis, tendentis in essentiam, aut ens divinum secundum rationem generalem suæ amplitudinis : seu quatenus est (ut sic loquamur) intelligibile divinum, ut sic ; quamvis non identificet sibi absque distinctione virtuali scientiam Dei : ergo ad hoc, ut constituat Deum, non est necessarium, ut identificet sibi absque eadem distinctione divinam scientiam : ac proinde hæc erit attributum respectu illius.

Hæc ultima consequentia sequitur ex priori, ut ex nuper dictis constat. Prima vero ex antecedenti. Quoniam, ut patet ex iis, quæ in tract. de Voluntate Dei disp. 2. dub. 2. attingemus, et ex dicendis art. 4. hujus quæst. amplius patebit, id ipsum, et non amplius requiritur ad hoc, ut gradus intelligendi sit constitutivum

tivum Dei, quod desideratur ad hoc, ut sit infinite perfectum intra suam lineam. Nam cum ex se sit constitutivus naturæ, ut ex Arist. et D. Thom. optime expendunt nostri Complut. lib. 1. de Anima disp. 4. num. 28. et deinceps, consequens est, ut si depuretur ab omnibus imperfectionibus, ac proinde sit infinite perfectus intra suam lineam, non possit non constituere divinam naturam.

77 Antecedens autem probatur. Nam sicut ad hoc, ut intellectualitas creata constitutiva naturæ creatæ, v. g. naturæ Angelicæ Michaëlis, habeat sufficienter constituere illam, satis est, quod includat rationem entis per participationem, seu involventis potentialitatem in ratione entis, necnon rationem vitæ, et intellectualitatis admixtæ certæ cuidam potentialitati : ac tandem quod respiciat ens in communi, involvens potentialitatem, id est, prout abstrahit a Deo, et creaturis, ac proinde in omni sua amplitudine sumptum : ita ad hoc, ut intellectualitas divina constituat sufficienter divinam naturam, satis erit, quod dicat hæc omnia per modum actus purissimi, ac proinde, quod dicat entitatem non per participationem, quæ involvit potentialitatem in ratione entis, sed entitatem per essentiam, et insuper rationem vitæ intellectualis per modum actus purissimi, quæ est idem, quod *intelligere* identificatum omnino absque distinctione virtuali cum vi ad intelligendum; ac tandem, quod respiciat etiam per modum objecti adæquati ens, quod habet eandem puritatem cum illo, in omni sua (ut sic dicamus) amplitudine sumptum, scilicet essentiam divinam, seu ens divinum ut sic. Nam cum limitatio, et potentialitas gradus intelligendi in naturis creatis sufficienter colligatur ex distinctione reali ejus a sua intellectione, fit inde, ut identitas omnimoda utriusque absque ulla distinctione reali actuali, aut ex natura rei, aut tandem virtuali sufficiat ad infinitatem, et purissimam actualitatem intra eandem lineam.

78 Confirmatur secundo. Nam ex eo, quod voluntas Dei respiciat bonitatem divinam in omni sua amplitudine, colligimus esse virtualiter distinctam a misericordia ipsius, quæ respicit eandem bonitatem determinato modo, scilicet, ut determinate est ratio sublevandi miseriam : et insuper ex hac virtuali distinctione deducimus, misericordiam esse nostro modo intelligendi posteriorem, quam voluntatem, ut constat ex iis, quæ in tract. de Voluntate Dei disp. 2. num. 32. asseruimus : ergo etiam ex hoc, quod *intelligere* Dei, ut constituit essentiam divinam, respiciat illam, sive ens divinum in omni sua amplitudine, seu ut est intelligibile divinum, ut sic, et scientia respiciat idem ens divinum determinato modo, nimirum ut est causa, aut ratio formalis aliorum, colligemus, prædictam scientiam distingui virtualiter a divino intelligere, ut constitutivo Dei, et ad ipsum virtualiter consequi.

Confirmatur tandem ratione ultima, quam in favorem nostræ assertionis in tract. de Voluntate Dei disp. 2. num. 34. adducemus. Nam ratio illa quoad præsens (debita proportione) applicata, optime convincit hanc assertionem : et rem hanc, quoad fieri potest, radicitus explicat. Confirmatur ultimo.

§ IV.

Fit obviam argumentis initio adductis.

79 Ad primum concesso antecedenti, juxta dicta, neganda est utraque consequentia, et ad probationem prioris, ex qua pendet probatio posterioris, dicendum est, quod *intelligere* Dei, spectans ad intrinsecam constitutionem divinæ essentiæ, debet esse summe perfectum perfectione eminenti, et virtuali, tam intra omnes lineas intelligendi, quam intra cæteras alias lineas : ex eo, quod est primordialis linea, habens rationem naturæ, in qua cæteræ omnes formalitates, et lineæ radicantur, a quaque nostro modo intelligendi profluunt : non tamen est necesse, ut cum præcisione sumptum sit summe perfectum intra omnem lineam, et genus intelligendi, ita ut omnes lineas ad genus intelligendi spectantes formaliter contineat; sed satis est, quod habeat summam perfectionem intra propriam lineam naturæ, et quod pertingat ad hoc, ut identice, et cum sola distinctione virtuali sit *intelligere* scientificum. Ad primum.

Explicatur hoc. Etenim intra genus, seu (ut sic loquamur) latitudinem intelligendi sunt plures, et diversæ lineæ, quia sunt plura, et distincta objecta formalia adæquata per se inspecta : quodvis autem objectum formale adæquatum, quasi originat unam lineam. Unde dupliciter potest aliquid dici summe perfectum in genere intelligendi, vel quia formaliter ambit, et continet totum il- Explicatio solutionis.

lud genus, et omnes lineas specie diversas ad illud pertinentes : vel quia tantum est formaliter, et secundum sibi propria infinitum intra unicam lineam secundum speciem ex illis pluribus, quæ intra totum illud genus continentur, quamvis si talis res constituerit lineam primordialem ordinis intelligendi, scilicet lineam naturæ, debeat non quidem formaliter, sed radicaliter, et in virtute habere secundum sibi propria omnem perfectionem aliarum linearum.

Quare cum *intelligere* Dei, ut constituit naturam divinam, non sit infinitum in genere intelligendi, quatenus per hoc denotatur ambire, et formaliter continere totum illud genus, aut quasi genus, et omnes lineas illius; sed solum esse infinitum in genere intelligendi, prout per hoc tantum significatur, esse infinitum intra unicam tantum lineam secundum speciem ex illis pluribus, quæ intra totum genus intelligendi continentur, scilicet intra lineam naturæ, inde est, ut tantum debeat formaliter, et absque ulla distinctione virtuali continere ea, quæ spectant ad hanc lineam, quamvis quia linea ista est linea primordialis, et radicalis, debeat per modum radicis, et virtualiter præhabere perfectionem aliarum linearum; sive illæ sub ordine, et genere intelligendi, sive sub quovis alio ordine contineantur : ac proinde oportebit, ut ratione suæ purissimæ actualitatis identificet sibi, cum distinctione tamen virtuali, tam lineam scientiæ, quam cæteras alias lineas, ita ut eas modo dicto non identificaret, et esset earum quasi radix, et fontale principium, optime colligeremus, quod adhuc intra propriam lineam naturæ non esset summe perfecta; secus vero si per modum actus purissimi, et modo explicato, prædicta habuerit.

Ad primam confirmationem.

80 Ad primam confirmationem, concedendum est antecedens, et neganda utraque consequentia. Et ad probationem primæ, in qua innititur posterior, distinguendum est antecedens : et si sensus illius sit, quod ad *intelligere* comprehensivum Dei requiratur, ut attingat in eo, tanquam in causa, vel ratione formali a priori omnia attributa, necnon et cunctas creaturas possibiles, ita ut ratio formalissima attingendi omnia ista, sit eadem essentia, ut habet rationem causæ, vel rationis a priori, negandum est : secus vero si sensus illius sit, quod attingat omnia ista, ac proinde essentiam esse causam, aut rationem eorum, ita ut ratio attingendi sit alia universalior, et magis elevata, quam jam innuimus. Et tandem neganda est consequentia : quia, ut esset legitima debebat antecedens esse verum in priori sensu.

Itaque aliud est, an *intelligere* comprehensivum Dei, hoc ipso, quod tale debeat attingere essentiam divinam, attributa, et omnes creaturas possibiles, cognoscendo eam esse rationem a priori illorum, et causam actualem istarum? Aliud vero, an ratio formalissima attingendi, tam attributa, quam creaturas, debeat esse ipsa divina essentia, ut habet rationem causæ, et rationis a priori? Primum quidem verum est : et ita *intelligere* Dei, ut constituit ejus essentiam, et est comprehensivum illius, attingit omnia ista, ex eo, quod est ista immaterialis, sicut divina essentia per illud constituta, et per consequens terminatur ad illam tanta cognitione, quanta ab ipsa essentia divina petitur. Secundum vero falsum est : quia ad *intelligere* comprehensivum Dei, satis est, quod attingat cuncta hæc sub ratione quadam magis elevata, et universaliori, quatenus nimirum terminatur ad omnia ista sub ratione divinæ essentiæ, in omni sua amplitudine in ratione objecti intelligibilis, seu (ut loquamur) quatenus habet rationem intelligibilis divini, ut sic.

Replica.

81 Nec refert, si objicias, quod intellectio Dei, ut est constitutiva divinæ naturæ, non potest esse tanta in ratione intellectionis, quanta divina essentia in ratione objecti intelligibilis, nisi secundum quod est constitutiva illius, sit etiam *intelligere* scientificum : ergo, etc. Antecedens videtur certum. Quia essentia divina, ut est objectum intelligibile, petit utroque modo ex assignatis cognosci : ergo nisi utroque modo attingatur ab intelletione constitutiva Dei, ut tali, ac proinde nisi talis intellectio sit formalissime ipsamet scientia Dei, non erit prædicta intellectio tanta in ratione cognitionis, quanta ipsa essentia in ratione intelligibilis.

Diluitur.

Respondetur enim, negando antecedens. Et ad probationem distinguendum est antecedens : *Ut est objectum intelligibile,* per intelligibilitatem præcise omnino

nino primam ipsius, et constituentem quasi lineam fontalem, et primam in ratione objecti intelligibilis, negandum est : *Ut est objectum intelligibile*, per intelligibilitatem non omnino primam præcise sumptam, sed ut simul involvit intelligibilitatem, quasi secundariam ipsius, et constituentem aliam, quasi secundariam lineam in ratione objecti intelligibilis, concedendum est. Et deinde eodem proportionali modo, debet distingui consequens : *Quanta ipsa in ratione intelligibilis*, per intelligibilitatem omnino primariam, et constituentem primam, et fontalem lineam in ratione objecti intelligibilis, neganda est consequentia ; per intelligibilitatem non omnino primariam præcise sumptam, sed ut involvit aliam intelligibilitatem, et aliam lineam jam dictam constituentem, concedi debet.

Hinc tamen non sequitur, quod talis intellectio constitutiva Dei non sit comprehensiva ipsius per comprehensionem omnino per se primam, quamque petit divina essentia, ut est primo comprehensibilis; sed solum, quod non sit comprehensiva Dei per comprehensionem (ut sic dicamus) primam, et secundam : hoc autem non inconvenit; imo oppositum ejus implicat. Quia cum essentia divina, ut est utroque modo comprehensibilis, spectet ad duas lineas in ratione objecti, non potest per unicam, et eandem intellectionem divinam ad unam lineam pertinentem attingi; sed petet duas intellectiones virtualiter distinctas, et ad diversas lineas spectantes, ac proinde talis conditionis, ut id, quod una attingit per modum rationis *sub qua*, quodque ab alia hoc modo non potest attingi; debeat per modum rationis, *quæ* cognosci, ut ita nihil illius objectio eam lateat.

Ad secundam confirmationem patet ex dictis in solutione ad primam.

82 Ad secundum principale concedendum est antecedens : non quidem ita ut adhuc in nobis pertineat ad conceptum naturæ esse radicem actuum sciendi, quatenus tales sunt reduplicative loquendo, sed quatenus habent rationem actuum intelligendi. Et deinde neganda est consequentia. Et ad ejus probationem concesso antecedenti, debet negari consequentia. Nam ex eo, quod in nobis esse radicaliter, et in potentia scientes pertineat modo dicto ad conceptum nostræ naturæ, et ex eo, quod hoc ipsum per modum actus purissimi debeat pertinere ad conceptum naturæ divinæ, non sequitur, quod esse actu, et formaliter scientem, sit de conceptu ejusdem divinæ naturæ, sed solum, quod esse radicem sciendi per modum actus purissimi, pertineat ad ejus conceptum quidditativum : quia hoc est, quod per modum actus purissimi correspondet nostræ virtuti radicali, et potentiali ad sciendum.

Elucidatio solutionis præcedentis.

Sicut ex eo, quod esse radicaliter, et in potentia volitivum sit de conceptu hominis, et hoc ipsum per modum actus purissimi debeat esse de conceptu divinæ naturæ, non recte colligitur, quod esse actu, et formaliter volentem, sit de illius essentia; sed quod esse radicem per modum actus purissimi volendi, quod nihil aliud est, quam esse intelligentem, spectet ad quidditativum conceptum Dei. Et ratio est eadem utrobique. Quoniam neque volitio, neque scientia sunt de numero earum formalitatum, quæ habent vim ad constituendam naturam, sed potius eam constitutam necessario præsupponunt : et ideo id, quod correspondet per modum actus purissimi nostræ virtuti radicali ad sciendum, et volendum, non potest esse ipsa actualis volitio, aut scientia; sed aliquis alius actus purissimus, qui per modum talis sit radix horum, scilicet *intelligere* primordiale, quod divinam naturam constituit.

Ad tertium.

83 Ad tertium concedendum est antecedens, et neganda consequentia. Quoniam omnes illæ potentiæ, seu (ut melius loquamur) omnes illæ rationes inadæquatæ divinæ omnipotentiæ oriuntur ex purissima actualitate divini *esse*, et in ordine ad idem objectum formale. Cæterum licet intellectio, ut est constitutiva Dei, et ut habet rationem scientiæ, conveniat Deo ratione suæ summæ immaterialitatis, modo tamen supra insinuato; nihilominus non competunt illi in ordine ad idem objectum formale, ut explicatum est. Et ita debent necessario distingui virtualiter.

Ad quartum.

84 Ad quartum concedenda est sequela, et neganda minor. Et ad probationem concesso antecedenti, negari debet consequentia. Ad cujus probationem dicendum est, quod licet intelligentia in

Deo, quæ correspondet in nobis habitui primorum principiorum, quæque est virtus intellectualis, ut docet D. Thom. 1. 2. quæst. 57. art. 2. feratur in divinam essentiam secundum se, tanquam in rationem *quæ*, ac proinde in hac ratione conveniat cum *intelligere* Dei, ut constitutivo naturæ divinæ; nihilominus tendit ad illam sub diversa formaliter ratione. Quoniam intelligentia attingit ipsam, ut est per se nota. Sicut in universum quivis habitus primorum principiorum tendit ad illa, ut per se nota: et ideo quantumvis perfecte, et infinite attingatur a Deo sua essentia per hoc lumen, seu per intelligentiam, nunquam tamen ex vi illius, secundum id, quod a sua ratione, quasi differentiali affertur, pertingit ad cognitionem (ut sic dicamus) conclusionum, quæ ex divina essentia veluti inferuntur: quia omnia illa sunt extra lineam objecti hujus luminis, modo dicto sumpti, ex eo, quod prædictæ conclusiones sunt per aliud, nempe per divinam essentiam notæ. Cæterum *intelligere* Dei, ut constituit illum, tendit ad eandem essentiam sub ratione universaliori, et magis elevata, quam jam insinuavimus.

Diximus *ex vi illius*, etc. Quia si prædictum lumen intelligentiæ sumatur secundum communia, seu secundum id, quod per modum transcendentis includit, et ut identificatur cum aliis formalitatibus divinis, potest etiam ad prædictas conclusiones extendi.

Objectio. 85 Nec refert, si objicias, quod *intelligere* Dei, ut constitutivum illius, est cognitio, et judicium perfectissimum de divina essentia: at non est cognitio, et judicium illius, ut per aliud prius notæ; ergo ut notæ per se ipsam: ac proinde talis cognitio, et judicium habebit rationem intelligentiæ.

Responsio. Respondetur enim ex modo dictis. Quod licet *intelligere*, ut constitutivum Dei, terminetur ad divinam essentiam, ut est per se nota specificative; non tamen ut est per se nota reduplicative, id est, cognoscitur per prædictum *intelligere*, eam esse per se notam; et rursus non cognoscitur ab eo per aliquod medium, quod sit prius illa, non tamen ratio formalissima eam cognoscendi est, eam esse per se notam: quia non terminatur ad eam, quia per se notam, sed sub alia ratione elevatiori, et magis universali, quam jam explicuimus.

Quæ solutio desumitur ex D. Thom. loco citato, his verbis: *Dicendum, quod virtus intellectualis speculativa est, per quam intellectus speculativus perficitur ad considerandum verum, hoc enim est bonum opus ejus. Verum autem est dupliciter considerabile. Uno modo sicut per se notum: et alio modo, sicut per aliud notum; quod autem est per se notum se habet ut principium, et percipitur statim ab intellectu: et ideo habitus perficiens intellectum ad hujusmodi veri considerationem, vocatur intellectus, qui est habitus principiorum.* Quæ verba cum in sensu formali accipienda sint, ut ex se constat, quandoquidem in eis agitur de distinctione, et formali objecto virtutum intellectualium, plane indicant, rationem formalem luminis principiorum desumendam esse, ex eo, quod tendat in suum objectum, quatenus reduplicative, et formaliter habet esse per se notum.

Ad confirmationem. 86 Ad confirmationem concedenda est sequela, quoad omnes ejus partes, præterquam quoad priorem: quia licet scientia Dei non distinguatur virtualiter a sapientia, bene tamen a reliquis virtutibus intellectualibus ibidem enumeratis. Ratio autem, ob quam sapientia omnino identificatur cum scientia Dei, est. Tum quia, ut docet D. Thom. idem est sapientia, quod perfectissima scientia: constat autem scientiam Dei esse perfectissimam. Tum etiam: quia proprium est sapientiæ, teste eodem S. Doct. 1. 2. quæst. 57. art. 2. considerare altissimas causas: et ita convenienter judicat, et ordinat de omnibus, quia judicium perfectum, et universale haberi non potest, nisi per resolutionem ad primas causas. Quare cum proprium sit divinæ scientiæ cognoscere per altissimas causas, scilicet per divinam essentiam, ut est causa efficiens, et exemplaris omnium, sive actualis, sive virtualis, propterea coincidit cum sapientia: sicut etiam in Metaphysica ratio scientiæ, et sapientiæ coincidunt: quia scientia ista procedit per altissimas, seu universalissimas causas.

Ratio notatu digna. 87 Ratio vero, propter quam scientia Dei distinguitur ab aliis virtutibus intellectualibus ibidem enumeratis, est, quia habet objectum formale distinctum ab omnibus illis. Nam ars, ut inquit D. Thom. quæst. citata ex 1. 2. art. 3. est recta ratio factibilium, sicut et prudentia recta

ta ratio agibilium : ita tamen ut illa, teste eodem S. Doctore ibidem, si præcise sumatur, tribuat facultatem boni operis, non tamen rectum usum illius, quia bonum artificialium non est bonum appetitus, sed bonum ipsorum operum artificialium : et ideo ars non præsupponit appetitum rectum : hæc vero scilicet prudentia, non solum dat facultatem boni operis, sed etiam usum, seu quod recte fiat in ordine morali ; et ita præsupponit appetitum rectum. Cæterum neutra ex illis tendit in suum objectum reduplicative, et formaliter, quatenus est attingibile per suas causas, ita ut hæc sit formalissima ratio attingendi illud, sed solum specificative, ex eo, quod licet utraque attingat causas ejus rei, circa quam versatur, ac in essentia divina tanquam in causa, suum objectum materiale, scilicet creaturas attingat : neutra tamen secundum sibi peculiaria respicit divinam essentiam, ut formalissime habet rationem causæ, et medii ad cognoscendum creaturam, ita ut in hoc propria earum ratio consistat : sed unaquæque ex illis, secundum sibi peculiaria, solum respicit divinam essentiam formalissime, et reduplicative loquendo, ut habet summam illam actualitatem, ex qua sequitur, quod sit ratio cognoscendi, et versandi circa suum objectum materiale, scilicet circa creaturas : ita ut ratio hæc cæteras alias rationes, veluti formalizet, ac proinde extrahat rationem illam attingendi suum objectum in essentia divina, ut in causa, ab hoc, quod habeat rationem propriæ scientiæ, quæ oppositum petit.

88 Et deinde, quia ut docet idem D. Thom. quæst. citata art. 6. circa agibilia tres actus rationis inveniuntur, quorum primus est consiliari ; secundus, judicare ; tertius est præcipere ; ideo pro primo actu ponitur specialis virtus, quæ vocatur Eubulia, et translata ad Deum habet consiliari de mediis seclusa imperfectione inquirendi, et respicere essentiam divinam, ut per modum objecti, sive rationis *sub qua*, et modo dicto, est ratio consiliandi de mediis. Pro secundo vero ponuntur duæ virtutes, scilicet Synesis, et Gnome, ut ibidem docet Angelicus Doctor : ita tamen ut Synesis judicet juxta communes regulas, Gnome præter illas : et per consequens utraque respicit essentiam Dei, ut secundum rationem, quam jam innuimus, est ratio modo cuilibet ex illis proportionato judicandi. Sicut etiam quia proprius actus prudentiæ est præcipere, teste Angelico Doctore art. 6. nuper citato, propterea respicit etiam eandem essentiam Dei, ut eodem proportionali modo est ratio præcipiendi. Nulla tamen ex prædictis virtutibus terminatur formaliter, et reduplicative ad eandem essentiam, ut habet rationem causæ, aut rationis a priori rerum cognoscibilium : et ita omnes distinguuntur a scientia, sicut et inter se, propter distincta objecta formalia jam explicata, quæ respiciunt. Sed circa omnia hæc videatur D. Thom. quæst. 57. citata per totam, et 2. 2. quæst. 47. art. 4. et 5. et quæst. 49. necnon quæst. 51. art. 4.

Ad probationem minoris ejusdem confirmationis.

Nec contra hæc habet vim probatio minoris ibidem adducta. Nam ex hoc, quod scientia Dei debeat esse perfectissima in ratione scientiæ practicæ, ad summum colligitur, debere esse perfectissimam rationem in intellectu Dei existentem, tam respectu omnium agendorum, quam faciendorum, non tamen eodem modo, ac sub eadem ratione formali *sub qua* virtutes intellectuales jam dictæ id habent : quia scientia respicit omnia hæc, ut sunt attingibilia per essentiam Dei, ut habet rationem causæ, vel rationis a priori eorum, non vero prædictæ virtutes. Et ita licet prudentia, v. g. sit virtus perficiens intellectum practicum, ac proinde virtus intellectualis practica, non tamen habet, formaliter loquendo, esse scientiam practicam.

Ad ultimum.

89 Ad ultimum concesso antecedenti, neganda est consequentia. Et ad probationem concedendum est antecedens, tum propter rationem ibi adductam, tum etiam, quia in Deo nequit esse scientia physicalis, formaliter sumpta : quia cognoscere per medium concernens materiam sensibilem, dicit imperfectionem a Deo relegandam. Et deinde negandum est suppositum consequentiæ, scilicet scientiam Dei esse infinitam in genere intellectionis, eo modo, quo est infinita in genere, seu intra lineam scientiæ : quia in linea scientiæ, quæ tantum est unica, est infinita tanquam ambiens, et continens formaliter omnem perfectionem illius unicæ lineæ : at intra ordinem, et genus intelligendi, sub quo plures lineæ continentur, non est infinita, tanquam ambiens, et conti-

nens formaliter totam perfectionem omnium linearum, sed tanquam unica linea, et ratio formalis sub illo genere contenta. Et ita potest intra idem genus intelligendi dari multiplex intellectio sub tali genere contenta, quæ ad diversas lineas pertineat, ut ex se constat. Quamvis cum hoc stet, ut linea scientiæ cum aliis lineis jam dictis ita identificetur, ut solum virtualiter ab eis distinguitur.

DISPUTATIO II.

De duplici discrimine, quod D. Thom. in hoc articulo inter cognoscentia, et non cognoscentia constituit.

1 Duplex hoc discrimen, quod Angelicus Doctor in articulo adducit, pluribus est implicatum difficultatibus : et propterea peculiari disputatione eget.

DUBIUM I.

Utrum sit vera prima differentia, quam assignat D. Thom. inter cognoscentia, et non cognoscentia, quod hæc tantum habent suam formam; illa vero habent etiam formas aliarum rerum?

Quia Angelicus Doctor in præsenti articulo constituit discrimen in titulo hujus dubii propositum, ut inde tandem colligat, Deum esse summe intelligentem, ac proinde summe scientem, propterea communiter Thomistæ, et alii Theologi in commentariis hujus articuli inquirunt, an prædictum discrimen sit recte a sancto Doctore assignatum? et nos etiam ob hanc rationem illud prope disputationem de *an est* scientiæ divinæ excitamus.

§ I.

Explicatio tituli.

Animadversio prima.

Ut autem titulus melius intelligatur, notandum est aliud esse, an aliquid præter propriam formam, seu essentiam, habeat alteram formam distinctam a propria forma? aliud vero, an præter propriam formam, habeat formam rei alterius, seu formam, quæ est alterius, (ut sic dicamus) subjective? Nam ad primum satis est, quod præter propriam formam, seu essentiam, habeat in se aliam formam accidentalem, sive illa sit ab alio communicata, sive ab intrinsecis principiis oriatur; et sive illa sit eademmet forma, et quidditas alterius rei, sive non. Ad secundum vero, si proprie, omnino rigorose, et formaliter loquamur, desideratur, quod præter propriam formam, seu essentiam, habeat illammet formam, quæ est in altero; ita ut ex parte formæ nulla sit diversitas, licet ex parte modi essendi possint inter se distingui. Nam hoc ipso, quod talis forma non sit illamet, modo dicto, quæ est in altero, sed alia ex parte formæ distincta, tunc licet possit esse forma alterius effective; non tamen (ut sic dicamus) subjective : quia eademmet absque distinctione ex parte formæ, quæ habetur ab uno, non habet ut ab altero.

Unde in titulo consulto, et inhærendo verbis D. Thom. inquisitum est, an proprium sit cognoscentium, quatenus distinguuntur a non cognoscentibus, quod habeant formam rei alterius? non vero, an sit proprium illorum, quod habeant formam alteram distinctam a propria forma? ut per hoc denotaretur non fieri in eo sermonem de quovis modo habendi formam distinctam a propria forma : sed ita ut eademmet forma, quæ habetur ab aliis, sit etiam in cognoscentibus, et solum distinguatur ex parte modi essendi, non vero ex parte formæ habitæ.

2 Et propterea cum in eodem titulo inquiritur, an sit proprium non cognoscentium habere suam formam tantum? ly *tantum* ponitur ad excludendum, quod non habeant formam alterius : ita ut eadem prorsus forma, quæ est alterius, nequeat secundum importata adhuc præcise ex parte formæ, esse in illis una cum propria forma ; non vero ad denotandum, quod non habeant utcunque alteram formam distinctam a propria, et simul etiam ex parte formæ diversam a forma alterius : ut patet in aliis rebus materialibus, quæ quidem præter propriam formam, possunt etiam habere alias accidentales, sive ab intrinsecis principiis dimanantes, sive aliunde, et ab extrinseco eis communicatas, ut in aëre recipiente lumen a Sole, et in aqua recipiente calorem cernitur : attamen prædictæ formæ licet sint alterius, id est, Solis, vel ignis, ut causæ effectivæ; non tamen sunt formæ alterius (ut sic dicamus) subjective; id est, licet sint eædemmet, quæ causantur a Sole, vel igne, non tamen eædemmet, quæ sunt subjective in Sole, vel igne; sed ex parte formæ

mæ sunt ab illis condistinctæ. Et ita alius est calor ignis, et alius aquæ : et alia est lux aëris, et alia Solis.

nimad-versio cunda.

Deinde notandum est, quod quia formæ istæ, quæ a sancto Doctore dicuntur formæ alterius, sunt formæ intentionales, et ita colligit, cognoscentia posse recipere formam alterius rei, ex eo, quod potest habere species intentionales illius, ut in hoc art. videre licet; propterea ut ex hoc, et ex iis, quæ in tract. de Visione Dei diximus, patet; idem est inquirere, an cognoscentia quatenus distincta a non cognoscentibus possint habere formam rei alterius? ac quærere, an species, seu formæ intentionales, quas cognoscentia nata sunt recipere, sint eædemmet formæ, ac objecta, quæ per illas repræsentantur, quæque mediis illis cognoscuntur? ita ut licet v. gr. homo, aut aliquis color a parte rei inventi, sint ex parte modi essendi distincti a se ipsis, prout sunt in speciebus intentionalibus propriis ipsorum, seu distincti ab eisdem speciebus, ut in *esse* repræsentativo formaliter considerantur : attamen ex parte formæ non sint diversi, sed idemmet numero color ex parte formæ consideratus, qui est a parte rei, sit etiam in specie, sive in visu mediante specie, quamvis in se, et a parte rei sumptus habeat modum essendi naturalem; in visu vero modum essendi intentionalem.

Ratio cundæ nimad-versio-nis.

3 Nam hoc ipso, quod species sit modo explicato ejusdem prorsus naturæ cum objecto, non potest non esse proprium cognoscentium, ut distinguuntur a non cognoscentibus, quod possint habere formam rei alterius : siquidem possunt habere formas intentionales, quæ sunt ipsæmet formæ, et quidditates rei alterius. Sicut e contra, si species non sunt formæ rei alterius, seu rei habentis alium modum essendi, scilicet naturalem, non poterit esse proprium cognoscentium, ut possint habere formam rei alterius : siquidem, ut dicebamus, non nisi mediis formis intentionalibus fiunt alia. Et ita idem erit inquirere, an cognoscentia, quatenus distincta a non cognoscentibus, possint habere formam rei alterius? ac quærere, an prædictæ species, quas cognoscentia valent recipere, sint eædemmet formæ, et naturæ, ac objecta, sub diverso tamen modo essendi? et licet in tract. de Visione Dei art. 2. hoc ipsum tetigerimus, ut ostenderemus implicare contradictionem, dari speciem intelligibilem creatam propriam Dei prout est in se, ex eo, quod species intelligibilis est ex parte formæ, ejusdem prorsus essentiæ, ac res repræsentata per illam, ita ut nihil illi desit nisi solus modus habendi illam in *esse* naturali : ac proinde cum implicet, aliquid creatum esse ejusdem naturæ cum Deo, implicabit etiam esse speciem intelligibilem propriam ipsius, seu repræsentativam ejus prout est in se; nihilominus, quia ibi fere per transennam de hoc egimus, nec potuimus pluribus difficultatibus contra doctrinam D. Thom. hinc inde ebullientibus occurrere, propterea in præsenti, ut in proprio loco una cum aliis D. Thom. interpretibus id discutiemus.

Alia animad-versio aperiens in quo sit difficul-tas hujus dubii.

4 Ultimo notandum est, quod licet aliqui existiment dubium hoc potius esse de nomine, quam de re, ex eo, quod D. Thom. et ejus discipuli asserentes, species intentionales esse ejusdem rationis, et naturæ cum objectis ab eis repræsentatis, solum volunt esse ejusdem naturæ cum illis in *esse* repræsentativo, et intentionali, et hoc nihil est aliud, quam quod prædictæ species repræsentent illa objecta, quod quidem ab adversariis minime negatur; nihilominus si bene id inspiciatur, non de nomine, sed valde de re prædictum dubium esse reperietur.

Ratio illius valde notanda.

Nam licet Angelicus Doctor, et ejus discipuli solum velint, speciem intentionalem repræsentare suum objectum, nec aliud præter hoc, et quod in hoc ipso involvitur, intendant; attamen hinc optime inferunt, speciem intentionalem esse ejusdem naturæ cum suo objecto, sub diverso tamen modo essendi, scilicet repræsentativo : quia existimant non posse prædictam speciem repræsentare intentionaliter suum objectum quoad sua prædicata, v. g. quidditativa, quin illa prædicata univoce, sive ut omnino eadem, et sub aliquo modo essendi reali sint in specie illa, et in objecto, ut ex dicendis in hoc dub. constabit : et propterea asserunt, quod hoc ipso, quod detur species repræsentativa Dei, prout est in se, debent prædicata realia, et quidditativa Dei univoce, sive ut omnino eadem, esse in Deo, et in specie, sub diverso tamen modo essendi reali : ac proinde idem apud eos est, speciem intentionalem repræsentare suum objectum, ac ostendere illud per modum haben-

tis eandem naturam cum illo, distinctam tamen ex parte modi essendi.

5 Cæterum adversarii licet plures ex illis admittant, speciem impressam, et expressam repræsentare formaliter sua objecta; et aliqui id tantum concedant speciei expressæ, non vero impressæ, sed ei tantum virtualem repræsentationem tribuant: non tamen per hoc volunt, quod ad hoc, ut aliqua species repræsentet formaliter suum objectum quoad sua prædicata v. g. quidditativa, oporteat, ut eadem met prædicata sub aliquo modo essendi univoce, sive ut omnino eadem contineantur in objecto, et in specie: ad eum sane proportionalem modum, quo homo in pariete depictus, licet repræsentet verum, et vivum hominem, non tamen prædicata veri, et vivi hominis, ut talis, sunt univoce eadem sub aliquo modo essendi vero, et reali, tam in pictura illa, quam in ipso homine vivo, et vero. Unde licet tribuant speciei formalem repræsentationem; non tamen quod univoce, aut tanquam omnino eadem, sub diverso tamen modo essendi, utrobique prædicta natura, prædictaque prædicata reperiantur: et in hoc vis hujus dubii consistit.

§ II.

Refertur prior dicendi modus.

6 Primus dicendi modus est aliquorum asserentium, species intentionales, quas cognoscentia nata sunt recipere, non esse ejusdem naturæ, et formæ cum suis objectis, etiamsi tam species, quam objectum ex parte formæ, prout distincta ab eis, quæ ex parte solius modi essendi dicunt, considerentur: et propterea cognoscentia non distingui a non cognoscentibus per hoc, quod illa possunt habere formam rei alterius; secus vero ista. Ita Albertus Magnus 2. de Anima, tract. 9. cap. 11. Toletus quæst. 34. Rubio tract. de objectis, et speciebus sensibilibus quæst. 4. Fonseca 2. Metaphysic. cap. 2. quæst. 2. sect. 2. Molina 1. part. quæst. 12. art. 1. Vazq. ibidem art. 2. Suarez, tomo 3. summæ Theologiæ tract. 3. de Anima lib. 3. cap. 2. num. 9. et in 1. tom. summæ Theologiæ lib. 2. cap. 13. num. 20. et alii plures.

Modus hic dicendi quoad secundam ejus partem aperte sequitur ex prima, ut ex iis, quæ in explicatione tituli, et in tractatu de Visione Dei loco citato diximus, satis constat. Quoad primam vero probatur primo, testimonio D. Thom. quæst. 8. de verit. art. 11. ad 3. his verbis: *Dicendum, quod inter cognoscens, et cognitum non exigitur similitudo, quæ est secundum convenientiam in natura, sed secundum repræsentationem tantum. Constat enim, quod forma lapidis in anima est longe alterius naturæ, quam lapis in materia.* Primum fundamentum ex D. Thom.

Deinde probatur ratione. Quoniam essentia divina habet perfectissimam rationem speciei intelligibilis respectu creaturarum; et tamen non est ejusdem naturæ cum illis, alioqui Deus esset naturæ creatæ: ergo non est proprium speciei intelligibilis, ut sit eadem forma, sive natura sui objecti. Secundum.

7 Confirmatur primo. Nam si essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, esset ejusdem naturæ cum creaturis repræsentatis, esset similis illis; siquidem ea, quæ sunt ejusdem naturæ, debent esse inter se similia; hoc autem est contra illud Isaiæ 40. ubi dicitur; *Et cui assimilastis eum.* Necnon contra doctrinam D. Thom. supra quæst. 4. art. ad 4. ergo, etc. Confirmatur primo.

Confirmatur secundo. Quoniam species Angelorum supremorum sunt universalissimæ in repræsentando, ita ut repræsentent plures, et diversas naturas specificas essentialiter distinctas, ut in materia de Angelis communiter docent Theologi: ergo prædictæ species nequeunt esse ejusdem naturæ cum objectis repræsentatis: ergo nec cæteræ aliæ species erunt idem in natura cum suis objectis. Hæc ultima consequentia patet ex priori. Prior vero ex antecedenti. Quoniam unica, et eadem species intelligibilis non potest habere tot naturas completas ad ejus intrinsecam rationem pertinentes, nec tot naturæ completæ, et integræ possunt unam, et eandem speciem intelligibilem constituere. Confirmatur secundo.

Tertio. Quoniam alias duo accidentia solo numero diversa possent esse simul in eodem subjecto: at hoc repugnat, ut in tractatu 1. de principio individuationis disp. 2. num. 57. diximus: ergo, etc. Sequela patere videtur. Quoniam duæ species duarum albedinum non possunt distingui plus quam numero, si semel habent Tertium

habent eandem naturam numericam sui objecti, et tamen istæ simul recipiuntur in oculo. Quod argumentum adhuc magis urget in speciebus intelligibilibus, quæ media intellectione singularium pro hoc statu fiunt, ut optime docent nostri Complut. in lib. de Anima disp. 18. num. 77. et 99. et tamen si istæ repræsentent duplicem hominem, et sunt ejusdem naturæ numericæ cum suis objectis, nequeunt distingui secundum hanc rationem plus quam numero, et quia recipiuntur in eodem subjecto spirituali, scilicet in intellectu, non possunt non in eodem prorsus subjecto recipi.

Quartum. 8 Quarto. Nam species sensibiles, quæ recipiuntur in medio, aut in speculo non sunt ejusdem essentiæ cum suis objectis : ergo neque illæ, quæ recipiuntur in potentiis sensitivis : ac proinde neque species intelligibilis. Hæc ult. conseq. ex paritate rationis patet. Prior vero ex antecedenti. Quoniam species sensibiles diffusæ ab objecto sensibili in potentiam per medium, sunt ejusdem essentiæ, tam in medio, quam in potentia sensitiva : sicut calor diffusus ab igne in manum per medium, est ejusdem essentiæ in medio, et in manu : et similiter lux communicata oculo a Sole, mediante perspicuo, est ejusdem naturæ in perspicuo intermedio, et in oculo.

9 Antecedens autem etiam constat. Quoniam species intentionales, quæ sunt in medio non tribuunt illi, quod habeat formam rei alterius ; quia sola cognoscentia nata sunt habere prædictam formam : ergo signum est prædictas species non esse formas rei alterius, scilicet suorum objectorum, seu (quod idem quoad præsens est) non esse ejusdem naturæ ex parte formæ, et essentiæ cum illis : siquidem forma quævis, saltim naturaliter loquendo, communicat suo subjecto quidquid, ut *quo* habet in se : et ita forma, quæ non tribuit subjecto, ut communicet in eadem natura, modo explicato, cum alia re, signum est, illam non esse modo dicto, ejusdem naturæ cum ea.

Quintum. 10 Quinto. Quoniam species intelligibilis est accidens quoddam spirituale, objectum vero ejus sæpe est substantia : item species sensibilis non impedit sensationem, etiamsi sit in organo, et potentia sensitiva ; at vero objectum sensibile positum supra sensum impedit sensationem : et tandem species sensibilis v. g. visus nequit videri ; bene tamen objectum visibile : ergo signum est, species, et sua objecta non esse ejusdem naturæ, et essentiæ ; alioqui ea, quæ objectis conveniunt, non possent repugnare speciebus illorum.

Confirmatur. Confirmatur. Nam albedo, et nigredo sunt inter se contraria, et ideo sunt incomposibilia in uno, et eodem subjecto : sed species sensibiles harum qualitatum non habent inter se contrarietatem, et ita possunt simul esse in eadem parte medii, vel in eadem potentia visiva, ut communiter admittunt Philosophi : ergo prædictæ species, et illarum objecta non habent eandem naturam. Patet consequentia : quoniam ea, quæ non habent easdem proprietates, non communicant in eadem natura : ergo cum species sensibiles albedinis, et nigredinis non habeant proprietates earum, scilicet mutuo inter se opponi ; neque etiam communicabunt in eademmet natura cum illis.

Solutio. 11 Nec refert, si occurras, satis esse, quod species, et objecta sint diversa ex parte modi essendi, licet non ex parte formæ, ad hoc, ut species sit accidens, et objectum habeat rationem substantiæ : et similiter ad hoc, ut objecta sint inter se contraria, et posita supra sensum, impediant sensationem, non vero species : quia omnia hæc prædicata non conveniunt naturis objectorum, nisi ut sunt sub determinato modo essendi, scilicet sub modo essendi naturali.

Replica. Nam contra hoc est, quod species intentionales non possunt ex parte modi essendi esse diversæ rationis ab objectis, quin etiam differant ex parte formæ, et naturæ ab illis : ergo, etc. Antecedens probatur. Nam modus essendi, in quo differunt ab objectis, est *esse* repræsentativum illorum, ut communiter admittunt Philosophi, et ex dicendis pro nostra sententia manifeste constabit : at propria ratio differentialis, et constitutiva speciei intentionalis est, ut sit repræsentativa sui objecti : et ita per se primo instituta est, ad hoc, ut illud repræsentet, ut expendunt nostri Complut. 3. de Anima disp. 18. num. 28. ergo nequeunt distingui ab objectis ex parte modi essendi, seu in *esse* repræsentativo, quin distinguantur ex parte formæ.

Additamentum primum. 12 Accedit primo, quod cum dicitur, speciem esse ejusdem rationis cum objecto, sive esse idem objectum sub diver-

so modo essendi, vel hic diversus modus essendi pertinet ad naturam ipsius speciei formaliter sumptæ, tanquam ratio essentialis, aut tanquam propria passio, aut tanquam accidens reale illius? Si primum vel secundum dicatur, non poterit non prædicta species distingui essentialiter ab objecto : siquidem id, quod includit aliquid essentiale, quod aliud non includit, aut importat aliquam propriam passionem, quam aliud non affert, non potest non distingui essentialiter ab illo. Tertium autem dici nequit. Nam sicut objectum identificatur cum suo modo essendi naturali, et talis essendi modus est illi intimior, quam quælibet alia propria passio ipsius, et propterea nequit comparari cum illo per modum accidentis realis, ita etiam species identificabitur omnino cum suo modo essendi intentionali, et hic modus essendi erit illi intimior, quam quælibet alia proprietas ipsius, et sic nequibit se habere per modum accidentis realis respectu ipsius.

Additamentum aliud.

Accedit secundo. Quod si species intentionalis, et ejus objectum distinguerentur ex parte modi essendi, non vero ex parte naturæ, et formæ, rueret illa maxima lumine naturæ nota, et in rebus creatis universaliter vera, scilicet, quod ea, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se : hoc autem admitti nequit, ut ex se constat : ergo, etc. Sequela probatur. Nam tunc ea, quæ species intentionales importarent ex parte formæ, identificarentur cum modo essendi earundem specierum, et similiter cum modo essendi naturali objectorum : et tamen ipsi modi essendi, scilicet *esse* intentionale specierum, et *esse* naturale objectorum, cum quibus natura illa esset identificata, non identificarentur inter se.

Ultimum additamentum.

13 Accedit tandem, quod si esset eadem omnino natura ex parte naturæ in speciebus intentionalibus, et objecto, tunc aliquid mirabilius cerneretur in rebus creatis, quam in ente increato, et per essentiam : hoc autem dici non potest, ut ex se patet : ergo, etc. Sequela videtur certa. Quoniam in ente increato solum cernitur, quod eadem numero natura divina sit in tribus personis divinis, et in qualibet sub diverso modo essendi relativo : at si esset eadem natura speciei intentionalis, et objecti, tunc eademmet natura esset in objecto, et in innumeris speciebus intentionalibus : et quod mirabilius esset, non solum eadem natura numerica secundum se sumpta, esset in illis, sed ut supposita, et terminata per propriam subsistentiam, ut ex infra dicendis constabit; cum tamen in ente increato, et per essentiam hoc nequeat inveniri : siquidem natura divina ut in Patre, et ut terminata per Paternitatem, nequit esse in Filio.

§ III.

Sententia Arist. et D. Thomæ præfertur, et testimoniis utriusque fulcitur.

Conclusio.

14 Dicendum tamen est, species intentionales esse ejusdem prorsus naturæ ex parte formæ, et naturæ cum suis objectis, et solum differre ab illis in modo essendi, seu esse ipsammet essentiam suorum objectorum sub alio tamen modo essendi : ac proinde cognoscentia in hoc distingui a non cognoscentibus, quod illa possunt habere formam alterius rei, secus vero ista.

Probatur quoad secundam p.

Assertio hæc quoad secundam ejus partem aperte sequitur ex priori, ut constat ex iis, quæ num. 2. et 3. dicebamus. Quoniam sola cognoscentia possunt recipere species intentionales in ratione specierum, et formaliter sumptas, ut ex statim dicendis patebit : ergo si semel species intentionales sunt ipsæmet formæ, et quidditates suorum objectorum, consequens est, ut sola cognoscentia possint habere formam rei alterius. Patet consequentia : quia in creatis non potest haberi eadem forma, et natura alterius, nisi mediis speciebus intentionalibus. Et ita assertionem istam quoad secundam ejus partem tuentur omnes, qui eandem quoad priorem docent, quosque num. 17. referemus.

Suadetur quoad priorem variis testimoniis.

Eam vero quoad priorem partem, scilicet speciem formaliter sumptam, et objectum habere eandem naturam, et solum distingui ratione diversi modi, quatenus natura illa in objecto est sub modo essendi naturali : in specie vero intentionali sub modo essendi intentionali, et repræsentativo, docet Arist. tum 2. de Anima text. 121. et D. Thom. ibidem lect. 24. Tum etiam 7. Metaphys. lect. 6 apud D. Thom. his verbis : *Ab arte vero fiunt, quorum species in anima est, speciem autem dico quodquid erat esse cujuslibet.* Quæ verba sic exponuntur

exponuntur a D. Thom. ibidem : *Dicit ergo primo, quod illa fiunt ab arte, quorum species factiva est in anima : per speciem autem exponit quodquid erat esse cujuslibet rei factæ per artem, ut quodquid erat esse domus quando fit domus.*

15 Et hoc ipsum docet idem Sanctus Doctor, tum in 4. contra Gent. cap. 14. his verbis : *Manifestum est enim, quod si Deus se intelligit, oportet, quod tota plenitudo ipsius contineatur in Verbo; nec tamen substantia Filio data desinit esse in Patre : quia nec etiam apud nos desinit esse propria natura in re, quæ intelligitur, ex hoc, quod verbum nostri intellectus ex ipsa re intellecta habeat, ut intelligibiliter eandem naturam numero contineat.* Tum quodlib. 8. art. 4. his verbis : *Species intelligibilis est similitudo ipsius essentiæ rei, et est quodammodo ipsa quidditas, et natura rei.* Et ut explicaret cur quodammodo, et non absolute, ac simpliciter sit ipsa quidditas, et natura rei, statim adjecit, quod est talis quidditas, *secundum esse intelligibile, non secundum esse naturale, quod est in rebus.*

Tum in hoc articulo, ubi ex eo ostendit cognoscentia habere formam rei alterius, quia sunt susceptiva specierum intentionalium : si autem species istæ non essent formæ rei alterius, male inferret S. Doct. cognoscentia posse habere formam rei alterius, quia possunt habere species intentionales. Tum supra quæst. 12. art. 2. Nam, ut ibidem diximus, inde colligit implicare speciem intelligibilem, et creatam Dei, quia species est ejusdem naturæ cum suo objecto : ita ut si objectum sit actus purus habens omnem perfectionem, etiam species debeat hoc habere.

16 Tum in 3. contra Gent. cap. 49. et in 4. distinct. 49. quæst. 2. art. 1. et 3. dum ait, quod cognoscens habet formam cogniti, quia habet species. Tum opusc. 42. cap. 7. in principio, dum inquit, eandem esse naturam v. g. animalis secundum se sumptam, et eam, quæ est in individuis, et intellectu, mediante specie intelligibili, quamvis sit sub diverso statu, et modo essendi in intellectu, et in individuis. Tum in hac 1. part. quæst. 80. art. 1.

Tum denique quæst. 2. de Veritate art. 2. ubi utramque assertionis partem docet, his verbis : *Sciendum igitur, quod res aliqua invenitur perfecta dupliciter. Uno modo secundum perfectionem sui esse, quod ei competit secundum propriam speciem : sed quia esse specificum unius rei est distinctum ab esse specifico alterius rei, ideo in qualibet re creata hujusmodi perfectioni habitæ in unaquaque re tantum deest de perfectione simpliciter, quantum perfectionis in aliis speciebus invenitur : ut sic cujuslibet rei perfectio in se considerata sit imperfecta, veluti pars totius perfectionis universi, quæ consurgit ex singularum rerum perfectionibus invicem congregatis. Unde, ut huic imperfectioni aliquod remedium esset, invenitur alius modus perfectionis in rebus creatis, secundum quod perfectio, quæ est propria unius rei, in altera re invenitur : et hæc est perfectio cognoscentis, in quantum est cognoscens : quia secundum hoc a cognoscente aliquid cognoscitur, quod ipsum cognitum aliquo modo est apud cognoscentem. Et ideo in 3. de Anima dicitur, animam esse quodammodo omnia : quia nata est omnia cognoscere, et secundum hunc modum possibile est, ut in una re totius universi perfectio existat.*

Ubi, ut vides, distinguit S. Doctor modum habendi perfectiones universi secundum modum, quo illas habent cognoscentia, scilicet mediis speciebus intentionalibus, a modo habendi illas alia ratione : ac proinde secundum *esse* naturale, seu modo naturali ; et inquit, quod secundum hunc ultimum modum essendi nihil creatum potest habere omnes perfectiones universi ; secus vero secundum illum priorem, secundum quem cognoscentia possunt habere perfectiones aliorum : imo si fuerint perfectissima, possunt in eis esse omnes perfectiones universi, quatenus omnes illæ per modum cogniti, seu mediis speciebus intentionalibus, in quibus omnes earum perfectiones continentur, possunt esse in illis.

17 Nec explicationes horum testimoniorum, quas adversarii adducunt, sunt alicujus momenti, ut intuenti, et ex iis, quæ in prima ratione pro assertione remissive dicemus, satis patebit : et ideo consulto (ut id obiter dicamus) omittuntur.

Eandem sententiam tuetur D. August. 2. in Genesim cap. 8. ubi inquit : quod de firmamento, et aliis rebus, quæ referuntur productæ, Genesis 1. dicitur, quod bis factæ sunt : quia firmamentum, et aliæ hujusmodi res factæ sunt semel in mente Angelica per species eorum, et

præterea in suis naturis ad extra : ac proinde aperte sentit, species intentionales rerum, et res ipsas esse ejusdem naturæ, et quidditatis, quamvis, ut dicebamus, habeant diversum modum essendi.

Unde tam Aristotel. quam Angelicum Doctorem, et D. Augustin. sequuntur communiter plures, et gravissimi Theologi, Cajetan. in præsenti, et 2. de Anima capit. 11. in explicatione primæ conclusionis Aristotelis, § *Circa eandem conclusionem occurrit*, et in hac 1. part. quæst. 79. art. 2. §. *quoad secundum*. Ferrar. 1. contra Gent. cap. 44. et lib. 3. cap. 49. Durandus in 4. dist. 49. quæst. 2. Bannez, Zumel, Zanard. Ripa, Nazar. et Gonzal. in hoc art. Ledesma de perfectione Dei, quæst. 8. art. 4. in explicatione primæ rationis pro secunda conclusione, N. Complut. in lib. de Anima disp. 18. num. 40. communiterque Thomistæ.

§ IV.

Sententia Aristotelis, et D. Thomæ rationibus stabilitur.

Prior ratio pro assertione.

18 Prior autem, et fundamentalis ratio pro assertione desumitur ex iis, quæ ex Angelico Doctore tractatu præcedenti disputatione 2. num. 132. adduximus ad probandum, implicare dari speciem repræsentativam Dei prout est in se : quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam species intelligibilis repræsentans quidditative hominem, verbi gratia (quod idem de specie expressa seu verbo illius dicimus) repræsentat formaliter eundem hominem, et est similis illi : ergo dicet relationem similitudinis ad ipsum, ac proinde erit ejusdem naturæ cum eo quoad id, in quo est illi similis, non quidem sub modo essendi naturali, sed sub alio modo essendi, scilicet intentionali, sive intelligibili. Antecedens constat ex iis, quæ N. Complut. in lib. de Anima disp. 18. num. 26. docent, et nos in tract. prædicto de Visione Dei disp. 2. num. 139. ex ipsis docuimus.

Prima vero consequentia ex antecedenti patet. Quoniam ea, quæ repræsentant formaliter, et quidditative aliud, sunt ei similia in eo, quod repræsentant : et quæ sunt similia dicunt relationem similitudinis in eo, in quo sunt similia. Secunda vero ex hac constat. Quoniam relatio similitudinis fundatur in identitate naturæ, quoad id, in quo extrema sunt similia : et ita si species intelligibilis quidditative repræsentans hominem, est similis illi in hoc, quod de illo repræsentat, et hæc relatio debet fundari in identitate ejus, in quo sunt similia, scilicet in quidditate, quam species repræsentat, non poterunt non, modo dicto, esse ejusdem naturæ.

Et licet huic rationi plures, et diversæ solutiones ab adversariis adhibeantur : quia tamen ex iis, quæ loco citato diximus, satis impugnatæ manent, propterea in præsenti nihil amplius dicemus. Videantur tamen omnino ibidem dicta : quia ratio hæc roborata tamen cum iis, quæ loco citato adduximus, est, quæ potissime assertionem D. Thom. et nostram suadet.

Posterio. assertionis ratio.

19 Secunda autem, et principalis ratio depromitur ex eodem Angelico Doct. quæst. 80. jam citata. Ut autem melius capiatur, notandum est ex doctrina D. Thom. ibidem, quod licet in non cognoscentibus reperiatur unicus tantum appetitus, qui appetitus naturalis dicitur ; attamen in cognoscentibus duplex ad minus appetitus datur, scilicet appetitus naturalis, et insuper animalis, et in hominibus alius, nimirum rationalis, seu voluntas una cum appetitu animali. Inter hos autem appetitus hoc est discrimen, quod appetitus naturalis in cognoscentibus repertus, solum fertur in connaturalia, et propria rei, cujus est talis appetitus : ut constat in appetitu naturali levis ad locum sursum, et ignis ad generandum sibi simile. At appetitus animalis, vel rationalis terminatur etiam ad alias res, ut cum proximis per hunc appetitum volumus plura bona, et nobis plura alia ; quæ non sunt connaturalia nostræ naturæ.

Hinc ergo sequens ratio deducitur. Quia omnis inclinatio, et appetitus necessario sequitur ad aliquam formam, ut inductive constat : at in non cognoscentibus appetitus iste est ita limitatus, ut solum tendat in ea, quæ sunt connaturalia formæ propriæ ipsius rei, in qua est talis appetitus : e contra vero appetitus animalis, aut intellectualis non solum terminatur in actu secundo ad connaturalia, et propria illius naturæ, in qua est, sed etiam ad alia, quæ per sensum, vel intellectum apprehenduntur : ergo signum est, non cognos-

centia

centia tantum habere propriam formam, cognoscentia vero formas aliarum rerum : non quidem ita, ut eas habeant sub modo essendi naturali, quia hoc implicat, ut ex se, et ex statim dicendis constabit ; sed sub modo essendi intentionali, et mediis speciebus intentionalibus, quæ sunt idem ex parte formæ cum objecto repræsentato, et diversæ in prædicto modo essendi.

Major admittitur a Philosophis, et Theologis. Minor vero constat ex notabili proposito, quod etiam communiter ab illis recipitur. Consequentia autem ex majori, et minori aperte videtur sequi. Quia alias inclinatio rei excederet formam, quam habet talis res : atque adeo subsequeretur ad illam, ut supponitur, et non subsequeretur : siquidem propria inclinatio ad aliquam formam subsecuta nequit illam excedere, ut intuenti constabit. Unde sicut repugnaret esse in non cognoscentibus aliquam inclinationem in bona connaturalia alicui formæ, quin talis forma modo illis proportionato in eis esset : ita repugnabit esse in cognoscentibus inclinationem ad ea, quæ sunt propria bona alterius formæ, nisi talis forma modo proprio cognoscentibus, atque adeo cognoscibiliter, et intentionaliter, seu (quod idem est) mediis speciebus intentionalibus in illis reperiretur.

rolla-ium. 20 Ex quibus omnibus magis patet id, quod supra innuebamus, scilicet speciem intentionalem non tam dicendam esse ejusdem naturæ cum suo objecto, quam esse essentiam, et quidditatem illius sub alio modo essendi, seu esse ipsummet objectum sub modo essendi repræsentativo. Nam per hoc, quod aliquid dicatur esse ejusdem naturæ cum alio, non tollitur necessario, quominus possint esse duo individua ejusdem naturæ, ut constat in duplici calore : at species, et objectum non possunt esse ejusdem naturæ per modum duplicis individui participantis eandem naturam secundum speciem, et diversam secundum numerum.

Et ratio est aperta. Quia si species intentionalis repræsentet naturam ipsam, v. g. humanam absque conditionibus individuantibus, tunc sicut talis species intentionalis repræsentat naturam ipsam in sua plenitudine, et abstractam a conditionibus individuantibus illam dividentibus, ita nequit sub modo essendi intentionali, et repræsentativo habere naturam illam individuatam, et per modum alicujus ex individuis participantibus talem naturam, ut ex se, et ex iis, quæ loco citato in tractatu de Visione Dei diximus, satis constat. Si autem species illa intentionalis repræsentet naturam individuatam, tunc eademmet natura numerica, ut talis, quæ est in objecto sub modo essendi naturali, est in specie sub alio modo essendi, nempe intentionali propter rationes dictas, scilicet, quia multoties contingit, ut repræsentet formaliter non solum naturam utcunque, sed ut est individuata, et mediante illa specie, et forma intentionali potest esse per se primo in natura cognoscente appetitus, et inclinatio in ea, quæ sunt connaturalia, et propria illius naturæ, ut individuatæ.

§ V.

Animadversiones valde notandæ pro solutione argumentorum oppositæ sententiæ.

Animadversio prima. 21 Ut argumenta contrariæ sententiæ longe melius, et cum magna perspicuitate maneant soluta, placuit aliqua prænotare, ex quorum plena intelligentia facile, et dilucide omnia, quæ ab adversariis objiciuntur, corruent. In primis ergo notandum est, nomen speciei sensibilis, vel intelligibilis esse impositum ad significandum eandem speciem, non solum secundum suam naturam, et secundum quod est ejusdem rationis cum objecto, sed etiam ut est sub modo quodam essendi adaptato, et proportionato ad hoc, ut uniat objectum ipsum cum potentia, trahendo illud cognoscibiliter ad ipsam potentiam. Sicut etiam nomen, quod est impositum ad significandum objectum ejusdem speciei, v. g. hanc albedinem, ab eadem repræsentatam, denotat ipsam albedinem non solum secundum suam essentiam, sed etiam secundum modum essendi naturalem, et entitativum, quem in se ipsa habet, quique est connaturalis ipsi, prout est in se : et propterea albedo simpliciter, et absolute dicta dicit prædictam albedinem sub hoc modo essendi naturali, ut a num. 38. usque ad 41. hujus dubii ex Arist. et D. Thom. magis explicabimus.

Diximus, *trahendo illud cognoscibiliter ad ipsam potentiam,* non quidem ut per hoc denotaremus, objectum debere necessario secundum suum *esse* entitativum esse alibi extra ipsum cognoscentem, et

per speciem trahi ad ipsam potentiam cognoscitivam : nam oppositum hujus in essentia Angeli habente rationem speciei intelligibilis respectu sui intellectus, et in ordine ad propriam intellectionem contingit ; sed ut significaremus, quod adhuc tunc objectum, et ejus natura non est unita cognoscibiliter, seu in *esse* objecti cum suo intellectu, nisi mediante specie, sive mediante ipsa essentia, ut habet rationem speciei intelligibilis : et ita cognoscibiliter trahi ad ipsam quatenus unitur nova unione cum illa, et nova ratione unita sunt.

Secunda. 22 Secundo notandum est, quod in prædicta specie sensibili, aut intelligibili continentur duo ordines rerum, duoque genera essendi : et unusquisque ex his ordinibus habet suum proprium constitutivum : et quodlibet ex his constitutivis dicit etiam suum, aut suos peculiares modos essendi, sub quibus est. Et propterea possunt tot, atque diversa prædicata de specie intelligibili, v. g. verificari, nempe quod secundum unam rationem sit ejusdem naturæ cum suo objecto, ut num. 14. dicebamus ; et secundum aliam diversæ, ut ex statim dicendis patebit : et similiter, quod secundum unam considerationem sit accidens, et qualitas quædam, ut numero sequenti dicemus ; et secundum alteram possit esse substantia, ut ex iis, quæ in tract. de Visione Dei disp. 2. num. 135. asseruimus, et ex jam asserendis constabit : sicut etiam, quod secundum quandam sui rationem limitetur, et coarctetur a potentia intellectiva, in qua recipitur ; secus vero secundum alteram, quin potius secundum illam maneat ita ampla, universalis, et illimitata, ac si non uniretur cum prædicta potentia, ut disp. præced. num. 22. et deinceps dicebamus, et sic de aliis.

Tertia. 23 Tertio notandum est, quod primum ex iis, quæ inveniuntur in prædicta specie est ordo, et genus entitativum, et naturale, prout distinctum ab intentionali, sive ab *esse* intelligibili formaliter sumpto, et huic ordini, et generi entitativo assignatur suum proprium constitutivum, necnon et suus proprius modus essendi, etiam entitativus, et naturalis. Et ita species intelligibilis repræsentativa, v. g. hominis in *esse* entitavo considerata, dicit rationem, et modum naturalem accidentis, et qualitatis entitativæ, ac naturalis, petitque veram inhærentiam, necnon peculiarem rationem atomam, quam licet ignotam possumus describere, et explicare per hoc, quod est talis conditionis, ut habeat sibi adjunctum per modum accidentis inseparabilis *esse* intentionale ejusdem speciei intelligibilis : ac tandem affert propriam naturam numericam distinctam a natura numerica, quæ in *esse* entitativo reperitur in quacumque alia specie intentionali.

Et ratio hujus notabilis est aperta. Quoniam *esse* cognoscibile formaliter sumptum, debet fundari in *esse* entitativo et naturali ; ac proinde *esse* cognoscibile formaliter acceptum, quod reperitur in specie intelligibili, debet supponere tanquam fundamentum *esse* entitativum, et naturale ejusdem speciei : cumque prædictum *esse* entitativum non sit substantia, sed accidens, quippe quod recipitur in intellectu ; et ratio hæc accidentis debeat esse contracta per propriam rationem differentialem, et atomam, necnon et numericam distinctam a qualibet alia, quæ in alia specie intentionali reperitur, ut ex terminis ipsis constat, oportet, ut prædicta species secundum *esse* entitativum dicat rationem accidentis entitativi, necnon et rationem atomam, ac numericam ; quas jam innuimus. Et tandem cum ordo entitativus ultra proprium constitutivum afferat etiam suum modum essendi naturalem, et entitativum, inde est, ut prædictæ speciei repræsentativæ, v. g. hominis, ut pertinenti ad hunc ordinem debeat suus modus essendi naturalis correspondere, per quem distinguatur a modo illo essendi intentionali, et repræsentativo, quem prædicta prædicata quidditativa speciei constituentia illam in *esse* entitativo, et naturali, haberent in specie alia (si daretur) repræsentante per se primo, et directe *esse* entitativum, et naturale speciei intelligibilis repræsentantis v. g. hominem. Ratio illius.

24 Quarto notandum est, quod prædicta species ultra hunc ordinem, et *esse* entitativum continet etiam in se alium ordinem, et genus essendi intentionale, seu (ut melius loquamur) ordinem, et genus cognoscibilis formaliter sumptum, et secundum hanc rationem habet suum proprium constitutivum, et insuper suum proprium modum essendi indispensabilem, et per se primo ab ea petitum. Quia, ut nuper dicebamus, nomen speciei, et ipsamet, ut est sub hoc conceptu, Quarta.

ceptu, non denotat suam solam quidditatem, et constitutivum, quod, ut ex dictis constat, et ex dicendis amplius patebit, nullum est aliud in recto, et formaliter sumptum præter ipsam naturam objecti, quam repræsentat; sed etiam dicit peculiarem modum essendi, sub quo prædicta natura est. Quia vero prædictus modus essendi indispensabilis, fere nunquam inveniri potest, quin habeat alium modum essendi admixtum, de quo statim, propterea fere semper illi admiscetur.

nuclea-
tur
præce-
dens
nimad-
vers.

Unde species intelligibilis repræsentativa, v. g. hominis, sic considerata, dicit tanquam constitutivum ipsius omnia prædicata quidditativa ejusdem hominis, quæ per eandem speciem repræsentantur. Et deinde affert proprium modum essendi per se primo petitum, scilicet tantam, vel tantam immaterialitatem ita modificatam, et depuratam, ut natura objecti possit, ut est sub hac puritate sic modificata, trahi ad potentiam intellectivam, et uniri cum ipsa. Et ratio est. Nam cum proprium sit prædictæ speciei intelligibilis trahere naturam objecti ad potentiam intellectivam, et unire ipsum intelligibiliter cum ea, oportet ut prædicta species contineat in se tam naturam ipsius objecti, quam modum essendi ita immaterialem, et modificatum, ut sit adaptatum ad hoc, ut possit fieri hæc unio, ac tandem quod prædicta natura ibidem contenta, sit ipsum constitutivum talis speciei sic consideratæ. Tum quia species, et objectum quoad suum constitutivum in recto, et formaliter importatum, debent esse idem, ut ostensum est. Et propterea juxta naturam objecti eandem, vel diversam, quam repræsentant, sunt; vel non sunt per se primo ejusdem rationis, aut diversæ.

25 Tum etiam : quia eodem proportionali modo philosophandum est in objecto, et in ejus vicegerente, scilicet in specie. Et ideo sicut objectum, v. g. homo, affert suam propriam naturam, et hanc tanquam constitutivum ipsius, et insuper proprium modum essendi naturalem, ita etiam species intelligibilis afferens propriam naturam hominis sub prædicto modo, importabit illam per modum constitutivi ipsius, modificatam tamen per suum modum indispensabilem : nam modus iste, et modus essendi naturalis objecti repræsentati per speciem, necnon et modus essendi entitativus, quem de materiali specie intelligibilis affert, sunt modi inadæquati respectu unius, et ejusdem naturæ, v. g. humanæ, qui hoc ipso quod inadæquati, non arguunt distinctionem in illa ex parte naturæ, sed potius, quod sicut in illo conjuncto, in quo natura est sub modo essendi naturali, habet absolute, et simpliciter loquendo natura illa, quod ipsa sit principaliter, et per modum constituti importata, et modus ille tantum habeat absolute loquendo rationem modi : ita, proportione servata, in conjuncto illo, in quo natura est sub modo essendi intentionali, scilicet specie v. g. intelligibili, philosophandum est.

26 Cæterum prædictus modus indispensabilis tantæ, vel tantæ immaterialitatis sic modificatæ, ut species sub illo possit sensibiliter, aut intelligibiliter unire objectum cum potentia, trahendo illud ad ipsam, fere nunquam invenitur in creaturis, nisi species ista, et immaterialitas ejus sit sub alio modo repræsentativo, qui est modus essendi diminutus. Et propterea eadem species fere semper habet adjunctum prædictum modum repræsentativum, et diminutum, qui est talis conditionis, ut sub illo possit eadem numero substantia Angelica, v. g. Michaëlis, quæ secundum suum *esse* naturale est in ipso Michaële, esse etiam sub hoc modo essendi repræsentativo in specie intelligibili ipsius, quæ est in intellectu Gabrielis; ac proinde esse etiam in eodem intellectu prædicti Gabrielis : cum tamen sub modo essendi naturali finito, et limitato non possit utrobique esse. Attamen cum hoc stat, ut modus iste essendi repræsentativus, et diminutus non pertineat ad conceptum speciei intelligibilis in *esse* speciei formaliter sumptæ, nec sit modus indispensabilis ejus : quamvis, ut infra in hoc eodem dubio dicemus, hoc ipso, quod modus iste diminutus detur, semper affert concomitanter rationem speciei v. g. intelligibilis, et modum indispensabilem ejus.

Enuclea-
tur
amplius.

27 Ratio autem, ob quam diximus fere nunquam inveniri in creaturis modum essendi immaterialem, ita depuratum, et purificatum, ut possit unire objectum cum potentia per modum speciei, nisi simul habeat adjunctum modum essendi repræsentativum, et dimi-

Ratio
posterio-
ris
enuclea-
tionis
quoad
primam
ejus
partem.

nutum, est. Quoniam objectum sensibile, prout est in se ipso, habet admixtum multum de materialitate, et crassitie. Et ita nequit, nisi depuretur ab hac, et sit sub modo essendi diminuto, et repræsentativo, qui est subtilior, et depuratior, uniri cum potentia. Et similiter objectum intelligibile creatum nunquam habet immaterialitatem, seu modum essendi immaterialem ita depuratum, et modificatum, ut possit saltim naturaliter loquendo per se ipsum uniri in ratione objecti, et speciei intelligibilis, nisi sit ipsa substantia intelligentis comparata cum proprio intellectu, vel ipse intellectus, et alia accidentia illius, et nisi omnia ista sint in eo statu, ut non pendeant in *intelligi* a phantasmatibus.

28 Nam licet substantia ipsa intelligentis, ut v. g. substantia Angelica, sit depurata a materia physica; nihilominus quia ut in tractatu de Visione Dei disp. 2. num. 47. diximus, et explicuimus, non est sua intelligibilitas, nec est pure forma intelligibilis; ideo licet possit proprio intellectui uniri per se ipsam in ordine ad sui intellectionem, non tamen cum intellectu alieno, nisi ut est in specie intentionali, et nisi (ut sic dicamus) sit vestita modo illo essendi repræsentativo, et diminuto. Et ita non habet secundum se modum essendi immaterialem ita depuratum, et modificatum, ad hoc, ut habeat respectu cujusvis intellectus Angelici, verbi gratia, rationem speciei intelligibilis, nisi misceatur prædictus modus essendi.

Maxime quia nihil potest sub modo essendi naturali uniri cum duplici intellectu : quia prædictus modus essendi limitat, et coarctat, ut id, quod est forma hujus, nequeat esse illius. Et propterea ut num. 16. dicebamus, provisum est in remedium hujus de *esse* intentionali sub modo essendi repræsentativo : ut ita substantia, verbi gratia, Angelica, possit et suum, et alienum intellectum intelligibiliter informare : ac proinde tunc necessario debet prædictus modus essendi diminutus, et repræsentativus immisceri.

Tacita objectio obiter diluitur.

29 Cur autem (ut ita tacitæ cuidam objectioni obiter satisfiat) licet species intelligibilis, et intentionalis repræsentativa substantiæ Angelicæ, verbi gratia, Michaëlis, non sit sub suo *esse* diminuto ipsa intelligibilitas, sicut nec substantia ejusdem Michaëlis, nihilominus possit unire eundem Michaëlem in ratione objecti cum intellectu alieno, nempe Gabrielis; cum tamen Michaël se ipso non possit hoc munus præstare, constabit ex dicendis in tractatu de Angelis, et ex iis, quæ in tractatu de Visione Dei disp. 2. num. 248. tetigimus, etiam patet. Nam sicut ad hoc, ut aliquid sit ipsa essentia et existentia absque aliqua distinctione, requiritur, quod sit actus purus in ordine entitativo, non tamen ad hoc, ut sit sola existentia, ita ad hoc, ut aliquid sit objectum directe, et per se primo cognitum ut *quod*, et habens modum essendi naturalem, et simul sit species intelligibilis sui, quæ possit uniri cum alieno intellectu, requiratur, quod sit actus purus in ordine intelligibili, ac proinde, quod sit sua intelligibilitas, ut in prædicto tractatu de Visione Dei disp. 2. num. 47. diximus : secus vero ad hoc, ut per se, et directe habeat precise rationem speciei intelligibilis, ut in specie intentionali habenti modum essendi repræsentativum, et diminutum, contingit.

Ratio ejusdem enuclea-tionis quoad secun-dam partem

30 Ratio autem, propter quam asserimus, prædictum modum essendi repræsentativum, et diminutum, nec pertinere ad conceptum quidditativum speciei in *esse* cognoscibili, et formaliter sumptæ, neque esse modum indispensabilem ejus, est, quod species intelligibilis, modo dicto accepta, tantum petit, quod sit ipsa natura objecti, et quod afferat illum modum essendi ita immaterialem, et modificatum, ut sub illo possit unire objectum, et naturam ejus cum potentia, ut docet D. Thom. supra quæst. 12. art. 2. ad hoc autem non est necessarium, ut natura objecti uniatur cum potentia sub modo essendi repræsentativo, et diminuto. Et ita quando objectum per se ipsum affert hæc duo, ut contingit in substantia Angeli respectu sui intellectus, tunc non indiget specie intelligibili, per quam sub modo essendi repræsentativo uniatur cum prædicto intellectu ; sed ipsamet substantia Angeli absque hoc modo essendi diminuto habet rationem speciei intelligibilis. Cum vero objectum nequit per se ipsum uniri potentiæ, ex eo, quod non habet modum illum immaterialitatis ita depuratum, et modificatum, sicut ad prædictum munus requiritur, ut in eadem substantia Angelica, v. g. Gabrielis, respectu intellectus Michaëlis propter rationes num. 28. dictas, accidit, tunc est necessaria

cessaria species alia intelligibilis, per quam substantia Gabrielis cum intellectu Michaëlis, et sub modo essendi repræsentativo et diminuto uniatur : quamvis adhuc tunc modus iste diminutus non sit indispensabiliter, et per se primo petitus, sed aliquo modo per accidens, quatenus desideratur ob defectum illum, qui in modo essendi immateriali per se primo petito invenitur, et modus iste potest aliquando ab isto modo essendi diminuto secerni, et separari.

Major explicatio præcedentium valde notanda.

31 Potestque hoc ipsum magis explicari ex eo, quod substantia Gabrielis in *esse* speciei formaliter consideratæ, secundum quam rationem unitur cum proprio intellectu, et species intentionalis ejusdem Gabrielis, quæ resident in intellectu Michaëlis, cui Gabriel per suam substantiam nequit uniri, sunt ejusdem rationis, quoad omnia, quæ ad prædictam speciem modo dicto sumptam, tam ex parte quidditatis illius, quam ex parte modi essendi indispensabiliter petiti, requiruntur, ut in tractatu de Visione Dei disp. 2. num. 107. diximus. Et propterea si Gabriel intelligeret se ipsum per speciem intentionalem a se distinctam, et quidditative ipsum repræsentantem, tunc illa intellectio esset ejusdem speciei ac modo est. Et similiter si admitteretur species creata, quidditative repræsentans Deum prout est in se, tunc visio beatifica, mediante illa, elicita, esset ejusdem speciei ac eademmet visio, quæ nunc a beatis mediante essentia divina per modum speciei intelligibilis elicitur : et tamen si species repræsentativa Gabrielis, quæ est in intellectu Michaëlis, sumatur secundum modum essendi repræsentativum, et diminutum, quem affert, non potest non secundum istum differre a modo essendi, quem substantia Gabrielis, ut unita cum suo intellectu in ratione speciei intelligibilis importat : siquidem modus ejus essendi non potest esse modus essendi repræsentativus, et diminutus : ergo signum est, quod prædictus modus repræsentativus, et diminutus non pertinet indispensabiliter ad speciem intelligibilem, in *esse* cognoscibili, et formaliter sumptam : sive tanquam quidditas ejus, sive tamquam modus indispensabilis illius.

Diximus, non pertinere ad speciem intelligibilem in *esse* cognoscibili, et formaliter sumptam : quia si sumatur, ut explicatur per hoc nomen, et conceptum speciei intentionalis, et repræsentativæ, solet ex communi usu sumi pro specie distincta ab objecto quoad modum essendi, et involvente modum essendi repræsentativum, et diminutum : et ita ut sic concepta, et ut est sub hac reduplicatione, ac significatione, debet necessario involvere prædictum modum diminutum, ut ex se constat.

32 Utrum autem prædictum *esse* repræsentativum, et diminutum, licet non pertineat ad conceptum speciei intelligibilis, nec sit modus indispensabilis ejus, nihilominus sit modus indispensabilis respectu speciei sensibilis, ut talis : et an id contingat, ex eo, quod petatur ex vi suæ lineæ, vel ex aliis capitibus indispensabilibus, licet non ex vi propriæ lineæ; et ideo si per impossibile daretur objectum visibile ita depuratum, sicut ipsa species visibilis, ut multi, quos nostri Complut. in lib. de Anima, disp. 10. num. 6. referunt, hoc ipsum de luce fatentur, tunc, ut ipsi etiam concedunt, se ipso, absque modo essendi diminuto uniretur cum visu per modum speciei intelligibilis, et in ordine ad sui visionem. Itaque an hoc, vel illo modo circa speciem sensibilem, ut talem, philosophandum sit, ex iis, quæ jam innuimus, constat; et ex iis, quæ dicemus, amplius patebit.

Objectio.

Ex quo etiam manet soluta quædam objectio, quæ forte alios premeret, nimirum, quod species intelligibilis necessario et indispensabiliter ex vi propriæ lineæ dicit naturam objecti cum tanta, vel tanta immaterialitate, ita modificata, et depurata, ut possit unire objectum cum potentia : ergo si *esse* repræsentativum, et diminutivum requiritur (ut modo dicebamus) ad hoc, ut essentia Gabrielis uniatur intelligibiliter cum intellectu Michaëlis; consequens erit, ut modus essendi repræsentativus et diminutus per se pertineat ad conceptum speciei intelligibilis, coalescentem (ut num. 21. diximus) ex natura objecti intelligibilis, et ex modo immaterialitatis requisitæ ad hoc, ut uniat objectum cum potentia intellectiva.

Enodatio.

33 Ex dictis igitur hæc objectio manet soluta. Nam sicut in opinione aliquorum substantia materialis, verbi gratia, materia prima, habet suas partes entitativas, et qualitas etiam suas; et nihilominus hæ partes in *esse* partium consideratæ, non distinguuntur formaliter, sed tantum materialiter, et per accidens : ex eo, quod ad rationem partium entitativarum formaliter

sumptarum tantum requiritur, quod una non sit alia, et quod constituant unicum totum entitativum integrale, aut quasi integrale; sive illud sit de materiali substantia, sive qualitas, etc., ita etiam quod de formali dicit modus ille indispensabilis, quem species intelligibilis affert, est tanta, vel tanta immaterialitas, ita depurata, et modificata, ut possit unire objectum cum potentia. Quod autem hæc immaterialitas afferatur, ex eo, quod species afferat modum essendi repræsentativum, et diminutum, vel alium modum essendi, verbi gratia, substantialem, hoc de materiali, et per accidens est. Et ideo, ut nuper dicebamus, species intelligibilis manet eadem, et sub modo essendi immaterialitatis jam dicto, sive sit sub modo essendi diminuto, sive non : et prædictus modus essendi immaterialitatis, quoad formale, quod affert præcise consideratus, est ejusdem speciei, et rationis, tam in specie intelligibili, quæ est substantia, quam in specie intelligibili, quæ est accidens : et habet modum essendi diminutum quoties prædictæ species uniunt unum, et idem objectum, ut ex dictis constat.

Animadversionis ultimæ prior pars.

34 Ultimo notandum est, quod licet facta computatione omnium modorum essendi, qui ultra naturam objecti reperiuntur in specie intelligibili, fere semper sint saltim tres jam enumerati; nihilominus multoties Doctores fatentes modum illum essendi naturalem, et entitativum, non distinguunt, ita expresse, et sub nominibus jam dictis modum illum essendi indispensabilem petitum ab eadem specie; sed aliquando confundunt quodammodo illum cum *esse*, et modo essendi intentionali, et repræsentativo; attamen multoties etiam utrumque modum essendi aliquo modo inter se distinctum fatentur. Et propterea inquiunt id, quod nos modo dicebamus, scilicet substantiam Gabrielis, ut habet rationem speciei intelligibilis respectu sui intellectus, esse ejusdem rationis, quoad omnia, quæ indispensabiliter petuntur ad speciem intelligibilem, cum specie intelligibili repræsentativa ejusdem Gabrielis, et residente in Michaële : quamvis substantia Gabrielis non habeat prædictum modum essendi repræsentativum, et diminutum; bene tamen debitum illum modum essendi immaterialem jam explicatum, in quo prædictus modus indispensabilis consistit.

Posterior pars, et ratio illius.

Et deinde, quia uterque modus essendi, tum sub modo essendi intentionali, tum etiam sub modo essendi repræsentativo continetur, propterea multoties ultra modum essendi naturalem, solum assignant aliquem ex his duobus.

35 Ratio autem, ob quam sub modo essendi intentionali uterque modus includitur, et propterea assignato hoc *esse*, assignantur etiam ambo modi jam dicti, ea est. Quia cum modus essendi intentionalis dicat modum speciei intelligibilis, aut verbi, convenientem illis formaliter, et peculiariter, ut deserviunt ad cognitionem, intentionem, seu attentionem intellectus (hæc enim omnia quoad præsens in idem redeunt) et prædicta species secundum illum modum essendi per se petitum deserviat peculiariter, et per se primo ad prædictam attentionem, et secundum modum essendi repræsentativum sit etiam peculiariter destinata, modo explicato, in ordine ad illam : propterea uterque modus essendi sub modo essendi intentionali comprehenditur.

Corollarium ad rem multum conducens.

Unde prædictus modus essendi solet distinguiin se ipsum formaliterin *esse* intentionali, et in *esse* intelligibili sumptum, secundum quam rationem solet denotare modum illum essendi per se, et indispensabiliter petitum; et in se ipsum secundum ea, quæ aliquo modo per accidens, et materialiter involvit : et secundum hanc rationem, solet inter alia denotare modum essendi diminutum, et repræsentativum : qui fere semper requiritur, ex eo, quod alias objectum non posset in ratione objecti uniri propter conjunctionem, quam habet cum aliis rationibus impedientibus hanc unionem, licet prædicta conjunctio non conveniat illi per se, et indispensabiliter ex vi propriæ lineæ, sed ex vi aliarum linearum.

36 Et similiter ratio, ob quam sub modo essendi repræsentativo uterque modus involvitur, est. Quia *esse* repræsentativum potest sumi dupliciter. Primo quidem pro modo essendi diminuto repræsentativo, et ostensivo, cujus munus sit, ut species sub illo habeat per modum principii *quo* repræsentare, seu ostendere potentiæ cognoscitivæ objectum, quod sub illo in ea continetur, et media hac repræsentatione unire illud cum eadem potentia. Vel pro modo essendi, non quidem diminuto, sed talis conditionis, ut species sub illo etiam habeat quodammodo repræsentare per modum principii *quo* ipsum objectum potentiæ, quatenus sub illo habet ostendere illud ipsi potentiæ, et unire idem objectum cum ipsa, adhuc perfectius, quam si uniretur mediante modo essendi repræsentativo, ut contingit in substantia

stantia Angelica, ut habet rationem speciei intelligibilis respectu proprii intellectus, et non affert modum illum essendi repræsentativum. Quare cum sub *esse* repræsentativo uterque modus repræsentandi, seu ostendendi comprehendatur, inde est, ut assignato modo essendi repræsentativo, et non limitando illum ad modum essendi diminutum, ibidem etiam duo isti modi essendi, quodammodo distincti a modo essendi naturali, involvantur.

Major explicatio præcedentium.

37 Quinimo uterque sub modo essendi repræsentativo, et diminuto invenitur. Quia licet modus essendi intentionalis indispensabilis, jam explicatus, non sit semper, et indispensabiliter conjunctus cum modo essendi repræsentativo, et diminuto : e converso tamen modus iste essendi repræsentativus est conjunctus cum modo essendi immaterialitatis indispensabili, et non utcunque, sed ita ut modus essendi repræsentativus, et diminutus per se primo petat hanc conjunctionem : et propterea sub modo essendi repræsentativo uterque modus essendi innuitur, et includitur. Unde talis modus essendi adæquate, et non cum præcisione sumptus, secundum quam rationem dicit se ipsum, ut identificantem, tam *esse* diminutum, quam modum illum indispensabilem, dicit de formali, et magis principaliter modum indispensabilem; quamvis cum præcisione sumptus, secundum quam rationem solet frequentius significari sub hoc nomine *modi essendi repræsentativi, et diminuti*, solum denotet modum istum diminutum : et propterea etiam modus essendi repræsentativus adæquate acceptus, solet etiam distingui in ipsum secundum id, quod de formali importat, et secundum id, quod de formali non affert. Sicut etiam (ut id obiter dicamus) sub *esse* intentionali includitur, et involvitur etiam illa natura objecti, quæ est sub illo modo, et similiter sub *esse* repræsentativo : quia licet natura illa possit esse sine his modis : non tamen ipsi sine illa : et propterea si adæquate, et secundum id, quod per se primo petunt identificari, sumantur, tunc magis principaliter dicunt naturam, quam prædictos modos.

Quare ob hanc rationem non multoties solum utemur nominibus significantibus *esse* naturale, et *esse* intentionale, aē repræsentativum, et similiter nominibus denotantibus modum essendi, naturalem, intentionalem, et repræsentativum : quia sub his omnia, quæ ad speciem quoquomodo pertinent, continentur : et ex nu-

per dictis constat, quid ibidem sub his nominibus, et qua ratione involutum sit.

§ VI.

Solvuntur argumenta oppositæ sententiæ præter ultimum.

Ad primum.

38 Ad primum ex testimonio D. Thom. petitum, constat ex dictis in § præced. Quomodo D. Thom. loquatur de specie intelligibili, non quidem in *esse* intentionali et repræsentativo, quoad naturam, quam sub hoc *esse* affert, sed de ea in *esse* naturali, et entitativo, secundum quam rationem habet distinctam quidditatem a se ipsa primo modo sumpta, et ab objecto per illam repræsentato.

Adde, quod speciem esse ejusdem naturæ cum objecto in *esse* repræsentativo, est esse idem cum illo non absolute, et simpliciter, sed cum addito, et conditione diminuente modum habendi talem naturam, scilicet in *esse* repræsentativo, seu (ut loquitur D. Thom.) secundum repræsentationem. Unde merito S. Doct. loquens absolute, et simpliciter, dixit, speciem lapidis, quæ est in anima esse longe alterius naturæ ab ipso lapide : quia ad hoc, ut esset absolute, et simpliciter ejusdem naturæ, requirebatur, ut haberet prædictam naturam sub modo essendi naturali, ex eo, quod *esse* intentionale, ut distinctum ab *esse* naturali est *esse* diminutum, et secundum quid, ac cum addito; secus vero *esse* naturale et entitativum. Et ideo esse aliquid tale entitative, et naturaliter, est esse absolute, et simpliciter tale; esse vero solum intentionaliter, et sub modo essendi repræsentativo tale, est esse secundum quid, et cum addito, scilicet intentionaliter, tale, et repræsentative. Per quod etiam ad alia testimonia, quæ ex D. Thom. poterant adduci, satis constat.

Objectio.

39 Nec refert, si dixeris, quod *esse* intentionale est *esse* elevatius, quam *esse* naturale, et entitativum : ergo si semel species intentionalis est ipsa quidditas sui objecti sub *esse* intentionali, et repræsentativo, tunc cognoscentia, quæ in se suscipiunt prædictam speciem, non solum habebunt naturam objecti absolute, et simpliciter, sed sub nobiliori modo essendi, quam si illam haberent sub modo essendi naturali, et entitativo. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem ex

supradictis constat. Quoniam *esse* intentionale est minus materiale, ac proinde magis liberum a materia, quæ est radix potentialitatis, et imperfectionis.

Occurritur. Respondetur enim, quod *esse* intentionale præcise sumptum, non est, nisi tantum secundum quid perfectius, et elevatius, quam *esse* naturale, et entitativum : et propterea ratione hujus majoris elevationis potest extendi ad aliquos alios effectus, ad quos nequit pertingere *esse* entitativum. Neque oppositum hujus convincit probatio antecedentis. Quoniam *esse* magis liberum a materia est cæteris paribus nobilius eo, quod est magis materiale : secus vero quando cætera non sunt paria, ut in præsenti contingit. Unde licet accidens spirituale sit minus materiale, quam substantia materialis; non tamen ideo est absolute, et simpliciter nobilius, quam illa, ex eo, quod cætera non sunt paria.

Elucidatur solutio. 40 Potestque hoc explicari, et confirmari, ex eo, quod forma intentionalis, licet sit ejusdem rationis cum forma, quæ est sub *esse* naturali, vel potius sit ipsamet sub alio modo essendi, nihilominus non denominat simpliciter subjectum, ut species intelligibilis, aut sensibilis albedinis non denominat illud simpliciter album. Tum quia id docet Aristot. 2. de Anima text. 121. dicens : Quod species intentionalis alicujus rei est eadem essentia ejus, cujus est species non in quantum hujusmodi dicitur, sed in quantum hujusmodi est. Quod est idem ac asserere, quod prædicta species est idem cum forma, cujus est species, non tamen denominat absolute, et simpliciter sicut illa. Tum etiam : quia denominatio fit a forma secundum suam propriam, et connaturalem perfectionem; forma autem in specie intentionali non habet conditiones debitas suo proprio, et connaturali modo existendi, scilicet modo naturali, sed proportionatas modo essendi cognoscitivorum : et ideo nec denominat subjectum, nec ipsa denominatur talis absolute, et simpliciter loquendo, sed cum addito, scilicet in *esse* cognoscibili, sive intentionali : ergo signum est formam, ut est sub prædicto *esse* intentionali, ac proinde prædictum *esse*, excedi absolute in perfectione ab *esse* naturali, et esse quid diminutum. Nam forma sub *esse* non diminuto, maxime si sit permanens, non potest non denominare illud simpliciter, ac denominari talis.

Ad secundum. 41 Ad secundum concessa majori, et minori, distinguendum est consequens : et concedenda conseq. si intelligatur de specie collata cum suo objecto primario; neganda vero, si intelligatur de eadem specie comparata cum suo objecto secundario, quod prædicta species per modum causæ repræsentat, ut in essentia divina contingit. Quare licet species repræsentans aliquid tanquam objectum primarium, debeat esse idem quoad formam repræsentatam cum illo; non tamen est necesse, ut sit hoc modo idem cum objecto secundario. Nam cum repræsentet objectum primarium per se, et ratione sui, et ut tale est, oportet, ut sit ejusdem naturæ cum illo, sub alio tamen modo essendi. At cum repræsentet objectum secundarium jam dictum ratione alterius objecti, per se primo repræsentati, non oportet, ut sit ejusdem naturæ cum illo, sed cum eo, ratione cujus illud repræsentat. Adde satis ad minus esse ad rationem speciei, quod eminenti, aut virtuali modo contineat naturam sui objecti secundarii, ut in essentia divina respectu creaturarum cernitur, quamvis non semper prædicta continentia sit necessaria.

Ad primam confirmationem. 42 Ad primam confirmationem patet ex modo dictis. Quoniam, ut bene notavit Ferrara 2. contra Gent. cap. 98. quando forma est eminens, et eminenti modo continet formam, et naturam alterius rei, non est ejusdem rationis cum illa, nec debet esse proprie, et in rigore loquendo ei similis : quamvis e contra forma inferior in illa contenta, possit cum illa similitudinem habere ; et ita licet creaturæ sint similes essentiæ divinæ, non tamen divina essentia est similis creaturis.

Hoc autem optime explicuit D. Thom. in 1. dist. 19. quæst. 1. art. 2. in corpore, dicens, quod illa forma dicitur esse alicujus, quod habet eam plene, et secundum omnem rationem : et ita quando duo habent aliquam formam plene, tunc ambo sunt ad invicem similia. Si autem forma sit plene in uno, et diminute in alio, tunc quod participat talem formam diminute, est simile alteri, et non e contra : sicut pictura est similis homini, non tamen e converso. At forma, in qua, et per quam Deus intelligit omnes res, scilicet sua essentia, est tantum in ipso Deo plene, et perfecte ; in aliis vero rebus, solum invenitur diminute,

minute, et secundum participationem, seu imitationem analogam : et propterea res creatæ dicuntur illi eodem modo similes, cum tamen Deus nulli creaturæ similis sit.

Ad secundam.

43 Ad secundam confirmationem respondetur pro nunc, fatendo species intentionales supremorum Angelorum repræsentare distincte, et formaliter plures, et diversas naturas specificas : ita tamen, ut istæ habeant se per modum objecti secundarii, et ratio alia universalior, in qua omnes illæ conveniunt, et sub qua continentur, habeat se per modum objecti per se primo repræsentati, ut bene notavit Nazarius tom. 3. in 1. part. quæst. 55. artic. 3. controversia 1. notabili 6. referens Cajetanum, et Ferraram. Nam cum prædictæ species intentionales sint altioris, et eminentioris ordinis, et peculiari ratione dicantur participationes divinæ essentiæ, ut habet rationem speciei intelligibilis, inde est, quod sicut divina essentia, ex eo, quod est perfectissima in ratione speciei intelligibilis, potest plura, et diversa objecta secundaria, specie diversa, et quoad propria eorum repræsentare, licet objectum primarium ipsius tantum sit unicum, ita prædictæ species intentionales possunt, proportionali modo, habere plura, et diversa objecta secundaria, et objectum primarium earum esse unicum.

Cæterum hinc non sequitur, has species intentionales esse formaliter ejusdem quidditatis cum singulis ex illis naturis repræsentatis, et ut inter se distinctis, sed esse ejusdem naturæ cum ratione illa per se primo repræsentata, in qua omnes conveniunt ; et insuper continere eminenter, et superexcedenti modo naturas illas specie distinctas, seu (quod idem est) esse rationem superexcedentem illarum : quia licet repræsentet eas secundum propria ipsarum, repræsentat tamen ipsas secundario, et ratione alterius rei per se primo repræsentatæ. Sed de his iterum in tractatu de Angelis sermo redibit.

Ad tertium.

44 Ad tertium respondetur, quod si loquamur de specie intelligibili, aut sensibili vel quoad *esse* repræsentativum, seu (ut melius loquamur) quoad modum essendi repræsentativum cum præcisione sumptum, vel quoad *esse* materiale, et naturale illius, jam constat ex iis, quæ tract. 1. disp. 2. num. 73. et 74. diximus, et ex iis, quæ nostri Complut. in lib. de Anima disp. 18. quæst. 6. docent ; quid dicendum sit, et quomodo modus iste essendi, et *esse* entitativum prædictarum specierum distinguantur essentialiter, ut scite docuit, et probavit Cajet. 3. part. quæst. 35. art. 5. Si vero loquamur præcise de natura numerica, ut sub modo essendi indispensabili elucet in speciebus intentionalibus, tunc non inconvenit duas naturas solo numero diversas esse in eodem sensu, aut intellectu : quia, ut disp. præcedenti a num. 22. usque ad. 26. tetigimus, et in hac a num. 72 usque ad 84. dicemus, sensus, aut intellectus non comparantur ad prædictas species saltim sic sumptas, per modum subjecti proprie talis, nec ipse secundum istam rationem individuantur ab illis, sed a natura ipsa repræsentata, non utcunque, sed connotando, quod sit sub modo essendi naturali. Cur autem natura sic sumpta radicaliter individuet speciem sensibilem modo dicto acceptam, constat ex iis, quæ num. 21. et a num. 38. usque ad 41. diximus.

Ad quartum.

45 Ad quartum respondetur, negando antecedens. Et ad probationem, concesso antecedenti, neganda est consequentia. Nam licet demus, quod quævis forma communicet sub subjecto connaturali, et capaci quidquid ut *quo* habet in se, non tamen oportet, ut illud communicet subjecto, quod ab ea respicitur potius tanquam medium, quam ut subjectum, quodque eo ipso non est capax omnium rationum formalium, quæ in prædicta forma inveniuntur, ut in præsenti contingit. Nam species sensibiles receptæ in medio, aut in speculo, potius respiciunt illud per modum medii, quam per modum subjecti, et inhærent illi non ut ibi sistant, sed ut possint devenire ad suum proprium, et connaturale subjectum, aut quasi subjectum. Et ideo prædictæ species recipiuntur in medio, non quidem secundum *esse* intentionale, et repræsentativum, cujus non est capax; sed solum secundum *esse* naturale, et entitativum : ac proinde non tribuunt illi, quod habeat formam rei alterius. Ratio autem, propter quam prædictum medium non est capax recipiendi *esse* intentionale, et repræsentativum speciei, est, quia in idem redit, uniri speciem secundum hoc *esse*, et constituere id, cui unitur in actu primo completo, ex parte objecti requisito, in ordine ad cognoscendum prædictum objectum.

Nec deest aliquale exemplum, quo possit hoc ipsum magis elucidari. Nam in actu morali, v. g. reddendi tributum debitum, reperitur ordo naturalis prout distinctus a morali, et simul ordo moralis: et unusquisque ex his ordinibus habet suum proprium specificativum, potestque juxta probabilem multorum sententiam, manere talis actus, ut pertinet ad ordinem naturalem, absque eo, quod maneat quatenus pertinet ad ordinem moralem, ut si absque deliberatione aliqua fiat. Si ergo prædictus actus potest perseverare, secundum quod spectat ad unum ordinem, non manente eodem, ut ad alium ordinem pertinet, cur eadem species intentionalis, ut pertinet ad ordinem entitativum, et naturalem, quatenus distinctum ab intentionali, non poterit informare aliquod medium secundum hanc rationem, non informando illud, ut pertinet ad prædictum ordinem intentionalem; et affert propriam naturam sui objecti, ex eo, quod prædictum medium est incapax ex parte sui, hujus posterioris unionis, non vero illius prioris ?

§ VII.

Solvitur ultimum argumentum.

Ad ultimum. 46 Ad ultimum, quod fusiori indiget solutione, concedendum est antecedens quoad omnes ejus partes : ita tamen, ut quoad primam, in qua dicitur, speciem intelligibilem esse accidens quoddam spirituale, et objectum illius sæpe esse substantiam, intelligatur de specie intelligibili in *esse* entitativo, et naturali, non vero in *esse* intelligibili, et repræsentativo. Et deinde neganda est consequentia. Ad cujus probationem dicendum est, quod ea, quæ conveniunt objectis ex parte formæ, et naturæ, nequeunt speciebus intentionalibus repugnare : secus tamen ea, quæ conveniunt illis, ut sunt sub modo essendi materiali, et entitativo, ut in præsenti contingit. Nam quod objectum sensibile positum supra sensum impediat sensationem, aut sentiri possit tanquam objectum, *quod* competit illi non utcunque, sed ut est sub suo modo essendi materiali, et naturali. Et ita non mirum, quod non conveniat speciei sensibili, quæ sub diverso modo essendi est forma, et natura prædicti objecti.

Per quod etiam ad confirmationem satis patet. Nam albedo, et nigredo non sunt qualitates inter se contrariæ, nisi ut sunt sub modo essendi materiali, et entitativo : non vero præcise ratione naturæ, et formæ importatæ; imo nec ratione modi essendi repræsentativi : et propterea species intentionales earum non sunt incomposibiles in eodem subjecto, aut medio. Ad confirmationem.

47 Unde D. Thom. de sensu, et sensato lect. ultima prope medium solvit ex Arist. hanc eandem confirmationem his verbis : *Hanc autem objectionem Aristot. removet in lib. de Anima, cum dicit : Et impossibile est album, et nigrum esse simul, quare nec species pati ipsorum. Et innuit solutionem per hoc, quod sit hujus, nempe sensus, et intelligentiæ, vel intellectus. Per quod datur intelligi, quod non omnino se habet in sensu, et intellectu, sicut in corporibus naturalibus. Corpus enim naturale recipit formas, secundum esse naturale, et materiale, secundum quod habent in se contrarietatem. Et ideo non potest idem corpus simul recipere albedinem, et nigredinem : sed sensus, et intellectus recipiunt formas rerum spiritualiter, et immaterialiter, secundum esse quoddam intentionale, prout non habent contrarietatem. Unde sensus, et intellectus, simul possunt recipere species sensibilium contrariorum : cujus simile potest videri in diaphano, quod in una, et eadem sui parte immutatur ab albo, et nigro : quia immutatio non est materialis, secundum esse naturale, ut supra dictum est.* Expenduntur verba S. Doctoris.

Ubi etiam expendendum est (ut id obiter dicamus, et simul appareat, quam recte ista cum iis, quæ in solutione ad tertium dicebamus, cohæreant) consulto S. Doctorem solum dixisse, quod immutatio, quæ fit in medio ab albo, et nigro, potest esse in eadem parte medii : ex eo, quod immutatio illa non est materialis secundum *esse* naturale; non vero addidit, quod est secundum *esse* cognoscibile repræsentativum formaliter sumptum. Quia, ut loco citato dicebamus, species non recipiuntur in medio formaliter in *esse* cognoscibili, et ut repræsentativæ sunt, sive secundum naturam, quam repræsentant; sed solum in *esse* entitativo : quamvis non in *esse* entitativo materiali, et crasso, quod habent ipsa objecta sensibilia; sed secundum *esse* immateriale magis elevatum, minusque concernens materiam, et denique talis conditionis, ut non repugnet in eodem medio, et

et subjecto cum *esse* adhuc entitativo, et naturali, et a materia elevato quod species nigredinis secum affert.

Elucidatur amplius solutio confirmationis.

48 Potestque amplius elucidari hæc compossibilitas specierum intentionalium repræsentantium diversas naturas, quæ secundum modum essendi naturalem, quem inter se habent, sunt incomposibiles, discursu, quem loco nuper citato adducit D. Thom. necnon et Arist. 7. Metaphys. ubi etiam S. Doctor lect. 6. Nam postquam Philosophus protulit verba supra a nobis relata, scilicet : *Ab arte autem fiunt, quorum species in anima est, speciem autem dico, quodquid erat esse cujuslibet*, statim explicaret, quomodo licet formæ aliquæ artificiatæ sint inter se incomposibiles, ut sunt sub modo essendi naturali in se ipsis; non tamen ut sunt in intellectu ; quamvis ibidem sit quidditas talium formarum, inter se alias incomposibilium, addidit : *Etenim contrariorum modo quodam eadem species, privationis enim substantia, quæ substantia est oppositi, ut sanitas infirmitatis, illius enim absentia ostenditur infirmitas.*

49 Quæ verba sic explicat D. Thom. ibidem. *Dicit ergo primo, quod illa fiunt ab arte, quorum species factiva est in anima. Per speciem autem exponit, quodquid erat esse cujuslibet rei factæ per artem, etc.* et fere statim subjungit : *Hæc autem forma, quæ est in anima, differt a forma, quæ est in materia. Nam contrariorum formæ in materia sunt diversæ, et contrariæ : in anima autem est quodammodo una species contrariorum : et hoc ideo, quia formæ in materia sunt propter esse verum formatarum. Formæ autem in anima sunt secundum modum cognoscibilem, et intelligibilem : esse autem unius contrarii tollitur per esse alterius : sed cognitio unius oppositi non tollitur per cognitionem alterius; sed magis juvatur. Unde formæ oppositorum in anima non sunt oppositæ, quinimo substantia, id est, quodquid erat esse privationis, est eadem cum substantia oppositi* (intellige per modum rationis superexcedentis, quæ per se primo affert naturam oppositi positivi, licet innuat, et repræsentet consequenter ipsam privationem, ut ex iis, quæ ex eodem D. Thom. art. 9. et 10. hujus quæst. et in hoc eodem dub. diximus, constat). *Sicut eadem* (prosequitur sanctus Doctor) *est ratio in anima sanitatis, et infirmitatis. Per absentiam enim sanitatis cognoscitur infirmitas. Sanitas autem, quæ est in anima, est quædam ratio, per quam cognoscitur sanitas, et infirmitas.*

Defenditur solutio num. 11. tradita.

Quare solutio ibidem data, tam ad hoc ultimum argumentum, quam ad ejus confirmationem, et modo explicato intellecta, est optima. Et ad probationem in contrarium negandum est antecedens. Ad cujus probationem concessa majori, juxta ea tamen, quæ § præcedenti diximus, neganda est minor, si intelligatur de specie in ratione speciei formaliter sumpta, et de *esse* repræsentativo, ut dicit modum essendi diminutum, aut secundum quod distinguitur a forma, quæ sub illo modo essendi ibidem continetur : quia, ut ex dictis constat, constitutivum prædictæ speciei est forma, et natura illa ibidem contenta.

50 Nec quoad hoc obstat id, quod ibidem tangitur, scilicet species intentionales esse per se primo institutas ad repræsentandum. Nam, ut nostri Complut. loco citato docent, debet intelligi de eisdem speciebus, ut dicunt naturam repræsentatam, et sub modo essendi repræsentativo.

Additamentum primum contra illam.

Ex quo ad id, quod primo loco additur, dicendum est, hunc modum essendi repræsentativum nec pertinere ad naturam objecti, aut ad ejus speciem intelligibilem formaliter consideratam in *esse* cognoscibili , tanquam aliquid essentiale, aut propriam passionem; sed tanquam modum essendi illius : qui comparatur ad ipsam secundum se sumptam, per modum accidentis prædicabilis, virtualiter ab illa distincti : siquidem, ut nuper dicebamus, eademmet natura albedinis, vel lucis existentis in pariete sub modo essendi naturali, non est ibidem sub modo essendi repræsentativo, et diminuto, et est in specie intentionali sub prædicto modo essendi repræsentativo, non vero sub modo essendi naturali.

Unde prædicta lux ex parte formæ, et naturæ, et cum præcisione sumpta abstrahit ab hoc, quod est esse sub modo essendi naturali , intentionali, et repræsentativo, et dicit prædicata essentialia lucis, prout abstrahunt ab hoc, quod est esse re ipsa, et ad extra actum perspicui, ut perspicuum est (per quod propria ratio ejus, ut est sub modo essendi naturali, explicatur) vel ab hoc, quod est eademmet prædicata esse intelligibiliter, aut sensibiliter actum perspicui, seu ab hoc , quod est illamet prædicata ibidem contenta, esse principium sentiendi, aut intelligendi eandem lucem, ut est actus perspicui ad extra.

51 Nec obest id, quod ibidem adducitur, ad probandum modum hunc essendi

non posse per modum accidentis cum natura in specie intentionali repræsentata comparari. Et ratio est. Nam licet modus iste essendi repræsentativus sit aliquo modo intimior, quam propriæ passiones talis naturæ, quatenus minus ab ea distinguitur, quoties prædicta natura est sub illo: attamen deficit a ratione propriæ passionis propter ea, quæ modo dicebamus, scilicet quia natura potest omnino connaturaliter esse in aliquo sine illo: ut dum est sub modo essendi naturali, non vero sub repræsentativo.

Additamentum secundum.

Ad illud vero, quod secundo loco additur, respondetur, maximam illam esse universaliter veram in creatis, quoties aliqua identificantur cum aliquo tertio, ut est sub modo essendi naturali, finito, et limitato; non vero quoties identificantur cum tertio, ut ex se præscindit a modo essendi tam naturali, quam intentionali, et repræsentativo. Nam sicut est proprium essentiæ divinæ, quia divina est, quod cum illa, ut dicit suum modum essendi naturalem identificentur tres personæ divinæ, et tamen non identificentur inter se, ita est proprium cujuslibet naturæ, quod cum illa, ut præscindit a diversis istis modis essendi, possint identificari modus essendi naturalis proprius illius, et modus essendi repræsentativus; quamvis isti inter se non identificentur. Et ratio est. Tum quia, ut ex D. Thom. dicebamus, sicut est proprium naturæ divinæ esse in tribus personis, ita est proprium cujuslibet naturæ, ut possit esse in se, et ad extra, et simul in intellectu mediante specie: et sicut personæ divinæ inter se opponuntur, ita in creatis modus essendi naturalis objecti repræsentati per speciem, et modus repræsentativus habent inter se suam incomposibilitatem.

52 Tum etiam: quia, ut ex D. Thom. quæst. 1. de verit. art. 2. dicebamus, *esse* hoc intentionale, et repræsentativum diminutum provisum est in remedium defectus, et limitationis, quam *esse* naturale, et modus essendi illius in creatis importat, quatenus secundum prædictum *esse* nequit eadem prorsus forma, et natura, secundum ea, quæ ex parte formæ dicit, esse in se ipsa, et in cognoscentibus a se diversis; bene tamen sub modo essendi intentionali, et repræsentativo, ac proinde sicut prædicta forma dum est in se ipsa, et sub modo essendi naturali, identificatur cum illo modo essendi, ita dum est in specie, et sub modo essendi intentionali, et repræsentativo, debet identificari cum illo: cum tamen prædicti modi essendi, quos natura illa in specie habet, et in se retinet, non sint inter se, prout sic, identificati, ut ex se patet.

Animadversio.

Diximus *prout sic*, ut denotaremus, quod etiam modus essendi naturalis, ut se tenet ex parte rei repræsentatæ, et repræsentatur una cum natura per speciem, atque adeo prout est sub modo essendi repræsentativo, elucens in specie intentionali, potest etiam cum modo essendi repræsentativo identificari, ut intuenti constabit: tunc tamen potius se habet per modum objecti repræsentati, quam per modum puri, et præcisi modi essendi.

Ad illud autem, quod ultimo loco additur, neganda est sequela. Et ad probationem dicendum est, longe mirabilius esse, quod eademmet natura, ut est sub suo modo essendi naturali, sit in tribus personis identificata cum illis, ut habent modum essendi naturalem, quam quod aliqua natura, ut præscindit a modo essendi tam naturali, quam intentionali, sit identificata cum modo essendi naturali, et innumeris aliis modis essendi intentionalibus, et repræsentativis, quantumvis talis natura sit individuata, et supposita, dummodo natura sic individuata, et supposita consideretur sub dicta præcisione. Et ratio est. Quoniam ad illud prius requiritur infinitas in natura; secus vero ad hoc posterius, ut ex dictis satis liquet.

DUBIUM II.

Utrum cognoscentia non solum habeant formam rei alterius, sed etiam fiant per identitatem aliæ res in esse *cognoscibili, sive repræsentativo?*

53 Dubium hoc propter eandem rationem movemus, propter quam præcedens excitavimus. Quia nimirum D. Thom. in hoc artic. ad melius, et clarius ostendendum, Deum esse summe intelligentem, ac proinde summe scientem, non solum inquit, proprium esse cognoscentium habere formam rei alterius, sed etiam, ut statim explicabimus, innuit, quod cognoscentia fiunt per identitatem aliæ res in *esse* cognoscibili. Quare, quia exactior notitia modi habendi formam rei alterius, qui rebus cognoscentibus convenit, necnon plura ad ordinem cognoscitivum, et cognoscibilem spectantia,

spectantia, ex decisione, et excussione hujus dubii valde pendent, propterea in præsenti una cum discipulis D. Thom. illud excitamus, et accurate ipsum discutere conabimur. Et licet in tractatu de Visione Dei aliqua huc pertinentia tetigerimus; quia tamen pluribus objectionibus contra doctrinam D. Thom. ab adversariis adductis non potuit ibi occurri, nec mens ejusdem S. Doctoris exacte explicari, ideo de hoc in præsenti, ut in proprio loco agendum nobis est.

§ I.

Pro explicatione tituli aliqua prælibantur.

Notabile primum.

54 Verum quia, sicut certum est, non esse necessarium cognoscentia habere formam rei naturalis in *esse* entitativo, et naturali, sed in *esse* repræsentativo, sive cognoscibili, ita etiam dubitari nequit, quin eadem cognoscentia non fiant res cognoscibiles in *esse* entitativo, et naturali, prout *esse* hoc ab *esse* repræsentativo, sive cognoscibili distinguitur; ideo non dubitamus, an cognoscentia fiant aliæ res absolute, et simpliciter, seu in *esse* naturali, et entitativo, sed cum addito, scilicet in *esse* cognoscibili.

Secundum.

Cæterum, quia idem est cognoscentia fieri res alias in *esse* cognoscibili, sive repræsentativo, ac fieri easdem res sub illo modo essendi, quem habent in specie intelligibili, ex eo, quod solum sub illo modo essendi, quem habent in specie, convenit rebus cognitis, aut cognoscibilibus, ut sortiantur illum diversum modum in *esse* repræsentativo, sive in *esse* cognoscibili; propterea in idem redit inquirere, an cognoscentia fiant aliæ res in *esse* cognoscibili, sive repræsentativo; ac quærere, utrum prædicta cognoscentia fiant ipsæmet species intentionales in *esse* cognoscibili, aut repræsentativo sumptæ, ita ut non solum habeant utcunque fieri tales species, sed ita intime cum eis, modo dicto consideratis, uniantur, ut sub dicto modo essendi fiant idem cum illis per identitatem, ac proinde etiam fiant sub eodem modo essendi repræsentativo, sive cognoscibili, idem cum re cognita, quæ alias in *esse* naturali est extra intellectum.

Ratio præcedentis notabilis quoad ultimam partem.

55 Nam cum talis res, et species intentionalis ejus, modo dicto sumptæ, sint ejusdem naturæ, seu (ut melius loquamur) species intentionalis illius sit ipsamet forma, et quidditas talis rei, in idem redit, cognoscentia fieri sub diverso modo essendi ipsammet speciem intentionalem, quoad naturam repræsentatam, quam affert, et fieri sub prædicto modo essendi eandemmet naturam, quæ alias sub modo essendi naturali est extra intellectum.

Quamvis in hoc sit sua disparitas. Quoniam species est id *quo* intellectus unitur cum suo objecto, quia est id quo redditur intelligibile; objectum vero est quid unitum, ut *quod*, quoniam est intelligibile, ut *quod*; atque adeo, si semel datur identificatio, de qua in titulo fit sermo, tunc talis identitas erit cum objecto, tanquam cum extremo, *quod* illius, et cum specie erit (ut sic dicamus) tanquam cum extremo *quo*, et virtute; seu vicaria objecti, in quo ejus natura tanquam in vicegerente, et vicario intelligibiliter, et modo supra explicato, continetur.

Notabile tertium.

Addidimus autem in titulo particulam illam, *In esse cognoscibili sive repræsentativo*, quia licet multoties Doctores utrumque *esse* confundant, et utroque nomine tanquam synonymo videantur uti, et nos etiam cum illis aliquando utrumque *esse* pro eodem sumpserimus; non tamen sunt omnino idem, ut in tractatu de Visione Dei art. 2. tetigimus, et a num. 24. usque ad 38. hujus disp. magis explicuimus.

§ II.

Refertur prior sententia.

56 Prima sententia negat, cognoscentia fieri res cognitas per identitatem cum illis, etiam in *esse* repræsentativo, aut cognoscibili, seu (quod idem est) fieri, aut esse idem per identitatem cum speciebus intentionalibus, quovis modo consideratis. Hanc tenent omnes, quos pro contraria sententia dub. præcedenti retulimus.

Probatur primo.

Probatur primo, testimonio D. Thom. in 1. dist. 35. quæst. 1. art. 1. ad 3. his verbis: *Oportet, quod hæc species, quæ est intellecta in actu, perficiat intellectum in potentia, ex quorum conjunctione efficitur unum perfectum, quod est intellectus in actu: sicut ex anima, et corpore efficitur unum, quod est homo habens operationes humanas. Unde sicut anima non est aliud ab homine, ita intellectum in actu non est aliud ab intellectu intelligente actu, sed idem: non tamen ita quod species illa fiat substantia intellectus, vel pars ejus, nisi formalis, sicut nec anima fit corpus.*

Ubi ut vides, eodem modo negat, spe-

ciem rei intellectæ, aut rem ipsam intellectam fieri idem cum intellectu, quo negat animam fieri corpus. Quare cum anima, quovis modo considerata, non fiat per identitatem corpus, quantumvis illi uniatur, ita nec species fiet per identitatem ulla ratione intellectus, ac proinde, nec intellectus poterit fieri per identitatem ipsamet species rei intellectæ, ut ex se constat.

Confirmatur primo.

57. Confirmatur, et explicatur. Nam species intelligibilis, v. g. quovis modo considerata, non unitur intellectui, nisi eo modo, quo accidens, vel forma unitur per inhærentiam, aut informationem cum suo subjecto : ergo intellectus nequit fieri idem per identitatem cum eadem specie intelligibili quovis modo sumpta, ac proinde nec poterit ulla ratione fieri idem per identitatem cum re intellecta. Hæc secunda consequentia constat ex prima, et ex iis, quæ in explicatione tituli § 1. dicebamus. Prima autem ex antecedenti aperte sequitur. Quoniam subjectum suscipiens per inhærentiam, aut informationem, aliquam formam, non fit talis forma per identitatem : et ita ignis mediante inhærentia suscipiens suum calorem, non fit calor, nec materia Petri recipiens eandemmet formam, per quam Petrus constituitur, fit identice prædicta forma. Antecedens autem videtur perspicuum. Quoniam species intelligibilis secundum omnia, quæ habet, educitur de potentia intellectus; alioqui secundum aliquid sui crearetur : ergo secundum omnia, quæ in ea sunt, unitur intellectui, non alio modo, nisi eo, quo accidens, vel forma unitur cum suo subjecto : siquidem forma, secundum omnia, quæ habet, educta de potentia subjecti non aliter unitur cum eo, nisi modo isto, ut inductive constat.

Confirmatur secundo.

Confirmatur secundo. Nam efficacior est forma naturalis, quam forma intentionalis, siquidem illa habet plus de entitate, et perfectione quam ista : sed forma naturalis non potest ita intime uniri cum suo susceptibili, ut tale susceptibile trahatur ab illa ad hoc, ut fiat ipsa forma, aut e contra : ergo neque etiam forma intentionalis poterit uniri ita intime cum suo susceptibili, ut unum fiat aliud : atque adeo fiant idem per identitatem in *esse* intentionali.

Solutio.

58. Nec refert, si cum Cajetan. loco infra citando, respondeas, speciem posse considerari vel in *esse* entitativo, et naturali, vel in *esse* repræsentativo, aut cognoscibili : et secundum priorem rationem inhærere, aut informare subjectum, ac proinde non posse fieri secundum hanc rationem idem per identitatem cum illo, aut e contra; secus tamen secundum posteriorem. Quia secundum istam, per accidens, et materialiter habet, quod sit substantia, vel accidens. Nam aliquando est accidens, ut in nobis contingit, et in quovis Angelo respectu rerum a se distinctarum; aliquando vero est substantia, ut in substantia Angelica, et essentia divina habentibus rationem speciei intelligibilis respectu sui cernitur : et ita sic considerata non habebit esse in intellectu per modum formæ inhærentis, aut re vera informantis per informationem petentem distinctionem realem actualem inter formam actu informantem, et suum susceptibile, sed alio modo altiori, et eminentiori, scilicet per identitatem se se cum illo unientis.

Impugnatur primo.

Nam contra hoc est. Tum, quod doctrina hæc non potest applicari ad potentias sensitivas, et species intentionales earum : quia species visibiles, v. g. non possunt non esse accidentia, ex eo, quod objectum visibile non valet per se ipsum uniri visui, ut in Angelis, respectu cognitionis sui, et in beatis respectu cognitionis Dei, contingit : et ita necesse est, ut per aliquid illius vicem gerens, quodque loco illius active in visionem immediate influat, atque adeo per aliquam qualitatem uniatur.

Impugnatur secundo.

59. Tum etiam; quia adhuc loquendo de speciebus intelligibilibus, et de intellectu nostro, solum potest ex hac solutione colligi, quod objectum intelligibile formaliter sumptum, non habeat a ratione intelligibilis, ut sic, uniri intellectui per inhærentiam, aut veram informationem excludentem unionem per identitatem : (siquidem essentia Angeli non unitur per inhærentiam cum suo intellectu, neque essentia Dei cum intellectu divino vel inhærendo, vel per aliquam informationem excludentem identitatem) non tamen, quod intelligibile ab intellectu humano, formaliter sumptum, non uniatur illi per inhærentiam specierum intelligibilium, quovis modo consideratarum : ergo ex vi hujus solutionis non enervatur robur argumenti facti.

Consequentia patet, antecedens vero probatur. Nam sicut ex hoc, quod species intelligibilis aliquando sit infinita, ut in Deo, aliquando finita, ut in nobis, non sequitur, speciem intelligibilem intellectus humani ei connaturalem abstrahere a finitate, vel infinitate, sed solum, quod species intelligibilis, ut sic, abstrahens a creata, et increata, præscindat ab hoc,

hoc, quod est esse finitam, vel infinitam : ita ex eo, quod eadem species in Deo sit libera a quovis modo unionis excludente identitatem, et in Angelis aliquando non importet inhærentiam, non sequitur speciem intelligibilem intellectus humani, quovis modo sumptam, non petere inhærentiam, siquidem species illius per se, et ab intrinseco habent non esse actus puri, ut in Deo contingit : et quod saltim pro hoc statu substantia animæ non uniatur cum suo intellectu per se ipsam in ratione speciei intelligibilis, ut in Angelis accidit.

Secundo, et principaliter probatur eadem sententia probatur.

60 Secundo, et principaliter probatur eadem sententia, et simul data solutio tam huic, quam reliquis argumentis hujus sententiæ enervatur. Quoniam id per se habet objectum intelligibile, aut objectum cujusvis potentiæ, ut tale, est, quod per se petit potentia in eo reperiri : at potentia intellectiva humana per se petit, quod objectum, ac proinde species gerens ejus vices, non uniatur illi per identitatem, sed per inhærentiam, et informationem : ergo prædictum objectum, atque adeo species intelligibilis illius formaliter, et in *esse* intelligibili, aut repræsentativo sumpta, hoc ipsum habebit. Major cum consequentia sunt notæ.

Minor autem probatur. Nam intellectus noster est in infimo intellectualitatis gradu : ergo cum intellectus divinus nullo modo sit in potentia receptiva in ordine ad actum primum, aut secundum, scilicet speciem intelligibilem, et intellectionem, et intellectus Angelicus sit in potentia ad actum secundum, licet non ad actum primum, ex eo, quod habet sibi naturaliter congenitas species intelligibiles omnium rerum universi, fiet inde, ut intellectus noster, qui est in infimo intellectualitatis gradu, per se, et ab intrinseco habeat, quod sit in potentia receptiva in ordine ad actum primum, scilicet objectum, et speciem intelligibilem, gerentem vicem illius : atque adeo per se, et ab intrinseco petet, quod objectum, et per consequens prædicta species formaliter sumpta non uniatur illi per identitatem, sed per modum formæ inhærentis, et informantis : siquidem est in potentia receptiva realiter separabili a sua forma, et quod sic est in potentia, per se petit uniri cum illo media inhærentia, et non per identitatem, ut inductive constat.

61 Quod argumentum cum proportione applicatum, videtur etiam convincere intentum de intellectu Angelico : siquidem intellectus ejus ita comparatur ad species intelligibiles, naturaliter ei congenitas, et formaliter, ac in *esse* intelligibili, aut repræsentativo sumptas, ut possit ab eis sic acceptis separari, saltim per divinam potentiam : constat autem nullum esse majus signum distinctionis realis inter duo ad invicem unita, atque adeo unionis non intimæ, ut pertingat ad identitatem, quam quod possint ad invicem separari : ergo, etc.

Corroboratur primo.

Confirmatur primo. Quia intellectus creatus antequam uniatur cum objecto, et specie intelligibili illius in *esse* repræsentativo, aut intelligibili sumpta, erat realiter distinctus ab utroque : ergo postquam unitus est cum illis, manebit distinctus ab eisdem : ac proinde non unitur cum ipsis per identitatem. Antecedens, et hæc secunda consequentia sunt satis perspicua. Prima vero ex antecedenti aperte sequitur. Nam ea, quæ semel sunt distincta, non possunt ita inter se uniri, ut fiant unum, et idem per identitatem, si tamen utrumque eorum cum propria entitate maneat, ut in præsenti contingit : siquidem tota ratio, propter quam antea erant distincta, erat propria entitas ipsorum : et ita si hæc in utroque manet, non possunt non manere distincta.

Corroboratur secundo.

62 Confirmatur secundo. Nam objectum intelligibile sæpe non existit, dum intelligitur : ergo tunc non potest intercedere vera, et realis unio, et identitas inter ipsum, et intellectum. Patet consequentia. Quia nihil potest uniri, et multo minus identificari cum re non existente.

Corroboratur tertio.

Confirmatur tertio. Nam propterea substantia panis peracta consecratione fit Corpus Christi, quia panis non manet, sed convertitur in Corpus Christi : ergo cum facta unione inter intellectum, et objectum, ac speciem intelligibilem formaliter sumptam, maneant omnia ista cum propria entitate, consequens erit, ut nequeant aliqua ratione ita uniri, ut fiant unum, et idem per identitatem.

Tertio, et principaliter eadem sententia probatur.

63 Tertio. Quoniam intellectus quantumvis unitus cum specie intelligibili, dicit relationem realem tertii generis ad objectum intelligibile, quatenus tale : ergo non potest fieri unum per identitatem cum illo : ac proinde nec cum specie intelligibili ipsius formaliter sumpta, quæ secundum hanc rationem est ipsamet quidditas, et ratio sui objecti. Hæc ultima consequentia ex prima liquet. Prima vero ex antecedenti. Quoniam relatio realis petit extrema realiter distincta. Antecedens autem videtur certum. Nam intellectus, quantumvis unitus

cum specie intelligibili, formalissime, et in *esse* intelligibili sumpta comparatur cum re intelligibili tanquam propria potentia intellectiva, et completa cum suo objecto : at quævis potentia completa refertur ad suum objectum relatione reali tertii generis, scilicet mensurabilis ad mensuram : ergo, etc.

Quarto. 64 Quarto. Nam vel prædicata essentialia speciei, adhuc in *esse* repræsentativo sumptæ, fiunt prædicata essentialia intellectus, vel non? Si primum, ergo intellectus, qui est pura potentia in genere intelligibilis, erit essentialiter actus, et forma in hoc ordine, quod est contra naturam puræ potentiæ, cui non potest convenire per modum prædicati essentialis, ut includat actum, aut sit actus illius ordinis, in quo habet rationem puræ potentiæ : sicut repugnaret materiam primam esse actum, aut essentialiter includere actum in ordine entitativo, et substantiali, ex eo, quod ipsa essentialiter est pura potentia in hoc ordine. Si autem secundum dicatur, ergo intellectus non fit unum, et idem per identitatem cum objecto intelligibili, aut specie illius, adhuc in *esse* intelligibili consideratis : siquidem ea, quæ sunt unum, et idem per identitatem, habent una, et eadem prædicata essentialia : nam si haberent prædicta prædicata ex natura rei diversa, nequirent esse unum, et idem per identitatem.

Quinto. Quinto. Nam hic urget id, quod supra tetigimus, scilicet ex opposito sequi, intellectum Petri, et Pauli identificari inter se, quod est plane falsum. Patet consequentia. Quoniam quæ sunt idem uni tertio, sunt idem inter se : sed uterque intellectus identificatur eodem objecto intelligibili, et cum eadem specie formaliter sumpta, ut contingit dum uterque intelligit eandem naturam : ergo uterque identificabitur inter se.

Ultimo. 65 Ultimo. Nam essentia divina unitur cum intellectu beati in ratione specie intelligibilis, et in *esse* intelligibili formaliter sumptæ : et nihilominus intellectus beati non unitur cum illa per identitatem ; ergo species intelligibilis, seu objectum intelligibile, ut tale, non unitur cum intellectu per identitatem. Consequentia cum majori ex se constant. Minor autem videtur perspicua. Tum, quia non potest unum, et idem esse simul, et per identitatem creatum, et increatum, ut ex terminis ipsis patere videtur : alioqui simul esset finitum, et infinitum, necnon ens per essentiam, et per participationem. Tum etiam : quia implicat, ut aliquid creatum habeat tantam perfectionem, ut repræsentet essentiam divinam prout est in se, ut constat ex iis, quæ in tractatu de Visione Dei art. 2. diximus : ergo multo magis repugnabit, quod sit idem per identitatem cum divina essentia, quovis modo sumpta : siquidem non minus requiritur ad hoc, ut aliquid sit idem per identitatem cum essentia Dei, quam ad hoc, ut repræsentet illam prout est in se : ergo si illud prius est supra omnem capacitatem rei creatæ, etiam hoc posterius ejus capacitatem excedet.

§ III.

Sententia Arist. et D. Thomæ eligitur.

Conclusio. 66 Dicendum tamen est, cognoscentia fieri per identitatem res cognitas, non quidem in *esse* naturali, et entitativo, ac proinde simpliciter, et absolute, sed quodammodo, seu cum addito, et secundum quid, id est, sub alio modo essendi, scilicet sub *esse* repræsentativo, aut cognoscibili : seu (quod idem est) fieri per identitatem, et modo supra num. 55. insinuato, et num. 83. et deinceps hujus dubii amplius explicando ipsasmet species intentionales, non quidem in *esse* rei, sed in *esse* cognoscibili, aut repræsentativo sumptas, secundum quam rationem dicunt ipsummet objectum sub alio modo essendi.

Ita Arist. 3. de Anima, text. 37. his verbis : *Nunc autem de anima dicta recapitulantes, dicamus iterum, quod omnia ea, quæ sunt, quodammodo est anima aut enim sensibilia, quæ sunt, aut intelligibilia. Est autem scientia quidem, scibilia quodammodo, sensus autem sensibilia.*

Quæ verba sic explicat D. Thom. lect. 13. *Dicit ergo primo, quod nunc recapitulantes, quæ dicta sunt de anima, ut ex his propositum ostendamus, dicamus, quod omnia quodammodo est anima. Omnia enim, quæ sunt, aut sunt sensibilia, aut intelligibilia ; anima autem est quodammodo omnia sensibilia, et intelligibilia : quia in anima est sensus, et intellectus, sive scientia ; sensus autem est quodammodo ipsa sensibilia, et intellectus intelligibilia.*

Ubi, ut vides, tam Arist. quam D. Thom. tribuunt sensui, et intellectui, ut quodammodo, seu in *esse* cognoscibili, aut repræsentativo (quod cum præcisione sumptum est esse secundum quid) fiant idem per identitatem cum re sensibili aut intelligibili : quia ut ex dictis § præcedenti constat,

stat, quando forma non identificatur quodammodo, id est, secundum aliquod *esse* cum illo, cui unitur, tunc istud non potest dici fieri illam, aut esse secundum aliquod *esse* ipsammet formam : sicut propter hanc rationem materia unita suæ formæ, aut ignis suo calori, non dicuntur *fieri*, aut *esse* prædictæ formæ.

67 Quod etiam docuit idem Arist. text. 38. dicens : *Necesse est autem aut ipsa, aut species, esse : ipsa quidem igitur non sunt. Non enim lapis in anima est, sed species*, ubi D. Thom. lectione citata : *Ostendit, quod alio modo est omnia, quam antiqui ponerent, et dicit, quod si anima est omnia, necesse est quod sit vel ipsæ res scibiles et sensibiles ; sicut Empedocles posuit, quod terram terra cognoscimus, et aquam aqua, et sic de aliis, aut sit species ipsorum ; non autem anima est ipsa res, sicut illi posuerunt : quia lapis non est in anima, sed per species lapidis. Et per hunc modum dicitur intellectus in actu esse ipsum intellectum in actu, in quantum species intellecti, est species intellectus in actu.* Id est, in quantum species intellecti, quæ est idem secundum naturam cum illo, est etiam species intellectus in actu identificata cum ipso in ratione speciei.

Et tandem hoc ipsum docet Angelicus Doctor in hoc art. et de verit. quæst. 2. art. 2. et 1. contra Gent. cap. 44. et alibi sæpe. Et ita hanc sententiam sequuntur Cajetan. in hoc art. et quæst. 79. art. 2. Zumel, et Bannez in præsenti, quos refert, et sequitur Gonzalez in præsenti disp. 34. sect. 2. num. 13. idem etiam tenent Nazarius in hoc eodem art. et sapientiss. noster Magister Petrus Corneio Carmelitanæ familiæ fulgentissimum sidus, in præsenti disp. 1. dub. 4. num. 23. et tandem juniores, et probatiores Thomistæ hoc ipsum communiter docent.

Explicatio assertionis.

68 Explicatur assertio. Etenim in ea tantum cum D. Thom. volumus, quod cum in specie intentionali sint illa duo genera essendi, dubio præcedenti explicata, nimirum *esse* entitativum, et naturale, et *esse* intentionale formaliter, et in *esse* cognoscibili sumptum : inde est, quod prædicta species diversimode uniatur cum potentia secundum hoc duplex *esse*. Ita quidem, ut secundum illud prius uniatur vel per inhærentiam, vel eo modo, quo subjectum substantiale unitur cum suo accidenti, ut in substantia Angelica respectu proprii intellectus contingit : at secundum posterius *esse* unitur cum eodem intellectu ita intime, ut maneant inter se identificata, et proportionali modo, quo in opinione probabili multorum motus ita intime unitur cum termino, ut hoc ipso, quod illum quasi afficiat, maneat cum eo identificatus. Quamvis inter exemplum, et rem, de qua agimus, sit magna diversitas, ut ex infra dicendis patebit : et propterea num. 87. exemplum aliud satis accommodatum, et (ut sic dicamus) ad vivum rem istam exprimens, adducemus.

§ IV.

Vera Philosophi, et D. Thomæ sententia rationc fundamentali fulcitur.

Prior ratio pro assertione.

69 Ratio autem prior, et fundamentalis hujus assertionis tacta est supra, et insinuatur a D. Thom. in hoc art. et 1. part. quæst. 50. art. 2. ad 2. et aliis locis citatis. Quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam cognoscentia debent cum rebus cognitis, ut habent *esse* in specie cognoscibili formaliter sumpta, et sub illo modo essendi, quem in illa habent, seu (quod idem est, modo tamen supra num. 55. insinuato) cum prædicta specie sic accepta uniri per unionem immaterialem, et elevatiorem, saltim secundum quid, quam sit unio, per quam uniuntur formæ naturales cum suis objectis ; ergo res cognitæ, ut habent esse cognoscibile in speciebus cognoscibilibus, et sub modo essendi prædicto, seu species ipsæ formaliter, et modo dicto sumptæ, non uniuntur cum cognoscentibus mediante inhærentia, aut informatione : ergo uniuntur cum illis per identitatem quodammodo, et cum addito talem, scilicet in *esse* repræsentativo, sive cognoscibili.

Probatio ultimæ consequentiæ.

Hæc ultima consequentia patet ex priori. Quia forma, ut unita formaliter, in ratione formæ (ut in præsenti contingit, ex eo, quod species unitur cum intellectu in ratione formæ intelligibilis) non unitur, nisi per unionem, quæ sit per inhærentiam, aut informationem, aut tandem sit talis, ut pertingat ad unionem per identitatem. Nam hoc ipso, quod ibi interveniat distinctio realis actualis in aliquo ordine, non potest non in illo esse vera inhærentia, aut informatio : siquidem forma illa vere se communicaret per modum formæ suo sus-

ceptibili, et tale susceptibile vere susciperet illam, et nequeunt hæc inter formam, et suum susceptibile, quæ realiter actualiter distincta manent, exerceri, quin ibi sit vera, et propria causalitas formæ, veraque, ac propria inhærentia, vel informatio, ut ex se, et inductive constat: ergo si forma, seu species cognoscibilis non unitur cum cognoscentibus per inhærentiam, aut informationem, unietur cum illis per identitatem : cumque talis unio non sit in *esse* entitativo, et naturali, sed in *esse* repræsentativo, sive cognoscibili, quod est *esse* quodammodo, et secundum quid, scilicet in ordine intelligibili, fiet inde, ut talis unio non sit per identitatem simpliciter, et absolute, sed per identitatem quodammodo talem, nimirum intra lineam *esse* repræsentativi, seu cognoscibilis.

Suadetur prima consequentia.

70 Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Nam illa major elevatio, per quam res, seu species cognoscibilis unitur cum cognoscente, consistit in hoc, quod ita uniatur cum eo, ut cognoscens non limitet, et coarctet illam ad hoc, ut in *esse* cognoscibili sit hæc, et non illamet forma, quæ in *esse* naturali est in re cognita, ut ex dictis disput. præcedenti num. 22. et ex dicendis a numero sequenti usque ad 84. hujus disp. liquet : et ideo si talis species repræsentet aliquam naturam plene, et universaliter secundum quod in potentia ambit omnia individua, non restringit illam ad hoc, ut quoad naturam, quatenus est sub illo *esse* repræsentativo, sit *hæc*, et individua, ut ex dictis disp. 1. num. 23. usque ad 26. constat : ergo signum est hanc unionem non esse per inhærentiam, aut informationem : quandoquidem, ut ibidem dicebamus, forma, quæ unitur per inhærentiam, aut informationem, limitatur ad hoc, ut sit *hæc*, et non *illamet*, quæ est in alio, et similiter ad hoc, ut sit *hæc*, et individua, quoad naturam, quam importat.

Antecedens primi, et principalis enthymematis ostenditur.

Antecedens autem ex dictis loco citato, num. 20. et deinceps satis constat. Quoniam sicut cognoscentia, ut talia, sunt immaterialia, et elevata supra conditiones materiæ, ita debent uniri cum rebus, seu formis cognoscibilibus, per unionem immaterialem, et elevatiorem, quæ sit supra conditiones unionis per modum materiæ, et subjecti formaliter sumpti.

Explicatio præcedentis rationi D. Thom.

71 Explicatur hoc ratione, quam insinuat D. Thom. quæst. illa 2. de veritate art. citato. Nam *esse* intentionale, sive cognoscibile est *esse* modo dicto elevatum, et ex se amplum, et indeterminatum, quatenus non tollit quominus forma sub illo sit eademmet, quæ est in alio sub *esse* naturali : et ita prædictum *esse* provisum est a natura in remedium *esse* naturalis, et entitativi, quod quidem est ita coarctatum, et limitatum, ut secundum illud nequeat eadem forma esse in pluribus : ergo illud, cui *esse* intentionale per se, et directe unitur, si formaliter, et in *esse* extremi hujus unionis consideretur, non debet concurrere ad illam per modum subjecti, et materiæ, sed alio elevatiori modo, ac proinde, ut extremum identificabile cum forma, cum qua unitur.

Probat prima consequentia.

Antecedens ex supra dictis loco nuper citato constat. Prima vero conseq. ex antecedenti videtur sequi. Nam sicut forma ipsa abstrahit secundum suum *esse* a conditionibus provenientibus a ratione materiæ, et subjecti, ut talis, scilicet a determinatione, et limitatione jam dicta, ac proinde peculiari ratione, ac aliæ formæ naturales, est elevata supra illam, et ejus conditiones, ita petit, quod id, cui unitur, peculiariter abstrahat a ratione subjecti, materiæ, et potentiæ formaliter sumptæ : ac proinde, quod non concurrat per modum subjecti, et potentiæ, sicut respectu aliarum formarum spiritualium, et in *esse* naturali sumptarum contingit : quamvis alias materialiter, et per accidens possit habere rationem subjecti, aut potentiæ, ut valeat recipere eandem speciem, et formam intelligibilem, in *esse* entitativo, et naturali sumptam.

Proba secunda

Secunda vero conseq. ex priori constat. Nam ut supra dicebamus, licet aliquid possit uniri per modum puri termini, et non uniri per informationem, inhærentiam, aut identitatem, ut constat in subsistentia Verbi unita in ratione termini cum humanitate Christi Domini; attamen nihil potest uniri cum alio in ratione formæ sive naturalis, sive intelligibilis, atque adeo in ratione virtutis agendi, quin uniatur, aut inhærendo, aut informando, aut unione ita intima, ut simul pertingat ad unionem per identitatem modo explicato, ut in tractatu de Visione Dei. art 2. tetigimus : at species

cies intelligibilis non petit uniri pure in ratione termini, tum quia hæc unio, si sit omnino pura ab omni informatione, dicit infinitatem, ut in unione prædicta Verbi ad humanitatem constat; tum etiam, quia species intelligibilis unitur in ratione virtutis agendi: ergo necessario debet uniri per prædictam unionem per identitatem, quod petitur a forma intelligibili, sive intentionali ut tali.

Objectio. 72 Nec refert, si objicias, quod species sensibilis, ut species albedinis unita visui, est singularis, et individua non solum in *esse* naturali, sed etiam in *esse* repræsentativo, sive sensibili, ut ex se constat: ergo debet secundum utrumque *esse* uniri visui, ut subjecto, et potentiæ. Patet consequentia: quia subjectum est ratio individuationis formarum.

Responsio. Respondetur enim concedendo antecedens, et negando conseq. si intelligatur de formis v. g. visibilibus, ut sunt sub modo essendi intentionali, sive cognoscibili: nam istæ sic sumptæ individuantur ab objecto repræsentato, ad extra existente: et ita quoties idem prorsus objectum repræsentaverint, sunt idem numero in *esse* cognoscibili, sive repræsentativo, seu (quod in idem quoad præsens redit) quoad naturam ibidem contentam. Et propterea omnes species sensibiles repræsentantes hanc numero albedinem, quæ in hoc numero pariete, secundum *esse* naturale residet, sunt ex parte formæ, et naturæ una numero species: sicut natura albedinis, quæ in omnibus illis reperitur, est una, et eadem sub prædicto *esse*, ut explicatum est.

Deductio amplioris confirmationis pro ratione nuper facta. 73 Ex quo etiam major confirmatio nostræ rationis deducitur. Nam si plures species repræsentent unicum, et idem tantum individuum, tunc omnes illæ species, quoad naturam ibidem contentam sunt idem numero, ut modo asserebamus, et si repræsentent duo individua solo numero diversa, tunc quoad easdem naturas in eadem specie cognoscibiliter contentas, sunt solo numero diversæ; alioqui species illæ ex parte formæ, et naturæ non essent ejusdem prorsus rationis: ergo signum est, quod tales species quoad naturas cognoscibiliter ibidem contentas, et ut sunt sub modo illo immaterialitatis indispensabiliter requisito ex vi propriæ lineæ, ut uniant objectum cum potentia, non recipiuntur in intellectu tanquam in subjecto, alioqui individuarentur ab illo, et non possent priores illæ species in diversis temporibus receptæ, seu unitæ, non esse numero diversæ, sicut nec posteriores possent esse simul in eodem intellectu; siquidem, ut constat ex iis, quæ in tractatu de principio individuationis disput. 2. num. 57. diximus, duæ formæ, accidentia, aut naturæ solo numero diversæ nequeunt esse in eodem subjecto, quatenus tali, ex eo, quod ab illo sic sumpto individuantur: ergo signum etiam erit prædictas species, sumptas quoad naturam, et modum essendi cognoscibilem, et indispensabilem, quem asserunt, ita uniri cum intellectu, ut uniantur cum eo per identitatem, non quidem absolute, et simpliciter talem, ac proinde in *esse* entitativo, sed cum addito, nempe in ordine cognoscibili: siquidem, ut ex dictis constat, nulla alia unio præter hanc superest.

§ V.

Eadem Arist. et D. Thom. sententia alia ratione stabilitur.

Posterior ratio pro assertione. 74 Secundo probatur assertio ratione alia, quam supra etiam insinuavimus, quæque ab eodem sancto Doctore in præsenti innuitur. Quoniam species, v. g. intelligibilis, si formaliter et cum præcisione eorum, quæ intra propriam lineam dicit, sumatur, tunc solum per accidens, et de materiali habet, quod sit substantia, vel accidens in *esse* entitativo, et naturali: ergo etiam solum de materiali, et per accidens habebit, quod uniatur per inhærentiam, aut informationem petentem realem actualem distinctionem inter formam, et rem informatam, aut quod uniatur cum intellectu per modum subjecti subtantialis, illum sustentantis: ergo si attendamus ad unionem, quæ ei præcise intra propriam lineam convenit, tantum erit per identitatem intra eandem lineam, scilicet in *esse* intelligibili. Hæc secunda consequentia aperte sequitur ex priori, ut constat ex iis, quæ nuper dicebamus.

Suadetur prior consequentia. Prima vero ex antecedenti constat. Quoniam hoc, quod est inhærere, solum convenit per se illi formæ, quæ per se est accidens in *esse* entitativo: sicut etiam hoc, quod est informare per veram, et propriam informationem, petentem distinctionem inter formam, et rem infor-

matam, et diversam ab inhærentia in rigore sumpta, aut sustentare per modum subjecti substantialis intellectum, solum convenit formis, aut naturis substantialibus, in *esse* entitativo talibus : et propterea solæ istæ formæ, sive accidentales, sive substantiales limitantur, ut in hac disput. num. 71. et in præcedenti num. 22. dicebamus, ab iis, in quibus suscipiuntur, solæque istæ naturæ substantiales in *esse* entitativo tales limitant formas, quas suscipiunt : ex eo, quod formæ solum limitantur per subjectum, cui inhærent, aut quod modo dicto informant, ac proinde si istæ solæ limitantur, solæ etiam ipsæ inhærebunt, aut modo dicto informabunt : ergo si species intelligibilis solum per accidens, et de materiali est accidens, vel substantia in *esse* entitativo, consequens erit, ut solum per accidens, et de materiali inhæreat, aut informet modo dicto.

Probatio primi, et principalis antecedentis.

75 Antecedens autem probatur. Tum quia species intelligibilis aliquando est substantia, aliquando vero est accidens in *esse* entitativo, et naturali, ita tamen, ut species, quæ est accidens in esse entitativo, possit esse ejusdem naturæ atomæ in ratione speciei intelligibilis cum specie, quæ in *esse* entitativo est substantia, si repræsentet idem objectum, ut de substantia Angeli Gabrielis habente rationem speciei intelligibilis respectu proprii intellectus, et de specie intelligibili quæ in *esse* entitativo est accidens, et repræsentat eundem Gabrielem, existitque in intellectu Michaëlis num. 31. dicebamus, Et propterea si daretur, quod substantia Gabrielis uniretur per se ipsam in ratione speciei cum intellectu Michaëlis sicut cum proprio intellectu per se ipsam unitur, tunc Michaël eodem modo intelligeret, eandemque secundum rationem atomam eliceret intellectionem cum tali specie substantiali, ac modo elicit, dum per speciem, quæ in *esse* entitativo est accidens, Gabrielem cognoscit.

Alia probatio ejusdem antecedentis.

76 Tum etiam : quia licet ens naturale prout distinguitur ab intentionali per se dividatur, et contrahatur per esse per se, aut in alio in *esse* entitativo ; nihilominus *esse* intelligibile formaliter sumptum, et pure intra suam lineam consideratum, non contrahitur, aut dividitur per se per hos duos modos essendi per se, aut in alio in ordine entitativo, seu per rationem substantiæ, aut accidentis hujus ordinis, sed penes majorem, vel minorem immaterialitatem per se, et ab intrinseco ab illo petitam ; et penes diversum objectum per se primo inspectum, aut ibidem contentum.

Redditur ratio præcedentis probationis.

Et ratio est. Nam sicut *esse* intelligibile solum importat, formaliter loquendo, *esse* immateriale, et unibile in ratione objecti cum virtute intellectiva ; ita per se tantum dividitur penes majorem, vel minorem immaterialitatem jam dictam, et penes distinctum objectum in *esse* intelligibili per se inspectum, et unitum cum prædicta virtute intellectiva ; non vero penes rationem essendi per se, aut in alio in ordine entitativo.

§ VI.

Solvitur primum argumentum primæ sententiæ una cum suis confirmationibus.

77 Argumenta prioris sententiæ tangunt plura in via D. Thom. satis subtilia, et non parum difficultatis, si exacte non capiantur, afferentia : quæ proinde longiorem exposcunt sermonem, et explicationem, ut mira Angelici Doctoris doctrina, quam ad sui solutionem exposcunt, exacte intelligatur : et propterea singula ex his argumentis, quorum solutio majori hac explicatione indiguerit, sigillatim in suo peculiari § solventur.

Ad primum.

Ad primum ergo ex verbis D. Thom. petitum, patet ex iis, quæ sæpe in hoc, et præcedenti dubio diximus, scilicet speciem, verbi gratia, intelligibilem pertinere ad duos ordines secundum diversas formalitates, quas habet, scilicet ad ordinem entitativum, et naturalem, prout distinguitur ab ordine intelligibili, sive repræsentativo, et simul ad ordinem intelligibilem, et secundum priorem rationem posse inhærere, aut informare, vel tandem informari a proprio intellectu, ut in essentia Angeli collata cum suo intellectu, et in *esse* entitativo accepta, videre licet. Cæterum, si in ratione speciei intelligibilis, ut ad ordinem intelligibilem præcise spectat, consideretur, tunc non petit prædictos modos unionis, qui per accidens, et materialiter eam concomitantur, sed modum unionis elevatiorem, et adeo intimum, ut quodammodo, id est, in *esse* intelligibili, maneat identificata cum intellectu, cui unitur. Unde D. Thom. attendens ad hos diversos modos unionis, convenientes speciei intelligibili, aliquando asserit uniri per inhærentiam,

inhærentiam, et informationem, et speciem sic unitam manere distinctam ab intellectu, in quo est, quemque informat, ut loco citato in argumento, et in hac quæst. art. 2. et quæst. 55. art. 1. ad 2. quæst. 85. art. 2. ad 1. quæst. 87. art. 1. ad 3. in 2. dist. 3. quæst. 3. art. 1. in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 1. ad 10. de verit. quæst. 8. art. 6. de spiritualibus creaturis, art. 8. ad 14. quodl. 11. art. 2. aliquando vero esse idem cum intellectu, et intellectum per unionem cum illa fieri illammet speciem modo dicto, ipsamque rem intellectam, ut ex locis num. 63. et 64. relatis constat.

78 Imo, quia forma intelligibilis, saltim creata, non unitur in ratione formæ intelligibilis cum intellectu, quin prius uniatur illi in *esse* entitativo aliquo ex modis assignatis, ex eo, quod prædicta unio est veluti via ad unionem illam intimiorem in *esse* intelligibili ; propterea aliquando idem sanctus Doctor inquit, formam intelligibilem, aut rem intellectam non uniri cum intellectu, aut esse idem cum illa, nisi quatenus actuatur, et informatur per illam : quia, ut dicebamus, non pervenitur ad illam unionem, nisi quatenus fit transitus per istam.

Corollarium. Ex quo etiam intelligitur, quam recte Aristot. et D. Thom. 3. de Anima text. 38. comparant animam manui : ex eo, quod sicut manus, ut loquitur Angelicus Doctor ibidem, lect. 3. est organum organorum, quia manus datæ sunt loco omnium organorum, quæ data sunt aliis animalibus ad defensionem, vel impugnationem, vel cooperimentum ; omnia enim hæc homo sibi manu præparat, ita similiter anima data est homini loco omnium formarum, ut sit homo quodammodo totum ens, quatenus mediante ea, et receptione formarum intelligibilium in *esse* entitativo sumptarum, pervenit homo ad hoc, ut uniatur cum suis formis intelligibilibus, et rebus intellectis per illam arctiorem, et intimiorem unionem, quæ fit per identitatem in *esse* intelligibili : et consequenter pervenit ad hoc, ut sit omnia intelligibiliter.

Ad primam confirmationem. 79 Ex quo ad primam confirmationem patet, negandum esse antecedens. Et ad probationem dicendum est, formam intelligibilem, quæ in *esse* entitativo est accidens, non educi per se de potentia subjecti, quatenus est forma intelligibilis, et habet puram, seu præcisam rationem talis formæ : sed solum coeduci ad eductionem sui in *esse* entitativo, et naturali sumptæ : ad hoc autem satis est, ut identificetur cum prædicto *esse* entitativo, et naturali, quod de materiali dicit. Unde non est necesse, quod secundum aliquid sui creetur, aut quod secundum *esse* intelligibile formaliter sumptum, uniatur intellectui per inhærentiam : quia ad hoc, ut tam quoad *esse* entitativum, quam quoad esse intelligibile producatur, sufficit, ut quoad illud educatur, et quoad istud coeducatur ratione illius : et ad hanc coeductionem non requiritur, ut in *esse* intelligibili inhæreat ; sed satis est, ut modo insinuato *esse* entitativum, et intelligibile prædictæ speciei identificentur.

Ad secundam. 80 Ad secundam vero confirmationem patet etiam ex dictis, quomodo licet quoad unionem per inhærentiam, aut informationem sit efficacior forma naturalis, quam intelligibilis ; attamen quoad unionem per identitatem quodammodo talem, seu in *esse* intelligibili, efficacior est forma intelligibilis, quam naturalis, et hanc efficacitatem non convenire formæ ratione majoris entitatis, sed ratione talitatis (ut sic dicamus) ejusdem formæ, consistentis in hoc, quod sit forma intelligibilis, ut talis.

Approbatur solutio præcedenti argumento et ejus confirmationibus n. 58. tradita. Unde solutio ibidem data ad hoc primum argumentum, et ejus confirmationes, ac juxta ea, quæ tam in hoc, quam in præcedenti dubio diximus intellecta, admittenda est : et ita optime inquiunt communiter Thomistæ, quod in unione cujusvis speciei intelligibilis, saltim creatæ, intercedit ibi duplex unio : altera in *esse* entitativo ; altera vero in *esse* intelligibili : et quod ad priorem unionem concurrit intellectus per modum subjecti, proprie, et formaliter sumpti : secus vero ad posteriorem, ut num. 83. et deinceps magis explicabimus ; siquidem, ut supra dicebamus, per priorem unionem limitatur forma intelligibilis, quoad *esse* entitativum, ad hoc, ut sit *hæc*, et non *illa* : at vero per posteriorem, quæ fit secundum *esse* intelligibile, non limitatur prædicta forma, ad hoc, ut sit *hæc*, et non *illa*, vel ad hoc, ut in *esse* intelligibili sit involuta cum conditionibus individuantibus ; ut contingit, cum prædicta species repræsentat naturam universalem, et universaliter sumptam.

Ad primam impugnationem contra illam. 81 Quare ad primam impugnationem contra solutionem ibidem adductam, dicendum est, aliud esse, quod species sensibilis non possit non in *esse* entitativo esse accidens, et qualitas : aliud vero an præcise spectata, ut pertinet ad ordi-

nem sensibilem, vel cognoscibilem, et in ratione speciei formalissime sumpta, sit de formali, et per se accidens in *esse* entitativo, et licet illud prius sit verum (sive hoc per se per modum rationis materialis, et ut fundamentum eorum, quæ ad lineam speciei sensibilis spectant, petatur: sive ex aliis capitibus desideretur, de quo alibi) secus tamen hoc posterius. Ex hoc autem posteriori optime sequitur, quod licet absolute loquendo inhæreat, et per inhærentiam uniatur: non tamen, quod cum addito, id est, in ordine sensibili, aut cognoscibili, cum præcisione sumpta, non uniatur per identitatem, et modo dicto cum sensu.

Ad secundam.

Ad secundam vero impugnationem negandum est antecedens. Et ad ejus probationem concesso antecedenti, neganda est consequentia. Et ratio disparitatis desumitur ex dictis. Nam species intelligibilis per hoc, quod sit finita, seu infinita per essentiam, variatur in ratione speciei formalissime sumptæ, ut ex se constat: quia necesse est variari immaterialitatis gradum ab ea per se petitum: at per hoc, quod sit substantia, vel accidens repræsentans, sive ostendens idem objectum, et in eodem immaterialitatis gradu, non variatur essentialiter in ratione speciei intelligibilis, ut ex dictis num. 31. constat: ex eo, quod ut in tractatu de Visione Dei, disp. 2. num. 107. constat, non est necesse variari immaterialitatis gradum per se ab ea postulatum. Quod quidem satis indicat, speciem intelligibilem solum de materiali, et per accidens esse substantiam, vel accidens, unirique per inhærentiam. Et ita si per impossibile daretur, ut in hoc eodem dubio tangebamus, species creata repræsentativa Dei, prout est in se, quæ esset accidens, et simul haberet infinitam immaterialitatem; tunc datis his duobus impossibilibus, talis species intelligibilis non distingueretur specifice in ratione speciei ab essentia divina, ut est forma intelligibilis.

Ad id, quod in eadem impugnatione additur.

82 Nec obest, quod ibidem additur, scilicet speciem connaturalem intellectus humani nec posse esse actum purum, (quod libenter admittimus) nec etiam posse esse ipsam substantiam animæ, saltim pro hoc statu, atque adeo necessario debere esse accidens, et uniri per inhærentiam.

Non itaque hoc refert. Nam hinc sosum sequitur, species connaturales homini pro hoc statu habere necessario adjunctam sibi inhærentiam in *esse* entitativo; non tamen quod in *esse* intelligibili, formaliter sumptæ, inhæreant: imo nec quod hæc inhærentia, et *esse* entitativum accidentale per se petatur ab *esse* intelligibili ejusdem speciei; sed quod aliunde ex aliisque capitibus petatur. Et propterea anima separata potest intelligere se per se ipsam, ac proinde *esse* intelligibile proprium suæ substantiæ, ut per se ipsam habet rationem speciei, non petit secundum hanc rationem, quod habeat tanquam quid adjunctum, et identificatum *esse* entitativum accidentale, sed potius hoc illi sic considerato repugnat.

§ VII.

Diluitur secundum argumentum primæ sententiæ simul cum suis confirmationibus.

Secundum argumentum non minus, quam præcedens tangit doctrinam in via D. Thom. satis subtilem, et longiore indigentem sermone; et ideo sigillatim in hoc § 7. diluitur.

Ad secundum principale.

83 Ad secundum ergo principale respondetur, concedendo majorem, et negando minorem intellectam de speciebus intelligibilibus intellectus humani, in *esse* specierum intelligibilium formaliter sumptis. Et ad probationem concedendum est antecedens, necnon prima consequentia intellecta de prædictis speciebus in *esse* rei. Et deinde neganda est secunda consequentia in sensu jam dicto. Ad cujus probationem, ex dictis constat quomodo intellectus humanus proprie, et formaliter loquendo non est in potentia receptiva ut tali, respectu specierum intelligibilium formaliter consideratarum, et ut pertinent ad lineam intelligibilem, præcise consideratam; sed comparatur ad eas sic sumptas, ut extremum identificabile cum alio extremo, cum quo natum est identificari; cum hac tamen limitatione saltim, quoad species creatas, ut si hæ semel uniantur secundum *esse* entitativum per unionem entitativam, et excludentem identitatem secundum hoc *esse*, tunc possint secundum *esse* intelligibile uniri intelligibiliter, et per identitatem jam explicatam. Sed hæc radicitus in sequenti solutione explicantur.

84 Ad

Ad id, quod in eodem argumento additur.

84 Ad illud autem, quod in hoc eodem argumento additur, scilicet probare etiam intentum in intellectu Angelico, concedenda est major, et neganda minor, universaliter intellecta. Nam ex hoc, quod aliqua possint ab invicem separari, non sequitur universaliter loquendo, esse ante separationem realiter actualiter distincta in omni ordine, in quo separabilia sint; ac proinde, nec universaliter colligitur, non esse in omni ordine actu, et realiter identificata identitate excludente distinctionem realem actualem intra prædictum ordinem : sed solum colligitur universaliter, vel quod intercedat ibidem, et ante separationem distincto realis actualis, seu secluso intellectu in omni ordine; vel quod sit talis distinctio in uno ordine, et in alio distinctio realis potentialis : atque adeo identitas talis conditionis in illo ordine, ut sit compatibilis cum prædicta distinctione : et ita ea, quæ antea erant identificata per hunc infimum identificationis modum, possint postea inveniri non identificata, si semel ab invicem separentur.

Quare ex hoc, quod intellectus humanus naturaliter, et Angelicus supernaturaliter possit esse sine speciebus, et objectis intelligibilibus, etiam si omnia hæc in *esse* intelligibili formaliter sumpto considerentur, non recte colligitur, quod in ordine intelligibili non identificentur tales intellectus cum speciebus, et objectis intelligibilibus modo explicato, sed quod hæc identitas solum fit identitas infima intra hunc ordinem intelligibilem, et compatiens secum, tum distinctionem realem actualem in ordine entitativo : tum etiam distinctionem realem potentialem intra ordinem intelligibilem, et per consequens talis conditionis, ut facta separatione, pereat talis identitas.

Elucidatur.

85 Explicatur radicitus hoc ipsum. Etenim, ut nostri Complutens. in lib. de Generatione disp. 5. num. 67 et 68. ex Aristot. et D. Thom. deducunt, et num. 71 et 72. expendunt, ultra distinctionem realem virtualem, qualis est illa, quæ reperitur inter animal, et rationale, et distinctionem realem actualem, qualiter duo aquæ inter se discontinuæ distinguuntur, debet necessario in via sancti Doctoris admitti distinctio alia realis potentialis, eorum nimirum, quæ licet actu, et realiter sint idem, nihilominus realiter potentialiter sunt distincta : quia possunt ab invicem separari, et facta separatione manere actu, et realiter diversa. Et similiter ultra identitatem excludentem distinctionem realem virtualem, qualis in communiori Theologorum sententia reperitur inter intellectum, et intellectionem divinam, et identitatem admittentem solam distinctionem virtualem, qualis cernitur inter animal, et rationale, debet necessario dari identitas omnium infima in ratione identitatis, scilicet realis potentialis, quæ in eo consistat, ut licet extrema realiter actualiter distinguantur, nihilominus realiter potentialiter sint idem.

86 Ad rem igitur, intellectus unitus cum objecto intelligibili, mediante specie illius, fit idem cum eis per identitatem, non quidem in *esse* entitativo, et naturali, sed cum addito, id est, in ordine intelligibili omnium infimam in ratione identitatis : et ita fit idem cum illis per identitatem, excludentem distinctionem realem actualem intra ordinem intelligibilem, et ab hoc eodem ordine provenientem; non tamen distinctionem realem actualem in ordine entitativo, nec distinctionem realem potentialem in ordine intelligibili. Nam propter rationes supra a num. 69. usque ad num. 77. factas, non potest non in ordine intelligibili actu identificari cum illis, et quia sunt ab invicem separabilia, debent identificari per identitatem, quæ sit compatibilis cum distinctione reali potentiali, et dum actu separantur, et periit identificatio realis actualis in ordine intelligibili, oportet, ut maneat distinctio realis actualis, etiam in ordine intelligibili inter illa, et identitas realis potentialis in hoc eodem ordine inter ipsamet. Sicut etiam ob ea, quæ sæpe innuimus, non possunt non in *esse* entitativo esse actu, et secluso intellectu, distincta.

87 Unde ex eo, quod species intelligibiles Angelicæ possint supernaturaliter ab ejus intellectu separari, et species humanæ separentur naturaliter ab intellectu nominis, non sequitur, non esse actu identificatas in ordine intelligibili, et modo dicto, cum intellectibus eorum, dum sunt conjunctæ cum illis, sed identitatem hanc, adhuc in ordine intelligibili, habere conditiones jam explicatas.

Egregium exemplum.

Possuntque hæc omnia elucidari exemplo satis accommodato substantiæ materialis, v. gr. formæ aquæ, quæ licet in suo toto habeat distinctionem partium entitativarum, provenientium a quantitate, tanquam a causa formali intrinseca, seu inhærente; attamen intra lineam substantiæ, præcisæ sumptæ, seu (quod idem est) a se ipsa non habet formaliter distinctionem

prædictam partium : atque adeo nec partes, quæ de formali sint substantia, ut ex Aristot. et D. Thom. quamplurimisque ejus discipulis, necnon et rationibus ex eodem Arist. et Angelico Doctore desumptis, ostendunt nostri Complut. in lib. de Generatione, disp. citata a num. 32. usque ad 47.

88 Et ita divisis duabus aquis, tunc earum formæ substantiales sunt quantitative, et substantialiter, atque adeo tam intra lineam quantitatis, quam substantiæ, actu diversæ, quamvis adhuc tunc sint in potentia, ad hoc, ut sint idem per identitatem intra lineam solius substantiæ, non vero intra lineam quantitatis, ut iidem Complut. a num. 69. usque ad num. 73. explicant, et deinde prædictis aquis postea continuatis media unica, et eadem quantitate, tunc licet semper debeant, quantumvis continuentur, distingui accidentaliter ipsæ, et earum formæ substantiales, ratione quantitatis, et intra lineam illius, ac proinde ratione illius debeat ibidem intercedere distinctio partium integralium, seu ejusdem rationis : nihilominus, ut prædicti Complut. disp. citata a num. 67. usque ad 69. et deinceps expendunt, hoc ipso, quod illæ aquæ, et earum formæ continuentur secundum quantitates, et per unam, ac eandem quantitatem sigillentur, non potest non earum substantia, et utriusque formæ, secundum ea, quæ substantialiter dicunt, ac proinde intra lineam substantiæ præcise sumptam, fieri unum, et idem per identitatem ; ita ut distinctione reali actuali, et formaliter substantiali, seu a principio substantiali proveniente, non distinguantur, sed denominative, et per quantitatem : alioqui, ut ibidem probatur, forma illa aquæ haberet partes entitativas, quæ de formali essent substantia, cujus oppositum in præsenti supponitur, et loco citato ostenditur.

89 Ita ergo in præsenti, proportione servata, philosophandum est in specie, et objecto intelligibili, collato cum intellectu. Nam, si semel separentur, remanent in utroque ordine, scilicet tam entitativo, quam intelligibili actu diversa, in potentia tamen, seu (ut melius dicamus) capacia, ut in ordine intelligibili, non tamen in ordine naturali identificentur : si tamen actu in ordine naturali uniantur, tunc licet adhuc unita, maneant in hoc ordine realiter actualiter distincta ; attamen eo ipso uniuntur intelligibiliter, et manent idem per identitatem in ordine intelligibili.

Aliud exemplum.

Potestque hoc amplius elucidari exemplo motus, et termini, qui in probabili sententia multorum, quos N. Complut. in lib. Physic. disp. 16. num. 24. referunt, solum distinguuntur actu virtualiter dum sunt unita, et tamen tunc differunt realiter potentialiter, distinctione saltim reali negativa ex parte unius extremi, et positiva ex parte alterius, ut multi volunt : siquidem possunt separari realiter, ita ut terminus maneat, pereunte motu, et tunc prædicta distinctione actuali differunt : et similiter cum sic differunt, sunt unum, et idem non quidem realiter actualiter, sed realiter potentialiter, quatenus hoc ipso, quod motus, et terminus dentur actu, statim inter se identificantur.

Ad primam confirmationem.

90 Ad primam confirmationem patet ex dictis, concedendum esse antecedens, et negandam consequentiam, si intelligatur de distinctione reali actuali. Et ad probationem negandum est antecedens, universaliter intellectum : quandoquidem plura sunt talis conditionis, quæ simul cum distinctione reali actuali in aliquo ordine conservant identitatem in potentia, ex eo, quod ita sunt postea unibilia, ut possint identificari.

Nec probatio ibidem in contrarium adjuncta oppositum convincit. Quoniam entitas prædictorum extremorum, tantum est ratio distinctionis actualis inter ipsa, quamdiu sunt separata : et ita præcise ratione propriarum entitatum materialiter sumptarum, non distinguuntur actu realiter, sed ratione earum, quatenus sunt ad invicem separata in ordine intelligibili. Unde eorum entitates ab invicem separatæ, realiter actualiter, et positive distinguentur. Cæterum, si intelligibiter uniantur, seu species intelligibilis tribuerit intellectui, quod intelligibiliter habeat formam rei intellectæ, ac proinde si intellectus in obliquo afferat hanc intimam assistentiam, et communicationem formæ intelligibilis, debebit eidem formæ in recto sumptæ, identificari : sicut hoc ipso, quod vivens, et materia ejus præexistens connotent novum illud materiæ per nutritionem acquisitum, et sigillatum ad eandem numero quantitatem, quam prædictum vivens habet, tunc materia præexistens in illo identificatur, modo explicato, cum nova illa materia in recto sumpta, quam per nutritionem acquirit. Quod idem de motu, et termino, cum proportione, in opinione illa probabili dicimus; quamvis quoad præsens, id est, quoad identificationem intellectus, et speciei in ordine intelligibili, necesse sit, ut in creatis,

modo

modo supra tacto, per modum quasi viæ ex aliis capitibus desideratæ petatur, ut per unionem realem naturalem excludentem identitatem in hoc ordine uniantur, et hac unione supposita, statim illa alia intimior unio subsequatur.

91 Potestque hoc ipsum explicari exemplo adducto duplicis aquæ actu divisæ ab alia. Nam earum formæ non distinguuntur numerice per suas entitates materialiter, et præcise acceptas : quia hæ materialiter sumptæ, manent postquam identificatæ sunt, sed per easdem formaliter acceptas, id est, prout sigillatæ ad distinctam quantitatem, ut N. Complut. disp. citata a num. 69. usque ad 73. explicant. Et ita, ut ibidem expendunt, hoc ipso, quod continuentur, et prius sigillentur ad unam, et eandem quantitatem, possunt substantialiter, et quoad substantialia præcise identificari.

Replica. Unde nihil refert, si objicias, non cohærere hæc cum iis, quæ nostri Complutens. in lib. Phys. disp. 16. num. 28. universaliter docent, scilicet, quod ea, quæ possunt realiter separari, debent secluso intellectu distingui : et propterea ibidem dicunt, motum a termino secluso intellectu differre, quia manet terminus pereunte motu.

Diluitur. Respondetur enim in primis, esse specialem rationem in motu, et termino, propter quam in illis regula illa est universaliter vera, ut ex iis, quæ ibidem prædicti Patres dicunt, satis constat. Deinde occurrimus ex jam dictis, sensum prædictæ regulæ esse, quod quotiescunque unum potest esse sine alio, toties ibidem intervenit distinctio actualis, secluso intellectu, inter illa : vel quia extrema formaliter, et secundum se sumpta, secluso intellectu differant, ut in motu, et termino accidit : vel quia necessario, et indispensabiliter involvunt aliquid, ratione cujus debeant secluso intellectu actu distingui, quamvis se ipsis formaliter, facta unione inter illa, non habeant talem distinctionem actualem, bene tamen potentialem : ut contingit, tum in specie intelligibili, quæ ratione *esse* entitativi, quod ipsa necessario involvit, debet realiter differre ab intellectu, tum etiam in nutritione, ubi illud materiæ, verbi gratia, quod denuo unitur cum viventi, et identificatur intra lineam substantialem, et quoad substantialia præcise cum materia præexistenti, involvit novam partem quantitatis, ratione cujus realiter a præexistente materia distinguitur.

92 Ad secundam confirmationem respondetur, quod licet objectum intelligibile multoties non existat in se, semper tamen existit in sua specie, quæ est virtus, et vicaria illius, in quaque intelligibiliter continetur. Et ideo unio hæc fit in specie formaliter sumpta, tanquam in extremo *quo* unionis, et identificationis; in objecto vero, ut in extremo, *quod* : sicut ad hoc, quod ignis, v. g. agat, ut *quod*, et calor, ut *quo*, satis est, ut reliquerit in eo suam virtutem, et in illo ipse ignis, ut in sua virtute maneat. Nam eo ipso habet (ut sic dicamus) uniri cum effectu, et producere illum : sicut causa principalis unitur cum suo effectu, et illum attingit. Ad secundam confirmationem.

93 Ad tertiam confirmationem constat ex iis, quæ nostri Complut. loco citato, num. 73. docent, antecedens esse verum de illo peculiari modo fiendi aliud per identitatem, quo panis fit Corpus Christi Domini : non vero, si intelligatur universaliter de quovis modo fiendi aliud per identitatem, et in *esse* intelligibili. Itaque dupliciter potest aliquid fieri aliud per identitatem. Uno modo transsubstantiative, sive conversive, eo modo, quo talis transsubstantiatio, et conversio in Sacramento Eucharistiæ fit. Alio vero modo per puram identitatem absque conversione : ex eo, quod licet maneant eædem entitates materialiter, quæ antea erant distinctæ, non tamen formaliter : quia denuo habent aliquid, ratione cujus vel in *esse* naturali, vel in *esse* intelligibili possunt identificari, ut in duplici forma aquæ antea distinctæ, et divisæ, et postea continuatæ sub eadem quantitate, et in potentia cognoscitiva, et suo objecto in *esse* cognoscibili considerato, contingere diximus. Ad tertiam.

§ VIII.

Occurritur cæteris argumentis prioris opinionis, excepto ultimo.

94 Ad tertium transeat antecedens, et negetur utraque consequentia. Et ad probationem prioris, ex qua dependet vis posterioris, dicendum est, satis esse, quod intellectus unitus cum specie intelligibili, necnon et ipsa species intelligibilis distinguantur realiter ab objecto secundum diversos modos essendi, ad lineam tamen naturæ spectantes, quos afferunt, ad hoc, ut possit dicere ordinem realem ad illud, Diximus, *Ad lineam naturæ spectantes*, Ad tertium principale.

quia si tales modi essent alterius lineæ, non sufficerent ad prædictam habitudinem, sicut quia in divinis personalitas non pertinet ad lineam naturæ, sed ad aliam lineam, propterea personæ divinæ, in quibus est eadem natura, non habent relationem realem similitudinis in ea. Ratio autem, propter quam modi illi, quos habet natura in se ipsa, et in specie intelligibili, pertinent ad lineam naturæ, constat ex iis, quæ reperiuntur in divinis : ubi ratio naturæ divinæ, prout habet modum essendi naturalem, et intelligibilem, spectat ad eandem lineam, et ideo hæc ibidem, non distinguuntur adhuc virtualiter, ut ex dicendis disput. sequenti magis constabit. Unde sicut ex eo, quod intellectio, et intellectus pertinent in divinis ad eandem lineam, ac proinde non distinguuntur virtualiter, colligimus, quod etsi in creaturis distinguantur realiter, nihilominus in eis tantum constituunt duas partes ejusdem lineæ, sive duas lineas partiales, ex eo, quod in eisdem creaturis linea illa est imperfectionibus involuta, ita id ipsum, proportione tamen servata, in præsenti dicendum erit.

Additamentum. Adde, posse etiam dici, quod sicut inter duas personas creatas in duplici natura humana subsistentes, est relatio realis similitudinis in prædictis naturis : quia ratio fundandi hanc relationem est distincta, nempe diversa numero natura, quæ in eis est, secus tamen inter duas personas divinas in divina natura subsistentes propter maximam identitatem in natura, quam habent : ita etiam inter objectum, et speciem repræsentativam illius, v. gr. inter hanc albedinem, et ejus speciem non est relatio realis mensurabilis ad mensuram : sicut nec relatio realis similitudinis ; sed tantum relatio rationis sive mensurabilis, sive similitudinis, ut in divinis contingit : quia natura, quæ est in utroque, est ex parte formæ, et naturæ una, et eadem. Unde ex hoc capite, et ex defectu prædictæ relationis realis, non tamen relationis rationis, potius probatur identitas in natura inter speciem, et objectum jam explicata, quam diversitas in illa.

Ad quartum. 95 Ad quartum respondetur, quod facta unione jam dicta inter speciem, et objectum intelligibile ex una parte, et inter intellectum ex alia, tunc nec prædicata essentialia intellectus fiunt essentialiter prædicata essentialia speciei intelligibilis, nec e contra : quia per hunc loquendi modum denotatur, quod unum transeat in naturam alterius, seu quod unum fiat formalissime aliud, quod tamen in præsenti non contingit; sed solum sunt idem identice, retinendo distinctionem virtualem, et realem potentialem, quod nullum quoad præsens est inconveniens, ut explicatum est.

Unde licet pura potentia in genere entis nequeat fieri ipsamet forma substantialis, quam recipit, ita ut vel essentialiter, vel identice maneat idem cum ea, ut in hoc argumento recte dicitur; secus tamen pura potentia in genere intelligibili, quæ propter rationes factas ideo dicitur pura, quia non includit essentialiter actus, et formas, seu species intelligibiles, non tamen, quia non habeat adhuc in isto ordine sumpto adæquate, et modo a num. 100. usque ad 102. tangendo, rationem formæ, aut quia non possit esse idem cum illis identitate jam dicta, admittente distinctiones explicatas.

Corollarium notatu dignum. 96 Quapropter, si semel, ut supra tetigimus, in sensu formali, et per se loquendum est, potentia intellectiva collata cum objecto, et specie intelligibili, non unitur cum illa in *esse* intelligibili tanquam potentia receptiva cum actu, et forma proprie, et stricte receptibili, alioqui limitaret illam, cujus oppositum disput. præcedenti num. 22. et in hac a num. 71. usque ad 84. ostendimus ; sed tanquam vis intellectiva cum suo objecto, et forma intelligibili petente ex se intimiorem aliam unionem, quam sit ea, quæ fit per receptionem prædictam, et tanquam unum extremum ex se identificabile cum altero, quod petit uniri cum illo secundum hanc puram rationem; seu tanquam forma imperfecta, et in *esse* imperfecto existens, quæ fit ipsamet sub *esse* perfecto per identitatem compatientem distinctiones jam dictas.

Ratio illius. 97 Et ratio est. Nam sicut intellectus non est adæquate, et in *esse* perfecto intellectus usque dum habeat in se speciem objecti, quia non est adæquate, et in *esse* perfecto talis, usque dum sit complete intellectivus, et hoc non habet usque dum uniatur cum specie, ita usque dum uniatur cum ea, non erit adæquate, et in *esse* perfecto intellectus : et quia non unitur cum prædicta specie in *esse* intelligibili, nisi modo immaterialiori, et elevatiori, quam sit ille, quo uniuntur formæ naturales in *esse* naturali, et entitativo, propterea, ut a num. 69. usque ad 72. hinc intulimus, unitur cum ea per identitatem jam dictam in *esse* intelligibili, ac proinde, et eo modo quo forma in *esse* imperfecto, fit ipsamet in *esse* perfecto.

Non

Exemplum satis idoneum.

Non secus proportione servata, ac contingit in forma plantæ, quæ non habet sufficientem quantitatem, nec sufficientes (ut sic dicamus) portiones substantiales ejusdem formæ inter se identificatas, ad hoc, ut sit sub debita quantitate ad operandum, et per nutritionem eas acquirit. Nam tunc, ut N. Complut. loco cit. num. 47. et 48. et aliis ibidem relatis, explicant, forma præexistens non unitur cum illo substantiali, quod denuo ei advenit, tanquam potentia receptiva cum suo actu, nec tanquam pars integralis cum sua comparte, si attendamus ad unionem illam præcise secundum id, quod habet intra genus substantiæ; sed tanquam extremum identificabile cum alio extremo, fitque illud, eo modo, quo forma imperfecta, et non identificans antea illud substantiale, quod acquirit, fit forma perfecta identificans id, quod sibi deerat.

Animadversio.

98 Diximus, *si in sensu formali, et per se loquendum est*, propter ea, quæ supra num. 67. et 78. diximus. Adiddimus autem ly *per se* : tum propter ea, quæ modo dicebamus. Tum etiam, ut denotaremus, quod si species fuerit ita elevata, ut unionem illam, numero modo citato, explicatam, scilicet in *esse* entitativo, et per modum actus, et potentiæ non postulaverit, ut in essentia divina contingit, tunc adhuc de materiali non comparabuntur per modum potentiæ proprie receptivæ, et actus proprie recepti in *esse* entitativo, sed intellectus comparabitur cum illa eo modo, quo forma imperfecta, (id est, non habens perfectionem, cujus est capax, in ratione formæ) comparatur cum eo, cum quo fit forma perfecta, et ut extremum identificabile in ordine intelligibili cum alio extremo : et ad summum, (ut plures probabiliter volunt, de quo alibi) comparabuntur inter se in *esse* entitativo per modum puri termini, et rei terminabilis : ex eo, quod species in *esse* entitativo præscindit a ratione formæ, vel termini, licet in ratione speciei in *esse* intelligibili debeat veram, et propriam rationem formæ intelligibilis sortiri, quia est ratio agendi specificans intellectionem. Quamvis, ut sæpe diximus, hæc ratio formæ non petat informationem, trahentem distinctionem actualem in *esse* intelligibili, sed unionem ita intimam, seu modum informandi, et actuandi ita elevatum, et intimum, ut realiter identificetur in hoc ordine cum extremo illo, cum quo formaliter unitur.

Ad quintum.

99 Ad quintum neganda est sequela. Quia arguitur ab identificatione extremorum cum aliquo in *esse* intelligibili, ad identificationem eorundem in *esse* naturali : qui modus arguendi adhuc in creatis nihil valet ; quamvis ex identificatione duorum cum aliquo tertio sub *esse* naturali, recte soleat in creatis argui ad identificationem eorundem inter se. Quoniam, ut supra tetigimus, sicut natura divina est ex se communis, et communicabilis pluribus in *esse* naturali, ita, v. gr. natura humana ex se est communis, et communicabilis pluribus intellectibus sub *esse* intelligibili sumpta : ex eo, quod ab illis potest eademmet intelligi. Et sicut quia natura divina est communis modo dicto pluribus personis, propterea nulla ex istis sigillatim accepta identificatur adæquate cum illa, et ob eandem rationem nec cum aliis personis, cum quibus natura divina identificatur, ita ob hoc ipsum nullus ex illis intellectibus identificabitur adæquate cum natura humana sub *esse* intelligibili : et ideo nec ipsi intellectus inter se identificati manebunt.

Objectio.

100 Nec refert, si objicias, quod si intellectus comparatur ad formam, seu speciem intelligibilem, tanquam eademmet forma, confertur secum sub *esse* perfecto, ut num. 96. dicebamus, tunc intellectus erit etiam forma in *esse* intelligibili, et ita ex identificatione duorum intellectuum cum specie intelligibili, recte colligetur identificatio talium intellectuum inter se : quia non transitur ad aliud genus, scilicet ab *esse* intelligibili ad naturale ; sed semper sistitur in ordine intelligibili, seu inter formas ad hunc ordinem pertinentes.

Solvitur.

Respondetur enim, ordinem intelligibilem posse sumi, vel generaliter prout ambit totum ordinem intellectivum, et ea, quæ ad illum per se, et formaliter desiderantur, sive sint species, sive intellectus, et intellectio, sive objectum, etc. Secundo strictius prout includit ea solum, quæ spectant ad ordinem intelligibilem ex parte objecti, sive sola entia intentionalia ; non vero ea, quæ ex parte potentiæ, et virtutis cognoscitivæ se tenent.

Si ergo ordo intelligibilis accipiatur priori modo, tunc quasi integratur ex rebus pertinentibus ad ordinem entitativum, et naturalem, quatenus habent virtutem ad intelligendum, et ex rebus spectantibus ad ordinem intelligibilem, prout ordo iste dicit ea solum, quæ ex parte objecti se tenent : quamvis hæc duo, ex quibus talis ordo integratur, sint talis conditionis, ut

possint inter se identificari. Si vero solum posteriori modo sumatur, tunc solum dicit *esse* intelligibile, sive intentionale prout distinguitur ab *esse* naturali.

101 Cæterum, quia intellectus, ut est adæquate intellectus, sive ut complete habet rationem formæ perfectæ in ordine intelligibili, dicit formam perfectam, contentam sub ordine intelligibili priori modo, quæque identice sit ipsamet species intelligibilis, et ipsa virtus ad intelligendum ; ac proinde dicit formam, quæ habeat aliquid de ordine entitativo, et naturali, scilicet id, quod ex parte potentiæ requiritur ad intelligendum, et aliquid de ordine intentionali, sive intelligibili, prout distincto a naturali, propterea quoties deducitur intellectus identificari quoad virtutes ad intelligendum ex parte intellectus se tenentes, ex eo, quod identificantur in uno tertio, nimirum, quoad species, et naturam intellectam, toties arguitur ab identificatione in *esse* intentionali, et intelligibili stricte sumpto, prout distinguitur ab *esse* naturali, ad identificationem in *esse* naturali ; qui modus arguendi est vitiosus, ut ostensum est.

Alia replica.

Nec etiam obest, si urgeas, quod si intellectus, ut est extremum quoddam hujus identificationis, dicit *esse* naturale, et entitativum, prout hoc *esse* distinguitur ab *esse* intentionali, et intelligibili, et species prout est alterum extremum dicit *esse* intentionale, et intelligibile prout distinguitur ab *esse* naturali, non erit cur magis hæc unio, et identitas sit in ordine intelligibili, quam in *esse* naturali : siquidem quasi integratur ex duobus extremis, quorum unum pertinet ad ordinem naturalem, aliud vero ad ordinem intelligibilem stricte sumptum.

Enodatur.

Respondetur enim, concedendo, hanc unionem, et identitatem ex parte unius extremi esse naturalem, et ex parte alterius intentionalem, et intelligibilem ; cæterum, quia radix hujus identificationis est illud extremum intelligibile, nimirum species intelligibilis, propterea hæc unio, et identificatio est in ordine intelligibili.

§ IX.

Fit obviam ultimo argumento oppositæ sententiæ.

102 Ad ultimum concedatur major, sed negetur minor. Et ad primam probationem dicatur, quod licet nihil possit per identitatem in *esse* naturali esse simul creatum, et increatum, sive ens per essentiam, et per participationem, nec rursus possit identice habere hoc ipsum, adhuc in *esse* intelligibili excludendo distinctionem realem potentialem inter utrumque, quia hoc est proprium solius Dei, secus tamen in *esse* intelligibili una cum prædicta distinctione reali potentiali.

Triplex ratio solutionis quoad primam probationem minoris.

Cujus ratio est. Tum quia aliquid creatum esse hoc modo per identitatem quid increatum, est esse illudmet per participationem, ex eo, quod essentia divina uniatur ei gratuito in ratione speciei intelligibilis : hoc autem nullum est inconveniens, ut ex se patet.

103 Tum etiam : quia hæc unio per identitatem jam explicatam, est, attentis omnibus, minor, et minoris perfectionis, quam unio personalis, et in *esse* naturali, secundum quam Verbum Divinum est personaliter unitum humanitati, quamvis hæc non sit per identitatem in prædicto *esse* naturali, sed per compositionem ex termino, et re terminabili. Quare sicut non est inconveniens, quod illud compositum sit quoad naturam humanam præcise sumptam, aliquid creatum, et quoad personam quid increatum, ita nec repugnabit, intellectum factum idem intelligibiliter cum essentia divina, et adæquate sumptum, esse simul aliquid creatum quoad id, quod ex se habet, et esse aliquid increatum quoad formam intelligibilem, cui est unitus, cum quaque intelligibiliter identificatur.

Tum denique : quia intellectus etiam in *esse* intelligibili non identificatur infinite cum essentia divina, sed finite ; siquidem non constituitur per illam in actu primo ad videndum eam infinite, sed finite ; at licet repugnet finitum identificari infinite cum infinito ; non tamen finite. Sicut licet nequeat uniri cum illo infinite ; potest tamen uniri finite, et consequenter habere ea omnia, quæ ad talem unionem consequuntur, inter quæ quoad præsens connumeratur prædicta identitas, ut ostensum est.

Solvitur secunda probatio ejusdem minoris.

104 Ad secundam vero probationem concedi debet antecedens, et negari consequentia. Ad cujus probationem dicendum est, quod licet ad hoc, ut aliquid in *esse* intelligibili sit idem cum essentia divina per identitatem excludentem distinctionem realem in potentia, vel per identitatem, per quam cum illa infinite uniatur.

uniatur, seu infinite identificetur, non minus requiratur, quam ad hoc, ut repræsentet illam quidditative per modum speciei intelligibilis, quia ad utrumque requiritur infinita immaterialitas, et habere *esse* per essentiam.

Cæterum ad hoc, ut aliquid sit idem intelligibiliter, modo nuper explicato, cum essentia Dei, minus requiritur, quam ad hoc, ut possit habere rationem speciei intelligibilis respectu illius. Quoniam ad hoc posterius requiritur convenientia in gradu immaterialitatis, et entitas per essentiam, ut in tractatu de Visione Dei, art. 2. diximus, non tamen ad illud prius, sed solum, quod essentia divina finito modo, et separabiliter, saltim per Dei potentiam, uniatur cum intellectu creato in ratione speciei intelligibilis, ad quod non requiritur infinita immaterialitas in prædicto intellectu, sed sat est illum esse elevatum per lumen gloriæ, ut loco citato explicuimus.

Objectio. 105 Nec refert, si objicias, quod juxta dicenda in tract. 4. disp. 1. num. 21. *intelligere* est ipsa existentia in ordine intelligibili tam intellectus, quam speciei intelligibilis : ergo si intellectus creatus est idem per identitatem in ordine intelligibili cum essentia divina, nequibit intellectio, seu visio beata esse existentia intellectus in hoc ordine, et non esse existentia in eodem ordine respectu essentiæ divinæ cum illo identificatæ : siquidem quæ sunt idem, debent existere per eandem existentiam : ergo cum repugnet, divinam essentiam existere per *esse* creatum, etiam repugnabit, illam esse unitam per identitatem in ordine intelligibili cum eodem intellectu.

Diluitur. Respondetur enim, antecedens esse intelligendum, quando species illa intelligibilis non est infinita, et non præsupponitur in illo eodem ordine perfecte existens : cujus oppositum in præsenti contingit.

Itaque aliud est, speciem intelligibilem debere in ordine intelligibili existere per intellectionem : aliud vero debere existere per quamcunque intellectionem, quæ ab ea active elicitur, ita ut in se suscipiat effectum formalem ejus. Nam illud prius est universaliter verum : et ita etiam essentia divina in ratione speciei intelligibilis existit per intellectionem increatam ipsius Dei : at hoc posterius non est universaliter admittendum, quando species est talis conditionis, ut semper, et incessanter habeat unam intellectionem sibi adæquatam, et ejusdem immaterialitatis, per se primo ab ipsa quasi elicitam, per quam existit, et postea influit secundario, et veluti per accidens in alias intellectiones, sibi inadæquatas, et inferioris immaterialitatis : quandoquidem, quod in aliquo ordine præsupponitur adæquate existens, nequit in illo ordine aliam existentiam modo dicto habere. Quare cum essentia divina hoc modo comparetur per modum speciei cum visione beatorum, propterea nequit per illam sic existere.

106 Cæterum cum hoc stat, ut eadem essentia sit aliquo modo ratio intellectui creato ad hoc, ut per visionem beatam intelligibiliter existat, ex eo, quod nisi esset unitus cum ipsa, nequiret prædictus intellectus per intellectionem illam existere : quandoquidem quævis forma cujusvis ordinis, vel debet tribuere existentiam, quam habet suo susceptibili, aut quasi susceptibili, vel si eam non tribuerit, quia susceptibile est secundarium susceptivum, et incapax illius, ex eo, quod talis existentia est operatio vitalis, petens infinitam vim ad illam eliciendam, et nihil potest vitaliter per illam existere, quin illam eliciat, ut in præsenti contingit; tunc prædicta forma debet esse aliquo modo ratio alterius existentiæ, per quam suum secundarium subjectum, aut quasi subjectum in illo ordine existat.

Explicatur exemplo. Potestque hoc explicari exemplo subsistentiæ, quæ licet dum est finita, non solum sit ratio recipiendi operationes immanentes, ortas tanquam a principio, *quo* a natura, quam terminat; sed etiam, juxta probabilem sententiam, in ipsa, ut in subjecto recipiantur; attamen si talis subsistentia sit infinita, ut in Christo Domino contingit, tunc operationes humanæ, ad quas secundario prædicta subsistentia concurrit, non recipiuntur in illa, sed in natura : quamvis natura non eas reciperet, nisi esset terminata per talem subsistentiam : ac proinde quodammodo, et in sensu dicto est ratio eas recipiendi. Ita ergo in præsenti, proportione servata, respectu essentiæ divinæ, ut habet rationem speciei intelligibilis, et visionis beatorum, ut est existentia ordinis intelligibilis, philosophandum est. Diximus : *Ad quas secundario prædicta subsistentia concurrit*, quia per prius habet influere in alias operationes, quæ non sunt propriæ naturæ humanæ, sed divinæ, ex eo, quod per prius hanc terminat.

107 Nec contra hoc habet vim, quod in

hac objectione additur, scilicet intellectum creatum in ordine intelligibili esse idem cum essentia divina, et sic non posse non utrumque per eandem existentiam existere. Nam ad hoc ex dictis patet : siquidem hæc identitas non est adæquata, ac proinde compatitur distinctionem realem potentialem inter illa : at distinctio realis potentialis est satis (saltim in forma eminentissima, et superexcedenti ex se existenti, et a propria existentia inseparabili) ad hoc, ut non obstante identitate, possit esse ratio intellectui existendi per aliam existentiam, scilicet per intellectionem beatam, cum tamen ipsa per illam nequeat existere, seu ejus effectum formalem recipere ob incapacitatem, quam ad talem existentiam, et effectum formalem suscipiendum habet.

Replica. 108 Nec etiam obest, si ulterius urgeas, saltim hinc fieri, quod essentia divina in ratione speciei intelligibilis existat identice per visionem beatorum : quod tamen non videtur admitti.

Occurritur. Respondetur enim, dupliciter posse intelligi, quod essentia divina existat identice per visionem beatorum. Primo modo, ita ut denotetur, quod ratio existendi sit sola identitas, quamvis re vera ipsa essentia divina in se suscipiat effectum talis existentiæ, ut contingit in potentia obedientiali, et hypostatica, quam habet humanitas cujusvis hominis, ad hoc, ut assumatur a Verbo, quæque, ut in tractatu de Visione Dei innuimus, est ordinis hypostatici, et distinguitur formaliter a natura humana, ut habet potentiam naturalem ad subsistendum per propriam subsistentiam. Nam potentia hæc existit identice per existentiam naturalem talis humanitatis. Quia licet tota ratio sic existendi sit identificatio illa ; attamen re vera suscipit in se secundario talem existentiam, et ipsamet effectum ejus participat ; et propterea non indiget alia existentia, per quam existat.

Secundo modo, ita ut solum significetur, quod identificatur intelligibiliter cum intellectu creato existente per talem visionem, quamvis nullo modo ipsa nec per se, nec per accidens, nec primario, nec secundario, nec ratione prædictæ identitatis, aut quavis alia ratione existat per talem intellectionem, recipiatque in se effectum formalem hujus existentiæ intelligibilis, sed quoad hoc munus existendi per illam, et recipiendi in se talem effectum, perinde se habeat, ac si non esset ibidem : et hic sensus est verus, et necessario concedendus. Oportet tamen caute loqui, et hoc cum prædicta limitatione expresse adducta admittere, ne videatur concedi modus ille prior existendi identice per talem visionem, qui omnino rejiciendus est, quippe qui cum summa divinæ essentiæ puritate aperte pugnat. Unde absolute loquendo neganda est sequela, ex eo, quod in locutione absoluta innuitur prior ille modus identificationis.

Altera replica. 109 Nec etiam refert, si tandem urgeas, quod si essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis respectu intellectus beati, non existit per eandem existentiam intelligibilem, per quam ipse existit, tunc non constituent unum per se in ordine intelligibili : hoc autem videtur falsum ; siquidem faciunt magis unum, quam materia, et forma substantialis, ut communiter admittunt Philosophi ex Averroe : ergo, etc. Sequela videtur certa. Quia quæ faciunt unum per se, existunt per eandem existentiam in illo ordine, in quo unum constituunt : et propterea ex humanitate, et Verbo divino coalescit unum per se, quia per eandem existentiam existunt.

Respondetur enim, distinguendo sequelam : *Non constituent unum per se in ordine intelligibili*, identice tali, neganda est ; formaliter tali transeat : ea autem, quæ sic sunt una possunt multiplici existentia existere. Nec contra hoc vim habet probatio minoris : quia hæc unitas in *esse* intelligibili, solum secundum quid est major unitate totius, quod materia, et forma constituunt : constat autem, quod ad hoc satis est, eam esse unionem per identitatem jam explicatam. Enodatur.

Additamentum. 110 Adde, posse etiam negari consequentiam intellectam de unitate per se, adhuc formaliter sumpta. Quia ad hanc unionem satis est, quod unum extremum non uniatur alteri, ut est existens, et e converso, et quod unum sit alteri, modo explicato, ratio existendi, ac tandem, quod illud, quod fuerit alteri ratio existendi, existat quodammodo mediate, et remote per existentiam illam. Non quidem, quia in se recipiat mediante alio talem existentiam, et effectum illius eo modo, quo substantia media quantitate suscipit accidentia, aut potentia obedientialis mediante re naturali, cum qua identificatur, existit per existentiam ejus ; sed quia extremum illud, quod est alteri ratio existendi, re vera actuat, et informat aliud extremum, et hoc non nisi sic actuatum potest existere. Sicut, ut nuper dicebamus, subsistentia Verbi

Verbi terminantis humanitatem suscipit remote accidentia, non quia in se illa suscipiat, sicut subsistentia creata, juxta probabilem sententiam, ea recipit ; sed quia humanitas, non nisi ea terminata potest prædicta accidentia suscipere : et propterea humanitas, et Verbum in ratione susceptivi accidentium constituunt unum per se.

ARTICULUS II.

Utrum Deus intelligat se?

1 Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod Deus non intelligat se. Dicitur enim in lib. de causis, quod omnis sciens, qui scit suam essentiam, est rediens ad essentiam suam reditione completa : sed Deus non exit extra essentiam suam, nec aliquo modo movetur, et sic non competit sibi redire ad essentiam suam : ergo ipse non est sciens essentiam suam.

2 Præterea, intelligere est quoddam pati, et moveri, ut dicitur in 3. de Anima : scientia etiam est assimilatio ad rem scitam : et scitum etiam est perfectio scientis : sed nihil movetur, vel patitur, vel perficitur a se ipso, neque similitudo sibi ipsi est, ut Hilarius dicit : ergo Deus non est sciens se ipsum.

3 Præterea, præcipue Deo sumus similes secundum intellectum, quia secundum mentem sumus ad imaginem Dei, ut dicit August. sed intellectus noster non intelligit se, nisi sicut intelligit alia, ut dicitur in 3. de Anima : ergo Deus non intelligit se, nisi forte intelligendo alia.

Sed contra est, quod dicitur 1. ad Corinth. 2. *Quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei.*

Respondeo dicendum, quod Deus se per se ipsum intelligit. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod licet in operationibus, quæ transeunt in exteriorem effectum objectum operationis, quod significatur, ut terminus, sit aliquid extra operationem : tamen in operationibus, quæ sunt in operante objectum, quod significatur, ut terminus operationis, est in ipso operante : et secundum quod est in eo, sic est operatio in actu. Unde dicitur in lib. de Anima, quod sensibile in actu est sensus in actu, et intelligibile in actu est intellectus in actu. Ex hoc enim aliquid in actu sentimus, vel intelligimus, quod intellectus noster, vel sensus informatur in actu per speciem sensibilis, vel intelligibilis. Et secundum hoc tantum sensus, vel intellectus aliud est a sensibili, vel intelligibili, quia utrumque est in potentia. Cum igitur Deus nihil potentialitatis habeat, sed sit actus purus, oportet, quod in eo intellectus, et intellectum sint idem omnibus modis, ita scilicet ut neque careat specie intelligibili : sicut intellectus noster cum intelligit in potentia, neque species intelligibilis sit aliud a substantia intellectus divini : sicut accidit in intellectu nostro, cum est actu intelligens : sed ipsa species intelligibilis est ipse intellectus divinus. Et sic se ipsum per se ipsum intelligit.

Ad primum ergo dicendum, quod redire ad essentiam suam, nihil aliud est, quam rem subsistere in se ipsa. Forma enim in quantum perficit materiam dando ei esse, quodammodo supra ipsam effunditur : in quantum vero in se ipsa habet esse, in se ipsam redit. Virtutes igitur cognoscitivæ, quæ non sunt subsistentes, sed actus aliquorum organorum, non cognoscunt se ipsas : sicut patet in singulis sensibus. Sed virtutes cognoscitivæ per se subsistentes cognoscunt se ipsas. Et propter hoc dicitur in lib. de causis, quod sciens essentiam suam redit ad essentiam suam. Per se autem subsistere maxime convenit Deo. Unde secundum hunc modum loquendi, ipse est maxime rediens ad essentiam suam, et cognoscens se ipsum.

Ad secundum dicendum, quod moveri, et pati sumuntur æquivoce secundum quod intelligere dicitur esse quoddam moveri vel pati, ut dicitur in 3 de Anima. Non enim intelligere est motus, qui est actus imperfecti, qui est ab alio in aliud : sed actus perfecti existens in ipso agente. Similiter etiam, quod intellectus perficiatur ab intelligibili, vel assimiletur ei, hoc convenit intellectui, qui quandoque est in potentia : quia per hoc, quod est in potentia, differt ab intelligibili, et assimilatur ei per speciem intelligibilem, quæ est similitudo rei intellectæ, et perficitur per ipsam, sicut potentia per actum. Sed intellectus divinus, qui nullo modo est in potentia, non perficitur per intelligibile, neque assimilatur ei, sed est sua perfectio, et suum intelligere.

Ad tertium dicendum, quod esse naturale non est materiæ primæ, quæ est in potentia, nisi secundum quod est reducta in actum per formam; intellectus autem noster possibilis se habet in ordine intelligibilium sicut materia prima in ordine rerum naturalium : eo quod est in potentia ad intelligibilia, sicut materia prima ad naturalia. Unde intellectus noster possibilis non potest habere intelligibilium operationem, nisi in quantum perficitur per speciem intelligibilem alicujus. Et sic intelligit se ipsum per speciem intelligibilem : sicut et alia. Manifestum est autem, quod ex eo, quod cognoscit intelligibile, intelligit ipsum suum intelligere : et per actum cognoscit potentiam intellectivam. Deus autem est sicut actus purus tam in ordine existentium, quam in ordine intelligibilium : et ideo per se ipsum se ipsum intelligit.

Conclusio. Deus intelligit se per se ipsum.

DISPUTATIO III.

De intellectione, et scientia Dei quoad ejus primarium objectum.

1 Post quæstionem *an est?* de intellectione, et scientia Dei, merito ad quæstionem *quid est* devenimus. Quia vero quævis intellectio, et scientia sumit, saltim secundum nostrum modum intelligendi, suam speciem, aut quasi speciem ab objecto primario, propterea, ut *quid est* intellectionis, et scientiæ divinæ explicetur, de ejus primario objecto nunc disputamus.

DUBIUM I.

Utrum Deus se ipsum primario intelligat?

In titulo aliquid supponitur, et aliquid in dubium vocatur : supponitur enim Deum se ipsum intelligere : tum quia id constat ex Scriptura, ut videre est 1. ad Corinth. 2. *Quæ sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei.* Tum etiam : quia id aperte demonstrat duplex ratio ex D. Thom. 2. contra Gent. cap. 47. desumpta. Prima quidem, quod Deus est summe intelligibilis : ergo erit intelligibilis a seipso, de factoque a se intelligetur. Hæc secunda consequentia ex priori aperte patet. Quia hoc, quod est Deum actu cognoscere quidquid a se est intelligibile, est perfectio simpliciter simplex, ut constat : et ita hæc perfectio non potest abesse ab illo, qui est ens omnibus modis perfectissimum. Prima

Animadversio.

vero consequentia ex antecedenti aperte constat: tum quia inter objectum intelligibile, et virtutem intelligendi debet esse proportio : et ita objectum summe intelligibile poterit, imo debebit intelligi ab intellectu summe cognoscente, qualis est divinus. Tum etiam : quia quod est intelligibile, et unitum intime cum intelligente potest ab eo intelligi : ergo cum Deus sit ex se intelligibilis, et intelligens, et sit unitus secum unione omnium maxima, scilicet per summam identitatem, fiet inde, ut sit intelligibilis a se. Antecedens autem constat ex dictis. Quia Deus est summe immaterialis, ac proinde summe intelligibilis : siquidem immaterialitas est ratio, modo supra explicato, intelligibilitatis, et virtutis intelligendi.

Secunda est. Quoniam alioqui intellectio Dei non esset summe perfecta, sed ignobilior intellectione creata : hoc autem aperte repugnat, ut ex se constat : ergo, etc. Sequela quoad priorem partem patet. Quia intellectio Dei non versaretur circa nobilissimum objectum, scilicet circa Deum ipsum : atque adeo non esset summe perfecta. Quoad secundam vero partem etiam liquet. Nam visio beatorum attingit Deum sicuti est : ergo si intellectio Dei non attingeret se ipsum, esset ignobilior tali visione creata, quippe quæ non versaretur circa objectum adeo nobile, ac prædicta visio.

Punctus difficultatis.

Quare quod in dubium vocamus, tantum est, an intellectio Dei per se primo terminetur ad Deum ipsum? et licet decisio hujus dubii non difficulter ex nuper, et ex supra dictis colligatur, nihilominus ut omnia radicitus maneant explicata, et uni, vel alteri difficultati, quæ contra ejus decisionem militat, melius occurratur : propterea illud excitavimus, breviterque decidemus.

§ I.

Rationes dubitandi.

Prima dubitandi ratio.

2 Prima dubitandi ratio pro parte negante est. Quoniam intellectio Dei formalissime loquendo est ipse Deus, ut supra tetigimus, et art. 4. latius dicemus : ergo prædicta intellectio nequibit habere pro objecto primario Deum ipsum. Patet consequentia. Quoniam intellectio Dei nequit habere se ipsam pro objecto primario, alioqui esset intellectio reflexa, nempe intellectio intellectionis : ergo, etc.

Confirmatio.

Confirmatur. Quia primum intelligibile alicujus intellectus non potest esse ipsa prima intellectio illius : ergo cum Deus sit ipsa prima intellectio sui intellectus, ita ut non distinguatur adhuc virtualiter ab illa, non poterit esse primum intelligibile. Consequentia ex antecedenti constat. Antecedens autem asseritur a D. Thom. 1. 2. quæst. 1. art. 1. ubi docet, primum volibile alicujus voluntatis non posse esse primam volitionem ejus : quia volitio essentialiter supponit bonum volendum, ab ipsa volitione distinctum. Sicut eodem modo primum intelligibile alicujus intellectus, non potest esse ipsa prima intellectio ejus : quia intellectio necessario supponit verum intelligibile tanquam objectum cognoscendum, ab ipsa intellectione distinctum.

Secunda ratio dubitandi.

3 Secunda. Nam inter cognoscens, et cognitum primarium debet esse relatio saltim transcendentalis, scilicet mensurabilis ad mensuram : ergo cognoscens, et cognitum primarium debent saltim virtualiter distingui : ergo cum Deus, et ejus intellectio non distinguantur hoc modo, non poterit Deus esse objectum primarium suæ intellectionis. Hæc secunda conseq. patet ex priori. Prior vero ex antecedenti. Quoniam ea, quæ non distinguuntur saltim virtualiter, non possunt comparari per modum mensuræ, et mensurabilis : siquidem facta collatione inter mensuram, et rem mensurabilem, semper mensura est aliquo modo perfectior suo mensurabili. Antecedens autem etiam constat : quandoquidem perfectio intellectionis mensuratur ex ejus objecto primario; ita ut tanta, et non major sit perfectio illius, quanta istius in ratione objecti considerati : ergo objectum primarium comparatur per modum mensuræ respectu intellectionis, et per consequens hæc dicet habitudinem, saltim transcendentalem, ad illud, tanquam res mensurabilis ad suam mensuram.

§ II.

Decisio dubii.

Assertio.

4 Dicendum tamen est, Deum esse objectum primarium suæ intellectionis. Ita D. Thom. in præsenti, et de verit. quæst. 2. art. 2. necnon in 1. dist. 35. quæst. 1.

quæst. 1. art. 2. ad Anibaldum. et 1. cont. Gent. cap. 48. his verbis: *Ex præmissis autem apparet, quod Deus primo, et per sè solum se ipsum cognoscit.* Quem sequuntur omnes Theologi, et ideo ab eis in particulari referendis abstinendum.

Prior ratio assertionis.

Rationem autem fundamentalem adduxit S. Doct. cap. citat. his verbis: *Operatio intellectualis speciem, et nobilitatem habet, secundum id, quod est per se, et primo intellectum, cum hoc sit ejus objectum: si igitur Deus aliud a se intelligeret, quasi per se, et primo intellectum, ejus operatio intellectualis speciem, et nobilitatem haberet, secundum id, quod est aliud ab ipso: hoc autem est impossibile; cum sua operatio sit ejus essentia, et hæc, quippe ens a se, nequeat ab alio distincto ab ipso Deo speciem capere: sic igitur impossibile est, quod intellectum a Deo primo, et per se sit aliud ab ipso.*

Confirmatur.

Confirmatur ratione ejusdem S. Doctoris in eodem cap. quam sub hac fere forma, et sub his verbis S. Doctor proponit. Nam illa res est solum primo, et per se ab intellectu cognita, cujus specie tanquam objecti per se primo repræsentati, aut per se primo intellectui uniti, intelligit: sed Deus intelligit per speciem per se primo repræsentantem, seu unientem essentiam suam cum suo intellectu: igitur intellectum ab ipso primo, et per se nihil est aliud, quam ipsemet. Consequentia est nota. Minor autem etiam constat. Quia, ut dub. sequenti dicemus, species, per quam Deus intelligit, est sua essentia: hæc autem ut est species, per se primo unit se ipsam cum intellectu: quia ipsa in ratione speciei, nihil est aliud, quam ipsamet. Major autem probatur a D. Thom. ex eo, quod operatio proportionatur formæ, quæ est operationis principium: et ita intellectio elicita, aut quasi elicita ab specie, est illius tanquam objecti per se primo intellecti, cujus est illa species per se primo repræsentativa, aut unitiva.

Secunda ratio.

5 Secundo probatur ratione, quam insinuat idem S. Doct. supra quæst. 12. art. 4. quæ potest sub hac forma proponi. Nam objectum primarium divinæ intellectionis vel est Deus ipse, vel creaturæ, vel aliquid abstrahens ab utroque, sed non hæc duo posteriora: ergo illud prius. Major cum conseq. satis patent. Minor autem probatur. Quoniam objectum per se primum, ac connaturale alicujus virtutis cognoscitivæ, quale debet esse objectum per se primum divinæ intellectionis cum ea collatum, necnon et talis virtus debent convenire in eodem gradu immaterialitatis, ut constat ex iis, quæ ex eodem Angel. Doct. in tract. de Visione Dei, art. 2. et 4. diximus: at nec creaturæ, nec aliquid abstrahens a Deo, et creaturis convenit cum divino intellectu in gradu immaterialitatis, ut ex ibidem dictis constat, siquidem solus Deus est actus purus absque omni potentialitate, sicut intellectus divinus: ergo, etc.

Objectio.

6 Nec refert, si contra rationem hanc objicias, quod intellectio, seu intellectus divinus attingit in eodem prorsus signo rationis, et eodem simplicissimo actu tam essentiam divinam, quam creaturas: ergo creaturæ non sunt objectum secundarium divinæ intellectionis; sed inter objecta primaria illius sedem habebunt: ac proinde ad hoc, ut aliquid sit objectum primarium alicujus virtutis cognoscitivæ, non erit necessarium, ut conveniant in eodem gradu immaterialitatis. Hæc ultima conseq. patet ex priori. Prior vero etiam constat. Nam si Deus, et creaturæ compararentur per modum objecti primarii, et secundarii respectu intellectus divini, essentia divina in aliquo priori signo attingeretur, in quo nondum intelligerentur attingi creaturæ: siquidem per quamcunque cognitionem prius natura attingitur objectum primarium, quam secundarium. Antecedens autem probatur. Nam cum illa cognitio, qua Deus se ipsum cognoscit, sit in quocunque signo infinita, atque adeo comprehensiva sui ipsius, non potest non in quovis signo terminari simul ad Deum, et ad creaturas.

Occurritur.

Respondetur enim concedendo antecedens, et negando conseq. Nam ad hoc, ut creaturæ habeant se per modum objecti secundarii, et essentia divina per modum primarii, non oportet, ut prius etiam prioritate rationis attingatur essentia, quam creaturæ, ita ut in illo eodem signo adhuc rationis creaturæ non attingantur a Deo; sed sufficit, quod licet divina intellectio in quovis signo terminetur ad utrumque, nihilominus essentia Dei per se, et ratione sui, ac in se ipsa attingatur, creaturæ vero non nisi ratione essentiæ, et in ipsa prius visa: quamvis simul absque ulla prioritate *in quo* etiam rationis, et per eundem simplicissimum actum absque aliqua distinctione virtuali cognoscantur: ex eo, quod quoties objectum secundarium habet necessariam connexionem in ratione objecti cum prima-

rio in *esse* talis considerato, ut in præsenti contingit, non potest perfecte, et comprehensive intelligi primarium, quin in eodem signo, adhuc rationis, et per eundem simplicissimum actum, objectum illud secundarium cognoscatur.

Replica. 7 Nec etiam refert, si urgeas, quod si ad rationem objecti secundarii satis est, quod cognoscatur ratione alterius, quamvis utrumque simul, et modo dicto attingatur, consequens erit, ut etiam creaturæ possint respectu alicujus cognitionis divinæ dici objectum primarium, et essentia Dei secundarium : hoc autem est absurdum, ut ex se constare videtur : ergo, etc. Sequela probatur. Nam ex vi illius cognitionis, per quam Deus cognoscit creaturas, attingit etiam habitudinem dependentiæ, quam habent ab ipso Deo : et ex vi cognitionis prædictæ habitudinis, et ratione illius, cognoscit Deus se ipsum indirecte, et ut terminum talis habitudinis : ergo respectu hujus cognitionis, ut indirecte terminatæ ad ipsum Deum, ex eo, quod cognoscuntur creaturæ, habebunt se istæ per modum objecti primarii, et Deus per modum secundarii, si verum est, quod ad rationem objecti secundarii satis est illud attingi ratione alterius.

Enodatur. Respondetur enim negando sequelam. Quia totum hoc ducit ortum ex divina essentia, tanquam ex prima, et fontali ratione primario cognita : siquidem per eandem cognitionem, per quam attingitur Deus directe, et creaturæ ratione illius, et in ipso prius viso, tanquam objectum secundarium, attingitur ipse Deus indirecte, et ut terminus habitudinis creaturarum : et ita ipsæ non concurrunt per modum objecti formalis etiam ad prædictam cognitionem, ut indirecte terminatam ad essentiam Dei ; sed per modum objecti materialis, et secundarii.

Tacita quædam objectio diluitur. 8 Unde (ut per hoc tacita quædam objectio solvatur) licet repugnet dari in Deo cognitionem abstractivam formaliter talem, et quæ non habeat essentiam divinam pro objecto directo, et primario, sed pro indirecto tantum, vel secundario, quæque non attingat illud quoad *quid est*, sed præcise quantum ad *an est*, quia prædicta cognitio essentialiter involvit imperfectionem ; cæterum cognitio quoad *an est*, quæ sit eminenter abstractiva, et simul sit formaliter quidditativa, et intuitiva ejusdem objecti, ut habet rationem objecti primarii, ita ut hæ duæ rationes non distinguantur ex parte rei conceptæ, sive virtualiter, ut in præsenti contingit, bene potest reperiri in Deo : quia in hoc nulla involvitur imperfectio, sed solum quod eadem simplicissima, et comprehensiva cognitio Dei terminetur per se primo ad essentiam divinam, et secundario ad creaturas, simulque, ut modo dicebamus, attingat habitudinem dependentiæ ipsarum a Deo : et consequenter aliquo modo indirecte Deus ipse, ut terminus talis habitudinis attingatur.

§ III.

Fit obviam rationibus dubitandi initio adductis.

Responsio cujusdam junioris ad primam rationem dubitandi. 9 Ad primam respondet P. Herice, 1. part. tract. 1. disp. 4. cap. 1. quod licet *intelligere* constitutivum Dei sit intellectum a se ipso, non tamen est objectum reale, seu terminus realis ejusdem intellectionis : quia esse terminum, et objectum reale alicujus supponit ordinem realem transcendentalem inter utrumque, atque adeo distinctionem realem, ex eo, quod inter objectum, et id, cujus est objectum, debet esse realis oppositio : cæterum ad hoc, ut aliquid sit cognitum ab aliquo, non est necesse, ut realiter ab illo distinguatur ; imo nec quod adsit inter illa virtualis distinctio. Et ita licet *intelligere* constitutivum Dei sit realiter intellectum a se ipso, non tamen est reale objectum, aut terminus sui ipsius.

Rejicitur primo. Sed hæc solutio videtur pugnare cum communi Philosophorum, et Theologorum consensu, qui omnes unanimiter concedunt, quamlibet cognitionem cujusvis virtutis cognoscitivæ habere proprium objectum a quo suam speciem, aut quasi speciem desumat ; maxime vero cum doctrina D. Thom. infra, art. 5, ad 3. ubi ex eo, quod *intelligere* specificatur ab objecto mediante specie, colligit, quod divinum *intelligere* specificetur, aut quasi specificetur ab essentia divina, quæ est idem, quod suum *intelligere* : et in tota ista, quæst. sæpe repetit, quod in Deo intelligibile, et intellectus, id quod intelligitur, et id quo intelligitur, sunt eadem essentia divina : constat autem idem esse intelligibile, et id, quod intelligitur, ac objectum intelligibile, et intellectum.

Impugnatur secundo. Deinde. Nam licet terminus processionis, et originis distinguatur realiter a principio, a quo procedit, non tamen ab illo subjecto, seu quasi subjecto, quod informat,

format, aut quasi informat : ac proinde non intercedit inter utrumque respectus realis, etiam transcendentalis, ut patet in personalitatibus divinis, quæ sunt reales termini divinæ naturæ reddentes illam incommunicabilem : et tamen non distinguuntur realiter ab ea, ut docet. D. Thom. infra, quæst. 28. art. 3. Quare cum terminus intellectionis prout præcise dicit esse objectum illius, non debeat realiter procedere a virtute cognoscitiva, neque virtus cognoscitiva ab illo, sed solum requiratur, quod sint inter se intime unita in ratione objecti, et virtutis cognoscitivæ, et quo magis sunt unum, eo melius, et perfectius habent rationem objecti, et virtutis cognoscendi, inde est, quod esse objectum reale, seu (quod idem quoad præsens est) terminum respectu intellectionis, non debeat importare realem oppositionem, aut distinctionem, sed potius realem identitatem : atque ita in Deo vere, et realiter datur intellectus, et *intelligere*, necnon, et objectum intelligibile, aut objectum reale specificans, et terminans per modum objecti intellectionem, licet hæc omnia non distinguantur realiter, imo licet inter ea non intercedat distinctio, ex parte rei conceptæ, sive virtualis, sed solum ex parte nostri modi concipiendi, ut ex dictis, et infra dicendis constabit.

Vera solutio. 10 Quare ad argumentum aliter respondetur, concedendo antecedens, et negando conseq. Et ad probationem negandum est antecedens. Ad cujus probationem dicendum est, quod licet intellectio constitutiva Dei nequeat esse intellectio formaliter tantummodo reflexa supra se ipsam, quia ad hoc requirebatur saltim virtualis distinctio inter ipsam, ut intellectio, et objectum intellectum ; potest tamen esse eminentissimo modo simul directa, et reflexa respectu sui. Nam hoc ipso, quod est constitutiva divinæ naturæ intra lineam intellectualem, non potest non identificare sibi, absque aliqua distinctione virtuali, quidquid pertinet ad prædictam lineam : atque adeo rationem intellectionis, speciei intelligibilis, et objecti per se primo, et directe intellecti : ac proinde eo ipso habebit eminentissimo modo reflecti supra se ipsam, et esse simul directam, et reflexam. Reflexam quidem, ut ex se patet ; directam vero, et modo dicto, quia ut terminatur ad se ipsam, non habet aliud objectum, a quo sumat speciem præter se ipsam : sed ipsamet est intellectio, species intelligibilis, et objectum ultimatum per se primum respectu sui.

Ad confirmationem. Ad confirmationem concedendum est antecedens, si intelligatur in creatis ; secus tamen si in divinis propter rationem modo tactam. Et ad probationem ex testimonio illo D. Thom. desumptam, respondetur, sanctum Doctorem intelligendum esse de primo volibili, et intelligibili in creatis, non vero in divinis, ubi saltim ipsum *intelligere* est objectum primarium divinæ intellectionis. Ratio autem, propter quam diversimode in creatis, et in divinis philosophamur, est, quia in creaturis intellectio est aliquid causatum ab ipso objecto una cum intellectu, et propterea nequit esse objectum primarium respectu sui, ne idem sit verus effectus vere, et realiter causatus a se ipso : at in Deo intellectio constitutiva illius non est aliquid causatum ab objecto, sed hoc ipso, quod sit constitutiva Dei, debet esse ipsissimum objectum per se primo intellectum ab ipso Deo.

Ad secundam rationem dubitandi. 11 Ad secundam patet ex dictis, antecedens solum esse verum in creatis, non vero in divinis : ubi perfectio intellectionis constitutivæ Dei est ipsummet objectum primarium, absque aliqua distinctione etiam virtuali : et propterea solum ex parte nostri modi concipiendi potest ibidem ratio mensuræ, et mensurabilis inter se distinctæ, reperiri.

Quæ omnia complexus videtur Angelicus Doctor infra art. 2. ad. 2. et 3. ubi cum sibi opposuisset, quod cum aliquis intelligit se intelligere, hoc non est intelligere aliquid magnum, vel principale intellectum, sed intelligere quoddam secundarium, et accessorium. Si igitur Deus sit ipsum *intelligere*, tunc Deum intelligere, intelligere se, non erit intelligere principale intellectum, respondet : *Dicendum, quod cum intelligitur illud intelligere, quod non est subsistens, non intelligitur aliquid magnum,* (ac proinde nec principale intellectum) *sicut cum intelligimus intelligere nostrum : et ideo non est simile de ipso intelligere divino, quod est subsistens.* Nam sensus horum verborum est, quod hoc ipso, quod *intelligere* ex se sit subsistens, est ex se actus purus in genere intelligibili ; et ita simul est *intelligere*, et objectum principale, et intelligibile, ac intellectum : et per consequens eadem intellectio eminentissimo modo est simul directa, et reflexa, absque eo, quod realis habitudo inter eam, et suum objectum intercedat.

DUBIUM II.

Utrum objectum per se primum, et specificativum intellectionis essentialis Dei sit divina essentia, ut distincta ab attributis, et relationibus? an vero ut omnia hæc formaliter, et expresse dicit?

12 Postquam explicuimus, Deum esse objectum primarium suæ intellectionis, restat declarare sub quanam ratione munus hoc illi competat : et propterea dubium hoc, ad id exacte declarandum, excitamus.

§ I.

Refertur prior opinio.

Prima sententia docet, objectum per se primum, et specificativum intellectionis essentialis Dei esse divinam essentiam, ut complectitur omnem rationem, quæ formaliter est in Deo ; sive illa sit ipsamet essentia, ut distincta ab attributis, et relationibus : sive quævis alia ratio absoluta, aut relativa. Ita Gonzalez in præsenti disp. 35. num. 4. et alii.

Primum argumentum.

13 Probatur primo. Nam intellectio summe perfecta, qualis est cognitio essentialis Dei, debet habere pro objecto per se primo, et specificante ens summe, et omnibus modis perfectissimum : ergo debet habere essentiam divinam, prout complectitur omnem rationem formalem sive absolutam, sive relativam, quæ est in Deo ; non vero prout præcise dicit essentiam, quatenus distinctam a relationibus, et attributis. Antecedens videtur certum. Nam cum perfectio cognitionis desumatur ex suo objecto, oportet, ut intellectio summe perfecta habeat pro objecto specificante ens summe, ac proinde omnibus modis perfectissimum. Consequentia autem ex antecedenti constat. Nam sola essentia divina, prout complectitur tam essentiam, quam attributa, et relationes, est ens summe, et omnibus modis perfectissimum.

Secundum.

Secundo. Nam omnia prædicta possunt, et debent uniri per se ipsas in ratione speciei intelligibilis cum divino intellectu : ergo possunt, et debent æque esse objectum per se primum, et specificativum intellectionis Dei. Consequentia patet. Quia id, quod potest, et debet per se ipsum immediate uniri in ratione speciei cum intellectu, est objectum connaturalissimum illius : ac proinde pertinet ad objectum per se primum ejusdem. Antecedens autem videtur perspicuum : quandoquidem omnia illa habent conditiones requisitas, ad hoc, ut per se ipsa possint, et debeant uniri in ratione speciei intelligibilis cum divino intellectu : siquidem sunt ex se ipsis intelligibilia, imo suum *esse* intelligibile, et habent esse intime præsentia, et unita cum divino intellectu, et nihil aliud ad prædictam unionem desideratur.

Tertium.

14 Tertio. Nam relationes non possunt pertinere ad objectum per se primum divinæ intellectionis : ergo etiam attributa, et essentia ad illud pertinebunt : ac proinde divina essentia, ut omnia ista complectitur, erit objectum per se primum intellectionis essentialis Dei. Hæc secunda consequentia ex priori aperte constat. Prior vero ex antecedenti. Quia essentia, et attributa non sunt minus intelligibilia, minusque intima divino intellectui, quam relationes.

Antecedens autem probatur. Tum, quia objectum per se primum intellectionis essentialis, debet esse supernaturale, siquidem intellectio ipsa essentialis, et constitutiva Dei, prout est in se, est quid supernaturale : at Deus præcise, ut unus non importat aliquid supernaturale, quippe quod lumine naturæ est attingibile ab intellectu creato ; bene tamen, ut habet suum unicum *esse* in tribus personis, secundum quam rationem nequit lumine naturæ attingi : ergo, etc. Tum etiam : quia cognitio essentialis debet esse quidditativa, et intuitiva Dei, ac proinde debet per se primo terminari ad Deum, prout est in se, et consequenter, ut in tribus personis subsistit.

Quartum.

15 Quarto. Quia alioqui Trinitas personarum, et attributa essent objectum secundarium divinæ intellectionis ; atque adeo eodem modo essent objectum illius, ac creaturæ : consequens autem videtur absurdum : ergo, etc. Sequela videtur certa. Quia id, quod non est objectum per se primum, non potest esse nisi objectum secundarium : ergo si attributa, et relationes non sunt objectum per se primum divinæ intellectionis, erunt objectum secundarium illius ; et per consequens eodem modo habebunt rationem objecti, sicut creaturæ. Falsitas autem consequentis constat. Nam cum Trinitas personarum, et attributa habeant *esse* intelligibile infinite perfectius, quam creaturæ, debent

esse

esse objectum divinæ intellectionis longe perfectiori modo ac illæ.

Quintum. 16 Quinto. Nam tam essentia, ut distincta ab attributis, et relationibus, quam attributa, et relationes ipsæ conveniunt in eodem gradu immaterialitatis cum cognitione essentiali Dei : ergo attributa, et relationes, non minus pertinebunt ad objectum per se primum, et specificativum divinæ intellectionis, quam ipsa essentia, ut ab eis distincta. Antecedens videtur perspicuum. Quia omnia illa sunt actus puri intra propriam lineam; atque adeo sunt ejusdem immaterialitatis cum divina intellectione, quæ etiam est actus purus. Consequentia vero etiam constat. Quoniam ea, quæ conveniunt in eodem gradu immaterialitatis cum virtute cognoscitiva illorum, æque sunt objecta primaria prædictæ virtutis, et cognitionis illius, et æque concurrunt ad specificationem ipsius, ut inductive constat.

§ II.

Verior D. Thomæ sententia.

Assertio. 17 Dicendum tamen est, objectum per se primum, et specificativum intellectionis essentialis, seu constitutivæ Dei, esse solam divinam essentiam, ut distinctam ab attributis, et relationibus. Ita D. Thom. 1. cont. Gent. cap. 48. et in hoc art. his verbis : *Ex hoc enim aliquid in actu sentimus, vel intelligimus, quod intellectus noster, vel sensus informatur in actu per speciem sensibilem, vel intelligibilem : et secundum hoc tantum sensus, vel intellectus est aliud a sensibili, vel intelligibili : quia utrumque est in potentia. Cum igitur Deus nihil potentialitatis habeat, sed sit actus purus, oportet, quod in eo intellectum, et intellectus sint idem omnibus modis.* Ubi, ut vides, constituit identitatem omnibus modis inter *intelligere*, seu intellectum divinum, et inter objectum intellectum, a quo suam desumit speciem, atque adeo identitatem excludentem distinctionem etiam virtualem, quia sola hæc identitas est identitas omnibus modis : cumque sola divina essentia, ut distincta ab attributis, et relationibus, identificetur hoc modo cum suo *intelligere*, et intellectu : fit inde, ut juxta D. Thom. mentem, sola ipsa, ut sic distincta, sit objectum per se primum, et specificativum divini *intelligere*, seu intellectus Dei : qui, ut ex supra dictis constat, identificatur omnino cum *intelligere*. Unde hanc sententiam sequuntur Ferrara 1. contra Gent. cap. 48. ratione 1. et quamplures ex junioribus Thomistis, et deinde Scotus in 1. distinctione 1. quæst. 2. Suarez 9. de Trinitat. cap. 5. Vazquez 2. tom. 1. partis disp. 143. cap. 4. et alii multi.

Prior ratio assertionis. 18 Ratio prior, et fundamentalis hujus assertionis tacta est a D. Thom. in verbis relatis ex hoc art. quæ potest sub hac forma proponi, et explicari. Nam *intelligere* constitutivum Dei debet identificare sibi absque aliqua distinctione virtuali, tam intelligentem, quam ipsum objectum per se primo intellectum, et specificans intellectionem : sed sola essentia divina, ut distincta ab attributis, et relationibus, identificatur hoc modo cum *intelligere* constitutivo Dei : ergo sola ipsa erit objectum per se primum, et specificativum ejusdem intellectionis. Minor cum consequentia satis constant.

Probatio majoris quoad primam partem. Major autem quoad 1. partem. patet. Nam cum prædicta intellectio sit *intelligere* per se primo, et ex propriis meritis subsistens, oportet ut in eo omnimode identificentur ipsum *intelligere*, et id, quod intelligit.

Probatio illius quoad secundam. 19 Quoad secundam vero partem, scilicet intellectionem prædictam, et objectum per se primo intellectum debere omnino identificari (a quo tota vis hujus rationis pendet) probatur. Tum, quia cum ad intellectionem desideretur unio intellectus cum objecto intellecto, et quo hæc unio fuerit major, eo intellectio sit perfectior, fit inde, ut ad primam, et omnium perfectissimam intellectionem, tam inter creatas, quam inter divinas, qualis est intellectio constitutiva Dei, desideretur summa, et perfectissima unio, scilicet per omnimodam identitatem, excludentem distinctionem, adhuc virtualem, inter intellectum Dei, et objectum per se primo intellectum, et specificans illam, atque adeo inter prædictum objectum, et intellectionem ipsam constitutivam Dei, quæ (ut ex dictis constat) est idem omnino cum divino intellectu.

Alia probatio ipsius quoad eandem partem. Tum etiam : quia hoc ipso, quod intellectio, in qua consistit divina natura, sit prima formalitas constituens primam lineam inter omnes, quæ in Deo repe-

riuntur, oportet, ut sit per omnimodam identitatem ipsummet objectum per se primo intellectum, et specificativum ipsius. Quoniam objectum per se primum, et specificativum, quod non est omnibus modis idem cum eo, cujus est objectum, debet esse prius, saltim virtualiter, illo : et ita si prædictum objectum intellectionis constitutivæ esset virtualiter distinctum ab illa, non posset ipsa constituere primam lineam, primamque formalitatem inter omnes, quæ in Deo reperiuntur.

Ultima probatio ejusdem majoris quoad prædictam partem.

Tum denique : quia propterea intellectio divina per modum scientiæ non potest identificare sibi absque distinctione virtuali proprium objectum, sive subjectum, scilicet essentiam divinam, de qua demonstrat passiones, seu quasi passiones, quia prædicta scientia non est prima formalitas, primaque linea inter divinas, sed supponit aliam priorem lineam, scilicet lineam essentiæ. Et similiter ideo voluntas non est omnibus modis idem cum suo objecto, quia præsupponit eandem essentiam, quæ per se primo habet rationem boni per essentiam : ergo cum intellectio constitutiva Dei sit prima formalitas, primaque linea inter omnes divinas, identificabit sibi absque aliqua distinctione virtuali suum objectum per se primo intellectum, et specificativum ipsius.

Secunda ratio assertionis.

Secunda, et principalis ratio insinuatur a D. Thom. supra quæst. 1. art. 7. quæ potest sub hac forma proponi. Nam illud est objectum per se primum, et specificativum alicujus intellectus, sive intellectionis, omnino identificatæ cum intellectu, et natura intelligente, quod attingitur per se, et ratione sui; cætera autem non nisi ratione illius : ergo sola essentia divina distincta ab attributis, et relationibus erit objectum per se primum divini intellectus, et intellectionis cum eo, et cum natura divina omnino identificatæ. Antecedens videtur certum, ut inductive constat. Conseq. vero probatur. Quia essentia divina attingitur per se, et ratione sui; quippe quæ per se, et ratione sui est primum ens, et primum intelligibile, cætera vero non attinguntur, nisi ratione essentiæ. Et ita sicut ipsa est prima radix entitatis eorum, ita etiam et prima ratio intelligibilitatis ipsorum : et sicut non sunt entia divina, nisi quatenus (ut sic dicamus) participant essentiam divinam, ita non sunt intelligibilia formaliter, nisi ut participant, modo statim explicando, intelligibilitatem divinæ essentiæ.

§ III.

Evasiones adversariorum, et præclusio earum.

20 Quæ rationes sunt adeo efficaces, ut eis aliquantulum expensis, facile corruant solutiones, quæ ex doctrina adversariorum possent illis adhiberi : hoc autem aperte constabit, si sigillatim, et breviter eas retulerimus, et ex rationibus factis illas corruere ostendamus.

Responsio adversariorum ad primam rationem pro assertione.

In primis ergo priori rationi occurrunt, negando majorem quoad secundam partem, scilicet quod *intelligere* constitutivum Dei debeat identificare sibi absque omni distinctione adhuc virtuali objectum intelligibile, et specificativum ipsius. Et ad primam probationem dicunt, perfectissimum *intelligere* petere summam unionem possibilem cum suo objecto : at non est possibilis tanta unio, ut non maneat aliqua distinctio virtualis inter *intelligere*, et ejus objectum specificativum. Ad secundam vero probationem dicunt, objectum specificativum intellectionis debere esse prius in actu signato, non vero in actu exercito, quam *intelligere* : et ideo licet *intelligere* constitutivum Dei distinguatur a suo objecto virtualiter, non sequitur non esse primam formalitatem Dei in actu exercito, sed solum in actu signato : hoc autem non videtur inconveniens, ut ex iis, quæ in creatis accidunt, constat. Et propterea essentia Angeli per modum essentiæ consideratæ, est prior in actu exercito se ipsa sumpta in ratione objecti connaturalis sui intellectus, et posterior in actu signato : quia in ratione objecti habet prioritatem in actu signato, respectu sui in actu exercito consideratæ. Et tandem ad tertiam probationem negant antecedens : quia in eo redditur non causa pro causa ; sed causa, sive ratio, quare scientia non identificat sibi suum objectum absque distinctione virtuali, est, quia objectum specificativum, aut quasi specificativum cujusvis actus debet saltim virtualiter ab eo distingui.

Responsio eorundem ad secundam.

21 Deinde secundæ rationi respondent, aliud esse, an intelligibilitas conveniens relationibus, et attributis divinis habeat, quasi pendere in genere (ut sic dicamus) causæ

causæ efficientis ab essentia divina; aliud vero, an ab eadem, ut a causa in genere objecti, et formaliter tribuente illud *esse* intelligibile, procedat. Licet autem illud prius sit verum : non tamen hoc posterius, sicut licet intelligibilitas entis mobilis procedat a Deo, ut a primo efficienti; non tamen ut a causa formali in genere objecti, et tribuente formaliter illud *esse* intelligibile, quod a Philosophia attingitur. Cæterum ad hoc, ut essentia divina solummodo esset objectum per se primum intellectionis constitutivæ Dei, requirebatur illud prius, et non sufficit hoc posterius, ut in exemplo posito cernitur. Et propterea ens nobile per se habet propriam intelligibilitatem adæquatam, et specificantem Philosophiam; licet sit primum principium effectivum illius.

Rejicitur prior evasio quoad id, quod primo loco in ea continetur.

22 Ex dictis igitur, et ex aliquali ratione, quas ex D. Thom. adduximus, ex pensione solutiones istæ facile corruunt. Prima quidem. Nam hoc ipso, quod linea intellectionis constitutivæ Dei sit linea unionis perfectissimæ intellectus cum suo objecto, bene sequitur esse possibilem unionem summam inter eandem intellectionem, et suum objectum per se primum, et specificativum, pertingentem ad identitatem excludentem distinctionem adhuc virtualem inter ipsa. Et ratio videtur perspicua. Nam ex eo, quod essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, uniat perfectissime, et per modum quasi actus primi, ac intra propriam lineam, objectum per se primum ipsius cum intellectu, bene sequitur, eam non distingui, adhuc virtualiter, ab eodem objecto : ergo etiam ex eo, quod intellectio constitutiva Dei correspondens per se primo, et directe huic speciei sit, modo sibi debito, linea unionis perfectissimæ, et per modum actus secundi, intellectionis, et intellectus cum eodem objecto, recte sequetur, non distingui virtualiter ab eodem objecto per se primo, et specificativo. Conseq. videtur legitima. Quoniam species intelligibilis, et intellectio pertinent ad unam, et eamdem lineam, ut in tract. de Visione Dei disp. 2. num. 68. tetigimus, et in hoc eodem tract. disp. sequenti num. 54. et de Voluntate Dei, disp. 2. num. 34. dicemus : ac proinde non distinguuntur virtualiter, sed sunt una, et eadem formalitas. Et ita si species intelligibilis identificatur in Deo absque distinctione virtuali, et quasi per modum actus primi cum suo objecto per se primo, et specificativo, etiam intellectio divina identificabitur absque eadem distinctione, et quasi per modum actus secundi cum eodem objecto per se primo, et specificante.

Antecedens vero probatur. Nam de ratione essentiæ divinæ, ut habet rationem speciei intelligibilis omnino perfectissimæ, et nobilissimo modo unientis suum objectum per se primo cum divino intellectu, est, ut absque distinctione virtuali sit prædictum objectum, alioqui nec tale objectum esset perfectissimum, neque ipsa esset perfectissima in ratione speciei intelligibilis : siquidem perfectissimum objectum intelligibile est summe immateriale; atque adeo se ipso absque distinctione virtuali potest uniri in ratione speciei intelligibilis : et per consequens perfectissima species intelligibilis petet, ut omnino sit idem cum suo objecto. Unde licet in creatis objectum uniatur per se ipsum cum proprio intellectu in ratione speciei intelligibilis; nihilominus, quia non est omnino perfectissimum intelligibile, ex eo, quod non est actus purus, sed habet aliquid admixtum de potentialitate, propterea in eo *esse* entitativum, et *esse* intelligibile distinguuntur virtualiter, ut ex iis, quæ in tractatu de Visione Dei disp. 2. num. 47. diximus, satis constat : ac proinde prædictum objectum, et ejus species intelligibilis debent virtualiter distingui.

Additamentum.

23 Accedit, quod hoc ipso, quod linea intellectionis constitutiva Dei, sit prima, et fontalis linea inter omnes illas, quæ in eo reperiuntur, oportet, ut sit linea identificans sibi absque distinctione virtuali suum *esse* existentiæ : ergo etiam oportebit, ut ejus objectum per se primum, et specificativum sit sola divina essentia. Antecedens est certum. Nam cum *esse* existentiæ sit ultima actualitas essentiæ, sine qua est in statu potentialitatis, oportet, ut pertineat ad eandem lineam cum essentia, ut patet ex iis, quæ in tractatu de Voluntate Dei disp. 2. num. 34. dicemus : ac proinde etiam oportebit, ut intellectio constitutiva Dei sit ita actus purus, ut identificet sibi absque distinctione virtuali suum *esse* existentiæ. Conseq. etiam constat. Quoniam objectum per se primum intellectionis constitutivæ Dei debet convenire in eodem gradu immaterialitatis cum ipsa, ut constat ex iis, quæ in prædicto tract. de Visione Dei disp. 2. num. 152. et deinceps asseruimus : ergo cum intellectio constitutiva Dei sit in gradu immaterialitatis ita perfecto, et purissimo, ut pertingat

ad hoc, ut sit suum *esse* absque distinctione virtuali; consequens erit, ut sola divina essentia sit objectum per se primum, et specificativum ipsius, siquidem sola ipsa est suum *esse* absque distinctione virtuali, et attributa, et relationes solum existunt per existentiam ejusdem essentiæ virtualiter ab eis distinctam.

Impugnatur eadem evasio, quoad id, quod secundo loco adducit.

24 Ex quo etiam constat, quam parum roboris habeat eadem solutio, quoad id, quod secundo loco, et ad occurrendum secundæ probationi minoris prædictæ adducit. Nam licet ea, quæ distinguuntur realiter a sua existentia, vel de quorum formalissimo conceptu, ut ad suam lineam præcise spectant, non est ipsum actuale exercitium existendi, possint cum fundamento in re, sive prioritate virtuali esse priora in actu signato, quin sint priora in actu exercito: attamen id, de cujus formalissimo conceptu est ipsum actuale exercitium existendi, seu ipsum *existere*, non potest esse prius in actu signato, quin ex parte sua habeat eandem prioritatem in actu exercito: ergo hoc ipso, quod objectum per se primum intellectionis constitutivæ Dei debeat esse suum *esse* existentiæ absque distinctione virtuali, ac proinde debeat dicere ipsum exercitium existendi, non poterit habere prioritatem in actu signato respectu prædictæ intellectionis constitutivæ Dei, et non habere illam in actu exercito: et per consequens talis intellectio constitutiva Dei, erit prima formalitas illius, ut supponitur, et non erit prima formalitas ejusdem: siquidem objectum specificativum intellectionis, et virtualiter distinctum ab illa, debet habere prædictam prioritatem virtualem respectu ipsius.

Evertitur prædicta evasio quoad id, quod ultimo affert.

25 Ex quo etiam satis liquet, quomodo id, quod ultimo loco ad solvendam ultimam probationem hujus primæ rationis adducitur, evanescat. Nam ex dictis constat, quomodo aliæ lineæ divinæ ex hoc præciso capite, quod sint lineæ (ut sic dicamus) secundæ, seu quasi pendentes a prima fontali linea, debent virtualiter distingui a suo objecto per se primo, et specificante. Nec probatio ibidem adjuncta aliquid convincit. Nam terminus primæ, et perfectissimæ lineæ ad ordinem absolutum spectans debet absque distinctione virtuali identificari cum illa. Et propterea, ut nuper dicebamus *esse* existentiæ, quæ formaliter, et eminenter est terminus essentiæ divinæ, et est quid absolutum, identificatur hoc modo cum ipsa; non vero cum aliis formalitatibus divinis, quæ ratione divinæ essentiæ per illam terminantur.

Explodiatur solutio secundæ rationis pro assertione.

Per quod etiam solutio, quæ secundæ rationi adhibetur, satis corruit. Quoniam essentia divina non solum debet esse ratio a priori, a qua attributa, quasi in genere principii activi per naturalem resultantiam dimanant, sed etiam ratio formalissima in genere objecti reddens illa, et cuncta, quæ sunt in Deo formaliter intelligibilia per intellectionem constitutivam ipsius Dei: siquidem, ut nuper dicebamus, objectum per se primum, et specificativum prædictæ intellectionis, quodque non potest non esse connaturale illi, debet convenire cum ipsa in eodem gradu immaterialitatis; et per consequens id, quod quasi evehit ea, quæ per eandem intellectionem attinguntur, ad hoc, ut conveniant cum ea in suo immaterialitatis gradu, erit formalissima ratio in genere objecti, per quam formalissime in ratione attingibilium constituuntur: ergo cum attributa, et relationes divinæ non conveniant cum intellectione constitutiva Dei in proprio gradu immaterialitatis ipsius, nisi quatenus imbibunt divinam essentiam, et ratione illius, consequens erit, ut divina essentia sit ratio formalissima in genere objecti constituens omnia illa in ratione attingibilium per prædictam intellectionem.

Exemplum adversariorum evanescit, et contra illos retorquetur.

26 Unde exemplum de ente mobili, habenti suam intelligibilitatem a Deo, et nihilominus se ipso formaliter terminante per modum objecti Philosophiam, nihil contra rationem D. Thom. convincit: siquidem Deus respectu illius tantum concurrit effective, non vero formaliter: quinimo ex vi prædicti exempli potest major confirmatio pro nostra ratione adduci. Nam sicut ens mobile est objectum adæquatum Philosophiæ, non vero hoc, vel illud ens mobile, ex eo, quod particularia entia mobilia non terminant formaliter habitudinem Philosophiæ ad ipsa, nisi ratione entis mobilis generaliter sumpti, quod in illis includitur, et propterea non terminatur ad hominem, v. gr. (si de ratione formalissima terminandi ex parte objecti intrinseci se tenente loquamur) quia est hoc ens mobile, nempe ens mobile humanum: sed quia est ens mobile: ita quia intellectio constitutiva Dei non terminatur formalissime ad attributa, v. gr. ad æternitatem, quia æternitas est, sed quia imbibit divinam essentiam, quæ est suum *esse*, propterea

terea eadem divina essentia est ratio formalissima objectiva, ac specificativa ejusdem intellectionis.

Corroboratur. 27 Confirmatur ratione desumpta ex Angelico Doctore. Quia Verbum Divinum non procedit aut procedere potest per se primo simile attributis, nec communicantur, aut communicari possunt illi relationes Paternitatis, aut Spirationis passivæ : ergo signum est attributa, et relationes non posse uniri per se ipsas ; sed solum ratione essentiæ in ratione speciei intelligibilis cum divino intellectu : ergo etiam signum erit non esse per se, et formalissime intelligibilia a divino intellectu, nisi ratione divinæ essentiæ tanquam objecti per se primi, et specificativi. Hæc ultima consequentia ex priori constat. Quoniam si attributa, et relationes essent per se, et ratione sui, et non ratione essentiæ intelligibilia per intellectionem Dei, possent per se, et ratione sui, et non ratione essentiæ uniri in ratione speciei intelligibilis cum intellectu illius.

Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Quia si attributa per se, et ratione sui possent uniri in ratione speciei, non posset non Verbum Divinum procedere per se primo simile illis : sicut propter hanc rationem non potest non procedere simile essentiæ. Et similiter si relationes Paternitatis, aut Spirationis passivæ essent unibiles ratione sui per modum speciei, tunc ex hoc capite deberent prædictæ relationes communicari Verbo Divino, et simul deberent non communicari propter oppositionem relativam, quam cum eo habent. Antecedens autem ex iis, quæ in tractatu de Trinitate communiter a Theologis asseritur, et nos cum illis ibidem dicemus, satis constat.

§ IV.

Diluuntur omnia argumenta primæ sententiæ præter ultimum.

28 Ad primum respondetur distinguendo antecedens : *Ens summe, et omnibus modis perfectissimum*, quod possit identificari absque aliqua distinctione virtuali cum eadem intellectione summe perfecta, concedendum est : *Ens summe, et omnibus modis perfectissimum*, quod nequit identificari absque prædicta distinctione cum tali intellectione, negandum est : quia, ut ex dictis constat, ad intellectionem summe perfectam, qualis est intellectio prima, et essentialis Dei, requiritur objectum, quod ita habeat omnes perfectiones, et modos illarum, ut sit modo tacto identificabile cum eadem intellectione : cumque hoc solummodo possit convenire illi formalitati divinæ, quæ ex se est omnium nobilissima, quæque eminenter, et per modum primæ radicis continet omnes perfectiones divinas, et omnes modos eas habendi, qualis est essentia divina, consequens est, ut ipsa sola sit ens summe, et omnibus modis perfectissimum, qualiter ad rationem objecti prædictæ intellectionis desideratur.

Alia solutio primi. 29 Secundo respondetur distinguendo aliter idem antecedens : *Ens summe, et omnibus modis perfectissimum*, quod ex se, et ex propriis meritis præcise habuerit convenientiam in gradu immaterialitatis cum intellectione constitutiva Dei, concedendum est : *Ens summe, et omnibus modis perfectissimum*, quod ex se, et ex propriis meritis hoc non habuerit, negandum est. At sola essentia divina, ut distincta ab attributis, et relationibus, est hoc modo omnibus modis perfectissima : quia ipsa solummodo est suum *esse*, non vero alia nisi ratione ipsius, et ut eam, modo tamen alibi dicendo, includunt.

Corollarium. 30 Unde licet misericordia divina, aut justitia, v. gr. secundum id, quod a se, et a propria linea habent, pertineant ad ordinem divinum, quia ex se sunt capacia imbibendi secundum proprium uniuscujusque modum, essentiam divinam, ut habet rationem transcendentis, et identificandi se realiter cum illa, ut habet rationem essentiæ, et naturæ : non tamen ex vi propriæ lineæ præcise sumptæ conveniunt cum intellectu Dei in gradu immaterialitatis, licet absolute, et simpliciter habeant convenientiam cum illo. Quoniam non possunt non, hoc ipso, quod pertineant ad ordinem divinum, et sint in Deo, includere essentiam per modum transcendentis : et ita ratione sui sunt proxime capacia talis inclusionis, et convenientiæ in gradu immaterialitatis : et ratione essentiæ inclusæ habent talem convenientiam. Sicut licet relationes, ut tales pertineant ad ordinem divinum, non tamen ratione sui dicunt bonitatem, et perfectionem ; atque adeo nec sunt objectum formale voluntatis divinæ, sed ratione essentiæ, quam includunt. Et ita ex eo, quod sint in Deo, et spectent ad ordinem divinum, sunt

proxime capacia inclusionis essentiæ, et totius bonitatis, et perfectionis, quam ipsa habet : et ratione ejusdem essentiæ sunt formaliter bonæ, et perfectæ, et pertinent formaliter ad objectum divinæ voluntatis tanquam quid includens objectum formale ipsius.

Prior solutio ad secundum.

31 Ad secundum respondent aliqui, attributa, et relationes, quantum est ex se, posse uniri per se, et ratione sui per modum speciei intelligibilis cum divino intellectu, quamvis de facto non uniantur : ex eo, quod prævenitur hæc unio per unionem essentiæ divinæ, ut deservit ad cognoscendum tam se ipsam, quam omnia divina : et propterea superfluit alia unio, per quam relationes per se ipsas, et ratione sui uniantur per modum speciei.

Probabilior alia solutio.

32 Sed licet hæc solutio sit probabilis, et propterea nos aliqualiter eam alibi insinuavimus : attamen probabilius est, et magis consonum doctrinæ D. Thom. nuper adductæ quod sola essentia divina potest uniri per se, et ratione sui cum divino intellectu : cætera vero non nisi ratione essentiæ, et ea mediante, ut intuenti nuper dicta constabit.

Quibus etiam addi potest ratio alia, quam in tract. de Visione Dei art. 2. tetigimus. Quoniam ex eo, quod essentia divina possit uniri in ratione speciei intelligibilis ad cognoscendum relationes, et attributa, satis colligitur, eas non posse habere rationem speciei respectu sui, quia id, quod per se, aut ratione sui est actu intelligibile respectu alicujus intellectus, nequit reddi intelligibile ab illo ratione alterius. Sicut quod per se, et ratione sui est ipsa albedo, nequit reddi talis ratione alterius : ergo cum species intelligibilis distincta ab objecto reddat illud intelligibile, signum est, quod si relationes, et attributa redduntur intelligibilia per essentiam divinam, tanquam per speciem, quod omnia hæc non sunt per se, et omnino complete intelligibilia ab intellectu divino, ita ut per se, et ratione sui possint habere rationem speciei. Quare D. Thom. et ejus discipuli ex eo, quod essentia divina potest per se, et ratione sui uniri per modum speciei intelligibilis cum intellectu beato, atque adeo per se ipsam est intelligibilis respectu illius, colligunt non posse dari speciem repræsentativam Dei ab eo distinctam, ne id, quod est ratione sui, et per essentiam intelligibile, reddatur intelligibile ab aliquo alio.

Unde juxta hunc modum dicendi respondetur ad argumentum negando antecedens. Et ad probationem negari etiam debet antecedens. Quia tam attributis, quam relationibus deest, ut per se, et ratione sui sint suum *esse* : ac proinde, quod per se, et ratione sui sint suum *esse* in ordine intelligibili : siquidem in divinis *esse* seu *existere* naturale, et in ordine intelligibili identificantur absque aliqua distinctione virtuali.

Ad tertium.

33 Ad tertium negandum est antecedens in sensu jam explicato. Et ad primam probationem constat ex dictis in tractatu de Visione Dei, quomodo licet per impossibile Deus non esset Trinus, sed tantum Unus, nihilominus *esse*, quod haberet, prout esset in se, non posset non habere rationem entis supernaturalis. Unde qua ratione supernaturale est, secundum prædicata absoluta, quæ modo habet, nequit attingi lumine naturæ, sed tantum lumine supernaturali, quia hoc solummodo terminatur ad objectum supernaturale, quatenus in ratione objecti est tale.

Ad secundam probationem dicendum est, quod licet ad cognitionem intuitivam desideretur, ut attingat rem secundum modum subsistendi, quem habet, non tamen, ut formalis ratio terminandi sit prædictus modus subsistendi, sed sufficit illum attingi sub ratione essentiæ.

Ad quartum.

34 Ad quartum, ut respondeamus, notandum est ex Ferrara loco supra citato, dupliciter posse aliquid dici esse objectum per se primo cognitum. Uno modo, quia per se, et ratione sui attingitur, et simul est ipsa formalis ratio, *sub qua* omnia ad virtutem cognoscitivam referuntur : et ita simul habet esse quid adæquatum in ratione objecti formalis respectu prædictæ virtutis cognoscitivæ : ex eo, quod nihil attingitur ab illa, nisi in quantum induitur illa ratione formali, et eam aliquo modo participat. Alio modo dicitur aliquid primo, et per se cognitum, ex hoc, quod non cognoscatur in alio objecto ab eo realiter distincto, et prius cognito, licet ratione alterius tanquam rationis *sub qua*, seu objecti formalissimi, in ipso tamen inclusi, attingatur.

Quæ omnia cernere licet in auditione soni acuti, ubi sonus ipse acutus dicitur hoc posteriori modo cognosci per se primo ab auditu, quia non percipitur in alio sono realiter distincto, et prius audito ; non tamen dicitur illo priori modo attingi per se primo ab auditu : quia ratio formalis

lis ex parte objecti se tenens, *sub qua* attingitur, non est sonus acutus, quia acutus alioqui auditus solum posset percipere sonum acutum, sed quia est sonus : et ita ratio soni in ipso sono acuto inclusa est, quæ per se primó in ratione obecti formalissimi, et specificativi attingijitur.

35 Licet ergo essentia divina, ut distincta ab attributis, et relationibus, sit priori illo modo per se primo intellecta : attamen attributa, et relationes sunt hoc posteriori modo objectum per se primum intellectionis constitutivæ Dei : at illud prius satis est ad hoc, ut essentia divina ratione prædictæ primitatis specificet intellectionem essentialem Dei. Sicut etiam in sono, ut tali sufficit, quod eodem proportionali modo terminet per se primo auditum ad hoc, ut sit objectum per se primum specificativum, licet sonus acutus habeat etiam suo modo terminare per se primo eundem auditum.

Hinc ergo ad formam prædicti argumenti neganda est sequela, si intelligatur de objecto secundario rigorosissime sumpto : secus tamen si de illo non ita rigorose fiat sermo, sed accipiatur prout ambit quidquid habet admixtum aliquid (ut sic dicamus) secunditatis in ratione objecti : ex eo, quod modo explicato attingitur ratione alterius, ac proinde non specificat ratione sui, sed ratione illius, a quo, modo explicato, habet attingi. Et ad probationem sequelæ patet ex modo dictis. Unde attributa, et relationes non pertinent ad objectum secundarium divinæ intellectionis eo modo, quo creaturæ : siquidem istæ non imbibunt, sed identificant sibi divinam essentiam, sicut attributa, et relationes.

§ V.

Occurritur ultimo argumento.

36 Ad ultimum, desumptum ex convenientia in gradu immaterialitatis attributorum, et relationum divinarum cum cognitione essentiali Dei, patet ex dictis, quomodo licet relationes, et attributa sint actus puri intra propriam lineam : ex eo, quod ad hanc puritatem satis est omnimoda separatio a materia, et a potentialitate, non tamen pertingunt ad tantam immaterialitatem, et actualitatem, quanta est in divina essentia, ut ab illis distincta, ita ut hoc habeant per se, et ratione sui : quandoquidem divina essentia, ut ab eis distincta, est ita actus purus, ut pertingat ad hoc, ut sit formalissime suum *esse*, seu *existere*, non tamen attributa, et relationes, nisi ratione essentiæ, et ut illam includunt. Unde ratio actus puri nobiliori modo reperitur in essentia, quam in aliis : et propterea sola divina essentia potest uniri cum intellectu Dei in ratione speciei, quia ipsa, non vero attributa, et relationes, habent convenientiam in puritate, et actualitate jam dicta cum intellectu Dei.

37 Nec refert, si dixeris, quod licet essentia divina, et intellectio essentialis constitutiva illius dicat totam hanc actualitatem, et immaterialitatem, non vero attributa, et relationes secundum se sumpta; nihilominus hæc immaterialitas, solum de materiali, et quasi per accidens importatur ab eadem intellectione essentiali, ut constituit gradum immaterialitatis sibi debitum : per se autem, et formaliter, solum dicit, quod sit actus purus, et infinitæ immaterialitatis : hoc autem etiam convenit relationibus divinis, et attributis secundum se consideratis : ergo nihil ex hoc capite oberit, quominus possint pertinere ad objectum specificativum prædictæ intellectionis, non minus ac ipsa divina essentia. Minor cum consequentia ex se, et ex iis, quæ in tractatu de Volunt. Dei disp. 2. num. 34. dicemus, constant. Objectio.

Major autem probatur. Nam licet intellectiones, et intellectus diversorum Angelorum se excedant in immaterialitate, ex eo, quod eorum immaterialitates sunt specie distinctæ; nihilominus totus hic excessus est de materiali, et per accidens, ut constituit gradum, quia satis est ad gradum intellectus, et intellectionis Angelicæ, quod sint separata ab omni materia, quamvis non ab omni potentialitate : ergo similiter in præsenti, licet intellectus divinus, et intellectio essentialis excedant relationes, et attributa in immaterialitate pertingente ad identificandum secum suum *esse* existentiæ, absque distinctione virtuali; attamen excessus iste de materiali, et per accidens se habebit.

Quoniam ad gradum intellectus, et intellectionis divinæ, satis est, quod sit sequestrata ab omni materia, et potentialitate : et propterea gradus iste solum in Deo potest reperiri.

Confirmatur primo.

38 Confirmatur primo. Nam immaterialitas, quam dicunt relationes, et attributa quatenus distincta ab essentia, pertinet ad aliquem gradum, siquidem est infinite nobilior aliis immaterialitatibus creatis constituentibus gradum : at non pertinet ad aliquem gradum creatum, nec correspondet per se primo alicui intellectui creato : ergo pertinet ad gradum increatum, et per se primo corespondet intellectui creato.

Confirmatur secundo.

Confirmatur secundo. Nam attributa, et proprietates Angelicæ pertinent ad eundem immaterialitatis gradum cum ipsa essentia Angeli, ut ex iis, quæ in tract. de Visione Dei diximus, satis constat : ergo etiam attributa, et relationes divinæ erunt in eodem immaterialitatis gradu cum essentia divina. Conseq. patet. Tum ex paritate rationis. Tum etiam : quia alioqui proprietates Angelicæ essent nobiliores, et immaterialiores in suo ordine, quam attributa divina in suo : siquidem illæ sunt in eodem immaterialitatis gradu cum sua radice; secus vero ista.

Confirmatur ult.

39 Confirmatur tandem. Nam vel per hoc, quod attributa, et relationes non pertingant ad hoc, ut secundum se, et præcise ex vi propriæ lineæ sint suum *esse*, habent admixtum aliquid potentialitatis, vel non? Si primum, ergo adhuc intra propriam lineam non sunt actus puri, nec infinite perfecti, nec attributa, aut relationes propriæ Dei, et in ipso formaliter existentia : siquidem hæc admixtio potentialitatis pugnat cum iis, quæ formaliter sunt in Deo. Si autem secundum dicatur, ergo habent omnem excogitabilem immaterialitatem, et puritatem in ratione actus puri, ita ut quod sint vel non sint suum *esse* nihil addat, vel minuat de immaterialitate, et puritate. Patet consequentia. Nam sicut aliqualis puritas, et immaterialitas in ratione actus excludit aliqualem potentialitatem, et major puritas majorem potentialitatem, ita quod excluserit omnem potentialitatem, erit summe immateriale, summeque purum in ratione actus, sive habeat, sive non habeat identificatum sibi absque distinctione virtuali suum *esse* existentiæ : siquidem hæc identitas non requiritur ad hanc exclusionem, nec defectus prædictæ identitatis tollit quominus ea, quæ non sunt sic identificata, excludant omnem admixtionem potentialitatis, ut in attributis, et relationibus divinis cernere licet.

Solutio objectionis.

40 Respondetur enim negando majorem. Et ad probationem, concesso antecedenti, neganda est consequentia. Et ratio disparitatis desumitur : tum ex dictis pro assertione. Tum etiam ex eo, quod intellectus Angelicus, v. g. Gabrielis, aut ejus essentia non pertinet ad gradum immaterialitatis jam dictum, quia est intellectus, aut essentia Gabrielis ; sed quia est intellectus, aut essentia Angelica. Et propterea quidquid se habuerit per accidens respectu essentiæ, aut intellectus Angelici, quatenus talis, habebit etiam se de materiali, et per accidens respectu illius, ut constituit gradum : cumque ad essentiam, seu intellectum Angelicum secundum se præcise consideratum, per accidens se habeat, quod sit intellectus Gabrielis, ac proinde etiam per accidens se habeat excessus ille, quo prædictus intellectus, quatenus Gabrielis, excedit in immaterialitate intellectus aliorum Angelorum ; inde est, ut prædictus intellectus de materiali, et per accidens importetur ab eodem intellectu, quatenus constituit prælictum gradum. Cæterum essentia divina, et intellectus ejus constituunt proprium gradum immaterialitatis, quatenus est essentia, et intellectus proprius Dei. Et ita immaterialitas illa, quæ non se habuerit quasi per accidens ad essentiam, et intellectum Dei, quia Dei est, non se habebit de materiali, et quasi per accidens ad illa, quatenus constituunt gradum immaterialitatis sibi proprium ; cumque ad essentiam Dei, ut talem non se habeat quasi per accidens, quod sit ita immaterialis, et actus purus, ut sit suum *esse* absque distinctione virtuali, quia, ut sæpe diximus, actualitas existentiæ est ultima actualitas essentiæ, et pertinet ad eandem lineam : et similiter ad intellectum Dei, quatenus talem non se habeat quasi per accidens, quod eodem modo sit suum *esse*, quandoquidem etiam pertinet ad eandem lineam essentiæ, et naturæ intellectualis, ut ex sæpe dictis liquet, fit inde, ut prædicta immaterialitas, et puritas, quæ sit tanta, ut pertingat ad hoc, ut sit suum *esse* absque distinctione virtuali, non se habeat

habeat quasi per accidens, et de materiali ad intellectum, et essentiam Dei, ut constituunt suum immaterialitatis gradum.

Additamentum.

41 Accedit (per quod magis explicatur hoc ipsum) quod cum essentia, et intellectus Angelicus non petant summam immaterialitatem et actualitatem in esse entis, propterea gradus immaterialitatis, quem importat, non est summus in ratione gradus immaterialitatis, et actualitatis: sed habet admixtam potentialitatem, et propter rationes in tract. de Visione Dei disp. 2, num. 165. adductas, habet se per accidens, et de materiali in illo, quod sit intellectus Gabrielis, aut Michaelis, et per consequens etiam excessus ille immaterialitatis, quo unus alterum excedit. At puritas, et immaterialitas, quam in *esse* entis debet per se afferre intellectus, et essentia divina, debet esse summa puritas, summaque immaterialitas omnium excogitabilium. Et ideo gradus immaterialitatis per se ab eis importatus debet esse summe perfectus, summeque purus inter omnes excogitabiles : cumque ad summam actualitatem, et immaterialitatem in *esse* entis requiratur, ut intellectus, et essentia divina sit suum *esse* absque distinctione virtuali, ex eo, quod, ut modo dicebamus *esse*, seu existentia pertinet ad eandem lineam essentiæ divinæ, et quæ ad eandem lineam pertinent, debent in divinis absque prædicta distinctione identificari, inde est, ut hæc eadem summa puritas, et immaterialitas requiratur ad constituendum summum, et perfectissimum immaterialitatis gradum essentiæ divinæ, et ejus intellectui debitum.

Nec oppositum convincit id, quod ibidem adducitur, scilicet, quod illa immaterialitas, quæ convenit divinis attributis, et relationibus ex vi propriæ lineæ, non potest esse propria alicujus entis creati, nec correspondere alicui intellectui creato, ac proinde debet esse propria Dei, et intellectus divini.

Non itaque aliquid ex hoc convincitur, ut ex iis, quæ numero sequenti dicemus, constabit.

Enodatio primæ confirmationis.

42 Ad primam confirmationem distinguenda est major : *Quatenus distincta ab essentia pertinent ad aliquem immaterialitatis gradum*, omnino per se primo, neganda est ; non omnino per se primo concedi debet. Et deinde concedatur minor, ac eodem proportionali modo distinguatur consequens. Itaque attributa divina, ex eo, quod sunt separata ab omni potentialitate, pertinent ad gradum immaterialitatis intellectus divini, quamvis non omnino per se primo : siquidem hoc ipso, quod sint depurata ab omni potentialitate, sunt proxime capacia ad hoc, ut imbibant divinam essentiam per modum transcendentis, et identificentur cum illa, ut habet rationem essentiæ, et ratione illius habeant in se aliquid, secundum quod sint suum *esse* absque distinctione virtuali. Et ideo ex qua parte habent ex se hanc capacitatem, sunt extra totam lineam immaterialitatis creatæ, et pertinent aliquo modo ad gradum immaterialitatis divini intellectus : et ex quo capite non ex vi suæ lineæ, sed ratione divinæ essentiæ, quam imbibunt, et cum qua identificantur, sunt quoad illam suum *esse*, et quatenus identificata cum ea, non vero ex se habent etiam, quod sint suum *esse* absque distinctione virtuali : propterea non omnino per se primo pertinent ad prædictum gradum.

Diluitur secundæ confirmatio.

43 Ad secundam confirmationem concedendum est antecedens, et neganda consequentia. Et ad primam probationem neganda est paritas ibidem insinuata propter ea, quæ jam diximus. Ad secundam vero probationem neganda est sequela. Nam quod proprietates Angelicæ pertineant ad eundem immaterialitatis gradum cum essentia Angeli, provenit ex imperfectione illius gradus : at quod attributa divina secundum id, quod præcise habent ex vi suæ lineæ, non pertineant omnino per se primo ad eundem immaterialitatis gradum cum divina essentia, provenit ex maxima perfectione eorum supra omnem gradum immaterialitatis creatæ, et ex maxima actualitate, et immaterialitate divinæ essentiæ, ut constituit suum immaterialitatis gradum. Et propterea non sequitur, proprietates Angelicas esse nobiliores, et immaterialiores in suo ordine, quam attributa divina in suo. Sicut licet verbum creatum, juxta probabilem multorum sententiam, identificetur cum dictione, per quam producitur : ita ut una, et eademmet entitas habeat rationem dictionis activæ, et verbi (quod quidem majorem quandam amplitudinem, et illimitationem videbatur tribuere prælictæ actioni) nihilominus, quia hoc revera non provenit ex perfectione simpliciter, sed ex imperfectione verbi creati, et dictionis, per quam producitur, propterea licet in divinis desit hæc iden-

tificatio verbi, et dictionis activæ, per quam producitur, non recte colligitur, dictionem creatam esse perfectiorem in suo ordine, quam divinam in suo : et similiter licet sapientia creata afferat propriam existentiam, quæ non parum actualitatis importat, et sapientia divina eam non afferat, nihilominus quia hoc non provenit ex perfectione simpliciter, sed potius ex imperfectione sapientiæ creatæ, cui non repugnat, ut aliquod unum per accidens cum essentia constituat : e contra vero, quod sapientia increata non afferat propriam existentiam, provenit ex perfectione simpliciter, scilicet ex eo, quod non potest formalissime loquendo constituere unum per accidens cum essentia, ut disp. sequenti num. 7. et deinceps explicabimus; idcirco inde non potest colligi esse perfectiorem, et actualiorem sapientiam creatam in suo ordine, quam increatam in suo.

Occurritur ultimæ confirmationi.

44 Ad ultimam confirmationem respondetur, quod licet argueret potentialitatem in divina essentia, et intellectu ejus, si non pertingeret ad tantam actualitatem et immaterialitatem, ut non esset suum *esse* existentiæ absque distinctione virtuali, siquidem, ut sæpe diximus, *esse* existentiæ pertinet ad lineam essentiæ, et quod non identificat sibi absque distinctione virtuali quidquid pertinet ad suam lineam, est finitum, et limitatum in illa, et per consequens habet admixtionem potentialitatis : attamen, quod attributa divina, v. gr. ex vi suæ lineæ cum præcisione sumptæ non identificent sibi omnino, seu absque distinctione virtuali *esse* existentiæ, non arguit in illis potentialitatem : quia prædictum *esse* non spectat ad lineam attributorum, sed ad lineam essentiæ, per cujus existentiam cuncta, quæ sunt in Deo, existunt.

Cæterum cum hoc stat, ut licet hoc non dicat admixtionem potentialitatis, et imperfectionem privativam, afferat tamen (ut sic dicamus) imperfectionem negativam, seu (ut melius loquamur) quod attributa, v. gr. intra suam lineam non habeant tantam perfectionem, et actualitatem, quantam linea essentiæ, et actualitas, ac immaterialitas, quam prædicta linea affert, licet hæc major perfectio non sit debita lineis attributorum, ita ut eam habeant præcise ex vi talium linearum, absque eo, quod ad aliam lineam non extrahantur, et reducantur : et propterea, quod non habeant hunc excessum perfectionis, non arguit in eis, nisi tantum imperfectionem, (ut si dicamus) negativam, seu non habere tantam perfectionem, et immaterialitatem, quantam linea essentiæ.

Applicatur formæ ejusdem confirmationis.

Unde ad formam confirmatiunis eligenda est posterior pars illius dilemmatis. Et ad probationem in contrarium distinguendum est consequens : *Habent omnem excogitabilem immaterialitatem, et puritatem in ratione actus puri*, prout actus purus præcise opponitur admixtioni potentialitatis, concedenda est consequentia : prout actus purus opponitur tam admixtioni potentialitatis, quam defectui negativo cujusvis puritatis, actualitatis, et immaterialitatis, quæ potest reperiri in lineis eorum, quæ non sunt admixta potentialitate, neganda est: ex hoc autem nihil contra nos sequitur. Quia ad hoc, ut attributa essent ejusdem immaterialitatis, et puritatis cum essentia divina in ratione actus puri, requirebatur, ut haberent summam puritatem, et actualitatem hoc posteriori modo, et non sufficit, ut habeant eam illo priori. Nam hæ duæ puritates, seu duo modi habendi summam puritatem non sunt necessario connexi, ita ut intra unam, et eamdem lineam debeant cuivis formalitati divinæ convenire. Et propterea, quia misericordia Dei est præstantior, quam justitia ipsius, ideo est actualior, et purior illa, quatenus per hoc denotatur, habere aliquid majoris actualitatis intra aliquam ex lineis eorum, quæ sunt separata ab omni potentialitate, licet utraque sit summe pura, summeque actualis prout puritas, et actualitas habet precise oppositum admixtioni potentialitatis. Cæterum circa ea, quæ in toto hoc § diximus, videantur illa, quæ disputat. sequenti a num. 21. usque ad 27. dicemus.

ARTICULUS III.

Utrum Deus comprehendat se ipsum?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod Deus non comprehendat se ipsum. Dicit enim August. in libr. 83. quæst. quod id, quod comprehendit se, finitum est sibi : sed Deus est omnibus modis infinitus : ergo non comprehendit se.

Si dicatur, quod Deus infinitus est nobis, sed sibi finitus. Contra, verius est unumquodque secundum quod est apud Deum, quam secundum, quod est apud nos. Si igitur Deus sibi ipsi est finitus, nobis autem infinitus, verius est Deum esse finitum, quam infinitum. Quod est contra prius determinata. Non ergo Deus comprehendit se ipsum.

Sed contra est quod August. dicit ibidem omne, quod intelligit se, comprehendit se : sed Deus intelligit se : ergo comprehendit se.

Respondeo

Respondeo dicendum, quod Deus perfecte comprehendit se ipsum. Quod sic patet. Tunc enim dicitur aliquid comprehendi, quando pervenitur ad finem cognitionis ipsius, et hoc est quando res cognoscitur ita perfecte, sicut cognoscibilis est. Sicut propositio demonstrabilis comprehenditur quando scitur per demonstrationem, non autem quando cognoscitur per aliquam rationem probabilem : manifestum est autem, quod Deus ita perfecte cognoscit se ipsum, sicut perfecte cognoscibilis est : est enim unumquodque cognoscibile secundum modum sui actus. Non enim cognoscitur aliquid secundum quod in potentia est, sed secundum quod est in actu, ut dicitur in 9. Metaphys. Tanta est autem virtus Dei in cognoscendo, quanta est actualitas ejus in existendo : quia per hoc, quod actu est, et ab omni materia, et potentia separatus Deus cognoscitivus est, ut ostensum est. Unde manifestum est, quod tantum se ipsum cognoscit quantum cognoscibilis est, et propter hoc se ipsum perfecte comprehendit.

Ad primum ergo dicendum, quod comprehendere, si proprie accipiatur, significat aliquid habens et includens alterum. Et sic oportet, quod omne comprehensum sit infinitum, sicut omne inclusum. Non sic autem comprehendi dicitur Deus a se ipso, ut intellectus suus sit aliud, quam ipse, et capiat ipsum, et includat, sed hujusmodi locutiones per negationem sunt exponendæ. Sicut enim Deus dicitur esse in se ipso, quia a nullo exteriori continetur, ita dicitur comprehendi a se ipso, quia nihil est sui, quod lateat ipsum. Dicit enim August. in libr. de videndo Deum, quod totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem.

Ad secundum dicendum, quod cum dicitur Deus finitus est sibi, intelligendum est secundum quandam similitudinem proportionis : quia sic se habet in non excedendo intellectum suum, sicut se habet aliquid finitum in non excedendo intellectum finitum. Non autem sic dicitur Deus sibi finitus, quod ipse intelligat se esse aliquid finitum.

Conclusio est affirmativa.

Circa hunc articulum nihil occurrit dicendum suppositis iis, quæ in tract. de Visione Dei, art. 8. diximus : ubi explicuimus quid ad comprehensionem requiratur, et quomodo comprehensio divinæ essentiæ soli Deo, non vero alicui creaturæ possit convenire.

ARTICULUS IV.

Utrum ipsum intelligere Dei sit ejus substantia?

1 Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod ipsum intelligere Dei, non sit ejus substantia : intelligere enim est quædam operatio : operatio autem aliquid significat procedens ab operante : ergo ipsum intelligere Dei non est ipsa substantia.

2 Præterea. Cum aliquis intelligit se intelligere, hoc non est intelligere aliquid magnum, vel principale intellectum, sed intelligere quoddam secundarium, et accessorium : si igitur Deus sit ipsum intelligere, intelligere Deum erit sicut cum intelligimus intelligere. Et sic non erit aliquid magnum intelligere Deum.

3 Præterea. Omne intelligere est aliquid intelligere. Cum ergo Deus intelligit se, si ipsemet non est aliud quam suum intelligere, intelligit se intelligere, et intelligere se intelligere se, et sic in infinitum. Non ergo ipsum intelligere Dei est ejus substantia.

Sed contra est, quod dicit August. libr. 7. de Trinit. Deo hoc est esse, quod sapientem esse : hoc autem est sapientem esse, quod intelligere : ergo Deo hoc est esse, quod intelligere : sed esse Dei est ejus substantia, ut supra ostensum est : ergo intelligere Dei est ejus substantia.

Respondeo dicendum, quod est necesse dicere, quod intelligere Dei est ejus substantia. Nam si intelligere Dei sit aliud quam ejus substantia, oporteret, ut dicit Philosophus in 12. Metaphys. quod aliquid aliud esset actus, et perfectio substantiæ divinæ : ad quod se haberet substantia divina sicut potentia ad actum : quod est omnino impossibile. Nam intelligere est perfectio, et actus intelligentis. Hoc autem qualiter sit, considerandum est. Sicut enim supra dictum est, intelligere non est actio progrediens ad aliquid extrinsecum, sed manet in operante sicut actus, et perfectio ejus : prout esse est perfectio existentis. Sicut enim esse consequitur formam, ita intelligere sequitur speciem intelligibilem. In Deo autem non est forma, quæ sit aliud quam suum esse, ut supra ostensum est. Unde cum ipsa sua essentia sit etiam species intelligibilis, ut dictum est : ex necessitate sequitur, quod ipsum ejus intelligere sit ejus essentia, et ejus esse. Et sic patet ex omnibus præmissis, quod in Deo intellectus, intelligens, et id, quod intelligitur, et species intelligibilis, et ipsum intelligere sunt omnino unum, et idem. Unde patet per hoc, quod Deus dicitur intelligens, nulla multiplicitas ponitur in ejus substantia.

Ad primum ergo dicendum, quod intelligere non est operatio exiens ab ipso operante, sed manens in ipso.

Ad secundum dicendum, quod cum intelligitur illud intelligere, quod non est subsistens, non intelligitur aliquid magnum : sicut cum intelligimus intelligere nostrum. Et ideo non est simile de ipso intelligere divino : quod est subsistens.

Et per hoc patet responsio ad tertium. Nam intelligere divinum, quod est in se ipso subsistens, est sui ipsius, et non alicujus alterius, ut sic oporteat procedere in infinitum.

Conclusio affirmat.

DISPUTATIO IV.

De intelligere Dei quoad vim, quam habet ad constituendam divinam essentiam, et naturam.

1 Quamvis decisio hujus disp. constet ex iis, quæ in tract. de Volunt. Dei disp. 2. dub. ultim. et in hoc tractatu, disp. 1. dub. 3. diximus; nihilominus, ut pluribus difficultatibus hinc, illinc ebullientibus, satisfiat et res hæc radicitus explicetur, propterea una cum D. Thom. et ejus interpretibus de hoc in præsenti art. disputabimus. Curabimus tamen, ne jam actum iterum agatur, sed ea, quæ alibi dictis defuerunt, ex eo, quod ibidem ex professo explicari non poterant, in præsenti discutiantur.

DUBIUM I.

Utrum constitutivum divinæ essentiæ, vel naturæ sit sola ratio substantiæ spiritualis a se, seu per essentiam talis, prout distincta virtualiter a ratione substantiæ intelligentis per essentiam, sive radicaliter, et in actu primo, sive in actu secundo?

Explicatio tituli.

Consulto in titulo inquiritur de constitutivo divinæ essentiæ, vel naturæ, non vero de constitutivo divinæ perfectionis. Nam certum est omnia attributa et quidquid est in Deo, constituere, sive integrare

perfectionem Dei, quæ quasi coalescit ex cumulo (ut sic loquamur) omnium rationum, quæ in eo inveniuntur. Quod adeo verum est, ut etiam relationes non dicentes ex se perfectionem, quodammodo concurrant ad constituendam, et integrandam perfectionem Dei, ut suo loco explicabitur.

Cæterum non est omnino certum apud Theologos quodnam sit constitutivum divinæ essentiæ, vel naturæ, ut virtualiter distinctæ ab attributis, et relationibus, et ut est ratio a priori omnium illorum. Nam sicut in creaturis datur essentia, et natura, necnon proprietates ab ea realiter distinctæ, et ab eadem realiter dimanantes, ita in Deo debet dari aliqua ratio formalis virtualiter distincta ab aliis, quæ habeat rationem essentiæ, vel naturæ, et rursus aliæ formalitates virtualiter etiam diversæ, quæ sint ad instar proprietatis essentiæ, vel naturæ divinæ ab eadem virtualiter resultantes. Et ita ad explicandum quidnam sit prædictum constitutivum, placuit præsens dubium sigillatim excitare : quia semel ostenso, rationem substantiæ spiritualis, per essentiam talis, ut virtualiter distinctæ ab *intelligere* per essentiam, sive in actu primo, sive in actu secundo, non posse esse constitutivum divinæ essentiæ, vel naturæ, facilis paratur via, ut ex dicendis constabit, ad proprium, et peculiare divinæ essentiæ constitutivum explicandum.

§ 1.

Proponitur prior opinio.

2 Prima sententia distinguit inter essentiam; et naturam divinam, et ait, quod constitutivum essentiæ divinæ, prout distinctæ virtualiter a natura Dei, est ratio substantiæ spiritualis per essentiam, prout distinctæ virtualiter a ratione substantiæ intelligentis per essentiam, sive radicaliter, et in actu primo, sive in actu secundo; quamvis constitutivum ejusdem, ut habet rationem naturæ sit *intelligere* divinum. Ita sapientissimus Magister Petrus Corneio quondam in hac Salmantina Academia Cathedræ Durandi meritissimus moderator, in articulum 4. hujus quæstionis, dub. secundo, quem ex junioribus sequuntur.

Probatur primo quoad primam partem.

Sententia hæc quoad ult. part. constabit ex dicendis pro nostra, dub. ultimo hujus disputationis. Quoad priorem vero, scilicet essentiam, et naturam Dei distingui modo dicto. Probatur primo ex D. Thom. 1. part. quæst. 39. art. 2. ad 3. his verbis : *Quia natura designat principium actus, essentia vero ab essendo dicitur, possunt dici aliqua unius naturæ, quæ conveniant in aliquo actu sicut omnia calefacientia ; sed unius essentiæ dici non possunt, nisi quorum est unum esse. Et ideo magis exprimitur unitas divina per hoc, quod dicitur, quod tres personæ sunt unius essentiæ, quam si diceretur, quod sunt unius naturæ.* Ubi, ut vides, aperte distinguit virtualiter, seu cum fundamento in re essentiam a natura : siquidem aliquibus potest convenire unitas in natura alicujus rei, quibus non conveniat unitas in essentia ejusdem : et tandem unitas in essentia dicit adhuc in divinis majorem unitatem, quam unitas in natura.

Suadetur secundo quoad eandem partem.

3 Secundo probatur eadem pars ratione, quæ insinuatur D. Thom. in verbis modo relatis. Nam essentia in creatis distinguitur virtualiter a natura illarum : ergo etiam in divinis. Antecedens ostenditur a N. Compl. 1. de Anima. disput. 3. quæst. 2. et 3. rationibus desumptis, ex Arist. et D. Thom. locis ibi relatis et potest breviter ex eis suaderi. Tum ex eo, quod ratio naturæ spectat ad ordinem activorum; ratio vero essentiæ solum pertinet ad ordinem essendi, et nihil dicit spectans ad ordinem operandi. Et propterea Arist. diffiniens animam secundum rationem essentiæ, non explicuit illam per ordinem ad operationem, sed per hoc, quod constituat animatum in suo *esse*, dicens : eam esse *Actum primum corporis physici organici.* Cum vero eam diffinivit, ut est natura, explicuit illam per ordinem ad operationem, inquiens : *Anima est, qua primo vivimus, etc.* Et similiter diffiniens naturam, exposuit eam per hoc, quod sit primum principium motus, et quietis : sed hæ duæ rationes distinguuntur virtualiter, seu cum fundamento in re, ut intuenti constabit : ergo, etc. Tum etiam : quia ratio essentiæ in creaturis est prior ratione naturæ. Unde, ideo homo est principium talium vel talium operationum, seu habet talem, vel talem naturam, quia in se habet tale, vel tale *esse*, quod est habere talem, vel talem essentiam.

Consequentia autem probatur ex paritate rationis : et ita videmus, quod ideo Deus habet operationes divinas, ac proinde elevatas

elevatas supra omnem actionem creatam, quia habet *esse* in se divinum, et elevatum supra omne *esse* creatum : quod quidem satis indicat rationem essentiæ in divinis esse quasi radicem sui, ut habet rationem naturæ, ac proinde hæc duo distingui inter se virtualiter.

Ultimo quoad secundam partem fulcitur.

4 Tandem secunda pars ejusdem sententiæ, nimirum, essentiam Dei, ut distinctam ab ejus natura, constitui per rationem substantiæ spiritualis per essentiam, ut distinctæ a ratione substantiæ radicaliter, aut in actu secundo intelligentis, probatur. Quoniam si essentia divina distinguitur virtualiter a natura Dei, debet esse ratio anterior ad illam, et non dicens ordinem ad operationem, ut ex nuper dictis constat : ergo talis essentia non constituetur per *esse* intellectivum radicaliter, aut in actu secundo, quod dicit ordinem ad operationem, sed per hoc, quod sit substantia spiritualis a se, seu per essentiam. Patet consequentia, quoad hanc secundam partem, quæ sola indiget probatione. Nam ratio anterior, quæ in Deo reperitur, ad rationem naturæ, et non dicens ordinem ad operationem, non potest non esse ratio substantiæ, non quidem materialis, aut habens aliquid de potentialitate, sed pure spiritualis, absque omni potentialitatis vestigio, seu (quod idem est) spiritualis per essentiam : siquidem ideo Deus est intellectualiter, et per essentiam intellectivus, aut intelligens, quia per essentiam est spiritualis, et immaterialis.

Prior confirmatio.

5 Confirmatur primo. Nam illud est constitutivum alicujus essentiæ, quod pertinet ad ordinem essendi, et simul habet esse distinctivum talis rei ; siquidem idem est distinctivum, et constitutivum : sed ratio substantiæ spiritualis per essentiam, ut distinctæ virtualiter a ratione intellectivi per essentiam, sive radicaliter, sive in actu secundo, habet has duas conditiones respectu Dei : ergo, etc. Major cum consequentia non indiget probatione. Minor vero quoad primam partem est etiam perspicua. Quoad secundam autem probatur. Quoniam per hoc præcise, quod aliqua substantia sit spiritualis per essentiam, habet, quod non sit substantia, aut essentia creata, ut ex se constat : ergo eo ipso erit substantia, et essentia increata, et divina, ac proinde per hoc distinguetur a quavis alia substantia, vel essentia.

Confirmatur secundo. Quoniam primum, per quod distinguitur, et constituitur substantia, et essentia creata in ratione talis, est per hoc, quod sit substantia per participationem, atque adeo admixta cum imperfectione, et potentialitate : ergo primum, per quod distinguitur, et constituitur substantia, et essentia divina, et increata, erit ratio substantiæ per essentiam, ac proinde absque vestigio aliquo potentialitatis, et imperfectionis, quod est idem, ac esse substantiam spiritualem per essentiam. Posterior.

§ II.

Sententia D. Thomæ, et primum ejus fundamentum.

Conclusio.

6 Dicendum tamen est, essentiam, et naturam divinam, non distingui adhuc virtualiter, sive cum fundamento in re, sed esse unam omnino, et eandem formalitatem, ac proinde essentiam divinam non constitui in sua specie, aut quasi specie atoma per hoc, quod sit substantia spiritualis per essentiam, prout ratio hæc distinguitur virtualiter a ratione substantiæ per essentiam intellectualis, sive in actu primo, et radicali, sive in actu secundo.

Assertio hæc, quoad posteriorem partem aperte sequitur ex priori : siquidem ratio naturæ divinæ non potest non consistere in *esse* intellectuali, sive radicali, et in actu primo, sive in actu secundo, ut communiter docent omnes Theologi. Quoad priorem vero, ac proinde quoad illam posteriorem, est D. Thom. locis infra dub. ultim. hujus disp. referendis, necnon in præsenti art. ubi postquam dixit, quod *intelligere* est ipsa existentia ordinis intelligibilis (in quibus verbis veritas nostræ assertionis virtute continetur, ut statim expendemus) addidit : *Et sic patet, quod in Deo intellectus, et id, quod intelligitur, et species intelligibilis, et ipsum intelligere sunt omnino unum, et idem. Unde patet per hoc, quod Deus dicitur intelligens nulla multiplicitas ponitur in ejus substantia.* Ubi, ut vides, juxta S. Doctoris mentem, omnia prædicta non distinguuntur in Deo virtualiter : alioqui licet essent unum, et idem, non tamen essent omnino idem : siquidem omnimoda identitas excludit distinctionem virtualem. Et propterea statim addidit

Angelicus Præceptor, quod per hoc, quod Deus dicitur intelligens, ac proinde involvit omnia jam dicta, nulla multiplicitas ponitur in ejus substantia, et per consequens nec multiplicitas virtualis, quæ est aliqua multiplicitatis species. Si autem essentia Dei, et natura illius, scilicet *intelligere*, sive in actu primo, sive in actu secundo, distinguerentur virtualiter, non possent esse idem absque distinctione virtuali *intelligere*, et objectum, quod intelligitur, et species intelligibilis : siquidem tale objectum, et species intelligibilis esset ipsa essentia Dei distincta virtualiter ab *intelligere*. Circa hæc tamen videantur ea, quæ disp. præcedenti, num. 17. diximus. Idem etiam docet S. Doctor supra quæst. 12. art. 4. ut num. 19. et sequentibus expendemus, et in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 6. de verit. quæst. 8. art. 3. et 3. contra Gent. cap. 51. Unde D. Thomam sequuntur omnes Doctores, quos ultimo dub. hujus disp. pro assertione adducemus.

Prior ratio pro assertione ex D.Thom. Complut.

7 Rationem autem fundamentalem, et potissimam hujus assertionis tetigit D. Thom. art. præsenti, et infra, quæst. 39. art. 2. necnon aliis in locis a nostris Complutens. 1. Phys. disp. 3. dub. 5. relatis : quæ potest sic formari. Nam in Deo datur *esse* existentiæ in ordine entitativo, et *esse* existentiæ in ordine intelligibili, scilicet *intelligere* ; ita tamen, ut hoc duplex *esse* non distinguatur virtualiter : ergo nec ratio essentiæ, et naturæ virtualiter distinguentur, sed erunt una, et eadem ipsissima formalitas, absque omni distinctione : ac proinde essentia divina non constituetur in sua quasi specie atoma per hoc, quod sit substantia spiritualis per essentiam, prout ratio hæc distinguitur virtualiter a ratione substantiæ per essentiam intellectualis, sive in actu primo, et radicali, sive in actu secundo consideratæ.

Probatio antecedentis quoad 1. part.

Antecedens quoad primam partem constat ex iis, quæ in tractatu de Voluntate Dei disp. 1. num. 21. et sequentibus dicemus, scilicet res ad ordinem intellectualem, sive intelligibilem adæquate sumptum spectantes existere per *esse* entitativum, et naturale, et simul per *esse* ordinis intelligibilis, scilicet per ipsum *intelligere*, quod se habet per modum existentiæ in hoc ordine. Quod etiam satis aperte deducitur ex iis, quæ N. Complut. 3. de Anima disp. 18. quæst. 3. et 4. docent, et nos disp. 2. dub. 1. hujus tractatus asseruimus, scilicet, quod cognoscentia debent habere in ordine intelligibili easdemmet formas, et naturas, quæ sunt in rebus cognitis sub *esse* naturali : ac proinde sicut prædictæ formæ, et naturæ hoc ipso, quod sint in objectis sub modo essendi naturali, debent habere ibidem existentiam in hoc ordine entitativo, et naturali, quæ nihil est aliud, quam ultima actualitas ordinis essendi entitativi; ita quia eadem essentia debet, mediante specie intelligibili, esse in cognoscentibus sub modo essendi intelligibili, correspondebit illi ibidem existentia in ordine intelligibili, quæ nihil sit aliud, quam ultima actualitas hujus ordinis : ac proinde quæ nihil sit aliud, quam ipsa intellectio, quæ est ultima actualitas hujus ordinis, ut loco citato explicuimus.

Probatio ejusdem quoad secundam.

8 Quoad secundam vero partem idem antecedens sic suadetur, et explicatur. Quoniam alias ex illo duplici *esse*, et ex iis, quæ per illa actuantur, tantum resultaret formalissime loquendo unum per accidens : non tamen unum per se, et ita solum identice essent unum quid. Nam sicut ex duabus existentiis, vel ex duobus entibus in actu realiter entitative distinctis, non potest fieri unum per se realiter, juxta illud commune Philosophorum proloquium. *Quod advenit enti in actu, advenit accidentaliter*, ita ex duabus existentiis formaliter, seu virtualiter diversis, vel ex duabus formalitatibus in actu, seu existentibus per illas, non potest formalissime fieri aliquid per se unum, et idem, sed ad summum aliquid, quod tantum identice sit unum, et idem. Unde inde colligunt D. Thom. et ejus discipuli 1. part. quæst. 28. relationes divinas non habere proprium *esse* existentiæ distinctum virtualiter ab *esse* existentiæ absoluto, per quod existunt divina essentia, et ejus attributa : quia alioqui ex essentia, et relatione illa constitueretur, formalissime loquendo, unum per accidens, non vero unum per se, quamvis identice tantummodo essent unum, et idem. Et similiter inde infert Angelicus Doctor, et ejus schola, 3. part. quæst. 17. art. 2. humanitatem in Christo non habere proprium *esse* existentiæ, quia ex Verbo, et humanitate fit unum per se realiter, et hoc per se unum non posset resultare, nisi tantum per accidens unum, si tam Verbum, quam humanitas haberent proprium *esse* existentiæ realiter distinctum.

Et

Et tandem inde deducitur in via ejusdem S. Doctoris, et discipulorum ejus, necnon et omnium fere Metaphysicorum, quod si actio, et passio identificantur, et quælibet earum affert propriam existentiam, tunc formalissime loquendo sunt unum per accidens, et solum identice unum quid. Sicut in opinione eorum, qui solum virtualiter distinguunt relationem a substantia, tribuuntque ei proprium *esse* existentiæ eodem modo distinctum tunc solum formaliter identice erunt quid per se unum ; at formalissime erunt unum per accidens.

Suadetur prima consequentia primi enthymematis.

9 Ex quo etiam prima consequentia primi, et principalis enthymematis hujus rationis satis constat. Quoniam si essentia, et natura divina virtualiter distinguuntur, tunc *esse* existentiæ entitativum, quod essentiæ ad ordinem entitativum spectanti corresponderet, quodque est proprium illius ut talis, tanquam aliquid ad ejus lineam pertinens, non poterit non distingui virtualiter ab *esse* existentiæ ordinis intelligibilis, quod naturæ intellectuali Dei, non quidem ut ad ordinem entitativum, sed ut formalissime ad ordinem intelligibilem spectanti, et ut actuatæ per formam, seu speciem intelligibilem ejusdem ordinis corresponderet, quodque est proprium illius sic sumptæ, et ab eadem ex vi propriæ lineæ affertur. Nam, ut sæpe diximus, ea, quæ ad distinctas lineas pertinent, vel ex vi illarum afferuntur, non possunt non saltim virtualiter distingui.

Explicatio præcedentis probationis.

Potestque hæc eadem probatio prædictæ consequentiæ explicari, et confirmari, ex eo, quod in naturis intellectualibus creatis, in quibus essentia, et natura virtualiter distinguuntur, debet dari duplex *esse* existentiæ non solum virtualiter, sed etiam realiter distinctum ; aliud quidem, per quod existat essentia, scilicet *esse* entitativum, et simul natura, prout ad ordinem istum spectant ; aliud autem, per quod existat eadem natura, ut ad ordinem intelligibilem pertinet. Quia licet essentia, et natura, quibus correspondent, solum virtualiter distinguantur ; attamen sicut ratione suæ limitationis non possunt identificare sibi realiter proprias existentias, ita etiam ipsæ existentiæ ratione ejusdem limitationis non possunt ad invicem identificari : ergo si in divinis essentia, et natura distinguuntur virtualiter, tunc licet daremus, quod ratione infinitæ perfectionis Dei possent existentiæ eis correspondentes identificari inter se, et cum essentia, et cum natura divina ; non tamen possent non distingui ad invicem virtualiter ; quippe quæ essent proprii actus correspondentes distinctis lineis, scilicet lineæ essentiæ, et naturæ divinæ. Secunda vero consequentia ejusdem primi, et principalis enthymematis hujus rationis ex illa priori nuper ostensa satis constat, ut ex dictis patet.

Evasio.

10 Nec refert, si dicas, non esse contra rationem unius per se formalissime sumpti, quod constituatur ex duplici ente in actu, sive partialiter tali, sive inter se subordinato, ut in præsenti contingeret.

Præclusio.

Non itaque hoc refert. Nam licet hæc evasio extra scholam D. Thom. posset admitti, non tamen intra illam. Et propterea omnes illius discipuli denegant materiæ primæ propriam existentiam, etiam partialem, ad hoc, ut possit ex illa, et ex forma unum per se per compositionem constitui : ac proinde sentiunt esse impossibilem talem subordinationem inter duo entia in actu, sive existentia per distinctas existentias, quæ sufficiat ad unum per se constituendum. Et ita N. Complut. 1. Physic. disp. 3. num. 51. et sequentibus, solutionem hanc ex professo, et efficaciter impugnant. Videantur ibidem.

Alia evasio.

11 Nec etiam obest, si occurras, non esse inconveniens dari in Deo unitatem, quæ, formalissime loquendo, solum per accidens sit talis, dummodo inter ea, quæ ponuntur esse, et constituere unum per accidens, adsit unitas per se identice, seu formaliter identice sint quid per se unum.

Rejicitur.

Nam contra hoc est, quod formalissima ratio unitatis per accidens, formalissime sumptæ, est involuta cum imperfectionibus : quia sic accepta est infima, et imperfectior unitas, quæ intra lineam unitatis formaliter, et ex propriis sumptæ excogitari potest ; et ita solum secundum quid est unitas : ergo quantumvis identificetur cum aliquo per se uno, vel identice sit unitas per se ; non tamen propterea erit libera ab imperfectionibus, aut in Deo constitui poterit. Sicut quia ratio accidentis, aut inhærentiæ formalissime sumpta dicit imperfectionem ; propterea repugnat reperiri in Deo formaliter, quantumvis ponantur identificata cum substantia, aut perseitate Dei. Imo sicut hoc

ipso, quod ratio accidentis, aut inhærentiæ formalissime sumpta habeant, quod ex sua formalissima ratione dicant imperfectionem, implicat esse identice substantiam divinam, ita quia unitas per accidens formalissime accepta, dicit imperfectionem, repugnabit identificari cum aliquo, quod sit intra Deum.

Confirmatio prima.

12 Confirmatur. Nam repugnat, ut id, quod ex sua formalissima ratione tantum habet esse tale secundum quid, puta esse bonitatem, aut intelligibilitatem secundum quid, reperiatur formaliter in Deo, ac proinde identificetur cum illo : ergo etiam repugnabit, ut id, quod ex sua formalissima ratione tantum est unitas secundum quid, qualis est unitas per accidens, constituatur in Deo, et identificetur cum aliquo ipsius.

Alia confirmatio.

Confirmatur secundo. Nam licet non implicet dari in Deo formaliter distinctionem virtualem, quia de formali tantum dicit tantam eminentiam illius realis formalitatis divinæ, ut virtute contineat effectus, quos possent præstare plura realiter distincta, et spectantia ad diversas lineas; nihilominus repugnat aliquod genus distinctionis realis actu, et formaliter talis reperiri in ipso : ergo similiter licet non repugnet inveniri in divinis unitas per accidens virtualiter talis, nihilominus repugnantiam involvet esse in illo aliquod genus unitatis per accidens formaliter talis.

Consequentia patet. Nam, quod detur in illo solum virtualiter talis unitas, non arguit, quod sit ibidem aliquis defectus unitatis per se, sed solum, quod formalitas illa divina, et omnino per se una, sit adeo eminens, ut præstet id, quod præstarent plura per accidens una, et ad diversas lineas pertinentia. Quamvis, quod sit in ipso Deo formaliter unitas per accidens formalissime talis, arguat imperfectionem, ex eo, quod talis unitas formaliter tantum est unitas secundum quid : et ideo derogat summæ perfectioni Dei : sicut distinctio realis actualis formaliter in eo inventa summæ simplicitati ejus derogaret.

§ III.

Sententia Angelici Doctoris alia ratione fulcitur.

Alia ratio pro assertione.

13 Secunda ratio principalis pro nostra assertione insinuatur etiam a Sancto Doctore, et potest ad hanc formam reduci. Quoniam in creaturis essentia, et natura distinguuntur virtualiter : ergo in Deo erunt omnino idem absque aliqua distinctione virtuali, sed solum ex parte modi significandi, et concipiendi. Probatur consequentia. Quoniam proprietates, aut alia, quæ in nobis distinguuntur realiter, atque ideo dicunt limitationem, debent non distingui in Deo tanta distinctione, ex eo, quod in illo non possunt esse cum limitatione, sed meliori modo, atque adeo cum majori unitate, simplicitate, et amplitudine : ergo cum ratio naturæ, et essentiæ debeat etiam esse in Deo nobiliori modo, ac proinde sine ulla limitatione, et cum majori unitate, quam in creaturis, oportet, ut in illo non distinguantur adhuc virtualiter, sed solum ex parte nostri modi concipiendi, et significandi.

Evasio.

14 Nec refert, si dixeris, quod ratio unitatis, et bonitatis distinguuntur a nostra quidditate virtualiter, sive cum fundamento in re, ita ut non pertineat ad conceptum illius, ut communiter docent Metaphysici; et tamen ex eo, quod rationes istæ debeant nobiliori modo, et sine limitatione esse in Deo, non debent esse in illo cum minori distinctione, scilicet ex parte solius modi significandi, quandoquidem ratio unitatis computatur inter attributa Dei : ergo ex eo, quod ratio essentiæ, et naturæ, quæ in nobis distinguuntur virtualiter, debeat esse in Deo nobiliori modo, male colligitur, esse in illo cum majori unitate, et sine prædicta distinctione.

Prædicatur.

Nam contra hoc est, quod ratio unitatis non distinguitur in creaturis cum fundamento in re ratione limitationis, quæ in eis reperitur, sed quia unitas ex genere suo petit distingui, saltim virtualiter, a re, cujus est unitas : at quod proprietates in creaturis distinguantur realiter, et ratio naturæ, ac essentiæ sint in eis virtualiter diversæ, provenit ex limitatione earundem creaturarum, scilicet ex defectu immaterialitatis, et puritatis infinitæ creaturarum : ergo hoc ipso, quod in Deo debeant esse meliori modo, id est, seclusis limitationibus, et imperfectionibus, cum quibus in creaturis sunt involutæ, oportet, ut proprietates in eo non distinguantur realiter, et ratio naturæ et essentiæ, nec virtualiter sint diversæ.

Major cum consequentia sunt satis perspicuæ. Minor autem quoad primam partem,

partem, scilicet quoad proprietates etiam constat : alioqui proprietates divinæ distinguerentur realiter a Deo. Nam quod alicui rationi formali ex se, et ex genere suo, non vero ratione limitationis, secundum quam est in creaturis, convenit, debet etiam in Deo reperiri.

15 Quoad secundam autem partem, in qua est difficultas, scilicet quod distinctio virtualis inter essentiam, et naturam creatam oriatur ex defectu immaterialitatis infinitæ, probatur. Quoniam hoc ipso, quod aliqua essentia habeat infinitam immaterialitatem, et puritatem, et in hac puritate consistat, ut in essentia divina contingit, non potest non importare *esse* immaterialissimum per modum actus purissimi : ergo pertinget ad hoc, ut absque aliqua distinctione etiam virtuali sit ipsa natura divina, id est, sit suum *intelligere*, sive in actu secundo, sivè, ut alii volunt, radicaliter, per modum tamen actus purissimi, seu absque aliqua potentialitate, in quo natura Dei consistere dicitur.

Patet consequentia. Nam cum prædictum *intelligere* per modum actus purissimi importet ex vi propriæ lineæ immaterialitatem, et non qualemcunque, sed summam, et per modum actus purissimi, oportet, ut, formalissime loquendo, sit ipsamet summa immaterialitas per modum actus purissimi. Et ita si essentia consistit in hoc, quod sit summe immaterialis per modum actus purissimi, non potest non pertingere ad hoc, ut consistat in ipso *intelligere* purissimo, et summe immateriali jam dicto, atque adeo in eo, quod formalissime habeat rationem naturæ.

Maxime, quia alias si ratio illa substantiæ, aut entis summe immaterialis, in qua ponitur conceptus essentiæ, non esset formalissime loquendo suum *intelligere*, tunc solum in actu primo quasi remoto esset intelligens, ex eo, quod inter illam, et intellectionem deberet mediare ratio intellectivi radicaliter, necnon intellectus, et species intelligibilis : et ita non posset reduci in actum secundum intellectionis : quandoquidem nec ab alio esset reducibilis, ut constat; nec a se ipsa : siquidem ipsum *intelligere* per modum actus secundi, dicit majorem actualitatem, quam *intelligere* per modum actus primi cum præcisione sumpti, et quod est ex se tantum intellectivum in actu primo, non potest a se solo reduci in actum secundum. Unde propterea D. Thom. multoties colligit necessitatem divini decreti efficacis, et præfinitivi respectu creaturarum, ad hoc, ut ipsæ operentur, ex eo, quod secundum suam essentiam non sunt in actu secundo, sed in actu primo. Et ideo ad hoc, ut prorumpant in actum secundum, qui est majoris actualitatis, quam actus primus habitualis, aut quasi habitualis, necesse est, ut ab alio, quod essentialiter sit actus secundus, per prædictum decretum applicentur.

16 Nec etiam refert, si dixeris, solum sequi ex eo, quod essentia divina dicat summam immaterialitatem per modum actus purissimi, debere identificare sibi absque distinctione virtuali suum *esse* existentiæ, quæ est ultima actualitas intra lineam essentiæ, non vero ipsam intellectionem constitutivam divinæ naturæ : ex eo, quod hæc pertinet ad distinctam lineam. Sicut licet scientia Dei sit summe immaterialis per modum actus purissimi, et similiter essentia, non inde colligitur, quod essentia divina identificet sibi absque distinctione virtuali divinam scientiam : quia ista spectat ad distinctam lineam. Aliud effugium.

Nam contra hoc est, quod si semel essentia divina est summe immaterialis per modum actus purissimi, ita ut sit suum *esse* existentiæ absque distinctione virtuali, oportet, ut identificet sibi absque eadem distinctione rationem speciei, et formæ intelligibilis : ergo etiam rationem intellectionis constitutivæ divinæ naturæ : ac proinde omnia ista ad unam, et eandem lineam spectabunt. Hæc ult. conseq. patet ex priori, et ex sæpe dictis, nempe ea solum in divinis identificari absque distinctione virtuali, quæ ad unam, et eandem lineam pertinent. Prima vero conseq. ex antecedenti constat. Quoniam, ut, ex dictis tam in hoc dubio, quam in tract. de Visione Dei, disp. 2. num. 34. liquet, species intelligibilis, et intellectio sunt unius, et ejusdem lineæ. Rejicitur.

17 Antecedens autem probatur. Tum quia hoc ipso, quod essentia divina sit summe immaterialis per modum actus purissimi, ita ut formalissime loquendo, sit suum *esse* existentiæ, debet etiam ita esse intelligibilis per modum actus purissimi, ut in eodem sensu sit sua intelligibilitas; alioqui non esset intelligibilis per modum actus purissimi; ac

proinde nec esset essentia summe immaterialis per modum actus purissimi : ergo etiam oportebit, quod ratio formæ intelligibilis, per quam ipsa essentia divina, ut habet rationem essentiæ, quasi fit intelligibilis, non distinguatur adhuc virtualiter a se ipsa, ut habet rationem essentiæ : alias nequibit ita esse intelligibilis, ut sit, formalissime loquendo, sua intelligibilitas, sicut si eadem essentia distingueretur virtualiter a sua existentia, per quam quasi fit existens, non ita existeret, ut esset, formalissime loquendo, suum *existere*.

18 Tum etiam : quia in Angelis v. g. ideo distinguuntur virtualiter *esse* entitativum, et *esse* intelligibile, quia illud *esse* intelligibile eorum, est *esse* intelligibile involvens potentialitatem : et propterea non sunt sua intelligibilitas : ac proinde in eis debet distingui virtualiter id, quod fit intelligibile, nempe essentia eorum a forma intelligibili, quæ est id, quo prædicta essentia redditur intelligibilis : ergo hoc ipso, quod essentia divina sit sua intelligibilitas, non distinguetur in ea ratio speciei intelligibilis, per quam redditur intelligibilis ab ipsamet essentia, quæ est, et constituitur intelligibilis.

Tum denique : quia alioqui essentia divina non posset uniri in ratione formæ intelligibilis cum intellectu beati, ut constat ex iis, quæ in tractatu de Visione Dei disputatione 2. num. 47. diximus : ac proinde non esset infinita in ratione prædictæ formæ : sicut si personalitas divina non esset unibilis cum naturis creatis, non esset infinita in ratione personalitatis.

§ IV.

Ultima ratio pro sententia S. Doctoris.

Posterior ratio assertionis.

19. Tertia ratio pro assertione, per quam præcedens confirmatur, et elucidatur, quæque supra ex parte est a nobis insinuata, desumitur ex D. Thom. supra quæst. 12. art. 4. et alibi sæpe. Quoniam necesse est, essentiam divinam formalissime sumptam identificari absque distinctione virtuali cum suo intellectu : ergo etiam necesse erit identificari eodem modo cum virtute radicali ad intelligendum, necnon et cum ipso *intelligere* : et per consequens etiam oportebit eam identificari absque prædicta distinctione cum natura Dei. Hæc. ult. conseq. ex priori perspicue sequitur. Quoniam natura divina sub conceptu naturæ non potest non consistere vel in virtute radicali ad intelligendum, vel in ipso *intelligere*.

Probatio primæ consequentiæ quoad primam partem.

Prima vero conseq. quoad priorem part. aperte etiam deducitur ex antecedenti. Quoniam virtus radicalis ad intelligendum, immediatius conjungitur cum essentia Dei, quam virtus proxima, scilicet intellectus, ut ex se constat : ergo si essentia Dei necessario identificatur per identitatem modo dictam cum intellectu, non poterit non eodem modo identificari cum virtute radicali ad intelligendum.

Probatio ejusdem quoad secundam.

Quoad secundam vero part. ex hac priori, necnon et ex antecedenti etiam patet. Quia *intelligere* pertinet ad lineam intellectivi in actu puro, ut dubio seq. dicemus, ac proinde non distinguitur virtualiter a virtute radicaliter intellectiva, ut constat ex iis, quæ in tractat. 4. disput. 1. num. 34. dicemus : ergo nequibit essentia divina identificari per omnimodam identificationem cum virtute radicaliter intellectiva, et intellectu ipsius, quin identificetur cum *intelligere*.

Suadetur antecedens.

20 Antecedens autem, in quo est difficultas, probatur. Quia cum intellectus Dei connaturalissime feratur in essentiam divinam, intelligendo, et comprehendendo illam, oportet, ut ex vi sua habeat convenire cum ea in eodem immaterialitatis gradu, scilicet in ultimo illo, omniumque perfectissimo, ab Angelico Doctore, art. 4. nuper citato, assignato, scilicet, quod sit suum *esse*, seu suum *existere*, sicut essentia divina est suum *esse*, suumque *existere*, ut ex ipso Sancto Doctore ibidem, et ex dictis in tractatu de Visione Dei art. 2. patet : ergo etiam oportebit, quod prædictus intellectus identificetur omnino absque distinctione virtuali cum divina essentia, ut tali. Patet consequentia. Quoniam sola essentia divina, et ea, quæ cum ipsa omnino identificantur, sunt ex vi sua suum *esse* absque distinctione virtuali : cætera autem solum existunt per existentiam essentiæ divinæ virtualiter ab illis distinctam, ut ex iis, quæ in materia de Trinit. quæst. 28. communiter asseritur a Thomistis, constat.

Elucidantur ista.

Ex quo etiam major probatio primæ consequentiæ, quoad secundam ejus partem, necnon major elucidatio rationis præcedentis colligitur. Quoniam ut art. 4. citato

citato ex doctrina D. Thomæ ostendi solet, non solum intellectus, et objectum per se primum, sed etiam ipsum *intelligere* debent convenire in eodem immaterialitatis gradu; atque adeo *intelligere* divinum, quod connaturalissime fertur in essentiam Dei, debet esse ita immateriale, sicut divina essentia. Et ita non est ei satis, quod oriatur ab essentia summe immateriali, et quæ sit suum *esse* absque omni distinctione; sed debet consistere in ipsomet conceptu, et ratione formalissima entis, et substantiæ summe immaterialis, quæ absque omni distinctione sit suum *esse*.

Objectio notanda.

21 Nec obest, si objicias, quod scientia Dei fertur in divinam essentiam tanquam in objectum, seu subjectum connaturalissimum, de quo demonstrat sua attributa, et proprietates; et nihilominus ad hoc non est necesse, ut conveniat cum eadem essentia in illo gradu immaterialitatis, consistente in hoc, quod sit suum *esse* sine distinctione virtuali: ergo neque ad hoc, quod intellectus Dei feratur in divinam essentiam, tanquam in objectum connaturalissimum, desiderabitur, quod conveniat cum eo in prædicto gradu immaterialitatis; sed satis erit utrobique, quod omnia ista conveniant in hoc, quod sint ita actus purus, ut careant admixtione totius potentialitatis; et per consequens gradus immaterialitatis per se petitus ab intellectu Dei, et ab essentia divina, ut habet rationem objecti, tantum erit iste; non vero ille pertingens ad hoc, ut sit suum *esse* absque distinctione virtuali.

Responsio.

Respondetur enim, distinguendo majorem: *Tanquam in objectum connaturalissimum*, ita ut tale objectum habeat omnino per se primo esse connaturalissimum divinæ scientiæ, neganda est: ita ut non habeat hoc omnino per se primo, sed aliquo modo per se secundo, concedenda est. Et similiter concedi debet minor intellecta de divina scientia, secundum id, quod præcise habet ex vi suæ lineæ; sed neganda erit utraque consequentia. Quia essentia divina habet omnino per se primo esse objectum connaturalissimum intellectus Dei, et intellectionis constitutivæ divinæ naturæ. Et propterea intellectus, et intellectio prædicta debent omnimode convenire cum illo in gradu immaterialitatis jam dicto, scilicet in hoc, quod sint ex vi suæ lineæ suum *esse*; secus vero divina essentia propter oppositam rationem.

Declaratio responsionis.

22 Explicatur hoc. Etenim objectum connaturalissimum debet in *esse* rei convenire in gradu immaterialitatis cum intellectu, aut virtute intellectuali, cui est connaturalissimum: et e converso, si tale objectum habeat in *esse* rei fundare, aut subesse omnino per se primo rationi objectivæ, seu *sub qua* prædicti intellectus, aut virtutis intellectualis in eo residentis: si autem objectum illud omnino per se primo tantum habeat subesse per modum objecti connaturalissimi rationi objectivæ, seu rationi *sub qua* intellectus, non vero rationi *sub qua* illius virtutis intellectualis, sed aliquo modo per se secundo cum ea comparetur, tunc non est universaliter necessarium, quod tam intellectus, quam virtus illa intellectualis ejus conveniant omnibus modis cum prædicto objecto in *esse* rei considerato, in gradu immaterialitatis; sed satis erit, quod intellectus habeat convenientiam omnibus modis, seu ex vi suæ lineæ, ac in *esse* rei cum illo in prædicto gradu, licet virtus ejus intellectualis eam sic non habeat, sed ex vi alterius lineæ, quod est non habere illam omnino per se primo, seu omnibus modis.

23 Et ratio est. Nam cum prædictum objectum in *esse* rei consideratum, omnino per se primo fundet, sive subsit rationi *sub qua* intellectus; non vero rationi *sub qua* virtutis intellectualis ejus, et hoc ab intrinseco tam ab objecto, quam ab intellectu, et ejus virtute intellectuali petatur, inde est, ut intellectus debeat omnino per se primo, et omnimodam habere convenientiam cum illo in gradu immaterialitatis: siquidem modo omnium perfectissimo cum eo comparatur.

Quare cum essentia divina in *esse* rei sumpta omnino per se primo sit objectum connaturalissimum respectu intellectus Dei, et intellectionis constitutivæ divinæ naturæ, et eodem modo subsit rationi *sub qua* illius, non vero respectu divinæ scientiæ, et hoc ab intrinseco petatur ab eis, inde est, ut non sit necesse ex hoc præciso capite, quod scientia terminetur ad divinam essentiam, tanquam ad objectum modo dicto connaturalissimum, et utraque in *esse* rei conveniat omnino per se primo, et ex vi suæ lineæ in gradu immaterialitatis,

sed satis sit, quod aliquo modo per se secundo, sive ex vi alterius lineæ talis convenientia inter utrumque inveniatur, et quod hæc convenientia omnimoda, seu omnino per se primo, sive ex vi propriæ lineæ inter divinam essentiam, et ejus intellectum, etc. reperiatur.

Replica animadvertenda.

24 Nec etiam obest, si urgeas : tum quod licet essentia divina non comparetur per modum objecti connaturalissimi omnino per se primo cum sua scientia ; attamen scientia comparatur cum ea tanquam cum objecto sibi maxime connaturali, quodque omnino per se primo respicit, ut de eo suas quasi passiones demonstret : ergo debebit habere cum eo omnimodam convenientiam in gradu immaterialitatis ; et per consequens gradus iste solum consistet in exclusione totius potentialitatis ; non vero in hoc, quod divina essentia sit suum *esse*. Tum etiam, quod ratio objectiva, et connaturalis intellectus Angelici in *esse* rei considerata, prius subest rationi, sub qua intellectus Angelicus fertur ad illam, quam ei, sub qua scientia de Angelis, quæ in intellectu Angelico residet, ad illam terminatur, et nihilominus convenit in gradu immaterialitatis cum tali ratione objectiva in *esse* rei considerata, non minus, quam intellectus Angelicus cum ea convenit : ergo, etc.

Solutio quoad primam impugnationem.

25 Respondetur enim ad primam ex his impugnationibus distinguendo ex dictis antecedens : *Tanquam cum objecto sibi maxime connaturali* comparative, id est, quod non habet aliud connaturalius, transeat; absolute, et simpliciter, id est, quod sit ei omnibus modis, sive omnino per se primo connaturalissimum, negandum est. Et deinde negari debet utraque consequentia : quia ut essent legitimæ, debebat antecedens esse verum in posteriori sensu. Unde quod scientia Dei respiciat omnino per se primo divinam essentiam, ut de ea quasi demonstret sua attributa, non est respectus omnino per se primus absolute, et simpliciter inter scientiam, et divinam essentiam, ut objectum, sed solum omnino per se primus cum addito, scilicet intra lineam scientiæ, qui quidem respectus, et comparatio inter essentiam Dei, et suam scientiam, est comparatio non omnino per se prima absolute, et simpliciter : ex eo, quod linea scientiæ est (ut sic dicamus) linea secunda, et præsupponit aliam per se primam connaturalitatem, nempe eam, quæ modo dicto reperitur inter divinam essentiam, et ejus intellectum : ex eo, quod tam iste, quam illa ad unam, et eandem lineam spectant, ut explicatum est.

Possuntque hæc omnia elucidari exemplo visionis Dei beatorum : quæ licet terminetur ad divinam essentiam prout est in se, tanquam ad objectum sibi connaturalissimum; quia tamen prædicta essentia solum est objectum illius connaturalissimum comparative, et in sensu explicato, non vero absolute, et simpliciter, propterea non est necesse, ut conveniant cum eadem essentia in gradu immaterialitatis. Et similiter quia divina essentia non comparatur per modum objecti omnino per se primi cum prædicta visione, sed perprius comparatur cum visione, qua ipse Deus se ipsum videt, et hoc ab intrinseco ab omnibus his extremis petitur, ideo connaturalitas ista non est absolute, et simpliciter perfectissima, nec exigit convenientiam jam dictam. Ita ergo in præsenti, proportione tamen servata, propter majorem connaturalitatem, quæ est inter scientiam Dei, et essentiam divinam, quam inter hanc, et visionem beatificam creatam, philosophandum est.

Enodatio quoad secundam impugnationem.

26 Ad secundam vero impugnationem patet etiam ex dictis. Quoniam adhuc admissa majori, quæ non caret sua difficultate, et concessa etiam minori absolute, et simpliciter loquendo, debet negari consequentia. Quia nos solum volumus, quod ex hoc præciso capite, quod aliquod objectum in *esse* rei consideratum fundet, seu subsit omnino perprius rationi *sub qua* intellectus terminatur ad illud, quam subsit rationi *sub qua* scientia fertur ad ipsum, non est necesse, quod inter scientiam ex vi suæ lineæ, et illud objectum sit convenientia omnimoda in gradu immaterialitatis : quod autem ex aliis capitibus prædicta convenientia inter utrumque reperiatur, hoc nihil obest. Ratio vero, propter quam ex alio capite scientia de Angelis residens in intellectu Angelico convenit ex vi suæ lineæ, id est, ex vi scientiæ Angelicæ, quatenus talis cum objecto connaturali intellectus Angelici, tacta est supra, nimirum, quia ratio illa objectiva ratione suæ imperfectionis non est adeo immaterialis, ut superet immaterialitatem potentiarum accidentalium, nempe intellectum,

lectum, et virtutum intellectualium eorum : cum tamen objectum connaturalissimum divini intellectus, et objectum, seu subjectum, de quo scientia Dei demonstrat suas quasi passiones, sit ex vi propriæ lineæ suum *esse*, et hoc licet possit competere intellectui divino, non tamen divinæ scientiæ, ut ostensum est.

§ V

Diluuntur fundamenta primæ sententiæ.

Ad primum. 27 Ad primum ex testimonio D. Thom. petitum, respondetur, Angelicum Præceptorem non loqui ibidem de natura in eo sensu strictissimo, in quo nos de illa in præsenti loquimur. Nam certum est, quod natura hoc modo sumpta, et essentia ita comparantur, ut quidquid habuerit essentiam distinctam ab alio, debeat esse diversæ naturæ ab illo; et e contra, quod fuerit ejusdem naturæ cum alio, debet esse ejusdem essentiæ cum illo : et propterea homo, et leo, quia distinguuntur in essentia, distinguuntur in natura, et e converso. Sed tantum loquitur in alia acceptione ampliori naturæ, in qua solum illa dicuntur esse ejusdem naturæ, quibus correspondet actio in *esse* rei ejusdem rationis, sive alias principia talium actionum distinguantur essentialiter, ut in Sole, et igne respectu calefactionis contingit, sive non. Unde quia unitas in natura potest in hac acceptione sumi; unitas autem in essentia sumitur pro unitate in hoc, quod illa, quæ sic una dicuntur, habeant idem *esse*, seu existentiam; propterea D. Thom. dixit, quod magis exprimitur unitas divina per hoc, quod dicitur, quod tres personæ sunt unius essentiæ, quam si dicatur, quod sunt unius naturæ.

Ad secundum. 28 Ad secundum concesso antecedenti, neganda est conseq. Et ratio disparitatis desumitur ex dictis. Quia nihil obest, quod rationes naturæ, et essentiæ creatæ, hominis, v. gr., ut sunt in actu per existentiam ordinis entitativi, et intelligibilis, sint unum per accidens, sicut hoc repugnat in Deo. Et ita nec repugnabit in creaturis distinctio virtualis naturæ, et essentiæ, ex qua hæc unitas sequitur; bene tamen in divinis. Et similiter nihil refert, ut id, quod est limitatum, et potentiale quid, habeat rationes essentiæ, et naturæ virtualiter distinctas : obest tamen plurimum, ut essentia infinita, et summæ puritatis, et actualitatis distinguatur a sua natura : et tandem ad hoc, ut intellectus creatus conveniat cum suo objecto immateriali in gradu immaterialitatis, non est necesse, ut essentia, et natura intellectualis, a qua dimanat, necnon et ipsemet intellectus inter se omnino identificentur; secus vero in divinis, ut ostensum est. Unde cum dicitur, Deum habere operationes divinas, et elevatas supra omnem actionem creatam : quia habet *esse* in se divinum, et elevatum supra omne *esse* creatum, non est verum, si intelligatur de quavis operatione divina, et illa causalis *ideo* reddat rationem a priori virtualiter distinctam, seu reddat rationem a priori formaliter talem : quia ad hanc requiritur virtualis distinctio inter id, quod est ratio a priori alterius, et id, respectu cujus est ratio a priori. Secus tamen, si solum explicet munus quoddam inadæquatum divinæ essentiæ, quod ex parte nostri modi concipiendi tantummodo sit prius, seu si reddat rationem a priori æquivalenter talem : quia ad hanc satis est, ut licet una, et eadem formalitas absque distinctione virtuali præstet utrumque munus; attamen æquivaleat pluribus pertinentibus ad eandem lineam, quorum unum sit, ratio alterius.

Ad ultimum patet ex dictis. Ad ultimum.

Ad primam confirmationem. 29 Ad primam confirmationem concedenda est major, et neganda minor. Et ad probationem negandum est assumptum, quod in ea supponitur, scilicet esse dabilem substantiam spiritualem, per essentiam talem, quæ sit virtualiter distincta a ratione substantiæ intellectivæ per essentiam, ut ex dictis constat. Et ita talis substantia nec erit creata, ut ex se patet, nec increata propter rationes dictas; imo (ut melius dicamus) simul esset increata : quia supponitur habere *esse* per essentiam; et creata : siquidem eo ipso, quod distingueretur virtualiter a ratione substantiæ intellectivæ, non esset infinitæ immaterialitatis, ut ostensum est.

Ad secundam. Per quod etiam ad secundam confirmationem patet concedendum esse antecedens, et negandam consequentiam, ac assumptum ipsum, si ratio substantiæ per essentiam sumatur pro prædicta substantia, ut distincta virtualiter a ratione substantiæ intellectivæ per essentiam, quia, ut modo dicebamus, involvit repugnantiam, quod substantia aliqua sit talis per essentiam,

et absque vestigio potentialitatis, et imperfectionis, ut in confirmatione dicitur, et quod distinguatur virtualiter a ratione substantiæ intellectivæ per essentiam. Cur autem constitutivum divinæ essentiæ, et naturæ potius explicetur per *intelligere* Dei, quam per rationem substantiæ spiritualis per essentiam, etiamsi ratio hæc non distinguatur virtualiter ab illa priori, ut revera non distinguitur, dub. sequenti explicabitur.

DUBIUM II.

Utrum constitutivum divinæ essentiæ, seu naturæ sit sola ratio substantiæ radicaliter, et per essentiam intellectivæ, prout distinctæ virtualiter ab intellectione per essentiam, an vero prout absque omni distinctione virtuali est ipsamet intellectio?

Explanatio tituli. 30 In dubio præcedenti solum ex professo explicuimus, an ratio substantiæ spiritualis per essentiam, ut distinctæ ab *esse* intellectivo, sive in actu primo, sive in actu secundo, sit constitutivum divinæ essentiæ? Et ita restat explicandum, an ipsum *intelligere* radicale, et per essentiam præcise sumptum, an vero, ut est *intelligere* in actu secundo, seu ut pertingit usque ad actualem intellectionem per essentiam, habeat rationem constitutivi divinæ essentiæ, seu naturæ? Et ideo ad hoc melius, et distinctius explicandum, dubium præsens movetur.

Animadversio. Ut autem titulus illius melius intelligatur, notandum est, nomine intellectionis per essentiam non intelligi qualemcunque intellectionem divinam, qualis est intellectio scientifica, aut artis, et aliæ similes, quæ correspondent nostris habitibus intellectualibus, et intellectionibus ab eis elicitis; sed primam intellectionem Dei, correspondentem actui adæquato nostri intellectus, et virtuti radicaliter intellectivæ, quam ratione propriæ naturæ habemus, quatenus sicut prædictum *intelligere* nostrum, sive radicale, sive actuale, est vel radicalis, vel actualis intellectio cujusvis intelligibilis sub ratione intelligibilis, ut sic: ita prima illa intellectio Dei, et vis intellectiva ejus, omnino inter se absque virtuali distinctione identificatæ, ut statim ostendemus, est intellectio omnium divinorum, et quorumcunque aliorum intelligibilium, sub ratione tamen (ut sic loquamur) intelligibilis divini, ut sic, seu per se primo fertur in divinam essentiam in omni sua amplitudine, id est, prout est suum *esse* tam in ordine entitativo, quam intelligibili, et secundum istam formalissimam considerationem est ratio universalissima, *sub qua* omnia a Deo intelliguntur; non vero quatenus eademmet essentia, necessario includens, ut sit in utroque ordine suum *esse*, est peculiari ratio attingendi hæc potius, quam illa, aut hoc determinato modo potius, quam illo, scilicet intelligendo determinate per causam, aut alio simili, et determinato modo, correspondenti modo illi intelligendi, qui in actibus elicitis a nostris habitibus intellectualibus, quatenus talibus, reperitur.

§ I.

Proponitur prior opinio.

31 Prima sententia asserit, non distingui inter se constitutivum divinæ essentiæ, et naturæ, propter illa, quæ dub. præcedenti diximus: asserit tamen intellectionem per essentiam non esse constitutivum illius, ut virtualiter distinctæ ab attributis; sed solum constitui per esse radicaliter, et per essentiam intellectivam in actu primo, seu per esse elicitivam divinæ intellectionis. Ita Curiel in suis controversiis lib. 2. controversiarum controvers. 3. num. 166. Arubal tom. 1. in 1. part. disput. 28. cap. 3. et 4. Albertinus corrollar. 24. de relat. quæst. 14. dub. 2. et alii ex junioribus.

Fundamentum primum. Probatur primo. Quoniam natura hominis constituitur per hoc, quod sit radicaliter intellectiva intellectione humana, et natura Angeli per hoc, quod sit radicaliter intellectiva intellectione Angelica; non vero per hoc, quod sint intelligentes per intellectiones eis correspondentes: ergo natura divina constituetur per hoc, quod sit radicaliter intellectiva intellectione divina, seu per essentiam; non vero per ipsam intellectionem.

32 Patet consequentia. Tum quia id ipsum, quod est constitutivum naturæ intellectualis creatæ, debet esse constitutivum, sublatis imperfectionibus, naturæ intellectualis increatæ: at in hoc, quod natura Dei constituatur per hoc præcise, quod sit radicaliter intellectiva intellectione divina, sicut natura humana, per hoc,

hoc, quod sit radix intellectionis humanæ, non involvitur aliqua imperfectio; sed potius infinita vis necessario requisita ad intelligendum per talem intellectionem : ergo, etc.

Secundum. Tum etiam : quia ideo *esse* intellectivum radicaliter per intellectionem humanam est constitutivum naturæ humanæ, quia est primum prædicatum, quod in ordine intellectuali ei competit : sed *esse* radicaliter intellectivum intellectione divina, est primum prædicatum, quod in ordine intellectuali Deo competit, ita ut illi soli, et non alteri conveniat, si quidem per hoc prædicatum primo distinguitur a naturis creatis intellectualibus, cum quibus in *esse* intellectuali conveniebat, necnon et ab omni alia natura creata : ergo, etc.

33 Secundo. Nam gratia sanctificans est participatio formalis divinæ naturæ, ut communiter admittunt omnes Theologi, et ideo per illam reddimur filii Dei : sed per gratiam sanctificantem formaliter, et cum præcisione sumptam, participatur *esse* radicaliter intellectivum Dei prout est in se, non vero ipsa intellectio, sive visio Dei, ut est in se, ut ex se constat : ergo signum est divinam naturam consistere in intellectualitate radicali jam dicta, non vero in ipso *intelligere*.

Confirmatur. Quia alioqui non redderemur filii Dei usque dum ipsum videremus, ac proinde nec ante prædictam visionem esset in nobis jus ad æternam hæreditatem : hoc autem est valde absurdum, et contra communem Theologorum sententiam : ergo, etc. Sequela patet. Quia si natura Dei consisteret in ipso *intelligere*, tunc sicut non participaremus *intelligere* constitutivum Dei, seu *intelligere*, per quod ipse, prout est in se, intelligitur a se ipso usque dum ipsum videremus, ita nec haberemus ejus naturam : et per consequens neque essemus filii, aut hæredes illius.

Tertio. 34 Tertio. Multa continentur in *intelligere* Dei, quæ tamen non continentur in ipsius *esse*, seu natura : ergo signum est, quod *intelligere*, non est constitutivum divinæ essentiæ, vel naturæ : atque adeo constitutivum illius erit sola vis radicalis ad intelligendum per intellectionem divinam. Hæc secunda consequentia patet ex priori. Quoniam natura Dei, quippe perfectissima, debet pertinere ad ordinem intellectualem : ergo, si non pertingit ad hoc, ut sit ipsa intellectio divina, debet sistere in hoc, quod sit vis radicalis ad intelligendum per talem intellectionem.

Prima vero consequentia patet ex antecedenti.

Tum, quia quidquid continetur in constitutivo alicujus naturæ, debet contineri in ipsa natura. Tum etiam : quia, si *intelligere* est constitutivum divinæ naturæ, pertinebit ad ejus lineam, et non distinguetur etiam virtualiter ab illa, ut ex sæpe dictis constat : ergo quidquid continetur in *intelligere* Dei, debet contineri in natura divina, et e contra : alioqui de eadem simplicissima formalitate omnino indistincta verificarentur duo prædicata contradictoria, scilicet continere, et non continere aliquid.

Antecedens autem probatur. Quia peccatum continetur formaliter in divino *intelligere*, non tamen continetur adhuc eminenter in essentia et natura Dei : quia licet illud intelligat, non tamen illud causat : ergo, etc.

Evasio. 35 Nec refert, si dixeris, quod ad hoc, ut prædicata contradictoria verificentur de eadem re, satis est, quod ibidem intercedat distinctio ex parte modi concipiendi, et significandi, sive rationis ratiocinantis; quamvis non adsit distinctio virtualis, ut in præsenti contingit; quia eo ipso non verificantur de una, et eadem re, quæ omnibus modis sit eadem. Et ita licet Deus, et Deitas tantum distinguantur ex parte nostri modi concipiendi; nihilominus hæc est vera : *Deus generat*, et etiam ista : *Deitas non generat*. Et deinde synonyma solum distinguuntur grammaticaliter, seu ratione ratiocinante, non vero virtualiter, aut ratione ratiocinata, et tamen istæ sunt veræ : *Indumentum est neutrius generis : vestis non est neutrius generis*. Et tandem Petrus sola ratione ratiocinante distinguitur a se ipso; cum tamen de illo verificetur, quod sit idem sibi ipsi, et quod non sit idem, si affirmativa intelligatur de identitate reali, et negativa de identitate rationis : quia saltim per rationem est distinctus a se.

Impugnatio. Nam contra hoc est, quod licet distinctio rationis ratiocinantis sufficiat tollere contradictionem in prædicatis, quæ per solam operationem intellectus, sine fundamento in re conveniunt alicui, ut patet in duobus exemplis ultimo loco allatis; minime tamen in prædicatis, quæ con-

veniunt a parte rei, seclusa omni intellectus operatione : sed mala contineri in intellectione Dei, et non contineri in divino *esse* verificantur de Deo a parte rei, seclusa omni operatione nostri intellectus, ut ex se et ex dictis constat : ergo, ut tollatur contradictio, est necessaria aliqua distinctio saltim virtualis a parte rei inter essentiam Dei, et ejus intellectionem. Consequentia cum minori videntur satis perspicuæ. Major autem probatur : quia ibi debet poni distinctio, ubi nisi esset, verificaretur contradictio : sed a parte rei verificatur, essentiam divinam non continere mala, *intelligere* vero divinum continere illa : ergo a parte rei debet poni distinctio aliqua, fundamentalis saltim, seu virtualis inter essentiam, seu naturam Dei, et hujus *intelligere*.

Additamentum. 36 Adde, quod instantia illa primo loco in hac solutione adducta non ei favet, sed potius contra illam urget. Nam in illa propositione, *Deus generat*, subjectum, nempe *Deus* non supponit pro concreto Deitatis, hoc est pro habente Deitatem, ut præscindit a personis : quia hic Deus, ut communis tribus personis non potest esse principium actus notionalis, nec producere aliquid ad intra, cum non distinguatur realiter ab aliqua persona, sed supponit pro solo Patre determinate, ut docet D. Thom. quæst. 39. art. 4. ex eo, quod subjectum restringitur a prædicato : ac proinde ly *Deus*, ut subjectum hujus propositionis, *Deus generat*, distinguitur virtualiter ratione Paternitatis ab essentia divina præcise sumpta, quæ est subjectum alterius propositionis, scilicet : *Essentia non generat*.

Quartum. 37 Quarto. Nam per illud constituitur essentia, seu natura divina, per quod habet primo continere omnes creaturas, siquidem natura Dei est id, quod primo continet omnem aliam naturam creatam : sed id, per quod natura divina habet primo continere omnem naturam creatam, non est ipsum intelligere in actu secundo, sed esse radicaliter, seu in actu primo intellectivam per supremam omnium intellectionem, scilicet divinam : ergo, etc. Minor quoad secundam part. ex priori aperte constat. Quoniam natura divina debet primo continere omnem aliam naturam creatam per aliquid pertinens ad ordinem intellectualem : ex eo, quod sicut modus agendi intellectualiter, est omnium nobilissimus, ita modus continendi effectus intellectualiter, erit omnium præstantissimus, ac proinde proprius divinæ naturæ : ergo, si non continet primo creaturas per *intelligere*, continebit utique illas per ipsum *esse* intellectivum radicale, sive in actu primo.

Quoad primam vero part. eadem minor probatur. Tum quia *intelligere* non continet rem intellectam in *esse* entitativo, et naturali, sed solum in *esse* intelligibili, et intentionali : et ita non erit hæc continentia sufficiens ad causandas creaturas in *esse* entitativo. Unde divina omnipotentia, in qua maxime elucet vis radicalis, et prima, quæ est in natura Dei ad producendas creaturas, sicut producit illas ad extra secundum *esse* entitativum earundem, ita continet illas in *esse* entitativo, et naturali. Tum etiam : quia ideo Deus intelligit omnes naturas creatas, quia repræsentantur in sua essentia tanquam in causa ; siquidem cognoscit illas in sua essentia, ut in causa, et objecto præcognito : ergo prius est, quod creaturas contineat, quam quod eas intelligat : ergo primum, per quod eas continet, non erit suum *intelligere*.

Quintum 38 Quinto. Quia intellectio non potest, etiam in Deo, esse prior, quam ratio veri, et intelligibilis : ergo non potest esse ipsa essentia Dei. Antecedens patet : quia alias esset prior, quam suum objectum, quod implicat. Et consequentia probatur. Quia intelligibilitas, aut veritas supponit ex natura rei entitatem, cum ad illam consequatur tanquam ejus affectio : ergo talis intelligibilitas, qualis est divina, supponit ex natura rei talem entitatem, nempe divinam, constitutam in sua quasi specie : ergo etiam ipsa intellectio, quæ non est prior, quam ratio veri, et intelligibilis, supponet eandem entitatem, seu (quod in idem redit) naturam divinam in sua quasi specie constitutam.

Ultimum. 39 Ultimo. Nam *intelligere* essentialiter habet esse veram operationem naturæ intellectualis, adhuc in Deo : ergo non est constitutivum ipsius, sed supponit ipsam naturam, et essentiam Dei jam constitutam : ac proinde sola intellectualitas radicalis, seu in actu primo jam explicata, erit constitutivum prædictæ essentiæ, seu naturæ. Hæc ultima consequentia patet ex nuper dictis. Prima vero ex antecedenti. Quia de ratione operationis est, ut præsupponat, saltim virtualiter, *esse* operantis : siquidem unumquodque operatur, secundum

secundum quod est in actu per suam essentiam, et existentiam : ergo, etc.

Antecedens autem probatur. Tum quia *intelligere* secundum propriam rationem est operatio immanens ad ordinem intellectualem spectans, vel eam essentialiter includens : ergo adhuc in Deo retinebit rationem hanc operationis intellectualis. Tum etiam : quia *intelligere* est actus perfectissimus, quo perfectissime, et in actu secundo vivit natura intellectualis : sed vita perfectissima, in actu tamen secundo, consistit in operatione, juxta communem omnium Philosophorum sententiam : ergo *intelligere* ex sua ratione, ac proinde etiam in Deo, erit vera operatio. Tum denique, quia adhuc beatitudo Dei consistit in operatione; siquidem beatitudo nostra, quæ est participatio formalis beatitudinis divinæ, in operatione consistit, ut in materia de beatitudine communiter ostendi solet : at beatitudo divina consistit in intellectione, ut docet D. Thom. infra, quæst. 26. art. 2 : ergo, etc.

Solutio prior.

40 Nec refert, si occurras primo cum aliquibus ex junioribus Thomistis, quod licet de ratione operationis creatæ sit, quod procedat ab alio, non tamen de ratione operationis, ut sic; sed præscindere ab hoc, quod procedat ab alio, vel sit, formalissime loquendo, ipsummet operans.

Impugnatio.

Nam contra hoc est, quod sicut esse *ad* est propria ratio relationis, ut abstrahit a creata, et increata, et propterea nequit in divinis reperiri relatio formaliter sumpta, quin reperiatur esse *ad*, ita de ratione operationis prout abstrahit a qualibet operatione, est esse *ab*. Nam quemadmodum relatio diffinitur per esse ad terminum, ita actio per hoc, quod sit aliquo modo ab operante : implicat autem aliquid procedere aliquo modo ab alio, quin aliquo modo, id est, saltim virtualiter, distinguatur ab illo, et illud virtualiter saltim præsupponat.

Alia solutio.

41 Nec etiam refert, si secundo cum aliis occurras, quod *intelligere* duo significat, scilicet ipsummet *intelligere*, prout dicit operationem, et ut denotat peculiarem gradum entis, scilicet gradum intellectualitatis in actu ultimo, et ex se subsistentem. Unde licet *intelligere* priori modo supponat naturam Dei constitutam, non tamen posteriori modo; sed potius illam constituit : quia natura divina constituitur per hoc, quod sit natura intellectualis in actu ultimo subsistens.

Rejicitur.

Nam contra hoc est, quod hæc solutio videtur involvere apertam contradictionem : siquidem *intelligere* ex suo formali, et essentiali conceptu habet, quod sit actus secundus vitalis, et operatio, ut dictum est : ergo non potest præscindere a ratione operationis, et actus secundi : atque ita semper habebit præsupponere *esse* constitutum rei intelligentis : maxime, quia ideo *intelligere* dicit gradum intellectivum in actu ultimo, quia actus ultimus illius gradus est operatio immanens, sicut actus ultimus essentiæ est *esse* : ergo implicat, quod concipiamus illud, ut dicit gradum intellectivum in actu ultimo subsistenti, nisi intelligamus ipsum in ratione operationis.

42 Confirmatur, quia dum accipitur *intelligere*, pro gradu, et deinde pro operatione : vel ista secunda acceptio intelligitur tanquam nova actualitas virtualis, aliquo modo distincta virtualiter ab ipso *intelligere*, ut gradus est, vel non? Si hoc secundum dicatur, ergo tota actualitas operationis, ut operatio est, involvitur in conceptu ejus, ut gradus est : et consequenter non potest præscindi ratio gradus a ratione operationis. Si vero primum asseratur, ergo quando concipimus *intelligere* pro gradu, non concipimus illud sub omni actualitate sui generis intelligibilis, et consequenter nec in actu ultimo, et puro, sed solum in actu primo : et ita constitutivum divinæ naturæ, tantum erit *intelligere* in actu primo.

Confirmatur. Nam vel *intelligere* divinum, prout constituit gradum, est actualis perceptio objecti, vel non? Si secundum, ergo tantum dicit *intelligere* in actu primo, ac proinde non dicet gradum intellectualitatis in actu ultimo. Si primum, ergo est *intelligere* per modum operationis : siquidem actu percipere objectum, est actu comtemplari illud, et actualis contemplatio, est actualis operatio intellectus.

§ II.

Verior D. Thomæ sententiæ.

Conclusio.

43 Dicendum tamen est, constitutivum divinæ essentiæ, seu naturæ, non esse, quod sit radicaliter, et per essentiam intellectiva prout ratio hæc distinguitur virtualiter ab actuali intellectione, num. 30. explicata, sed ut pertingit ad hoc, ut absque omni distinctione fundamentali, sive vir-

tuali, sit ipsamet intellectio per essentiam : atque adeo prædictam intellectualitatem per modum actus purissimi, et ultimi, seu ipsummet *intelligere* esse constitutivum essentiæ, seu naturæ divinæ.

Assertionem hanc docuit D. Thom. in hoc art. in fine corporis : ubi, ut dubio præcedenti retulimus, sic concludit : *Unde patet per hoc, quod Deus dicitur intelligens, nulla multiplicitas ponitur in ejus substantia.* Si autem *intelligere*, de quo loquitur D. Thom. (illud nimirum, quod num. nuper citato explicuimus, cuique soli convenit, ut sit omnino unum, et idem, id est, sine distinctione virtuali cum intellectu Dei, ut Sanctus Doctor in verbis antecedentibus præmiserat) esset virtualiter distinctum a substantia Dei, tunc aliqua multiplicitas, scilicet multiplicitas virtualis, poneretur in Deo per hoc, quod esset intelligens.

44 Idem etiam asserit infra quæst. 27. art. 2. ubi docet, ideo processionem Verbi esse generationem, quæ est communicatio naturæ divinæ, quia in Deo idem est *esse*, et *intelligere*. Quæ ratio non convinceret, si in ea fieret sermo de identitate solum reali : quia hoc modo etiam *velle* Dei est *esse* Dei : et ita processio Spiritus Sancti esset generatio, et ideo Angelicus Doctor art. 4. ad 1. ejusdem quæstionis, negat ex identitate reali sumendam esse rationem generationis : ergo necesse est, ut intelligatur de identitate formalissima inter *esse* Dei, et *intelligere* illius, quæ excludat distinctionem etiam virtualem. Et similiter art. 8. hujus quæstionis, ut ostendat, quod Deus causat omnia per suum intellectum, seu per suum *intelligere*, quod absque distinctione virtuali identificatur cum intellectu divino, ut ex dicendis in tract. de Voluntate Dei disput. 1. num. 34. constabit; reddit rationem ex eo, quod suum *esse* sit suum *intelligere* : hæc autem ratio nullius esset roboris, si *intelligere* distingueretur virtualiter ab *esse*, seu natura Dei. Sicut ex eo, quod intellectus, et voluntas divina identificentur realiter, ac proinde *velle* Dei sit identice *esse*, et *intelligere* illius, non potest absolute, et simpliciter dici, quod Spiritus Sanctus procedit per *intelligere*, seu per intellectum, et Verbum per *velle*, seu per voluntatem. Videantur tamen ea, quæ in tract. de Voluntate Dei, disput. 1. circa hæc dicemus.

45 Et tandem hoc ipsum docuit Sanctus Doctor : tum infra, quæst. 18. art. 3. et quæst. 19. art. 4. quæst. 26. art. 2. in corpore, 4. contra Gent. cap. 11. et 23; tum etiam omnibus in locis, in quibus sentit, quod *intelligere* Dei, et ejus objectum per se primum debent convenire in gradu immaterialitatis, scilicet in hoc, quod utrumque sit suum *esse*, sive *existere*, ut dubio præcedenti ratione 3. expendimus. Unde Sanctum Doctorem sequuntur Zumel 1. part. quæst. 27. art. 4. quæst. 2. Gonzalez in præsenti disput. 36. Ledesma, si ejus verba recte expendantur, in suo tomo de Perfectione Dei, quæst. 12. art. 13. conclus. 3. et 6. Nazar. in hac quæst. art. 5. controversia 1. Suarez, quamvis aliis fundamentis ductus, disp. 30. suæ Metaph. sect. 15. et tom. 1. in 1. part. libr. 1. cap. 3. Herice tract. 1. disp. 3. cap. 3. referens Aureolum, favet Ferrara 1. contra Gent. cap. 50. dum ait, quod *intelligere* formaliter sumptum est *existere* Dei, et non solum identice, sicut alia attributa, quamvis etiam in oppositum sententiam inclinet. Et tandem hoc ipsum tuentur quamplures ex junioribus discipulis D. Thom. qui scripta sua prælo nondum mandarunt.

Ratio assertionis.

46 Rationem autem fundamentalem hujus assertionis tangit multoties D. Thom. potestque sub hac forma proponi. Nam constitutivum divinæ naturæ, seu essentiæ, debet pertinere ad ordinem, seu gradum intellectualem : ergo debet esse ratio intellectualitatis, talis conditionis, ut pertingat ad hoc, ut absque omni distinctione virtuali sit ipsum *intelligere* per essentiam per modum actus secundi, et ultimi, ac proinde prædictum *intelligere* erit constitutivum essentiæ, et naturæ Dei. Antecedens videtur satis perspicuum, maxime suppositis iis, quæ dub. præcedenti adduximus ad probandum non distingui virtualiter in Deo essentiam, et naturam ejus. Nam cum constitutivum divinæ naturæ debeat pertinere ad aliquem ex gradibus ex se idoneis ad constituendam naturam, quales sunt gradus essendi, sentiendi, vivendi, ac tandem intelligendi, fit inde, ut constitutivum divinæ naturæ, quippe inter omnes naturas perfectissimæ, debeat spectare ad nobilissimum ex his gradibus, scilicet ad gradum intellectualem.

Prima vero conseq. in qua posterior innititur, constat ex iis, quæ in tract. de Visione

Visione Dei disp. 2. diximus, et in tract. de Voluntate divina disp. 2. num. 34. amplius dicemus. Nam hoc ipso, quod constitutivum divinæ naturæ pertineat ad ordinem, seu gradum intellectualem, oportet, ut identificet sibi absque distinctione virtuali ultimam actualitatem hujus gradus, scilicet ipsum *intelligere*. Tum quia talis intellectualitas debet esse per modum actus purissimi absque omni vestigio potentialitatis etiam secundum rationem cum fundamento in re : intellectualitas autem, quæ non pertingit ad hoc, ut identificet sibi absque omni distinctione virtuali ultimam actualitatem suæ lineæ, seu actum secundum, qui ei per se primo correspondet, qui in præsenti non est aliud, quam *intelligere* jam explicatum, non est intellectualitas per modum actus purissimi, sed admixta cum potentialitate cum fundamento in re.

47 Tum etiam : quia quælibet linea, sive ratio formalis in sua puritate sumpta, debet pertingere a prima potentialitate illius lineæ, seu ab eo, quod correspondet primæ potentialitati, quæ in illa linea in creaturis reperitur, usque ad ultimum, et purissimum actum per se primo ei correspondentem; et ideo linea voluntatis pertingit a principio volendi, scilicet voluntate, usque ad volitionem ; et linea essentiæ ab ipsa essentia capaci ad existendum, usque ad ipsum *existere* ; ita ut inter eam, et suum *existere* nulla sit distinctio ; alioqui linea illa non esset per modum actus purissimi : ergo linea naturæ intellectualis in sua puritate (quæ, ut dubio præcedenti diximus, est idem cum linea naturæ absque distinctione virtuali)-debet pertingere ab eo, quod correspondet primæ potentialitati, hujus lineæ, quæ in creaturis invenitur, usque ad ultimam actualitatem, et actum secundum, scilicet *intelligere* absque distinctione virtuali, ut ita prædicta potentialitas purificetur a potentialitate, et solum maneat sub ratione purissimæ, et actualissimæ intellectualitatis absque omni potentialitatis vestigio.

Confirmatio prior.

Confirmatur, et explicatur hoc ratione, quam insinuat D. Thom. art. præcedenti, quæ, ut melius intelligatur, supponendum est, naturam, et essentiam in unoquoque ente completo constitui per actualitatem : quia nihil completum constituitur per id, quod est in potentia, sed per id, quod actu habet : et propterea actus est, qui constituit, et distinguit : sicut autem in ordine, et constitutione entis creati non potest intelligi aliquis actus, nisi limitatus, et determinatus, ita nec in ordine, et constitutione entis increati potest concipi aliquis actus, qui non sit actus purus : at actus purus dicit rationem actus ultimi, cum excludat omnem potentialitatem, et consequenter omnem actum minoris perfectionis, et actualitatis, quam sit ultimus, seu omnem actum, qui tantum sistat in ratione actus primi.

48 Hinc ergo sequens confirmatio deducitur. Nam essentia, et natura Dei debet esse quid actualissimum absque omni vestigio potentialitatis etiam secundum rationem, fundatam tamen in rebus : ergo non potest constitui per prædictum *intelligere* radicale, et præcise in actu primo tale, sed per *intelligere* in actu secundo, et rationem actus purissimi habens.

Alia confirmatio.

Confirmatur secundo. Tum ex iis, quæ supra num. 19. et sequentibus diximus. Tum etiam ratione, quam D. Thom. in hoc art. insinuat, quamque supra tetigimus. Quoniam *intelligere* divinum, de quo loquimur, est existentia Dei in ordine intelligibili, ut tract. 4. disp. 1. num. 21. dicemus : ergo debet omnino identificari cum ipsa essentia, et natura divina radicaliter intellectiva, ita ut talis natura sit ipsissima intellectio, et e contra. Patet consequentia : tum quia essentia Dei est suum *esse* absque omni distinctione virtuali. Tum etiam : quia in Deo ordo entitativus, et intelligibilis non distinguuntur cum fundamento in re, ut dub. præcedenti asseruimus : ergo neque *existere* entitativum, et ordinis intelligibilis : ergo sicut essentia Dei est absque distinctione virtuali suum *esse* in ordine entitativo, quia tale *esse* pertinet ad lineam essentiæ, ut ultima ejus actualitas : ita etiam eadem essentia identificabitur omnino cum suo *intelligere*, quod est existentia ejus in ordine intelligibili.

§ III.

Objectiones contra dicta.

Objectio prior ex triplici probatione coalescens.

49 Cæterum, ut ea, quæ pro assertione diximus, melius intelligantur, oportebit aliquas objectiones contra illa adducere : quia ex earum solutione non parum elucidabuntur. Prima igitur objectio est,

quod non videntur plura ex iis, quæ asseruimus, inter se cohærere. Nam in primis de ratione constitutivi realis est, quod aliquo modo distinguatur, id est, saltim realiter virtualiter, a re constituta; alioqui non esset ibi realiter constituens, et constitutum: si ergo omnia, quæ ad lineam divinæ naturæ spectant, debent juxta dicta, esse omnino idem inter se, ita ut nec virtualiter distinguantur, quomodo poterit esse ibidem realis constitutio, aut reale constituens, et constitutum.

Deinde. Nam de ratione existentiæ est, quod sit terminus essentiæ, non vero ipsa essentia: et ita unio humanitatis ad Verbum, et ejus existentiam, per quam in via D. Thom. existit humanitas Christi Domini, non est unio in essentia, et natura, sed tantum unio terminabilis, et termini: imo propterea potest sacra illa humanitas per existentiam Verbi existere, quia existentia ex genere suo non habet rationem formæ, sed puram, et nudam rationem termini: si ergo *intelligere* Dei se habet per modum existentiæ in ordine intelligibili, quomodo poterit habere rationem essentiæ, et naturæ absque omni distinctione etiam virtuali? Quia implicat terminum naturæ, ut talem, esse ipsam naturam absque prædicta distinctione, alioqui esset ipsissima natura; non vero terminus ejus. Ex quo etiam fiet, quod nec *existere* entitativum Dei possit esse idem cum sua essentia: atque adeo nec pertinere ad ejus lineam.

Præterea. Quoniam de ratione radicis est, ut ab ea aliquo modo, id est, saltim virtualiter procedat id, cujus est radix: si ergo in Deo constituimus rationem radicis intellectus, et intellectionis divinæ, quomodo hæc omnia inter se identificari absque omni virtuali distinctione asserimus? siquidem inter id, quod dimanat, et id, a quo dimanat, debet esse aliqua distinctio.

Alia objectio. 50 Secunda objectio est, quod cum juxta dicta tam esse radicaliter intellectivum per intellectionem per essentiam jam explicatam, quam intellectus, *intelligere*, et *intelligi*, necnon ipsum objectum intellectum, et species intelligibilis, ac tandem *existere* Dei, sive ratio entis per essentiam identificentur absque omni distinctione virtuali, ita ut omnia hæc sint ipsa essentia, et natura Dei, fiet inde, ut non sit cur potius dicamus prædictam naturam constitui per *intelligere*, quam per intellectum, vel *intelligi*, aut per objectum intellectum, sive per speciem intelligibilem, vel existentiam: hoc autem videtur falsum. Nam propterea D. Thom. peculiariter docuit non semel, sed sæpe, quod *intelligere* est constitutivum Dei: quia habet inter alia divina aliquid peculiare, ratione cujus ei hoc munus præ aliis tribuatur. Maxime, quia cum sit peculiare in naturis creatis, ut ratio intellectualitatis radicalis sit earum constitutivum, etiam erit peculiare in natura divina, ut *intelligere* per modum actus purissimi habeat rationem constitutivi respectu illius.

§ IV.

Solutio prioris objectionis nuper adductæ.

Ad primam objectionem quoad priorem ejus probationem. 51 Ad primam ex his objectionibus respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum est, duplicem esse constitutionem: aliam, quæ fit per compositionem, sive realem actualem, sive realem virtualem, aut secundum rationem cum fundamento in re. Aliam vero, quæ est constitutio purissima, et intra puram lineam constitutionis, absque alia compositione sistit, quæque constitutio per simplicitatem nuncupatur.

Exemplum primæ illius constitutionis habemus in constitutione physica hominis, quæ fit per compositionem ejus ex materia, et forma; et in constitutione metaphysica ejusdem, quæ fit per compositionem ex genere, et differentia. Exemplum autem secundæ constitutionis est, constitutio personalitatis divinæ, v. g. Paternitatis, seu Patris secundum ea, quæ in recto dicit: ubi persona Patris constituitur per Paternitatem per purissimam quandam constitutionem, liberam ab omni compositione sive physica, sive metaphysica, sive rationis cum fundamento in re.

Quare licet demus, quod id, quod est constitutivum alicujus per constitutionem prioris rationis, debeat distingui saltim virtualiter a re constituta, et ita debeant ibi dari duo extrema illius compositionis virtualiter diversa, quorum unum comparetur ut actus, et aliud ut potentia; attamen quod est constitutivum per puram constitutionem, liberam ab omni compositione, sive metaphysica, sive cujusvis alterius compositionis ex actu, et potentia secundum rationem cum fundamento in re, non

est

est necesse, ut distinguatur ab eo, quod per illud constituitur : quia ad talem constitutionem satis est, quod constituens constituat per simplicitatem, id est, ponendo se ipsum, ut contingit in constitutione jam dicta, qua Paternitas divina constituit Patrem formaliter, et in recto : ubi constituens, et constitutum in recto sumpta, solum ex parte modi concipiendi distinguuntur.

Unde cum constitutio, qua *intelligere* divinum constituit naturam Dei, sit hujus posterioris, non vero illius prioris rationis, inde est, ut optime cohæreant, quod prædictum *intelligere* constituat essentiam Dei, et quod nihilominus non sit virtualiter distinctum ab illa ; sed quod adæquate sumptum, sit adæquate ejus quidditas, et eademmet omnino essentia constituta per illud. Sicut, juxta communem sententiam Theologorum, Deitas constituit Deum, ut præscindit a personis : et tamen, quia constituit illum constitutione per simplicitatem, propterea Deitas, et Deus sunt una simplicissima formalitas absque omni distinctione virtuali ; sed solum ex parte nostri modi concipiendi.

Ad secundam probationem.

52 Ad secundam vero probationem, fatemur existentiam esse terminum naturæ, ac proinde intellectionem, ut est existentia ordinis intelligibilis, habere etiam rationem termini respectu naturæ intellectualis, ut ad ordinem intelligibilem pertinet, modo tamen supra insinuato. Cæterum dupliciter potest aliquid esse existentia, vel terminus alicujus naturæ. Primo quidem ita ut formaliter dumtaxat, non vero formaliter eminenter sit existentia, et terminus. Secundo vero ita ut formaliter simul, et eminenter habeat rationem existentiæ, aut termini respectu illius. Quod igitur solum formaliter habuerit rationem existentiæ, aut termini, debet distingui a re, cujus fuerit terminus. Cæterum id, quod formaliter, et eminenter simul sortitur rationem existentiæ, ac termini respectu alicujus naturæ, non debet distingui a natura illa, nisi tantum ex parte modi concipiendi ; sed debet esse simul natura, et existentia, et terminus absque aliqua distinctione virtuali : quia illa eminentia consistit in hoc, quod habeat propria naturæ, et propria termini naturæ : atque adeo in hoc, quod æquivaleat aliis naturis, et terminis simul sumptis. Quamvis, quia prædicta natura, et terminus pertinent ad eandem lineam, non sufficiat illa æquivalentia constituere distinctionem virtualem, ad quam requiritur æquivalentia ad plura pertinentia ad distinctas lineas, sed solum sistat in continentia formali, et eminenti utriusque rationis cum distinctione solum ex parte modi significandi, et concipiendi.

Quare cum existentia Dei, et *intelligere* ejus habeant rationem existentiæ, non quidem formaliter solum, sed formaliter eminenter simul, et eodem modo rationem termini sortiantur, inde est, optime in illa cohærere, ut simul sit ipsa natura Dei, et existentia, ac terminus ejus : et quod ratione hujus eminentiæ, qua prædictum *esse* æquivalet tum essentiæ nostræ, tum intellectioni, tum etiam existentiæ in nobis repertis, possit uniri cum humanitate, verbi gratia, Christi Domini, ut est existentia, et terminus, non vero, ut habet munus essentiæ, imo ut est existentia ordinis entitativi, et termini ejus, non autem ut est existentia ordinis intelligibilis. Quamvis omnes istæ rationes in prædicto *intelligere* sint eadem ipsissima formalitas, eminentissima tamen, et æquivalens pluribus ad eandem lineam ex genere suo spectantibus.

Ad tertiam.

53 Per quod etiam ad ultimam probationem ejusdem objectionis constat. Nam licet radix intelligendi, quæ formaliter tantum est radix, debeat esse talis conditionis, ut ab ea realiter procedat *intelligere* ; attamen si prædicta radix fuerit formaliter eminenter talis, non est necesse, ut ab ea procedat adhuc virtualiter prædictum *intelligere* ; sed satis est, quod æquivaleat naturæ creatæ radicaliter intellectivæ, et intellectioni adæquatæ illius : atque ita ratione hujus eminentiæ solum distinguentur hæc duo munera in illa simplicissima formalitate ex parte nostri modi concipiendi, quatenus per unicum conceptum possumus concipere illam prout est prima vis ad intelligendum, quæ in Deo reperitur, non curando ex vi illius conceptus, an illa ipsissima formalitas sit prima vis ad intelligendum per modum actus purissimi, seu actus secundi, qui ex parte rei conceptæ non distinguatur etiam virtualiter a prima intellectione divina, an vero sit aliqua formalitas, quæ ex vi suæ lineæ præcise sistat in prima vi divina ad intelligendum ; non vero sit omnino identificata absque distinctione virtuali cum prædicta intellectione. Et deinde per alium conceptum concipimus vim illam primam, quæ est in Deo ad intelligendum, esse ipsissimam intellectionem, constitutivam illius : atque adeo vim istam, non se habere

per modum radicis intellectionis, eo modo, quo natura intellectualis creata comparatur cum suo *intelligere* : vel eo pacto, quo idem *intelligere* divinum confertur per modum radicis cum *velle*, a quo virtualiter distinguitur, quodque non formaliter, sed virtualiter in eo continetur.

§ V.

Enodatio secundæ objectionis contra ea, quæ pro nostra sententia diximus, adductæ.

54 Ad secundam objectionem fatendum est, essentiam divinam, ut virtualiter distinctam ab attributis, consistere ex parte rei conceptæ in omnibus, et singulis ex illis rationibus, aut quasi rationibus ibidem enumeratis, quatenus omnia, et singula non excludunt omnimodam identificationem inter se ; sed potius ex vi sua identificantur absque omni distinctione etiam virtuali, ut ex dictis constat. Cæterum cum hoc stat, ut melius explicetur talis essentia per hoc, quod sit ipsum *intelligere* jam dictum, quam per alia.

Ratio solutionis.

Ratio autem hujus constat ex dictis. Quia cum natura divina debet pertinere ad supremum gradum ex se constitutivum naturæ, scilicet gradum intelligendi, et intra hunc gradum constituenda sit per supremam, et ultimam actualitatem illius, fit inde, ut optime explicetur hoc constitutivum, per hoc, quod sit ipsum *intelligere* per essentiam : quia hoc non solum identificat sibi pertinentia ad hanc lineam, sed explicite dicit supremam, et ultimam actualitatem illius, quod quidem non competit cæteris aliis in objectione enumeratis. Nam licet singula ex illis identificent modo dicto quidquid spectat ad lineam naturæ hoc ipso, quod habeant supremam perfectionem in eo muneie, quod exprimunt, scilicet vel in ratione v. g. speciei, vel in ratione intellectus per essentiam ; attamen non dicunt explicite supremam, et ultimam actualitatem hujus lineæ.

Explicatur.

55 Hoc autem non aliter melius explicabitur, quam discurrendo per singula. Nam in primis intellectum, speciem intelligibilem, et eandem essentiam divinam, ut exprimit munus objecti terminativi, certum est non explicare ultimam, et supremam actualitatem gradus intelligendi, *existere* autem Dei, secundum quod tantum dicit esse entitativum prout distinctum ab existentia ordinis intelligibilis, satis constat, non exprimere ultimam actualitatem divinæ naturæ : siquidem *existere* entitativum in nobis actuatur per *esse* ordinis intelligibilis. Et ita intellectus informatus per speciem intelligibilem, et habens existentiam ordinis entitativi, est actuabilis, et terminabilis per *esse*, spectans ad ordinem intelligibilem, scilicet per ipsum *intelligere* ; et propterea licet in Deo *esse* entitativum, et intelligibile sint unum, et idem omnino, nihilominus *esse* ordinis intelligibilis exprimit majorem actualitatem, quam *esse* ordinis entitativi : atque adeo convenientius exprimitur natura Dei per *intelligere*, quam per *esse*, ut præcise *esse* entitativum.

56 Si autem *esse* sumatur, prout absque aliqua distinctione virtuali dicit tam *existere* entitativum, quam ordinis intelligibilis, tunc utrumque munus melius explicatur per *intelligere*, quam per *existere* : quia non qualecunque *intelligere*, sed *intelligere* per se, et ex se in actu exercito subsistens, est quod assignatur pro constitutivo divinæ naturæ : hoc autem satis explicat tum *esse* existentiæ ordinis intelligibilis, ut ex se constat : tum etiam *esse* existentiæ entitativum : nam quod exprimit se ipsum, ut modo nuper dicto per se et ex se subsistit, satis explicat se esse existens etiam in ordine entitativo. Cæterum ly *esse* adhuc ex se subsistens non ita exprimit esse intelligibile secundum peculiare, et vitale munus, quod intra lineam existendi exercet, sed magis implicite illud dicit, quam *intelligere* ex se subsistens dicat *esse*, seu existere entitativum.

57 Et tandem ratio entis per essentiam, prout non solum dicit existentiam, sed ipsam rationem entis per essentiam abstractam secundum rem, seu ab omni potentialitate, et ex se subsistentem : ac proinde ipsam rationem entis, prout non est ab alio, vel tanquam a causa, vel tanquam a ratione a priori, planum est, non exprimere ex vi suæ rationis formalis expressæ tantam actualitatem, et perfectionem, quantam *intelligere* per essentiam : siquidem non exprimit *esse* vitale, nec ultimam actualitatem supremi gradus constitutivi naturæ, nec tandem gradum ipsum supremum, scilicet gradum intelligendi, quamvis hoc ipso, quod talis entitas per essentiam sit omnino abstracta

ta abstractione secundum rem ab omni potentialitate, et ita sit entitas in abstracto, debeat sub conceptu entitatis ex se subsistentis includere, et identificare sibi absque distinctione virtuali, quidquid ad lineam naturæ divinæ pertinet.

Objectio. 58 Nec refert, si urgeas primo, quod D. Thom. videtur tribuere ipsi *esse* primum locum inter prædicata constitutiva Dei; ac proinde sentit, divinam essentiam melius explicari per hoc, quod sit suum *esse*, quam per *intelligere* : ergo, etc. Antecedens patet. Nam supra quæst. 13. art. 11. ait, quod nomen maxime proprium Dei est, *qui est* : constat autem nomen maxime proprium alicujus, significare rationem maxime constitutivam illius. Et in hoc art. et 1. contra Gent. cap 45. ex eo ostendit, quod *intelligere* Dei est ejus essentia, quoniam *intelligere* comparatur ad intellectum, et speciem intelligibilem, sicut *esse* ad essentiam : et ita quia *esse* divinum est ipsa essentia Dei, ideo etiam *intelligere* habet rationem essentiæ. Ubi videtur D. Thom. supponere, quod ipsum *esse* habeat, quod sit principalis essentia divina : siquidem ex eo colligit, *intelligere* esse ipsam Dei essentiam, quia se habet sicut ipsum *esse* respectu ejusdem Dei.

Solvitur quoad primum testimonium. Non itaque hoc refert. Nam antecedens est falsum. Et ad primum testimonium dicendum est, S. Doctorem loqui de nomine, maxime proprio Dei, non quidem ut dicit præcise naturam divinam, ut virtualiter distinctam ab attributis, sed ut dicit totam perfectionem Dei, ut est una, et eadem simplex formalitas includens tam essentiam, quam attributa. Nam hæc omnia significantur, indeterminato quodam modo, per hoc, quod Deus sit *qui est*, quatenus per hoc denotatur ipsum a se, id est, non ab alio, ut a vera causa habere, quod sit : atque adeo non habere *esse* per participationem : constat autem hanc rationem ambire tam essentiam, quam attributa : siquidem nihil, quod est in Deo, est ab alio tanquam a causa, nec habet esse per participationem, sed modo alibi insinuato, existit per ipsum *esse* per essentiam : quæ explicatio est valde consona contextui Sancti Doctoris, ut intuenti constabit.

Quoad secundum. 59 Ad secundum vero testimonium dicendum est, quod si loquamur de constitutivo Dei præcise, prout dicit id, quod non distinguitur virtualiter a divina natura, recte deducitur, quod *intelligere* sit constitutivum illius : ex eo, quod exprimit *esse* ipsius in ordine intelligibili; et *esse*, seu *existere* constituit divinam naturam absque distinctione virtuali. Sicut etiam ex eo, quod *esse* identificetur absque virtuali distinctione cum *intelligere*, colligitur bene, quod *esse* habet rationem constitutivi. Cæterum, si loquamur de prædicto constitutivo, ut meliori, et perfectiori modo explicat divinam naturam, tunc cætera alia jam explicata, sunt constitutiva, quatenus absque aliqua distinctione virtuali continentur in ipso *intelligere*. Et ita D. Thom. non colligit, quod *intelligere* est constitutivum hoc modo, quia est utcunque *esse*, sed quia est *esse* subsecutum, non quidem subsecutione virtuali, sed ex parte nostri modi concipiendi ad speciem intelligibilem, ut talem, ac proinde quia est *esse* ordinis intelligibilis jam dictum, quod quidem est ipsa natura Dei.

Replica. 60 Nec etiam obest, si secundo urgeas, quod ratio entis, seu ipsius *esse* abstracti abstractione formali, est quid abstractius secundum prædictam abstractionem, quam *intelligere* : ergo exprimit majorem perfectionem : ac proinde melius explicabitur essentia Dei per illud, quam per istud. Hæc ultima consequentia patet ex priori, et ex jam dictis. Prima vero ex antecedenti. Quoniam forma abstracta abstractione formali dicit eandem, ut abstractam a materia, et potentialitate. Et ita quo forma fuerit hoc modo abstractior, eo dicet majorem actualitatem, et per consequens majorem perfectionem.

Antecedens autem probatur. Nam forma abstracta abstractione formali est sic abstractior, quam altera, quando comparatur per modum formæ tam respectu illius alterius formæ, quam respectu eorum, quæ prædictæ alteri formæ subduntur per modum rationis materialis : nam eo ipso abstrahit abstractione formali tam ab illa, quam ab iis, quæ eidem per modum rationis materialis subduntur : et ita non potest non esse abstractior abstractione formali : sed ratio entis, seu ipsius *esse* abstracta abstractione formali dicit rationem quandam universalissimam, quæ se habet per modum formæ tam respectu ipsius *intelligere*, quam respectu omnium aliorum, quæ comparantur per modum materiæ respectu illius; siquidem *esse*, seu *existere* est ultima actualitas omnium : ergo, etc.

Confirmatur. 61 Confirmatur, et simul explicatur præcedens objectio, supponendo tamen prius, quod ens, seu *esse* potest duplici abstractio-

nis genere abstrahi. Primo abstractione totali, id est, eo modo, quo totum, aut quasi totum potentiale, sive universale abstrahitur a suis partibus subjectivis, sive a suis inferioribus : et secundam istam rationem includit illa, licet implicite, et consequenter includit totam eorum potentialitatem : quia non est omnino abstractum ab eis. Secundo potest abstrahi abstractione formali, eo modo quo forma, aut ratio aliqua formalis abstrahitur a sua materia, vel ratione materiali : et hoc modo non includit illa, ut patet in ente, ut est objectum Metaphysicæ. Nam secundum istam rationem tantum est formale in eo ratio entis; cætera vero, quæ alias per modum inferiorum sub illo continentur de materiali se habent, et per modum rationum materialium considerantur; ratio vero entis, per modum formæ. Et propterea ut est objectum Metaphysicæ, non includit naturalia, aut mathematica, ut statim dicemus : quia de ratione formæ, ut talis, non est, ut includat suam materiam, aut quasi materiam.

62 Hinc ergo sequens confirmatio, et explicatio præcedentis objectionis desumitur. Nam licet ratio entis, seu ipsius *esse*, quæ simul habet esse abstractam, tam abstractione totali, et analoga, quam abstractione formali, includat secundum priorem illam abstractionem sua inferiora, et potentialitates eorum tanquam partes subjectivas; non tamen ut abstracta abstractione formalia : ergo eo ipso, quod sit universalior quam *intelligere*, exprimet formam abstrahentem a pluribus potentialitatibus, quam illud, ac proinde formam puriorem, et aptiorem ad hoc, ut explicet ipsam naturam Dei.

Antecedens probatur. Nam propterea ens, ut nuper dicebamus, quatenus peculiariter attingitur a Metaphysica, non includit naturalia, aut mathematica, et per consequens scientiæ istæ non subalternantur illi, quia secundum hanc rationem abstrahit ab illis abstractione formali, et de ratione formæ non est includere suam rationem materialem.

Enodatio objectionis.

63 Respondetur enim distinguendo antecedens : et si intelligatur de ratione entis, seu ipsius *esse* abstracta abstractione formali secundum rationem, et de *intelligere*, ut eodem modo abstrahitur a quovis *intelligere*, concedendum est, si per illam majorem abstractionem tantum denotetur, quod est forma universalior, seu amplior, id est, habens se per modum formæ respectu plurium rationum materialium. Si vero intelligatur de ratione entis, seu ipsius *esse* abstracta abstractione formali, secundum rem, et de *intelligere* eodem modo abstracto, negandum est : quia sic sumpta, tunc unum non est abstractius alio : sed sunt una, et eadem formalissima ratio ex parte solius modi concipiendi distincta. Et deinde neganda est prima consequentia, si intelligatur de ratione entis abstracta abstractione formali secundum rationem, et de *intelligere* eodem modo abstracto ab omni *intelligere*, et de majori perfectione simpliciter, et absolute tali, vel de majori perfectione excludente omnem imperfectionem. Et similiter neganda est absolute eadem consequentia intellecta de ratione entis, sive ipsius *esse*, et intellectionis abstractis abstractione formali secundum rationem : necnon et secunda consequentia. Quia essentia Dei non debet explicari per id, quod est abstractius modo dicto abstractione formali secundum rationem, sed satis est, quod explicetur per id, quod est abstractissimum abstractione formali secundum rem; ita ut nihil sit eo sic abstractius, quodque ultra hoc habet peculiarem rationem, propter quam per illud potius, quam per alia explicetur, ut in *intelligere* abstracto abstractione formali secundum rem contingere diximus.

64 Et ad probationem antecedentis, quatenus contra hæc potest urgere, distinguenda est major, et intellecta de forma abstracta abstractione formali secundum rationem debet concedi de majori illa abstractione jam dicta, quæ consistit in hoc, quod sit forma universalior, et amplior, seu habens se per modum formæ respectu plurium rationum materialium : at si intelligatur de majori abstractione, prout dicit, vel arguit majorem actualitatem, et perfectionem, iterum debet distingui, et concedi quando forma illa, a qua altera abstrahitur abstractione formali jam dicta, non est talis conditionis, ut ei quasi subdatur, per modum (ut sic loquamur) rationis quasi materialis tertia (ut sic dicamus) alia forma, de cujus ratione sit ambire, et includere omnem actualitatem et perfectionem, quæ continetur in duabus illis prioribus formis, nempe in illa universalissima, quæ abstrahitur, et in ea, a qua hæc universalissima forma immediatius abstrahitur; secus vero si forma illa secunda, a qua abstrahitur immediatius illa prior forma universalior, secundum rationem ex his tribus, seu extendens se per modum formæ respectu plurium rationum materialium, non fuerit talis conditionis, ut ei quasi immediate,

mediate, sive immediatius, veluti subdatur tertia (ut sic loquamur) alia forma, de cujus ratione sit includere omnem actualitatem, et perfectionem duarum illarum priorum formarum. Et eodem proportionali modo distinguendum est consequens, et juxta dicta negari, vel concedi debet consequentia.

Explicatur solutio quoad priorem partem.

65 Explicanturque hæc omnia, et primo distinctio prioris antecedentis. Etenim ens, seu ipsum *esse* abstractum abstractione formali, et secundum rationem, tam ab *intelligere*, quam ab aliis, a quibus abstrahitur, est secundum rationem universalius, sive amplius, quam *intelligere* eodem modo abstractum, scilicet abstractione formali, et secundum rationem, quatenus per hanc majorem universalitatem, seu amplitudinem præcise denotatur, quod habet se per modum formæ respectu plurium rationum materialium, seu quasi materialium. Si tamen ratio entis, seu ipsius *esse* sumatur secundum, quod est re ipsa abstracta abstractione formali, id est, prout est abstracta, et separata re ipsa tam ab omni potentialitate, quam ab omni subjecto, tunc (formalissime de illa loquendo, et non solum in sensu identico) non est universalior, sive amplior (ut sic dicamus) physice, sive realiter, id est, non ambit hoc modo plus perfectionis, et actualitatis, nec est re ipsa (formalissime tamen loquendo) quid abstractius prædicta abstractione formali, et re ipsa tali, quam prædictum *intelligere* eodem modo abstractum : nec tandem comparatur per modum actualitatis respectu ejus : quia sunt una, et eadem ipsissima formalitas ex parte solius nostri modi concipiendi distincta, et ex parte prædicti modi concipiendi potius se habet *intelligere* per modum quasi rationis formalioris, ut dictum est. Et ita propter hanc rationem, et quia divina natura debet potissime explicari per hoc, quod consistat in ratione abstractiori secundum rem ex omnibus illis, quæ ad ejus conceptum pertinent, non vero in ratione abstractiori, modo dicto, secundum rationem, proterea non per rationem entis, sive ipsius *esse* quovis modo abstractam, sed per ipsius *intelligere* re ipsa abstractum optime significatur.

Declaratur quoad secundam.

66 Deinde secunda distinctio, qua probationi prædicti antecedentis occurrimus, explicari potest per hoc, quod licet aliqua ratio abstracta secundum rationem abstractione formali ab alia, sit amplior illa, seu extendatur ad plures rationes materiales; si tamen sub utraque alias contineatur ratio alia, de cujus conceptu sit, ut quidquid perfectionis, et actualitatis simpliciter simplicis sit in ambabus, et in omnibus aliis, a quibus ipsæ abstrahuntur, claudatur in ipsa, tunc ex eo, quod prior illa forma abstracta secundum rationem sit amplior in sensu explicato, non sequitur esse actualiorem, et perfectiorem, quam secunda forma, a qua immediatius abstractione formali abstrahitur. Quia hæc secunda forma continet etiam totam perfectionem, et actualitatem, quæ est in tertia alia forma, quæ sub illa alias per modum partis subjectivæ continetur, quæque abstractione formali secundum rationem etiam abstrahitur.

Unde, quia ratio entis, sive ipsius *esse*, abstracta abstractione formali secundum rationem, abstrahitur ab *intelligere*, quod continet alias immediatius sub se ipsum *intelligere* divinum re ipsa abstractum, et hoc debet continere actu, et formaliter quidquid perfectionis, et actualitatis simpliciter simplicis est in illa ratione entis, seu ipsius *esse* abstracta abstractione formali, ac proinde hæc eadem perfectio adunate debet etiam haberi in ipso *intelligere* abstracto abstractione formali secundum rationem ab omni *intelligere*, quia secundum hanc rationem dicit quidquid est actualitatis in illis, seclusis potentialitatibus : propterea ratio illa entis, seu ipsius *esse* abstracta secundum rationem, non est actualior, et perfectior, quam *intelligere* eodem modo abstractum, aut quam *intelligere* divinum, seu *intelligere* re ipsa separatum, et abstractum, licet sit modo dicto quid amplius, et universalius. Cæterum licet ratio entis, seu ipsius *esse*, aut intellectionis sic abstracta abstractione formali secundum rationem, dicat totam perfectionem, et actualitatem jam explicatam; nihilominus quia modus abstractionis, tantum est secundum rationem, idcirco ex hoc capite dicit modo imperfecto prædictam actualitatem, et quidquid majoris actualitatis ex hoc nascitur, involvit etiam aliquid imperfectionis in ipsa forma sic abstracta, ratione cujus hic modus abstractionis nequit in ipso *esse* abstracto secundum rem, aut in *intelligere* eodem modo abstracto reperiri.

Major explicatio ejusdem solutionis.

67 Potestque hoc exemplis elucidari : tum in contraria sententia, tum a simili. In contraria quidem sententia. Nam, qui dicunt, quod *esse*, aut ipsa entitas abstracta abstractione formali, et secundum rationem, est forma abstractior, et actualior, quam *intelligere*, fateri tenentur, quod non sit abstractior, et actualior, quam ipsa ratio entis, aut ipsius *esse* abstracta abstractione formali secundum rem, sive quam ipsa Deitas : et hoc non ob aliud, nisi quia Deitas, et ipsum *esse* abstractum abstractione formali secundum rem, quæ alias continentur sub ipsa ratione entitatis abstracta abstractione formali, et secundum rationem a Deo, et creaturis, ambit totam plenitudinem actualitatis, et perfectionis lineæ naturæ sine aliqua potentialitate, et ipsum *esse* sic abstractum secundum rem (ut dicunt illi) est formalissime ipsa Deitas. Similiter ergo nos philosophamur (quod ipsi etiam debent admittere) quod quia ens, seu *esse* abstractum abstractione formali secundum rem, includit in sua ratione ipsum *intelligere*, et includitur ab illo, nec ab illo distinguitur, nisi solum ex parte nostri modi concipiendi, et secundum rationem implicitam, et explicitam, absque distinctione virtuali : et ipsum *intelligere* abstractum abstractione secundum rem, dicit totam perfectionem, quam dicit *esse* sine aliqua materiali contractione ipsius, aut potentialitate : ideo ratio entis, seu ipsius *esse* abstracti abstractione formali secundum rationem, non est actualior, neque perfectior, quam *intelligere* eodem modo abstractum propter rationem dictam, vel quam *intelligere* abstractum abstractione secundum rem.

Elucidatur a simili Aristot.

68 A simili autem potest etiam sic explicari ex doctrina Arist. in postprædicamentis, ubi dicitur, superiora subsistendi consequentia esse priora inferioribus : quia nec logice, nec physice valet : *Est animal : ergo est homo;* et tamen, teste D. Thoma, opusculo 2. capite 1. quando superius est analogum respectu multorum, in quorum uno reperitur tota ratio, et perfectio cæterorum inferiorum, illud superius non est prius subsistendi consequentia physice. Unde non possumus verificare, quod existat ens, quin verificemus, quod existat Deus : quia in Deo existit tota ratio entis. Quapropter D. Thom. supra quæst. 3. art. 5. in argumento sed contra, dixit, Deo nihil esse prius secundum intellectum; ita ut intelligatur esse physice prius : quia licet communiora sint priora, hoc modo, intellectu, et subsistendi consequentia, quam inferiora, et ens sit superius ad Deum; attamen tunc solum communiora sunt modo insinuato priora subsistendi consequentia intellectu, quando inferius non habet imbibitam totam perfectionem, quam habet superius : Deus autem habet imbibitam totam rationem, et perfectionem, quam dicit ens, vel quodvis aliud prædicatum superius : et ita nullum eorum potest esse prius modo prædicto, quam Deus.

69 Ita ergo proportionaliter in præsenti, dicimus, quod quando in aliquo non reperitur ratio potentialitatis, et imperfectionis, sed infinita, et summa actualitas, seu (ut melius dicamus) quando in illo invenitur ex vi sua tota actualitas reperta in eo, quod est ab illo abstractum abstractione formali secundum rationem, tunc id, quod formali abstractione secundum rationem, abstrahitur ab omnibus aliis contrahentibus, sive determinantibus eandem rationem, non est actualior absolute, et simpliciter respectu illius. Quia cum nihil habeat potentialitatis, et dicat totam perfectionem, quam illa ratio abstracta in se, et in omnibus aliis importat, nihil potest esse absolute, et simpliciter actualius illo : et ita ratio entis, seu ipsius *esse* abstracta abstractione formali secundum rationem ab *intelligere* per essentiam, non est abstractior absolute, et simpliciter, quam illud, prout *esse* abstractius dicit actualitatem absolute, et simpliciter actualiorem respectu ejus, sed potius e converso res se habet, ut explicatum est.

§ VI.

Diluuntur argumenta primæ sententiæ initio allata.

Ad primum

70 Ad primum, concesso antecedenti, neganda est conseq. Et ad primam probationem concedenda est major, et neganda minor. Quoniam vis ad intelligendum, quæ præcise sistit in actu primo, et non identificat sibi absque distinctione virtuali intellectionem ei per se primo correspondentem, necessario includit imperfectionem; ac proinde nequit esse infinita in ratione virtutis intellectivæ, nec constitutiva Dei. Ex quo ad 2. probationem ejusdem consequentiæ concedenda est major, et negandum assumptum minoris, quatenus innuit, quod esse radicaliter intellectivum intellectione divina

vina prout prædicta radix distinguitur virtualiter ab eadem intellectione illi per se primo correspondente, sit prædicatum competens Deo; siquidem prædictum prædicatum necessario involvit imperfectionem, et limitationem, ratione cujus non identificat sibi absque distinctione virtuali intellectionem pertinentem ad suam lineam.

Ad secundum. 71 Ad secundum, concessa majori, intellecta de participatione formali analoga, inadæquata, et deficiente, et concessa etiam minori, neganda est consequentia; quia ex hoc, quod gratia participet per participationem analogam, divinam naturam inadæquate, scilicet quoad unicum munus, quod in ipsa est, non sequitur non esse in eadem natura divina alia munera; sed potius oppositum.

Ad confirmationem. Ad confirmationem neganda est sequela. Et ad probationem patet ex dictis naturam Dei consistere ex parte rei conceptæ tam in ipso *intelligere*, quam in ipsa vi, et radice ad intelligendum; et ita etiamsi non participetur formaliter ipsa intellectio, seu visio Dei correspondens prædictæ radici, adhuc participatur inadæquate divina natura prout est in se, quoties gratia sanctificans alicui communicatur.

Objectio. 72 Nec refert, si urgeas, saltim ex dictis sequi, quod participata miraculose ipsa visione Dei prout est in se, non participata gratia, tunc melius participaretur divina natura per visionem illam, quam per infusionem gratiæ sanctificantis præcise sumptæ; hoc autem est contra communem Theologorum sententiam : ergo, etc. Sequela videtur certa. Quoniam licet natura divina consistat in radice jam explicata, et simul in *intelligere* ei correspondente; nihilominus, ut nuper dicebamus, melius explicatur ejus constitutivum per ipsum *intelligere*, quam per prædictam radicem : ergo cum visio Dei sit participatio ipsius *intelligere*, consequens erit, ut melius participetur divina natura per visionem præcise sumptam, quam per gratiam cum eadem præcisione acceptam; siquidem per hanc solum participatur ratio radicis jam dicta.

Respondetur enim negando sequelam. Quod adeo verum est, ut si participaretur visio Dei prout est in se, non participata gratia, tunc non solum non daretur melior participatio divinæ naturæ formaliter sumptæ, verum nec esset ibidem ulla participatio ejusdem sub conceptu, et formalitate naturæ, quamvis *intelligere* sit in Deo natura illius.

Respon-sio.

73 Et ratio est. Quoniam non participaretur *intelligere* constitutivum Dei prout habet modum constitutivi, et naturæ divinæ. Nam ad hoc, ut participaretur secundum prædictum modum, et rationem naturæ, oportebat participari, ut simul est radix intelligendi, et volendi Deum prout est in se; siquidem hæc ratio indispensabiliter petitur ad constitutionem naturæ divinæ, ut participabilis sub conceptu naturæ, non secus ac in creaturis intellectualibus nihil potest habere rationem naturæ, nec aliquo modo participare illam sub conceptu naturæ, quin communicetur ipsi per modum radicis intelligendi, et volendi. Quare cum participatio visionis Dei prout est in se, si formaliter sumatur, nunquam sit participatio radicis prædictæ visionis, secus vero participatio, quæ fit per gratiam; inde est, ut hæc semper sit participatio inadæquata naturæ divinæ sub conceptu naturæ; secus vero illa, quamvis prædicta participatio, quæ fit per visionem Dei prout est in se, habeat connaturaliter annexam participationem naturæ, quæ fit per gratiam.

Explicatur exemplo. Potestque hoc explicari exemplo illo supra tacto unionis hypostaticæ, per quam communicatur humanitati Christi Domini existentia Dei, quæ in ipso habet ex parte rei conceptæ rationem naturæ; et tamen quia non communicatur ratio radicis illius, ideo non communicatur per talem unionem natura Dei, neque prædicta unio est in natura, ut supra tetigimus, et communiter docent Theologi.

Ad tertium. 74 Ad tertium respondetur, quod ea, quæ continentur in divino *intelligere*, eodem modo debent contineri in natura Dei; et ita quia peccatum continetur in *intelligere* divino tanquam objectum secundarium in intelligente, ideo hoc eodem modo continetur in natura Dei, quæ in ipso *intelligere* consistit. Cæterum cum hoc stat, ut soleat negari, peccatum contineri in divina natura, et concedi, quod contineatur in *intelligere* Dei : ex eo quod per illum priorem modum loquendi innuitur ex parte modi significandi, quod peccatum sit in Deo vel tanquam aliquid pertinens ad ejus naturam, vel tanquam effectus proprius ab ea causabilis.

Ad quartum. 75 Ad quartum, concessa majori, neganda est minor. Et ad primam probationem illius quoad priorem part. negandum est antecedens. Quia *intelligere* constitutivum divinæ naturæ, sicut identificat sibi tam ordinem entitativum, quam intelligibilem in summo perfectionis gradu, taliter, ut hoc ex

vi propriæ lineæ illi competat, ita continet tam intelligibliter, quam entitative, et sub *esse* naturali omnem effectum creatum, et creabilem a Deo. Ad secundam vero probationem ejusdem minoris, quoad prædictam partem dicendum est, quod si in ea fiat sermo de *intelligere* constitutivo divinæ naturæ, non est prius prioritate virtuali, quod creaturæ repræsententur in essentia Dei tanquam in causa potente illas producere, quam quod intelligantur per prædictum *intelligere*: siquidem in ipso *intelligere* non sunt duæ formalitates virtualiter distinctæ, quod intelligat, et possit saltim radicaliter producere illas. Unde prædicta repræsentatio, et *intelligere* solum ex parte nostri modi concipiendi distinguuntur, et per modum prioris, et posterioris inter se comparantur, quatenus prædictum *intelligere* est adeo eminens, ut habeat formaliter eminenter exercere duo illa munera ad eandem lineam spectantia; ita tamen, ut ratione prædictæ eminentiæ, et ex parte nostri modi concipiendi prius intelligamus esse in illo munus repræsentandi, et continendi modo dicto, quam munus intelligendi, non qualitercunque sumpti, sed ut ad easdem creaturas terminatur.

Diximus: *Non qualitercunque sumpti, sed ut ad easdem creaturas terminatur,* quia si *intelligere* constitutivum divinæ naturæ sumatur, prout terminatur ad divinam essentiam, et ut est *intelligere* illius, tunc prius est nostro modo intelligendi, quod sit *intelligere* terminatum ad prædictam essentiam, quam quod contineat creaturas; sicut prius est, quod lux Solis habeat formaliter rationem lucis, quam quod virtute contineat calorem.

Ad quintum. 76 Ad quintum, concesso antecedenti saltim de prioritate virtuali, neganda est conseq. Et ad probationem debet negari antecedens. Nam licet in creaturis ratio veri, aut intelligibilis subsequatur, modo alibi insinuato, ad rationem entis, ita ut ratione ratiocinata distinguantur ab ente; non tamen id provenit ex natura rei, id est, ex vi propriæ lineæ secundum se, et ex genere suo spectatæ, sed ratione limitationis, et imperfectionis, cum qua in creaturis est involuta. Unde non mirum, quod in Deo, ubi prædicta linea reperitur in sua puritate, contingat oppositum.

Ratio solutionis. Ratio autem hujus constat: tum ex dictis in hoc, et præcedenti dub.; tum etiam ex iis, quæ in tract. de Visione Dei art. 2. asseruimus ad assignandam rationem, propter quam essentia divina, sicut supplet rationem speciei intelligibilis respectu intellectuum beatorum, ita etiam potest supplere rationem verbi: ex eo, quod sicut de essentia illius est, esse actu intelligibilem, et propterea potest uniri in ratione speciei intelligibilis, ita etiam de ejus quidditate est, esse actu intellectam ab ipso Deo, seu esse actu terminantem divinam intellectionem: et ideo potest quoad hoc munus supplere rationem verbi.

Ad ultimum 77 Ad ultimum respondetur primo, concedendo antecedens, et negando utramque conseq. Et ad probationem prioris, in qua innititur posterior, concedendum est antecedens intellectum de operatione creata, et cum imperfectionibus involuta, quæque formaliter duntaxat, non vero formaliter eminenter habet rationem operationis, et negandum de operatione increata, et prima inter omnes operationes divinas. Nam hæc debet formaliter eminenter identificare sibi absque distinctione virtuali quidquid ad primam lineam intellectualem spectat. Unde solutio ibidem tradita, et modo explicato intellecta, est optima. Et ad impugnationem negandum est antecedens. Et ratio disparitatis inter relationem divinam, et operationem primam Dei potest reddi, ex eo, quod relatio divina non potest non opponi relative cum suo termino: et ita debet distingui ab illo, et esse ad ipsum. Cæterum operatio divina, et prima inter omnes operationes Dei nequit habere aliquam oppositionem etiam virtualem cum Deo, nec distingui ab illo, ex eo, quod ejus essentia debet consistere in ultima actualitate, et operatione, ut explicatum est. Et ideo non potest ei convenire id, quod est proprium operationis creatæ habentis aliqualiter oppositionem cum agente, scilicet, quod procedat ab ipso, et sit aliquo modo terminus habitudinis realis, agentis ad illam.

Alia solutio ult. 78 Secundo respondetur cum pluribus junioribus Thomistis negando antecedens. Nam *intelligere* constitutivum Dei, solum ex parte nostri modi significandi, et concipiendi est operatio, non vero ex parte rei conceptæ; quia sic tantum habet rationem actus purissimi, seu formæ perfectissimæ ex se subsistentis. Et ad primam probationem negandum est antecedens universaliter intellectum: et ita licet scientia actualis Dei, quæ est peculiaris quædam intellectio in eo existens, habeat ex parte rei conceptæ rationem operationis; non tamen id habet *intelligere* constitutivum Dei. Per quod etiam

ad

ad secundam probationem ejusdem antecedentis constat.

Ex quo ad tertiam probationem patet. Quoniam beatitudo Dei sumpta secundum id, quod in recto importat, non vero adæquate secundum ea, quæ in obliquo etiam includit, non consistit, juxta hunc modum dicendi, in operatione, quæ sit talis ex parte rei conceptæ, sed in intellectione perfectissima, quæ ex parte modi concipiendi, et significandi sit operatio. Unde D. Thom. loco in hoc argumento citato potest optime juxta hæc intelligi, et explicari.

Nec obest id, quod ibidem dicitur, scilicet beatitudinem nostram, quæ est participatio formalis beatitudinis Dei, consistere in operatione ex parte rei conceptæ. Nam hoc provenit ex imperfectione participationis primæ lineæ, quæ in Deo reperitur; non vero ex eo, quod ratio formalis participata id petat.

ARTICULUS V.

Utrum Deus cognoscat alia a se?

1 Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod Deus non cognoscat alia a se. Quæcunque enim sunt alia a Deo, sunt extra ipsum : sed Augustin. dicit in lib. 83. quæstionum, quod neque quidquam Deus extra se ipsum intuetur : ergo non cognoscit alia a se.

2 Præterea, intellectum est perfectio intelligentis : si ergo Deus intelligat alia a se, aliquid aliud erit perfectio Dei, et nobilius ipso, quod est impossibile.

3 Præterea, ipsum intelligere speciem habet ab intelligibili, sicut et omnis alius actus a suo objecto. Unde et ipsum intelligere tanto est nobilius, quanto etiam nobilius est ipsum, quod intelligitur : sed Deus est ipsum suum intelligere, ut ex dictis patet. Si igitur Deus intelligit aliquid aliud a se, ipse Deus specificatur per aliquid aliud a se, quod est impossibile. Non igitur intelligit alia a se.

Sed contra est, quod dicitur Heb. 4. *Omnia nuda, et aperta sunt oculis ejus.*

Respondeo dicendum, quod necesse est Deum cognoscere alia a se. Manifestum est enim, quod se ipsum perfecte intelligit : alioquin suum esse non esset perfectum, cum suum esse sit suum intelligere. Si autem perfecte aliquid cognoscitur, necesse est, quod virtus ejus perfecte cognoscatur : virtus autem alicujus rei perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea, ad quæ virtus se extendit. Unde cum virtus divina se extendat ad alia, eo quod ipsa est prima causa effectiva omnium entium (ut ex supra dictis patet) necesse est, quod Deus alia a se cognoscat. Et hoc etiam evidentius fit, si adjungatur, quod ipsum esse causæ agentis primæ, scilicet Dei, est ejus intelligere. Unde quicunque effectus præexistunt in Deo, sicut in causa prima, necesse est, quod sint in ipso ejus intelligere, et quod omnia in eo sint secundum modum intelligibilem. Nam omne, quod est in altero, est in eo secundum modum ejus, in quo est.

Ad sciendum autem qualiter alia a se cognoscat, considerandum est, quod dupliciter aliquid cognoscitur : uno modo in se ipso; alio modo in altero. In se ipso quidem cognoscitur aliquid, quando cognoscitur per speciem propriam adæquatam ipsi cognoscibili : sicut cum oculus videt hominem per speciem hominis. In alio autem videtur id, quod videtur per speciem continentis : sicut cum pars videtur in toto per speciem totius, vel cum homo videtur in speculo per speciem speculi, vel quocunque alio modo contingat aliquid in alio videri.

Sic igitur dicendum est, quod Deus se ipsum videt in se ipso, quia se ipsum videt per essentiam suam. Alia autem a se videt non in ipsis, sed in se ipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Augustin. dicentis, quod Deus nihil extra se intuetur, non est sic intelligendum, quasi nihil quod sit extra se intueatur, sed quia id, quod est extra se ipsum, non intuetur nisi in se ipso, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod intellectum est perfectio intelligentis, non quidem secundum suam substantiam, sed secundum suam speciem, secundum quam est in intellectu, ut forma, et perfectio ejus. Lapis enim non est in anima, sed species ejus, ut dicitur in tertio de Anima. Ea vero, quæ sunt alia a Deo, intelliguntur a Deo, in quantum essentia Dei continet species eorum, ut dictum est. Unde non sequitur, quod aliquid aliud sit perfectio divini intellectus, quam ipsa essentia Dei.

Ad tertium dicendum, quod ipsum intelligere non specificatur per id, quod in alio intelligitur, sed per principale intellectum, in quo alia intelliguntur. In tantum enim ipsum intelligere specificatur per objectum suum, in quantum forma intelligibilis est principium intellectualis operationis. Nam omnis operatio specificatur per formam, quæ est principium operationis : sicut calefactio per calorem. Unde per illam formam intelligibilem specificatur intellectualis operatio, quæ facit intellectum in actu. Et hæc est species principalis intellecti : quæ in Deo nihil est aliud, quam essentia sua : in qua omnes species rerum comprehenduntur. Unde non oportet, quod ipsum intelligere divinum, vel potius ipse Deus specificetur per aliud, quam per essentiam divinam.

Conclusio :

Deus cognoscit alia a se, et in se ipso.

ARTICULUS VI.

Utrum Deus cognoscat alia a se propria cognitione?

1 Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod Deus non cognoscat alia a se propria cognitione. Sic enim cognoscit a se, ut dictum est, secundum quod alia ab ipso in eo sunt : sed alia ab ipso sunt in ipso sicut in prima causa communi, et universali : ergo et alia cognoscuntur a Deo, sicut in causa prima, et universali. Hoc autem est cognoscere in universali, et non secundum propriam cognitionem : ergo Deus cognoscit alia a se in universali, et non secundum propriam cognitionem.

2 Præterea, quantum distat essentia creaturæ ab essentia divina, tantum distat essentia divina ab essentia creaturæ : sed per essentiam creaturæ non potest cognosci essentia divina, ut supra dictum est : ergo nec per essentiam divinam potest cognosci essentia creaturæ. Et sic cum Deus nihil cognoscat, nisi per essentiam suam, sequitur, quod non cognoscat creaturam secundum ejus essentiam, ut cognoscat de ea quid est, quod est propriam cognitionem de re habere.

3 Præterea, propria cognitio non habetur de re, nisi per propriam ejus rationem : sed cum Deus cognoscat omnia per essentiam suam, non videtur, quod unumquodque per propriam rationem cognoscat : idem enim non potest esse propria ratio multorum, et diversorum : non ergo habet propriam cognitionem Deus de rebus, sed communem. Nam cognoscere res non secundum propriam rationem, est cognoscere res solum in communi.

Sed contra. Habere propriam cognitionem de rebus, est cognoscere res non solum in communi, sed secundum quod sunt ab invicem distinctæ : sic autem Deus cognoscit res. Unde dicitur Hebr. 4. quod *Pertingit usque ad divisionem spiritus, et animæ, compagum quoque, et medullarum, et discretor cogitationum, et intentionum cordis, et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus.*

Respondeo dicendum, quod circa hoc quidam erraverunt, dicentes, quod Deus alia a se non cognoscit nisi in communi, scilicet in quantum sunt entia. Sicut enim ignis si cognosceret se ipsum, ut est principium caloris, cognosceret naturam caloris, et omnia alia in quantum sunt calida, ita Deus in quantum cognoscit se, ut principium essendi, cognoscit naturam entis, et omnia alia, in quantum sunt entia. Sed hoc non potest esse. Nam intelligere aliquid in communi, et non in speciali, est imperfecte aliquid cognoscere. Unde intellectus noster, dum

de potentia in actum reducitur, pertingit prius ad cognitionem universalem, et confusam de rebus, quam ad propriam rerum cognitionem : sicut de imperfecto ad perfectum procedens, ut patet in primo Physicorum. Si igitur cognitio Dei de rebus aliis a se esset in universali tantum, et non in speciali, sequeretur, quod ejus intelligere non esset omnibus modis perfectum, et per consequens ejus esse : quod est contra ea, quæ superius ostensa sunt. Oportet igitur dicere, quod alia a se cognoscat propria cognitione, non solum secundum quod communicant in ratione entis, sed secundum quod unum ab alio distinguitur. Et ad hujus evidentiam, considerandum est, quod quidam volentes ostendere, quod Deus per unum cognoscit multa, utuntur quibusdam exemplis : ut puta, quod si centrum cognosceret se ipsum, cognosceret omnes lineas progredientes a centro, vel lux si cognosceret se ipsam, cognosceret omnes colores. Sed hæc exempla, licet quantum ad aliquid similia sint, scilicet quantum ad universalem causalitatem, tamen deficiunt quantum ad hoc, quod multitudo, et diversitas non causantur ab illo uno principio universali, quantum ad id, quod principium distinctionis est; sed solum quantum ad id, in quo communicant. Non enim diversitas coloris causatur ex luce solum, sed ex diversa dispositione diaphani recipientis. Et similiter diversitas linearum ex diverso situ. Et inde est, quod hujusmodi diversitas, et multitudo non potest cognosci in suo principio, secundum propriam cognitionem, sed solum in communi. Sed in Deo non sic est : supra enim ostensum est, quod quidquid perfectionis est in quacunque creatura, totum præexistit, et continetur in Deo secundum modum excellentem. Non solum autem id, in quo creaturæ communicant, scilicet ipsum esse ad perfectionem pertinet; sed etiam ea, per quæ creaturæ ad invicem distinguuntur. Sicut vivere, et intelligere, et hujusmodi, quibus viventia a non viventibus, et intelligentia a non intelligentibus distinguuntur, et omnis forma, per quam quælibet res in propria specie constituitur, perfectio quædam est. Et sic omnia in Deo præexistunt non solum quantum ad id, quod commune est omnibus, sed etiam quantum ad ea, secundum quæ res distinguuntur. Et sic cum Deus in se omnes perfectiones contineat, comparatur Dei essentia ad omnes rerum essentias, non sicut commune ad propria, ut unitas ad numeros, vel centrum ad lineas; sed sicut perfectus actus ad imperfectos : ut si dicerem, homo ad animal, vel senarius, qui est numerus perfectus, ad imperfectos sub ipso contentos. Manifestum est autem, quod per actum perfectum cognosci possunt actus imperfecti, non solum in communi, sed etiam propria cognitione. Sicut qui cognoscit hominem, cognoscit animal propria cognitione : et qui cognoscit senarium, cognoscit trinarium propria cognitione. Sic igitur cum essentia Dei habeat in se quidquid perfectionis habet essentia cujuscunque rei alterius, et adhuc amplius, Deus in se ipso potest omnia propria cognitione cognoscere. Propria enim natura uniuscujusque consistit, secundum quod per aliquem modum divinam perfectionem participat. Non autem Deus perfecte se ipsum cognosceret, nisi cognosceret, quomodocunque participabilis est ab aliis sua perfectio. Nec etiam ipsam naturam essendi perfecte sciret, nisi cognosceret omnes modos essendi. Unde manifestum est, quod Deus cognoscit omnes res propria cognitione secundum quod ab aliis distinguuntur.

Ad primum ergo dicendum, quod sic cognoscere aliquid, sicut in cognoscente est, potest dupliciter intelligi. Uno modo, secundum quod hoc adverbium, sic, importat modum cognitionis ex parte rei cognitæ : et sic falsum est. Non enim semper cognoscens cognoscit cognitum secundum illud esse, quod habet in cognoscente. Oculus enim non cognoscit lapidem secundum esse, quod habet in oculo, sed per speciem lapidis, quam habet in se, cognoscit lapidem secundum esse, quod habet extra oculum. Et si aliquis cognoscens cognoscat cognitum secundum esse, quod habet in cognoscente : nihilominus cognoscit ipsum secundum esse, quod habet extra cognoscentem. Sicut intellectus cognoscit lapidem secundum esse intelligibile, quod habet in intellectu, in quantum cognoscit se intelligere; sed nihilominus cognoscit esse lapidem in propria natura. Si vero intelligatur secundum quod hoc adverbium, sic, importat modum ex parte cognoscentis, verum est, quod sic solum cognoscens cognoscit cognitum, secundum quod est in cognoscente : quia quanto perfectius est cognitum in cognoscente, tanto perfectior est modus cognitionis.

Sic igitur dicendum est, quod Deus non solum cognoscit res esse in se ipso, sed per id, quod in se ipso continet res, cognoscit eas in propria natura : et tanto perfectius, quanto perfectius est unumquodque in ipso.

Ad secundum dicendum, quod essentia creaturæ comparatur ad essentiam Dei, ut actus imperfectus ad perfectum : et ideo essentia creaturæ non sufficienter ducit in cognitionem essentiæ divinæ; sed e converso.

Ad tertium dicendum, quod idem non potest accipi, ut ratio diversorum, per modum adæquationis : sed divina essentia est aliquid excedens omnes creaturas. Unde potest accipi, ut propria ratio uniuscujusque, secundum quod diversimode est participabilis, vel imitabilis a diversis creaturis.

Conclusio est affirmativa.

Circa hos duos articulos nihil occurrit dicendum, suppositis iis, quæ in tract. de Visione Dei art. 2. 7. et 8. diximus circa modum, quo beati vident creaturas in essentia divina prius visa. Quoniam quoad hoc, eodem proportionali modo in Deo, et in beatis philosophandum est. Diximus, *eodem proportionali modo,* quia beati, quippe non comprehendentes Deum, nequeunt ex vi visionis divinæ essentiæ comprehendere, aut cognoscere omnes creaturas possibiles, bene tamen Deus.

ARTICULUS VII.

Utrum scientia Dei sit discursiva?

1 Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod scientia Dei sit discursiva. Scientia enim Dei non est secundum scire in habitu. Sed secundum Philosophum in 2. Topic. scire in habitu contingit multa simul : sed intelligere actu unum tantum. Cum ergo Deus multa cognoscat (quia et se, et alia, ut ostensum est) videtur, quod non simul omnia intelligat, sed de uno in aliud discurrat.

2 Præterea, cognoscere effectum per causam est scire discurrentis : sed Deus cognoscit alia per se ipsum, sicut effectum per causam : ergo cognitio sua est discursiva.

3 Præterea, perfectius Deus scit unamquamque creaturam, quam nos sciamus : sed nos in causis creatis cognoscimus earum effectus; et sic de causis ad causata discurrimus : ergo videtur similiter esse in Deo.

Sed contra est, quod dicit August. in 15 de Trinit. Quod Deus non particulatim, vel sigillatim omnia videt, velut alternante conceptu hinc illuc, inde huc; sed omnia videt simul.

Respondeo dicendum, quod in scientia divina nullus est discursus : quod sic patet. In scientia enim nostra duplex est discursus. Unus secundum successionem tantum : sicut cum postquam intelligimus aliquid in actu, convertimus nos ad intelligendum aliud. Alius discursus est secundum causalitatem : sicut cum per principia pervenimus in cognitionem conclusionum. Primus autem discursus Deo convenire non potest. Multa enim, quæ successive intelligimus, si unumquodque eorum in se ipso consideretur, omnia simul intelligimus, si in aliquo uno ea intelligamus. Puta si partes intelligamus in toto, vel si diversas res videamus in speculo. Deus autem omnia videt in uno, quod est ipse, ut habitum est : unde simul, et non successive omnia videt. Similiter etiam et secundus discursus Deo competere non potest primo. Primo quidem : quia secundus discursus præsupponit primum : procedentes enim a principiis ad conclusiones non simul utrumque considerant. Deinde quia discursus talis est procedentis de noto ad ignotum. Unde manifestum est, quod quando cognoscitur primum, adhuc ignoratur secundum : et sic secundum non cognoscitur in primo; sed ex primo. Terminus vero discursus est, quando secundum videtur in primo, resolutis effectibus in causas, et tunc cessat discursus. Unde cum Deus effectus suos in se ipso videat sicut in causa, ejus cognitio non est discursiva.

Ad primum ergo dicendum, quod licet sit unum tantum intelligere in se ipso; tamen contingit multa intelligere in aliquo uno, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod Deus non cognoscit per causam quasi prius cognitam effectus cognitos, sed eos

cognoscit

cognoscit in causa. Unde ejus cognitio est sine discursu, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod effectus causarum creatarum videt quidem Deus in ipsis causis, multo melius, quam nos; non tamen ita, quod cognitio effectuum causetur in ipso ex cognitione causarum creatarum, sicut in nobis. Unde ejus scientia non est discursiva.

Conclusio est negativa.

Circa quam videantur ea, quæ art. 1. disp. 1. dubio 3. diximus.

ARTICULUS VIII.

Utrum scientia Dei sit causa rerum?

1 Ad octavum sic proceditur. Videtur, quod scientia Dei non sit causa rerum. Dicit enim Origen. super epistolam ad Roman. Non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, ideo scitur a Deo antequam fiat.

2 Præterea, posita causa ponitur effectus : sed scientia Dei est æterna : si ergo scientia Dei est causa rerum creatarum, videtur, quod creaturæ sint ab æterno.

3 Præterea, scibile est prius scientia, et mensura ejus, ut dicitur in 10. Metaph. sed id, quod est posterius, et mensuratum, non potest esse causa : ergo scientia Dei non est causa rerum.

Sed contra est, quod dicit August. 15. de Trinitat. universas creaturas, et spirituales, et corporales, non quia sunt, ideo novit Deus, sed ideo sunt, quia novit.

Respondeo dicendum, quod scientia Dei est causa rerum. Sic enim scientia Dei se habet ad omnes res creatas, sicut scientia artificis se habet ad artificiata. Scientia autem artificis est causa artificiatorum, eo quod artifex operatur per suum intellectum. Unde oportet, quod forma intellectus sit principium operationis, sicut calor est principium calefactionis. Sed considerandum est, quod forma naturalis in quantum est forma manens in eo, cui dat esse, non nominat principium actionis; sed secundum quod habet inclinationem ad effectum. Et similiter forma intelligibilis non nominat principium actionis secundum quod est tantum in intelligente, nisi adjungatur ei inclinatio ad effectum, quæ est per voluntatem. Cum enim forma intelligibilis ad opposita se habeat (cum sit eadem scientia oppositorum) non produceret determinatum effectum, nisi determinaretur ad unum per appetitum, ut dicitur in 9. Metaphys. Manifestum est autem, quod Deus per intellectum suum causat res, cum suum esse sit suum intelligere. Unde necesse est, quod sua scientia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam. Unde scientia Dei secundum quod est causa rerum, consuevit nominari scientia approbationis.

Ad primum ergo dicendum, quod Origen. locutus est attendens rationem scientiæ, cui non competit ratio causalitatis, nisi adjuncta voluntate, ut dictum est.

Sed quod dicit, ideo præscire Deum aliqua, quia sunt futura, intelligendum est secundum causam consequentiæ, et non secundum causam essendi. Sequitur enim, si aliqua sunt futura, quod Deus ea præscierit; non tamen res futuræ sunt causa, quod Deus sciat.

Ad secundum dicendum, quod scientia Dei est causa rerum, secundum quod res sunt in scientia : non fuit autem in scientia Dei, quod res essent ab æterno. Unde quamvis scientia Dei sit æterna, non sequitur tamen, quod creaturæ sint ab æterno.

Ad tertium dicendum, quod res naturales sunt mediæ inter scientiam Dei, et scientiam nostram. Nos enim scientiam accipimus a rebus naturalibus, quarum Deus per suam scientiam causa est. Unde sicut scibilia naturalia sunt priora, quam scientia nostra, et mensura ejus, ita scientia Dei est prior, quam res naturales, et mensura ipsarum : sicut aliqua domus est media inter scientiam artificis, qui eam fecit, et scientiam illius, qui ejus cognitionem, ex ipsa jam facta capit.

Conclusio est affirmativa.

DISPUTATIO V.

De scientia Dei quoad ejus causalitatem erga creaturas.

1 Postquam Angelicus Doctor art. 5. et 6. egit de scientia Dei, ut est cognitio creaturarum, et in art. 7. explicuit modum, secundum quem circa illas versatur, scilicet per simplicem intuitum, statim in hoc rt.8. agit de eadem scientia, non quidem,aut præcise est cognitio, sed ut habet rationem causæ omnium creaturarum. Quia vero hæc causalitas divinæ scientiæ aliquibus est implicata difficultatibus, ideo ad eam declarandam præsentem instituimus disputationem.

DUBIUM I.

Utrum scientia Dei sit aliquo modo causa rerum?

Consulto in titulo addita est illa particula *aliquo modo*, quia in hoc dubio non inquirimus modum causalitatis, quem scientia divina erga creaturas habet; sed solum, an sit aliquo modo causa illarum, sive dirigendo, sive efficiendo proprie, et in rigore; sive tandem aliquo modo influendo in productionem illarum?

§ I.

Rationes dubitandi.

Prima est, quod ideæ divinæ sunt causa primaria creaturarum : ergo scientia non erit causa earum. Patet consequentia. Quia unius, et ejusdem rei nequit esse multiplex causa primaria, maxime si sit ejusdem ordinis, scilicet vel creati, vel divini, ut in præsenti contingit. Antecedens autem probatur. Quoniam effectus creati maxime assimilantur ideis : id autem, cui maxime assimilatur effectus, est causa primaria respectu illius. Prima.

2 Secunda. Quoniam alias creaturæ essnæt ab æterno, et tolleretur contingentia a rebus : hæc autem sunt absurda, ut ex se constat : ergo, etc. Sequela quoad priorem partem probatur. Quoniam posita causa ponitur effectus : ergo si scientia Dei est causa rerum, et hæc est ab æterno, ut ex se patet, non poterunt non effectus, scilicet creaturæ, esse ab æterno. Quoad se- Secunda.

cundam vero partem etiam constat. Quia ad causam necessariam, sequitur necessario, et absque ulla contingentia effectus : at scientia Dei convenit illi necessario : ergo si ipsa est causa rerum, sequentur ad eam necessario effectus : atque adeo tolletur contingentia ab effectibus creatis.

Ultima. 3 Tertia est. Quoniam nec scientia simplicis intelligentiæ, nec scientia visionis potest esse causa rerum : ergo nulla. Patet consequentia. Quoniam Deus circa creaturas non habet aliam scientiam præter has, ex eo, quod scientia simplicis intelligentiæ terminatur ad eas secundum suam essentiam, ut præscindunt ab existentia exercita, et scientia visionis ad easdem, ut sunt sub existentia exercita in aliqua differentia temporis. Unde sicut omnes creaturæ debent esse sub aliquo ex his statiqus, ita non possunt subterfugere, quin cadant sub aliqua ex præditis scientiis.

Antecedens autem, quoad priorem partem probatur ex modo dictis. Quoniam scientia simplicis intelligentiæ præscindit ab existentia exercita sui objecti : scientia autem, quæ est causa rerum, non præscindit, sed potius involvit illam; quippe quæ debet esse causa futuritionis, et existentiæ earundem rerum. Quoad secundam vero partem idem antecedens videtur perspicuum. Quoniam scientia visionis supponit existentiam rei visæ, sicut visio corporea præsupponit rem visam, ex eo, quod utraque cognitio est intuitiva, ac proinde rei, ut præsentis : ac scientia, quæ est causa rerum, non supponit, sed potius ponit, te causat existentiam earum : ergo, etc.

§ II.

Communis, et vera sententia ex Divo Thoma desumpta.

4 Dicendum tamen est, scientiam Dei esse veram causam rerum. Assertio hæc habetur Psal. 103 : *Omnia in sapientia fecisti*, et Psal. 135 : *Qui fecit cælos in intellectu* : id est, in sapientia, ut exponit Glossa, et Sapientiæ 8. de divina scientia dicitur : *Quis eorum, quæ sunt, magis quam illa est artifex*, et Proverbiorum 3 : *Dominus sapientia fundavit terram.* Unde assertionem hanc tuentur communiter Patres, et Theologi, præcipue vero D. Thom. in præsenti, et in primo distinctione 38. art. 1. et primo contra Gentes cap. 61. et 62. necnon de Veritate quæst. 2. art. 14. estque assertio ista adeo certa, ut eam assequuti fuerint antiqui Philosophi ex illustratione luminis naturalis, ut Aristotel. 12. Metaphys. cap. 2. et 8. Physic. text. 37. et 3. de Anima, text. 4. ubi approbat opinionem Anaxagoræ, asserentis primum principium omnium rerum esse intellectum, qui omnia movet : intellectus autem omnia movens non potest non esse intellectus scientia imbutus, et ea utens ad hoc, ut illa moveat, ut ex statim dicendis patebit.

Prior ratio assertionis. Probatur primo, ratione deprompta ex D. Thom. in hoc art. quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam scientia Dei eo modo comparatur ad res creatas, sicut sciencia artificis creati confertur cum rebus artificialibus : sed scientia artificis creati est causa artificialium : ergo et scientia Dei erit causa rerum creatarum. Major satis constat. Quoniam in Deo reperiuntur virtutes intellectuales artis, et scientiæ, ut ex dictis art. 1. hujus quæst. constat : ergo scientia ejus comparabitur ad res creatas, quæ sub illa cadunt eo proportionali modo, quo scientia artificis creati, in quo sunt simul scientia, et ars, confertur cum rebus artificialibus, sub illa scientia, et arte cadentibus. Minor autem etiam constat. Quoniam scientia artificis creati præscribit modum, secundum qnem debet artefactum fieri; dirigitque, et influit in ordine ad illud : ac proinde erit vera causa illius.

Confirmatur. 5 Confirmatur ratione ejusdem S. Doctoris in hoc art. et in aliis locis. Quoniam *esse* Dei est *intelligere* : ergo continet, et causat ex parte sua res intelligibili modo : ergo per suam scientiam. Antedens constat ex dictis disp. præcedenti. Prima vero consequentia ex antecedenti sequitur. Quoniam unaquæque causa continebit, et causat ex parte sua effectus secundum modum essendi causæ : ergo causa, cujus *esse* est *intelligere*, continebit, et causabit effectus intelligibili modo. Secunda vero consequentia ex hac priori videtur satis constare. Quoniam causa causans intelligibili modo effectus, et habens scientiam illorum, utitur sua scientia ad illos causandos : quia scientia illa dirigit ad tale opus, et præscribit modum, quo perfectissime fiat; alioqui non esset scientia perfectissima illius, qualis in Deo reperitur.

Posterior ratio. 6 Secundo probatur ratione D. Thom. quæst. 3. de Potentia, art. 18. et 2. contra

contra Gent. cap. 23. Quoniam primæ, et perfectissimæ causæ debetur modus operandi perfectissimus : sed modus operandi ad extra per scientiam, et voluntatem est perfectissimus : ergo hic debebitur Deo, qui est prima, et perfectissima causa : ac proinde per suam scientiam erit causa rerum. Utraque consequentia cum majori sunt satis perspicuæ. Minor autem etiam patet. Quoniam agens ad extra per scientiam, et voluntatem dirigit agens per modum naturæ, et illo utitur tanquam instrumento : ergo modus agendi per scientiam, et voluntatem erit perfectissimus.

§ III.

Occurritur rationibus dubitandi initio adductis.

7 Ad primam, non esse inconveniens, quod intra ordinem divinum dentur plures rationes causandi res creatas, quarum quælibet sit primaria, dummodo omnes illæ diversimode influant, ut in præsenti contingit. Nam idea influit per modum exemplaris, et objecti cogniti ; scientia vero, ut tenens se ex parte principii, et ut habet rationem cognitionis practicæ tam exemplaris, quam exemplati.

8 Ad secundam neganda est sequela, quoad utramque partem. Et ad probationem prioris respondetur ex D. Thom. in præsenti, scientiam Dei non esse causam rerum, nisi juxta præscriptum, et applicationem divinæ voluntatis : hæc autem licet ab æterno velit effectus; non tamen ab æterno vult, eos fieri ab æterno, sed in tempore ab ea præfinito. Ex quo ad probationem posterioris partis ejusdem sequelæ etiam constat. Quoniam ad causam quantumvis quoad entitatem necessariam, libere tamen applicatam, potest contingenter sequi effectus.

Quibus etiam addi potest ex D. Thom. quæst. citata de Veritate art. 14. ad 3. ubi sic ait : *Effectus sequitur necessitatem causæ proximæ, quæ etiam potest esse medium ad demonstrandum effectum : non autem oportet, quod sequatur necessitatem causæ primæ, quia potest impediri effectus ex causa secunda, si sit contingens. Sicut patet in effectibus, qui producuntur in generalibus, et corruptibilibus per motum corporum cœlestium, mediantibus virtutibus inferioribus. Sunt enim effectus contingentes propter defectibilitatem virtutum naturalium, quamvis motus cœli sit semper eodem modo se habens.*

Ad ultimum constabit ex dicendis dubio sequenti.

DUBIUM II.

Quænam scientia Dei est causa rerum ?

Pro explicatione tituli notatur primo ex D.Thom.

9 Pro tituli intelligentia notandum est primo ex D. Thoma in hac quæst. art. sequenti, et 12. necnon 1. contra Gent. cap. 66. et in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 4. scientiam Dei respectu creaturarum dividi in scientiam visionis, et simplicis intelligentiæ, non quidem ita ut hæc duo membra constituant duo attributa scientiæ, sed dicant duplicem terminationem inadæquatam divinæ scientiæ. Nam scientia simplicis intelligentiæ dicit saltim inter alia divinam scientiam, prout terminatur ad creaturas quatenus possibiles, sive secundum suas quidditates, præscindendo ab actuali existentia absolute, exercita in aliqua differentia temporis. Scientia vero visionis respectu creaturarum dicit eandem scientiam, ut terminatur ad creaturas modo nuper dicto existentes in aliqua differentia temporis.

Secundo ex eodem D.Thom.

10 Secundo notandum est, quod scientia Dei respectu creaturarum, non utcunque dividitur in scientiam visionis, et scientiam simplicis intelligentiæ respectu earum, sed ita ut hæc divisio sit adæquata. Cujus rationem reddidit D. Thom. de Veritate quæst. 2. art. 9. ad 1. eamque nuper innuimus. Quoniam ista divisio non datur de scientia Dei ex parte scientis, sed ex parte scitorum, quatenus alterum habet existere modo dicto in se ipso extra causas, alterum vero non. Quare cum inter existere, et non existere hoc modo in se ipso, nequeat excogitari medium, ex eo, quod inter hæc duo membra datur oppositio contradictoria, consequens est, ut scientia Dei respectu creaturarum adæquate dividatur in scientiam simplicis intelligentiæ, et visionis respectu earum.

Cæterum cum hoc stat, ut intuenti patebit, quod scientia visionis possit subdividi in eam, quæ solum est visionis sive propriæ, sive reductive, ita ut nequeat esse approbationis ; et in eam, quæ simul est approbationis. Quarum prior versatur circa mala illa, quæ non causantur a Deo, sed permittuntur ab illo : ita tamen, ut si hæc fuerint

mala positiva, seu in positivo consistentia, ut multi id docent de peccatis, fatentes illa quatenus talia, consistere in aliquo positivo, tunc talis scientia sit proprie visionis solummodo : quia versatur circa rem proprie existentem, non tamen approbatam a divina voluntate; si vero prædicta mala solum consistant de formali in aliquo privativo, tunc scientia illius tantum reductive sit scientia visionis, et modo dicto, ex eo, quod non est de re proprie existente, neque a voluntate Dei approbata. At posterior scientia visionis, quæ simul est approbationis, versatur circa res futuras, quæ cadunt sub divina voluntate, et ab ea approbantur, ex eo, quod habent rationem boni. Quare sensus tituli est, an scientia, quæ est causa rerum, sit scientia simplicis intelligentiæ? an vero scientia visionis, et approbationis?

§ I.

Refertur prior sententia.

11 Prima sententia asserit, scientiam simplicis intelligentiæ, non vero scientiam visionis et approbationis esse causam rerum. Ita Molina in hac quæst. disp. 17. § *his ita explicatis*. Valentia in præsenti puncto 4. § *his tamen non obstantibus*. Vazquez disput. 68. cap. 6. Suarez lib. de concursu Dei cap. 13. num. 15. et lib. 3. de attributis cap. 4. num. 13. Arrubal disp. 32. cap. 3. et alii plures ex Patribus Societatis.

Primum argumentum.

Probatur primo ratione desumpta ex D. Thom. in hoc art. quamque nos ad probandam assertiónem dubii præcedentis ex parte adduximus. Nam illa scientia Dei est causa rerum, quæ correspondet scientiæ, quæ est in artifice creato, per quam causat artificialia : sed hæc in Deo non est scientia visionis, sed simplicis intelligentiæ : ergo ista, et non illa erit causa rerum. Major videtur esse D. Thom. in hoc art. Et insuper suadetur ex eo, quod sicut Deus intelligit, et vult per illas virtutes, ac facultates, quæ correspondent virtutibus, et facultatibus intellectivis, et volitivis, quæ sunt in creaturis, seclusis tamen imperfectionibus, ita hoc ipso, quod causet res per suam scientiam, tanquam supremus artifex, debet causare illas per eam scientiam, quæ correspondet scientiæ artificis creati, per quam causat sua artificialia.

Minor autem etiam constat. Quoniam artifex creatus, qui operatur per scientiam dirigentem virtutem executivam, non causat effectum per scientiam illius intuitivam, per quam contemplatur effectum ut existentem, cuique correspondet scientia visionis Dei; sed per aliam rationem scientiæ, per quam attingitur natura effectus sub ratione effectibilis, necnon et ratio, ac modus faciendi illum, quæque correspondet scientiæ simplicis intelligentiæ Dei : ergo scientia divina correspondens scientiæ artificis creati causativa artificialium, non est scientia visionis, sed simplicis intelligentiæ.

Confirmatur.

Confirmatur. Quia ad directionem cujuscunque virtutis exequentis nen est per se necessaria scientia, quæ contempletur effectum ut existentem; sed satis est, quod præscribat modum, quo potest, et debet fieri: ergo scientia, quæ est causa rerum, non erit scientia visionis, et intuitiva illius, sed scientia, qua cognoscitur natura operis factibilis, et modus, quo illud fieri debet : quamvis per accidens, vel concomitanter, aut subsequenter poterit ibidem commisceri scientia visionis, seu intuitiva ejusdem effectus.

Secundum.

12 Secundo. Quoniam prius sunt res futuræ, quam sciantur, et videantur a Deo per scientiam visionis : ergo scientia, quæ causat res futuras, non erit prædicta scientia, sed alia prior, scilicet simplicis intelligentiæ. Consequentia videtur certa : quandoquidem causa non debet subsequi, sed potius præire suum effectum. Antecedens autem etiam constat. Quia scientia visionis subsequitur ad determinationem efficacem divinæ voluntatis, qua Deus voluit creaturas producere; et ideo libere Deo competit : ergo etiam subsequetur ad futuritionem earundem rerum : siquidem in eodem signo, in quo Deus voluit efficaciter producere res, intelliguntur esse futuræ.

Confirmatur.

Confirmatur. Nam scientia visionis est intuitiva; ac proinde supponit rem existentem, alioqui nequiret intueri illam : sicut oculus corporeus nequit videre colorem, qui non præsupponatur existens ad visionem illius : ergo prædicta scientia nequibit habere rationem causæ respectu rerum.

Tertium

13 Tertio. Nam Patres loquentes de scientia visionis aiunt, non ideo res esse futuras, quia Deus illas scit; sed potius Deum scire ipsas, quia sunt futuræ : ergo prædicta scientia non erit causa rerum. Consequentia est aperta. Quoniam si talis scientia esset rerum causa, tunc hæc causalis esset omnino vera, scilicet : *Ideo aliquid est futurum, quia Deus per scientiam visionis scit illud esse futurum*. Antecedens autem probatur. Nam illud docent Origen. lib. 7. in

in epist. ad Roman. Justinus Martyr, quæst. 18. ad Gent. Chrysostom. Homil. 60. super Matth. Damascen. lib. contra Manich. Hieronym. in illud Jeremiæ 26. *Noli subtrahere verbum*, Boëthius 5. de consolatione, glos. 3. Beda tomo 8. quæstionum, quæst. 13. Magister in 1. dist. 38. et ibidem, Albert. Bonaventura, et Alens.

§ II.

Præfertur sententia D. Thomæ.

Animadversio ex D. Thom.

14 Pro hujus quæstionis decisione notandum est ex D. Thom. infra art. 16. ad 1. quod de divina scientia, ut est causa rerum, possumus loqui prout est causa præcise, quasi in actu primo, seu virtute, id est, prout habet præcise virtutem ad operandum, vel prout est causa, quasi in actu secundo, actu applicata ad causandas creaturas.

Assertio prima.

Hoc ergo supposito, dicendum est primo, si loquamur de scientia, quæ est causa rerum virtute, seu in actu primo, tunc talis scientia est scientia simplicis intelligentiæ. Assertionem hanc tuentur D. Thom. art. 16. nuper citato in solutione ad primum his verbis : *Scientia Dei est causa, non quidem sui ipsius, sed aliorum : quorundam quidem in actu, scilicet eorum, quæ secundum aliquod tempus fiunt · quorundam vero virtute, scilicet eorum, quæ potest facere, et tamen nunquam fiunt.* Ubi, ut vides, ei scientiæ tribuit S. Doctor, quod sit virtute causa rerum, quæ terminatur ad res, quæ nunquam fiunt, possunt tamen fieri a Deo. Quare cum scientia hæc sit scientia simplicis intelligentiæ, non vero visionis, consequens est, ut juxta mentem Sancti Doctoris illa, non vero ista sit causa in actu primo, sive virtute prædictarum rerum : cumque eadem debeat esse causa virtute, et in actu primo rerum possibilium, et earundem quando in signo sequenti transeunt ad *esse* futurum, si præcise considerentur in illo signo antecedenti ad hunc transitum, secundum quam rationem habent comparari cum divina scientia, seu cum sua causa, ut præcise consideratur per modum causæ virtute, et in actu primo tantummodo ; inde est, ut scientia simplicis intelligentiæ, non vero scientia visionis sit causa omnium rerum virtute, et in actu primo præcise.

Quare S. Doctorem communiter sequuntur ejus discipuli, Capreolus in 1. dist. 35. quæst. 2. art. 2. Bannez, in præsenti, et quæst. 19. art. 4. Gonzalez disp. 38. sect. 2. et alii quamplures ex junioribus Thomistis.

Ratio prioris assertionis.

15 Ratio autem fundamentalis hujus assertionis desumitur ex D. Thom. potestque ad hanc formam breviter reduci. Quoniam scientia Dei, quæ virtute, et quasi in actu primo est causa rerum, debet antecedere actum liberum divinæ voluntatis : sed sola scientia simplicis intelligentiæ antecedit illum, non vero scientia visionis : ergo illa, et non ista erit modo dicto causa rerum. Minor cum consequentia satis constat ex se, et ex dictis. Major autem probatur. Tum quia scientia Dei eo proportionali modo est causa rerum per modum actus primi, et in suo genere, quo ars est causa in actu primo respectu artificiatorum : sed ars, quæ habet prædictam vim causativam, est ars, ut antecedit omnem actum voluntatis artificis, quia ex natura sua est habitus, sive virtus intellectualis operativa in actu primo : ergo, etc.

Tum etiam : quia scientia Dei practica ex natura sua habet vim causativam creaturarum : sed ratio scientiæ practicæ non convenit scientiæ ex voluntate libera scientis, alioqui nulla esset scientia practica ex natura sua, sed ab extrinseco, et per accidens : ergo nec prædicta vis causativa convenit illi ab actu divinæ voluntatis, sed per se, et ut antecedit illum. Tum deinde : quia scientia Dei habet virtutem in actu primo ad producendas creaturas, ex eo, quod continet in suo ordine omnium illarum perfectionem : hoc autem convenit illi secundum id, quod habet a se, non vero secundum id, quod convenit illi a voluntate ; siquidem secundum id, quod habet a se, est saltim directiva in ordine ad productionem creaturarum : ergo prædicta scientia independenter ab actu libero voluntatis, ac proinde prout præcedit illum, habebit vim, saltim per modum dirigentis, causativam creaturarum.

Tum denique : quia voluntas determinatur quoad speciem actus ab intellectu, et scientia, quamvis utrumque quoad exercitium determinentur ab ipsa voluntate : ergo respectu eorum, quæ causantur ab intellectu, et scientia, debet poni in utroque vis causativa in actu primo antecedenter ad actum voluntatis. Patet consequentia. Quoniam vis causativa in actu

primo attenditur penes virtutem ad producendum effectum quoad speciem, quamvis hoc, quod est, esse applicatam ad causandum, attendatur, et dependeat a motione, et determinatione voluntatis.

Assertio secunda. 16 Dicendum est secundo, si loquamur de scientia Dei prout actu causante creaturas, tunc scientia hoc modo, et in suo ordine causans illas, saltim per modum dirigentis, non est scientia simplicis intelligentiæ, ut talis; sed scientia, quæ simul est visionis, et approbationis.

D.Thom. Ita D. Thom. de Veritate quæst. 2. art. 13. his verbis : *Scientia Dei secundum quod ordinatur ad opus, quod facit voluntas, tantum est existentium in præsenti, præterito, vel futuro.* Ubi soli scientiæ rerum existentium in aliqua differentia temporis tribuit, quod ordinetur ad opus, quod actu facit voluntas, ac proinde, quod sit actu causans prædictum opus : et per consequens soli scientiæ visionis, quæ simul sit approbationis talis operis, prædictam causalitatem tribuit : siquidem repugnat, quod opus causatum a Deo per suam scientiam, non causetur per scientiam approbantem illud. Idem etiam tenet D. Thom. in hoc art. et alibi, ut statim expendemus.

Ratio assertionis. Ratio autem fundamentalis hujus assertionis desumitur ex eodem D. Thom. in hoc art. Nam illa scientia est causa in actu causans in suo genere creaturas, quæ subsequitur ad determinationem liberam, et absolutam divinæ voluntatis : sed hæc non est scientia simplicis intelligentiæ, sed scientia visionis, sive approbationis : ergo hæc, et non illa erit causa actu causans creaturas. Major ostenditur ab Angelico Doctore. Quia forma intelligibilis ad opposita se habet, ex eo, quod eadem est scientia oppositorum : et ita non produceret in actu determinatum effectum, nisi determinaretur ad unum per appetitum : ac proinde nisi præsupponeretur determinatio libera, et absoluta ejusdem appetitus, per quam applicaretur ad productionem hujus effectus potius, quam alterius, vel sui oppositi.

Minor autem quoad priorem partem non indiget probatione, constatque, tum ex iis, quæ in explicatione tituli hujus dubii diximus, tum etiam ex communi Theologorum sententia : imo nec quoad secundam, scilicet quoad scientiam visionis, vel approbationis : siquidem scientia ista terminatur ad rem absolute futuram, et existentem in aliqua differentia temporis : res autem non est sic futura, nisi dependenter a decreto absoluto, et efficaci divinæ voluntatis : ac proinde nec scientia terminabitur ad illam ut futuram, sive ut existentem in aliqua differentia temporis, nisi post prædictum actum efficacem ejusdem voluntatis.

Corroboratio ex D.Thom 17 Confirmatur ratione deprompta ex D. Thom. quæst. 2. de Verit. art. 14. et infra quæst. 16. art. 1. Quoniam scientia visionis, seu approbationis debet esse causa rerum : at nequit esse causa, prout causa dicit virtutem causativam in actu primo præcisæ : ergo erit causa, prout causa dicit causam actu causantem. Minor cum consequentia satis constant. Major autem probatur. Quoniam alias veritas, et perfectio scientiæ visionis mensuraretur, et causaretur ex veritate, et perfectione rerum scitarum per illam : quandoquidem scientia, quæ non esset causa sui objecti, causaretur, et mensuraretur per illud, ut ex dicendis amplius patebit.

§ III.

Objectiones contra prædicta, et solutio earum.

Objectio prima. 18 Sed objicies primo, non recte cohærere inter se ea, quæ diximus in his duabus assertionibus. Quoniam illamet causa, quæ est causativa in actu primo alicujus effectus, debet actu, et in exercitio causare illum : siquidem effectus non causatur in actu secundo, nisi a causa habente virtutem in actu primo ad illum causandum : ergo si scientia simplicis intelligentiæ est causa in actu primo respectu creaturarum, etiam erit causa illarum in actu secundo : vel si non est causa in actu secundo, neque etiam erit in actu primo, vel nequibit rationem causæ in actu secundo habere.

Secunda 19 Secundo objicies contra primam assertionem, et rationem ejus, non posse simul stare, quod scientia Dei sit causativa rerum in actu primo, et quod hoc habeat antecedenter ad actum liberum divinæ voluntatis, seu independenter ab illo : ergo scientia simplicis intelligentiæ, quæ præcedit prædictum actum, estque independens ab illo, non poterit esse causativa rerum. Et similiter ratio assertionis, quæ innititur in hoc, quod scientia, quæ habet

habet virtutem in actu primo ad causandum, debet præire actum liberum divinæ voluntatis, nullius erit roboris.

Antecedens probatur ex D. Thoma in hoc art. ubi inquit, quod forma non denominat principium actionis, atque adeo nec virtutem causativam, secundum quod est in subjecto, sed secundum quod dicit inclinationem ad effectum, et quod in forma intelligibili, qualis est scientia, hæc inclinatio provenit illi a divina voluntate, seu volitione libera illius, per quam inclinatur ad hunc effectum potius quam ad illum.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam licet per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscantur mala culpæ, nihilominus talis scientia, aut aliqua alia scientia divina nequit esse causa sive in actu primo, sive in actu secundo illorum; ex eo, quod nequit dari actus liber divinæ voluntatis inclinans aliquam ex divinis scientiis ad causanda prædicta mala: ergo signum est scientiam causativam rerum non posse esse illam, quæ præit actum liberum divinæ voluntatis; sed potius, quæ subsequitur ad illum, et versatur circa objectum volitum per talem actum.

Ultima. 20 Ultimo objicies contra confirmationem secundæ assertionis, quod ex ea ad summum sequitur, scientiam visionis Dei quoad terminationem, quam dicit ad creaturas existentes in aliqua differentia temporis, desumere suam perfectionem, ac mensurari ex prædictis creaturis: hoc autem nullum est inconveniens: ergo, etc. Sequela patet. Quoniam prædicta scientia solum respicit creaturas, ut existentes in aliqua differentia temporis ratione prædictæ terminationis: quandoquidem solam hanc terminationem addit supra scientiam simplicis intelligentiæ.

Minor autem etiam constat. Quoniam talis terminatio solum dicit relationem quandam rationis, quandoquidem potuit esse, et non esse in Deo; et nihil reale existens in Deo potuit non esse in illo: ergo non est inconveniens, quod prædicta terminatio mensuretur, aut desumatur ex rebus futuris.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam scientia, quam Deus habet de peccatis, ut talibus, non est causa illorum, ut nuper dicebamus: et tamen talis scientia non mensuratur, aut desumit suam specificationem ab illis: ergo falso in eadem confirmatione dicitur, scientiam, quæ non est causa sui objecti, mensurari, et desumere suam specificationem ab illo, ac proinde scientiam Dei erga creaturas debere esse causam earum, ne ab illis mensuretur, et specificetur.

Ad primam. 21 Ad primam ex his objectionibus respondetur, quod licet in præsenti eadem debeat esse causa in actu primo, et in actu secundo alicujus effectus; non tamen ita, ut cum intelligitur esse causa in actu secundo, non intelligatur sub aliquo modo, vel terminatione, aut applicatione, saltim a voluntate proveniente, ratione cujus aliquo modo habeat actu causare. Unde quoties causa concipitur, et consideratur a nobis, saltim ex parte nostri modi concipiendi, et significandi, ut in præsenti contingit, quatenus præcise est causativa, non potest, ut stat sub tali conceptu, et modo significandi, concipi, et significari, ut est actu causans. et ut addit prædictum modum, vel terminationem, aut applicationem liberam voluntatis; sed eo ipso, quod concipiatur, et significetur ut actu causans, non concipitur, aut significatur, ut præcise est causativa.

Quare cum scientia simplicis intelligentiæ, ut habet rationem scientiæ aliquo modo practicæ, denotet divinam scientiam, ut præcise est causativa creaturarum; non vero ut addit modum, et terminationem, ac applicationem requisitam ad causandum; scientia vero visionis, aut approbationis significet eandem scientiam, ut addit prædictam terminationem, et applicationem; et eo ipso, quod hæc addatur, non censeatur illa scientia, ut stat sub tali terminatione, manere sub conceptu, et significatione scientiæ simplicis intelligentiæ, sed sub conceptu, et expressione scientiæ visionis: inde est, ut licet sit eadem causa causativa, et causans, cum nova tamen terminatione; nihilominus non ideo scientia simplicis intelligentiæ, ut est sub hoc conceptu, et expressione, erit causa actu causans, quamvis sit causativa: quia, ut dicebamus, ut significatur nomine scientiæ simplicis intelligentiæ, dicit ipsam, ut sistit in virtute ad causandum; e contra vero scientia visionis tollit illam veluti sistentiam in sola virtute causativa, et dicit eandem virtutem, ut actu causantem.

Quomodo autem scientia visionis addat prædictam terminationem, et applicationem supra scientiam simplicis intelligentiæ, et nihilominus non distinguatur virtualiter a scientia simplicis intelligentiæ, constab t ex iis, quæ in tract. de Voluntate Dei dice-

mus : quia scientiæ, aut virtutes effectivæ, et sic de aliis, non distinguuntur virtualiter penes terminationes, aut connotata inadæquata, sed ad summum, penes terminationes, et connotata adæquata, modo tamen ibidem insinuato.

Ad secundam. 22 Ad secundam negandum est antecedens, et ad probationem dicendum est, D. Thom. non loqui de inclinatione tribuente virtutem causativam in actu primo, sed tribuente applicationem ad hunc potius effectum, quam illum : et ideo non loquitur de principio actionis, ut præcise causativo, sed ut actu causante, ac proinde determinato, et applicato ad causandum.

Ad confirmationem. Ad confirmationem respondetur, quod licet a posteriori colligatur, divinam scientiam non causare, nec causare posse mala culpæ, ex eo, quod nec datur, nec dari queit actus liber Dei, quo velit illa : attamen ratio a priori hujus non est, nisi quia re vera non continet illa : ex eo, quod ratione suæ summæ perfectionis, non potest esse scientia admixta imperfectionibus, aut devians a regula rationis : et ita ex se continet per modum causæ ea, quorum continentia non arguit imperfectionem in ipsa causa continente ; quamvis semper in obliquo connotet actum liberum divinæ voluntatis, non quidem exercitum, sed (ut sic dicamus) possibilem, seu (ut clarius loquamur) divinam voluntatem, ut potest libere terminari, et non terminari ad volendum prædictum effectum.

Ad tertiam. 23 Ad tertiam objectionem patebit ex dicendis in tract. de Voluntate Dei art. 2. quomodo nihil divinum possit etiam quoad terminationem, active tamen sumptam, seu prout se tenet ex parte Dei, mensurari, aut sumere suam perfectionem, et speciem a creaturis, quamvis aliquid creatum possit illis esse ratio, ut cadant sub terminatione scientiæ et voluntatis Dei, sive terminationis passivæ earum : non quidem ita ut per se, et ratione alicujus creati habeant passive formaliter, sed passive materialiter terminare : quia non terminant passive formaliter, nisi ut aliquo modo stant sub ratione divina, specificante, tam scientiam, quam voluntatem, et terminationes earum activas.

Nec verum est id, quod ibidem additur, scilicet terminationem scientiæ jam dictam, solum dicere relationem quandam rationis, ut constabit ex dicendis in tract. 4. disp. 7. num. 31. et 32. ubi etiam a dub. 7. ejusdem disput. usque ad finem illius explicabimus, quomodo possint hæc duo cohærere. Nimirum, quod actus liber ut talis, vel scientia Dei, ut visionis, et secundum quod subest divinæ libertati, dicant aliquid reale, et quod prædictus actus, ut liber, necnon et scientia secundum rationem explicatam potuerint non esse in Deo ; et nihilominus nihil reale potuerit deesse illi.

24 Ad confirmationem respondetur, quod licet scientia Dei non sit causa peccati formaliter sumpti ; est tamen causa ejus, quod est materiale in peccato, necnon et boni oppositi, cui peccatum opponitur. Et propterea est proxima mensura rationis materialis peccati, et remote, ac mediate est mensura ejusdem peccati formaliter sumpti, quatenus præcise est mensura bonitatis oppositæ, cui peccatum opponitur vel positive, vel privative. Nam sicut scientia Dei non terminatur ad mala culpæ formaliter sumptæ ratione sui, sed ratione boni, et honestatis creatæ, qua privant, ut disp. sequenti explicabitur, ita satis est, ut sit mensura eorundem, ut talium remote, et mediate, quatenus est mensura bonitatis, et honestatis creatæ jam dictæ : ac proinde satis etiam erit, ut sit causa ejusdem honestatis, quam proxime, et immediate mensurat.

Unde cum in confirmatione secundæ assertionis diximus, scientiam, quæ non est causa sui objecti, mensurari per illud, et ab eo desumere suam specificationem, et perfectionem, debet intelligi per distributionem (ut sic dicamus) accommodam : ita ut respectu objecti honesti, vel non deviantis a regula rationis debeat esse causa illius formaliter sumpti, necnon mensurare ipsum proxime, et immediate : respectu vero objecti inhonesti, satis sit, ut sit causa ejus quoad materialitatem ipsius, et quod sit proxime mensurativa ejusdem quoad hanc rationem, et remote, ac mediate mensuret illud quoad formale, quatenus præcise mensurat, et causat bonitatem, cui opponitur. Nam eo ipso talis scientia nequibit mensurari a tali objecto ; ex eo, quod est mensura suæ mensuræ, scilicet bonitatis, et honestatis, cui opponitur.

§ IV.

§ IV.

Satisfit argumentis primæ sententiæ.

Ad primum initio adductum.

25 Ad primum, concessa majori, distinguenda est minor : et concedenda de scientia causativa virtute, seu præcise habente virtutem ad causandum; neganda vero de scientia actu causante. Et eodem modo distinguendum est antecedens, quo probatur minor. Nec aliquid aliud voluit Sanctus Doctor in sua ratione, quam in præsenti adducit, ut ex dictis constat. Per quod etiam patet ad confirmationem.

Et licet hæc solutio amplius sit ex statim dicendis illustranda, nihilominus potest elucidari testimonio quodam D. Thom. in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 1. in corpore ubi inquit : *Sicut est causalitas artificis per artem suam, ita consideranda est causalitas divinæ scientiæ. Est ergo iste processus in productione artificiati, primo scientia artificialis ostendit finem, secundo voluntas ejus intendit finem illum, tertio voluntas imperat actum, per quem educatur opus, circa quod opus scientia artificis ponit formam conceptam. Unde scientia se habet, ut ostendens finem, et voluntas ut dirigens actum, et informans opus.* Ubi, ut vides, scientiæ creatæ connotanti voluntatem operis faciendi tribuitur a S. Doctore, quod sit causa actualis operis faciendi, ac proinde scientiæ correspondenti scientiæ divinæ visionis, et approbationis : et similiter scientiæ antecedenti actum voluntatis artificis solum tribuitur, quod ostendat finem, et per consequens, quod sit causativa in actu primo, et virtute. Nam illa ostensio finis, et modi, quo executioni est mandandus, quæ antecedit actum, nequit (ut supra dicebamus) causare hunc effectum potius, quam oppositum : ex eo, quod per illam scientiam indifferenter ostenditur utrumque.

26 Advertendum tamen, quod licet scientia artificis creati, et increati, quoad hoc conveniant; differunt tamen, ut bene notavit Gonzalez in præsenti disp. 38. sect. 2. quod scientia artificis creati post factum artificiatum est pure speculativa, atque adeo distincta a scientia causante artificiatum, ex eo, quod artificiatum solum pendet in *fieri* ab artifice creato, non autem in *conservari* : at artificiatum ab artifice increato, et ab ejus scientia, pendet non solum in *fieri*, sed etiam in *conservari*. Et ideo eademmet scientia practica, et operativa in actu secundo, qua attingitur ab illo in *fieri*, attingitur etiam in *conservari*. Et postquam factum est, per illam conservatur. Et propterea sicut præsupponitur in ratione scientiæ visionis ad illud, ut fit, ita etiam ut conservatur. Adde, quod etiam differunt in hoc, quod scientia increata potest in instanti causare in suo genere externum artificiatum : secus vero scientia creata, saltim humana : quia pendet a pluribus, quæ successive debent applicari.

Ad secundum.

27 Ad secundum negandum est antecedens. Et ad probationem, concesso antecedenti, distinguendum est consequens : et concedenda consequentia de futuritione inchoata, et initiativa; neganda vero de futuritione completa et adæquata. Et ideo relinquitur locus ad hoc, ut scientia visionis causet etiam res futuras.

Elucidatur.

Explicatur hoc. Etenim ad futuritionem rerum concurrit, tum scientia simplicis intelligentiæ (modo supra explicato) præscribendo modum, quo res illæ possint fieri, tum etiam divina voluntas intendens efficaciter futuritionem earum; et ex vi hujus voluntatis habent initiative rationem futurarum. Semel autem posita hac determinatione, et intentione efficaci, statim scientia simplicis intelligentiæ, quæ secundum se, et cum præcisione sumpta, retinet rationem, et conceptum talis scientiæ, habet, ut subest divinæ voluntati, et intentioni ejus liberæ, esse sub conceptu scientiæ visionis ut talis : et ita ipsa est, quæ deinde dirigit ad opus, et quæ influit tum ad electionem mediorum, quæ subsequitur; tum etiam (modo tamen infra explicando) ad imperium, quod post electionem, et ab æterno datur, ratione quorum habet res esse adæquate futura, scilicet tam in ordine intentionis, quam executionis.

Et ratio est aperta ex dictis. Quoniam scientia, quæ immediate dirigit ad opus intentum a divina voluntate causando actu illud, non debet se habere indifferenter ad opus faciendum, et ad ejus oppositum : scientia autem simplicis intelligentiæ sub conceptu proprio indifferenter se habet ad illud opus, et ad oppositum : quia indifferenter respicit omnia possibilia. Et ita scientia visionis etiam sub conceptu scientiæ visionis est causa futuritionis rerum.

Ad con-

28 Ad confirmationem, concesso antece-

firmationem. denii, neganda est consequentia. Quoniam scientia practica, quæ non debet mensurari ex suo objecto, sed potius e contra, potest esse intuitiva, licet daremus, quod adhuc inchoate non supponeret rem existentem, dummodo ipsa causet existentiam illius in eodem instanti, tam reali, quam rationis *in quo*. Quia licet ad rationem visionis intuitivæ requiratur, quod visio, et objectum visum sint simul in eodem signo, tam reali, quam rationis *in quo;* non tamen, quod objectum sit prius prioritate *a quo* existens, nisi scientia illa sit imperfecta, et mensurata (modo alibi dicendo) per suum objectum. Nec obest instantia ibidem adducta de oculo corporeo, cujus visio et pure speculativa, et imperfecta, ac a suo objecto mensurata.

Potestque hoc explicari exemplo divinarum personarum, inter quas datur ordo originis, et nihilominus Pater per visionem intuitivam suæ essentiæ, et personarum producit Filium : quia illa prioritas, seu ordo originis, non est prioritas, aut ordo *in quo* etiam secundum rationem. Et ita sicut semper intelligitur Pater ut coexistens in quovis signo etiam rationis, cum Filio, ita potest idem Pater per suam visionem intuitivam intueri semper illum, etiam si ibidem aliquis ordo originis intercedat.

Ad u 29 Ad ultimum respondet D. Thom. in hoc art. in solutione ad primum, his verbis : *Dicendum, quod Origenes locutus est attendens rationem scientiæ, cui non competit ratio causalitatis, nisi adjuncta voluntate, ut dictum est. Sed quod dicit, ideo præscire Deum aliqua, quia sunt futura, intelligendum est secundum causam consequentiæ, non secundum causam essendi. Sequitur enim, si aliqua sunt futura, quod Deus ea præscierit; non tamen res futuræ sunt causa, quod Deus sciat.*

Ubi, ut vides, duo innuit S. Doct. Primum est, quod cum dicitur, falsum esse res esse futuras, quia sciuntur a Deo, solum debet intelligi de scientia secundum rationem generalem scientiæ ut sic, aut scientiæ divinæ, secundum quam rationem præscindit a voluntate Dei efficaci. Nam scientia Dei secundum istam rationem, non est actualis causa rerum, et ita de ea non verificatur res esse futuras, quia sciuntur a Deo per suam scientiam, secundum id, quod convenit ei ob generalem rationem scientiæ ut sic; alioqui id omni scientiæ conveniret : nec secundum id, quod ipsi competit ob generalem (ut sic dicamus) rationem scientiæ divinæ non connotantis actum efficacem divinæ voluntatis; alioqui hoc ipso, quod scirentur per scientiam simplicis intelligentiæ, essent futuræ. Et propterea Angelicus Doctor dixit, Origenem dicentem, non ideo rem esse futuram, quia scitur a Deo, locutum fuisse attendendo ad rationem scientiæ, cui non competit ratio causalitatis (intellige actualis) nisi adjuncta voluntate.

30 Secundum est, quod hæc propositio : *Quia res est futura, Deus illam scit,* tantum est vera apud Patres juxta explicationem S. Doct. quatenus ly *quia* sumitur illative ob necessariam connexionem, quæ est inter scientiam visionis rerum, et futuritionem earundem; non vero in sensu causali, eo sane proportionali modo, quo hæc propositio : *Quia Petrus est risibilis, est rationalis*, continet veritatem, si ly *quia* sumatur illative, seu secundum causam consequentiæ; non vero si sumatur in sensu causali, seu secundum causam essendi : nam sic sumpta est falsa : siquidem risibilitas non est ratio, aut causa rationalitatis, sed potius e contra.

Quæ solutio desumitur ex D. August. 6. de Trinit. cap. 10. et lib. 15. cap. 13. cujus verba sunt : *Universas autem creaturas et spirituales, et corporales, non quia sunt, ideo novit, sed ideo sunt quia novit : quia ergo scivit, creavit : non quia creavit, scivit.* Quod etiam docuit Magist. Sentent. in 1. dist. 38. lit. C. ubi sic habet : *Nec etiam res futuræ causa sunt Dei præscientiæ : licet enim non essent futuræ nisi præscirentur a Deo; non tamen ideo præsciuntur, quia futuræ sunt. Si enim hoc esset, tunc ejus, quod æternum est, aliquid existeret causa ab eo alienum, ab eo diversum, et ex creaturis penderet scientia Creatoris, et creatum causa esset increati.* Elucidatur ex D. August.

31 Secundo respondetur cum eodem S. Doct. quæst. 2. de Verit. art. 14. ad 1. his verbis : *Dicendum, quod intentio Origenis est dicere, quod scientia Dei non est causa, quæ inducit necessitatem in scito, ut ex hoc cogatur aliquid evenire, quia Deus illud scit. Quod autem dicit, quia futurum est, ideo scitur a Deo, non importatur causa essendi, sed causa inferendi tantum.* Alia solut.

Cæterum neutra ex his solutionibus placet Suarez. Tum quia apud Dialecticos ly *ideo*, vel *quia* non sumitur solum illative, sed causative, ex eo quod est nota causalis : ergo cum Patres dialectice, et proprie Objectiones Suar.

prie loquantur, debet intelligi, quod in sensu causali eam sumpserunt. Tum etiam : quia contraponunt illas duas propositiones, quarum prima est : *Ideo Deus novit res futuras, quia futuræ sunt.* Secunda vero : *Non ideo futuræ sunt, quia illas novit ;* ac proinde censent hanc esse falsam : *Ideo sunt futuræ, quia illas novit.* Quare ne committatur æquivocatio, debet illa particula *quia,* vel *ideo* sumi in omnibus his propositionibus in eodem sensu vel causali, vel illativo : ac proinde non recte explicantur Patres per hoc, quod in priori propositione fiat sensus illativus tantum, et in posteriori sensus causalis.

Tum denique : quia si illa propositio : *Quia res est futura, scitur a Deo*, sumatur tantum illative, et per eam solum significatur, quod Deus per suam scientiam non inducit necessitatem ; tunc sequeretur, quod sicut conceditur hæc propositio, *Ideo scitur peccatum futurum, quia futurum est*, eodem modo deberet concedi hæc, *Ideo futurum est peccatum, quia scitur a Deo :* siquidem eadem est illatio, et connexio in utraque propositione, et defectus necessitatis inductæ ex parte divinæ scientiæ respectu peccati.

Occurritur. 32 Respondetur tamen ad primam ex his objectionibus, etiam apud Dialecticos sumi particulam illam, *quia,* vel *ideo* in sensu illativo, et hanc acceptionem non esse impropriam, et metaphoricam, sed propriam.

Ad secundam negandum est antecedens. Quia illæ propositiones proferuntur a Patribus, ut ambæ veræ : et ad hoc, ut sint ambæ veræ, requiritur, ut ex dictis constat, quod sumantur quatenus non habent contrapositionem omnimodam quoad rem ipsam, et proprie, ac formaliter, sed quoad voces : quia non intelliguntur de divina scientia secundum eandem rationem sumptam. Et deinde dicendum est, illam tertiam propositionem, scilicet : *Ideo res esse futuras, quia Deus illas novit*, esse veram, si intelligatur de scientia Dei quatenus visionis, et approbationis : esse autem falsam, si intelligatur de scientia Dei secundum generalem rationem scientiæ ut sic, aut scientiæ divinæ prout sic. Unde non est inconveniens, quod facta contrapositione materiali inter duas illas propositiones priores, tunc particula illa *quia*, vel *ideo* sumatur in qualibet illarum diversimode, et juxta subjectam materiam : siquidem vocum significationes juxta materiam, cui applicantur, solent intelligi. Quare cum inter scientiam visionis, et res futuras sit illatio bonæ consequentiæ ex parte utriusque extremi : et scientiæ visionis respectu rerum scitarum possit proprio competere causalitas, non vero e contra : ideo dum vere dicitur, ut in præsenti contingit : *Deus scit res futuras, quia futuræ sunt*, debet intelligi in sensu illativo per bonam consequentiam : dum autem vere quoad præsens asseritur : *Non ideo rem esse futuram, quia Deus illam scit*, intelligenda est hæc propositio de scientia Dei, secundum generalem rationem scientiæ, aut scientiæ divinæ ut sic, non connotando voluntatem. Quia secundum istam rationem, nec est causa rerum futurarum, nec per bonam consequentiam earum futuritionem infert. Ac tandem quia scientia visionis. et approbationis est causa rerum, ut ostensum est, propterea dum vere affirmatur, *quod ideo res est futura, quia Deus illam scit*, debet intelligi de eadem scientia visionis, et illa particula *ideo* reddit sensum causalem, necnon et illativum : quia etiam per bonam consequentiam infert futuritionem rerum, hoc ipso, quod sit causa earum.

33 Ad tertiam neganda est sequela. Quia SS. Patres dum de peccatis loquuntur in ordine de præscientiam Dei, intendunt declarare, eam non esse causam illorum, nec cogere voluntatem nostram ad peccata perpetranda, ut ex D. Thom. dicebamus : hoc autem bene explicatur per illam propositionem, *Ideo scitur peccatum futurum, quia futurum est*, si illæ particulæ *quia* et *ideo* sumantur illative : et propterea ad hoc denotandum eam Patres concedunt. Cæterum illa altera propositio, *Ideo futurum est peccatum, quia scitur a Deo*, licet recte explicata in sensu illativo, et modo in hac impugnatione relato possit concedi : quia tamen ex modo significandi non declarat libertatem nostræ voluntatis, quam tamen Patres declarare intendunt per illas particulas, *quia* et *ideo*, propterea absolute, et simpliciter, ac sine prædicta explicatione non est concedend,a nec illam Patres concedunt.

DUBIUM III.

Utrum sicut scientia Dei formaliter sumpta, est causa dirigens ad productionem creaturarum, ita etiam sit principium immediate effectivum, et exequens productionem earundem?

Explicatio tituli.

34 Consulto in titulo addita est particula illa : *Scientia Dei formaliter sumpta*, ut innuatur fieri in eo sermonem de scientia divina prout virtualiter distincta ab intellectu, et quavis alia cognitione, aut attributo Dei; non vero de illa, ut identificatur cum eodem intellectu, arte, aut alio ex divinis attributis. Nam licet plures ex interpretibus D. Thom. dubium hoc excitare soleant circa scientiam, confundendo eam cum intellectu, vel quavis alia cognitione divina ; et ita inquirant, an præter scientiam, seu intellectum, et cognitionem Dei, necnon et voluntatem ipsius , detur in illo potentia immediate executiva virtualiter distincta, tam a scientia , seu intellectu , et cognitione Dei , quam a voluntate illius, sive hæc duo, scilicet scientia, modo prædicto sumpta, et voluntas sumantur sigillatim, sive simul, ita tamen ut prædicta potentia executiva ex æquo , et per modum excludentis, et exclusi ab illis distinguatur : nihilominus quia ratio divinæ scientiæ , necnon et efficacitatis ipsius magis elucescet, si dubium præsens in sensu formali, et loquendo de scientia Dei, ut virtualiter distincta ab aliis attributis, decidatur ; propterea in eodem sensu illud proponere, et decidere placuit.

Supponitur autem in eodem titulo aliquid ut certum, et aliquid in dubium vocatur. Supponitur enim scientiam Dei influere in productionem creaturarum per modum dirigentis, ut communiter docent omnes Theologi : ex eo, quod proprium est cujuslibet scientiæ practicæ dirigere in ordine ad opus. Vocatur autem in dubium, an præter hunc concursum habeat alium, quo per modum principii effectivi, seu per modum potentiæ immediate exequentis exequatur productionem earundem creaturarum, ita ut nulla alia potentia executrix inter illam, et prædictam productionem mediet ? Unde alii aliis verbis dubium hoc excitant : an nimirum præter scientiam Dei formaliter sumptam, connotantem tamen voluntatem, detur in Deo alia potentia, aut virtus immediate executiva, et virtualiter ab illa distincta?

§ I.

Opinio prior refertur.

35 Durandus in 1. dist. 38. Vazquez in præsenti disp. 81. cap. 2. Zumel infra quæst. 25. cap. 1. conclus. 3. Suar. in sua Metaphys. disp. 30. sect. 17. a num. 49. usque ad 55. Herice in præsenti tract. 1. disp. 10. cap. 1. in fine, et alii sentiunt, scientiam Dei formaliter sumptam, non esse principium immediate effectivum, et exequens productionem creaturarum ; sed tantum in genere causæ directivæ concurrere : ac proinde ultra prædictam scientiam dari in Deo potentiam immediate executivam, virtualiter ab ea distinctam , et licet omnes Doctores citati quoad hoc non discriminentur; non tamen illud eadem via defendunt.

Primum argumentum.

Sententia hæc quoad id, in quo ejus sectatores conveniunt, probatur primo, testimonio D. Thom. 1. part. quæst. 19. art. 4. ad 4. ubi ait : *Ejusdem effectus scientia est causa, ut dirigens, et voluntas, ut imperans : sed potentia est causa exequens, quia nominat immediatum principium operationis.* In quibus verbis aperte distinguit potentiam exequentem a scientia, ut dirigente, et voluntate, ut imperante : ac proinde etiam a scientia, ut connotante voluntatem. Quod adhuc expressius docuit infra quæst. 25. art. 1. ad 4. ubi sic inquit : *Potentia non ponitur in Deo ut aliquid distinctum a scientia, et voluntate secundum rem, sed secundum rationem, in quantum scilicet potentia importat rationem principii exequentis id, quod voluntas imperat , et ad quod scientia dirigit. Quæ tria Deo secundum idem conveniunt.*

Secundum.

36 Secundo probatur ratione. Nam scientia Dei, et potentia executiva diversimode respiciunt creaturas : ergo distinguentur inter se virtualiter : et per consequens scientia formaliter sumpta non erit potentia immediate executiva respectu creaturarum. Hæc ultima consequentia patet ex priori. Prior vero ex antecedenti. Quoniam attributa, quæ sunt in Deo in ordine ad creaturas, distinguuntur virtualiter penes distinctum modum respiciendi illas. Antecedens autem probatur. Quoniam scientia respicit creaturas dirigendo voluntatem divinam in ordine ad productionem

tionem illarum ; potentia vero executiva respicit illas præsupponendo voluntatem jam directam, et immediate exequendo talem productionem : hi autem sunt diversi modi respiciendi creaturas, ut ex se patere videtur : ergo, etc.

Confirmatur primo.

Confirmatur. Quoniam objectum primarium divinæ scientiæ est Deitas, ut ex se constat; objectum vero primarium potentiæ executivæ non est ipsa Deitas : ergo scientia, et potentia executiva distinguentur virtualiter. Patet consequentia. Quoniam illa, quæ habent distincta objecta primaria, non possunt non distingui virtualiter.

Confirmatur secundo.

Confirmatur secundo. Quoniam scientia Dei versatur tam circa creata, quam circa increata, et ita demonstrat tam de Deo, quam de creaturis suas proprietates, sive attributa : at potentia executiva solum versatur circa creaturas, quæ solæ factibiles sunt : ergo scientia, et potentia executiva erunt distinctæ virtualiter ; quandoquidem una, et eadem virtus absque distinctione virtuali sui nequit coarctari ad solas creaturas, et simul extendi ultra illas, ut ex terminisipsis patere videtur.

37 Tertio. Quoniam actus potentiæ executivæ, nimirum executio, et actualis productio creaturarum non est necessario conjunctus cum suo principio, quantumvis illud sit perfectissimum : et ideo talis executio est temporalis, quamvis potentia executiva Dei sit æterna ; ergo prædicta potentia distinguetur virtualiter a scientia Dei, et per consequens hæc non erit immediatum principium effectivum creaturarum absque aliqua alia potentia executiva. Patet consequentia. Quoniam actus divinæ scientiæ, nimirum *scire*, necessario debet esse conjunctus cum Deo : ac proinde ab æterno ei convenire ; alioqui cum talis actus ex genere suo sit immanens, mutaretur Deus, si denuo, et in tempore illum haberet.

Corroboratio.

Confirmatur. Quoniam hoc ipso, quod executio, quæ est actus potentiæ executivæ, sit in tempore, necessario debet esse actio transiens, ne si sit immanens, et denuo adveniens, mutetur per illam Deus, ut modo dicebamus ; actus vero scientiæ, quippe qui est actus intellectus, non potest non esse immanens : ergo scientia, et potentia executiva Dei distinguentur inter se virtualiter ; quandoquidem virtutes, quibus correspondent actus ex genere suo diversi, quales sunt actus transiens, et immanens, non possunt, non saltim virtualiter, distingui in Deo, et realiter in creaturis· Et propterea virtus calefactiva, et visiva distinguuntur realiter, quia illi correspondet actus ex genere suo transiens, scilicet calefactio ; huic vero actus ex se immanens, nimirum visio.

Quartum.

38 Quarto. Nam in nobis potentia executiva distinguitur realiter ab intellectu, et scientia ejus, necnon et a voluntate : ergo in Deo hæc tria distinguentur saltim virtualiter. Antecedens probatur. Quoniam potentia executiva, verbi gratia, motus progressivi residet in membris ; et ita hac deficiente, vel impedita, non possumus localiter moveri, quantumvis voluntas velit, et intellectus per suam scientiam, vel cognitionem dictet, vel imperet prædictum motum : constat autem potentiam subjectatam in membris, esse realiter distinctam a voluntate, et intellectu, necnon et a quavis virtute intellectuali illius. Consequentia vero probatur. Quoniam ea, quæ in creaturis distinguuntur realiter, debent translata ad Deum virtualiter distingui : quia eo ipso divina essentia ratione illorum æquivalet pluribus alias realiter distinctis, non minus ac si esset plures, in quo quidem distinctio virtualis eorum, quæ sunt in Deo, consistit : ergo, etc.

Quintum.

39 Quinto. Quoniam essentia divina connotando voluntatem potest se ipsa immediate absque additione alicujus alterius potentiæ executivæ, virtualiter ab ea distinctæ, exequi immediate productionem creaturarum : ergo scientia, quæ est virtualiter distincta a divina essentia, ut disputat. 1. num. 68. et deinceps ostensum est, non erit potentia immediate exequens, etproducens creaturas. Consequentia patet. Antecedens autem probatur. Tum quia videtur esse D. Thomæ infra quæst. 25. art. 5. ad 1. ubi inquit : *Ideo Deus aliquid facit, quia vult ; non tamen ideo potest, quia vult ; sed quia talis est in sua natura.* Tum etiam : quia quod in creaturis detur potentia executiva distincta ab essentia illarum, provenit ex finitate, et limitatione earundem : ergo cum essentia divina sit infinita in genere entis, ac proinde præhabens perfectissimo modo omnem rationem entis creati, et creabilis, non erit cur assignetur ei potentia executiva, scilicet scientia virtualiter ab ea distincta. Maxime quia

divinam essentiam posse operari per se quidquid voluerit absque indigentia alicujus virtutis superadditæ, est perfectior operandi modus, quippe denotans majorem perfectionem, et fœcunditatem in ipsa divina essentia; Deo autem tribuendus est modus operandi omnium perfectissimus.

Tum denique : quia ideo in creaturis potentia proxima ad operandum, et essentia, a qua dimanat, sunt realiter diversæ, quia *esse* correspondens essentiæ, et *operari* correspondens potentiæ proxime operativæ distinguuntur realiter, ut optime docent, et probant nostri Complutens. in lib. Physic. disputatione 10. num. 22. sed in Deo *esse*, et *operari*, necnon virtualiter distinguuntur; siquidem ejus *esse*, est suum *operari*, scilicet suum *intelligere* : ergo in eo essentia, et facultas proxima ad operandum, et producendum creaturas non distinguentur etiam virtualiter.

Corroboratur primo. 40 Confirmatur primo. Quoniam Deus non agit ad extra quatenus, solum in ratione scientis, et volentis, sed quatenus est infinitus simpliciter in ratione entis; nam tota hæc infinitas est necessaria ad creandum, et ad agendum sine dependentia a superiori, quo pacto semper Deus operatur : ergo potentia executiva non convenit illi ratione scientiæ, vel voluntatis; sed ratione ipsius *esse* per essentiam, quatenus infinitum est, et eminenter includit omnem perfectionem participabilem : ergo cum hæc ratio entis per essentiam pertineat ad intrinsecum conceptum Dei, ut præintelligitur ad sua attributa, juxta ea, quæ disputat. 4. num. 54. et deinceps diximus; consequens est, ut ratio potentiæ executivæ solum conveniat illi, ratione suæ essentiæ, seu (quod in idem redit) solum sit ipsa divina natura, quatenus est infinita per essentiam.

Secundo. 41 Confirmatur secundo. Quia Deus non est omnipotens eo quod sciat omnia, sed potius scit omnia, quia est omnipotens, et eminenter illa continet; et propterea communiter docent Theologi cum Dionysio, et D. Thom. Deum sciendo se, et potentiam suam scire omnes creaturas possibiles : ergo scientia creaturarum ratione distinguitur ab omnipotentia, et supponit illam : ergo prædicta omnipotentia in recto, et formaliter sumpta, tantum erit divina natura. Patet hæc ultima consequentia. Quoniam Deus in sola essentia sua, ut in objecto prius cognito cognoscit omnes creaturas possibiles, ex eo, quod sicut sola divina essentia habet rationem speciei intelligibilis in ordine ad illas cognoscendas, ita sola eadem essentia est sufficiens in ratione objecti prius cogniti, ad hoc, ut a Deo attingantur.

Postremo. 42 Confirmatur tandem. Quia intellectus Angelicus, connotando tamen voluntatem, est potentia immediate executiva respectu eorum, quæ operatur ad extra, ut patet ex iis, quæ docet D. Thom. 1. part. quæst. 54. art. 5. et cum eo communiter Thomistæ : ergo Deus præcise ratione suæ essentiæ, connotando tamen voluntatem, exequetur ad extra quidquid sibi placuerit. Patet consequentia. Quia in eo intellectus non distinguitur adhuc virtualiter ab essentia ipsius : et ita si intellectus Angelicus se ipso formaliter habet, modo dicto, rationem potentiæ executivæ Angelicæ, etiam intellectus divinus, qui est omnino idem cum natura Dei : ac proinde ipsa divina natura, ut præintelligitur ad scientiam, habebit rationem potentiæ executivæ; alioqui intellectus Angeli esset perfectior in suo ordine, quam intellectus divinus in suo : siquidem ille habet tantam virtutem, et perfectionem in suo ordine, ut possit per se ipsum immediate esse potentia executiva; secus vero intellectus divinus in suo ordine, et cum præcisione consideratus.

§ II.

Verior D. Thomæ sententia; et prima ejus ratio.

Assertio. 43 Dicendum tamen est, scientiam practicam Dei formaliter sumptam, connotando voluntatem, esse principium, seu potentiam immediate executivam, per quam immediate ad extra operatur; atque adeo non indigere aliqua alia potentia executiva virtualiter distincta, per quam producat creaturas. Ita D. Thom. in hoc art. ubi loquens de divina scientia, inquit : *Oportet, quod forma intellectus sit principium operationis, sicut calor est principium calefactionis.* Et statim addit, hoc non convenire scientiæ, nisi adjuncta voluntate. Quare cum calor sit principium immediate exequens calefactionem, consequens erit, ut scientia Dei, adjuncta, seu connotata voluntate habeat etiam rationem potentiæ

potentiæ executivæ respectu eorum, quæ a Deo causantur.

Idem etiam docet S. Doct. infra quæst. 25. art. 1. ad 4. in secunda solutione, ubi loquens de potentia executiva Dei, inquit : *Vel dicendum, quod ipsa scientia, secundum quod est principium effectivum, habet rationem potentiæ.* Quod etiam docuit in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 1. et 1. cont. Gent. cap. 61. et 62. et de Verit. quæst. 2. art. 14. ut statim magis expendemus. Unde S. Doct. sequuntur Alvar. lib. 3. de Auxiliis disp. 17. Nazar. in hoc art. controv. 2. Gonzal. in præsenti disp. 38. sect. 4. Cajet. infra quæst. 25. art. 1. et quæst. 54. art. 5. inquiens, sententiam hanc esse probabiliorem. Quam etiam tuentur plures ex discipulis D. Thomæ.

Ratio prior affert.

44 Ratio prior, et fundamentalis desumitur ex D. Thom. loco cit. ex quæst. 2. de Veritate. Quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam ea, quæ habent inter se convenientiam secundum aliquam formam, oportet, ut ita se habeant, ut unum sit causa immediate effectiva, sive executiva alterius; vel ambo ab una, et eadem causa immediate producantur : sed scientia, quam habet Deus de rebus creatis, et res ipsæ habent inter se convenientiam secundum aliquam formam : ergo vel scientia Dei est causa immediate effectiva, et executiva rerum, vel e contra : vel tandem utrumque causatur ab aliquo alio tertio : ergo cum scientia Dei, quippe æterna, et increata, nequeat habere aliquam causam efficientem sui, consequens est, ut ipsa sit causa immediate executiva rerum scitarum.

Utraque conseq. videtur perspicua. Minor autem etiam liquet. Tum quia res scitæ a Deo, sunt tales, quales scientia practica ipsius dictat ut sint. Tum etiam : quia ideo res creatæ habent aliquam convenientiam, et similitudinem cum *intelligere* Dei, ut constitutivo illius, quia continet illas perfectissime, scilicet intelligibili, sive intellectuali modo. Quare cum scientia divina contineat easdem res creatas intelligibiliter, non possunt non habere convenientiam, et similitudinem cum illa.

Major autem probatur. Tum quia ex eo, quod Petrus, v. g. et Paulus habent convenientiam in forma, sive natura, propterea vel unus fit immediate ab alio tanquam a causa effectiva, vel uterque ab alio tertio. Et similiter, quia duo artefacta habent convenientiam aliquam inter se, propterea quoties unum non fit ab alio, toties utrumque fit ab aliquo alio tertio, scilicet ab arte, cum quo habent etiam suam convenientiam, et similitudinem. Tum etiam : quia cum effectus non possint esse simpliciores suis causis, necesse est, ut quivis effectus reducatur in aliquam unam causam, sicut omnia calida in unum calidum, scilicet ignem. Et ita cum unumquodque causetur ab eo, cum quo habet aliquam convenientiam, oportebit, ut ea, quæ inter se conveniunt, ita se habeant, ut vel unum immediate causetur ab alio, vel quodlibet eorum ab aliquo alio tertio, cum quo habeant etiam suam similitudinem, et convenientiam.

§ III.

Objectiones contra hanc priorem rationem D. Thomæ, et solutio earum.

Objectio prima.

45 Nec refert, si contra rationem hanc objicias primo, quod etsi ea, quæ conveniunt in aliqua forma, debeant esse talis conditionis, ut vel utrumque fiat ab uno tertio, vel unum ab altero, non inde sequitur, scientiam Dei, convenientem cum creaturis ex parte formæ, fore causam immediate effectivam, et potentiam executricem rerum scitarum. Quia cum divina scientia non sit capax fieri ab alio, ut a causa efficiente, bene tamen hujus, quod est dimanare ab alio, ut a ratione a priori, scilicet a divina natura, et res scitæ sint capaces habendi causam efficientem immediate factivam earum, poterunt hoc modo tam scientia, quam creaturæ scitæ procedere ab alio tertio, ita ut scientia procedat a natura divina, ut a ratione a priori, et res scitæ procedant ab eadem natura divina, ut a causa effectiva, et virtute immediate executrice.

Enodabitur infra.

Non itaque hoc refert. Quoniam ad hanc objectionem satis patebit ex iis, quæ in solutione ad quintum dicemus.

Secunda.

46 Nec etiam refert, si secundo contra rationem factam objicias, quod si ex similitudine creaturarum cum scientia Dei colligitur, ipsam esse causam immediate exequentem productionem earum, tunc potius debebat ex hac similitudine inferri, quod essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, vel ideæ, sit potentia immediate exequens prædictam productionem, quam scientia. Tum, quia creaturæ

non sunt formaliter similes scientiæ, quæ per modum actus purissimi in Deo reperitur, si ipsa secundum suam præcisam rationem sumatur; sed solum si consideretur, ut identificata cum aliis, quæ sunt intra Deum : siquidem, ut supra dicebamus, nullus actus intellectus formaliter sumptus, repræsentat rem intellectam, nec habet similitudinem cum illa, vel e contra. Tum etiam : quia adhuc hoc dato, nihilominus creaturæ magis assimilantur ideis, aut essentiæ divinæ, ut habet rationem speciei intelligibilis; quam scientiæ : ut in scientia creata collata cum idea rei, aut specie intelligibili rei scitæ, cernere licet.

Confirmatur. Confirmabis ex eo, quod si ratio facta aliquid probaret, convinceret etiam, æternitatem, et bonitatem divinam esse potentias immediate executivas bonitatis, et durationis creatæ; siquidem istæ habent etiam convenientiam in forma cum bonitate, et æternitate Dei : quæ ob sui infinitam eminentiam neque possunt causari a bonitate, et duratione creata, nec ab aliqua alia causa : et non utcunque, sed ita ut hoc, quod est, non posse causari in ratione bonitatis, et æternitatis, ab aliqua causa conveniat prædictis attributis speciali aliquo modo præter illum, qui est communis omnibus attributis, ex eo, quod quodlibet eorum, ut, v. gr. æternitas, est primum in suo genere, sive ordine : et ita est mensura, et exemplar similium perfectionum, quæ in creatis reperiuntur.

Ad objectionem. 47 Respondetur enim, ad rationem potentiæ executivæ naturæ intellectualis, ut talis, et intellectuali modo operantis, non esse necessarium, quod inter effectum, et illam sit similitudo formalis, aut convenientia in aliqua ratione formaliter tali; sed sufficit convenientia analoga, et in aliqua ratione formaliter reperta in creaturis, et saltim eminenti, ac virtuali modo inventa in prædicta potentia executiva. Et ita in Angelis intellectus, connotando voluntatem, est potentia immediate executiva illorum, et nihilominus convenientia, quæ est inter intellectum, et effectus ab eo productos non est formalis; sed sufficit, quod sit virtualis, et analoga. Et similiter ars in nobis est habitus intellectualis immediate operativus rei artefactæ, et tamen convenientia, quæ est inter illam, et rem artificialem non est in forma, quæ secundum *esse* formale sit in utroque : sed in forma, seu ratione formali, quæ formaliter reperiatur in artefacto, et virtualiter in ipsa arte. Cæterum cum hoc stare debet, ut potentia executiva intellectualis, et intellectuali modo operans, debeat assimilare formaliter effectum, non quidem sibi, sed ideis divinis : quia idea est, ad quam prædicta potentia executiva, et ars ei correspondens intendunt, et ad eam intendendo operantur, ut ipsam in effectu exprimant.

48 Quæ solutio innuitur a D. Thom. quæst. 5. de Verit. art. 1. ad 7. his verbis : *Dicendum, quod in divinis attributis invenimus duplicem rationem causalitatis : unam per viam exemplaritatis, sicut dicimus, quod a primo uno procedunt omnia una, et a primo ente omnia entia, et a primo bono omnia bona, et hæc ratio causandi est communis omnibus attributis. Alia ratio est secundum ordinem ad objectum attributi, prout dicimus, quod potentia est causa possibilium, et scientia scitorum, et voluntas volitorum : et secundum hunc modum non oportet, quod causatum habeat similitudinem causæ. Non enim, quæ per scientiam facta sunt, oportet esse scientiam, sed scita : et per hunc modum providentia Dei causa omnium ponitur.*

Ad confirmationem. 49 Ad confirmationem respondetur, quod ut optime docet D. Thom. in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 1. attributa Dei sunt in duplici differentia : alia, quæ dicunt respectum ad aliquid extrinsecum, scilicet ad creaturas, sive (ut melius loquamur) habent illas pro objecto. Alia vero, quæ in suo conceptu formali non dicunt prædictum respectum, sive non habent hoc speciali modo creaturas pro objecto. Inter quæ hoc versatur discrimen, quod attributa non dicentia ordinem prædictum ad creaturas, seu non habentia illas pro objecto, modo illo speciali, nequeunt secundum hanc rationem esse potentiæ immediate executivæ similium proprietatum, quæ in illis reperiuntur : quia de ratione potentiæ immediate executivæ creaturarum, est, quod dicat prædictum ordinem ad illas, seu, quod habeat illas, modo explicato, pro objecto, ut in sequenti ratione magis explicabimus. Quare cum bonitas, et æternitas Dei sub formalissimis rationibus consideratæ, non sint de genere eorum attributorum, quæ formaliter sumpta, dicunt respectum illum ad creaturas, seu (ut melius loquamur) habent illas pro objecto, modo illo insinuato;

nuato; et ideo sic consideratæ possint optime quasi diffiniri, nulla habita mentione prædicti respectus ad creaturas, aut earum tanquam objecti, modo explicato, attacti : inde est, ut nequeant habere rationem potentiæ immediate executivæ respectu similium attributorum, seu proprietatum, quæ in creaturis reperiuntur.

50 Quare major propositio rationis D. Thom. debet intelligi de convenientia secundum aliquam formam, quæ ex se habeat, modo dicto, respicere aliquid extrinsecum; sive (ut melius loquamur) quæ ex se habeat modo illo speciali pro objecto quidpiam extrinsecum. Nam quæ in prædicta forma sic conveniunt, debent ita inter se comparari, ut quantum est ex vi hujus capitis, sint apta ad hoc, ut vel unum sit causa alterius, vel utrumque causetur ab aliquo alio tertio. Et ita cum scientia practica Dei sit de numero illorum attributorum, quæ speciali illa ratione jam explicata respiciunt aliquid extrinsecum, scilicet creaturas, sive habent illas, modo dicto, pro objecto, ut intuenti patebit, inde est, ut ratio D. Thom. optime ex hac parte probet intentum circa eam. Diximus : *Quantum est ex vi hujus capitis, sint apta, etc.* propter ea, quæ statim dicemus.

Replica. 51 Sed urgebis. Quod licet detur, quod ea, quæ conveniunt in aliqua forma respiciente, modo dicto, aliquid extrinsecum, debent ita inter se conferri, ut vel unum causetur utcunque ab alio, vel utrumque ab aliquo tertio; non tamen, quod hæc causalitas debeat esse immediata, et per modum potentiæ immediate exequentis : quandoquidem duo ignes considerati in *esse* radicaliter calefactivorum, conveniunt in forma respiciente aliquid extrinsecum, scilicet calefactibilia : et nihilominus non est necesse, ut uterque causetur ab aliquo alio tertio immediate, nec quod unus immediate causet alterum; sed sufficit, unum esse radicaliter productivum alterius : ergo, etc.

Confirmatio. 52 Confirmatur. Quia plura sunt attributa dicentia specialem illum ordinem ad creaturas, seu habentia eas speciali modo pro objecto, cum quibus ipsæ creaturæ habent convenientiam in forma : et nihilominus non sunt potentiæ immediate exequentes productionem illarum : ergo, etc. Major satis constat in voluntate, arte, et ideis divinis : quæ omnia respiciunt speciali illo modo aliquid extrinsecum, ut intuenti constabit : et insuper res creatæ habent convenientiam cum illis ex parte formæ, sive rationis formalis per eas importatæ. Nam voluntas creata convenit in forma cum divina voluntate : et propterea continet illas virtualiter, seu habet efficacitatem ad illas producendas. Habent etiam convenientiam ex parte formæ cum arte; et propterea ars diffinitur per hoc, quod sit recta ratio factibilium : sicut etiam omnia illa sunt similia divinis ideis, et exemplaribus, ad quorum similitudinem fiunt.

Minor autem constat. Quia alioqui deberent dari in Deo plures potentiæ executivæ creaturarum distinctæ inter se secundum speciem, scilicet scientia, ars, etc. quod tamen derogat infinitæ perfectioni divinæ potentiæ. Sicut etiam huic derogaret, si darentur in Deo plures intellectus, aut voluntates : ex eo, quod est de ratione intellectus infinite perfecti, quod extendatur ad omnia intelligibilia.

Ad replicam. 53 Ad hanc objectionem respondetur, sensum majoris propositionis adductæ in ratione D. Thom. esse, quod ea, quæ habent convenientiam in forma, debent ita inter se conferri, ut vel utrumque causetur immediate ab aliquo tertio, quod sit unum, et idem secundum numerum, aut secundum speciem; vel quod si utrumque a prædicto tertio non causetur, tunc unum sit causa immediata alterius aut per seipsum, aut per suam virtutem, seu potentiam immediate operativam. Ita tamen, ut si hæc convenientia fuerit in forma constituente naturam, tunc prædicta natura concurrat per modum principii primi, et radicalis : ex eo, quod non per se primo, aut quasi per se primo respicit aliquid extrinsecum : qui modus respiciendi requiritur ad rationem principii immediate operativi, et causativi effective respectu alicujus extrinseci, ut nostri Complut. in lib. Physic. disp. 10. num. 23. expendunt. Si vero prædicta convenientia fuerit in forma non constituente naturam, sed habente rationem primi attributi, sive proprietatis illius naturæ, ut radicaliter operative, tunc prædictum attributum saltim in naturis intellectualibus sit ipsamet potentia immediate executiva ejusdem naturæ, ut intellectualis. Quoniam eo ipso natura, ut est radicaliter operativa, explicat in eo tanquam in propria virtute, et principio proximo virtutem operativam, quæ ei competit, ut in homine, v. g.

cernitur, in quo intellectus est prima proprietas conveniens illi, ut radicaliter intellectivo. Et propterea natura hominis explicat in eo, ut in principio, et virtute sua proxima, vim ad intelligendum, quam habet.

54 Quare, quia adhuc dato, quod duo ignes, ut radicaliter calefactivi conveniant in forma respiciente aliquid extrinsecum (de quo infra dicemus) nihilominus hæc convenientia est in forma constituente naturam, propterea satis est, quod unus ignis per suam virtutem immediate operativam sit causa immediata alterius, vel quod uterque causetur ab aliquo tertio igne : qui sit unus, et idem vel secundum numerum, vel secundum speciem. Quia vero res creatæ conveniunt cum scientia practica Dei, tanquam cum primo attributo, et proprietate illius, ut radicaliter operativi ad extra, ac proinde, ut radicaliter intellectivi, propterea ipsa habet rationem potentiæ immediate executivæ earundem creaturarum.

Ratio autem, propter quam scientia est primum attributum ex iis, quæ conveniunt Deo considerato, ut radicaliter operativo ad extra, et per consequens, ut radicaliter intellectivo, est, quia inter attributa, quæ continent intellectuali modo creaturas, ac proinde correspondent divinæ naturæ, ut radicaliter eas continenti, obtinet præstantissimum locum, ut constat ex objecto universaliori, et perfectiori, quod habet. Et ita debet intimius conjungi cum eadem divina essentia, ut est radicaliter operativa ad extra.

Diximus : *Formam constituentem naturam, non respicere per se primo, aut quasi per se primo aliquid extrinsecum*, propter illa, quæ in hoc dub. adjiciemus. Addidimus autem, quod respicere per se primo, aut quasi per se primo aliquid extrinsecum, aut habere illud pro objecto per se primo, aut quasi per se primo tali, requiritur ad rationem principii immediate effectivi, seu ad rationem potentiæ immediate executivæ, ut hæc cohæreant cum iis, quæ in tract. de Visione Dei disput. 6. num. 22. et 23. diximus : per quæ, ut ex ibidem dictis constat, non parum natura divinæ omnipotentiæ, seu potentiæ immediate executivæ explicatur. Cæterum cum prædictum respectum ad creaturas petimus, non loquimur de respectu reali actuali, adhuc transcendentali, sed reali fundamentali.

Ad 55 Ad confirmationem patet ex dictis, quomodo convenientia in forma cum primo attributo correspondenti Deo, ut radicaliter operativo ad extra, ac proinde intellectuali modo continenti proxime effectus creatos, sicut divina essentia illos radicaliter, et eodem intellectuali modo illos præhabet, inferat tale attributum (connotando tamen voluntatem) esse ipsam potentiam immediate executivam, non tamen convenientia in forma cum aliquo alio attributo. confirmationem.

Cæterum cum hoc stat, ut ex convenientia creaturarum in forma cum quovis alio attributo colligatur, illud, juxta suam naturam, et lineam, esse aliquo modo immediate effectivum illarum. Et ita, quia proprium est voluntatis, tam creatæ, quam increatæ applicare alias virtutes ad operandum, et si talis voluntas fuerit divina increata, et per consequens prima inter omnes voluntates, est proprium illius, quod ut habet rationem objecti cogniti, sit causa exemplaris aliarum voluntatum (quod idem cum proportione de misericordia increata respectu misericordiæ creatæ dicimus) propterea voluntas divina concurrit immediate per modum potentiæ, sive facultatis applicantis cæteras alias virtutes operativas Dei ad extra in ordine ad quoscunque effectus, et habet peculiariter rationem exemplaris respectu voluntatis creatæ : sicut et misericordia divina (et sic de aliis) habet rationem exemplaris respectu misericordiæ creatæ.

Et similiter, quia proprium est artis influere per modum habitus, aut quasi habitus, seu (ut melius loquamur) per modum virtutis intellectualis, et sub alia ratione formali una cum potentia immediate exequente rem artificiatam, ideo ars divina immediate exequitur productionem creaturarum : non quidem ut habitus, sed tanquam virtus intellectualis immediate afficiens scientiam, quæ se habet per modum potentiæ executivæ.

56 Et tandem, quia proprium est idearum influere immediate, et excutive, non quidem, ut quid se tenens ex parte principii radicalis, ac proinde nec per modum potentiæ executivæ proprie, et in rigore talis, sed ut quid tenens se ex parte objecti, et ut objectum cognitum, inde est, ut divinæ ideæ hoc modo immediate influant in executionem creaturarum ; non vero per modum potentiæ immediate exequentis, quæ proprie, et in rigore sit talis.

Unde

Unde major propositio rationis D. Thom. intelligitur de convenientia duorum secundum aliquam formam, quæ vel constituat naturam, ac proinde non per se solummodo, sed per suam virtutem immediate operativam, tanquam per potentiam executivam, exequatur rem illam, quæ cum ipsa convenientiam habet : vel si non constituerit naturam, sit tamen primum attributum, primaque proprietas, aut quasi proprietas tenens se ex parte formæ, constituentis naturam, seu ex parte ejus, ut est principium radicale. Ex eo, quod proprium est potentiæ immediate executivæ, ut talis, quod teneat se ex parte principii radicalis, a quo oritur; non vero ex parte objecti tanquam quid influens per modum objecti cogniti, ad quod intendens, artifex operatur : siquidem ultra id, quod hoc modo ex parte objecti influit, debet necessario admitti potentia exsequens, media qua fiat id, quod in exemplari elucet.

Alia replica.

57 Nec tandem refert, si iterum urgeas, quod licet admittatur, scientiam Dei esse primum attributum, quod ei, ut continet creaturas, competit, non tamen inde fiet esse potentiam executivam illarum; sed ad summum influere immediate effective eo modo, quo ars influit : quia utraque est virtus intellectualis habens se quasi per modum habitus : et ita neutra habet rationem potentiæ. Et propterea nulla ex illis correspondet potentiæ executivæ Angelicæ, ad instar cujus debemus concipere potentiam executivam Dei, quæ est pure intellectualis; sed habitibus, et virtutibus intellectualibus in Angelis repertis.

Diluitur.

Respondetur enim, quod sicut habitus supernaturales ob sui eminentiam et habent aliquid de potentiis, et aliquid de habitibus, et ideo tribuunt *posse* simpliciter in ordine supernaturali, et *posse* faciliter, ita scientia Dei propter summam eminentiam habet aliquid de virtute intellectuali, prout virtus intellectualis distinguitur a potentia, et non tribuit (ut sic dicamus) *posse* proximum, et simpliciter tale, et habet aliquid de potentia tribuente prædictum *posse* simpliciter. Ex quibus primum illud convenit ei prout versatur circa Deum, et ut est speculativa : quia præsupponit ipsum *intelligere* divinum prout habet vim proximam ad versandum circa Deum, et circa creaturas speculando illas. Et ideo solum habet determinare divinum *intelligere* per modum puræ virtutis intellectualis, seu (ut sic loquamur) per modum quasi habitus ad hoc, ut hoc determinato modo; scilicet per causam, sive rationem a priori versetur circa Deum, tanquam circa subjectum, de quo demonstrat passiones, aut quasi passiones, necnon et circa creaturas, tanquam circa quid scibile per suas causas. At vero hoc posterius competit eidem scientiæ, ut est practica, secundum quam rationem non supponit *posse* simpliciter in ordine ad productionem creaturarum, id est *posse* etiam proximum; sed solum *posse* primum, et radicale, ut in sequenti ratione explicabimus : et propterea non habet determinare *posse* primum per modum quasi habitus, sed tribuere illud : ac proinde secundum istam considerationem habet rationem potentiæ.

§ IV.

Duo fundamenta valde notanda ad deducendam secundam rationem pro D. Thomæ sententia.

Anim. adversio prior.

58 Secunda, et principalis ratio pro assertione desumitur ex D. Thom. in hoc art. Ut autem hæc melius capiatur, notandum est ex eodem S. Doctore, quod licet nihil ex iis, quæ in Deo reperiuntur, ratione suæ eminentiæ possit respicere aliquid extrinsecum, tanquam specificativum formale sui, potest tamen terminari ad illud, tanquam ad specificativum virtualiter (ut sic dicamus) tale, id est, quod sit talis conditionis, ut si per impossibile Deus posset habere aliquod specificativum extra se, tunc specificaretur ab hoc potius extrinseco, quam ab alio. Unde licet misericordia divina nequeat habere pro specificativo formaliter tali aliquid extra Deum, bene tamen pro specificativo (ut sic loquamur) quod sit virtualiter tale. Et ita, si per impossibile posset specificari ab aliquo extra Deum, tunc haberet pro specificativo miseriam creatam, ut sublevandam. Et propterea prædicta miseria, et misericordia Dei sunt ita inter se connexæ, ut nequeat misericordia sub conceptu proprio expresso, et formali cognosci, quin aliquo modo concipiatur ibidem miseria creata, ut sublevabilis, tanquam materia, circa quam potest divina misericordia exerceri.

Quod idem de aliis attributis necessario connexis cum creaturis, tanquam cum propria materia *circa quam*, dicendum est. Et ideo omnipotentia, seu potentia

executiva Dei ad extra, potest, et debet habere pro specificativo extrinseco, non quidem formaliter, sed virtualiter tali, aliquid extrinsecum, scilicet creaturas, ut factibiles ab illa, quia istæ sunt propria materia, circa quam divina potentia debet versari : ac proinde nequit sub proprio, et expresso conceptu intelligi, eis non intellectis. Etsi per impossibile prædicta omnipotentia posset specificari ab aliquo extrinseco, tunc non haberet aliud extrinsecum specificativum, nisi omne creabile, ut executioni mandabile. Et propterea, tam in tract. de Visione Dei, quam in hoc dub. sæpius dicemus, ad rationem omnipotentiæ requiri, quod quasi per se primo respiciat, respectu non reali actuali adhuc transcendentali, sed respectu reali fundamentali, creaturas factibiles : quia ad hunc respectum eo modo, quo illas omnia respicit, tantum requiritur, quod habeat ipsas pro specificativo virtualiter tali.

Alia animadversio.

59 Secundo notandum est, quod licet plura ex divinis attributis possint, et debeant habere specificativum extrinsecum virtualiter in sensu explicato tale ; attamen divina essentia, ut præintellecta ad sua attributa, et proprietates, dicit ratione suæ eminentiæ tantam perfectionem supra omnia alia divina, ut nequeant habere pro specificativo adhuc virtualiter tali, aliquid extrinsecum.

Ratio animadversionis.

Et ratio est. Quoniam in iis, quæ solum virtualiter sunt specificabilia ab aliquo extrinseco, debet philosophari ad instar eorum, quæ possunt habere pro specificativo formaliter tali aliquid extrinsecum. Quare cum in creaturis, quibus non repugnat habere specificativum formaliter tale, ita res se habeant, ut licet proprietates, et attributa substantiæ creatæ, et completæ possint specificari ab aliquo extrinseco, seu ab aliquo existente extra prædictam substantiam, tanquam ab specificativo formaliter tali : non tamen ipsa quidditas, et essentia substantiæ completæ potest hoc modo specificari, vel ab aliquo extra illam existenti, vel ad aliud genus spectante, ut optime expendunt N. Complut. in lib. Physic. disput. 10. num. 23. fit inde, ut in iis, quæ solum virtualiter sunt specificabilia ab aliquo extrinseco, ut in divinis contingit, debeant etiam ita rationes formales divinæ esse dispositæ, ut licet attributa Dei possint specificari ab aliquo extrinseco, tanquam a specificativo virtuali ; non tamen ipsa essentia, et natura Dei sub conceptu præciso, et formali naturæ considerata : ex eo, quod est substantia summe completa, summeque perfecta, et ratione suæ summæ perfectionis excedens omnes rationes attributales in Deo repertas.

Confirmatio illius.

60 Confirmatur, et explicatur hæc ratio, simulque tacita quædam solutio evertitur. Quoniam licet habere aliquid extrinsecum pro specificativo virtuali, non dicat imperfectionem, dicit tamen non habere omnem excogitabilem perfectionem in ratione formalitatis absolutissimæ : ergo quamvis habere prædictum specificativum possit convenire attributis divinis, non tamen primæ, ac perfectissimæ formalitati Dei, scilicet suæ naturæ, sub conceptu talis consideratæ. Antecedens quoad priorem part. non indiget probatione : et propterea attributa divina, ut modo dicebamus, quæ sunt expertia totius imperfectionis, possunt habere aliquid extrinsecum pro specificativo virtuali. Quoad secundam vero part. etiam constat. Quoniam hoc, quod est formalitatem aliquam connexam cum aliquo extrinseco habere illud pro specificativo virtuali, non est habere omnem excogitabilem perfectionem in ratione formalitatis absolutissimæ : siquidem magis absoluta esset, majoremque perfectionem sub hoc conceptu diceret, si esset absoluta, et libera ab omni specificativo extrinseco, sive formali, sive virtuali.

Consequentia vero probatur. Nam cum linea naturæ divinæ, et aliæ lineæ attributorum habentium connexionem cum creaturis, sint lineæ formalitatum absolutarum ab specificativo extrinseco formaliter tali, et linea naturæ propter suam majorem perfectionem debeat esse adhuc magis absoluta, quam linea horum attributorum, oportet, ut licet conveniat cum illis in hoc, quod sit absoluta ab specificativo extrinseco eo formaliter tali, nihilominus superet illas in ratione formalitatis absolutissimæ in hoc, quod sit etiam absoluta ab specificativo non solum formali, sed etiam virtuali : siquidem habere *esse* ita absolutum addit summam perfectionem excogitabilem intra rationem, quasi genericam formalitatis absolutæ : et ita debet formalitati atomæ absolutæ, et omnium perfectissimæ, qualis est formalitas naturæ divinæ, convenire. Sicut licet tam essentia divina, quam attributa sint actus puri, prout actus purus

excludit

excludit omnem admixtionem potentialitatis, ex eo, quod non esse hoc modo actum purum dicit imperfectionem; nihilominus quia non esse ita actum purum, ut pertingat ad hoc, ut sit suum *esse* existentiæ absque distinctione virtuali, non dicit imperfectionem, licet esse hoc modo actum purum dicat omnem excogitabilem perfectionem, et puritatem intra lineam quasi genericam actus puri, propterea hic modus puritatis, et perfectionis intra hanc lineam non potest convenire attributis, ut ex dictis disput. 4. num. 29. et 30. et rursus a num. 36. usque ad num. 44. constat; potest tamen, et debet competere divinæ naturæ propter majorem perfectionem quasi genericam, quam intra hanc lineam actus puri debet habere.

Impugnatio prima.

61 Nec refert, si objicias. Tum, quod eadem ratione probaretur, essentiam divinam non esse necessario connexam cum creaturis possibilibus, siquidem debet esse formalitas absolutissima, et esset absolutior, si ita esset absoluta, ut nec connexionem necessariam cum aliquo extrinseco, scilicet cum creaturis possibilibus, haberet.

Secunda.

Tum etiam divinam naturam, ut talem, habere infallibilem et necessariam connexionem cum creaturis; siquidem est principium radicaliter saltim factivum earum, et si per impossibile non essent creaturæ possibiles, optime sequeretur a priori, Deum non habere naturam eo modo, quo illam habet : ergo divina natura habebit pro specificativo extrinseco, saltim virtuali, creaturas : quia ad hoc genus specificativi, liberi ab imperfectionibus, et non petentis realem habitudinem specificati ad specificativum, nihil aliud præter hanc connexionem videtur exigi.

Enodatio prima impugnationis.

Respondetur enim ad primam ex his impugnationibus negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, quod sicut ad summam simplicitatem, et unitatem Dei, eminentissimam tamen, et liberam ab imperfectionibus limitationis, non pertinet, quod ita sit unus, et simplicissimus, ut excludat distinctionem, et multiplicationem virtualem, alioqui non æquivaleret pluribus spectantibus ad distinctas lineas, et per consequens non esset Deus : ita ad hoc, ut natura divina sit absolutissima, non utcunque, sed cum summa eminentia, ac proinde cum summa fœcunditate, non requiritur, ut non habeat connexionem necessariam cum creaturis possibilibus, alioqui non esset summe fœcunda; sed quod habendo prædictam connexionem sortiatur eam cum modo adeo eminenti, ut cum illis nec tanquam cum specificativo formaliter, nec virtualiter tali comparetur.

Enodatio secunda.

62 Ad secundam impugnationem patet ex dictis, quod hoc, quod est formalitatem aliquam divinam habere pro specificativo virtualiter tali aliquid extrinsecum, non importat præcise; quod habeat connexionem cum illo; sed quod connexio illius extrinseci cum divina formalitate non sit cum ea tanquam cum remoto, fontalique principio, quod proinde eminentissimo modo inter omnes excogitabiles sit connexum cum prædicto extrinseco : siquidem modus iste connexionis exigit connexionem per modum formalitatis absolutionis, quam reliquæ aliquæ formalitates divinæ, quæ non sunt ita absolutæ, ut ab specificativo virtualiter tali absolvantur : et per consequens postulat connexionem cum illo extrinseco absolutam ab hoc, quod illud habeat pro specificativo virtualiter tali.

Ex quo etiam fit, quod prædicta connexio inducens, quod formalitas divina habent specificativum extrinsecum virtualiter tale, exigat, quod connexio illius extrinseci sit connexio cum divina formalitate, quæ sit talis conditionis, ut possit correspondere in creaturis, his formalitatibus, quæ habent pro specificativo formaliter tali aliquid creatum : et ita etiam exiget, ut illa formalitas divina nequeat sub expresso conceptu concipi quoad aliquid proprium ipsius quatenus talis, non concepto expresse illo extrinseco. Constat autem divinam essentiam non correspondere in creaturis formalitatibus habentibus pro specificativo formaliter tali aliquid extrinsecum, et posse a nobis concipi sub conceptu divinæ naturæ secundum aliquid proprium ipsius, ut talis, quin concipiamus expresse eam esse connexam cum creaturis. Et propterea posset optime quasi describi divina natura per hoc, quod sit suum *esse*, vel per hoc, quod sit sua intellectio, non habita expressa mentione creaturarum : cum tamen omnipotentia, v. g. aut misericordia non possit adhuc inadæquate concipi quoad ea, quæ sunt propria illius, ut est misericordia, quin ibi expresse involvantur creaturæ.

§ V.

Ex duabus fundamentis nuper jactis ratio secunda pro D. Thomæ sententia deducitur.

Ratio posterior assertionis.

63 His ergo suppositis, ratio ex D. Thoma desumpta, potest ad hanc formam reduci. Nam *intelligere* Dei est ipsum *esse*, et quidditas illius : ergo Deus causat omnia per suum *intelligere*, tanquam per principium pure radicale, non tanquam per principium proximum, seu potentiam immediate executivam : ergo potentia immediate executiva, per quam immediate concurrit, erit sua scientia, connotando voluntatem. Antecedens constat ex iis, quæ disput. 4. num. 43. diximus. Prima vero consequentia ex primo, et secundo notabili constat : quandoquidem potentia immediate executiva est de genere eorum, quæ habent aliquid extrinsecum pro objecto virtualiter specificativo illorum, et essentia divina, quippe perfectissima in ratione substantiæ, et naturæ completæ, nequit habere prædictum specificativum : et ita nequibit esse potentia immediate executiva : ac proinde solum influet per modum primordialis, et radicalis principii : de cujus ratione non est habere pro objecto specificativo aliquid extra se existens. Sicut neque in substantiis creatis, et completis est de ratione illarum respicere, tanquam specificativum formaliter tale, aliquid extrinsecum sive extra illam existens.

Secunda vero consequentia ex hac priori videtur sequi. Quoniam hoc ipso, quod *intelligere* Dei præcise habeat esse primum, et radicale principium respectu productionis creaturarum, atque adeo nequeat actu influere, quin superaddatur illi aliqua virtus proxima, et immediate executiva, oportet, ut munus hoc tribuatur scientiæ divinæ connotando voluntatem, seu scientiæ approbationis. Quoniam attributum hoc est valde proportionatum ad hoc munus exequendum : ex eo, quod sicut *intelligere* essentiale, continet intellectualiter, et intelligibiliter per modum primi, et fontalis principii omnes effectus creatos, ita scientia connotando voluntatem, continet intellectuali, et intelligibili modo eosdem effectus per modum proprietatis, et virtutis ejusdem intellectionis essentialis. Unde sicut calor, qui per modum proprietatis ignis continet non intellectuali modo calefactionem, quæ in igne eodem modo (quamvis tanquam in principio radicali, et primo) continetur, est valde proportionatus ad hoc, ut sit potentia immediate executiva illius; ita etiam in præsenti, proportione servata, philosophari debet.

Confirmatur prior.

64 Confirmatur, et explicatur ex eodem Sancto Doctore. Quoniam hoc ipso, quod *intelligere* constitutivum Dei, intellectuali, sive intelligibili modo, et præcise per modum principii radicalis contineat effectus creatos, oportet, ut potentia immediate executiva illorum sit aliquid habens se per modum proprietatis, et attributi Dei, et intellectuali, ac intelligibili modo eosdem immediate, et proxime continens : sed inter proprietates Dei, quæ intellectuali modo continent creaturas, solâ scientia approbationis est magis proportionata ad hoc munus præstandum : ergo ipsa, et non alia ex divinis proprietatibus, seu attributis erit potentia Dei immediate executiva ad extra. Consequentia videtur perspicua.

Major vero, quoad primam part. ex se constat : quandoquidem quidquid absolutum est in Deo, qualis est potentia immediate executiva, vel debet se habere per modum constitutivi divinæ essentiæ, vel per modum proprietatis, seu attributi : et ideo hoc ipso, quod essentia Dei tantum sit radicaliter, non vero immediate executiva creaturarum, oportet, ut potentia immediate executiva sit aliquod ex attributis. Quoad secundam vero part., nempe, quod intellectuali modo debeat creaturas continere, etiam liquet. Quoniam hoc petit proportio, quæ debet esse inter principium radicale operativum ad extra, et ejus virtutem proximam, et immediate executivam.

65 Minor vero inductione facta in virtutibus intellectualibus ad essentiam Dei subsecutis, quæ solæ possunt continere intellectuali modo creaturas, satis constabit. Etenim intelligentia, quæ est quasi habitus primorum principiorum, solum terminatur ad essentiam divinam secundum se, ut est quid per se notum ; non vero, ut ex ea possunt deduci creaturæ, quæ se habent (ut sic dicamus) ad instar conclusionum, ex essentia divina, tanquam ex principio deducbilium. Et ideo sicut ex vi illius non cognoscuntur creaturæ, ita neque ex vi ipsius possunt intellectuali modo contineri, aut produci : ac proinde, nec attributum hoc habet dimanare ab essentia divina, ut radicaliter continenti creaturas.

Sapientia

Sapientia vero non distinguitur adhuc virtualiter a scientia Dei, ut ex dictis disp. 1. num. 86. constat : et propterea in idem redit, quod scientia, vel quod sapientia sint proprietates continentes intelligibiliter proxime effectus creatos. Prudentia vero non versatur immediate circa factibilia, sed solum circa agibilia : ac proinde non erit proprietas Dei continens intelligibiliter immediate creaturas, quæ ad factibilia, non vero ad agibilia spectant, ut ex dictis disput. 1. num. 87. constat. Et tandem scientia, et ars ita inter se comparantur, ut licet utraque sit proprietas Dei continens intelligibiliter immediate factibilia, scilicet creaturas, nihilominus scientia convenit prius Deo, quam ars, etiamsi Deus consideretur, non solum, ut est radicaliter operativus ad extra, sed etiam secundum se : ex eo, quod in iis, quæ simul habent scientiam, et artem rei faciendæ, oportet, ut cognitio, quæ fit per artem, subsequatur ad cognitionem scientificam, per quam cognoscitur per suam causam tam res facienda, quam modus, quo facienda est : et propterea ars subordinatur scientiæ : non tamen e contra.

Unde licet utraque debeat influere, et exequi effectum, ex eo, quod intelligibiliter continet illum ; attamen scientia divina, quippe prior, influet, et exequetur illum per modum potentiæ immediate executivæ ; ars vero per modum virtutis, seu quasi habitus intellectualis, non tollentis a scientia rationem potentiæ immediate executricis : sicut nec influxus immediatus habituum intellectualium in creaturis, v. gr. in Angelis, non tollit a potentia executiva ad extra eis conveniente, scilicet a suo intellectu, quod in ratione potentiæ executivæ, et proximæ influat omnino immediate.

Posterior confirmatio Thom.

66 Confirmatur, et explicatur rursus ratione, quam insinuat Angelicus Doctor locis citatis, et infra quæst. 54. art. 5. quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam hoc ipso, quod *intelligere* primordiale Dei, ac proinde etiam intellectus, sit constitutivum naturæ divinæ, et secundum quod est *intelligere* exequatur per modum principii præcise radicalis productionem creaturarum, oportet, ut potentia immediate executiva illarum sit aliqua ex virtutibus intellectualibus aficientibus intellectum, vel voluntas ipsa, vel tandem aliqua ex virtutibus affectivis ad voluntatem spectantibus : at neque voluntas, neque aliqua ex virtutibus ad illam pertinentibus potest habere rationem potentiæ immediate executivæ : ergo ratio prædictæ potentiæ conveniet alicui ex virtutibus intellectualibus, scilicet scientiæ, seu sapientiæ, quæ est ipsamet scientia Dei absque aliqua distinctione virtuali. Major videtur certa. Quoniam natura pure intellectualis, qualis est natura divina, constituta per *intelligere* primordiale Dei, tantum potest habere duplex genus potentiarum, sive virtutum operativarum, scilicet eas, quæ pertinent ad intellectum, et illas, quæ ad voluntatem spectant : et propterea omnis ejus operatio clauditur sub intellectione et volitione.

Minor autem etiam constat. Quoniam hoc, quod est continere per modum virtutis proximæ totam latitudinem entis creati, indicat maximam, et supremam quandam perfectionem in virtute eam continente ; et propterea debet convenire alicui ex virtutibus, et attributis, ex genere suo perfectioribus : ergo cum voluntas, et ejus virtutes sint ex genere suo ignobiliores attributis, pertinentibus ad partem intellectivam, prout distinctam a parte affectiva naturæ intellectualis, fiet inde, ut neque voluntas, neque aliqua ex virtutibus affectivis possit habere rationem potentiæ immediate executivæ productionis creaturarum.

Ex quo etiam consequentia satis patet. Quoniam scientia, seu sapientia inter attributa spectantia ad partem intellectualem, ut distinctam ab affectiva, est attributum omnium nobilissimum, ut num. 54. dicebamus : et propterea habet objectum universalius, sive amplius, quam illa. Unde si cui ex virtutibus intellectualibus debet ratio potentiæ immediate executivæ, supremam illam perfectionem jam dictam importans, convenire, oportet, ut hæc sit scientia, seu (quod idem est) sapientia, quæ est altissima rerum cognitio attributalis, et per altissimas earum causas procedit.

§ VI.

Enodatio primi argumenti pro prima sententia adducti.

Ad primum quoad primum testimonium.

67 Ad primum ex duplici illo testimonio D. Thom. desumptum respondetur, S. Doctorem in priori ex illis solum voluisse, quod ejusdem effectus scientia

sit causa, ut dirigens, et voluntas, ut imperans, ac tandem potentia, ut exequens, et quod hæc in creaturis distinguantur secundum rem : in Deo vero omnia ista sint unum, id est, omnia ista simul sumpta constituant unum, et idem attributum, scilicet omnipotentiam, quæ importat scientiam in recto, et voluntatem in obliquo, seu (quod in idem redit) scientiam practicam Dei, ut habet efficacitatem respectu rerum scitarum.

Et propterea S. Doctor post verba relata in hoc testimonio, statim addit : *Sed hæc omnia in Deo unum sunt*, id est, constituunt unum, et idem attributum. Unde multoties apud Doctores principium integrum alicujus operationis solet connumerari cum iis, ex quibus coalescit : et diversus modus influendi, tam ipsi, quam iis, ex quibus consurgit tribui, non obstante, quod ea, ex quibus coalescit, si simul, et sub una, ac eadem collectione sumantur, sint unum, et idem, seu sint prædictum principium : et propterea de principio integro intellectionis, coalescente ex intellectu, et ex specie intelligibili, solet dici, quod intellectus influit in intellectionem per modum potentiæ, et fœminæ parturientis, et species per modum seminis virilis fœcundantis : et conjunctum illud coalescens ex intellectu, ac specie, per modum principii integri, et omnino completi : quod quidem peculiari jure potest dici, quod nominat rationem principii absolute, et simpliciter talis respectu intellectionis.

68 Diximus omnia hæc simul sumpta constituere unum et idem attributum, ut per hoc denotaremus, quod sicut materia distinguitur a forma substantiali, et rursus forma a materia, et nihilominus materia, et forma inter se unitæ, et simul sumptæ, constituunt unum, et idem ens naturale, quod non distinguitur ab eadem materia, forma, et unione in recto, et sub eadem collectione, ac simul acceptis, quamvis distinguatur a quolibet ex istis sigillatim sumpto, ut ex mente D. Thom. ostendunt N. Complut. in lib. Physic. disp. 6. num. 58. et 61. ita scientia in recto, et voluntas in obliquo, si simul, et sub eadem collectione sumantur, constituunt unum, et idem attributum omnipotentiæ, quod cum scientia practica absque virtuali distinctione identificatur ; cum tamen scientia ipsa sigillatim sumpta, distinguatur virtualiter a voluntate, et voluntas ad eadem scientia.

69 Et deinde ad secundum testimonium dicendum est Angelicum Doctorem in solutione illa ad quartum duplici via prædicto argumento occurrisse. Primo quidem (in qua continentur verba in hoc testimonio relata) quod scientia Dei, ut dirigens, et voluntas, ut imperans, ac tandem potentia, ut exequens id, ad quod illa dirigit, et hæc imperat, non distinguuntur secundum rem, quamvis distinguantur secundum rationem, id est, secundum rationem ratiocinatam, sive virtualiter. Et juxta hunc dicendi modum, scientia, formaliter loquendo, præcise sistit in cognitione, et directione in ordine ad productionem effectus : non tamen ratione sui, adhuc connotando voluntatem, illum exequitur. Ad secundum testimonium.

Secunda vero, quod scientia, vel voluntas divina, ut habet efficacitatem ad productionem creaturæ volitæ, est formalissime loquendo, ipsa Dei potentia. Et ideo Sanctus Doctor post verba in hoc testimonio adducta, statim addidit : *Vel dicendum, quod ipsa scientia, vel voluntas divina, secundum quod est principium effectivum, habet rationem potentiæ.*

Ex his autem duabus viis hanc posteriorem, relicta priori, nos seligimus : quia, ut bene notavit Alvarez loco citato, per hanc ultimam, ultimo loco traditam, correxit Sanctus Doctor quodammodo priorem; quippe quæ non ita cum principiis suæ doctrinæ cohærebat : quandoquidem, ut constat ex iis, quæ infra quæst. 54. art. 5. docet, in natura pure intellectuali, qualis est divina, non potest dari potentia, quæ non pertineat ad partem intellectivam : atque adeo, quæ non sit intellectus, vel virtus aliqua illius, vel tandem voluntas. Et licet D. Thom. in hac secunda solutione non determinaverit, an scientia connotando voluntatem, an vero voluntas ipsa connotando scientiam (unam enim sine alia certum est nihil posse exequi) habeant rationem potentiæ; nihilominus nos determinate asserimus, scientiam, connotando voluntatem, esse formaliter ipsam Dei potentiam, ita ut inter utramque nulla sit distinctio virtualis : quia hanc esse Sancti Doctoris mentem, satis ex aliis locis a nobis relatis constat. Nec vitio (ut id obiter dicamus) imputari debet D. Thomæ, quod solutionem quandam,

dam, suæ doctrinæ non ita consonam, tradiderit : quia id apud omnes Doctores est satis usitatum, quoties duplici via, eaque inter se opposita, argumento occurritur, ut in præsenti contingit.

Additamentum.

70 Addendum tamen pro majori hujus secundi testimonii explicatione, probabilius esse D. Thomam in illo non velle, quod scientia, et voluntas simul sumptæ ; illa quidem in recto, et hæc in obliquo, distinguantur secundum rationem, id est secundum rationem ratiocinatam, sive virtualiter, a potentia executiva ; sed secundum rationem, hoc est, secundum rationem ratiocinantem, sive ex parte nostri modi concipiendi, et significandi ; ex eo, quod scientia, et voluntas modo dicto sumptæ, seu scientia practica Dei ratione suæ eminentiæ exequitur intra suam lineam omnia illa munera. Nam secundum quod involvit voluntatem, imperat, seu applicat : et secundum quod modo sibi proprio attingit rem faciendam, et modum faciendi, dirigit ; ac tandem secundum quod imperat per imperium proprie dictum, quod est actus intellectus, et scientiæ, habet exequi id, ad quod ipsamet dirigit, et voluntas (latius de imperio loquendo) imperat ; seu (quod in idem quoad præsens redit) applicat. Et ita potentia exequitur id, ad quod ipsa ratione voluntatis in suo conspectu importatæ applicuit, et in ordine ad quod ipsamet ratione muneris dirigendi, dirigit.

Tacitæ objectioni occurritur.

71 Unde secunda solutio, quam S. Doct. statim tradit (ut sic objectio quædam tacita, quæ hic fieri poterat, maneat soluta) non differt a prima in hoc, quod juxta priorem, potentia distinguitur virtualiter a scientia, et voluntate, secus vero juxta posteriorem ; sed in hoc, quod juxta priorem tribuitur scientiæ, et voluntati : illi quidem in recto, utpote primo loco positæ ; huic vero in obliquo, et minus principaliter, utpote secundo loco adductæ, ratio potentiæ executivæ : quia utraque in recto, et ex æquo non poterat unum, et idem attributum constituere, ut ex se constat. In secunda vero non conceditur determinate scientiæ, id est, scientiæ connotanti voluntatem, vel e contra voluntati connotanti scientiam, ratio potentiæ executivæ ; sed uni, vel alteri, non dicidendo cuinam præ alia hoc competat. Non quidem quia D. Thom. non sentiat, scientiam in recto, et voluntatem in obliquo habere rationem potentiæ executivæ ; sed quia ad solutionem illius quarti argumenti, quod solvere volebat, id non desiderabatur. Nam in argumento prædicto tantum sibi objecit S. Doctor : *Quod scientia Dei, et voluntas sunt causa rerum, causa autem, et principium idem sunt : ergo non oportet in Deo assignare potentiam, sed solum scientiam, et voluntatem.* Constat autem, quod ad solutionem hujus argumenti satis erat respondere : quod potentia, seu omnipotentia in Deo, idem est ac scientia, vel voluntas modo dicto, id est, vel scientia connotando voluntatem, vel voluntas connotando scientiam. Et ideo ex hoc, quod scientia, et voluntas sint causa rerum, non tollitur, sed potius ponitur, quod debeat dari in Deo potentia.

§ VII.

Solutio aliorum argumentorum primæ sententiæ.

Ad secundum principale.

72 Ad secundum negandum est antecedens intellectum de scientia practica, de qua in præsenti loquimur. Et ad probationem dicendum est, scientiam practicam Dei ratione suæ eminentiæ præstare duplex illud munus, ex parte solius modi significandi distinctum, scilicet dirigendi, et exequendi opus, in ordine ad quod dirigit : et ita solum ex parte modi significandi, et concipiendi ; non vero ex parte rei conceptæ, sive virtualiter distinguitur a potentia executiva, quæ sub hoc præciso conceptu, et ut modo dicto distinguitur a scientia practica secundum prius illud munus, tantum dicit eandem scientiam, ut executivam per suum imperium, illius effectus, in ordine ad quem dirigit.

Ad primam confirmationem.

Ex quo ad primam confirmationem satis patet. Quoniam objectum primarium scientiæ practicæ Dei, et omnipotentiæ, seu potentiæ executivæ, est unum, et idem, scilicet ipsa Deitas, ut est ratio faciendi creaturas quamvis prædictum objectum non denominetur factum, nec sit factibile ; sed solum objectum secundarium, scilicet creaturæ. Nam sicut ad hoc, ut divina bonitas sit objectum primarium voluntatis Dei, et amoris charitatis, quo diligit creaturas rationales, et producit illas in ordine ad finem supernaturalem, non est necesse, ut divina bonitas sit

facta, aut factibilis, sed satis est, eam diligi, ut objectum primarium *quod*, et ut rationem diligendi prædictas creaturas, et hæ solummodo denominantur, et sunt factibiles, ita ad hoc, ut essentia Dei, quatenus est ratio faciendi creaturas, sit objectum primarium divinæ omnipotentiæ, non requiritur, ut ipsa sit factibilis, sed quod per scientiam practicam, ut habet rationem potentiæ executivæ, intelligatur, tanquam objectum primarium illius, et ut ratio faciendi creaturas : ac proinde, quod creaturæ solummodo denominentur, et sint factæ, vel factibiles.

Ad secundum. Per quod etiam ad secundam confirmationem constat. Quoniam, tam scientia practica, quam potentia executiva versantur modo dicto circa Deum, et creaturas. Et ideo sicut voluntas amando divinam bonitatem transit, modo sibi proprio, et jam insinuato, ad productionem creaturarum : ita etiam scientia attingendo divinam essentiam, ut est ratio producendi creaturas, transit, seu extenditur ad exequendas, et producendas creaturas in eadem essentia scitas.

Ad tertium. 73 Ad tertium respondetur, actualem executionem, prout dicit temporalem productionem creaturarum, non esse actum correspondentem potentiæ executivæ Dei, ita ut sit ipsum actuale *producere* ex parte Dei se tenens, ut optime notavit Angelicus Doctor, 1. part. quæst. 25. art. 1. ad 2. et 3. sed tantum esse passivam productionem earundem creaturarum : ac proinde computari inter effectus divinæ omnipotentiæ consistentis in ipso purissimo actu sciendi, prout solum virtualiter est transiens, et formaliter, atque ab æterno est immanens in Deo, et juxta præscriptum divinæ voluntatis habet ratione suæ eminentiæ inferre productionem passivam, et temporalem creaturarum, quamvis ipse sit ab æterno.

Cæterum cum hoc stat, ut actualis, et activa productio creaturarum (non quidem adæquate sumpta, sed secundum actualitatem, quam dicit ex parte Dei, scilicet actualitatem divinæ scientiæ requisitam ad hoc, ut quantum est ex parte actualitatis, nihil desit, quominus sit in actu secundo causans) semper, et necessario conveniat Deo, licet non semper ob sui eminentiam, sed juxta præscriptum divinæ voluntatis, connotet productionem passivam, et temporalem earundem creaturarum : et propterea non denominetur absolute, et simpliciter actualis productio ipsarum. Hinc autem non sequitur, prædictam actualitatem productionis activæ, secundum id, quod in Deo ponit, et *scire* divinum distingui virtualiter ; sed quod idemmet *scire* habet diversa connotata inadæquata, et quod ut præcise est *scire* creaturarum secundum suam quidditatem, connotat solum easdem creaturas, ut possibiles, ut vero est *scire* præcise illarum, ut existentium in aliqua differentia temporis, connotat eas, ut futuras in tempore, et existentes in æternitate : ut autem est actualis productio activa ipsarum, habet connotare passivam earum productionem in tempore, ita ut licet tota actualitas illius productionis activæ, prout se tenet ex parte Dei, sit ab æterno, non tamen denominetur actualis productio earum, nisi in tempore : quia hæc denominatio requirit prædictam connotationem temporalem earum : ac tandem ut dicit actualitatem requisitam ex parte sua ad hoc, ut ab æterno eas causarêt, si ita divina voluntas id disponeret, dicit eandem divinam scientiam connotando actualitatem divinæ voluntatis. Per quod etiam ad confirmationem satis patet.

Ad quartu 74 Ad quartum respondetur, antecedens posse satis probabiliter concedi in via D. Thom. ut optime notarunt N. Complut. in. lib. de Anima disp. 7. num. 28. sed neganda est consequentia. Et ad probationem concedendum est antecedens, si intelligatur de iis, quæ in creaturis realiter distinguuntur, ita ut ex se habeant pertinere ad distinctam lineam ; secus vero si ad eandem lineam spectaverint, et ratione imperfectionis creaturarum, et modi pertinendi limitate ad illam lineam distinguantur realiter : et propterea licet volitio, et voluntas in creaturis realiter distinguantur ; non tamen in Deo sunt virtualiter diversæ : quia utraque pertinent ad eandem lineam. Unde quia ratio scientiæ, et potentiæ executricis pertinet ad eandem lineam scientiæ practicæ, ut ostensum est, nequit ex eo, quod hæc duo in creaturis distinguantur realiter, colligi, quod translata ad Deum debeant virtualiter differre, sed solum, quod in eadem simplicissima formalitate scientiæ practicæ sit utrumque munus dirigendi, et exequendi.

Ali solut quar Secundo respondetur, probabilius esse in via S. Doctoris, quod potentia executiva correspondens nobis, quatenus rationalibus, non

non distinguatur realiter ab intellectu, et voluntate, ut fuse explicant N. Complut. disp. citata num. 29. et sequentibus. Et ad probationem respondetur cum eisdem Complut. potentiam illam residentem in membris externis, defectu cujus multoties non possunt moveri per imperium intellectus, non esse potentiam executivam activam, sed passivam reddentem membra facile mobilia ab intellectu, et voluntate : sicut etiam in brutis prædicta potentia non est immediatum principium executivum, et activum motus, sed passivum : quia principium immediate activum eorum est sensus aliquis cognoscitivus internus, ut phantasia, vel imaginatio, connotando tamen appetitum sensitivum.

Ad quintum.

75 Ad quintum negandum est antecedens. Et ad primam probationem respondetur, S. Doctorem solum loqui de ratione primordiali, et radicali agendi ad extra. Nam hæc tantum est divina natura ; non vero aliquod ejus attributum. Ad secundam vero probationem concedendum est antecedens, intellectum de distinctione reali inter essentiam creatam, et ejus potentiam executivam. Nam hæc provenit ex imperfectione, et limitatione creaturarum. Unde hæc distinctio non est ponenda in Deo ; bene tamen distinctio virtualis inter suam essentiam, et omnipotentiam. Quoniam hæc potius provenit ex summa perfectione divinæ essentiæ supra omnes alias formalitates divinas, ut explicatum est. Et hoc modo (ut id obiter dicamus) intelligendum est id, quod N. Complut. docent in lib. Physic. disp. 10. num. 28. ut ipsimet, nobis consulentibus responderunt. Et ita sumunt realem identificationem omnimodam, prout opponitur identificationi admittenti aliquid distinctionis ex natura rei, sive formalis secluso intellectu ; non vero ut opponitur identificationi admittenti distinctionem virtualem ; quia ad rem, de qua ibi agebatur, id satis erat. Quare negandum est id, quod ibidem additur, scilicet, posse operari ad extra absque additione alicujus formalitatis virtualiter distinctæ, esse perfectiorem operandi modum. Nam eo ipso ejus essentia non esset ita perfecta, ut secundum se esset incapax, ad hoc, ut haberet pro specificativo virtualiter tali aliquid extrinsecum, ut ex dictis, a num. 58. usque ad 64. constat.

Ad ultimam probationem concedenda est major, et neganda minor, si intelligatur de *operari*, quod est idem formalissime, ac *scire practice*. Nam *scire* istud distinguitur virtualiter ab *esse*, seu existentia, per quam divina essentia existit; secus vero si intelligatur de *operari*, secundum quod dicit *intelligere* essentiale, et constitutivum Dei. Nam prædictum *esse*, et *operari* identificantur absque distinctione virtuali inter se : et propterea licet in Deo vis ad intelligendum, et existendum nequeant virtualiter distingui, bene tamen vis radicalis ad producendum creaturas, et vis proxima illas exequens.

Ad primam confirmationem.

76 Ad primam confirmationem respondetur, quod si loquamur de ratione agendi ad extra, et radicali, Deus agit, quia est infinitus in ratione entis : quandoquidem agit per suum *intelligere* essentiale, et constitutivum, quod non distinguitur virtualiter a ratione entis per essentiam, ut disp. 4. num. 54. et deinceps explicuimus. Si vero loquamur de ratione agendi proxima, tunc agit ad extra, quatenus est infinitus in ratione scientis practice, ita tamen, ut per modum transcendentis imbibatur in hoc attributo, et juxta modum illius tota ratio entis per essentiam. Nam scientia ista sciuntur practice omnia factibilia, et ratione suæ eminentiæ habet imperium efficax, ratione cujus ad extra executioni mandantur.

Ratio autem, ob quam hic diversus infinitatis modus desideratur ad agendum ad extra per modum principii radicalis, vel proximi, est : quia agere per modum principii radicalis, est agere independenter ab alio, non solum tanquam a causa, sed etiam tanquam a ratione a priori, et fontali : hic autem est nobilior operandi modus, qui solum potest convenire divinæ naturæ, et ita exprimit majorem infinitatem, et meliorem modum eam habendi, quam agere per modum principii proximi : atque adeo dependenter ab alio, ut a prima, et fontali ratione a priori, ut in omnipotentia, seu scientia practica contingit. Quæ etsi non pendeat ab alio, ut a causa, et ideo possit esse infinita in ratione scientiæ, et imbibere juxta modum suum totam rationem entis, non tanquam ejus rationem differentialem, sed per modum transcendentis; attamen pendet, aut quasi pendet ab alio, ut a prima, et fontali ratione a priori, et radice ipsius, scilicet ab essentia divina ; et ita quantum est ex vi suæ lineæ, et secundum id, quod a se habet, non dicit infinitatem ita perfectam,

sicut principium radicale, et fontale agendi ad extra.

Ad secundam confirmationem.

77 Ad secundam confirmationem dicendum est, Deum non esse omnipotentem, eo quod sciat omnia : nec scire illa, quia est omnipotens, si ly *quia* utrobique reddat rationem a priori formaliter talem, et virtualiter distinctam : secus tamen si tantum indicet rationem a priori æquivalenter talem, juxta ea, quæ in præcedentibus diximus, seu si tantum dicat distincta munera ejusdem attributi, habentia ex parte nostri modi concipiendi, et significandi aliquem quasi ordinem. Unde ex parte nostri modi concipiendi prius concipitur a nobis Deus, ut sciens speculative, quam practice, et rursus prius, ut sciens practice secundum munus dirigendi, quam secundum munus exequendi : ita tamen, ut facta collatione inter Deum ut scientem, et ut habentem vim ad exequendum, tunc hæc prioritas non sit adhuc ex parte nostri modi concipiendi, prioritas *in quo*, sed solum *a quo*, quoties intellectus noster, non solum cognoscit, Deum scire creaturas, sed etiam modum, quo illas scit. Quia Deus in se ipso, ut omnipotente, seu in sua scientia, ut habente vim ad exequendum creaturas, habet scientiam illarum : et ita si cognoscitur a nobis modus, quo cognoscit creaturas, debet concipi sua omnipotentia, et vis exequendi. Sicut ipsemet, ut per intellectionem essentialem, seu constitutivam sui in *esse* Dei, intelligit creaturas, potest considerari, ut percipiens illas in sua essentia, ut in principio primordiali, et radicali earum ; atque adeo ut intelligens eas in suo *intelligere* constitutivo ipsius : tuncque solum ex parte nostri modi concipiendi, est prioritas inter hæc munera, et hæc prioritas adhuc ex parte ejusdem modi concipiendi, non est *in quo*, sed *a quo*, si modus, quo Deus habet, secundum hanc considerationem, notitiam creaturarum, concipiatur.

Ex quo ad probationem antecedentis satis constat, quomodo ad hoc, ut Deus sciendo se, et suam potentiam, sciat creaturas possibiles, non est necesse, ut scientia sui, et sua omnipotentia distinguantur virtualiter. Sicut ad hoc, ut intelligendo suam essentiam per *intelligere* constitutivum illius, intelligat creaturas, non requiritur, ut prædictum *intelligere*, et sua essentia, ut est id, in quo illas percipit, distinguantur virtualiter ; sed sufficit distinctio ex parte nostri modi concipiendi, et significandi, seu tanta eminentia, ut æquivaleat pluribus ad eandem lineam pertinentibus, ut ex dictis disp. 4. num. 75. constat.

Ad illud autem, quod ibidem additur, scilicet, quod sicut sola divina essentia unitur cum intellectu Dei in ratione speciei intelligibilis, ita in sola ipsa possunt creaturæ cognosci, dicendum est, quod licet sola essentia habeat rationem speciei intelligibilis ; attamen repræsentat omnia divina, non minus, quam si se ipsis unirentur in ratione speciei intelligibilis : et ideo semel repræsentata per illam divina scientia practica, seu omnipotentia, poterunt, modo alibi tacto, et tangendo, in ipsa cognita, sive scita, cognosci, et sciri creaturæ.

Ad ultimam confirmationem.

78 Ad ultimam confirmationem, concedendum est antecedens cum D. Thom. et nostris Complutensibus loco citato, sed neganda est consequentia. Et ratio disparitatis constat ex dictis. Quia intellectus Angelicus hoc ipso, quod non sit de essentia Angeli, sed proprietas ejus, potest habere id, quod ad rationem potentiæ executivæ creatæ, inter alia desideratur, scilicet respicere aliquid extrinsecum, tanquam id, quod aliquo modo illam specificat : at intellectus Dei hoc ipso, quod sit de essentia illius, nequit respicere aliquid extrinsecum, ita ut habeat illud pro specificativo virtualiter tali : quod tamen ad rationem potentiæ executricis divinæ requiritur, ut explicatum est.

Quare hinc non sequitur, ut confirmatio hæc intendit, quod intellectus Angelicus sit perfectior in suo ordine, quam divinus in suo, ut ex dictis disp. 3. num. 43. patet. Nam, quod intellectus Angelicus sit potentia immediate executrix, non vero essentia Angeli, aut aliquid ad illam intrinsece, et essentialiter pertinens, non oritur ex perfectione, quatenus tali, sed ex imperfectione ejus collati cum essentia, scilicet ex eo, quod est quid specificabile ab aliquo extrinseco, quod tamen non convenit essentiæ : et propterea hinc non sequitur, intellectum Angelicum esse perfectiorem in suo ordine, quam divinum in suo.

Potestque hoc explicari exemplo loco citato adducto misericordiæ, v. g. divinæ : quæ licet non afferat ex se propriam existentiam, ut tomo 2. in tractatu de Trinitate dicemus ; sed existat per existentiam divinæ essentiæ : et misericordia creata propriam existentiam ex se habeat : nihilominus non ideo misericordia creata est perfectior

fectior in suo ordine, quam divina in suo : quamvis habere propriam existentiam dicat aliquid perfectionis. Nam hoc non convenit misericordiæ creatæ ex perfectione quatenus tali, sed ut involuta cum imperfectione, ut disp. 4. hujus tract. num. 7. et deinceps explicuimus.

Objectio notanda.

79 Nec refert, si contra ea, quæ in solutione omnium fere argumentorum contrariæ sententiæ diximus, objicias, quod scientia practica non distinguitur virtualiter a scientia speculativa : ergo si illa est potentia immediate executiva creaturarum, etiam ista : quod tamen dici nequit : quandoquidem scientia speculativa non transit ad exequendum opus.

Diluitur.

Respondetur enim concedendo antecedens , et similiter consequentiam, si loquamur de scientia speculativa Dei ex parte rei conceptæ, et secundum id, quod adæquate intra propriam lineam, quæ est eadem cum linea scientiæ practicæ, importat : non tamen si fiat sermo de ea ex parte nostri modi concipiendi, et significandi, et quatenus præcise concipitur a nobis, ut exercet munus inadæquatum speculandi, et æquivalet tantum scientiæ pure speculativæ. Et ad probationem dicendum est, quod licet scientia, quæ tantum est speculativa, non transeat ad opus ; attamen illa, quæ formaliter eminenter simul est speculativa, et practica, habet transire ad opus , ad minus dirigendo, et saltim si fuerit summe eminens, transit ad opus, immediate illud exequendo.

Exemplum valde ad rem.

80 Explicantur magis hæc exemplo intellectus Angelici, qui, ut optime docent N. Complut. in lib. de Anima disp. 19. num. 21. non distinguitur virtualiter, seu ex parte rei conceptæ in ratione practici, et speculativi, sed idemmet intellectus habet utrumque munus speculandi, et practicandi ; imo et munus potentiæ immediate executivæ, ut colligitur ex iis , quæ iidem Patres in prælictis libris disp. 7. num. 29. docent : et propterea ex parte rei conceptæ, non habet distincta connotata adæquata, sed inadæquata, et insufficientia ad refundendam in eo aliquo modo distinctionem virtualem, qualia sunt, quod respectu aliquorum actuum connotet voluntatem, et respectu aliorum illam non connotet.

Cæterum cum hoc stat, quod secundum prælicta munera distinguatur ex parte nostri modi concipiendi, et significandi, quatenus unico conceptu concipimus ipsum, ut speculativum, nihil ex parte nostra concipiendo de eodem, ut practico, vel immediate executivo effectuum externorum : et quod prout præcise concipitur, ut habens munus speculandi, et æquivalens facultatibus præcise speculativis non concipiatur quantum est ex parte nostri conceptus, ut practicus, vel immediate executivus, nisi secundum quod intelligitur, ut habens alia munera , et ut æquivalens viribus practicis, et immediate executricibus. Et ita si præcise haberet ex parte rei conceptæ id, quod tunc secundum hoc munus expresse concipitur, seu id, quod quantum est ex parte nostri modi concipiendi, tunc de eo concipitur, non esset practicus, nec immediate executivus effectuum externorum qui ab Angelo fiunt : ac proinde hæc est, falsa : *Intellectus secundum illud, quod præcise exprimit ex vi conceptus, quo concipitur, ut speculativus, seu secundum id, quod habet quantum est ex parte illius conceptus nostri, quo eum concipimus, ut speculativum, habet esse practicum :* quia licet re ipsa ex parte rei conceptæ, ac sine virtuali distinctione, sit practicus, non tamen ex vi illius muneris expressi, sed alterius impliciti, quod ex parte rei conceptæ habet : ita ergo in præsenti, proportione servata, philosophandum est.

ARTICULUS IX.

Utrum Deus habeat scientiam non entium ?

1 Ad nonum sic proceditur. Videtur, quod Deus non habeat scientiam, nisi entium. Scientia enim Dei non est nisi verorum : sed verum, et ens convertuntur : ergo scientia Dei non est non entium.

2 Præterea, scientia requirit similitudinem inter scientem et scitum : sed ea, quæ non sunt, non possunt habere aliquam similitudinem ad Deum, qui est ipsum esse : ergo ea, quæ non sunt, non possunt sciri a Deo.

3 Præterea, scientia Dei est causa scitorum ab ipso : sed non est causa non entium, quia non ens non habet causam : ergo Deus non habet scientiam de non entibus.

Sed contra est, quod dicit Apostolus ad Roman. 4. *Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.*

Respondeo dicendum, quod Deus scit omnia quæcunque sunt quocunque modo. Nihil autem prohibet ea, quæ non sunt simpliciter, aliquo modo esse. Simpliciter enim sunt, quæ actu sunt. Ea vero, quæ non sunt actu, sunt in potentia vel ipsius Dei, vel creaturæ : sive in potentia activa, sive in passiva : sive in potentia opinandi, vel imaginandi : vel quocunque modo significandi. Quæcunque igitur possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, et etiam quæcunque ipse facere potest, omnia cognoscit Deus, etiamsi actu non sint. Et pro tanto dici potest, quod habet etiam non entium scientiam. Sed horum, quæ actu non sunt, est attendenda quædam diversitas. Quædam enim licet non sint nunc in actu, tamen vel fuerunt, vel erunt : et omnia ista dicitur Deus scire scientia visionis. Quia cum intelligere Dei, quod est ejus esse, æternitate mensuretur, quæ sine successione existens totum tempus comprehendit, præsens intuitus Dei fertur in totum tempus, et

in omnia, quæ sunt in quocunque tempore, sicut in subjecta sibi præsentialiter.

Quædam vero sunt, quæ sunt in potentia Dei, vel creaturæ, quæ tamen nec sunt, nec erunt, neque fuerunt. Et respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ. Quod ideo dicitur, quia ea, quæ videntur apud nos, habent esse distinctum extra videntem.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum, quod sunt in potentia, sic habent veritatem ea, quæ non sunt actu, verum est enim ea esse in potentia : et sic sciuntur a Deo.

Ad secundum dicendum, quod cum Deus sit ipsum esse, in tantum unumquodque est, in quantum participat de Dei similitudine : sicut unumquodque in tantum est calidum, in quantum participat calorem. Sic et ea, quæ sunt in potentia, etiamsi non sunt in actu, cognoscuntur a Deo.

Ad tertium dicendum, quod Dei scientia est causa rerum voluntate adjuncta. Unde non oportet, quod quæcunque scit Deus, sint, vel fuerint, vel futura sint, sed solum ea, quæ vult esse, vel permittit esse. Et iterum. Non est in scientia Dei, ut illa sint, sed quod esse possint.

Conclusio est affirmativa.

Circa hunc articulum solet inquiri, an entia rationis ab intellectu divino cognoscantur, et fiant? sed quia quæstionem hanc optime discutit, et explicat noster Didacus a Jesu in sua Logica disputat. 3. quæst. 3. nec aliquid aliud præter ea, quæ ibidem dicuntur, occurrit dicendum; ideo a discussione hujus quæstionis in præsenti abstinemus, commendantes, ut quæ ibidem dicuntur, accurate videantur.

ARTICULUS X.

Utrum Deus cognoscat mala?

1 Ad decimum sic proceditur. Videtur, quod Deus non cognoscat mala. Dicit enim Philosophus in 3. de Anima, quod intellectus, qui non est in potentia, non cognoscit privationem : sed malum est privatio boni, ut dicit Augustinus. Igitur cum intellectus Dei nunquam sit in potentia, sed semper in actu (ut ex dictis patet) videtur, quod Deus non cognoscat mala.

2 Præterea, omnis scientia vel est causa sciti, vel causatur ab eo : sed scientia Dei non est causa mali, nec causatur a malo : ergo scientia Dei non est malorum.

3 Præterea, omne, quod cognoscitur, cognoscitur per suam similitudinem, vel per suum oppositum. Quidquid autem cognoscit Deus, cognoscit per suam essentiam, ut ex dictis patet. Divina autem essentia neque est similitudo mali, neque ei malum opponitur. Divinæ enim essentiæ nihil est contrarium, ut dicit August. 12. de Civitat. Dei : ergo Deus non cognoscit mala.

4 Præterea, quod cognoscitur non per se ipsum, sed per aliud, imperfecte cognoscitur : sed malum non cognoscitur a Deo per se ipsum; quia sic oporteret, quod malum esset in Deo. Oportet enim cognitum esse in cognoscente. Si ergo cognoscitur per aliud, scilicet per bonum, imperfecte cognoscetur ab ipso. Quod est impossibile : quia nulla cognitio Dei est imperfecta : ergo scientia Dei non est malorum.

Sed contra est, quod dicitur Proverb. 15. *Infernus, et perditio coram Deo.*

Respondeo dicendum, quod quicunque perfecte cognoscit aliquid, oportet, quod cognoscat omnia, quæ possunt illi accidere. Sunt autem quædam bona, quibus accidere potest, ut per mala corrumpantur. Unde Deus non perfecte cognosceret bona, nisi etiam cognosceret mala. Sic autem est cognoscibile unumquodque, secundum quod est : unde cum hoc sit esse mali, quod est privatio boni, per hoc ipsum, quod Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala, sicut per lucem cognoscuntur tenebræ. Unde dicit Dionys. 7. cap. de div. nom. quod Deus per semetipsum tenebrarum accipit visionem, non aliunde videns tenebras, quam a lumine.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Philosophi est sic intelligendum, quod intellectus, qui non est in potentia, non cognoscit privationem per privationem in ipso existentem. Et hoc congruit cum eo, quod supra dixerat, quod punctum, et omne indivisibile per privationem divisionis cognoscitur. Quod contingit ex hoc, quia formæ simplices, et indivisibiles non sunt actu in intellectu nostro; sed in potentia tantum. Nam si essent actu in intellectu nostro, non per privationem cognoscerentur. Et sic cognoscuntur simplicia a substantiis separatis. Deus igitur non cognoscit malum per privationem in se existentem, sed per bonum oppositum.

Ad secundum dicendum, quod scientia Dei non est causa mali, sed est causa boni, per quod cognoscitur malum.

Ad tertium dicendum, quod licet malum non opponatur essentiæ divinæ, quæ non est corruptibilis per malum; opponitur tamen effectibus Dei, quos per essentiam suam cognoscit : et eos cognoscens, mala opposita cognoscit.

Ad quartum dicendum, quod cognoscere aliquid per aliud, tantum est imperfectæ cognitionis, si illud sit cognoscibile per se. Sed malum non est per se cognoscibile : quia de ratione mali est, quod sit privatio boni. Et sic nec diffiniri, neque cognosci potest, nisi per bonum.

Prima conclusio est affirmativa.

Secunda conclusio : Deus cognoscit mala per bona.

DISPUTATIO VI.

De scientia Dei collata cum malis.

Quia D. Thom. de duobus in hoc art. agit, primo de *an est* divinæ scientiæ collatæ cum malis, id est, an illa cognoscat? secundo vero, quonam modo ad illa terminetur, propterea utrumque in hac disput. conjungemus.

DUBIUM I.

An Deus cognoscat mala?

Decisio hujus dubii brevis, et facilis est, quamvis non desint rationes dubitandi, quæ suadere videntur, non esse in Deo scientiam malorum.

§ I.

Rationes dubitandi.

1 Prima dubitandi ratio desumitur ex sacra Scriptura. Nam Habacuch. 1. de Deo dicitur : *Mundi sunt oculi tui, ad iniquitatem respicere non poteris.* Et Jeremiæ 19. dicitur de aliquibus peccatis, quod non ascenderunt in cor Dei.

Et confirmatur ex Origen. qui Psalm. 33. homil. 3. et 4. in Genesi, et ad Roman. 8. super illud : *Scimus quoniam diligentibus Deum, etc.* ait, quod secundum Scripturæ consuetudinem, Deus non dicitur scire mala, sed bona.

2 Secunda. Quoniam objectum divini intellectus est bonum, non quidem qualecunque,

lecunque, id est, secundum æstimationem tantum, sed vere bonum, licet non sub ratione boni, sed veri : ergo non potest ferri in mala, quæ tantum secundum æstimationem sunt bona. Patet consequentia : quia nulla potentia potest ferri extra suum objectum adæquatum.

§ II.

Veritas Catholica.

Assertio D. Thom.

3 Dicendum tamen est, Deum cognoscere mala sive culpæ, sive pœnæ. Hæc est de fide : et eam probat D. Thom. in præsenti ex illo Proverb. 15. *Infernus, et perditio coram Domino*, et 2. contra Gent. ex illo Psal. 68. *Delicta mea a te non sunt abscondita*, et Job 11. dicitur : *Ipse novit hominum vanitatem, et videns iniquitatem nonne considerat?* Unde assertionem hanc communiter tuentur omnes Patres et Theologi.

4 Probatur primo ratione D. Thom. ex 1. cont. Gent. cap. 71. quam ipse his verbis adducit : *Verum est bonum intellectus : ex hoc enim aliquis intellectus dicitur bonus, quod verum cognoscit : verum autem non solum est bonum esse bonum, sed etiam malum esse malum : sicut enim verum est esse, quod est; ita verum est non esse, quod non est : bonum igitur intellectus, etiam in cognitione mali consistit : sed cum divinus intellectus sit perfectus bonitate, non potest illi deesse aliqua intellectualium perfectionum : adest igitur illi malorum cognitio.*

Corroboratur.

5 Confirmatur ratione ejusdem S. Doct. ibidem, quam ipse ad hanc formam reducit : *Nam malorum cognitio nunquam vituperatur, secundum id, quod per se scientiæ est; id est, secundum judicium, quod habetur de malis, sed per accidens, secundum quod per considerationem malorum interdum aliquis inclinatur ad malum : hoc autem non est in Deo : quia immutabilis est : nihil igitur prohibet, quin Deus mala cognoscat.* Quæ ratio etiam convincit intentum quoad mala pœnæ : quandoquidem licet sit vituperabile ea luere propter proprias culpas : non tamen secundum quod per se scientiæ est respectu illorum, alioqui ratio supremi judicis, et gubernatoris, cui necessario debent esse nota mala pœnæ, ut peccatores puniat, esset quid vituperabile.

Aliud

6 Secundo probatur ratione ejusdem Sancti Doctoris in hoc articulo, quam ipse sub hac forma proponit : *Dicendum, quod quicunque perfecte cognoscit aliquid, oportet, quod cognoscat omnia, quæ possunt illi accidere. Sunt autem quædam bona, quibus accidere potest, ut per mala corrumpantur. Unde Deus non perfecte cognosceret bona, nisi etiam cognosceret mala.* fundamentum.

§ III.

Occurritur rationibus dubitandi initio adductis.

Ad primam.

7 Ad primam respondetur, quod illa et similia testimonia, quæ negant Deum cognoscere peccata, debent intelligi de cognitione per scientiam approbationis, et complacentiæ. Ita D. Greg. 11. Moral. cap. 7. et lib. 23. cap. 1. et lib. 28. cap. 3. D. August. quæst. 152. in Exod. et lib. 83. quæstionum, quæst. 60. et 65.

Adde, quod etiam dicitur nescire peccata, quia dissimulat illa, ut exponit Ambros. lib. 5. de Fide cap. 8. ad Theophyl. Lucæ 13. sicut etiam dicitur, ea nescire, vel secundum operationem, quia non potest esse causa illorum, ita Epiphanius lib. de Hæresibus, vel quia non cognoscit ea per propriam ideam, sed per bonum creatum, cui opponuntur, ut exponit D. Thom. in præsenti. Per quod etiam ad confirmationem satis patet.

Ad secundam.

Ad secundam respondetur, quod ut scientia non feratur extra suum objectum formale adæquatum, quod sit vere bonum; satis est, quod cognoscat mala per bonum : siquidem oppositorum eadem est scientia.

DUBIUM II.

An Deus necessario cognoscat mala per bona creata?

Dubium hoc recto ordine ad præcedens subsequitur : quandoquidem semel explicata quæstione *an est?* divinæ scientiæ respectu malorum, statim pulsat animum inquirere de modo, quo ad illa terminatur.

§ I.

Explicatio tituli.

Animadversio prior.

8 Pro tituli intelligentia notandum est, aliud esse, malum non posse cognosci non cognito bono, cui opponitur; aliud vero non posse cognosci, nisi per tale bonum. Sicut aliud est relationem non posse cognosci non cognito suo termino; aliud vero necessario cognosci per illum. Nam in relatione primum est verum, secundum vero falsum : quia ad illud prius satis est indissolubilis, et inpræscindibilis nexus unius cum alio saltim respectu intellectus, qui ad illa terminandus est : ad secundum vero desideratur non qualiscunque nexus, sed talis, ut unum sit ratio, propter quam aliud cognoscitur, ita ut unum ab alio reddatur cognoscibile.

9 Unde titulus hujus dubii non inquirit, an malum cognoscatur, aut possit cognosci a Deo, non cognito bono, cui opponitur? sed, an per illud attingatur a divina scientia, ita ut hoc modo, et non alio possit ad illud terminari? Nam certum est, Deum non posse cognoscere mala, quin cognoscat bona opposita. Cujus optimam rationem tradidit D. Thom. quodlib. 2. art. 11. Quia Deus unamquamque rem cognoscit secundum id, quod habet, et non utcunque, sed perfecte illam attingendo : sed malum dicit ordinem ad bonum, ex eo, quod est privatio boni, vel ei contrarie oppositum : ergo nequibit perfecte cognosci, quin cognoscatur bonum, cui est contrarium. Sicut etiam multa bona creata nequeunt cognosci a Deo, non cognitis malis; ex eo, quod fuerunt producta in remedium malorum, ut medicinæ, et adventus Christi Domini; vel ex eo, quod in illis involvuntur aliqua mala, ut ordo universi, in quo includitur mors, et corruptio multorum : imo nullum bonum creatum potest a Deo perfecte cognosci, non cognito malo opposito : quandoquidem tale bonum est destructivum mali, cui opponitur, et ita nequit perfecte attingi, ignorato tali malo.

Alia animadversio.

10 Secundo notandum est, non esse sensum tituli hujus dubii, an Deus cognoscat mala per bona creata, quibus opponuntur, tanquam per speciem intelligibilem, vel tanquam per objectum per se primo cognitum ab illo : quia certum est ex supradictis, solam essentiam divinam habere rationem speciei intelligibilis respectu cujuscunque cognitionis intellectus Dei. Sicut etiam est omnino certum, solam prædictam essentiam esse objectum per se primo cognitum a Deo, in quo tanquam in objecto prius viso cætera intelligit. Quare sensus tituli tantum erit, an Deus cognoscat necessario mala per bona creata, tanquam per aliquid contentum in sua essentia, tanquam objectum secundarium in primario : ita quidem, ut licet talia bona creata cognoscantur ex vi essentiæ divinæ prius cognitæ; sint tamen rationes cognoscendi : non quidem ex parte Dei, sed ex parte objecti cogniti respectu malorum : ac proinde ita cum illis conferantur, ut si per impossibile Deus non cognosceret prædicta bona creata, sed solum se ipsum, tunc ignoraret talia mala, nec posset ejus scientia ad illa terminari. Sensus tituli.

11 Diximus, *Non quidem ex parte Dei, sed ex parte objecti cogniti respectu malorum* : quia certum est, prædicta bona non esse rationem, quare Deus active terminetur ad mala cognoscendo illa, ut ex dictis art. 8. constat. Et ita solum inquirimus, an debeant esse passivæ terminationes eorundem malorum, ita ut nec passive materialiter possint terminare divinam scientiam, nisi ratione bonorum, quibus opponuntur; quamvis formalissima ratio terminandi, et ipsa activa Dei terminatio semper sit divina essentia; ut ex dictis disput. 3. dub. 4. constat.

§ II.

Opinio negans.

Probatur primo.

12 Partem negantem tuentur Zumel in hoc art. conclusione 3. referens pro ea Bonaventuram, et Marsilium. Quam etiam tuentur alii, quos suppresso nomine refert Durandus in 1. dist. 36. quæst. 1. num. 13. Probatur primo ex divo Dionysio 7. de divinis nominibus, ubi ait : quod Deus cognoscit mala, sicut lumen, si esset cognoscitivum, cognosceret tenebras : ergo Deus cognoscit illa : non quidem per bonitates creatas, quibus opponuntur, sed per suam essentiam, sive bonitatem. Patet consequentia. Quia lumen, si esset cognoscitivum, non cognosceret tenebras per aliud, quam per se ipsum.

Secundo.

13 Secundo. Quoniam in Deo reperiuntur omnes peculiares rationes boni, cum quibus

quibus mala habent oppositionem : ergo per illas prout in ipso Deo sunt, habentque in eo *esse* divinum, poterunt omnia mala etiam in particulari sciri, licet ipsa bona creata, ut sunt in se ipsis non attingantur. Patet consequentia. Nam cum in Deo reperiantur perfectiori modo, poterunt melius ducere in cognitionem malorum, quam ipsa bona creata, prout sunt in se ipsis.

Cpnfirmatur primo. Confirmatur primo. Quia alias Deus acciperet cognitionem, et scientiam, quam habet, ab aliquo extrinseco, et non haberet illam ex se : quandoquidem acciperet cognitionem mali a bono creato.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quia nullum est peculiare malum, quod secundum suam propriam, et atomam rationem non habeat oppositionem cum bono divino : ergo per illud poterunt cognosci. Antecedens liquet. Quoniam quodlibet peculiare malum discordat ab arte, et regula divina, quæ est bonum divini intellectus. Conseq. autem probatur. Quia commune est cuilibet artifici, ut per suam scientiam, et artem attingat omnes defectus, qui sunt contra propriam artem : et ita Rhetoricus per suam artem percipit defectus exornatæ locutionis.

Suadetur tertio. 14 Tertio. Quoniam malum culpæ, pœnæ, et naturæ multoties consistunt formaliter in aliquo positivo ; ergo possunt saltim tunc sciri a Deo per se ipsa, etiam si per impossibile daremus non sciri ab illo bona creata, quibus opponuntur. Antecedens probatur. Nam malum peccati commissionis consistit formaliter in positiva tendentia ad objectum dissonum legi, vel rationi, ut quamplurimi ex Thomistis in materia de peccatis docent; et malum pœnæ solet etiam, quatenus tale, esse quid positivum, ut in igne inferni constat ; et tandem malum naturæ sæpissime dicit aliquid positivum, ut patet in errore respectu intellectus, et in calore respectu aquæ ; quandoquidem calor ex se, et secundum suam intrinsecam entitatem est dissonus aquæ, et cum illo sic sumpto, male se habet, etiam si ibidem esset absque expulsione frigiditatis ; et similiter error est eodem modo dissonus intellectui. Consequentia autem probatur. Quoniam id, quod est ex se positivum habens veram entitatem, ac proinde actualitatem, potest ex se fundare veram intelligibilitatem passivam, saltim materialem, ratione cujus possit immediate, id est, non mediante aliquo alio creato, attingi, et sciri a Deo ; quandoquidem non ob aliud bonum creatum illam fundat absque eo, quod debeat attingi per malum positivum ei oppositum, nisi quia habet ex se veram entitatem, et actualitatem.

Quarto. 15 Quarto. Quia saltim malum culpæ lethalis opponitur Deo : ergo saltim prædictum malum poterit cognosci a Deo per suam bonitatem, tanquam per rationem cognoscendi, absque eo, quod cognoscatur per bonitatem creatam, cui opponitur. Consequentia videtur perspicua. Quia non alia ratione poterat bonitas creata esse (modo in explicatione tituli insinuato) ratio cognoscendi prædictum malum, nisi quia ei opponitur malum culpæ ; ergo si opponitur Deo, et suæ bonitati, poterit hæc esse ratio cognoscendi illud, absque eo, quod per locum intrinsecum desideretur cognitio bonitatis creatæ per modum rationis objectivæ cognoscendi illud. Antecedens autem probatur. Tum, quia malum culpæ lethalis est aversio a Deo, ut ultimo fine, et quantum est ex se destruit Deum. Tum etiam, quia habet oppositionem cum lege æterna Dei ; et ideo difinitur per hoc, quod sit, *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei.* Tum denique, quia D. Thom. infra quæst. 48. art. 6. assignans discrimen inter malum culpæ, et pœnæ, inquit, quod illud immediate opponitur bono divino, istud vero bono creato.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam Deus per se, et ratione sui est judex peccatorum : ergo per se, et ratione sui sciet illa. Patet consequentia. Quoniam scientia judicis debet proportionari rationi judicis : ergo si Deus per se, et ratione sui est judex peccatorum, etiam per se, et ratione sui habebit scientiam illorum, et non ratione bonorum tantum creatorum, quibus opponuntur.

Ultimo. 16 Ultimo. Quoniam malum in communi opponitur directe bono divino : ergo saltim prædictum malum poterit sciri a Deo præcise per suam increatam bonitatem. Consequentia patet ex dictis. Antecedens autem probatur. Tum ex D. Thoma de Verit. quæst. 2. art. 15. et in 1. dist. 36. quæst. 3. art. 2. ubi docet, quod malum, secundum communem rationem mali, opponitur Deo. Tum etiam : quoniam malum, secundum communem rationem mali, dicit omne malum : ergo opponetur ei, qui est omne bonum, scilicet Deo, prout est ipsa bonitas divina per essentiam.

§ III.

Ex mente D. Thomæ nodus dubii dissolvitur.

Assertio. 17 Dicendum tamen est, Deum non scire, nec scire posse mala, nisi per bona creata, quibus opponuntur. Assertio hæc intelligenda est juxta ea, quæ in explicatione tituli diximus : estque valde consona Scripturæ. Nam Psal. 13. dicitur : *Dominus prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum, omnes declinaverunt simul.* Quæ verba sic explicant August. et Glos. Interlin. *Ut videret declinantes a bono, respexit requirentes Deum : quia non cognoscit mala nisi per bona.* Et similiter Job 1. et 2. asseritur Satanam astitisse quodam die coram Deo inter filios Dei. Cujus rationem (ut refert Gonzal. in præsenti) reddit Gregor. 2. Moral. his verbis : *Ideo Satan dicitur stetisse coram Deo, quia Deus in luce tenebras videt, et per bona opera aliorum, videt improbitatem Satanæ.* Unde asseritur, quod fuit visus inter filios Dei, quia per illorum probitatem ejus malitiam calluit. Et ideo assertionem hanc tuetur D. Thom. in hoc art. et 1. cont. Gent. cap. 71. quodlib. 11. art. 2. et alibi sæpe, et communiter Theologi, inter quos etiam referendi sunt Bonavent. in 1. dist. 36. quæst. 2. et Marsil. quæst. 38. art. 4. quos non ita bene Zumel pro sua sententia adduxit.

Ratio assertionis. 18 Ratio autem fundamentalis hujus assertionis desumitur ex D. Thom. locis citatis, et infra quæst. 17. art. 4. ad 3. Quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam nullum malum opponitur formaliter, et immediate Deo, et bono divino : ergo nullum potest cognosci ab illo, nisi modo in explicatione tituli insinuato, per bonum creatum, cui formaliter, et immediate opponitur. Antecedens probatur a D. Thom. tum quæst. 17. art. 4. in solutione ad 3. nuper citatis : ubi sic inquit : *Quia contraria, et opposita privative nata sunt fieri circa idem, ideo Deo prout in se consideratur, non est aliquid contrarium, neque ratione suæ bonitatis, neque ratione suæ veritatis : quia in intellectu ejus non potest esse falsitas aliqua. Sed in apprehensione nostra habet aliquid contrarium. Nam veræ opinioni de ipso contrariatur falsa opinio. Et sic idola mendacia, dicuntur opposita veritati divinæ, in quantum falsa opinio de idolis contrariatur veræ opinioni de bonitate Dei.* Tum etiam in 1. dist. 1. quæst. 1. art. 1. ad 1. ex eo, quod nihil opponitur illi bono, a quo nihil potest auferri, nihilque illius potest destrui. Quare cum nihil a Deo, et bonitate ejus possit auferri, nihilque illius possit destrui, consequens est, ut nihil ei possit opponi.

Consequentia vero probatur, et explicatur discursu aliquantulum fuso, quia res, de qua agitur, id exposcit. Nam si malum sumatur præcise privative, seu quatenus præcise importat solam privationem boni oppositi, tunc sicut hæc ex se nihil est, ita ex se non potest fundare intelligibilitatem passivam, etiam materialem, sed necessario debet fundare illam ratione altèrius; ac proinde ratione sui oppositi, cum quo per se, et ab intrinseco dicit tantam connexionem, ut ipsa nihil sit aliud, quam privatio illius, nec aliquid aliud immediate, et formaliter requiratur, nisi cognitio sui oppositi ad hoc, ut ipsa attingatur. Si autem malum in ratione mali sit aliquid positivum, ut de peccato commissionis docet opinio valde probabilis plurium Thomistarum, tunc licet prædicta mala quatenus entia, secundum quam rationem sunt bona, possint per se ipsa, id est, non mediante bono creato, sciri, non tamen quatenus talia entia, id est, quatenus deficientia, et mala sunt : quia nequit sciri malum, verbi gratia, culpæ ut tale, nisi sciatur, ut discordans a regula divina : non potest autem sciri, ut discordans, nisi prius sciatur, in quo consistat concordia ad illam : seu (quod idem est) bonum concordans cum illa. Et hoc ipsum cum proportione de quovis alio malo dicimus : quia nihil est formaliter malum, nisi ut est discordans ab aliqua regula, arte, vel idea; vel ut est dissonum alicui naturæ. Et ita nequit sciri secundum hanc rationem, nisi prius cognoscatur, quid sit concordans cum tali arte, aut illi naturæ consonum. Et propterea Grammaticus, et quilibet alius artifex non cognoscit incongruitatem, et defectum, etiam positivum contra suam artem, nisi mediante notitia congruitatis, et concordiæ ad illam.

§ IV.

Fit obviam argumentis primæ sententiæ.

Ad primum. 19 Ad primum respondetur primo, Divum

vum Dionysium in verbis ibidem relatis non loqui de cognitione malorum, de quibus in præsenti fit sermo, sed de cognitione bonorum creatorum, quæ in comparatione ad divinam bonitatem dicuntur non entia, et mala : ut patet ex illo Isaiæ cap. 40. *Omnes gentes, quasi non sint : sic sunt coram illo.* Et ex Matth. 7. *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?* In quibus verbis justi collati cum divina bonitate, nuncupantur mali. Sicut etiam in eodem sensu verificatur dictum illud : *Nemo bonus, nisi solus Deus,* id est, nemo bonus, si conferatur cum divina bonitate.

Secundo respondetur, non esse mentem Dionysii constituere omnimodam similitudinem inter lumen in eo eventu, et Deum, sed aliquam, quatenus Deus etiam cognoscit aliquo modo per suam essentiam omnia mala : quia per illam cognoscit bona creata, et eis mediantibus, ut aliquo se tenente ex parte passivæ terminationis malorum, et modo supra insinuato, cognoscit eadem mala. Et ita sua bonitas est ratio radicalis attingendi illa, necnon et ratio formalissima, a qua ejus scientia specificatur.

Ad secundum.

20 Ad secundum concesso antecedenti, neganda est conseq. Quia bonitatibus creatis prout sunt in Deo, et sunt ipse Deus, nihil potest esse oppositum, ut dictum est. Unde ex hoc, quod perfectiones creatæ sint nobiliori modo in Deo, quam in se ipsis, non infertur eas, ut sunt in Deo, posse esse proximas rationes, ex parte objecti sciti se tenentes, ad hoc, ut mala sciantur : quandoquidem illa major perfectio potius tollit ab eis, quod mala opponantur ipsis, secundum quod sunt in Deo, ac proinde per illas præcise sumptas sciantur.

Ad primam confirmationem.

Ad primam confirmationem patet ex dictis in explicatione tituli, quomodo bona creata non sint rationes activæ terminationis divinæ scientiæ ad mala, sed solum passivæ, et qua ratione fontalis, et radicalis ratio ipsa cognoscendi est divina essentia, ut explicatum est.

Ad posteriorem, et ad tertium.

Ad secundam confirmationem patet ex dictis pro assertione.

Ad tertium patet etiam ex iis, quæ asseruimus. Unde bonum creatum non ideo potest a Deo præcise ratione suæ essentiæ sciri, quia est quid positivum ; sed quia est positivum tale, scilicet habens rationem boni, non vero habens rationem deficientiæ, et dissonantiæ a regula, vel arte.

Ad quartum

21 Ad quartum negandum est antecedens. Et ad primam probationem dicendum est, malum culpæ avertere a Deo, et opponi ipsi ut fini, et personæ offensæ, vel ut objecto, non autem ut formæ : et ita solum est inter utrumque oppositio (ut sic dicamus) objectiva, non vero formalis. Nam secundum hanc oppositionem non opponitur, nisi gratiæ, vel habitibus, etc. quibus contrariatur, aut quibus privat. Unde sicut ad cognoscendum perfecte cæcitatem, oportet cognoscere visum, ut formam, qua privat, et objectum visibile, ut id, quo, tanquam objecto percepto privat ; ita ad attingendum perfecte malum culpæ, quo pacto debet Deus illud attingere, oportet, ut sciat, tum formam, cui opponitur ; tum etiam personam, cui irrogatur offensa, et finem, a quo per peccatum avertitur, qui quidem nullus est alius præter ipsum Deum : quemque ut finem, et ut objectum ac personam offensam, non vero ut formam, et habitum immediate oppositum habet ipsa culpa lethalis in affectu peccantis destruere.

Ad secundam vero probationem, dicendum est, culpam lethalem non habere cum lege existente in Deo oppositionem immediate, sed mediante bono creato, cui prædicta culpa opponitur, sive illud sit actus oppositus, et simul gratia, ac charitas, etc. ut in peccatis omissionis contingit ; sive non sit prædictus actus oppositus, sed ipsa gratia, et charitas, cum quibus prædictum peccatum, vel secundum se consideratis, vel ut sunt fervidæ, oppositionem habet, ita tamen ut peccata lethalia opponantur gratiæ, et charitati secundum se sumptis, et venialia eisdem, quatenus fervidis, ut in peccatis omissionis, et oppositis legibus negativis contingere multi probabiliter docent. Nam lex illa prohibet indirecte, ne fiat prædictus actus, etiam quoad eam rationem, secundum quam gratiæ, et charitati, modo dicto, opponitur.

Adde, quod neque etiam opponitur formaliter legi humanæ, si proprie loquamur : si quidem opposita formaliter, debent versari circa idem subjectum, quod tamen in præsenti non contingit : quandoquidem lex est in intellectu, ex eo, quod est actus ejus : malitia vero formalis, et intrinseca peccati, est in voluntate.

Ad tertiam vero probationem respondetur, sensum D. Thomæ tantum esse, quod

malum culpæ opponitur Deo objective, non vero formaliter.

Ad confirmationem. 22 Ad confirmationem, concesso antecedenti, neganda est conseq. et ad probationem dicendum est, scientiam judicis debere proportionari rationi judicis quoad alia, non vero quoad id, quod ibidem dicitur : quia malum non est aliter cognoscibile, nisi per bonum oppositum.

Adde, quod ut bene notavit Gonzalez in præsenti, potius proportio, quæ debet esse inter scientiam Dei, ut judicis, et rationem judicis, quam habet, videtur petere hunc modum cognoscendi mala. Nam Deus, ut judex non intendit punitionem, ut malum puniti, sed propter aliud bonum : et similiter per se primo intendit largiri præmium bonis, et propter majorem prædestinatorum gloriam stabilivit supplicia ad punienda peccata. Unde non mirum, quod cognitio peccatorum præsupponat cognitionem bonorum, et modo supra explicato sit ratio, ob quam mala ipsa passive terminent divinam cognitionem, licet non sint ratio quare Deus active terminetur ad illa.

Ad ultim. 23 Ad ultimum, negandum est antecedens. Et ad primam probationem respondetur primo cum aliquibus ex gravioribus Thomistis, D. Thom. loqui de malo negative, quatenus *non bonum* negat omnem rationem boni, etiamsi non habeat subjectum, et hujusmodi mala (inter quæ numeratur *non Deus*) non possunt cognosci, nisi per divinam bonitatem : non autem non loquimur de malo, sic præcise sumpto, ut intuenti patebit.

Secundo respondetur ad eandem probationem, D. Thom. solum velle, quod summum malum sic in communi sumptum, non determinando in quonam consistat, opponitur Deo, qui est summum bonum, non quidem oppositione secundum rem, sed, ut ipse se explicat in 2. dist. 1. quest. 1. art. 1. ad 2. secundum vocem : Quare cum cognitio, et scientia, quam Deus de illo habet, debeat esse de illo secundum rem, propterea debet esse per bonum, cui secundum rem opponitur, non vero præcise per divinam bonitatem.

Ad secundam probationem, concesso antecedenti, neganda est consequentia, si fiat sermo de oppositione secundum rem. Quia prædictum malum etiam in communi non est natum versari circa Deum, tanquam circa subjectum : et ita tantum opponitur bono creato, ut sic : quia solum prædictum bonum potest esse aptum ad hoc, ut recipiatur in eodem subjecto, in quo potest recipi malum, ut sic.

ARTICULUS XI.

Utrum Deus cognoscat singularia ?

1 Ad undecimum sic proceditur. Videtur, quod Deus non cognoscat singularia. Intellectus enim divinus immaterialior est, quum intellectus humanus : sed intellectus humanus propter suam immaterialitatem non cognoscit singularia ; sed sicut dicitur in 2. de Anima, ratio est universalium, sensus vero particularium : ergo Deus non cognoscit singularia.

2 Præterea : illæ solæ virtutes in nobis sunt singularium cognoscitivæ, quæ recipiunt species non abstractas a materialibus conditionibus ; sed res in Deo sunt maxime abstractæ ab omni materialitate : ergo Deus non cognoscit singularia.

3 Præterea, omnis cognitio est per aliquam similitudinem ; sed similitudo singularium, in quantum sunt singularia, non videtur esse in Deo, quia principium singularitatis est materia, quæ cum sit ens in potentia tantum, omnino est dissimilis Deo, qui est actus purus. Non ergo Deus potest cognoscere singularia.

Sed contra est, quod dicitur Proverb. 16. *Omnes viæ hominis patent oculis ejus.*

Respondeo dicendum, quod Deus cognoscit singularia. Omnes enim perfectiones in creaturis inventæ, in Deo præexistunt secundum altiorem modum, ut ex dictis patet : cognoscere autem singularia pertinet ad perfectionem nostram. Unde necesse est, quod Deus singularia cognoscat. Nam et Philosophus pro inconvenienti habet, quod aliquid cognoscatur a nobis, quod non cognoscatur a Deo. Unde contra Emped. arguit in 1. de Anima et in 3. Metaphysic. quod accideret, Deum esse insipientissimum, si discordiam ignoraret. Sed perfectiones, quæ in inferioribus dividuntur, in Deo simpliciter, et unitæ existunt. Unde licet nos per aliam potentiam cognoscamus universalia, et immaterialia, et per aliam singularia, et materialia, Deus tamen per suum simplicem intellectum utraque cognoscit. Sed qualiter hoc esse possit, quidam manifestare volentes dixerunt, quod Deus cognoscit singularia per causas universales. Nam nihil est in aliquo singularium, quod non ex aliqua causa oriatur universali, et ponunt exemplum. Sicut si aliquis Astrologus cognosceret omnes motus universales cœli, posset pronuntiare omnes eclipses futuras. Sed istud non sufficit, quia singularia ex causis universalibus sortiuntur quasdam formas, et virtutes, quæ quantumcunque ad invicem conjungantur, non individuantur, nisi per materiam individualem. Unde, qui cognosceret Socratem per hoc, quod est albus, vel Sofronici filius, vel quidquid aliud sic dicatur, non cognosceret ipsum in quantum est hic homo. Unde secundum modum prædictum Deus non cognosceret singularia in sua singularitate. Alii vero dixerunt, quod Deus cognoscit singularia, applicando causas universales ad particulares effectus. Sed hoc nihil est : quia nullus potest applicare aliquid ad alterum, nisi illud præcognoscat : unde dicta applicatio non potest esse ratio cognoscendi particularia, sed cognitionem singularium præsupponit. Et ideo aliter dicendum est, quod cum Deus sit causa rerum per suam scientiam, ut dictum est, in tantum se extendit scientia Dei, in quantum se extendit ejus causalitas. Unde cum virtus activa Dei se extendat non solum ad formas, a quibus accipitur ratio universalis, sed etiam usque ad materiam (ut infra ostendetur) necesse est, quod scientia Dei usque ad singularia se extendat, quæ per materiæ individuantur. Cum enim sciat alia a se per essentiam suam, in quantum est similitudo rerum, vel ut principium activum earum, necesse est, quod essentia sua sit principium sufficiens cognoscendi omnia, quæ per ipsum fiunt, non solum in universali, sed etiam in singulari. Et esset simile de scientia artificis, si esset productiva totius rei, et non formæ tantum.

Ad primum ergo dicendum, quod intellectus noster speciem intelligibilem abstrahit a principiis individuantibus. Unde species intelligibilis nostri intellectus non potest esse similitudo principiorum individualium. Et propter hoc intellectus noster singularia non cognoscit. Sed species intelligibilis divini intellectus, quæ est Dei essentia,

essentia, non est immaterialis per abstractionem, sed per se ipsam principium existens omnium principiorum, quæ intrant rei compositionem, sive sint principia speciei, sive principia individui. Unde per eam Deus cognoscit non solum universalia, sed etiam singularia.

Ad secundum dicendum, quod quamvis species intellectus divini secundum esse suum non habeat conditiones materiales, sicut species receptæ in imaginatione, et sensu ; tamen virtute se extendit ad immaterialia, et materialia, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod materia, licet recedat a Dei similitudine secundum suam potentialitatem, tamen in quantum, vel sic esse habet, similitudinem quandam retinet divini esse.

Conclusio est affirmativa.

Circa hanc conclusionem solet inquiri, an intellectus noster cognoscat singularia directe, occasione desumpta ex quibusdam verbis D. Thom. in hoc art. quia ex eo, quod nos cognoscimus singularia, colligit Deum potiori titulo illa cognoscere. Cæterum, quia de hoc fuse N. Complut. 3. de Anima disput 21. quæst. 6. agunt, propterea nihil circa difficultatem hanc in præsenti dicemus.

ARTICULUS XII.

Utrum Deus possit cognoscere infinita ?

1 Ad duodecimum sic proceditur, videtur, quod Deus non possit cognoscere infinita. Infinitum enim, secundum quod est infinitum, est ignotum : quia infinitum est, cujus quantitatem accipientibus semper est aliquid extra assumere, ut dicitur in 3. Physic. Augustin. etiam dicit 12. de Civit. Dei, quod quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur; sed infinita non possunt finiri : ergo non possunt scientia Dei comprehendi.

2 Si dicatur, quod ea, quæ in se sunt infinita, scientiæ Dei finita sunt. Contra, ratio infiniti est, quod sit impertransibile; et finiti, quod sit pertransibile, ut dicitur in 3. Physic. Sed infinitum non potest transiri nec a finito, nec ab infinito, ut probatur in 6. Physic. : ergo infinitum non potest esse finitum finito, neque etiam infinito. Et ita infinita non sunt finita scientia Dei, quæ est infinita.

3 Præterea, scientia Dei est mensura scitorum ; sed contra rationem infiniti est, quod sit mensuratum : ergo infinita non possunt sciri a Deo.

Sed contra est, quod dicit August. 12. de Civitate Dei. Quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non tamen incomprehensibilis ei, cujus scientiæ non est numerus.

Respondeo dicendum, quod (cum Deus sciat non solum ea, quæ sunt actu ; sed etiam ea, quæ sunt in potentia, vel sua, vel creaturæ, ut ostensum est : hæc autem constat esse infinita) necesse est dicere, quod Deus sciat infinita. Et licet scientia visionis, quæ est tantum eorum, quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt, non sit infinitorum, ut quidam dicunt, cum non ponamus mundum ab æterno fuisse, nec generationem, et motum in æternum mansura, ut individua in infinitum multiplicentur : tamen, si diligentius considerentur, necesse est dicere, quod Deus, etiam scientia visionis sciat infinita. Quia Deus scit etiam cogitationes, et affectiones cordium, quæ in infinitum multiplicabuntur creaturis rationalibus permanentibus absque fine. Hoc autem ideo est, quia cognitio cujuslibet cognoscentis se extendit secundum modum formæ, quæ est principium cognitionis. Species enim sensibilis, quæ est in sensu, est similitudo solum unius individui. Unde per eam solum individuum cognosci potest. Species autem intelligibilis intellectus nostri est similitudo rei quantum ad naturam speciei, quæ est participabilis a particularibus infinitis. Unde intellectus noster per speciem intelligibilem hominis, cognoscit quodammodo homines etiam infinitos ; sed tamen non in quantum distinguuntur ab invicem, sed secundum quod communicant in natura speciei, propter hoc, quod species intelligibilis intellectus nostri, non est similitudo hominum, quantum ad principia individualia, sed solum quantum ad principia speciei. Essentia autem divina, per quam intellectus divinus intelligit, est similitudo sufficiens omnium, quæ sunt, vel esse possunt, non solum quantum ad principia communia, sed etiam quantum ad principia propria uniuscujusque, ut ostensum est. Unde sequitur, quod scientia Dei se extendat ad infinita, etiam secundum quod sunt ab invicem distincta.

Ad primum ergo dicendum, quod infiniti ratio congruit quantitati secundum Philosophum in 1. Physic. de ratione autem quantitatis est ordo partium. Cognoscere ergo infinitum secundum modum infiniti, est cognoscere partem post partem. Et sic nullo modo contingit cognosci infinitum. Quia quantacunque quantitas partium accipiatur, semper remanet aliquid extra accipientem. Deus autem non sic cognoscit infinitum, vel infinita, quasi enumerando partem post partem, cum cognoscat omnia simul, non successive, ut supra dictum est. Unde nihil prohibet ipsum cognoscere infinita.

Ad secundum dicendum, quod transitio importat quandam successionem in partibus. Et inde est, quod infinitum transiri non potest neque a finito, neque ab infinito. Sed ad rationem comprehensionis sufficit adæquatio : qui id comprehendi dicitur, cujus nihil est extra comprehendentem. Unde non est contra rationem infiniti, quod comprehendatur ab infinito. Et sic quod in se est infinitum, potest dici finitum, scientiæ Dei, tanquam comprehensum, non tamen tanquam pertransibile.

Ad tertium dicendum, quod scientia Dei est mensura rerum, non quantitativa, qua quidem mensura carent infinita; sed qua mensurat essentiam, et veritatem rei. Unumquodque enim in tantum habet, de veritate suæ naturæ, in quantum imitatur Dei scientiam : sicut artificiatum in quantum concordat arti. Dato autem, quod essent aliqua infinita actu secundum numerum, puta infiniti homines, vel secundum quantitatem continuam, ut si esset aer infinitus (ut quidam antiqui dixerunt) tamen manifestum est, quod haberent esse determinatum, et finitum : quia esse eorum esset limitatum ad aliquas determinatas naturas. Unde mensurabilia essent secundum scientiam Dei.

Conclusio.

Deus tam scientia simplicis intelligentiæ, quam visionis, cognoscit infinita.

Circa hanc conclusionem, et doctrinam hujus articuli videantur ea, quæ in tractatu de Visione Dei art. 7. et 8. diximus, ut explicaremus, quomodo beati in divina essentia videant infinita ; et qua ratione nequeant videre omnes creaturas possibiles, ex eo, quod nequeunt comprehendere Deum : secus tamen Deus ipse, qui se ipsum comprehendit, necnon et illa, quæ nostri Complut. 3. Physic. disp. 18. quæst. 5. dicunt.

ARTICULUS XIII.

Utrum scientia Dei sit futurorum contingentium ?

1 Ad decimumtertium sic proceditur. Videtur, quod scientia Dei non sit futurorum contingentium. A causa enim necessaria procedit effectus necessarius : sed scientia Dei est causa scitorum, ut supra dictum est. Cum ergo ipsa sit necessaria, sequitur scita ejus esse necessaria : non ergo scientia Dei est contingentium.

2 Præterea, omnis conditionalis, cujus antecedens est necessarium absolute, consequens est necessarium absolute. Sic enim se habet antecedens ad consequens, sicut principia ad conclusionem. Ex principiis autem necessariis non sequitur conclusio nisi necessaria, ut in 1. Poster. probatur. Sed hæc est quædam conditionalis vera, si Deus scivit hoc futurum esse, hoc erit, quia scientia Dei non est nisi verorum. Hujus autem conditionalis antecedens est necessarium absolute : tum quia est æternum : tum quia significatur, ut præteritum : ergo et consequens est necessarium absolute : igitur quidquid scitur a Deo est necessarium : et sic scientia Dei non est contingentium.

3 Præterea, omne scitum a Deo necesse est esse, quia

etiam omne scitum a nobis necesse est esse, cum tamen scientia Dei certior sit, quam scientia nostra; sed nullum contingens futurum necesse est esse : ergo nullum futurum contingens est scitum a Deo.

Sed contra est, quod dicitur in Psalm. 32. *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum,* scilicet hominum ; sed opera hominum sunt contingentia, utpote libero arbitrio subjecta : ergo Deus scit futura contingentia.

Respondeo dicendum, quod cum supra ostensum sit, quod Deus sciat omnia, non solum quæ actu sunt, sed etiam quæ sunt in potentia sua, vel creaturæ ; horum autem quædam sunt contingentia nobis futura, sequitur, quod Deus contingentia futura cognoscat. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod contingens aliquod dupliciter potest considerari. Uno modo in se ipso, secundum quod jam in actu est : et sic non consideratur ut futurum, sed ut præsens, neque ad utrumlibet contingens, sed ut determinatum ad unum : et propter hoc sic infallibiliter subdi potest certæ cognitioni, utpote sensui visus, sicut cum video Sortem sedere. Alio modo potest considerari contingens, ut est in sua causa : et sic consideratur, ut futurum, et ut contingens, nondum determinatum ad unum, quia causa contingens se habet ad opposita : et sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicunque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem. Deus autem cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in se ipso. Et licet contingentia fiant in actu successive, non tamen Deus successive cognoscit contingentia, prout sunt in suo esse, sicut nos ; sed simul : quia sua cognitio mensuratur æternitate, sicut etiam suum esse. Æternitas autem tota simul existens ambit totum tempus, ut supra dictum est. Unde omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, ut quidam dicunt ; sed quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia prout sunt in sua præsentialitate. Unde manifestum est, quod contingentia et infallibiliter a Deo cognoscuntur, in quantum subduntur divino conspectui secundum suam præsentialitatem, et tamen sunt futura contingentia suis causis comparata.

Ad primum ergo dicendum, quod licet causa suprema sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens propter causam proximam contingentem. Sicut germinatio plantæ est contingens propter causam proximam contingentem, licet motus Solis, qui est causa prima, sit necessarius. Et similiter scita a Deo sunt contingentia propter causas proximas, licet scientia Dei, quæ est causa prima, sit necessaria.

Ad secundum dicendum : quod quidam dicunt, quod hoc antecedens, Deus scivit hoc contingens futurum, non est necessarium, sed contingens : quia licet sit præteritum, tamen importat respectum ad futurum ; sed hoc non tollit ei necessitatem, quia id, quod habuit respectum ad futurum, necesse est habuisse, licet etiam futurum non sequatur quandoque. Alii vero dicunt hoc antecedens esse contingens, quia est compositum ex necessario, et contingenti, sicut istud dictum est contingens, Sortem esse hominem album. Sed hoc etiam nihil est, quia cum dicitur : Deus scivit esse futurum hoc contingens, contingens non ponitur ibi nisi ut materia verbi, et non sicut principalis pars propositionis. Unde contingentia ejus, vel necessitas nihil refert ad hoc, quod propositio sit necessaria, vel contingens, vera, vel falsa. Ita enim potest esse verum, me dixisse hominem esse asinum, sicut me dixisse Sortem currere, vel Deum esse ; et eadem ratio est de necessario, et contingenti. Unde dicendum est, quod antecedens est necessarium absolute. Nec tamen sequitur (ut quidam dicunt) quod consequens sit necessarium absolute : quia antecedens est causa remota consequentis, quod propter causam proximam contingens est. Sed hoc nihil est. Esset enim conditionalis falsa, cujus antecedens esset causa remota necessaria, et consequens effectus contingens, ut puta, si diceremus : Si Sol moveretur, herba germinabit. Et ideo aliter dicendum est, quod quando in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, consequens est accipiendum non secundum esse, quod in se est ; sed secundum quod est in anima. Aliud enim est esse rei in se ipsa, et esse rei in anima. Ut puta si dicam : Si anima intelligit aliquid, illud est immateriale, intelligendum est, quod illud est immateriale secundum quod est in intellectu, non secundum quod est in se ipso. Et similiter, si dicam : Si Deus scivit aliquid, illud erit, consequens intelligendum est prout subest divinæ scientiæ, scilicet prout est in sua præsentialitate. Et sic necessarium est, sicut et antecedens. Quia omne, quod est, dum est, necesse est esse, ut dicitur in 1. Periherm.

Ad tertium dicendum, quod ea, quæ temporaliter in actum reducuntur, a nobis successive cognoscuntur in tempore, sed a Deo in æternitate, quæ est supra tempus. Unde nobis, quia cognoscimus futura contingentia in quantum talia sunt, certa esse non possunt, sed soli Deo, cujus intelligere est in æternitate supra tempus. Sicut ille, qui vadit per viam, non videt illos, qui post eum veniunt : sed ille, qui ab aliqua altitudine totam viam intuetur, simul videt omnes transeuntes per viam. Et ideo illud, quod scitur a nobis, oportet esse necessarium etiam secundum, quod in se est : quia ea, quæ in se sunt contingentia futura, a nobis sciri non possunt. Sed ea, quæ sunt scita a Deo, oportet esse necessaria secundum modum, quo subsunt divinæ scientiæ (ut dictum est) non autem absolute secundum, quod in propriis causis considerantur. Unde et hæc propositio : omne scitum a Deo necessarium est esse, consuevit distingui : quia potest esse de re, vel de dicto : si intelligatur de re, est divisa, et falsa : et est sensus, omnis res, quam Deus scit, est necessaria. Vel potest intelligi de dicto, et sic est composita, et vera : et est sensus, hoc dictum scitum a Deo esse, est necessarium. Sed obstant quidam dicentes, quod ista distinctio habet locum in formis separabilibus a subjecto : ut si dicam : album possibile est esse nigrum. Quæ quidem de dicto est falsa, et de re est vera. Res enim, quæ est alba, potest esse nigra ; sed hoc dictum, album esse nigrum, nunquam potest esse verum. In formis autem inseparabilibus a subjecto non habet locum prædicta distinctio : ut si dicam : corvum nigrum possibile est esse album, quia in utroque sensu est falsa. Esse autem scitum a Deo est inseparabile a re, quia quod est scitum a Deo, non potest esse non scitum. Hæc autem instantia locum haberet, si hoc, quod dico scitum, importaret aliquam dispositionem subjecto inhærentem ; sed cum importet actum scientis, ipsi rei scitæ (licet semper sciatur) potest aliquid attribui secundum se, quod non attribuitur ei in quantum stat sub actu sciendi. Sicut esse materiale attribuitur lapidi secundum se, quod non attribuitur ei secundum quod est intelligibile.

Prima conclusio est affirmativa.

Secunda conclusio. Futura contingentia, ut sunt actu in se ipsis, subduntur certæ, et infallibili cognitioni Dei : ut autem sunt in suis causis, non subduntur certæ cognitioni.

Tertia conclusio. Deus cognoscit futura contingentia, ut sunt actu in se ipsis : non solum quia habet rationes rerum apud se, sed etiam quia sunt præsentia illi in æternitate.

DISPUTATIO VII.

De an est? scientiæ Dei, respectu futurorum contingentium absolutorum : et de iis, in quibus nequeunt ab eo certo cognosci.

1 Quia quæstio *an est?* cæteras alias ordine naturæ præcedit, ideo in hac prima disputatione, quæ circa Dei scientiam respectu futurorum absolutorum versatur, inquirimus de *an est* prædictæ scientiæ. Quia vero facilius est de divinis rebus explicare, quid non sint, aut quomodo non se habeant, quam quid sint, aut quomodo se habeant ; ac proinde facilius est, circa Dei scientiam declarare, quænam sint

sint illa, in quibus non cognoscit certo prædicta futura, quam quæ sint ea, in quibus ipsa certo attingit; propterea in hac eadem disputatione, quæ circa faciliora divinæ scientiæ, scilicet circa *an est* ipsius, versatur, etiam de iis, in quibus Deus non cognoscit certo futura contingentia, sciscitamur. Quia autem inter futura contingentia potiora sunt futura absoluta, et D. Thom. de illis in hoc articulo ex professo agit, idcirco disputationem hanc de futuris contingentibus, non quibuscunque, sed de absolutis, excitamus. Et merito iis, quæ circa scientiam Dei respectu omnium futurorum contingentium dicenda sunt, plures damus disputationes, quia res hæc valde fusa est, et quamplurima in ea occurrunt dicenda; et ita majoris claritatis gratia, in variis disputationibus decidenda erat.

DUBIUM I.

Quid, et quotuplex sit futurum contingens?

Explicatur titulus.

2 Quia ignorata natura futuri contingentis, et multiplicitate ejus, nihil circa hanc, et sequentes disputationes dici potest; propterea primo loco dubium præsens excitamus. In eo autem unum supponimus, et duo inquirimus; a quibus tamen, quia facilia, et sine controversia sunt, breviter expediemur. Supponimus quidem tanquam certum de fide, dari futurum contingens, contra Lutherum, et alios asserentes, omnia necessario evenire. Quorum errorem referunt, et refutant D. Thom. quæst. 2. de Veritate art. 12. Palacios in 1. dist. 38. quæst. 2. Driedo de concordia liberi arbitrii cap. 1. Medina lib. 2. de recta in Deum fide cap. 2. Molina in præsenti, disp. 1. Castro de hæresibus, verbo *fatum*. Inquirimus vero quid sit, et quotuplex futurum contingens? Et quia tale futurum duo dicit, scilicet, esse futurum, et esse contingens, inde est, quod ejus natura manifestius patebit, si istorum duorum essentia explicetur.

Decisio dubii quoad primam partem.

Est ergo futurum id, quod habet determinationem in suis causis, ad hoc, ut sit in aliquo determinato tempore, aut duratione, subsequente illud instans, pro quo dicitur esse futurum. Unde futurum, ut tale, distinguitur a re, quæ modo existit, in hoc, quod hæc dicit existentiam de præsenti; illud vero connotat negationem prædictæ existentiæ in se ipso, habitæ in eo instanti, in quo dicitur esse futurum: a re vero præcise possibili secernitur in hoc, quod possibile, ut tale, non est determinatum ad hoc, ut sit in se ipso in aliquo certo, et determinato tempore.

Animadversio.

3 Diximus autem illud esse futurum, *quod habet determinationem in suis causis, ad hoc, ut sit in aliquo determinato tempore, etc.* non vero, quod erit in aliquo determinato tempore: quia ad rationem futuri satis est, et requiritur illud prius. Unde Aristot. 2. de Generatione textu 64. dixit: *Quod futurus quis incedere, non incedet.* Et D. Thom. 1. part. quæst. 19. art. 7. ad secundum, inquit: *Multa sunt in virtute, et scientia, et voluntate divina, quæ non continentur sub ordine causarum inferiorum, sicut resuscitatio Lazari. Unde aliquis respiciens ad causas inferiores dicere poterat, Lazarus non resurget, respiciens vero ad causam primam divinam poterat dicere, Lazarus resurget. Et utrumque horum Deus vult, scilicet, quod aliquid quandoque sit futurum secundum causam inferiorem, quod tamen non est futurum secundum causam superiorem: vel e contra.* Idemque docuit de Veritate quæst. 12. art. 10. ad 7. ubi explicans testimonium illud, quod ex Aristot. nuper adduximus, inquit: *Aliquid potest dici esse futurum, non solum ex hoc, quod ita erit, sed quia ita ordinatum est in causis suis, ut sic sit futurum. Sic enim medicus dicit: iste sanabitur, et iste morietur: et si aliter contingat, non falsum dixit: sic enim tunc futurum erat ex ordine causarum, quod tamen possibile est impediri: et tunc quod futurum erat, consequenter non erit futurum. Unde Philosophus dicit in 2. de Generatione: quod futurus quis incedere, non incedet.*

Quare propter hanc rationem idem Ang. Doctor de Veritate quæst. 2. art. 12. ad 9. asseruit posse Deum scire, aliquid esse futurum, quod tamen nunquam erit: et ita ait: *Deus cognoscit ordinem unius ad alterum: et sic cognoscit aliquid esse futurum respectu alterius. Sed sic non est inconveniens, quod ponatur, quod Deus scit aliquid esse futurum, quod nunquam erit, in quantum scilicet scit, aliquas causas ad aliquem effectum esse inclinatas, qui non producetur.* Sed hæc satis fuse infra in hac eadem disp. elucidabuntur.

Contingens autem est illud, quod potest esse, et non esse, attenta lege ordinaria. Et consulto additur hæc ultima particula, quia bene stat, aliquid esse simpliciter necessa-

rium, cujusmodi est motus Solis, et nihilominus ejus oppositum a Deo de potentia absoluta aliquando fieri posse. Per quod prima hujus dubii pars satis patet.

Deciditur dub. quoad secundam partem.

4 Quoad secundam vero, scilicet quoad multiplicitatem futuri contingentis, breviter dicendum est cum Jacobo Naldo quæstione de origine contingentium, Julio Sireno lib. 3. de fato cap. 5. Corduba in suo quæstionario, quæst. 55. dub. 1. et aliis, futurum contingens posse sumi dupliciter. Uno modo, pro eo, quod potest esse, et non esse respectu solius potentiæ Dei, et hoc modo cœli, et Angeli habuerunt esse futura contingentia. Alio modo, pro eo, quod potest esse, et non esse respectu causæ secundæ. Et rursus hoc ultimum est duplex. Alterum procedens a causa, ab intrinseco determinata ad productionem effectus, impedibili tamen ab alia causa secunda : ut fructus arboris, ad quem virtus ipsius est determinata; potest tamen impediri vel a grandine, vel a gelu. Alterum est, quod est a causa libera, et indifferenti, cujusmodi sunt actus liberi arbitrii : de quibus præcipue in his disputationibus agendum est.

Rursus tandem, hujusmodi futura contingentia libera, alia sunt absoluta, alia conditionata. Absoluta dicuntur, quæ de facto erunt in aliqua differentia temporis, ut lectio crastina. Conditionata vero, quæ quanquam nunquam extitura sunt, essent tamen, si aliqua conditio, nunquam ponenda, poneretur, ut conversio Tyri, et Sidonis, si Christus Dominus fecisset in eis virtutes, quas in Bethsaida et Corozain fecit.

DUBIUM II.

An Deus certo sciat futura contingentia absoluta ?

Quia quæstionem *an est?* alias quæstiones præcedere debet; propterea primo loco, post explicationem naturæ, et multiplicitatis futuri contingentis, in qua termini desiderati ad notitiam hujus, et sequentium dubiorum declarati sunt, de *an est?* scientiæ Dei respectu futurorum contingentium, et absolutorum dubitamus.

§ I.

Sententia negans.

5 Partem negantem secuuti sunt Commentator. 12. Metaphysic. text. 62. ut refert D. Thom. in 1. dist. 48. Quem errorem tribuunt Aristoteli, Clemens Alexand. lib. 1. Stromatum, et Gregor. Nyssænus lib. 8. suæ Philosophiæ : quamvis D. Thom. de Veritate, quæstione 2. art. 2. 3. et 4. eum a prædicto errore defendat. Idem etiam ex parte docuit Cicero libro 2. de Divinitate, et libro 2. de Natura Deorum. Quem refert D. August. libro 5. de Civitate Dei, cap. 9. dum dicit, quod licet Deus cognoscat futura contingentia, quæ procedunt a causa naturali; non tamen ea, quæ fiunt a causis liberis. Et tandem hunc eundem errorem tenuerunt Ægyptii : de quibus in Psalmo 93. *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob*, facta nimirum libera, quæ ab hominibus fiunt.

Primum argumentum.

Probatur primo : quia alioqui vel scientia Dei esset fallibilis, vel futurum illud contingens, quod a Deo sciri dicitur, esset necessarium, seu non contingens : quod tamen, ut constat, est omnino falsum. Hæc sequela satis liquet. Nam vel futurum illud contingens posset aliter evenire, vel non? Si primum, ergo scientia Dei falli potest : siquidem quod per illam scitur, potest non esse sicut scitur. Si secundum, ergo prædictum futurum erit omnino necessarium : siquidem non potest non esse futurum.

Confirmatur primo.

6 Confirmatur primo. Nam hoc ipso, quod scientia Dei non sit fallibilis respectu alicujus objecti, non potest aliter esse, ac est, seu non potest terminari ad objectum aliter ac terminatur : ergo nec etiam ejus objectum potest aliter esse, quia hoc petit proportio, quæ inter scientiam, et objectum intercedere debet : ergo objectum prædictæ scientiæ nequit esse futurum contingens : de cujus ratione est, ut possit aliter evenire.

Confirmatur secundo.

Confirmatur secundo. Nam si Deus cognoscit futura contingentia, v. g. fletum amarum D. Petri, non erit in potestate ejusdem D. Petri tollere hoc antecedens, nimirum : *Quod Deus præscierit illum fletum.* Tum quia id ex se constare videtur. Tum etiam : quia scientia illa est æterna; æternum autem invariabile, et immutabile est : ergo neque erit in potestate D. Petri tollere consequens, nempe, *quod sit de facto ploraturus*; sed necessario plorabit : quandoquidem in bona consequentia, qui non potest tollere antecedens, non potest tollere consequens; alioqui posset quis efficere,

efficere, ut in legitima consequentia daretur antecedens verum, et consequens falsum; et ita si non potest D. Petrus tollere, quin Deus præscierit suum fletum, non poterit tollere, quin talis fletus sequatur.

ecun-dum. 7 Secundo principaliter, et eadem via procedendo probatur hoc ipsum. In omni vera conditionali si antecedens est necessarium absolute, debet et consequens esse eodem modo necessarium, quia consequens semper sequitur antecedens, et ad necessarium, nunquam sequitur nisi necessarium; sicut ad verum, nunquam sequitur falsum, ut probatur in 1. Posteriorum textu 17. sed hujusmodi conditionalis, *Sortes curret, si est præscitum a Deo*, antecedens est necessarium absolute : ergo et consequens, nimirum, *quod Sortes curret :* ac proinde cum scientia Dei circa futura contingentia, nequit stare contingentia eorum. Minor, in qua est difficultas, probatur : quia omne præteritum est necessarium : et ita non potest non esse præteritum.

Confir-matur primo. Confirmatur primo. Quia secundum Philosophum in lib. Priorum, ex majori de necessitate, et minori de inesse, sequitur conclusio de necessitate : ergo si futura contingentia sciuntur a Deo, tunc ex hac majori omnino necessaria, scilicet, *Omne scitum a Deo, necesse est esse verum*, et ex hac minori nimirum *hoc futurum contingens, scilicet, Petrus curret, est scitum a Deo,* sequetur hæc conclusio necessaria, nempe, *Ergo necesse erit, esse verum quod Petrus curret :* ac proinde necesse erit, ipsum currere : alioqui non erit necessario verum, quod curret.

Confir-matur secundo. Confirmatur secundo. Nam *scire* Dei est ipsum *esse* ejus : sed ipse non potest non esse : ergo non potest non scire, quod scit : ergo nequibit scire futura contingentia. Patet consequentia : quia hæc sunt talis naturæ, ut sicut possunt esse, et non esse, ita qui illa scit, potest ea scire, et non scire.

ertium. 8 Tertio, Scientia debet esse de necessariis, quæ non possunt aliter se habere, ut constat ex 1. Posteriorum cap. 2. sed futura contingentia hoc ipso, quod talia non sunt necessaria : ergo non possunt cadere sub objecto scientiæ summæ necessariæ, qualis est divina.

Confir-matur. Confirmatur. Per medium necessarium non potest cognosci aliquid contingens, quia si medium est necessarium, et conclusio erit necessaria : sed Deus cognoscit omnia, quæ scit, per medium necessarium, nempe per suam essentiam : ergo nequit aliquid contingens scire.

Ultimum. 9 Ultimo. Quia si Deus certo sciret futura contingentia, tunc auferretur omnis humana providentia, et cura, ac sollicitudo, quam unusquisque debet habere de suis rebus, et præcipue de spirituali salute, contra illud secundæ Petri 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis.* Probatur sequela. Nam prudenter posset dicere unusquisque apud se, aut Deus scit me consensurum vocationi, et habiturum dolorem de peccatis? aut scit non consensurum? si secundum, nunquam consentiam, quantumvis id ex parte mea præstare contendam : si vero scit primum, quomodocunque me geram, consentiam, etiamsi nullam diligentiam adhibeam, quia meus consensus est futurus; siquidem est a Deo prævisus : ergo possum otio, ac voluptati vacare, et de mea conversione sollicitus non esse.

§ II.

Vera, et catholica sententia.

Assertio. 10 Dicendum tamen est, Deum certo scire futura contingentia absoluta. Ita passim in Scriptura sacra, Psal. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe : semitam meam, et funiculum meum investigasti : et omnes vias meas prævidisti.* Daniel 13. *Domine, qui nosti omnia, antequam fierent.* Eccles. 23. *Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt cognita.* Quare Isaiæ 41. speciali ratione tribuitur Deo, in signum suæ divinitatis, quod sciat futura : unde dicitur : *Annunciate quæ ventura sunt et sciemus quia Dii estis vos.* Et propterea Joann. 14. inquit Christus Dominus : *Nunc dixi vobis prius quam fiat, ut cum factum fuerit, credatis :* nimirum me esse Deum : cui soli convenit futura prænoscere. Quæ testimonia de cognitione certa, et infallibili a Patribus, et universis Theologis intelliguntur.

Et deinde hoc ipsum confirmant omnes prophetiæ, quæ in sacra Scriptura continentur. Quia tota certitudo prophetiæ in hac scientia, et cognitione certa Dei initur : quandoquidem ideo creduntur, et revelantur a Prophetis, ut infallibilia, quia revelantur ut dicta a Deo tanquam certo futura; cum tamen non posset Deus ita illa prædicere, nisi eodem

modo ea cognosceret. Unde optime Tertul. lib. 2. contra Martionem dixit, quod præscientia Dei tot habet testes, quod sunt prophetiæ. Tandem hoc ipsum docent Patres, ut nuper innuebamus. August. lib. 5. de Civit. Dei cap. 9. ubi contra Ciceronem, negantem Deo scientiam futurorum contingentium, a voluntate creata procedentium, invehitur, inquiens : *Quod ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos.* Et ibidem loquens contra eundem Cicer. ait : *Qui non est præscius omnium futurorum, non est utique Deus.* Idem docet lib. 4. de Trinit. cap. 8. et similiter Fulgentius de fide ad Petrum cap. 31. et 32. Hieronym. Isaiæ 41. et Ezechiel 2. Basilius Isaiæ 3. Dionys. de divin. nominibus, cap. 9. Cyrill. lib. 9. cap. 10. in Johan. Nyssænus lib. 8. cap. 4. Anselm. lib. de præscientia, et prædestinatione liberi arbit. c. 1. et D. Thom. in hoc art. et infra quæst. 86. art. 3. ac 4. in 1. dist. 38. art. 5. ibidemque ad Anibaldum 1. cont. Gent. cap. 67. de Verit. quæst. 2. art. 12. et quodlib. 12. quæst. 3. eandemque veritatem receperunt Philosophi, ut Seneca lib. de providentia, et Plutar. lib. de sapientia Ægyptiorum, et omnes fere nationes : quæ ob hanc rationem summam venerationem divinis oraculis de futuris semper habuerunt.

Ratio prior assertionis D.Thom.

11 Ratio autem prior, et fundamentalis hujus veritatis, adducta est a D. Thom. loco citato ex 1. contra Gent. et locis disput. 5. num. 43. et 49. hujus tractatus adductis; quæ potest ad hanc formam reduci. Nam scientia Dei connotando voluntatem, seu scientia practica ipsius, est causa futuritionis omnium futurorum contingentium, ut ex ibidem dictis constat, et infra magis ostendetur : ergo non possunt non per eam prædicta futura contingentia certo sciri. Patet consequentia. Nam sicut calor non potest producere calorem, nisi calefaciendo; nec aqua potest causare frigus, nisi frigefaciendo, ita nec scientia poterit esse causa futuritionis contingentium, nisi sciendo, ac proinde nisi certo cognoscendo.

Alia ratio Divi Thomæ.

12 Secunda ratio, quam idem Sanctus Doctor innuit, potest sub hac forma proponi. Nam certum est, Deum scire futura contingentia, dum in suo determinato tempore habent in se existentiam : ergo etiam certum erit, ea ab æterno scivisse. Consequentia patet. Quoniam alioqui scientia Dei esset variabilis, ita ut posset pati additionem, vel diminutionem in tempore, et per consequens non esset infinite simplex, nec actus purissimus. Antecedens autem probatur. Tum quia in nobis pertinet ad perfectionem, scire contingentia quando sunt : ergo hoc non debet Deo denegari. Tum etiam : quia si Deus nesciret contingentia, adhuc quando sunt, non posset esse judex actionum liberarum voluntatis creatæ, ac proinde nec illis debitum præmium, aut pœnam tribuere. Tum denique : quia futura contingentia, quandiu sunt in se ipsis existentia, habent certam et determinatam entitatem, juxta illud : *Omne, quod est, quando est, necesse est esse :* ergo eodem modo habent determinatam et necessariam scibilitatem : et sic poterunt tunc a Deo certo sciri.

§ III.

Diluuntur argumenta initio adducta.

Ad pr mum.

13 Ad primum, neganda est sequela. Et ad probationem, eligenda est prior pars illius dilemmatis; sed neganda est consequentia inde illata. Nam cum Deus illud futurum contingens, quod de facto erit, sciat eo modo, quo futurum est, et modus illius consistat in hoc, quod licet in suo determinato tempore habeat postea de facto existentiam, nihilominus potuerit non habere illam; inde est, quod per hoc, quod prædictum futurum potuerit non existere, non fallatur, aut falli possit divina scientia, sed potius falleretur, aut fallibilis esset, si tale futurum non posset non esse aut si de facto non daretur.

Object

14 Nec refert, si objicias, quod si conversio, v. g. futura D. Petri, et ejus fletus amarus re ipsa non daretur, tunc falleretur divina scientia, qua præcognovit prædictam conversionem : ergo si fletus ille potuit non esse, potuit utique prædicta scientia falli. Patet consequentia. Quia quod facit actus actu, facit potentia in potentia : ergo si data actuali omissione illius fletus, falleretur scientia Dei; fiet inde, quod si potest talis omissio dari, possit etiam divina scientia falli.

Respo sio.

Respondetur enim, concedendo antecedens, et negando consequentiam. Quia, ut in tract. de Voluntate Dei disp. 10. num. 93. et 94. magis explicabimus, arguitur virtualiter ab una de sensu composito, et ab alia de sensu diviso, ad alteram

ram de sensu composito : qui modus arguendi est vitiosus. Nam ibidem fit virtute hic syllogismus : *Si conversio v. g. D. Petri, et ejus fletus amarus re ipsa non daretur, tunc falleretur divina scientia : at talis fletus potest non dari : ergo potest falli divina scientia :* cumque ex his tribus propositionibus prima reddat sensum compositum, et secunda divisum, tertia vero compositum, ut loco citato explicabitur ; fit inde, ut virtualiter arguatur ab una de sensu composito, et alia in diviso, ad alteram in sensu composito.

Et ad probationem in contrarium respondetur, concedendo antecedens, si intelligatur (ut re vera debet intelligi) de actu, et potentia ei correspondente, et negando consequentiam : quia in consequenti non ponitur propria potentia correspondens illi actui. Nam actus, qui ibi conditionaliter ponitur, est non fletus conjunctus cum divina scientia de futuritione fletus, et existentia illius pro tempore futuro, ac proinde conjunctus cum futuritione ejusdem fletus, et existentia ejus tempore prædicto : at potentia, quæ ibidem admittitur non est potentia ad ponendum non fletum conjunctum cum his omnibus, sed ad ponendum ipsum non fletum secundum se : et per consequens non ponitur propria potentia correspondens prædicto actui.

lucidatio. 15 Manebitque hæc solutio magis elucidata, si notetur, quod semel supposita futuritione libera illius fletus, et determinatione adæquata omnium causarum in ordine ad ipsum, præscivit Deus : tum, quod erit talis fletus, non utcunque, sed libero modo ; ac proinde, quod ita erit pro tempore, pro quo fuit, ut etiam potuerit esse omissio illius, quamvis de facto non erit : tum etiam, quod semel supposita omnimoda futuritione fletus ex parte determinationis omnium causarum, ac proinde quod in debito tempore reipsa sit, nequit componi, seu simul poni omissio illius. Et ita si adhuc facta suppositione, quod D. Petrus libere fleret, ac proinde, quod potest non flere, daretur, quod impossibile esset flere, vel quod non posset non flere, vel supposito, quod fleret, daretur simul omissio talis fletus ; tunc in aliquo ex his eventibus, et non aliter falleretur actu, et in exercitio Deus : quia tunc tantum daretur actu, et in exercitio oppositum ejus, quod Deus præscivit, ut intuenti constabit.

Unde ad hoc, ut detur potentia correspondens huic actui, nimirum Deum falli, requirebatur, ut posset contingere, vel quod impossibilis esset ille fletus, vel quod non posset non esse, vel quod facta suppositione illius, posset componi cum eo, ac proinde cum scientia Dei de tali fletu futuro, omissio ipsius : non vero sufficit, quod talis omissio possit esse, vel quod non facta suppositione prædicta fletus, et scientiæ de illo, daretur actu prædicta omissio. Quare cum ad hæc non detur, nec possit dari aliqua potentia, fit inde, ut in hac objectione non arguatur ab actu ad potentiam ei correspondentem. Et ita ex eo, quod facta suppositione illius futuri, daretur omissio illius, ac proinde falleretur divina scientia, non recte colligitur posse falli ex possibilitate omissionis illius fletus ; sed, ut nuper dicebamus, id tantum posset colligi, vel ex impossibilitate fletus, vel ex eo, quod non possit non esse, vel ex possibilitate compositionis prædictæ omissionis cum fletu futuro ; atque adeo cum scientia de illo : quia tantum ex his, vel ex eorum aliquo sequitur, scientiam Dei actu, et in exercitio fallendam.

Replica. 16 Nec refert, si urgeas, non posse inter se cohærere ea, quæ in hac solutione diximus. Nam juxta Aristotel. possibile dicitur illud, quo posito nullum sequitur impossibile : sed si D. Petrus non fleret de facto suum peccatum, sequeretur quoddam impossibile, nempe quod præscientia Dei circa illum fletum falleretur, ut nuper asserebamus : ergo non potest cum hoc cohærere, omissionem prædicti fletus esse possibilem.

Solutio. Respondetur enim, quod illa diffinitio rei possibilis, ab Aristot. tradita, debet intelligi, quoties possibilitati rei non est conjuncta infallibilis, et certa futuritio sui oppositi. Nam si hæc conjungatur, non est admittendum, quod tale possibile ponatur in esse, ex eo, quod inde fieret conjungendam esse existentiam illius cum existentia sui oppositi : et ita in casu objectionis, simul dandum esse fletum D. Petri, et omissionem illius, quod implicat. Unde quia posita præscientia prædicti fletus, est infallibile, et omnino certum, quod actu, et in exercitio talis fletus dabitur, ideo nunquam debet admitti, quod oppositum illius, scilicet non fletus de facto ponatur, quamvis absolute, et simpliciter sit possibilis.

Ad primam confirmationem.

17 Ad primam confirmationem respondetur, distinguendo antecedens : et si intelligatur de impotentia in sensu composito, et orta ex suppositione aliqua, seu ex hoc, quod *Omne, quod est, quando est, necesse est esse*, sive (quod in idem redit) de impotentia consequente, concedendum est; si vero intelligatur de impotentia in sensu divino, seu simpliciter tali, sive antecedente, negandum est. Et eodem proportionali modo distinguendum est consequens primæ consequentiæ. Et deinde debet negari secunda consequentia. Quia, ut esset legitima, requirebatur, ut antecedens, et similiter consequens primæ consequentiæ essent vera in posteriori sensu.

Explicatur.

Explicatur hoc. Etenim ex hoc, quod scientia Dei non sit fallibilis, et terminetur ad aliquod futurum contingens, quod de facto erit, sciendo illud re ipsa habiturum existentiam, quamvis possit eam non habere, solum sequitur, quod non possit in sensu composito, seu simul scire non existentiam illius futuri, et per consequens nec scire possibilitatem sui oppositi in sensu composito : quia hæc tantum requiruntur ad ejus infallibilitatem, ut nuper dicebamus. Hinc tamen nullum infertur inconveniens. Quia non posse Deum scire ea, quæ diximus, ortum habet ex sensu composito, et ex suppositione hujus, quod est; quamlibet rem dum est, necesse est esse, et ejus oppositum non esse cum ea composibile; seu (quod in idem redit) tantum est impossibilitas consequens, et orta ex existentia, tam divinæ scientiæ, quam futuri eventus : non vero prædicta impossibilitas est in sensu divino, seu non est impossibilitas absolute, et simpliciter talis, sive (quod in idem coincidit) non est impossibilitas antecedens, tam ex parte objecti, quam ex parte scientiæ, consistens in hoc, quod nulla facta suppositione divinæ scientiæ, aut futuritionis effectus, et existentiæ ejus respectu æternitatis, nec objectum potest aliter esse, nec divina scientia potuisset aliter terminari ad illud objectum. Nam si hæc impossibilitas esset impossibilitas antecedens, tunc per illam scientiam Dei non cognosceretur prædictum contingens quatenus tale : siquidem ad cognoscendum illud, ut contingens, non satis est cognosci habiturum existentiam pro tempore illo determinato, pro quo eam habiturum dicitur; sed quod simul cognoscatur, posse nihilominus eam non habere, et quod divina scientia in illo priori antequam terminetur ad futurum, et antequam supponatur futuritio effectus, et præscientia ipsius in æternitate, potuerit non terminari ad illud, ut futurum.

18 Et ita ex hoc tantum habetur, futurum illud contingens in sensu composito futuritionis, et existentiæ habitæ pro tempore, pro quo eam habiturum dicitur, non posse aliter evenire, seu quod facta suppositione suæ futuritionis, et existentiæ, non possit potestate consequente non esse futurum : non tamen, quod absolute, et simpliciter, sive potestate antecedente, aut in sensu diviso, non possit non esse : at non hoc ultimum, sed illud prius ad rationem futuri contingentis desideratur. Sed de his videantur ea, quæ in tract. de Volunt. Dei disp. 10. num. 84. et sequentib. dicemus : ubi sensus compositus, et divisus ex professo explicatur : et eo explicato, recteque intellecto, omnia hæc satis patebunt.

Corroboratio ex D. Thom.

Quæ solutio desumitur ex D. Thom. tum de Verit. quæst. 6. art. 3. ad 10. et art. 4. ad 8. et quæst. 24. art. 1. ad 13. et 1. part. quæst. 19. art. 8. ad 1. et ad 3. necnon in 1. dist. 39. art. 1. ad 3. his verbis : *Illud, quod est, necesse est esse dum est, absolute tamen loquendo, non est necesse esse, ita et Deum scire, necessarium est dum scit, non tamen necesse est eum scire, nisi necessitate immutabilitatis, quæ libertatem voluntatis non excludit, et hæc libertas significatur cum dicitur, quod Deus potest hoc non scire.* Tum etiam 1. cont. Gent. cap. 67. his verbis : *Unumquodque ; a Deo cognoscitur, sicut præsentialiter visum : sic necessarium erit, quod Deus cognoscit ; sicut necessarium est, Socratem sedere ex hoc, quod sedere videatur.*

Ad secundam confirmationem.

19 Ad secundam confirmationem respondetur primo, distinguendo antecedens : *Non erit in potestate D. Petri tollere hoc antecedens, nimirum quod Deus præscierit illum fletum*, potestate absoluta, et simul infallibilitatis, concedendum est : potestate præcise absoluta, quæ est composibilis cum possibilitate infallibilitatis illius præscientiæ, seu cum hoc, quod est esse infallibile, Deum præscire illum fletum, quamvis absolute possit eum non præscire, negandum est. Et eodem modo debet distingui prima pars consequentis : et deinde neganda omnino est consequentia quoad secundam ejus partem.

Et ad probationem antecedentis, quatenus contra distinctionem datam pugnare potest, dicendum est, quod ex æternitate divinæ scientiæ circa futuritionem illius

illius fletus, solum potest colligi, quod hoc ipso, quod terminetur actu ad illum, debet invariabiliter ad ipsum terminari : hoc autem tantum arguit, esse necessariam necessitate ex suppositione præsentialitatis; non tamen necessitate simpliciter; atque adeo hinc non fit, non terminari libere ad prædictum fletum. Sicut licet demus, quod actus liber, quo Deus voluit producere hoc universum, mensuretur etiam quoad terminationem per æternitatem; non tamen inde fit esse necessarium necessitate simpliciter, et incomposibili cum libertate, sed solum necessitate secundum quid, et ex suppositione præsentialitatis. Quæ solutio sumitur ex D. Thom. in 1. dist. 39. quæst. 1. art. 1. ad 1. et de Veritate quæst. 16. art. 3. ad 10. Ad probationem vero consequentiæ concedendum est antecedens, juxta distinctionem datam. Et consequentia quoad ultima ejus verba, scilicet : *Non poterit tollere, quin talis fletus sequatur*, neganda est, si intelligatur de potestate absoluta, et simpliciter tali.

Declaratio solutionis.

20 Declaratur. Etenim licet D. Petrus non habuerit una cum potentia absoluta, et simpliciter tali, potentiam infallibilitatis ad tollendam præscientiam Dei circa suum fletum, seu (quod idem est) non potuerit facere, quod fuerit infallibile, Deum non præscire prædictum fletum, atque adeo non habuerit potentiam ad non flendum, quæ sit incomposibilis cum scientia fletus actu futuri; attamen habuit præcise potentiam absolute, et simpliciter talem, ad tollendum præscientiam Dei circa suum fletum, ad hunc duntaxat sensum, quia nimirum potuit non habere fletum, qui si non esset, non præfuisset in Deo scientia fletus, sed potius omissio illius : et ideo fuit in eo potentia ad tollendum prædictam scientiam composibilis cum infallibilitate ejusdem divinæ scientiæ circa fletum, seu cum hoc, quod est, re ipsa, et de facto Deum prævidisse illum fletum; ita ut nunquam re ipsa, et actu verificetur, Deum absolute illum prævidere.

Unde eodem etiam proportionali modo comparatur cum fletu futuro, qui est consequens illatum ex illo antecedenti, nimirum ex præscientia Dei. Nam licet non habeat potestatem absolutam, et simul infallibilitatis ad non flendum, quæ quidem potentia est incomposibilis cum fletu; habet tamen potestatem præcise absolutam ad non flendum, quæ composibilis est cum fletu infallibiliter futuro. Hæc autem potestas satis est ad salvandam libertatem, et ad hoc, quod fletus ille futurus, maneat in ratione futuri contingentis.

21 Nec propterea regulæ illæ Dialecticorum, in hac confirmatione adductæ, manent infirmatæ. Non quidem prima. Quia juxta hunc dicendi modum, parem potentiam, vel impotentiam ad tollendum antecedens, et consequens ponimus, ita ut in eo sensu, in quo potest tolli, vel non tolli antecedens, possit auferri, vel non auferri consequens. Sed nec secunda. Quia ad hoc, ut in bona consequentia non possit quis efficere, ut dato antecedenti vero, consequens sit falsum, satis est, ut consequens sit infallibiliter verum, seu (quod in idem redit) quod ita sit verum, ut de facto nunquam sit falsum : et ad hoc sufficit, quoad præsens attinet, non esse in potestate D. Petri, potestate absoluta, et simul infallibilitatis, suus non fletus; sed quod sit ipsi impossibilis possibilitate infallibilitatis, et possibilis possibilitate absoluta, et composibili cum possibilitate infallibilitatis oppositi actus, scilicet fletus.

Animadversio.

Diximus in idem redire, quod consequens ita sit verum, ut nunquam sit falsum, ac quod sit infallibiliter verum : quia hoc ipso, quod consequens sit actu verum, oportet, ut sit necessarium necessitate ex suppositione, et secundum quid, quatenus omne, quod est, quandiu est, ex suppositione, quod est, necesse est esse : constat autem, quod necessitas ex suppositione, vel secundum quid, aut in sensu composito existentiæ rei, coincidit cum infallibilitate, et e converso.

Alia solutio confirmationis.

22 Secundo ad eandem secundam confirmationem respondetur, quod regula illa : *Qui non potest tollere antecedens, nec potest tollere consequens*, intelligitur cum hac limitatione, nimirum dummodo antecedens sit necessarium, et necessario inferens consequens; non vero si propria causalitas antecedentis consistat in hoc, quod inferat libere illud consequens; seu in hoc, quod faciat, quod prædictum consequens libere causetur : tunc enim ablatio antecedentis non est necessaria ad hoc, ut possit auferri consequens; sed sicut positio illius desideratur ad hoc, ut consequens libere fiat, et inferatur, ita ad hoc, ut possit non subsequi. Quare cum ex scientia illa, qua Deus præscivit, fletum Divi Petri futurum libere, inferatur

hoc consequens, scilicet fletus ejusdem Divi Petri, et proprius effectus illius scientiæ sit facere, quod D. Petrus libere fleat; inde est, quod ad hoc, ut possit tolli illud consequens, non sit necesse posse auferri prædictum antecedens, nempe scientiam Dei circa illud.

Additamentum D.Thom.

Adde quod, ut bene notavit D. Thom. in præsenti in solutione ad secundum, et innuit in 1. dist. 39. quæst. 1. art. 1. ad quartum, quando in antecedenti ponitur aliquod verbum designans actum animæ : qui non potest tollere antecedens, non potest tollere consequens, ut substat illi antecedenti; bene tamen potest tollere illud absolute. Unde quia in hoc antecedenti, *Deus scivit Petrum fleturum*, illud verbum *scivit* designat actum animæ; propterea qui non potest tollere prædictum antecedens, nequit auferre consequens, scilicet *Petrus flebit*, ut stat sub illo antecedenti. Quia vero stat sub illo, ut est præsens in æternitate, ideo non potest tollere illud, ut est præsens, et ex suppositione præsentialitatis; bene tamen absolute : et sic manet libertas. Tum quia necessitas ex suppositione præsentialitatis non tollit libertatem. Tum etiam : quia non posse tollere consequens illud, ut subest prædicto antecedenti, seu ut infertur ex illo, tantum est, non posse tollere illud in sensu composito, id est, componendo, seu faciendo, quod sint simul scientia Dei de illo fletu, et quod talis fletus non sit; non vero, quod absolute, et simpliciter non possit non poni prædictus non fletus. Quia, ut nuper dicebamus, illud antecedens, nimirum scientia Dei, tantum infert, quod non componatur, nec componi possit cum non fletu; non tamen, quod ille non fletus non possit non esse, sed potius infert possibilitatem illius.

Ad secundum.

23 Ad secundum, concedenda est major, et neganda minor. Et ad probationem respondetur, antecedens illius propositionis, *Sortes curret, si est præscitum*, non esse revera de præterito, licet extrema specie, et secundum voces, de præterito videatur, ut optime notavit D. Thom. in 1. sentent. dist. 39. art. 1. ad 1. inquiens : *Actus divinæ scientiæ nunquam transit in præteritum, sed semper est in actu : et ideo semper manet in libertate divinæ voluntatis.* Sicut ob eandem rationem, de Veritate quæst. 6. art. 3. ad 10. loquens de prædestinatione, ait : *Absolute loquendo, Deus potest unumquemque prædestinare, vel non prædestinare, aut prædestinasse, vel non prædestinasse; quia actus prædestinationis, cum mensuretur æternitate, nunquam cadit in præteritum, sicut nunquam est futurus. Unde semper consideratur, ut egrediens a voluntate per modum libertatis. Tamen ex suppositione hoc efficitur impossibile : non enim potest non prædestinare, supposito, quod prædestinaverit, vel e converso.* Et art. 4. ad 8. asserit, idem esse intelligendum de præscientia. Adde, quod ex iis, quæ ad secundam confirmationem argumenti præcedentis diximus, satis hoc secundum argumentum manet solutum, ut intuenti patebit.

Ad primam confirmationem.

Ad primam confirmationem constat ex dictis, quomodo ex necessitate alicujus, vel aliquarum præmissarum, non sequatur necessitas in consequenti, nisi in quantum subest, et infertur ex antecedenti : et quomodo ex illis præmissis, solum sequatur hoc consequens, scilicet *Petrus curret, si est scitum a Deo, esse verum* : non quidem necessitate absoluta, sed ut subest antecedenti, id est, prout est præsens in æternitate, et ratione illius præsentiæ, ac proinde sola necessitate ex suppositione, quæ non tollit libertatem.

Additamentum D.Thom.

Adde (ut bene notavit D. Thom. de Verit. quæst. 2. art. 12 ad 4.) quod cum dicitur, omne scitum a Deo necesse est esse verum, dupliciter potest intelligi : vel ita ut sit de dicto, vel ita ut sit de re. Si sit de dicto, tunc est composita, et vera : et reddit hunc sensum, quod non potest simul esse, ut Deus sciat aliquid, et id non sit. Si vero sit de re, sic est divisa, et falsa : quia est sensus, quod id, quod est scitum a Deo, est necessarium, et habet veritatem necessariam. Quod, ut constat, est aperte falsum : siquidem res, quæ a Deo sunt scitæ, non propter hoc necessario eveniunt. Unde ex illa majori posita in hac confirmatione, et ex minori statim subsumpta, solum sequitur esse necessario verum in sensu composito, quod Petrus curret, si est scitum a Deo, id est, non posse componi scientiam Dei de cursu Petri cum non cursu illius, non vero in sensu diviso. At ad libertatem satis est, Petrum posse non currere in sensu diviso, ut tract. 4. disp. 10. num. 84. dicemus.

Ad secundam confirmationem.

Ad secundam confirmationem patet ex dicendis tract. 4. disp. 7. num. 47. et deinceps.

24 Ad tertium, satis esse ad scientiam, ut id, quod per illam scitur, sit necessarium necessitate

necessitate ex suppositione præsentialitatis, juxta illud axioma : *Omne, quod est, quando est, necesse est esse* : at futura contingentia attinguntur a Deo, quatenus sunt præsentia in æternitate, ut D. Thom. in præsenti art. docet, et disp. 8. num. 40. et deinceps dicemus : ubi etiam explicabimus, quomodo in futuris contingentibus absolutis, in idem redeat, videri in decreto, et ex suppositione illius, et videri ut præsentia in æternitate : et per consequens in idem etiam coincidat, esse necessaria necessitate ex suppositione præsentialitatis, et necessitate ex suppositione decreti divini.

Ad confirmationem respondetur cum eodem Angelico Doctore de Veritat. quæst. 2. art. 12. ad 12. his verbis : *Duplex est cognitionis medium. Unum, quod est medium demonstrationis : et hoc oportet esse proportionatum conclusioni, ut, eo posito, conclusio ponatur : et tale medium cognoscendi, non est Deus respectu contingentium. Aliud medium cognitionis est, quod est similitudo rei cognitæ : et tale medium cognitionis, est divina essentia : non tamen est adæquatum, et proportionatum alicui; etsi sit proprium singulorum.*

Adde, quod essentia divina secundum se, non est medium cognoscendi determinate futura contingentia, nisi ut præsupponit decretum liberum Dei. Unde medium cognoscendi, non est necessarium, ut opponitur libero, sed potius illud includit.

25 Ad ultimum respondet optime sapientissimus Mag. Cornejo, 1. tom. in 1. part. tract. 1. circa quæst. 14. art. 13. disp. 1. dub. 2. num. 6. negando sequelam. Quia licet certum sit, Deum scire futurum esse, ut de tuis peccatis efficaciter doleas; attamen cum Deus non sciat hoc excludendo tuam diligentiam, et sollicitudinem, sed mediante illa, evidenter sequitur, sollicitudinem tuam frustraneam non esse, sed potius omnino requisitam, ut eveniat, quod non aliter, quam illa mediante præcognitum est fore. Sicut etiam in humanis stulta est similis argumentatio : aut Deus præscivit me sumpturum hodie cibum, aut præscivit non sumpturum ? Si præscivit sumpturum, non est cur diligens sim, nec faciam, quod in me est, ut sumam, quia certo erit : si vero præscivit non sumpturum, quidquid faciam, non sumam, quia scientia Dei est infallibilis : otiosus ergo sim; nec est cur curem de sumendo cibo. Cujus ratio est eadem. Nam licet certum sit te sumpturum cibum, eo quod est a Deo præcognitum; tamen quia non præscivit Deus, nisi mediante tua cura, ac diligentia libere apposita, stulte non vis apponere illam.

Et certe idem argumentum potest fieri, etiam si Deus per impossibile præscius non esset futurorum. Nam de facto, et in re, seclusa Dei præscientia, aut iste effectus est futurus ? aut non est futurus ? si est futurus, ergo impertinentes, et superfluæ sunt diligentiæ, et curæ hominum, quia etiam sine illis erit futurus : si vero futurus non est, nihil proderunt diligentiæ nostræ, ut eveniant, quantumcunque efficaciter fiant : ergo non est cur solliciti simus, et diligentes in rebus nostris, sed omnia fato, et fortunæ relinquamus. Invalida namque est, stulta ista consequentia : quia ex suppositione, quod talis effectus sit futurus, non est futurus, nisi cum dependentia ab his mediis.

DUBIUM III.

Utrum Deus certo sciat futura libera absoluta per suam essentiam, et divinas ideas, ut repræsentant veritatem ipsorum, antecedenter ad decretum suæ voluntatis ?

26 Semel explicato *an est* scientiæ divinæ circa futura contingentia, seu libera absoluta, statim pulsat animum inquirere, quomodo Deus habeat scientiam illorum ? et ideo ad hoc exacte explicandum, tam hoc, quam sequentia dubia hujus disputationis excitantur. Explanatio tituli.

In hoc autem dubio aliquid ut certum supponimus, et aliquid in controversiam vocamus. Supponimus enim cum D. Thom. in præsenti, et quæst. sequenti, necnon de Verit. quæst. 2. art. 7. ad 6. et quæst. 3. art. 6. et 1. cont. Gent. cap. 66. quem sequuntur Capreolus in 1. distinct. 38. quæst. 1. art. 2. ad argumenta Scoti, Cajet. Zumel, Bannez, Nazarius, Gonzalez, Ripa, et communiter ejus discipuli, et alii plures, Deum certo cognoscere futura contingentia absoluta per suam essentiam, et ideas. Quia divina essentia, ut habet rationem speciei intelligibilis, et ideæ, ut sunt exemplaria omnium creaturarum, sunt infinite perfecta in ratione repræsentandi : et propterea unumquodque ex his in genere suo potest, saltim si determinetur per decretum divinæ voluntatis, repræsentare

quamlibet creaturam, sive existentem, sive futuram. Et ita poterunt deservire divino intellectui, per modum artificis operanti in ordine ad prædictam cognitionem. Vocamus autem in controversiam, an divina essentia, ut habet rationem speciei intelligibilis, divinæque ideæ habeant hoc munus antecedenter ad decretum, quo Deus decernit, ut prædicta futura contingentia sint in aliqua differentia temporis? atque adeo an scientia Dei certo sciat illa per suam essentiam, et divinas ideas antecedenter ad tale decretum?

§ I.

Opinio affirmans.

27 Partem affirmantem tuentur Ægidius Romanus in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 2. in corpore circa finem, et quæst. 2. art. 1. Henricus relatus a Corduba lib. 1. quæstion. quæst. 55. dub. 8. favet D. Bonavent. in 1. dist. 39. art. 2. quæst. 3. Pro qua sententia possent referri Suarez, Molina, et alii; sed eorum placita, quia involvunt speciales difficultates, proponemus dubiis sequentibus.

Primum argumentum.

Probatur primo, testimonio D. Thom. in hoc art. ubi inquit, Deum certo scire futura contingentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, nempe ideas, sed etiam quia sunt ipsi præsentia: ergo sentit, ipsum scire prædicta futura contingentia per suam essentiam, et divinas ideas; et non utcunque, sed antecedenter ad suum decretum liberum. Patet conseq. Quia ultra illum modum sciendi futura contingentia, seu libera, quatenus sunt ipsi præsentia, ac proinde ratione decreti, per quod sunt coexistentes Deo in æternitate, admittit alium, scilicet quatenus habet apud se rationes omnium rerum, et per consequens non ratione decreti, seu dependenter ab eo, sed antecedenter ad ipsum.

Secundum.

28 Secundo. Nam essentia divina, et ideæ antecedenter ad decretum liberum, sunt infinitæ in repræsentando; ergo in illo priori repræsentabunt futura contingentia, et per consequens antecedenter ad decretum poterit Deus per suam essentiam, et ideas certo illa cognoscere. Hæc ultima conseq. patet ex priori. Quoniam quidquid repræsentatur intellectui Dei per divinam essentiam, et ideas antecedenter ad divinum decretum, potest in illo priori certo ab eo cognosci, ut inductive constat. Prima vero conseq. ex antecedenti liquet. Tum quia alioqui essentia, et ideæ divinæ non essent infinitæ in repræsentando: siquidem non extenderentur ad futura contingentia. Tum etiam, quia alias variaretur earum repræsentatio: quandoquidem post decretum repræsentarent aliquid, quod antea non repræsentabant. Antecedens autem est satis perspicuum. Quia cum essentia, et ideæ divinæ sint infinite perfectæ intra suam lineam, illa quidem in ratione speciei intelligibilis, istæ vero in ratione idearum, oportet, ut sint infinitæ in ratione repræsentativarum: quippe cum *esse* repræsentativum, licet diverso modo, ad lineam utriusque pertineat.

Confirmatur. Quia essentiæ, vel ideis divinis non potest accrescere aliqua perfectio ex decreto: ergo cum certum sit, quod post decretum repræsentant futura contingentia, debet etiam esse certum, quod ante illud, ea, et eorum veritatem repræsentant: et per consequens, Deum posse per suam essentiam, et ideas in illo priori habere scientiam prædictorum futurorum. Antecedens videtur certum. Nam sicut decretum liberum ex se non affert perfectionem, ex eo, quod illa perfectio esset libera, et per consequens aliqua perfectio, quæ est in Deo, et est Deus, posset non esse in illo, nec esse Deus, ita neque ex decreto potest essentiæ, et ideis divinis ulla perfectio accrescere. Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Quoniam repræsentare objecta pertinet ad perfectionem essentiæ divinæ, ut habet rationem speciei intelligibilis, et idearum: ergo si non potest illi accrescere aliqua perfectio ratione decreti, fit inde, ut si post decretum repræsentat illa, quod etiam ante decretum ab ea repræsentabantur. Confirmatur.

29 Tertio. Nam ideæ divinæ, ut formalissime habent rationem idearum, et exemplarium, non sunt, nisi respectu creaturarum futurarum: ergo in illis, mediante tamen essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, poterit Deus antecedenter ad decretum, scire futura contingentia absoluta. Antecedens videtur expressum Divi Thomæ quæst. sequenti art. 3. in corpore, et ad secundum. Consequentia vero patet. Quia idea est forma necessaria, et non libera. Tum quia est unum ex divinis attributis; attributa autem divina sunt perfectiones necessario convenientes Deo. Tum etiam: quia non est utcunque Tertium.

attributum

attributum, sed intellectuale, et ad intellectum pertinens : attributa autem intellectualia ex se sunt priora attributis voluntatis, et multo magis decretis ab eadem voluntate procedentibus : et per consequens non sunt dependentia ab illis : nec ab eis habent *esse* liberum; ergo si idea, quatenus talis, est respectu futurorum, repræsentabit illa per modum formæ naturalis, et naturaliter ante divinum decretum : et per consequens poterit Deus in illis, mediante divina essentia, tanquam specie intelligibili, cognoscere omnia futura ante talem decretum.

Quartum. 30 Quarto. Nam si per impossibile Deus non esset libere volens futura contingentia, sed essent a casu respectu illius, vel quia producerentur a sola causa secunda independenter a prima, vel quia fierent ab alio Deo, nihilominus haberet scientiam illorum : ergo signum est, scientiam, quam Deus habet futurorum contingentium, non pendere ab ejus decreto libero, sed posse illa cognoscere in sua essentia, et divinis ideis antecedenter ad tale decretum. Consequentia videtur certa. Antecedens autem probatur. Quia cum dato prædicto impossibili, esset adhuc divina scientia infinita, non posset non terminari ad illa futura contingentia : siquidem haberent veritatem scibilem, et per consequens attingibilem a scientia infinitæ perfectionis, qualis tunc esset scientia Dei.

§ II.

Ex mente D. Thomæ dubii nodus dissolvitur.

Assertio. 31 Dicendum tamen est, Deum non posse scire futura contingentia absoluta per suam essentiam (ut habet rationem speciei intelligibilis) et ideas antecedenter ad decretum liberum, et efficax suæ voluntatis, in eo existens. Ita D. Thom. de Verit. quæst. 3. art 6. his verbis : *Idea potest esse ejus, quod nec est, nec erit, nec fuit; non tamen eodem modo sicut est eorum, quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt : quia ad ea, quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt producenda, determinatur ex proposito divinæ voluntatis : non autem ad ea, quæ sunt, nec erunt, nec fuerunt. Et sic hujusmodi habent quodammodo ideas indeterminatas.* Ubi, ut vides, juxta mentem Angelici Doctoris, ideæ divinæ non repræsentant determinate futura contingentia, nisi determinentur per propositum, seu decretum efficax divinæ voluntatis; atque adeo nec poterunt per scientiam Dei certo, et determinate ante tale propositum sciri : cumque essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis respectu creaturarum, commensuretur sibi ipsi, ut est objectum, vel idea, ut sæpe docet Sanctus Doctor, fit inde, ut juxta ipsius mentem, eadem essentia, ut habet rationem speciei intelligibilis, non repræsentet determinate prædicta futura ante prædictum propositum, et decretum efficax divinæ voluntatis.

Idem etiam docet Sanctus Doctor in 1. distinct. 39. quæst. 1. art. 2. ad 1. Ubi loquens de scientia futurorum, inquit : *Sicut ipsum scire est subjectum libertati voluntatis, ita et idea, secundum quod ad ipsam terminatur actus divinæ scientiæ, sicut scientia artificis ad formam artificiati, quam excogitat : et ideo similis est ratio de idea, et de actu sciendi. Sicut enim non potest poni, quod actus sciendi sit in eo, et quod non fuerit, ita non potest designari, quod idea sit in eo, et non fuerit : tamen respectu utriusque potest designari libertas voluntatis.* Ubi, ut vides, tam scientia futurorum, quam ideæ illorum dicuntur esse subjecta libertati voluntatis divinæ, ac proinde nec scientia terminabitur ad prædicta futura, nec ideæ ulla certo repræsentabunt scienti, nisi cum subjectione, et (ut sic dicamus) dependenter a decreto libero, et efficaci divinæ libertatis. Et tandem hoc ipsum innuit in 1. dist. 36. quæst. 2. art. 13. et alibi sæpe.

Unde Sanctum Doctorem sequuntur Capreolus in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 2. Cajet. in præsenti § *ad secundum autem, et reliqua negatur antecedens, quod est radix omnium.* Et quæst. 15. art. 3. Zumel tom. 3. opusculorum fol. 24. § *ex dictis colligo.* Bannez ad hunc articulum, Gaspar Ram. relectione 2. de infallibilitate cognitionis divinæ circa futura absoluta assertione 4. fol. 39. Alvarez de auxiliis divinæ gratiæ disp. 14. et in responsionibus ad objecta adversus concordiam liberi arbitrii cum divina præscientia cap. 1. 2. et 5. Henriq. lib. ult. de fine hominis cap. 4. num. 2. Ledesma lib. 2. de auxiliis disp. 2. in 2. part. illius, Guillielmus Æstius in 1. disp. 41. § 7. Leonardus Coquæus Doctor Parisiensis loco infra disp. 10. dub. 8. num. 128. referendo, Nazar. controversia 1. et 2. Gonzalez disp. 43. 44. et 45. Ripa in hoc art. Cornejo in præsenti disp. 2. dub. 1. et communiter discipuli D. Thomæ, et alii quamplurimi, quos infra disp. 10. a num. 126. usque ad 131. referemus.

Ratio assertionis.

32 Ratio fundamentalis hujus assertionis tacta est a D. Thom. locis citatis, et potest ad hanc formam reduci. Quoniam essentia Dei, ut habet rationem speciei intelligibilis, aut ideæ, non repræsentant creaturas, sive futura contingentia, ut actu, et in exercitio existunt in aliqua differentia temporis, nisi determinentur per propositum divinæ voluntatis : ergo Deus nequibit per illas scire futura contingentia, antecedenter ad prædictum decretum. Consequentia patet. Quoniam nihil potest per illas a Deo cognosci, nisi per easdem repræsentetur : ergo si in illo priori, antequam determinentur per decretum efficax divinæ voluntatis, non repræsentant futura contingentia, ut in actu exercito existentia in aliqua differentia temporis, neque poterit per eas divina scientia ad prædicta futura, in illo priori terminari. Antecedens autem etiam constat. Quoniam essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, vel ut est idea, et rationes rerum, antequam determinetur per propositum divinæ voluntatis, repræsentat omnino naturaliter, et necessario : quandoquidem quidquid est in Deo ante omnem liberam determinationem suæ voluntatis, est omnino necessarium, ita ut nec possit, nec potuerit aliter se habere : ergo repræsentatio illa, tantum potest esse respectu objectorum necessariorum, et quæ nec possunt, nec potuerunt aliter se habere : ac proinde nequibunt per illam futura contingentia, quæ non habent *esse* necessarium, sed possunt aliter se habere, repræsentari.

Confirmatur.

33 Confirmatur ratione desumpta ex D. Thom. locis citatis disp. 7. num. 96. et deinceps, et disp. 8. num. 12. hujus tractatus. Nam futura contingentia, antecedenter ad decretum divinæ voluntatis, non habent rationem futurorum : ergo antecedenter ad illud non possunt per essentiam, aut ideas divinas repræsentari ut futura : ac per consequens, nec per divinam scientiam attingi certo, ut talia. Hæc ultima conseq. ex priori patet. Unde D. August. lib. 1. de Anima, et ejus origine cap. 12. *Ipsa* (inquit) *exinanitur præscientia omnino, si quod præscitur non erit. Quomodo enim dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* Quod etiam docet lib. de prædestinatione Sanctorum c. 4. Prior vero consequentia ex antecedenti constat. Nam sicut antecedenter ad divinam potentiam nihil potest repræsentari, ut possibile, quia cuncta possibilia habent esse talia ab illa, ut a primo fonte, et radice possibilitatis eorum, ita quia omnia futura contingentia habent rationem futurorum a decreto divinæ voluntatis, ut a primo fonte, et radice suæ futuritionis (modo tamen alibi explicato supra) idcirco non poterunt repræsentari, ut futura, antecedenter ad prædictum decretum.

Antecedens autem probatur. Quia nulla res creata habet ex natura sua, et ex propriis terminis existere in aliqua differentia temporis. Nam existere hoc modo, solum est proprium divinæ essentiæ : de cujus conceptum est, quod sit ipsum *existere*. Nec deinde potest aliqua res creata se ipsam ad statum futuritionis transferre; siquidem quandiu est sub statu possibilitatis, nihil est in se : et ita nequit aliquam causalitatem erga se ipsam exercere. Ac tandem licet habeat aliquam aliam causam secundam suæ futuritionis; attamen ut re ipsa, et complete sit futura, debet effectus iste in causam primam reduci : ergo cum causa prima non intelligatur causare ante actum suæ voluntatis, siquidem Deus ad extra est agens liberum, fit inde, ut nulla res futura, et per consequens nullum futurum contingens, habeat suam futuritionem ante decretum divinæ voluntatis.

Animadversio.

Diximus, decretum liberum Dei esse primam radicem futuritionis creaturarum, modo tamen alibi explicato, ut ista melius cohærerent cum iis, quæ supra disp. 5. hujus tract. num. 43. et deinceps asseruimus. Nam licet, ut ibidem ostendimus, potentia immediate executiva sit scientia practica Dei : quia tamen hæc, ut actu influit in ordine ad productionem futuram alicujus creaturæ, præsupponit liberam intentionem, et applicationem divinæ voluntatis circa rem illam futuram, ratione cujus scientia Dei applicatur ad prædictam productionem illius, propterea futuritio cujusvis effectus creati tribuitur decreto libero divinæ voluntatis, ut primo fonti, et principio, non quidem immediate executivo, sed initiativo illius futuritionis.

§ III.

Multiplex solutio adversariorum, et eversio earum.

Adversariorum duplex solutio.

34 Multipliciter posset ad hanc rationem responderi ex sententia adversariorum. Primo quidem, quod ad hoc, ut futura repræsententur

præsententur libere ex parte objecti per essentiam Dei, et ideas, satis est veritas objectiva, quam habent antecedenter ad decretum. Sed de solutione ista plura dicemus infra in hac disp. dub. 6. Deinde posset aliter, tam ad rationem, quam ad ejus confirmationem occurri. Ad rationem quidem, convincere, quod ante propositum divinæ voluntatis, ut futurum, non possunt per essentiam divinam, aut ideas repræsentari futura contingentia : non tamen ante prædictum propositum, ut formaliter existens in Deo. Quia satis est, ut tale propositum, seu decretum, in sequenti signo habeat existentiam, ad hoc, ut dependenter ab illo, et per ordinem ad ipsum repræsententur libere prædicta futura : ita ut si in sequenti signo Deus habuerit decretum creandi mundum, aut quod aliqua actio libera, a voluntate creata exerceatur, tunc in signo antecedenti repræsentetur per divinam essentiam, et ejus ideas mundus ut futurus, aut actio libera illa, ut futura. Si vero in eodem signo Deus decreverit non creare mundum, aut quod actio illa libera non exerceatur, tunc in signo antecedenti, hæc duo ut futura repræsententur.

35 Ad confirmationem vero potest etiam ex prædicta doctrina occurri, satis esse ad hoc, ut futura contingentia absolute, et creata habeant esse futura antecedenter ad decretum exercitum divinæ voluntatis, atque adeo possint repræsentari ut futura, quod in illo priori sit futurum decretum illud, per quod in sequenti signo Deus futuritionem eorundem decerneret. Nam hoc ipso, quod decretum creandi mundum sit in illo signo futurum, non potest non mundus habere aliquid amplius, quam rationem possibilis : quandoquidem ad hoc satis erat possibilitas illius decreti ; cumque id, quod immediate additur possibilitati in ordine ad essendum, tantum possit esse futuritio ; consequens est, ut mundus in illo signo dicatur futurus dependenter a futuritione prædicti decreti.

Sed quamvis hæc solutio satis manebit impugnata ex iis, quæ dubio sequenti, num. 48. et deinceps dicemus : ostendentes liberum decretum Dei nec posse habere rationem futuri, nec in illo signo, antequam Deus intelligatur decernere, seu ante primum actum liberum suæ voluntatis, posse per divinam essentiam certo repræsentari, aut cognosci ; nihilominus potest pro nunc breviter, efficaciter tamen impugnari. Quoniam futurum contingens habet rationem futuri a divina voluntate, tanquam a causa efficiente illius futuritionis. Tum quia id constat ex dictis. Tum etiam : quia ab eadem causa efficiente habet res, quod sit futura, et quod sit actu, et in exercitio existens : et nihil creatum est existens, nisi mediante decreto divinæ voluntatis : ergo repugnat, futurum contingens in illo priori habere rationem futuri, et quod ejus causa efficiens, scilicet divinum decretum, non sit in eodem signo existens : ac proinde antequam tale decretum existat in Deo, nequibit creatura aliqua repræsentari per divinam essentiam, aut ideas, ut futura.

Hæc ultima conseq. patet ex dictis, et ex priori. Prima vero etiam constat. Tum quia causa efficiens in hoc distinguitur a causa formali, vel materiali, quia istæ non petunt ex vi suæ lineæ indispensabiliter, et necessario, quod existant, ad hoc, ut causent ; secus vero causa efficiens, ut N. Complut. in lib. Phys. disp. 3. num. 62. expendunt : et ideo communiter a Philosophis dicitur, causam efficientem non causare, nisi secundum quod est in actu. Tum etiam : quia idcirco effectus modo præsens non potest fieri ab Antichristo, vel a quavis alia causa creata statim futura, quia Antichristus, vel res illa futura non est existens.

Confirmatio.

36 Confirmatur, et explicatur. Nam ex eo, quod creaturæ possibiles habent rationem possibilium a divina omnipotentia, tanquam a causa, sive ratione a priori suæ possibilitatis, propterea non possunt esse possibiles, usque dum omnipotentia habeat suam essentiam actualem : et ita in illo priori antequam intelligatur omnipotentia, nondum intelliguntur creaturæ possibiles in ratione possibilium : ergo hoc ipso, quod decretum liberum Dei sit primus fons, et origo futuritionis creaturarum, nequibunt istæ habere suam futuritionem, antequam prædictum decretum habeat suum *esse* actuale : alioqui effectus in actu, scilicet futuritio illa, non præsupponeret suam causam in actu.

Alia solutio.

Ex quo etiam manet impugnata quædam evasio, ab aliquibus ex junioribus adducta, nimirum, quod ex vi futuritionis decreti, in sequenti signo ponendi, saltim sequitur, ut id, quod, medio illo, est habiturum existentiam, habeat saltim futuritionem suæ futuritionis in signo antecedenti, in quo tale decretum dicitur futurum. Nam sicut futuritio effectus provenit a decreto, ut

existenti, ita futuritio futuritionis illius provenit ab eodem decreto, ut futuro : siquidem, ut in præcedenti solutione dicebatur, per hoc, quod decretum de productione mundi non solum sit possibile, sed futurum, non habet mundus præcise *esse* possibile, sed insuper aliquid aliud, majoremque accessum ad existentiam, quam ea, quæ sunt pure possibilia : cumque non habeat existentiam, aut futuritionem, non potest aliquid aliud habere, per quod magis accedat ad existentiam, nisi tantum futuritionis suæ, ut intuenti constabit. Hoc autem satis erit ad hoc, ut res illa repræsentetur per divinam essentiam, et ideas, tanquam habitura futuritionem, ut ex se patet; imo ut futura : quia in illa futuritione suæ futuritionis habet sufficientem determinationem ad hoc, ut sciatur, statim esse futuram.

Eversio illius.

Ex dictis igitur evasio hæc satis manet impugnata. Quia ex eis sufficienter constat, impossibilem esse hanc futuritionem futuritionis; siquidem hæc futuritio futuritionis debet reduci in Deum, tanquam in primam causam efficientem illius, ac proinde in divinum decretum : ergo cum causa efficiens nequeat causare, usque dum existat, et hoc ipso, quod prædictum decretum existat, jam res per illud præfinita habeat determinate *esse* futurum, consequens est, ut prælictum decretum nunquam possit causare futuritionem futuritionis, sed *esse* futurum rerum futurarum; atque adeo, quod possibile immediate debeat conjungi cum sua futuritione, vel non futuritione : et per consequens, quod nulla res habeat futuritionem suæ futuritionis.

Altera solutio.

37 Nec refert, si ad omnia fere, quæ huc usque diximus, respondeas, quod rem esse futuram, non est effectus aliquis in rerum natura existens : et ita non est necesse, ut assignetur illi aliqua causa efficiens, quæ ad prædictum effectum supponatur existere.

Refellitur primo.

Non itaque hoc refert : quoniam licet daremus, prædictum effectum non requirere causam efficientem, nihilominus non potest non desiderare causam formalem extrinsecam rei futuræ, et intrinsecam alteri, quæ præsupponatur existens. Et ratio est aperta. Nam licet *esse* futurum, non sit aliquod *esse* reale intrinsecum conveniens intrinsece rei futuræ, prout habet esse in se ipsa; est tamen vera, et realis denominatio extrinseca, proveniens illi ab actu libero divinæ voluntatis, ut num. 33. probatum est : ergo repugnat, vere, et realiter convenire illi prædictam denominationem extrinsecam, nisi vere, et realiter decretum divinum de illius futuritione, a quo vere, et realiter denominatur futurum, habeat esse actu. Sicut repugnaret, parietem vere, et realiter denominari extrinsece visum, nisi a visione, quæ vere, realiter, et actu esset.

Duplex alia impugnatio.

38 Deinde falsum est, quod rem esse futuram, non pendeat a decreto Dei, tanquam a prima causa efficienti illius futuritionis. Cujus duplex potest reddi ratio. Prima quidem. Quia omnis veritas, quæ non est talis per essentiam, atque adeo nec est ipse Deus, debet esse talis per participationem : ac proinde si fuerit veritas determinata rei liberæ, et quæ potuit aliter esse, debet esse talis mediante divina voluntate libera : ratione cujus effectus indifferentes ad *esse*, et non *esse*, habent determinari, et habere determinatam veritatem, ex eo, quod ipsa est primum indifferens, primumque se determinans.

Secunda vero. Quia sicut possibilitas creaturarum, prout est effectus extrinsecus divinæ potentiæ, et realis denominatio ab ea, ut a causa formali extrinseca proveniens, debet oriri ab eadem omnipotentia, ut a prima causa efficiente illius possibilitatis; ita *esse* futurum, quod est effectus extrinsecus, et denominatio extrinseca, procedens a decreto libero Dei, ut a causa formali extrinseca, debet provenire ab eodem decreto, ut a primo efficiente.

Explicatio posterioris impugnationis notatu digna.

39 Potestque hæc posterior ratio explicari : ex eo, quod quemadmodum forma, quæ per modum causæ formalis extrinsecæ, et modo explicato, tribuit aliquem effectum dependenter ab alio, ut a causa efficiente; tunc id, quod est causa efficiens formæ, ut denominantis, causat etiam efficienter effectum consurgentem ex extrinseca denominatione, et ex eo, quod denominatur (ut patet in denominationibus extrinsecis visibilis, et visi. Nam ex eo, quod denominatio visibilis provenit a potentia visiva, ut a causa formali extrinseca, ideo causa efficiens potentia visivæ est etiam causa efficiens prædictæ denominationis, et effectus. Et similiter, quia esse visum est denominatio, et effectus extrinsecus visionis, propterea visus effective causans visionem, est etiam causa prædicti

dicti effectus) ita forma, quæ independenter ab alio, ut a causa efficiente, tribuit per modum causæ formalis extrinsecæ aliquem effectum extrinsecum, habet etiam esse primam causam efficientem illius : quia cuivis effectui habenti veram causam formalem extrinsecam, debet correspondere causa efficiens illius; quæ in prædicto eventu non potest esse alia, quam eadem causa formalis extrinseca : siquidem, ut supponimus, tribuit suum effectum independenter ab alia, tanquam a causa efficiente.

Unde Deus ex eo præcise, quod est omnipotens, absque aliquo alio ad id desiderato ex parte sui, est vera causa efficiens possibilitatis creaturarum, coalescentis ex non repugnantia ex parte illarum, et ex reali illa denominatione extrinseca, ab eadem omnipotentia proveniente : quia *esse* possibile creaturarum non petit aliquam aliam causalitatem, actionem, aut passionem. Et similiter ex hoc præcise, quod sit libere volens futuritionem alicujus rei, habet ratione illius decreti esse veram causam efficientem prædictæ futuritionis, consurgentis ex illa denominatione extrinseca, et ex possibilitate præsupposita. Cui quidem causalitati efficienti minime obstat, quod forma extrinsece denominans, sit increata : quia bene potest Deus esse causa efficiens effectus totalis, coalescentis ex forma, et ex materia ei substracta, quin sit causa formæ, sive denominationis illius extrinsecæ secundum id, quod de formali importat. Sicut Pater æternus potest esse principium productivum Verbi divini, quin producat essentiam divinam, quæ est terminus formalis illius productionis. Et similiter Deus est causa efficiens Christi Domini, coalescentis ex personalitate Verbi et humanitate, et tamen nequit esse causa personalitatis.

§ IV.

Fit obviam argumentis primæ sententiæ.

Ad primum. 40 Ad primum respondetur, sensum illius testimonii D. Thom. tantum esse, Deum non solum scire futura contingentia, prout repræsentantur in ideis divinis, quatenus sunt rationes rerum, id est, prout repræsentant illa secundum suam essentiam, seu secundum suum *esse* possibile; sed etiam quia ejus intuitus fertur supra illa, ut sunt actu, et in exercitio existentia in *nunc* æternitatis. Esse autem hanc mentem D. Thom. inde constat. Quoniam familiare est apud ipsum, ut per ideas, quatenus sunt rationes rerum, intelligat easdem ideas, ut præcise influunt ad cognitionem essentiarum rerum possibiliuin.

Ad secundum. 41 Ad secundum, concesso antecedenti, neganda est utraque consequentia. Et ad primam probationem prioris, in qua innititur posterior, neganda est sequela. Quia ad infinitatem illius repræsentationis, satis est, quod repræsentent omne repræsentabile : at futura contingentia sicut antecedenter ad decretum Dei de illorum futuritione non habent *esse* futurum, ita nec possunt antecedenter ad illud repræsentari ut futura. Ad secundam vero probationem, neganda est sequela, si proprie, et in rigore loquendum est. Quia variatio repræsentationis proprie sumpta, denotat, quod prius fuerit repræsentatio alicujus, et postea desierit esse : quod tamen in divina essentia, aut ideis mensuratis æternitate reperiri nequit. Cæterum cum hoc stat, quod essentia divina, accedente decreto repræsentet futurum contingens, quod antea non repræsentabat : non quidem ex defectu ipsius, sed ex defectu objecti, quod pro illo priori, sicut non habebat rationem futuri, ita neque ut futurum habebat *esse* repræsentabile : et ita hoc ipso, quod in sequenti signo habeat rationem futuri, repræsentabitur ut tale a divina essentia, et ideis absque earum variatione.

Ad confirmationem. Ad confirmationem, concesso antecedenti, debet negari consequentia, et ad probationem, concedatur etiam antecedens, et negetur consequentia. Quia quod essentia divina, et ideæ non repræsentent ante decretum futura contingentia, non oritur ex defectu perfectionis, sed ex defectu objecti, quod requirit ad sui futuritionem, ac proinde ad hoc, ut repræsentetur, quod præcedat prædictum decretum, et per consequens idem etiam oritur ex defectu determinationis, illius perfectionis, quæ in divina essentia præexistebat. Nam perfectio illa indifferens erat ad repræsentandum futuritionem, vel non futuritionem rei contingentis, juxta præscriptum divinæ voluntatis. Et ita hoc ipso, quod accedat prædictum decretum de futuritione, repræsentatur futuritio : sicut si loco illius accederet decretum de non futuritione, tunc repræsentaretur non futuritio ejusdem. Quomodo autem decre-

tum liberum Dei dicat, vel non dicat perfectionem, et quomodo ex eo, quod aliquod decretum adsit, vel absit a Deo, non colligatur aliqua variatio intrinseca in ipso Deo, in tractatu de Voluntate Dei art. 3. fusius explicabitur.

Ad tertium. 42 Ad tertium respondetur, ideas posse inter alias acceptiones sumi dupliciter : scilicet vel in actu primo, id est, prout præcise sunt principia practica intra suam lineam, potentia concurrere ad productionem creaturarum, vel in actu secundo, id est, ut actu influunt una cum decreto, et scientia practica Dei, in ordine ad actualem productionem earundem creaturarum : etsi secundo modo considerentur, tunc tantum sunt respectu rerum futurarum. At secundum istam considerationem supponunt decretum efficax divinæ voluntatis, licet secundum priorem considerationem illud non supponant : sed solum repræsentent res, ut possibiles. Unde ad formam argumenti, concesso antecedenti de ideis in actu secundo sumptis, neganda est consequentia. Et ad probationem debet negari antecedens de eisdem ideis in actu secundo. Quia licet idea sit attributum intellectuale, tamen ut in actu secundo influit una cum scientia, et voluntate, in ordine ad actualem productionem creaturarum, potest non minus, quam ipsa scientia, quasi dependere ab actuali decreto, quatenus non nisi determinata per divinum decretum influit : ex eo, quod Deus, ut est agens ad extra, debet operari libere.

Ad quartum. 43 Ad quartum dicendum est, quod illo impossibili dato, Deus non cognosceret tale futurum : ex eo, quod in eo eventu non contineretur in sua essentia, tanquam in causa. Et ita nequiret cognoscere illud in ea, tanquam in medio cognito : ac proinde nec ulla ratione ipsum attingere, ne si aliter illud sciret, acciperet scientiam a rebus, scilicet ab ipso futuro. Quod quidem perfectioni divini intellectus repugnat, ut ex supra dictis satis constat.

DUBIUM IV.

Utrum Deus certo cognoscat futura contingentia absoluta in decreto libero suæ voluntatis, non quidem ut præsenti, sed ut futuro?

44 Decisio hujus dubii tacta est in præcedenti : et propterea, ut ea, quæ ibidem insinuata sunt, magis explicentur, illud post dubium præcedens statim excitamus.

§ I.

Proponitur prior sententia.

Partem affirmativam tuentur Suarez lib. 2. de scientia Dei, cap. 8. num. 6. et 11. Fonseca 3. tom. suæ Metaph. lib. 6. cap. 2. quæst. 4. sect. 10. § *Sed quærat aliquis*. Favet Cabrera 3. part. quæst. 1. art. 3. num. 393. Primum fundamentum

Probatur primo. Nam Deus pro illo signo rationis, antequam intelligatur habere decretum liberum, comprehendit suam essentiam, et voluntatem : ergo scit, quid sua voluntas in sequenti signo volitura sit : ergo in illis decretis futuris cognoscet certo futura contingentia. Hæc ultima consequentia patet ex priori. Quia non stat, Deum certo cognoscere decretum de futuritione alicujus rei, quin eodem modo cognoscat rem illam futuram esse. Prima vero consequentia ex antecedenti videtur perspicua. Quoniam hoc ipso, quod illa cognitio sit comprehensiva, debet esse omnibus modis perfectissima; ac proinde debet extendi ad omnem veritatem : ergo per illam scietur, quid divina voluntas in sequenti signo sit volitura, circa productionem, v. g. hujus mundi, vel alterius. Antecedens autem probatur. Nam ex illa cognitione, secundum ea, quæ ipsi conveniunt in prædicto signo, procedit Verbum divinum; siquidem prius est, illud procedere, quam quod sit decretum de productione creaturarum : ergo talis cognitio pro illo priori est comprehensiva : alioqui Verbum non procederet ex comprehensione essentiæ, atque adeo nec ex perfectissima cognitione illius.

Confirmatur, et explicatur ex discrimine, quod intercedit inter comprehensionem, qua Angelus se, et suam voluntatem comprehendit, et comprehensionem divinæ essentiæ, et attributorum. Nam cum illa non sit infinite perfecta, non est necesse, ut se extendat ad actus liberos ejusdem Angeli : quia non habent necessariam connexionem cum illo. At cum comprehensio divinæ essentiæ sit cognitio infinite perfecta, inde est, ut licet ex quo capite decreta libera non habent connexionem necessariam cum essentia, non debeant in illo priori, in quo præcedunt se ipsa ut existentia, cognosci; bene tamen Confirmatur.

men ex quo capite prædicta cognitio petit, ad hoc, ut sit comprehensiva, quod sit infinite perfecta : et per consequens exigit, ut se extendat ad omnem veritatem sive præsentem, sive futuram, etc.

ecun-
lum.

45 Secundo. Quoniam decreta libera Dei in illo signo, in quo scientia Dei præcedit ipsa, non intelliguntur esse actu præsentia in seipsis, sed tantum futura : ergo scientur a Deo ut futura : ergo in ipsis scitis scientur etiam futura contingentia, quæ per illa decernuntur. Hæc ultima consequentia ex prima aperte videtur sequi. Prima vero ex antecedenti. Quia quidquid habet aliquem modum essendi, sive possibilitatis, sive futuritionis, aut præsentiæ, pro aliquo priori, debet pro eodem sciri a Deo : alioqui ejus scientia non esset infinite perfecta : siquidem aliquod esset scibile, ad quod non se extenderetur. Antecedens autem quoad primam partem videtur certum. Nam cum subsequantur ad scientiam Dei, a qua diriguntur, et sint posteriora in collatione ad illam, atque adeo sint in sequenti signo, oportet, ut in illo signo, in quo scientia præcedit illa, non intelligantur esse præsentia in se ipsis. Ex quo etiam idem antecedens quoad secundam partem liquet. Nam cum in sequenti signo sint habitura existentiam, licet pro signo antecedenti illam non habeant, non possunt non in eodem signo antecedenti esse futura : siquidem de omni eo, quod in aliquo signo non est, et postea est habiturum existentiam, recte enunciatur in tempore, aut signo antecedenti, quod est futurum.

rtium.

46 Tertio probatur hoc ipsum, et simul confirmatur argumentum præcedens. Nam in illo signo, in quo Deus antecedit ad sua decreta libera, v. gr. ad decretum creandi hoc universum, est falsa hæc propositio, *Deus non decernet in sequenti signo creare hoc universum* : et ejus contradictoria, scilicet, *Deus decernet in sequenti signo creare hoc universum,* est vera : ergo prædictum decretum habebit in signo antecedenti rationem futuri : et per consequens in eodem signo scietur a Deo, et in eo scito, scietur etiam creatio hujus universi. Hæc ultima consequentia ex se, et ex jam dictis satis constat.

Prima vero ex antecedenti constat. Quia non posset in signo antecedenti esse vera illa propositio, scilicet, *Deus decernet in sequenti signo creare hcc universum,* nisi decretum sit in eodem signo antecedenti futurum . siquidem idem est, aliquid in aliquo signo antecedenti esse futurum, et quod in signo, aut duratione sequenti erit. Antecedens autem quoad primam partem satis constat. Nam cum in sequenti signo Deus decreverit creare hoc universum, non potuit non esse falsa illa propositio, *Deus non decernet in sequenti signo creare hoc universum.* Ex quo etiam idem antecedens, quoad secundam partem probatur. Tum quia ex duabus contradictoriis, quoties una est falsa, alia debet esse vera. Tum etiam : quia cum in sequenti signo Deus habeat prædictum decretum, fit inde, ut illa enunciatio, qua hoc ipsum affirmatur, debeat esse vera.

47 Potestque hoc ipsum confirmari, et explicari. Nam hæc disjunctiva, nimirum, *Decretum creandi mundum erit, vel non erit in signo sequenti*, non potest non pro omni signo antecedenti esse vera : ergo etiam hæc, *Deus in sequenti signo habebit decretum creandi mundum,* erit eodem modo vera. Antecedens videtur certum ex illo principio, lumine naturæ noto, scilicet : quolibet esse, vel non esse, seu de quolibet, necessario affirmari alteram partem contradictionis. Consequentia vero probatur. Nam veritas propositionis disjunctivæ pendet ex veritate alicujus partis : ergo cum altera pars prædictæ propositionis, scilicet, *Deus non habebit in signo sequenti decretum creandi mundum,* sit falsa, quia de fide est certum, illud habuisse, oportet, ut illa altera propositio, videlicet, *Deus in sequenti signo habebit decretum creandi mundum*, sit vera.

Corrobo-
ratur.

§ II.

Vera Angelici Doctoris sententia, et primum ejus fundamentum.

48 Dicendum tamen est, divina decreta non habere rationem futurorum : atque adeo Deum non cognoscere certo futura contingentia in prædictis decretis, ut futuris. Ita Angelicus Doctor de Veritate, quæst. 6. art. 3. ad 10. ubi loquens de prædestinatione includente, sive connotante propositum divinæ voluntatis, sic inquit : *Absolute loquendo, Deus potest unumquemque prædestinare, vel non prædestinare : aut prædestinasse, vel non prædestinasse : quia actus prædestinationis, cum mensure-*

Conclu-
sio.

tur æternitate, nunquam cadit in præteritum : sicut nunquam est futurus. Unde semper consideratur, ut egrediens a voluntate per modum libertatis. In quibus verbis, ut vides, negatur prædestinationi, concernenti propositum efficax voluntatis Dei, ratio præteritionis, aut futuritionis : et solum ei conciditur ratio præsentialitatis : ac proinde in ea, aut ejus decreto futuro nequibunt, juxta mentem S. Doctoris, futura contingentia cognosci.

Quod etiam idem Sanctus Præceptor docuit : tum ubi proxime art. 4. ad 8. tum in 1. sent. dist. 39. quæst. 1. art. 1. ad 1. ubi sermonem faciens de scientia visionis, concernente decretum voluntatis, inquit : *Actus divinæ scientiæ nunquam transit in præteritum ; sed semper est in actu : et ideo semper manet in libertate divinæ voluntatis ;* ac subinde nec poterit esse futurus : siquidem, quod potest esse futurum, potest eodem proportionali modo transire in præteritum. Tum deinde in hoc art. et infra quæst. 88. art. 3. et 4. et 1. cont. Gent. cap. 67. necnon de Verit. quæst. 2. art. 12. et quodlib. 12. quæst. 3. ac tandem in omnibus aliis locis, in quibus docet, futura contingentia non posse cognosci certo a Deo, prout sunt in suis causis indifferentibus. Nam si decreta libera Dei sunt futura, et ut talia cognoscuntur certo a Deo, deberent in sua (ut sic dicamus) causa, seu in Voluntate Dei, ut libera, et indifferens est, quasi in actu primo, et ex comprehensione ipsius cognosci, ut opposita sententia docet, et ex statim dicendis patebit.

Unde S. Doctorem sequuntur communiter ejus discipuli, Capreol. in 1. dist. 38. quæst. 1. Cajet. Bannez, ac Ripa in præsenti, Ledesma lib. de auxiliis divinæ gratiæ, disp. 2. de scientia futurorum conting. dub. 6. in 2. difficultate illius, fol. 585. Nazarius in præsenti controversia 1. conclus. 5. Gonzalez disp. 45. sect. 5. Gaspar Ram. relectione 3 de infallibilitate scientiæ divinæ circa conditionaliter futura, fol. 59. columna 2. Machin. quæst. 14. art. 13. disput. 27. sect. 1. Petrus de Cornejo, tom. 1. in 1. part. tract. 1. circa quæst. 14. art. 13. disp. 2. dub. 2. Alvarez lib. de auxiliis divinæ gratiæ disput. 7. et lib. 1. responsionum cap. 1. num. 12. Doctissimus Dominus Alfonsus Curiel, in quibusdam manuscriptis super tertiam part. quæst. 11. art. 1. quæ ultimo anno vitæ suæ, eodem dictante nos excepimus. Et ex Patribus Societatis, Arrubal in commentariis hujus articuli disput. 47. cap. 4. num. 13. Vazquez in hac 1. part. disp. 65. cap. 4. Molina disp. 17. Granado tract. 4. disp. 1. sect. 3. num. 15. Herice tomo 1. in 1. part. disp. 7. cap. 9. ac tandem plures alii, quos disp. 10. a num. 126. usque ad num. 131. contra scientiam conditionatam referemus.

Prior assertionis ratio ex D. Thom.

49 Ratio autem prior, et fundamentalis hujus assertionis tacta est a D. Thom. loco citato ex quæst. de Verit. quam etiam insinuat in hoc art. potestque sub hac forma proponi. Quoniam actus liberi Dei mensurantur æternitate, ut propria, et adæquata eorum mensura : ergo repugnat habere rationem futurorum : ac proinde etiam repugnabit, ut in eis sic a Deo cognitis per modum futurorum, certo cognoscantur, seu sciantur futura contingentia, quæ per ipsos decernuntur. Antecedens non indiget probatione : quandoquidem prædicti actus, quippe increati, debent durare duratione increata, tanquam mensura propria ipsorum : constat autem nullam aliam esse durationem increatam, præter æternitatem. Prima vero consequentia ex antecedenti videtur perspicua. Quia sicut de ratione æternitatis est, ut sit unicum *nunc* semper præsens, quia est duratio infinita, tam a parte ante, quam a parte post complectens, et virtualiter continens omnem aliam durationem, et durationum signa ; ita de ratione ejus, quod mensuratur æternitate est, ut semper, et in quocunque signo sit præsens, et nunquam habeat rationem futuri. Ex quo etiam secunda consequentia satis constat. Quoniam id, quod nullo modo habet rationem futuri, nequit ulla ratione certo cognosci a Deo, ut futurum : alioqui divina scientia falleretur : et per consequens neque in eo signo cognito poterunt futura contingentia sciri.

Confirmatur primo

50 Confirmatur, et explicatur ratione ex eodem S. Doctore desumpta. Nam id, quod est æternum æternitate increata, nequit transire in præteritum, alioqui non esset æternum, siquidem id, quod transit in præteritum quatenus tale non ambit, adhuc quantum est de se omne tempus, cujus oppositum petit id, quod rationem æterni habet ; ergo neque etiam poterit esse futurum. Patet consequentia. Tum, quia id, quo dest futurum, potest transire in præteritum. Tum etiam : quia eadem ratione non esset æternum : siquidem hoc ipso, quod

quod esset futurum, jam secundum suum *esse* essentiæ actuale, non esset præsens omni durationi, et omnibus ejus signis.

nfirmatur cundo.

Confirmatur, et explicatur secundo ratione, quam innuit idem S. Doctor. Quoniam repugnat aliquid esse immensum, et quod, quantum est ex se, non sit præsens omnibus, et quibuscunque locis, et indivisibilibus eorum quovis modo consideratis, et similiter, aliquid esse infinitum in ratione, v. g., luminis, seu virtutis cognoscitivæ, et quod in aliquo signo non ambiat actu omne cognoscibile in eodem signo, ut ex se constat : ergo etiam repugnabit, esse aliquid æternum æternitate increata, et quod in aliquo signo non sit actu præsens, saltim quantum est de se, cuivis aliæ rei duranti, aut potenti durare, seu quod non ambiat actu quamlibet durationem excogitabilem creatam, aut quodlibet ejus signum. Patet consequentia. Quoniam duratio increata, et id, quod per illam, tanquam per mensuram sibi propriam durat, non est minus infinitum in ratione durationis, sive rei durantis, quam immensitas, aut virtus cognoscitiva increata intra suas lineas : ergo sicut propter rationem infinitatis in ratione immensi, aut in ratione virtutis cognoscitivæ, non potest non Deus, quantum est ex se, esse præsens omni loco, et omni indivisibili illius; et similiter nequit non actu extendi in omni signo ad omne cognoscibile in illo, ita id, quod fuerit infinitum in ratione durationis, debebit actu esse præsens omni aliæ durationi, et durationis signo, necnon quamvis creatam durationem, quodvisque ejus signum actu ambire : et per consequens nequibit esse futurum : quia quod futurum est, non potest secundum hanc rationem esse actu præsens cuivis aliæ durationi, et durationis signo, ut ex terminis ipsis patet.

§ III.

Objectiones contra primum D. Thomæ fundamentum, et solutio earum.

jectio ima.

51 Cæterum hæc ratio D. Thom. non placet Francisco Suarez : et ita contra eam objicit primo. Nam licet decretum Dei sit in se æternum, et actu præsens, tamen cognosci potest quasi independenter ab actuali præsentia illius, quod quidem explicatur optime per hanc hypothesin. Nempe, quod si per impossibile illud decretum non esset æternum, sed in tempore sequenti Deus illud habiturus esset; nihilominus semper cognovisset, suam voluntatem prædictum decretum quasi eliciturum : ergo etiam si nunc sit æternum, erit etiam cognoscibile ad modum futuri, et independenter ab actuali præsentia : quia hoc solum denotatur per hoc, quod dicitur, cognosci prius ratione ut futurum.

Secunda.

52 Secundo. Nam licet divinum decretum liberum mensuretur æternitate, tanquam mensura sibi proportionata, nihilominus prius ratione intelligimus, Deum scire voluntatem suam, quatenus est potens ad hoc, ut libere velit, quam ut actu volens hoc, vel illud objectum : ergo pariter poterit, non obstante, quod voluntas, et *velle* divinum sint æterna, prius ratione percipere illam, ut volituram, quam ut actu volentem. Consequentia patet. Tum ex paritate rationis. Tum etiam : quia indivisibilitas, et infinitas instantis æternitatis repugnat divisioni diversorum signorum realium, et quod non ambiat actu illa; non vero repugnat divisioni diversorum signorum, seu instantium per rationem : ergo sicut propter hanc rationem potest Deus prius ratione, quam cognoscat suum decretum actuale, cognoscere suam voluntatem, ut potentem velle, non obstante, quod utrumque mensuraretur æternitate, ita propter eandem poterit etiam prius ratione, quam attingat prædictum decretum, ut actu habitum, attingere illud, ut habendum, seu ut futurum.

Confirmatur primo.

53 Confirmatur, et explicatur primo. Quoniam, quod liberum decretum Dei sit æternum, non obest, quin cognoscatur, ut possibile; alioqui esse non posset : ergo neque etiam oberit, quin sit futurum, et ut tale cognoscatur a Deo. Patet consequentia. Quia possibile magis distat ab actuali *esse*, et præsentia, quam futurum : ergo si decretum *esse* æternum, non tollit illam majorem distantiam, nec tollet hanc minorem; sed utraque cum æternitate cohærebit, dummodo in eodem instanti reali hæc omnia inveniantur.

Confirmatur secundo.

Confirmatur, et explicatur secundo. Nam si Angelus ab æterno crearetur a Deo, libere illum amans, tunc prædictus amor Angelicus posset a Deo cognosci, non solum ut præsens, sed etiam ut futurus, id est, ut habiturus existentiam in illo signo posteriori : quia re vera in illo signo subsecuto ad essentiam Angeli, illam habiturus est : ergo quod decretum Dei sit æternum, non

obstabit quominus eodem proportionali modo, circa illud philosophemur : siquidem illud decretum habiturum est existentiam, quasi dependenter a divina voluntate, atque adeo in posteriori signo ad illam subsecuto.

Tertia. 54 Tertio contra eandem rationem potest objici. Nam æternitas prius ratione competit divinæ essentiæ, et perfectionibus ejus necessariis, quam decretis liberis : ergo in illo priori non intelligentur decreta libera, ut actu durantia, non obstante, quod re ipsa, et correspondenter ad reale instans temporis veri, vel imaginarii semper durent. Antecedens videtur certum. Tum quia æternitas convenit necessario perfectionibus necessariis ; at decretis liberis non nisi libere ; constat autem ea, quæ sunt necessaria, priora, et intimiora esse, quam libera. Tum etiam : quia prius ratione Deus est omnipotens, v. g. quam libere volens creationem mundi : siquidem volitio creandi mundum supponit ejus omnipotentiam. Consequentia vero ex antecedenti constat. Quoniam in illo priori, in quo æternitas intelligitur competere prius perfectionibus necessariis, non intelligitur competere decretis liberis : siquidem hæc tantum existunt in sequenti posteriori : ergo in illo priori antecedenti non intelligentur prædicta decreta, ut actu durantia.

Confirmatio. Confirmatur. Quoniam inquirimus hic non de futuritione formali, sed tantum de futuritione fundamentali respectu intellectus nostri, considerantis cum fundamento in re, diversa signa, aliud quidem futuritionis, aliud vero existentiæ, an nimirum recte, et cum fundamento intelligamus, quod dantur hæc duo signa respectu decreti divini ? et quod Deus in priori illo futuritionis signo, certo cognoscit illud, antequam percipiat ipsum, ut existens ? sed ad hoc sufficit, quod esse, et æternitas posterius conveniat decretis liberis, quam attributis, quia eo ipso in illo priori antecedenti possumus intelligere, quod Deus cognoscit, quod in posteriori signo erunt prædicta decreta, licet in illo priori non sint : ergo, etc.

Quarta. 55 Quarto tandem objici potest. Quia non obstante, quod decreta libera sint æterna, nihilominus possunt comparari per modum intentionis, et electionis, et propterea dicimus, dari in Deo intentionem finis, et electionem mediorum : ergo eo ipso unum decretum habebit esse futurum ratione alterius. Patet conseq. quia electio et natura sua habet esse futuram rationem intentionis ; et efficax intentio finis infert efficacem futuritionem mediorum.

Ad prima. 56 Sed hæc non multum urgent. Unde ad primam ex his objectionibus, negandum est antecedens, intellectum de decreto respectu cognoscentis illud quidditative, et quatenus est in se, ut in Deo contingit, Quare conditionalis illa, in hac prima objectione adducta, falsa est, ut ex dicendis dub. 6. magis constabit.

Ad secundam. 57 Ad secundam negandum est antecedens, si intelligatur de prioritate rationis *in quo*, et cum fundamento in re : secus tamen si intelligatur, vel de prioritate rationis *a quo*, tam ex parte scientiæ, quam ex parte objecti, sive illa sit virtualis, sive eminentialis, vel de prioritate rationis *in quo* absque fundamento in re, et præcise ex parte nostri modi concipiendi. Et deinde eodem fere modo distinguendum est consequens, et concedenda est consequentia de prioritate rationis *a quo* jam dicta ; non vero de prioritate rationis *in quo*. Et ad primam probationem ejusdem consequentiæ patet ex dictis, servari paritatem inter antecedens, et consequens. Ad secundam vero probationem dicendum est, quod licet divisio diversorum signorum secundum rationem, non habentium inter se ordinem prioritatis, et posterioritatis *in quo* secundum rationem, sed solum *a quo*, non obstet indivisibilitati, et infinitati æternitatis, et rei æternæ ; bene tamen divisio prædictorum signorum, si habeant inter se ordinem prioritatis, et posterioritatis *in quo* adhuc secundum rationem cum fundamento in re, id est, licet non obstet indivisibilitati, et infinitati æternitatis, et rei æternæ, quod aliquid mensuratum per illam pendeat, seu quasi pendeat secundum rationem, cum fundamento tamen in rebus, ab aliquo existente in Deo, et mensurato etiam æternitate, sive hæc quasi dependentia sit virtualis, sive solum eminentialis : ac proinde nec sit contra rationem rei æternæ prioritas, et posterioritas *a quo* secundum rationem, fundatam tamen in rebus : siquidem hæc quasi dependentia fundat, quantum est de se, talem ordinem prioris, et posterioris. Attamen obstat indivisibilitati, et infinitati æternitatis, et rei æternæ, quod cum fundamento in re possit in aliquo signo concipi, ut non existens : quia eo ipso non erit infinita in ratione durantis, ut ostensum est. Et ita licet possit cum fundamento in re concipi, ut

ut quasi pendens ab alio, si tamen tunc concipiatur, ut petit concipi, debet intelligi una cum alio, et cum eo semper, et in quovis signo existens.

xplica-
tur
lutio.

58 Explicatur hoc. Etenim licet prius prioritate rationis *in quo* intelligamus Deum scire voluntatem suam, quatenus habet vim ad libere volendum, quam ut actu volentem hoc, vel illud objectum; hæc tamen prioritas tantum est prioritas *in quo* rationis absque fundamento in re, et solum se tenens ex parte nostri modi concipiendi, et significandi. Nam cum scientia, quam Deus de sua voluntate, et volitione libera habet, sit scientia rei prout est in se, ac subinde scientia rei existentis pro quolibet signo rationis *in quo* fundato in rebus, ex eo, quod est scientia voluntatis, et volitionis habentium pro mensura sibi propria æternitatem, oportet, ut divina scientia attingat hoc ipsum : nec possit cum fundamento in re concipere voluntatem suam esse priorem prioritate rationis *in quo* jam dicta, quam suam volitionem liberam : et per consequens, quod objectum hoc non possit præhabere nobis fundamentum ad hoc, ut prius *in quo* adhuc secundum rationem possimus concipere voluntatem, ut habentem vim ad volendum, quam actu volentem. Quamvis quia volitio quodammodo pendet, aut quasi pendet a voluntate, propterea scientia de voluntate sit, tam ex parte ipsius scientiæ, quam ex parte objecti prior prioritate *a quo*, sive virtuali, sive eminentiali, quam scientia de volitione libera.

nimad-
ersio.

59 Diximus, *sive virtuali, sive eminentiali*, ut abstrahamus ab illa quæstione, nimirum an scientia Dei prout terminatur ad divinam voluntatem, virtualiter distinguatur a se ipsa, ut terminatur ad liberam volitionem? an vero eademmet scientia ratione suæ eminentiæ, et absque aliqua distinctione virtuali terminetur ad utrumque? ex eo, quod licet æquivaleat diversis actibus sciendi creatis, non tamen isti pertinent ad distinctam lineam, quod tamen ad distinctionem virtualem scientiæ divinæ requirebatur : et similiter an volitio libera, et voluntas divina distinguantur virtualiter, necne? Nam si scientia necessaria Dei de sua voluntate, et scientia libera de libera volitione, virtualiter distinctæ sint, tunc ex parte scientiæ erit prioritas *a quo* virtualis, seu cum fundamento in re, inter illa; secus tamen si non sint hoc modo distinctæ. Nam tunc tantum erit prioritas eminentialis, id est, eminentia quædam, quæ æquivaleat diversis actibus sciendi creatis, habentibus inter se prioritatem *a quo*, qui tamen ad eandem lineam pertineant. Sicut si volitio libera, et voluntas Dei distinguantur inter se virtualiter, tunc erit ex parte objecti divinæ scientiæ prioritas *a quo* virtualis inter voluntatem, et prædictam volitionem; secus tamen si non sit talis distinctio, sed solum eminentia, ratione cujus æquivaleat rebus pertinentibus ad eandem lineam; tunc enim tantum erit in ea in sensu explicato, prioritas eminentialis ex parte objecti. Nunquam tamen ibidem prioritas *in quo*, etiam secundum rationem fundamentalem in rebus, debet admitti. Quia prædicta divisio signorum *in quo*, secundum rationem, tollit infinitatem æternitatis, et rei durantis per illam, ut explicatum est. Et propterea D. Thom. loco citato loquens de prædestinatione, et de modo concipiendi, quem ipsa petit, et fundat, dixit : *Quod semper consideratur, ut egrediens a voluntate per modum libertatis* : ac proinde non ut egressa, aut egressura, sed per modum rei præsentis : quæ nihil aliud per modum prioris prioritate *in quo*, jam dicta, præsupponit.

60 Nec obest, si urgeas, quod Verbum divinum non procedit ex cognitione actuum liberorum Dei, ut D. Thom. et ejus discipuli communiter docent, et in tractatu de Trinitate latius dicemus : ergo in illo signo rationis, *in quo* Pater æternus intelligitur, se ipsum, et divinam essentiam comprehendere, non cognoscit prædictos actus. Patet consequentia. Quia si in eo signo rationis cognosceret illos, non esset cur Verbum non procederet ex cognitione eorum, ac proinde ex cognitione creaturarum futurarum, sicut procedit ex cognitione divinæ essentiæ, et attributorum ejus, necnon creaturarum possibilium, ex eo, quod omnia hæc in illo priori simul cognoscuntur. Replica.

Non itaque hoc refert. Quoniam, concesso antecedenti, neganda est consequentia. Et ad probationem negandum est antecedens. Quia cum Verbum divinum sit ens omnibus modis necessarium, duo requirit ex parte cognitionis, a qua procedit. Primum quidem, quod talis cognitio sit in eodem signo, in quo prædictum Verbum intelligitur procedere; alioqui non posset ex illa cognitione procedere. Secundum vero, quod sit de objecto omnino necessario, non vero libero; ac proinde, quod sit cognitio simpliciter necessaria : quod quidem deest divinæ cognitioni, ut Enodatio.

terminatur ad actus liberos ipsius Dei. Et ita prædicti actus, et eorum cognitio sunt ibi concomitanter in eodem signo *in quo* adhuc secundum rationem : non quidem propter processionem Verbi, sed quia licet potuerint non esse, supposito tamen, quod sint, debent mensurari æternitate : et per consequens in omni signo *in quo* cum fundamento in re, debent esse præsentes.

Ad primam confirmationem.

61 Ad primam confirmationem, negandum est antecedens, intellectum de possibilitate, proprie, et in rigore dicta. Nam ad hanc requiritur, ut id, quod possibile dicitur, sit effectus divinæ potentiæ, habens veram sui causam, quod tamen actibus liberis, qui identificantur cum Deo, minime competit. Secus tamen si intelligatur de possibilitate, prout tantum dicit, ut id, quod possibile est, non repugnet esse, sive habeat veram sui causam, sive tantum rationem a priori, sive tandem ex se sit absque dependentia, aut quasi dependentia ab alio, sive tanquam a causa, sive tanquam a ratione a priori. Et propterea divina essentia hoc ipso, quod ex se, et independenter ab alio, ut a causa, vel ut a ratione a priori existat, debet esse quid ex se non repugnans.

Additamentum.

Adde, quod etiam ex alio capite hæc confirmatio non convincit intentum. Quia præterquam quod antecedens est falsum, etiam consequentia debeat negari. Et ad probationem ejus, quatenus contra dicta potest aliqualiter adduci, respondetur, quod licet possibile proprie, et in rigore sumptum, distet magis, secundum communes leges, ab actualitate essendi, quam futurum, quatenus non transit ad *esse*, nisi mediante futuritione ; attamen per divinam potentiam id non est necesse, ut puta si aliquis Angelus a Deo ab æterno crearetur ; quia tunc a possibilitate transiret immediate ad *esse*, non mediante futuritione, ut alibi diximus. Et similiter ea, quæ non sunt proprie possibilia, ut divina attributa sunt possibilia, seu non implicantia ut sint, et una cum hac non repugnantia habent immediate *esse* actuale existentiæ, absque eo, quod præcedat, aut mediet futuritio. Cæterum inter futuritionem rei, et *esse* actuale existentiæ debet mediare vel aliqua realis duratio, si hæc futuritio sit formaliter talis, vel aliquod signum rationis *in quo* cum fundamento in re, si talis futuritio fingatur esse solum virtualis ; quorum quodlibet cum eo, quod est æternum, pugnat, ut dictum est.

Ad secundam confirmationem.

62 Per quod etiam satis patet, tum ad secundam confirmationem. Nam antecedens est falsum, et ejus probatio solum convincit de posterioritate *a quo* : non tamen *in quo*, etiam secundum rationem cum fundamento in re. Tum etiam ad tertiam objectionem. Quoniam antecedens solum est verum de prioritate *a quo* : et ita negari debet consequentia. Quia arguitur de prioritate *a quo* secundum rationem, ad prioritatem *in quo*, etiam secundum rationem, fundatam tamen in rebus. Qui modus arguendi nihil valet ; nec ejus probatio aliquid aliud præter prioritatem *a quo* convincit. Tum deinde ad confirmationem ejusdem tertiæ objectionis. Quia adhuc data majori, neganda est minor, intellecta de prioritate *a quo*. Et ad probationem dicendum est, quod ut daretur futuritio illa fundamentalis, requirebatur, quod actus liber, ut futurus præcederet, secundum aliquod signum *in quo* rationis, seipsum ut actu præsentem ; cujus oppositum contingere diximus.

Ad tertiam objectionem et ejus confirmationem.

Ad quartam.

63 Ad quartam, concesso antecedenti, neganda est consequentia. Et ad probationem negandum est antecedens, universaliter intellectum. Quia ad rationem electionis mediorum satis est, quod sit posterior posterioritate *a quo*, intentione : non tamen est necesse, ut sit posterior, quam illa, posterioritate *in quo* : et ita tam intentio, quam electio sunt ab æterno in Deo, et utraque habet esse ab æterno præsens ; taliter ut neutra antecedat aliam prioritate *in quo* cum fundamento in re ; sed solum electio habeat esse posterior posterioritate *a quo*, sive virtuali, sive eminentiali, quam intentio.

§ IV.

Examinatur secundum fundamentum pro D. Thomæ sententia.

64 Secundum, et principale fundamentum assertionis insinuatur ab eodem Angel. Doct. ubi supra, et potest sub hac forma proponi : nam si decreta libera divinæ voluntatis habent rationem futurorum, tunc in illo signo, in quo præintelliguntur futura, erit voluntas Dei determinata ad habenda in sequenti signo decreta illa, quæ sunt futura, et ad non habenda ea, quæ non sunt futura : ergo eo ipso læderetur libertas divinæ voluntatis. Quare cum hoc

hoc admitti nequeat, ut ex se latet, fit inde, ut prædicta decreta nec habeant rationem futurorum, nec ut talia possint a Deo cognosci. Antecedens videtur perspicuum. Nam id, quod est futurum, hoc ipso, quod tale, habet determinationem ad essendum; sicut id, quod non est præcise possibile, sed insuper habet esse non futurum, oportet, ut eo ipso habeat determinationem ad non essendum, ut ex se, et ex iis, quæ in tract. de Volunt. Dei disp. 5. dub. 3. dicemus, amplius constabit : ergo si ex his divinis decretis liberis quædam sunt futura, quædam vero non, consequens erit, ut voluntas Dei in illo signo antecedenti, in quo præsupponitur ad omnia sua decreta, præintelligatur determinata ad habenda illa, quæ in eo signo sunt futura, et non habenda ea, quæ non sunt futura.

Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Nam cum hæc determinatio divinæ voluntatis præsupponatur ad omnia decreta libera ipsius, oportet, ut sit determinatio antecedens, et simpliciter necessitans, tollensque libertatem : quandoquidem quidquid Deo competit ante omnem actum liberum suæ voluntatis, convenit ei necessario, et absque libertate. Et propterea quia cognitio divinæ essentiæ, et creaturarum possibilium, necnon et amor, quo Deus se ipsum amat, competunt ipsi ante omnem determinationem liberam suæ voluntatis, idcirco hæc omnia conveniunt ipsi omnino necessario, et Deus ipse per determinationem antecedentem est determinatus ad illa habenda.

Corroboratur. 65 Confirmatur. Nam hoc ipso, quod Deus certo sciat, in quam partem sit inclinanda ejus voluntas, antequam detur electio libera ipsius, oportet, ut talis scientia sit independens a prædicta electione, seu decreto libero, tam quoad substantiam, quam quoad modum : quandoquidem id, quod est prius, non pendet a posteriori : ergo intellectus divinus habens prædictam scientiam certam, et infallibilem, non proponeret suæ voluntati indeterminate, et indifferenter utramque partem, sed alteram tantum, nimirum illam, in quam sciret, suam voluntatem esse determinandam : ac proinde voluntas non maneret cum sufficiente indifferentia formali ad eligendam utramque partem, sed eam solummodo, quæ per intellectum ei proposita est. Hæc ultima consequentia ex priori aperte sequitur. Quoniam nequit dari indifferentia formalis ex parte voluntatis, quin detur indifferentia radicalis ex parte intellectus : ex eo, quod indifferenter, et indeterminate utramque partem proponit. Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Quia nequit in divino intellectu esse simul scientia infallibilis de futura electione alterius partis, et judicium, quo moveat, et dirigat cum indifferentia ex parte sua ad eligendam quamcunque ex illis.

Respondent adversarii ad rationem factam. 66 Occurrunt adversarii, tam ad hanc rationem, quam ad ejus confirmationem. Ad rationem quidem, quod licet determinatio, quæ convenit divinæ voluntati ante omne decretum in ipsa existens, et simul non orta ex suppositione futuritionis eorundem decretorum, sit determinatio antecedens, et tollens libertatem, ut in exemplis in hac ratione adductis cernere licet; non tamen determinatio, quæ oritur ex præsentia decreti, vel futuritione ipsius, ut in præsenti contingit : quia hæc tantum est determinatio ex suppositione futuritionis, quæ non tollit libertatem, sicut nec suppositio præsentialitatis.

Ad confirmationem. Ex quo ad confirmationem respondent, quod sicut Christus Dominus per scientiam beatam cognovit, quid sua voluntas infallibiliter volitura erat : et similiter D. Petrus ex revelatione Christi præcognovit, futuram esse infallibiliter suam trinam negationem, et nihilominus nec Christi, nec D. Petri libertas vel ex parte intellectus, vel ex parte ipsius voluntatis læsa fuit; ita licet Deus prævideat infallibilitatem futuritionis sui decreti, verbi gratia, creandi mundum, non propterea ejus libertas manebit læsa. Et ratio est eadem utrobique. Quia non prævidentur hæc futura, nisi eo modo, quo futura sunt, scilicet libere : et prius est, quod habeant prædictam futuritionem liberam, quam quod videantur. Unde ex hoc, quod prævideantur libere futura, tantum abest, quod tollatur libertas divinæ voluntatis, et per consequens indifferentia judicii, quod potius hinc prædicta libertas colligitur.

Refutantur 67 Sed contra. Nam in hac solutione videtur involvi aperta implicatio; scilicet divinam voluntatem solum esse determinatam ad habendum decretum, verbi gratia, de creatione mundi ex suppositione futuritionis ipsius, atque adeo solum esse (ut sic dicamus) infallibilitatam ad illud, non vero simpliciter necessitatam : et ex alia parte hanc necessitatem

esse necessitatem simpliciter, et ex natura intrinseca ipsius voluntatis, non vero ex aliqua suppositione consequenti. Quia vero illud prius ex prædicta solutione satis constat, ideo hoc posterius sic ostendimus.

Ratio refutandi.

Nam hoc, quod est, divinam voluntatem in illo priori ante decretum creandi mundum esse determinatam ad habendum illud, ita ut in sensu composito hujus determinationis nequeat habere actum oppositum, non potest provenire ex suppositione præsentialitatis talis decreti, neque ex suppositione futuritionis ipsius : ergo signum est, provenire ex determinatione, et necessitate absoluta divinæ voluntatis ; non vero ex necessitate *secundum quid*, et ex suppositione ; ac proinde hoc ipso, quod prædictum decretum prævideatur, ut futurum non prævidebitur, ut solum infallibiliter, et libere, sed ut necessario, et cum omnimoda determinatione, tam ex parte intellectus, quam voluntatis divinæ, futurum.

Probatio prioris consequentiæ.

Hæc ultima consequentia ex priori aperte constat. Prior vero ex antecedenti. Quoniam omnis determinatio cujusvis voluntatis, quæ non oritur ex aliqua suppositione divini decreti vel præsentis, vel saltim futuri, est omnino antecedens, et tollens libertatem : quandoquidem principium indifferens, ut tale, non habet ex se ipso determinatum ad unam potius partem, quam ad aliam infallibiliter habendam, nisi superaddatur aliqua suppositio, quæ in præsenti, ut intuenti patebit, non potest esse alia, nisi vel præsentialitas divini decreti, vel futuritio ipsius. Antecedens autem quoad primam partem constat. Quia juxta oppositam sententiam, in illo priori non habet decretum illud rationem præsentis, sed tantum futuri : ergo divina voluntas non potest præintelligi determinata ex suppositione decreti, ut presentis.

Probatio antecedentis quoad primam partem.

Suadetur idem antecedens quoad secundam partem.

68 Quoad secundam vero partem idem antecedens probatur. Quoniam hoc, quod est divinam voluntatem in illo priori esse determinatam ad libere volendum creationem hujus mundi, est aliqua ratio realis, in ea actu, et in excercitio existens, et habens se ad instar affectionis ipsius ; et ita ratione illius habet, quasi dicere actu, et in exercitio peculiarem (ut sic dicamus) habitudinem ad hoc universum, quam non dicit ad aliud universum, siquidem ratione hujus determinationis, quasi respicit universum hoc per modum futuri, secus vero aliud : ergo talis determinatio petet in Deo aliquam rationem a priori, a qua active, aut quasi active procedat : ergo repugnabit rationem a priori prædictæ determinationis, esse futuritionem ejusdem decreti.

Patet hæc ultima consequentia. Quoniam id, quod est ratio a priori activa, aut quasi activa alterius, debet in illo priori, in quo quasi causat, esse existens, et præsens per veram, et realem existentiam, vel saltim debet habere *esse* essentiæ actualis, prout *esse* essentiæ actualis distinguitur ab *esse* essentiæ futuræ, ut inductive constat : at futurum, ut tale, non existit, nec habet suum *esse* essentiæ actualis, prout *esse* essentiæ actualis distinguitur ab *esse* essentiæ futuræ : ergo ex eo, ut tali, nequit provenire illa determinatio actualis, et in rerum natura existens, qua divina voluntas præintelligitur determinata ad futuritionem hujus decreti potius, quam alterius, ita ut in sensu composito nequeat oppositum decretum habere.

Confirmatur prior.

69 Confirmatur, et explicatur. Quoniam juxta hunc dicendi modum, non solum tribuitur divinæ voluntati id, quod communiter omnes Theologi docent, scilicet esse indifferentem ad hoc, ut terminetur ad istud objectum potius, quam ad illud ; et ad hanc indifferentiam esse illi satis, ad hoc, ut in exercitio habeat hanc terminationem, seu exercitium suæ voluntatis magis, quam illud ; sed etiam quod ante actualem terminationem, seu volitionem sit determinata ad volendum potius, v. g. creationem hujus mundi, quam alterius : ergo cum hæc determinatio non possit provenire ex suppositione futuritionis talis decreti, ut ostensum est, debet aliunde, scilicet ex natura ipsius voluntatis oriri : ergo eo ipso voluntas non manebit indifferens ad utrumlibet, sed omnino necessitata.

Antecedens quoad primam partem patet. Quoad secundam vero etiam constat. Quoniam hoc ipso, quod decretum de creatione mundi sit infallibiliter futurum, non potest non voluntas divina in sensu composito illud habere : ac proinde non potest non habere aliquam determinationem ad habendum ipsum. Prima vero consequentia ex antecedenti, et ex jam dictis constat. Secunda autem etiam patet. Quoniam id, quod est indifferens ad utrumlibet, ita ut quantum est ex se possit componi cum quolibet, nequit ex se ipso præcise esse magis

magis determinatum ad unam partem potius, quam ad aliam infallibiliter habendam : ergo si divina voluntas ex se ipsa est determinata ad infallibiliter habendum decretum de creatione mundi, non potest manere cum indifferentia, et libertate ad illud non habendum.

Confirmatio posterior.

70 Confirmatur tandem, et explicatur hoc ipsum. Quoniam hæc suppositio, et determinatio futuritionis, si vera, et non ficta omnino est, nequit convenire divino decreto secundum *esse*, quod habet in illo priori in se ipso : ergo debet ei convenire secundum *esse*, quod habet in suo principio, aut quasi principio, scilicet in divina voluntate : ergo prædicta voluntas erit ex se ipsa determinata ad futuritionem illius decreti; et nullo modo indifferens. Antecedens patet : quia quod est futurum, quandiu futurum est, non habet esse in se ipso. Prima verò consequentia ex antecedenti constat. Quoniam quævis determinatio vera, et non omnino ficta, debet convenire rei secundum aliquod verum, et reale *esse*, quod habeat, ex eo, quod determinatio est modus rei : ac subinde vera determinatio, et non omnino ficta debet esse modus rei secundum verum, et reale *esse* : ergo cum res tantum possit habere esse in se ipsa, vel in suo principio, aut quasi principio, oportet, ut conveniat illi, ut habet esse aliquo ex his modis : atque adeo, quod competat ei, ut est in suo quasi principio, si semel nequit ei convenire secundum *esse*, quod habet in se ipsa, ut in præsenti contingit.

Ex quo etiam secunda consequentia satis constat. Quoniam decretum, ut est in divina voluntate tanquam in principio (ut sic loquamur) quasi elicitivo ipsius, tantum dicit eandem voluntatem secundum ea, quæ ex se, et ab intrinseco habet : ergo si ut est ibidem, habet determinationem ad essendum, fiet inde, ut divina voluntas ex se ipsa sit determinata ad hoc, ut illud ut sic dicamus) quasi eliciat; et per consequens, quod ex se ipsa non sit indifferens ad utrumlibet; nec quantum est ex se possit componi cum quovis decreto, cujus oppositum ad libertatem desideratur. Et ita habetur id, quod initio hujus impugnationis dicebamus, scilicet ex una parte hanc determinationem esse ex suppositione futuritionis, ut prædicta solutio innuebat; et ex alia esse determinationem simpliciter, et ortam ex natura ipsius voluntatis. Cæterum de hac confirmatione infra in hac eadem disp. num. 115. usque ad num. 122. sermo redibit; ubi magis expendetur, et solutiones, quæ in favorem ejus adducentur, impugnabuntur.

Solvitur id, quod in favorem solutionis adversariorum adducebatur.

71 Nec id, quod solutio hæc pro se adducebat de Christo Domino, et de Beato Petro, illi prodest, sed potius obest. Quia quod actus liberi v. g. Christi Domini, et negatio D. Petri fuerint infallibiliter futuri, ortum habuit ex suppositione divini decreti actu existentis in Deo ; cujus effectus fuit facere, ut essent infallibiliter, et libere futuri. Quia prædictum decretum hoc ipso, quod sit actu in Deo, est prima radix, et causa efficiens futuritionis liberæ rei, quæ per illud, ut libere facienda, decernitur. Et ita talis futuritio, et determinatio ad illam, non habuit ortum ex determinatione proveniente ex sola natura voluntatis creatæ, sed ex suppositione jam dicta : ac proinde potuit cohærere cum nativa, et intrinseca indifferentia, et libertate ipsius (quod idem cum proportione, de trina negatione D. Petri collata cum decreto permissivo, efficaci tamen, quod Deus circa illam habuit, dicendum). Sicut propter oppositam rationem non poterit cohærere cum divina libertate aliqua determinatio ad futuritionem infallibilem alicujus decreti : siquidem, ut ostensum est, non est unde prædicta determinatio oriatur, nisi ex natura ipsius voluntatis, atque adeo, nisi tollatur indifferentia ipsius.

§ V.

Respondetur fundamentis prioris sententiæ.

Ad primum.

72 Ad primum, negandum est suppositum antecedentis, quod ibidem supponi innuitur, nimirum dari aliquod signum rationis, in quo Deus comprehendat suam essentiam, et non intelligat, aut habeat sua decreta libera. Quia hæc signa rationis *in quo*, non debent distingui respectu divini intellectus cognoscentis se ipsum, prout est in se, et unico, ac eodem simplicissimo intuitu mensurato æternitate, cuncta attingentis; imo nec cum fundamento in ipso Deo, debent distingui prædicta signa respectu intellectus nostri, dum cognoscit modum, quo Deus se ipsum comprehendit, ut ostensum est. Quamvis inter prædictam comprehensionem, et decretum liberum sit sua prioritas *a quo* jam dicta.

Unde neganda est prima consequentia, proprie, et formaliter intellecta. Quia ex illo antecedenti, in sensu explicato, solum sequitur Deum scire quid sua voluntas tunc velit; non vero quid in sequenti signo *in quo* volitura sit. Quoniam ad hoc requirebatur multiplicitas signorum *in quo* secundum rationem respectu divini intellectus, ac proinde, quod volitio illa haberet rationem futuræ. Ad illud vero satis est, quod in illo priori *in quo*, habeat esse præsens, et intelligatur ut præsens volitio illa, quam Deus de facto habuit; quamvis sit posterior posterioritate præcise *a quo*, quam cognitio comprehensiva Dei. Et ad probationem ejusdem consequentiæ patet ex dictis, concedendum esse antecedens, et primam consequentiam, sed negandam secundam: quandoquidem non est verum Deum in sequenti signo *in quo*, adhuc secundum rationem, aliquid voliturum, sed solum in illo eodem signo *in quo* velle de præsenti. Et ita ex eo, quod cognitio illa sit comprehensiva, et perfectissima, non sequitur, per illam cognoscendum esse, quid voluntas divina in sequenti signo sit volitura. Quare falsum est id, quod in probatione antecedentis, hujus argumenti innuitur: scilicet Verbum divinum procedere ex cognitione Dei, prout in aliquo signo *in quo*, adhuc secundum rationem, præsupponitur ad decreta libera, ut supra in hoc dubio tactum est.

Ad confirmationem. Per quod etiam ad confirmationem satis patet. Quia non negamus, quod cognitio comprehensiva Dei se extendat ad actus liberos ipsius, sed quod se extendat ad illos ut futuros: ex eo, quod non habent rationem futurorum. Utrum autem prædicta comprehensiva cognitio debeat illos attingere præcise, quia comprehensiva, et quia ad rationem divinæ comprehensionis id requiritur, vel ex aliquo alio capite? alia quæstio est, quæ ad solutionem hujus confirmationis parum refert.

Ad secundum. 73 Ad secundum, negandum est antecedens, et ad probationem quoad priorem partem patet ex dictis, decreta libera non subsequi ad scientiam Dei, subsecutione posterioritatis *in quo*, adhuc secundum rationem, sed solum posterioritatis *a quo* jam explicatæ. Et ita in illo signo *in quo*, intelliguntur esse præsentia in se ipsis una cum divina scientia. Per quod etiam ad secundam partem probationis ejusdem antecedentis patet, negandum esse decreta illa pro sequenti signo esse habitura existentiam, et pro signo antecedenti illam non habere: quia nulla est prioritas *in quo*, adhuc secundum rationem cum fundamento in re inter ea, quæ æternitate, ut mensura propria mensurantur.

Ad tertium. 74 Ad tertium, negandum est suppositum antecedentis, si intelligatur de signo rationis *in quo*, ita ut Deus in præcito signo antecedat ad sua decreta. Si vero intelligatur de signo rationis *a quo*, tunc admisso supposito antecedentis, negandum est ipsum antecedens, si fiat sermo (ut in præsenti dubio fit) de veritate determinata in illo signo, in ordine ad intellectum divinum (de veritate enim ipsius in ordine ad nostrum intellectum, aut de veritate objectiva utcunque, in dubio 6. hujus disputationis latius dicemus). Ratio autem, ob quam prædictum antecedens negatur, constat ex dictis. Quia cum verbum *decernet*, aut non *decernet* significet de futuro, et actus divinæ voluntatis, quo Deus determinatur, sit ei in omni signo *in quo* adhuc secundum rationem præsens, ex eo, quod mensuratur æternitate, ac proinde respectu divini intellectus nunquam sit futurus, oportet, ut respectu ejusdem intellectus, semper sit falsa illa propositio de futuro, *Deus decernet*: et semper sit vera ejus contradictoria, nimirum, *Deus de futuro non decernet*. Ad probationem vero antecedentis constat ex dictis.

Ad confirmationem. Ad confirmationem, transeat antecedens, et negetur consequentia. Et ad probationem, transeat etiam pro nunc antecedens, sed negari debet consequentia. Quia in ea supponitur, illam alteram propositionem, nimirum, *Deus non habebit in signo sequenti decretum creandi mundum*, esse falsam; cum tamen sit vera, si intelligatur (ut debet intelligi) in ordine ad intellectum divinum, de quo modo loquimur: quandoquidem, ut nuper dicebamus, actus liber Dei, tam secundum rem, quam secundum rationem suam, seu secundum suum modum concipiendi, semper est illi præsens, et nunquam futurus. Et ita in ordine ad prædictum intellectum, semper enunciabitur falso, quod decretum de creatione mundi erit in sequenti signo: et semper enunciabitur vere, quod in sequenti signo non erit, quia semper, et in quocunque signo est.

DUBIUM V.

DUBIUM V.

Utrum Deus certo cognoscat futura contingentia absoluta, et aliquo modo pendentia a libertate creata, in comprehensione causarum secundarum, antecedenter ad liberam divinæ voluntatis determinationem?

Explanatur titulus.

75 Pro tituli intelligentia notandum est, quod hoc ipso, quod in eo fiat sermo de cognitione divina, ante decretum suæ voluntatis, non loquimur de causis secundis, ut determinatis, et completis per præmotionem, et prædeterminationem efficacem, ad operandum id, quod futurum dicitur. Nam cum hæc prædeterminatio (de cujus possibilitate, aut necessitate in præsenti non agimus, ut omni ex parte decreto Sanctissimi Domini nostri Pauli V. pareamus) esset effectus decreti efficacis divinæ voluntatis, et per consequens posterior illo, certum est, quod cum loquimur de cognitione futurorum contingentium in comprehensione causarum secundarum, antecedenter ad divinum decretum, nequeunt nomine prædictarum causarum intelligi talis præmotio, aut causæ secundæ, ut completæ per illam : sed tantum ipsæmet causæ secundæ, consideratæ secundum se, et secundum alias conditiones prærequisitas ad operandum.

Consulto autem in titulo innuimus, in eo fieri sermonem de futuris contingentibus absolutis, aliquo modo pendentibus a libertate creata, ut denotetur fieri sermonem vel de actibus liberis, qui eliciuntur a voluntate, vel de aliis effectibus, qui ab illa possunt libere imperari, vel impediri.

§ I.

Proponitur prior sententia.

76 Partem affirmantem tuentur Durandus in 1. dist. 38. quæst. 3. num. 9. Thom. de Argentina in 2. dist. 40. art. 1. quatenus inquiunt, Deum cognoscere futura contingentia libera in suis causis proximis, non quidem nude sumptis, sed ut applicatis, hic, et nunc, cum hoc judicio, hoc objecto, hac inclinatione, et istis circumstantiis : quamvis isti authores confuse loquantur, non determinando, aut inter circumstantias, et determinationes numerent decretum divinæ voluntatis, et præmotionem efficacem. Clarius autem eandem sententiam docuit Molina in præsenti, disp. 14. concl. 1. ratione 2. et disp. 2. § *juxta ea ergo*, quem sequitur Martinus Becanus tomo 1. summæ Theologicæ cap. 10. quæst. 9.

Suadetur primo.

Probatur primo. Quoniam Angelus cognoscit conjecturaliter, et valde probabiliter prædicta futura in comprehensione voluntatis creatæ, et reliquarum causarum, ac circumstantiarum occurrentium : ergo Deus attinget illa certo, et infallibiliter hoc ipso, quod omnia prædicta comprehendat. Antecedens ex se constat, et communiter recipitur a Theologis. Consequentia autem probatur. Nam cum cognitio, qua Deus comprehendit causa proximas, et circumstantias occurrentes, prærequisitas ad productionem horum futurorum contingentium, sit infinite perfectior, quam cognitio, qua Angelus hæc omnia comprehendit, consequens est, ut si cognitio Angeli respectu prædictorum futurorum, tantum sit intra limites cognitionis valde probabilis, tunc cognitio divina protendatur extra limites cognitionis probabilis, et pertingat ad hoc, ut sit certa, et infallibilis cognitio eorundem.

Corroboratur.

Confirmatur, et explicatur. Quoniam cognitio Angeli respectu causarum secundarum, et circumstantiarum concurrentium ad futuritionem prædictorum contingentium, tantum est comprehensio, non vero supercomprehensio : secus vero cognitio Dei supercomprehendentis omnia prædicta; ergo sicut per cognitionem Angelicam comprehendentem prædictas causas cum suis circumstantiis, cognoscuntur sub ratione possibilium quævis futura contingentia ab ipsis dimanantia, ita per supercomprehensionem Dei infinite excedentem hanc comprehensionem, attingentur prædicta futura sub ratione futurorum. Patet consequentia. Quoniam per supercomprehensionem infinite excedentem alicujus causæ, amplius debet de ea cognosci, quam per solam comprehensionem : ergo si per hanc attingitur, tam ipsa causa secundum suam essentiam, quam omnes effectus possibiles in ea contenti, non poterunt non per supercomprehensionem sciri etiam effectus futuri ejusdem : siquidem nihil aliud restat præter hos effectus, quod possit per hanc cognitionem attingi, quod non attingatur per puram comprehensionem.

Ultimo.

77 Secundo. Nam sicut effectus naturalis habet dependentiam a causa naturali,

ita liber, et contingens a causa libera, et contingente : ergo sicut hoc ipso, quod Deus comprehendat causam naturalem, non potest non certo scire effectum naturaliter futurum, licet causa illa queat ab extrinseco, et naturaliter impediri, ita comprehendendo causam liberam, et contingentem, sciet certo effectum liberum, et contingentem inde futurum. Antecedens non indiget probatione. Consequentia vero etiam constat. Nam sicut a causa naturali infallibiliter proditurus est effectus naturalis, si non impediatur, ita a causa contingente, et libera, infallibiliter procedet effectus contingens, et liber, si eodem proportionali modo non fuerit impedita.

§ II.

Divi Thomæ sententia magis placet.

Conclusio. 78 Dicendum tamen est, Deum non cognoscere certo prædicta futura in comprehensione causarum proximarum, et circumstantiarum occurrentium, antecedenter ad divinum decretum. Ita D. Thom. de malo quæst. 16. art. 7. his verbis : *In causis suis sunt aliqua futura tripliciter. Uno modo secundum potentiam tantum : quia scilicet æqualiter possunt esse, vel non esse, quæ dicuntur contingentia ad utrumlibet. Quædam vero sunt in causis suis, non solum secundum potentiam, sed secundum causam activam, quæ non potest impediri a suo effectu : et dicuntur ex necessitate contingere. Quædam vero sunt in causis suis, et secundum potentiam, et secundum rationem causæ activæ : quæ tamen potest impediri a suo effectu : et ista dicuntur contingere ut in pluribus. Quia vero unumquodque cognoscitur, secundum quod est in actu, non autem secundum quod est in potentia, ut dicitur 9. Metaphys. inde est, quod ea, quæ sunt ad utrumlibet, non possunt præcognosci in suis causis determinate, sed sub disjunctione, utpote quia erunt, vel non erunt : sic enim habent veritatem. Ea vero, quæ sunt in causis suis, ut ex necessitate ab eis provenientia, possunt per certitudinem cognosci in causis suis. Ea vero, quæ contingunt, ut in pluribus, possunt cognosci in causis suis, non per omnimodam certitudinem, sed per conjecturalem quandam cognitionem.* Eandem distinctionem ponit 1. sententiarum dist. 38. quæst. 1. art. 5. ubi sic inquit : *Sciendum est igitur, quod antequam res sit, non habet esse, nisi in causis suis : sed causæ quædam sunt, ex quibus necessario sequitur effectus, quæ impediri non possunt, et in istis causis habet causatum esse certum, et determinatum : adeo quod potest ibi demonstrate sciri, sicut est ortus Solis, et eclipsis, et hujusmodi. Quædam autem sunt causæ, ex quibus consequuntur effectus, ut in majori parte, sed tamen deficiunt in minori parte. Unde in istis causis effectus futuri non habent certitudinem absolutam, sed quandam, in quantum sunt magis determinatæ causæ ad unum, quam ad aliud ; et ideo per istas causas potest accipi scientia conjecturalis de futuris, quæ tanto magis erit certa, quanto causæ sunt magis determinatæ ad unum : sicut est cognitio Medicde sanitate, et morte futura, et judicium Astrologi de ventis, et pluviis futuris. Sed quædam causæ sunt, quæ se habent ad utrumque, et in istis causis effectus de futuro nullam habent certitudinem, vel determinationem ; et ideo contingentia ad utrumlibet in causis suis nullo modo cognosci possunt.* Idem etiam docuit in hoc articulo, his verbis : *Alio modo potest considerari contingens, ut est in causa sua : et sic considerator, ut futurum, et ut contingens nondum determinatum ad unum ; quia causa contingens se habet ad opposita. Et sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicunque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantum, non habet de eo, nisi conjecturalem cognitionem.* Et tandem hoc ipsum tuetur Sanctus Doctor 1. contra Gentes, cap. 66. et 67. et in hac 1. part. quæst. 57. art. 4. et quæst. 86. art. 4. necnon 2. 2. quæst. 171. art. 6. ad 2. et alibi sæpe.

Unde Sanctum Doctorem sequuntur Capreolus in 1. distinct. 38. quæstione 1. art. 2. conclusione 1. Ferrara 1. contra Gent. capit. 66. Cajetanus in præsenti § *quoad secundum*, Bannez, Nazarius, Gonzalez, Ripa, Machin. ad præsentem articulum, Gaspar Ram. relectione 2. de præscientia futurorum absolutorum, Scotus, et Okamus cum sectatoribus in 1. distinct. 38. quæst. 1. Curiel lib. 2. controvers. disputat. 4. a num. 134. Alvarez lib. 1. Responsionum cap. 5. Ledesma lib. de auxiliis disputat. 2. afin. de scientia futurorum contingen. dub. 2. Cornejo tomo 1. in 1. part. tract. 1. circa quæst. 14. art. 3. disp. 2. dub. 3. Arrubal. in præsenti disput. 42. Herice tract. 1. disput. 6. cap. 2. num. 14. et 30. ubi etiam pro hac sententia universam Societatis scholam,

scholam, exceptis Molina, et Martino Becano, refert. Et tandem nostrum Collegium Complut. lib. 2. Perihermen. a num. 6. usque in finem.

Ratio assertionis.

79 Ratio autem fundamentalis assertionis desumitur ex D. Thom. locis citatis. potestque sub hac forma proponi. Quoniam causa libera quantumvis conjuncta cum omnibus circunstantiis, et dispositionibus, antecedentibus ad decretum liberum Dei, semper manet indifferens ad utrumlibet : ergo ex vi comprehensionis ipsius non potest certò, et determinate cognosci futurum contingens, vel ab ea eliciendum, qualis est actus liber ipsius, vel ab ea pendens, et ab aliis causis secundis immediate, seu proxime producendum. Antecedens supponimus ut certum, et communiter admittitur a Philosophis, et Theologis ; alioqui prædicta futura, non essent futura contingentia, de quibus loquimur ; siquidem non penderent a causa libera, ut tali. Consequentia vero quoad 1. part. probatur. Quoniam in causa indifferente ad utrumlibet, v. g. ad amandum, vel non amandum, aut odio habendum, et ex vi comprehensionis ipsius, non potest certo cognosci, quod infallibiliter, et determinate amabit, non vero odio habebit. Sicut in causa determinata ad unam partem, nempe ad amorem, non potest certo cognosci, quod indifferenter, et indeterminate amabit, aut non amabit ; sed quod determinate amabit.

Ex quo etiam eadem consequentia quoad secundam partem constat. Quoniam hoc ipso, quod futurum contingens, immediate, sive proxime producendum ab aliis causis, pendeat etiam a voluntate libera, ut indifferente ad utrumlibet, non potest ex hoc capite magis certo cognosci, ex vi comprehensionis prædictæ voluntatis, quam futura contingentia libera, quæ ab eadem immediate eliciuntur : ergo si hæc nequeunt ex vi comprehensionis voluntatis certo cognosci, nec illa poterunt ex vi comprehensionis suarum causarum, a quibus immediate producuntur, et ejusdem voluntatis, a qua etiam pendent, certo attingi.

Occurrit Molina.

80 Nec refert, si cum Molina dixeris, ex hac ratione recte convinci, non sciri prædicta futura contingentia ex vi solius comprehensionis causarum secundarum ; non tamen ex vi supercomprehensionis. Quoniam, ut num. 76. innuebatur, supercomprehensio causarum extenditur ratione suæ eminentiæ ad omnes effectus, etiam futuros, sicut comprehensio ad possibiles.

Refutatur.

Non itaque hoc refert. Quoniam hæc solutio ex sola expensione rationis factæ corruit. Nam effectus non potest cognosci in suis causis, et ex vi supercomprehensionis illarum, nisi eo modo, quo continetur in illis : at futura contingentia collata præcise cum suis causis secundis antecedenter ad divinum decretum, non continentur in eis, ut determinate futura, sed ut indifferentia ad hoc ut sint, et non sint : ergo ex vi prædictæ supercomprehensionis non poterunt cognosci ut determinate futura, sed ut indifferentia ad hoc, ut habeant, vel non habeant *esse*. Consequentia videtur perspicua. Minor autem etiam liquet. Quoniam, ut nuper dicebamus, causa indifferens ad utrumlibet, et non magis determinata ad infallibiliter amandum, v. gr. quam ad odio habendum, non potest continere, ut determinate, et infallibiliter futurum, amorem potius, quam odium : et ita amor non potest in ea, sic sumpta contineri ut determinate, et infallibiliter futurus, sed ut indifferenter, et indeterminate futurus.

Major vero etiam constat. Quia quantumvis causa supercomprehendatur, non potest ex ea elici id, quod in ipsa non continetur ; et propterea quantumvis comprehendatur planta, nequit ex ea præcise sumpta cognosci possibilitas equi, aut leonis, ex eo, quod in ipsa non præhabentur ; ergo si futurum contingens, ut determinate, et infallibiliter futurum non continetur in suis causis proximis, præcise, et in sensu jam dicto sumptis, sed tantum ut indifferenter, et ut determinate futurum, seu ut est indifferens ad hoc, ut sit, vel non sit, nequibit ex vi talis supercomprehensionis cognosci, ut determinate, et infallibiliter futurum, sed solum indifferens ad hoc, ut habeat, vel non habeat *esse* : alioqui talis supercomprehensio non solum non haberet rationem talis, verum neque etiam rationem comprehensionis causæ : siquidem non attingeret causas, nec suos effectus eo modo, quo sunt in illis.

Confirmatur primo.

81 Confirmatur, et explicatur primo. Nam vel ista supercomprehensio dicit excessum perfectionis ex parte cognoscentis duntaxat, non vero ex parte rei cognitæ, supra puram comprehensionem? vel dicit supra illam excessum perfectionis ex parte ipsius rei cognitæ, ita ut extendatur supercomprehensio ad aliquid tenens se ex parte

rei cognitæ, et in ea cognoscibile, ad quod non se extendit comprehensio ? Si primum dicatur, ergo illa supercomprehensio non distinguetur a comprehensione in hoc, quod supercomprehensio aliquid attingat de re comprehensa, aut in ea contantum, quod non attingat comprehensio ; sed solum in hoc, quod illa clariori, et perfectiori modo ex parte sua, quam res comprehensa petit, comprehendit ipsam, secus vero ista : alioqui, ut ex terminis ipsis constat, excessus prædictus non esset ex parte cognoscentis duntaxat, sed etiam ex parte rei cognitæ. Secundum autem dici nequit ; alioqui voluntas creata a solo Deo comprehendi posset : siquidem ad comprehensionem desideratur, ut nihil rei comprehensæ lateat cognoscentem, id est, ut neque ipsa, neque aliquid ejus, nec tandem quidpiam in ea contentum, et in ipsa cognoscibile lateat comprehendentem, ut ex dictis in tract. de Visione Dei constat. Et ita, si futuritio determinata actus liberi humanæ voluntatis lateat intellectum creatum, non potentem cognoscere in ipsa voluntate, quid sit determinate volitura ; cum tamen hoc sit in ea cognoscibile, et solum pateat intellectui divino, consequens erit, ut prædicta voluntas a solo intellectu Dei comprehendi possit.

Alia confirmatio.

82 Confirmatur, et explicatur secundo. Quoniam excessus iste infinitus supercomprehensionis non desideratur ex parte ipsius rei cognitæ ad perfectissimam illius comprehensionem, sed solum ex parte cognoscentis : ergo nihil amplius per illam cognoscetur de re comprehensa, quam cognosceretur per puram comprehensionem : ac proinde si per istam nequeunt futura contingentia cognosci ex vi comprehensionis suarum causarum, modo dicto sumptarum, neque etiam per supercomprehensionem. Antecedens videtur perspicuum. Quia intellectus divinus comprehendit perfectissime essentiam Dei ex parte rei comprehensæ, alioqui non esset tantus in ratione cognoscentis, quanta est divina essentia in ratione cognoscibilis ; et tamen non supercomprehendit illam, nec excedit ex parte sui ipsam.

Prima vero consequentia, ex qua secunda aperte sequitur, etiam constat. Quoniam hoc ipso, quod prælictus excessus non desideretur ex parte rei comprehensæ ad perfectissimam comprehensionem, signum est, ipsam in ratione cognoscibilis ex parte sua adæquari cum comprehensione, non habente prædictum excessum ; ita ut ex se non sit amplius cognoscibilis, nec aliquis modus, aut formalitas, vel continentia sit in ea, quæ per puram, et perfectissimam comprehensionem non attingatur : atque adeo ex iis, quæ in ipsa continentur, nihil amplius per quamlibet supercomprehensionem cognoscetur, quam cognosceretur per puram comprehensionem : alioqui comprehensio non adæquaret illam, quoad cognoscibilitatem ex parte sua se tenentem, id est, quoad omnia, quæ in ea in ratione cognoscibilis continentur.

Additamentum ex duplici probatione coalescens.

83 Accedit pro majori impugnatione hujus solutionis a Molina adhibitæ, non recte eam cohærere cum iis, quæ idem Molina docet. Nimirum Deum in comprehensione suæ voluntatis non cognoscere determinationes liberas ipsius : et nihilominus in comprehensione voluntatis creatæ cognoscere actus liberos, qui ab ea eliciendi sunt. Hæc autem duo inter se non cohærere inde constat. Tum quia licet Deus supercomprehendat voluntatem creatam, non vero voluntatem suam : attamen illa, ut supercomprehensa, non est perfectius cognita, quam voluntas divina, ut tantum comprehensa ; alioqui absolute, et simpliciter loquendo perfectius cognosceretur a Deo voluntas creata, quæ est objectum remotius, quam voluntas divina, quæ est objectum propinquius, et immediatius divinæ essentiæ, quod (ut constat), est aperte falsum : ergo si illa cognitio, ut terminata ad divinam voluntatem, et ut est ejus comprehensio, nequit certo attingere in ea decreta libera ipsius, nequibit etiam ut terminata ad voluntatem creatam, et ut est supercomprehensio illius, certo attingere actus liberos futuros ejusdem : vel si ad hos potest certo terminari etiam ad illa.

Prior probatio.

Patet consequentia. Quia scire, vel non scire quidquid continetur aliquo modo in causa, pertinet ad perfectionem cognitionis : et ita si cognitio terminata ad divinam voluntatem, et ad voluntatem creatam, est ejusdem perfectionis, ut est comprehensio unius, et supercomprehensio alterius, consequens erit, ut si ex vi illius, ut supercomprehensio, certo attinguntur actus liberi voluntatis creatæ, quod etiam ex vi illius, ut comprehensio, certo sciantur decreta libera divinæ voluntatis.

Secunda

84 Tum etiam : quoniam hoc ipso, quod non sciatur determinatio voluntatis Dei, sciri nequit in voluntate creata, ut in causa determinatio futura ipsius : ergo, si Deus ante suam determinationem liberam non

non cognoscit eandem determinationem, nequibit etiam attingere determinationem voluntatis creatæ. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem etiam patet. Quoniam voluntas creata nequit se sine determinatione voluntatis divinæ determinare, seu esse causa suæ determinationis; maxime, quia determinatio ejus provenit ex determinatione voluntatis Dei : et ita nequibit sciri prædicta determinatio voluntatis creatæ ex vi cognitionis ejusdem voluntatis, ut causæ illius, quin cognoscatur determinatio voluntatis divinæ.

Confirmatio præcedentis probationis.

Confirmatur, et explicatur hæc eadem probatio. Nam quoties effectus habet dependentiam a duabus causis per se, oportet ad hoc, ut cognoscatur in sua causa, ut determinate, et simpliciter futurus, cognosci determinationem utriusque causæ; alioqui non penderet per se ab utraque : ergo hoc ipso, quod Deus tunc non attingat decretum suæ voluntatis in ordine ad aliquem effectum voluntatis creatæ nequibit ejus futuritionem certo in eadem causa creata attingere : quandoquidem futuritio illius, tam a determinatione suæ divinæ voluntatis, quam voluntatis creatæ pendet.

§ III.

Occurritur argumentis primæ sententiæ.

Ad primam.

85 Ad primum, concessoante cedenti, neganda est consequentia. Et ad probationem dicendum est, quod ex excessu infinito divinæ cognitionis supra cognitionem Angelicam, non recte colligitur, Deum certo scire futuritionem determinatam prædictorum contingentium in comprehensione suarum causarum secundarum, antecedenter ad divinum decretum, si semel Angelus conjecturaliter, et valde probabiliter in prædictis causis eam attingit. Quoniam talem futurum non est certo cognoscibile, tanquam infallibiliter futurum, in suis causis sic sumptis : et ita non pertinet ad infinitam perfectionem divinæ cognitionis, quod illud, ut infallibiliter futurum attingat; sed solum quod majori in infinitum claritate percipiat ejus indifferentiam ad *esse*, et non *esse*, ita ut omnino sciat, tam indifferentiam, quam gradum, seu (ut sic loquamur) tantitatem indifferentiæ, quam habet ad hoc, ut sit, vel non sit.

Animadversio Alvarez.

Neque hinc fiet, ut bene notavit Alvarez lib. 2. de auxiliis disput. 15. dari in Deo proprie loquendo cognitionem conjecturalem. Nam dupliciter potest cognitio alicujus esse conjecturalis. Primo ex parte ipsius cognitionis, et in ordine ad cognoscentem, qui conjecturis ducitur ad proferendum judicium de futuritione determinata alicujus rei : sicut Medicus ex aliquibus signis judicat conjecturaliter de infirmitate futura. Secundo ex parte objecti cogniti, ut quando aliquis cognoscit habitudinem, quam habent causæ ad suos effectus, qui ex eisdem regulariter proveniunt; non tamen prædictis conjecturis ductus, videat eos determinate futuros; sed solum evidenter cognoscit esse talem propensionem in causis, ut soleant, ut in plurimum, aut frequenter sic evenire. Quare cum prior illa cognitio, quippe cui potest subesse falsum, non sit in Deo, maxime quia ipse certo scit nihil esse determinate, et complete futurum, nisi post decretum suæ voluntatis, et dependenter ab eo; bene tamen posterior : ex eo, quod ad perfectionem divinæ scientiæ pertinet, ut unumquodque pro meritis suis sciat, atque adeo quod id, quod est regulariter futurum, certo sciat sic esse futurum : inde est, ut non sit in eo scientia conjecturalis proprie, et absolute loquendo, quia hæc sic sumpta stat pro cognitione conjecturali priori modo; non vero pro cognitione conjecturali modo posteriori.

Ad confirmationem.

86 Ad confirmationem, transeat antecedens, et negetur consequentia. Ad probationem vero negandum est antecedens. Quia totus iste excessus tenet se ex parte cognoscentis, ut dictum est. Et ita nihil cognoscitur ex parte rei cognitæ per supercomprehensionem, quod non cognoscatur per comprehensionem : ac proinde nec illud ipsum, quod cognoscitur, ut possibile a comprehendente, scilicet actus liberi, debet cognosci ut futurum a supercomprehendente, si tantum attendatur ad causas secundas prædictorum futurorum contingentium, modo dicto sumptas; sed solum cognoscuntur, ut possibiles, quamvis cum infinita majori claritate ex parte supercomprehendentis.

Ad secundum.

87 Ad secundum, transeat etiam antecedens, et negetur similiter consequentia. Et ad probationem respondetur esse disparem rationem. Nam causa necessaria præsupponitur determinata ad affectum futurum : et ideo ipsa cognita, necnon et aliis causis necessariis, quæ alias poterant impedire ejus influxum, quæque etiam sunt determi-

natæ ad illud, v. gr. non impediendum, potest etiam effectus cognosci, ut determinate futurus, saltim quantum est ex parte causarum secundarum. At causæ liberæ non sunt determinatæ ad illum producendum, si sumantur eo modo, quo in præsenti eas accipimus : nec etiam est determinatum, quod sunt, v. g. impediendæ ; sed hoc etiam est in se contingens, et liberum : et ita in eis comprehensis, aut supercomprehensis nequit sciri, quod suus effectus est infallibiliter, et determinate futurus.

DUBIUM VI.

Utrum Deus certo cognoscat futura contingentia absoluta in eorum veritate objectiva, antecedenter ad divinum decretum?

Exposi-tio tituli. 88 Sensus tituli est, an futura contingentia absoluta, antecedenter ad divinum decretum habeant certam determinationem suæ futuritionis, et ita habeant sufficientem veritatem, et certitudinem objectivam, ratione cujus possint certo a Deo cognosci? Dubium autem hoc alii aliis verbis excitant, inquirentes : an Deus certo cognoscat prædicta futura in veritate, aut falsitate determinata propositionum, quæ de ipsis formari possunt? Sed uterque modus in idem coincidit. Quia hoc ipso, quod prædictæ propositiones, quæ de ipsis formari possunt, certo cognoscantur a Deo, ut determinate veræ, aut determinate falsæ, antecedenter ad divinum decretum, oportet, ut etiam significatum earum, scilicet futuritio ejusdem futuri, cognoscatur ab illo : siquidem repugnat, certo cognosci veritatem hujus propositionis, nempe, *Antichristus erit*, quin cognoscatur certo suum significatum, scilicet, futuritio ejusdem Antichristi. Et ita si prædictæ propositiones habeant certam veritatem objectivam respectu divini intellectus, et ratione hujus certo attingantur a Deo, non potest non hoc ipsum de prædictis futuris affirmari. Cæterum, ut titulus dubii adhuc melius intelligatur, notanda sunt ea, quæ num. 100. et 101. asseremus.

§ I.

Sententia affirmans.

89 Partem affirmativam tuentur Suarez opusculo de scientia Dei futurorum contingentium lib. 2. cap. 2. num. 3. et sequentibus, et cap. 7. num. 15. et 16. Vazquez in præsenti disp. 66. cap. 2. Herice tract. 1. disp. 6. cap. 7. referens pro ea Conimbricenses Boëthium, Jandunum, Burleum, Tartaretum, Alensem, Scotum, Okam. Gabr. Marsil. Majorem, Ricardum, et Cordubam, et plures alios : quamvis, an omnes hi sint in hac sententia, postea a nobis discutietur. Benedictus Pereyrus lib. 16. Commentar. in Genes. super cap. 11. disp. 7. § *illud*.

Argumentum primum. Probatur primo. Quoniam futurum contingens ex suppositione suæ veræ futuritionis habet certam, et necessariam determinationem ad essendum, etiam ante decreta divinæ voluntatis : ergo eo ipso habebit adhuc antecedenter ad ea sufficientem certitudinem, et veritatem objectivam, ratione cujus possit certo a Deo cognosci. Consequentia videtur certa. Antecedens autem ostenditur testimonio August. tomo 6. lib. 20. contra Faustum, cap. 4. his verbis : *Tam non possunt futura non fieri, quam non fuisse facta præterita.* Anselmi lib. de concordia præscientiæ, et prædestinationis gratiæ cum libero arbitrio cap. 1. asserentis : *Rem vero futuram necesse est esse futuram : quoniam futurum esse nequit, et non futurum.* Unde secundum Augustinum, sicut præteritum ex suppositione suæ præteritionis habet etiam independenter a divino decreto, certam, et necessariam determinationem, ratione cujus non potest non esse præteritum, ita etiam futurum, ex suppositione suæ futuritionis habebit eodem proportionali modo certam, et necessariam determinationem, ratione cujus determinate, et necessario erit. Et similiter secundum Anselmum, sicut in omni signo, etiam illo, quod antecedit divinum decretum, nihil potest esse simul futurum, et non futurum, ita etiam in omni signo, futurum ex suppositione suæ futuritionis erit necessario futurum, ne in aliquo signo, ut innuit Anselmus, possit aliquid esse simul futurum, et non futurum.

Secundum. 90 Secundo. Nam adveniente tempore, in quo futurum absolutum, et contingens habebit jam existentiam, ut adveniente die crastino, in quo lectio cras futura, erit existens, tunc prælicta lectio nequit esse indeterminata ad hoc, ut sit, vel non sit, ita ut sit quasi suspensa inter utrumque ; quia hoc pugnat cum illo primo principio, nimirum necessarium esse, ut de qualibet re verificetur altera pars contradictionis : neque potest simul esse, et non esse ; sed necessario

cessario debet, adveniente die crastino, vel determinate habere *esse*, vel determinate habere non *esse* : quia oppositum hujus contradicit alteri primo principio, nempe nihil posse simul esse, et non esse : ergo similiter in quovis signo antecedenti nequit prædicta lectio esse indeterminata ad *fore*, vel non *fore* pro tali die, ita ut sit, quasi suspensa inter utrumque : neque etiam poterit habere simul futuritionem, et non futuritionem, sed determinate habebit vel esse futuram, vel non esse futuram pro eodem die : et consequenter ratione hujus certæ et determinatæ futuritionis, certo, et de, terminate cognoscetur a Deo.

Hæc ultima consequentia ex priori constat. Prima vero liquet. Tum quia oppositum etiam pugnaret cum illis duobus primis principiis jam dictis. Tum etiam : quia illud ipsum, quod cras erit præsens, prius in quolibet signo antecedenti habet esse futurum, siquidem in quolibet verum est, quod cras erit : ergo si lectio crastina habebit cras esse, verbi gratia determinate præsens, etiam in quolibet signo habebat esse determinate futuram. Tum denique : quia cum futuritio lectionis crastinæ dicatur talis per ordinem ad *esse*, quod cras habebit : et similiter determinatio talis futuritionis competat ei per ordinem ad determinatum *esse*, quod tunc acquiret, consequens est, ut si crastino die habuerit determinate *esse*, non vero non *esse*, quod in omni duratione antecedente, et in quovis signo habebit determinatam futuritionem. Sicut quia ratio non futuri, et determinatio ejus accipitur per ordinem ad non *esse*, quod res habebit pro eo tempore, pro quo dicitur esse non futura, propterea si in eo tempore determinate habuerit non *esse*, etiam in omni duratione, et signo antecedenti habebit *esse* non futurum.

91 Confirmatur. Nam hoc ipso, quod Adamus præterierit, potest nunc per ordinem ad illud tempus, in quo *esse* habuit, verificari, quod in prædicto tempore extitit, quamvis de facto nihil sit : ergo etiam per ordinem ad tempus futurum, in quo Antichristus erit, poterit verificari in omni signo antecedenti, quod habebit existentiam. Antecedens communiter recipitur a Theologis, et Philosophis. Consequentia vero ex paritate rationis constat. Si enim, quod aliquid in tempore præ tertio fuerit, quamvis nunc nihil sit, satis est ad verificandum pro nunc, quod pro illo tempore antecedenti fuerit, cur quod in tempore sequenti res habitura sit existentiam, non sufficiet ad verificandum in quovis signo antecedenti, quod pro prædicto tempore futuro extitura est.

92 Tertio. Nam in illo priori signo rationis antequam intelligatur aliquod decretum divinæ voluntatis, una ex his propositionibus de futuro contingenti, nimirum *Antichristus erit*, *Antichristus non erit*, habet determinatam veritatem, vel falsitatem; ergo in eodem priori certo, et determinate attinget Deus, quænam ex prædictis propositionibus sit vera : et consequenter utrum Antichristus sit futurus, vel non sit futurus. Secunda consequentia ex prima aperte sequitur, ut ex modo dictis constat. Prima vero ex antecedenti. Nam cum divina cognitio sit infinita intra suam lineam, oportet, ut hoc ipso, quod aliquod objectum in aliquo signo sit certo cognoscibile, quod pro eodem certo attingat illud; alioqui non esset infinita in ratione cognitionis : siquidem non extenderetur ad cognoscendum certo quidquid certo cognoscibile est.

Antecedens autem probatur. Quoniam adhuc in eo signo rationis prædicta propositio, scilicet *Antichristus erit*, contradictorie opponitur cum hac, *Antichristus non erit* : ergo altera illarum est determinate vera, et altera determinate falsa : quan loquidem de ratione contradictoriarum est, quod altera sit determinate vera, et altera sit determinate falsa.

Confirmatur. Nam hæc disjunctiva, *Antichristus erit, vel non erit*, est pro omni signo vera, et necessaria, ut ex terminis ipsis constat : ergo altera pars ejus erit vera : ergo illa, et consequenter ejus veritas objectiva, certo cognoscetur a Deo, ante suum decretum. Hæc ultima consequentia patet ex priori. Prior vero ex antecedenti. Quoniam ad veritatem disjunctivæ desideratur, quod altera pars sit vera : sicut ad veritatem copulativæ requiritur, ut utraque pars veritatem contineat. Corroboratur.

93 Quarto. Quoniam propositionem aliquam esse determinate veram, vel falsam, nihil est aliud, quam esse determinate conformem, vel difformem rei significatæ per ipsam; sed in illo signo antecedenti ad decreta libera Dei, hæc propositio, *Antichristus erit*, habet esse conformem rei significatæ : ergo, etc. Minor probatur. Nam tunc aliqua propositio est conformis rei significatæ per ipsam, quando ita se res habet sicut per prædictam propositionem enunciatur : hoc autem in præsenti contingit : siquidem Quartum.

enunciatur de Antichristo, quod pro tempore futuro erit : et hoc ita erit, sicque res se habebit.

Confirmatur. Confirmatur, et explicatur primo. Nam si propter aliquam rationem prædicta propositio non esset conformis suo objecto ante divinum decretum, maxime quia ante illud non sunt determinatæ causæ ad illius productionem, atque adeo nec habet esse futurum ; at hæc ratio est nulla : ergo, etc. Major videtur certa. Minor autem probatur. Quia per prædictam propositionem non enunciatur, quod causæ sunt determinatæ, alioqui talis propositio esset de præsenti, et non de futuro ; sed tantum enunciatur, quod res illa pro tempore futuro erit : ergo licet causæ non sint determinatæ, attamen si pro tempore futuro res illa extiterit, tunc prædicta propositio erit vera, et conformis suo objecto.

Alia confirmatio. 94 Confirmatur, et explicatur secundo. Quia omni propositioni de futuro contingenti correspondet sua de inesse determinate vera, vel determinate falsa : ergo quævis propositio de prædictis futuris habebit pro quocunque signo determinatam veritatem, vel falsitatem. Consequentia videtur certa. Nam veritas, vel falsitas propositionis de futuro regulanda est per propositionem de inesse ; ita ut illa propositio de futuro sit vera, cui aliquando correspondet una de inesse, quæ similiter sit vera : et illa sit falsa, quæ nunquam est habitura unam de inesse veram. Antecedens autem probatur. Nam adveniente tempore, in quo prælicitur aliquid futurum, verbi gratia, quod Antichristus erit, non potest non esse determinate vera hæc propositio, *Antichristus est,* vel hæc eadem esse determinate falsa, et altera ei opposita, nempe, *Antichristus non est,* esse determinate vera : ergo cuilibet propositioni de futuro contingenti debet necessario correspondere sua de inesse, quæ sit determinate vera, vel determinate falsa.

Corroboratur altera Aristot. Confirmatur tertio. Quoniam, ut docet Aristot. 6. Metaphys. verum, et falsum respectu propositionis sunt immediate contraria, sicut sanum, et ægrum respectu animalis ; sed inter contraria immediata, in nullo signo datur medium, alioqui non esset immediate contraria : ergo in quocunque signo rationis quælibet propositio de futuro contingenti, erit determinate vera, vel determinate falsa : et per consequens veritas ejus objectiva, seu objecti in illa reducentis, erit certo a Deo cognita.

Quintum 95 Quinto. Quoniam significare verum, vel falsum, est de conceptu quidditativo propositionis, vel saltim proprietas illius, ut constat ex diffinitione, quam de ea Arist. in lib. Perihermenias tradit : ergo cum hæc propositio, *Antichristus erit,* etiam pro signo antecedenti ad decreta libera Dei habeat rationem propositionis, siquidem constat subjecto, prælicato, et copula, et aliquid determinate affirmant, consequens erit, quod debeat esse determinate vera, vel determinate falsa : siquidem passio inseparabiliter manat ab essentia.

Confirmatur primo. Nam si ante determinationem divinæ voluntatis nihil habet rationem futuri, fiet inde, quod si loquamur de Deo in illo signo antecedenti ad sua decreta, tunc judicabit nullum effectum contingentem esse in illo signo futurum, atque adeo propositionem negativam, quæ id significat, esse determinate veram, et affirmativam falsam : siquidem ejus objectum est futuritio rei contingentis a Deo actu decreta, quæ tamen in illo signo non est.

Corrob ratu secun do. Confirmatur secundo. Quoniam si propter aliquam rationem propositio negativa de futuro, verbi gratia : *Antichristus non erit,* non esset tunc determinate, sed indeterminate falsa, maxime quia ante decretum, neque est futuritio, neque non futuritio (ut sic dicamus) positiva Antichristi, id est, non habet aliquid positivum, ratione cujus ei repugnet futuritio ; sed hæc ratio est nulla : ergo, etc. Major patebit infra, et minor probatur. Quoniam hoc ipso, quod non habeat positivam futuritionem, et hoc sit objectum talis propositionis, erit falsum, quod erit : sicut et verum, quod non erit : siquidem ad hoc, ut sit verum, quod erit, requiritur, quod habeat futuritionem : et ut sit falsum, satis est, quod illam non habeat. Sicut ad hoc, ut in illo signo sit falsum, Antichristum esse sufficit, quod tunc non sit : et ut esset verum, requirebatur tunc esse.

§ II.

Vera Aristot. et Divi Thomæ sententia.

Cor clusi 96 Dicendum tamen est, futura contingentia in illo signo antecedenti ad decreta libera Dei non habere determinatam, et infallibilem futuritionem, aut determinatam, et infallibilem non futuritionem : atque adeo nec habere determinatam veritatem objectivam in ratione futurorum, in qua possint

possint certo cognosci, nec propositiones de eisdem formatas, esse in illo signo determinate veras, aut determinate falsas. Ita Aristot. 1. de Interpretatione cap. 8. ubi loquens de futuris contingentibus, quatenus talibus, et de eisdem dum continentur in suis causis indifferentibus, antequam, salva earum indifferentia, determinentur ad productionem prædictorum futurorum, ac proinde loquens implicite, et virtute de illis, ut præcedunt efficax decretum Dei, quo causæ prælictæ determinantur : et ut explicaret quomodo in propositionibus contradicentibus de illis verificetur id, quod ante docuerat, scilicet in contradictorie oppositis alteram partem esse veram, et alteram falsam, ita in ipso capitis exordio inquit : *In iis igitur, quæ sunt, et fuerunt, necesse est affirmationem, vel negationem, veram, vel falsam esse :* et paucis interpositis, in quibus id explicat, addit : *In singularibus autem, atque futuris non similiter sese res habet.*

Quæ verba post assignatas plures divisiones propositionis, sic D. Thom. lect. 13. explicat : *His igitur enunciationis differentiis consideratis, non similiter se habet judicium de veritate, et falsitate in omnibus. Unde Philosophus dicit, quod in propositionibus de præsenti, et de præterito, necesse est, quod affirmatio, vel negatio, determinate sit vera, vel falsa, etc. Sed in singularibus, et futuris est quædam dissimilitudo. Nam in præteritis, et præsentibus, necesse est, quod altera oppositarum determinate sit vera, et altera falsa in quacunque materia ; sed in singularibus, quæ sunt de futuro, hoc non est necesse, quod una sit determinate vera, et altera falsa. Et hoc quidem dicitur, quantum ad materiam contingentem.*

97 Idem etiam docuit Philosophus in eodem cap. ubi postquam dixit, prædicta futura modo dicto sumpta, nullam habere determinationem infallibilem ad hoc, ut determinate sint, vel determinate non sint, statim colligit, propositiones de illo efformatas, nec esse determinate veras, nec determinate falsas, his verbis : *Quare quoniam similiter orationes veræ sunt, quemadmodum et res, manifestum est, quoniam quæcunque sic se habent, ut ad utrumlibet sint, et contraria ipsorum contingant, necesse est similiter se habere et contradictionem. Quod contingit in iis, quæ non semper sunt, et non semper non sunt. Horum enim necesse est alteram partem contradictionis veram esse, vel falsam; non tamen hoc vel illud, sed utrumlibet : et magis quidem alteram veram, non tamen jam veram, vel falsam.*

Quod testimonium exponit Angelicus Doctor loco citato, his verbis : *Dicit ergo primo, quod quia hoc modo se habent orationes enunciativæ ad veritatem, sicut et res ad esse, vel non esse, quia ex eo, quod res est, vel non est, oratio est vera, vel falsa ; consequens est, quod in omnibus rebus, quæ ita se habent, ut sint ad utrumlibet, et quæcunque ita se habent, quod contradictoria eorum qualitercunque contingere possunt, sive æqualiter, sive alterum, ut in pluribus, ex necessitate sequitur, quod etiam similiter se habeat contradictio enunciationum. Et exponit consequenter, quæ sint illæ res, quarum contradictoria contingere queant : et dicit hujusmodi esse, quæ neque semper sunt necessaria, neque semper non sunt sicut impossibilia, sed quandoque sunt, et quandoque non sunt. Et ulterius manifestat quomodo similiter se habeat in contradictoriis enunciationibus : et dicit, quod harum enunciationum, quæ sunt de contingentibus, necesse est, quod sub disjunctione, altera pars contradictionis sit vera, vel falsa; non tamen hæc, vel illa determinate, sed se habet ad utrumlibet. Et si contingat, quod altera pars contradictionis magis sit vera, sicut accidit in contingentibus, que sunt ut in pluribus : non tamen ex hoc necesse est, quod ex necessitate, altera earum determinate sit vera, vel falsa.*

98 Idem etiam docuit Angelicus Doctor in 1. sent. dist. 38. quæst. 1. art. 5. ad 2. his verbis : *Futurum contingens non est determinate verum antequam fiat, quia non habet causas determinatas.* Et quæst. 16. de malo, articulo 7. inquit : *Quia unumquodque cognoscitur secundum quod est in actu, non autem secundum quod est in potentia, ut dicitur 9. Metaphysic. inde est, quod ea, quæ sunt ad utrumlibet, non possunt præcognosci in suis causis determinate, sed sub disjunctione, utpote quia erunt, vel non erunt : sic enim habent veritatem.*

Et deinde in hac 1. part. quæst. 16. art. 7. ad 3. inquiens : *Illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat ut fieret. Unde sublata causa non esset futurum illud fieri sola autem prima causa est æterna. Unde ex hoc non requiritur, quod ea, quæ sunt, semper fuerit verum, ea futura esse, nisi quatenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura : quæ quidem causa solus Deus est.*

Et tandem quæst. 2. de Verit. art. 12. ad 1. et 9. necnon in præsenti art. his verbis : *Contingens aliquod potest dupliciter considerari. Uno modo in seipso, secundum quod jam in actu est : et sic non consideratur ut futurum, sed ut præsens : neque ad utrumlibet contingens, sed ut determinatum ad unum : et propter hoc sic infallibiliter subdi potest certæ cognitioni, utpote sensui visus, sicut cum video Sortem sedere. Alio modo potest considerari contingens, ut est in sua causa. Et sic consideratur ut futurum, et ut contingens, nondum determinatum ad unum : quia causa contingens se habet ad opposita. Et sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni.* Ubi, ut vides, futuro contingenti, ut tali, seu comparato cum suis causis, ut indifferentibus, et indeterminatis, non tribuit, quod sit certo cognoscibile, sed solum conjecturaliter; atque adeo quod ante determinationem divini decreti, ratione cujus causæ determinantur, non habeat certam, et determinatam veritatem : nec propositiones de ipso efformatæ, sint certo, et determinate veræ, aut certo, et determinate falsæ. Et tandem quoties D. Thom. agit de cognitione futurorum contingentium absolutorum, nullam in eis reperit determinationem objectivam, ratione cujus sint certo a Deo scibilia, præter eam, quam habent ex præsentia in æternitate : quæ ortum habet ex efficaci decreto Dei circa illorum productionem, ut intuenti omnia loca D. Thom. in quibus de hac re agit, constabit.

99 Unde tam Aristotelem, quam D. Thomam sequuntur Capreolus in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 2. conclusione 1. et sequentibus, Ferrara 1. contra Gent. cap. 67. Cajet. Bannez, Ripa, Nazarius, Gonzalez in hoc art. Nunno 3. part. quæst. 62. art. 5. quæst. 2. ad 12. Ledesma lib. de divinis auxiliis disputat. 2. de scientia futurorum contingentium fol. 632. ubi etiam fol. 626. refert Alfonsum Curiel retractasse in Colicibus manuscriptis ad quæstionem 11. tertiæ partis, sententiam, quam ut probabiliorem docuerat in libro 1. controversiarum controversia 7. articulo 4. in principio, scilicet Deum cognoscere futura contingentia, ante determinationem suæ voluntatis, et propositiones de illis, ante prædictum decretum esse determinate veras, vel determinate falsas : quæ quidem manuscripta apud nos sunt; nosque in ipso, in ultimo suæ vitæ in anno primaria cathedra hujus almæ Salmantinæ Universitatis illa dictante, audivimus, et manu nostra scripsimus. Alvarez lib. 2. de auxil. disput. 7. num. 13. et disput. 13. per totam. Gaspar. Ram. in lib. de divinis prædiffinitionibus, relectione 2. folio 38. favet Æstius in prima distinctione 39. § 7. Petrus Cornejo tomo 1. in 1. part. tract. 1. circa quæst. 14. art. 13. disput. 2. dub. 4. Atque communiter juniores discipuli D. Thom. tuentur. Et tandem ex aliis hanc eandem sententiam sequuntur Scotus in 1. dist. 39. quæst. 1. 2. et 3. § *viso de contingentia* : ubi docet, quod propositiones de futuro contingenti ante actum divinæ voluntatis non sunt determinate veræ, sed quasi neutræ; voluntas vero divina eligens unamquamque partem, facit illas determinate veras, et ex tunc certo cognosci a Deo, Ricardus distinct. 38. art. 1. quæst. 5. Durandus ibidem quæst. 3. Leonardus Coquæus infra disput. 10. num. 28. referendus, Fonseca lib. 4. Metaphysic. cap. 7. in explanatione textus, et 3. institut. cap. 6. Henriquez tom. 2. lib. de ultimo fine hominis cap. 4. Bellarm. tomo 2. de gratia, et liber. arbit. cap. 4. et 15. Toletus ad cap. 8. Perihermen. quatenus quatuor isti Doctores affirmant propositiones de futuro contingenti, neque esse determinate veras, nec determinate falsas. Et tandem plures alii, quos contra scientiam conditionatam disp. 10. num. 126. et deinceps referemus.

Explicatur assertum

100 Cæterum, ut prædicta assertio melius intelligatur, et ea, quæ circa illam dicentur, magis cohærent cum iis, quæ circa divina decreta supra dubio 4. diximus, oportet eam explicare. Etenim in ea nolumus, quod futura contingentia, absolute, et simpliciter loquendo, non habeant, tam secundum se, quam in ordine ad divinum intellectum, determinatam, et infallibilem futuritionem pro quovis signo rationis, ac proinde, nec quod propositiones de illis enunciatæ, non sint per ordinem ad eundem intellectum determinate veræ, aut determinate falsæ; sed potius oppositum sentimus, quamvis id oriatur ex diversa radice in nostra, et in adversariorum sententia.

Nam in adversariorum sententia provenit ex eo, quod sibi persuadent, prædicta futura habere veritatem objectivam ortam ex futuro eventu; et hanc præcedere in aliquo signo rationis liberam, et efficacem

cem determinationem divinæ voluntatis. In nostra vero ex eo, quod divinum decretum de eorum determinata, et infallibili futuritione, vel determinata, et infallibili non futuritione debet esse pro quocunque signo *in quo* adhuc secundum rationem, juxta ea, quæ numero 49. et deinceps, hujus disputationis diximus, ita ut non possit cum fundamento in re dari aliquod signum *in quo* prævium ad prædictum decretum; et ideo ratione talis decreti habebunt futura contingentia determinatam futuritionem, seu non futuritionem pro quocunque signo. Unde semper negandum est suppositum illud, quod in omnibus argumentis contrariæ sententiæ supponitur, scilicet quod in illo signo antequam Deus decernat de futuritione creaturarum, habeant futura contingentia determinatam, et infallibilem futuritionem, seu quod propositiones de illis enunciatæ, sunt determinate veræ, seu determinate falsæ; quia revera non est admittendum prædictum suppositum, scilicet prædicta prioritas *in quo* adhuc secundum rationem cum fundamento in re, propter illa, quæ loco citato diximus.

101 Cæterum hoc non obstante asserimus, prædicta futura antecedenter ad divinum decretum efficax de eorum futuritione, non habere certam, et infallibilem futuritionem, aut certam, et infallibilem non futuritionem : atque adeo nec determinatam, et infallibilem veritatem objectivam, ratione cujus possint certo a Deo cognosci. Tum quia, adhuc dato hoc impossibili, quod decreta Dei essent posteriora in aliquo signo *in quo* secundum rationem cum fundamento in re, quam cætera alia, quæ in Deo reperiuntur, tunc futura contingentia in illo signo rationis nullam haberent certam, et infallibilem futuritionem, nec propositiones de illis enunciatæ, essent, adhuc per ordinem ad intellectum divinum, determinate, et infallibiliter veræ, aut determinate, et infallibiliter falsæ.

Tum etiam : quia possumus loqui de divina scientia circa futura contingentia, vel secundum quod est in Deo ipso, et per ordinem ad ejus intellectum, vel secundum quod imperfecte ex parte nostri modi concipiendi a nobis concipitur, quatenus per abstractionem pure præcisivam concipimus eam, nihil concipiendo de efficaci determinatione Dei circa futura contingentia. Sic autem loquendo de illa, et de futuris contingentibus secundum id, quod præcise habent, quatenus objiciuntur expresse huic conceptui, tunc talia futura, nec habent determinatam, et infallibilem futuritionem, aut determinatam, et infallibilem non futuritionem : nec divina scientia potest ad illa certo extendi, nec propositiones saltim alias contradictoriæ, de illis enunciatæ, sunt respectu illius sic sumptæ, determinate, et infallibiliter veræ, nec determinate, aut infallibiliter falsæ. Et propterea aliquando in hoc dubio loquemur de divinis decretis, ac si per impossibile non essent in illo primo signo existentia : quamvis non propterea tribuimus illis rationem futurorum, propter illa, quæ supra innuimus.

§ III.

Aristotelica, et Thomistica doctrina ratione fulcitur.

Ratio prior assert. Aristot. D.Thom.

102 Rationem autem primam, et fundamentalem assertionis tradidit Aristot. loco citato. Eam autem ad hanc formam, et sub his fere verbis reduxit D. Thom. lect. 13. Quia si omnis affirmatio, vel negatio in singularibus, vel futuris esset pro omni signo determinate vera, vel falsa, atque adeo futura contingentia pro quovis signo, haberent determinatam futuritionem, vel determinatam non futuritionem, tunc necesse esset, quod omnis affirmans, vel negans pro quovis signo, determinate dicat verum, vel falsum : ergo necesse esset omnia determinate esse, vel non esse : et consequenter cuncta ex necessitate evenirent, tollereturque contingentia, et indifferentia ad utrumlibet. Probatur consequentia. Quia si aliquid esset ad utrumlibet, similiter se haberet hoc ad *fieri*, vel non *fieri*, et non magis ad unum, quam ad alterum : et ita non esset necesse, ut omnis affirmans, vel negans diceret determinate veritatem, vel determinate falsitatem.

Confirmatur.

103 Confirmatur, et explicatur ratione desumpta ex eodem Angelico Doctore, quam nos supra tetigimus. Nam si futura contingentia haberent determinatam futuritionem ante decretum efficax divinæ voluntatis, atque adeo propositiones de illis efformatæ, essent in illo priori, seu independenter a divino decreto prius existenti, determinate veræ, vel determinate falsæ, tunc prædicta futura haberent rationem futurorum ex natura rei, et ab in-

trinseco : et similiter propositiones jam dictæ essent eodem modo ex natura rei, et omnino necessario veræ : ergo eo ipso tolleretur contingentia rerum, et indifferentia ad utrumlibet. Consequentia patet. Quia eatenus potest manere contingentia rerum, quatenus futura contingentia non necessario, et ex natura rei; sed contingenter, sive libere habent rationem futurorum, et propositiones de ipsis enunciatæ, non sunt ex natura rei, et necessario veræ. Antecedens autem probatur. Quoniam quidquid convenit rebus antecedenter ad decretum liberum divinæ voluntatis, quæ est prima, et universalissima radix totius libertatis, aut contingentiæ, non convenit illis libere, vel contingenter; sed ex natura rei, et omnino necessario. Sicut quod convenit eisdem dependenter ab eodem decreto, et ratione illius, non potest non contingenter, et libere eisdem competere.

Alia confirmatio. Aristot D.Thom.

104 Confirmatur secundo alia ratione, quam tradidit etiam idem Aristot. loco citato, et eam sub hac forma proposuit, et explicuit D. Thom. lect. 13. his verbis : *Si enim similiter se habet veritas, et falsitas in præsentibus, et futuris, sequitur, ut quidquid verum est de præsenti, antea fuerit verum de futuro eo modo, quo est verum de præsenti : sed determinate nunc est verum dicere de aliquo singulari, quod est album : ergo primo, id est, antequam illud fieret album, erat verum dicere, quoniam hoc erit album. Sed eadem ratio videtur esse in propinquo, et in remoto* : ergo *si ante unum diem verum fuit dicere, quod hoc erit album, sequitur, quod semper fuit verum dicere de quolibet eorum, quæ facta sunt, quod erit. Si autem semper est verum dicere de præsenti, quoniam est, vel de futuro, quod erit, non potest hoc non esse, vel non futurum esse. Cujus consequentiæ ratio patet. Quia ista duo sunt incomposibilia, quod aliquid vere dicatur esse, et quod non sit. Nam hoc includitur in significatione veri, ut sit id, quod dicitur. Si ergo ponitur verum esse id, quod dicitur de præsenti, vel de futuro, non potest esse, quin illud sit præsens, vel futurum. Sed quod non potest non fieri, idem significat cum eo, quod est impossibile non fieri. Et quod impossibile est non fieri, idem significat cum eo, quod est necesse fieri, ut in secundo plenius dicetur. Sequitur ergo ex præmissis, quod omnia quæ futura sunt, necesse est fieri. Ex quo sequitur ulterius, quod nihil sit, neque ad utrumlibet, neque a casu, quia illud, quod accidit a casu, non est ex necessitate, sed ut in paucioribus.*

Occurrunt Adversarii

105 Nec refert, si cum adversariis occurras ex hac ratione, et ejus confirmationibus non sequi, tolli contingentiam a rebus. Quia nec futura contingentia habent antecedenter ad divinum decretum determinatam futuritionem, quæ ex natura rei, et omnino necessario, sed solum facta aliqua suppositione, et necessario *secundum quid*, eis conveniat. Et similiter, nec propositiones illæ habent determinatam veritatem, aut falsitatem per se, et ex natura rei, sed per accidens, ét ex suppositione eventus pro tempore futuro ; quatenus enunciata de Petro pro quovis signo hac propositione, scilicet *quod cras peccabit*, necesse est, quod adveniente die crastino, vel determinate peccet, vel determinate non peccet. Et ita ex suppositione, quod pro die crastino peccet, et ratione prædictæ suppositionis, erit contingenter, et infallibiliter verum pro quovis signo antecedenti, quod peccabit : ac proinde etiam peccatum illius habebit determinatam futuritionem, quæ tantum sit necessaria *secundum quid*, et ex suppositione, quæ non opponitur contingentiæ, et libertati.

Refutatur.

Non itaque hoc refert. Nam hæc solutio satis manet impugnata ex iis, quæ supra in hac disp. a num. 67. usque ad num. 72. adduximus : ubi ostendimus, tum quod determinata, et realis futuritio rei futuræ est verus, et realis effectus realiter extrinseca, petente veram, et realem causam efficientem, ac proinde vere, et realiter existentem : et ita non posse provenire præcise ex eventu futuro, seu ex *esse* objectivo illius : siquidem quandiu futurum habet rationem futuri, non existit : et per consequens si talis futuritio determinata non provenit ex determinatione divinæ voluntatis præexistente, non est unde libere, et contingenter proveniat. Et ideo oportebit, ut sit necessaria, et ex naturis rerum ortum ducat. Maxime quia, ut ibidem ostendimus, divinum decretum non potest vel realiter, vel cum fundamento in re habere rationem futuri. Et ita quidquid non habuerit esse futurum dependenter ab eo ut existente, non potest habere rationem futuri cum aliqua dependentia ab ipso decreto

decreto : et per consequens erit futurum per se, et ex natura rei, ac omnino necessario. Tum etiam : quia si illa suppositio ponitur per se, et necessario, non potest non tolli contingentia a rebus, ut ex se constat : si autem non per se, et ab intrinseco, sed aliunde ponitur, non potest non poni mediante divino decreto, quod est prima radix totius suppositionis, quæ non necessario, sed libere ponitur.

Additamentum primum.

106 Quibus accedit primo, quod eventus ille, verbi gratia, peccati crastini, non solum non habet in signo antecedenti ad divinum decretum, veram existentiam ; verum etiam neque habet verum, et determinatum *esse* reale objectivum, ut in hoc eodem dubio, a num. 115. usque ad num. 122. ostendemus : et ita nequit inde determinatio aliqua ullo modo realis in prædictum futurum refundi.

Aliud additamentum.

Accedit secundo, non bene ex hoc, quod die crastino existet peccatum Petri, colligi, quod pro quovis signo antecedenti habebat determinatam futuritionem, aut propositiones de ipso enunciatæ, erant determinate veræ. Quia arguitur a sensu composito ad divisum : et ita non valet. *Petrus ut cras compositus cum suo peccato tunc præsenti, non potest non in sensu composito habere illud, et esse determinatus ad ipsum : ergo in sensu diviso, et ut præsupponitur ad prædictum peccatum, habet determinationem, et necessitatem aliquam ad illud habendum ;* sed potius sequitur, quod habet indeterminationem, et indifferentiam ad prædictum peccatum.

Additamentum postremum.

107 Accedit tertio. Quia alioqui eadem ratione colligeretur, futurum contingens habere determinatam futuritionem antecedenter ad productionem Verbi divini, et propositiones de illo enunciatas, esse vel determinate veras, vel determinate falsas ; imo in illo signo antecedenti ad suam possibilitatem esse determinate futurum : ac proinde simul esse determinate futurum, ut supponitur, et non determinate futurum : siquidem nihil potest esse determinate futurum antequam sit possibile. Sequela quoad utramque partem patet. Quoniam si ex eo, quod de peccato crastino Petri verificabitur cras, quod revera est, infertur, quod toto tempore antecedenti, et adhuc in illo signo, quod antecedit divinum decretum, est verum, Petrum cras peccaturum ; eadem ratione erit verum, adhuc in illo signo antecedenti ad productionem Verbi divini, prædictum Petrum peccaturum : siquidem prolata tunc tali propositione, correspondet illi sua de inesse pro tempore importato per copulam : quod idem cum proportione de eadem propositione enunciata in illo priori, in quo divina essentia præcedit suam omnipotentiam, atque adeo possibilitatem creaturarum, dicimus.

Falsitas autem consequentis quoad secundam partem satis constat. Quoad primam vero etiam patet. Quoniam cum Verbum divinum sit causa futuritionis creaturarum, ex eo, quod opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, non potest præsupponi futuritio creaturarum, nec veritas enunciationum de tali futuritione antecedenter ad productionem Verbi : alioqui effectus præcederet suam causam, quod implicat.

§ IV.

Eadem veritas ratione alia stabilitur.

Secunda ratio assert. D. Thom.

108 Secunda vero, et non minus fundamentalis ratio desumitur ex D. Thom. art. 5. et 6. hujus quæstionis, et ex pluribus aliis locis, potestque sub hac forma proponi. Quia antecedenter ad omne decretum liberum divinæ voluntatis, creaturæ non habent in Deo *esse* futurum determinate, et infallibiliter : ergo implicat, quod antecedenter ad tale decretum repræsententur a divina essentia ut certo futuræ, et consequenter, quod ut tales ab ipso Deo cognoscantur. Hæc ultima consequentia aperte sequitur ex prima, cum Deus non cognoscat, nisi ea, quæ in sua essentia repræsentantur. Prima autem ex antecedenti. Nam divina essentia non repræsentat res secundum aliquod *esse* determinatum, et infallibile, nisi præcontineat illas secundum prædictum *esse* : ex eo, quod omnes creaturas cognoscit in se ipso, tanquam in causa.

Antecedens autem probatur ex iis, quæ in hac disp. num. 33. deinceps diximus. Quia sicut creaturæ non habent *esse* possibile, nisi ratione divinæ essentiæ, tanquam a ratione a priori, et ita ex eo, sunt possibiles, quia Deus potest illas producere ; ita multo potiori ratione non habent esse determinate, et infallibiliter futuras ex se ipsis, sed ex eo, quod Deus actu decrevit eas producere, alioqui ipsæ essent sibi primæ causæ, determinatæ, et

infallibilis futuritionis : ergo antecedenter ad divinum decretum non habebunt in Deo rationem futurarum. determinate, et infallibiliter talium.

Confirmatio. D. Thom.

109 Confirmatur, et explicatur ex eodem Sancto. Doctore, supponendo tamen prius, tum futurum, et possibile comparari inter se per modum superioris, et inferioris, quatenus omne futurum est possibile ; non tamen e contra, tum etiam fundamentum possibilitatis esse divinam potentiam. Quæ duo adeo sunt perspicua, ut probatione non indigeant : ex eis autem sequens deducitur confirmatio. Nam possibile est indifferens ad hoc, ut sit futurum, et non futurum absolute ; et ejus ratio, quatenus est futurum, sita est in determinatione, seu contradictione possibilitatis : ergo primum fundamentum futuritionis habebit rationem primi contrahentis, et determinantis primum fundamentum possibilitatis, scilicet divinam omnipotentiam : ergo cum lumine naturali constet, primum determinativum omnipotentiæ Dei esse divinam voluntatem, oportebit, ut primum determinans possibile ad rationem futuri sit eadem voluntas, seu divinum decretum : et repugnabit aliquid esse certo, et determinate futurum antecedenter ad tale decretum.

Evasio prior.

110 Nec refert, si cum adversariis occurras primo. Satis esse ad hoc, ut futura contineantur, et repræsententur in divina essentia antecedenter ad ejus decretum actu existens, quod prædictum decretum in illo priori habeat rationem futuri ; ex eo, quod in signo statim sequenti Deus habebit illud. Nam hæc solutio satis impugnata manet ex iis, quæ supra num. 48. et deinceps hujus disputationis diximus.

Impugnatur ex dictis. Alia evasio.

Nec etiam, si secundo cum aliis ex adversariis occurras, sufficere ad hoc, ut futura contingentia contineantur determinate in divina essentia, quod Deus decreverit, vel sit paratus ad tribuenda auxilia sufficientia ad illorum productionem, et quod re ipsa postea eventus subsequatur, absque eo, quod Deus efficaciter prædiffiniat, et decernat prædictum eventum.

Rejicitur.

Non igitur hoc refert. Quia quod ratio futuri contingentis non desumatur ex præsentialitate rei contingentis, quæ postea in tempore futuro est ; ita ut ista non sit satis ad hoc, ut pro quovis signo, et antecedenter ad divinum decretum, res sit futura, satis constat ex dictis. Et deinde, quod esse Deum paratum ad tribuenda auxilia sufficientia, non sit satis ad hoc, ut ex vi illius voluntatis, habeant futura determinate rationem futurorum, etiam liquet. Quandoquidem ex vi illius voluntatis manet effectus indifferens ad *fore*, et non *fore* ; ita ut non sit infallibile, ipsum *fore* : et per consequens ex vi hujus nec certo, et determinate in divina essentia eorum futuritio continebitur ; nec certo, et determinate cognoscetur.

Additamentum.

Accedit, quod, ut in tractatu de Voluntate Dei latius dicemus, divina voluntas est efficacissima, et cuncta antequam fiant, vel fieri intelligantur, prædiffiniuntur ab ipsa ; ita ut nunquam subsequatur eventus pro tempore futuro, nec subsequendus intelligatur, nisi Deus prius illum, non solum (ut sic dicamus) sufficienter, sed etiam efficaciter præfinierit : alioqui ejus efficacitas non esset universalissima, ut dubio sequenti magis expendemus : siquidem ante illius efficacem causalitatem, omnia futura haberent rationem futurorum.

Posterior evasio.

111 Nec tandem obest, si cum eisdem occurras, quod non ideo futura absoluta dicuntur antecedenter ad divinum decretum efficax, et prædiffinitivum habere sufficientem veritatem, et determinationem objectivam, et ratione ipsius certo a Deo cognosci, quia revera quatenus futura absoluta sunt, habeant determinatam futuritionem ante prædictum decretum (et ideo Suarez novissime in prolog. 2. ante librum de gratia, sæpe docet futurum absolutum non habere *esse* determinatum, ante decretum Dei absolutum existens in illo : et conqueritur de iis, qui sibi oppositum imponunt) sed idcirco dici, habere ante prædictum decretum determinatam futuritionem objectivam, quia ipsamet futura, quæ in signo sequenti erunt absolute futura post prædictum decretum, habent præsupponi ad se ipsa, in statu conditionato, et in eo statu habent determinatam futuritionem, et veritatem objectivam, ac conditionatam : et ita ratione illius attingit Deus, quid voluntas creata sit volitura, si in tali, vel tali occasione, cum his, vel illis circumstantiis collocaretur. Et hoc ipso, quod Deus prævidens ipsam in tali occasione, et circumstantiis consensuram, vult eam in illa occasione, et circumstantiis collocare;

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

collocare; vult etiam efficaciter ejus consensum. Et talis consensus mediante prædicta voluntate efficaci transit de futuro conditionato in absolutum, et ut talis a Deo certo cognoscitur.

Præcluditur aditus evasioni.

Non ergo hoc obest. Nam in primis, qua ratione nequit futurum absolutum habere determinatam, et infallibilem futuritionem ante decretum efficax divinæ voluntatis, et per consequens nec a Deo certo sciri, eadem debet etiam dici, futura conditionata carere determinata, et infallibili futuritione ante decretum efficax, et conditionatum (modo tamen disp. 9. hujus tractatus num. 63. et deinceps explicando) divinæ voluntatis : maxime quia, ut nuper dicebamus, divina voluntas est adeo efficax, et universalis, ut salvis propriis naturis cujusque rei, cuncta futura, vel non futura debet juxta conditionem illorum, sive absolutam, sive conditionatam, efficaciter præfinire.

Præcluditur iterum.

112 Deinde. Quoniam ex hac solutione aperte videtur sequi, non esse solidum fundamentum illud, in quo Suarez, et alii oppositæ sententiæ sectatores innituntur, scilicet ideo futura contingentia posse certo a Deo cognosci in veritate eorum objectiva, antecedenter ad decretum efficax, actu existens in Deo, quia propositiones de illis enunciatæ sunt contradictoriæ pro quovis signo : et ita debet in quocunque signo una earum esse vera, et altera falsa. Nam ex hoc fundamento aperte sequitur, quod etiam futura absoluta, ut talia, habeant determinatam futuritionem, et certo possint a Deo cognosci, antequam efficaciter decernat eorum futuritionem : siquidem antequam existat tale decretum in Deo, possunt efformari duæ contradictoriæ circa prædictum futurum : ac proinde una earum pro quovis signo debet esse determinate vera, et altera falsa. Imo et hinc sequitur veritatem absolutam prædictorum futurorum non subsequi ad veritatem conditionatam eorundem, ut hæc solutio intendebat : et per consequens, nec quoad *esse*, nec quoad *cognosci* pendere ab illa ; quandoquidem adhuc in eo signo veritatis conditionatæ, et in signis antecedentibus ad illam, et ad divinam omnipotentiam propositiones enunciatæ de futuris absolutis, deberent habere, juxta oppositam sententiam, rationem contradictoriarum, ut num. 107. ostendimus : et ita una debet esse determinate vera, et altera determinate falsa. Unde (ut ita querelæ Francisci Suarez fiat satis) nec nos, nec nostræ, seu, ut melius loquamur, Angelicæ sententiæ sectatores afferimus, prædictum Patrem Suarez docuisse futura absoluta habere absolutam, et infallibilem futuritionem ante divinum decretum efficax, existens in Deo : sed quod hoc ex fundamento potissimo suæ sententiæ de veritate, vel falsitate determinata duarum contradictoriarum pro quovis signo, aperte videtur sequi.

Additamentum primum.

113 Adde primo, quod juxta hunc dicendi modum, prius erit determinatio in causa secunda respectu alicujus actus in particulari, quam determinatio causæ primæ circa illummet actum : siquidem juxta illum, prius Deus videt voluntatem creatam efficaciter consensuram, si ponatur in tali occasione, et circunstantiis, quam quod ipse efficaciter velit prædictum consensum : atque adeo prius erit futurus per ordinem ad causam secundam, quam per ordinem ad primam : hoc autem repugnat. Tum propter ea, quæ infra in hoc eodem tract. disp. 8. num. 16, et deinceps dicemus. Tum etiam : quia alioqui divina voluntas non esse prima, et universalissima causa extrahens quamcunque rem possibilem, aliquando quomodolibet futuram ab statu puræ possibilitatis ad statum futuritionis. Maxime quia, ut ex dictis in hac eadem disp. num. 48. constat, decreta divinæ voluntatis non possunt habere rationem futurorum : et ideo nihil potest esse futurum ratione divini decreti, nisi sit futurum ratione ejusdem, ut actu existentis.

Alium additamentum.

114 Adde secundo, ex hoc dicendi modo inferri, Deum expectare quid voluntas nostra sit futura, ut ipse statuat, cum illa determinate concurrere : et per consequens nos eligi ab ipso ad fidem, et bona supernaturalia ex præscientia conditionata nostri consensus futuri, tanquam ex causa motiva. Hoc autem videtur esse contra Concilium Arausicanum II. Canon. 25. et contra D. August. lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 18. super illa verba Apostoli : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti :* Ubi Augustin. inquit : *Non quia futuri eramus, sed ut essemus.* Sequela probatur. Quoniam juxta hunc dicendi modum, Deus non vult determinate concurrere ad consensum bonum voluntatis creatæ, usque dum videat illam consen-

suram, si in tali occasione, et circumstantiis collocetur, et propterea Deus vult determinate concurrere ad actum bonum cum illa, quia vidit ipsam consensuram. Et sic si videret eam non consensuram, nulla ratione vellet concurrere cum ea in ordine ad consensum : sed eo ipso, quod collocaret prædictam voluntatem in illa occasione, cum prædictis circumstantiis, vellet non concurrere cum ipsa in ordine ad consensum, ex eo, quod prævidit eandem non consensuram. Sed de hoc iterum in hoc eodem tractatu sermo ex professo redibit ; nam in præsenti tolum voluimus id, quod in hac solusione innuitur, breviter impugnare.

§ V.

Ultima ratio pro vera Divi Thomæ sententia.

115 Tertiam, et ultimam rationem assertionis adduxit D. Thom. 1. Periherm. lect. 13. his verbis : *Cum verum hoc significet, ut dicatur aliquid esse, quod est, hoc modo est aliquid verum, quo habet esse. Cum autem aliquid est in præsenti, habet esse in se ipso : et ideo vere potest dici de eo, quod est : sed quandiu aliquid est futurum, nondum est in se ipso, est autem aliqualiter in sua causa. Quod quidem contingit tripliciter. Uno modo, ut sic sit in sua causa, ut ex necessitate ex ea proveniat, et tunc determinate habet esse in sua causa, unde determinate potest dici de eo, quod erit. Alio modo aliquid est in sua causa, ut quæ habet inclinationem ad suum effectum, quæ tamen impediri potest. Unde et hoc determinatum est in sua causa, sed mutabiliter, et sic de hoc vere dici potest, hoc erit, sed non per omnimodam certitudinem. Tertio aliquid est in sua causa pure in potentia, quæ etiam non magis est determinata ad unum, quam ad aliud. Unde relinquitur, quod nullo modo potest de aliquo eorum determinate dici, quod sit, vel non sit.*

Confirmatur primo.

Confirmatur, et explicatur primo. Quia modi habendi *esse* reale, ac proinde *esse* reale determinatum, et infallibile, tantum sunt habere illud vel in se ipso, vel in sua causa vere, et realiter productiva illius : sed futura contingentia ante decretum efficax divinæ voluntatis, in ea existens, nec habent prædictum *esse* in se ipsis, ut ex se constat, quandoquidem non existunt antequam Deus decernat concurrere ad eorum productionem, nec illud habent in sua causa ; siquidem ante decretum efficax divinæ voluntatis, causæ secundæ, necnon et prima non sunt determinatæ, et (ut sic dicamus) infallibilitatæ ad determinatam, et infallibilem productionem talium futurorum, sed sunt indifferentes ad utrumlibet : ergo futurum contingens non poterit ante prædictum decretum habere realem determinatam, et infallibilem futuritionem, ratione cujus possit certo, et infallibiliter a Deo cognosci : et per consequens nec propositiones de illo enunciatæ, erunt pro quovis signo determinate veræ, vel determinate falsæ. Minor cum consequentia videntur perspicue. Major autem etiam constat. Quoniam ideo ens rationis non habet *esse* verum, et reale, et per consequens nec verum et reale *esse* determinatum, et infallibile, quia nec habet illud vere, et realiter in se ipso, ex eo, quod vere, et realiter est in se nihil, nec illud habet in sua causa, quæ vere, et realiter sit causa productiva illius, tanquam veri, et reali effectus.

Elucidatio præcedentium.

116 Declaratur amplius vis hujus argumenti prænotando præteritum, præsens, et futurum partim convenire, et partim differre inter se. Conveniunt quidem in hoc, quod est dici de rebus secundum tempus præsens : quia sicut præsens nunc habet rationem præsentis, sic similiter præteritum nunc habet rationem præteriti : non autem in eo tempore, quo antea erat : quoniam tunc præsens dicebatur. Et similiter futurum modo appellatur futurum, non autem postea in tempore futuro, dum existentiam habebit : tunc namque præsens erit. Differunt autem in hoc, quod id, quod est præsens, solum dicit existentiam præsentem. Et quod est præteritum, affert præsentem negationem existentiæ, qua gaudebat, quando præsens erat. Et futurum etiam importat negationem actualis existentiæ, qua res pro tempore futuro gaudebit, seu ad quam pro tempore futuro habendam, est determinatum. Et ita aliquid dicitur præsens, ex eo, quod habet existentiam : et præteritum, ex eo, quod caret existentia, per quam antea extitit : et futurum, ex eo, quod non habet existentiam, quam modo insinuato habiturum est.

Hinc ergo major explicatio præcedentis

tis rationis desumitur. Nam sicut præsens, in quantum præsens, dicitur necessarium, quia nunc est determinatum, ipsum habere existentiam : et præteritum, quia nunc etiam est determinatum, ipsum habuisse existentiam, qua modo caret, ita etiam futurum, in quantum futurum, dicetur aliquo modo necessarium, quia nunc est aliquo modo determinatum, ipsum habiturum existentiam, quam non habet, et consequenter vel erit hoc determinatum in ipso futuro, vel in sua causa : et cum neutrum dici possit in futuro contingenti, propter rationem factam, si consideretur ante liberam, et efficacem determinationem divinæ voluntatis, consequens erit, ut ante illam non habeat determinatam futuritionem, seu (quod idem est, quoad præsens attinet) infallibilem determinationem ad essendum pro tempore futuro, ratione cujus possit certo, et infallibiliter, salva tamen ipsius contingentia, a Deo cognosci.

Solutio adversariorum.

117 Nec refert, si communem, et sæpe inculcatam solutionem adversariorum adhibeas, nimirum futura contingentia in illo priori antecedenter ad divinum decretum, non habere determinationem, et infallibilitatem vel in se ipsis, vel in determinatione suarum causarum secundum *esse* exercitum, et in exercitio existens ; bene tamen secundum *esse* objectivum, et in actu signato, eo modo, quo essentiæ reales per modum essentiæ dicuntur habere *esse* objectivum reale, quia dicunt ordinem ad realem existentiam. Unde hoc ipso, quod lectio, v. g., futura pro die crastino, habeat cras determinate, v. g., quod sit, oportet, ut in quovis signo antecedenti habeat prædicta lectio determinatam futuritionem per ordinem ad existentiam determinatam, quæ illi, crastino die conveniet, tanquam per objectum tribuens prædictam determinationem : et per consequens prædicta lectio in *esse* objectivo habebit verum *esse*, quod intra hanc lineam sit reale.

Impugnatur primo.

Non itaque hoc refert. Nam in primis solutio hæc satis manet impugnata ex dictis, tam in hoc dub. quam in dubiis præcedentibus. Deinde. Quia solutio ista est contra testimonia Augustini, et Anselmi pro sententia adversariorum num. 89. adducta : in eis namque dicitur, futurum habere hanc necessitatem ex suppositione, qua est futurum ; sicut præteritum habet eam ex suppositione, qua est præteritum : et præsens ex suppositione, qua est præsens : ergo sicut in præsenti, et præterito hæc necessitas est modus, seu determinatio eorum secundum *esse* reale a parte rei, aut secundum realem negationem ejus, quod fuit, et non secundum *esse* objectivum, ita et in futuro.

Alia impugnatio.

118 Præterea. Nam vel illud *esse* objectivum consistit in eo, quod est esse objectum actu terminans cognitionem certam, et infallibilem, aut significationem propositionis determinatæ veritatis, vel in eo, quod est esse fundamentum aptum ad terminandum. Primum non asseritur ab authoribus oppositæ sententiæ, neque asseri ab aliquo potest. Quoniam per hoc, quod aliquid præcise habeat esse actu cognitum, non infertur habere verum *esse* reale objectivum, prout prædictum *esse* distinguitur ab ente rationis : siquidem etiam ens rationis habet esse actu cognitum ab intellectu.

Si autem dicatur secundum, sequitur illud *esse* objectivum non esse distinctum ab *esse* reali, quod convenit futuro a parte rei : atque adeo non distingui, vel ab eo *esse*, quod habet in se ipso, vel ab eo, quod habet in sua causa. Probatur consequentia. Quia id, secundum quod ipsum futurum dicitur formaliter aptum, et proportionatum, ut ita noscatur, et significetur, pertinet formaliter ad ordinem objecti : ac proinde debet fundari in aliquo pertinente ad ordinem rei ; ita ut non stet, illud, secundum prædictam rationem spectantem ad ordinem objecti, esse actu aliquid reale, nisi fundetur in aliquo pertinente ad ordinem rei ; alioqui non posset fundare rationem illam objectivam actu realem : at id, quod pertinet ad ordinem rei, non potest esse actu ailquid reale, nisi vel secundum *esse*, quod actu habet in se ipso, vel secundum *esse*, quo actu gaudet in sua causa, ut constat : ergo nec prædictum futurum poterit secundum *esse* objectivum esse actu aliquid reale, nisi vel habeat actu esse in se ipso secundum suam entitatem, vel habeat esse actu in causa prima, ratione determinationis illius ad ipsum producendum.

Maxime quia cum illud *esse* entitativum pertinens ad ordinem rei, in quo fundatur *esse* objectivum reale, non possit esse *esse* essentiæ solum (alias futurum ex sua essentia, et natura esset futurum) erit *esse*

existentiæ : et per consequens *esse* existentiæ, quod sit actu aliquid reale ac subinde quod conveniat eidem futuro, vel in se ipso existentialiter, vel in sua causa : siquidem his duobus modis tantummodo potest aliquid actu existere.

Adde, quod licet *esse* verum, et reale objectivum non dicat expresse sub hac præcisione ordinem ad suas causas, nec petat, quod in actu exercito sit existens; nihilominus in quovis signo, in quo habet *esse* verum reale objectivum, debet secundum illud *esse* præcontineri in suis causis; ergo licet in illo priori, in quo futura contingentia antecedunt decretum efficax divinæ voluntatis, possint habere *esse* reale objectivum indifferens ad utrumlibet, ita ut non magis sit determinatum ad unam partem, quam ad aliam, vel *esse* reale objectivum, et futurum futuritione fallibili, ac proinde non omnino determinata : non tamen *esse* reale objectivum, et futurum futuritione determinata, seu (quod idem est, quoad præsens attinet) futuritione infallibili.

Probatio consequentiæ.

119 Consequentia aperte videtur sequi ex antecedenti. Quoniam prædicta futura ante determinationem efficacem divinæ voluntatis habent in suis causis secundis, ut contentis realiter in eadem omnipotentia, *esse* indifferens ad utrumlibet; et possunt habere majorem determinationem in illis in ordine ad suam futuritionem, ex eo, quod sint magis propensæ ad producendum, quam ad non producendum illud; non tamen ante prædictum decretum continetur eorum futuritio infallibiliter in eisdem causis; quandoquidem divinum decretum est id, quod ultimate determinat; et (ut sic loquamur) infallibilitat eas ad infallibilem eorundem futuritionem; et ad hoc, ut ipsa, prout sunt in prædictis causis, habeant *esse* determinate, et infallibiliter futurum : ergo si ad hoc, ut aliquid habeat verum, determinatum, et infallibile *esse* reale, adhuc secundum *esse* objectivum requiritur, quod pro illo eodem priori habeat prædictum *esse* in suis causis, quamvis non id exprimatur, plane fiet, quod futura contingentia non habeant prædictum *esse* infallibilis, et determinatæ futuritionis ante determinationem infallibilem suarum causarum, ac proinde divinæ voluntatis; bene tamen *esse* reale objectivum ad utrumlibet indifferens, vel futurum determinate determinatione fallibili, seu non potente fundare certam cognoscibilitatem.

Prior probatio antecedentis.

120 Antecedens autem probatur. Tum quia prædicta futura in eodem signo, in quo habent *esse* reale objectivum per modum essentiæ, non qualitercunque, sed præscindentis ab ordine ad existentiam in determinato tempore futuram, debent præcontineri in sua causa, et habere *esse* in illa, nimirum *esse* possibile; quia prædictum *esse* objectivum sub hac præcisione tantum, petit pro fundamento præcontineri in sua causa prædicto modo. Et similiter idemmet futurum, ut est indifferens ad utrumlibet, cum aliqua tamen determinatione ad hanc potius partem, quam ad illam, licet non omnino infallibili secundum *esse* reale objectivum, debet pro eodem priori sic præcontineri in sua causa ad hoc, ut prædictum *esse* objectivum sit verum, et reale : ergo similiter ad hoc, ut idem futurum secundum prædictum *esse* objectivum habeat longe majorem determinationem ad essendum, quam ad non essendum, seu habeat determinationem infallibilem ad essendum potius, quam ad non essendum, necesse erit, ut pro eodem priori habeat esse determinatum, et infallibile in sua causa, secundum *esse* reale exercitum prædictæ causæ, sicut id petit in aliis duobus statibus; siquidem prædictum *esse* non minus est reale intra lineam objectivi, quam *esse* futurum fallibiliter, aut *esse* possibile.

Et ita si *esse* reale objectivum ipsius secundum prædictos duos status, petit prædictam continentiam, et determinationem in sua causa, licet id non explicet, idem etiam erit dicendum de *esse* reali objectivo infallibilis futuritionis ipsius. Maxime quia, ut in tractat. de Voluntate Dei disputat. 10. num. 78. et sequentibus expendemus, determinatio causarum proveniens a decreto efficaci, quo Deus statuit concurrere cum causis liberis, servata earum natura, non tollit, sed potius ponit indifferentiam, et libertatem per modum actus secundi : atque adeo non obest contingentiæ actuum libere futurorum.

Idem antecedens aliter suadetur.

Tum etiam : quia cum quodlibet *esse* reale objectivum debeat intrinsece includere, quod sit tale per participationem, vel essentiam, seu quod sit creatum, vel increatum, quamvis id non exprimat, oportet, ut pro quovis signo revera habeat

esse

esse in se ipso, ut in essentia divina, quæ est ens per essentiam, contingit : vel sint ens per participationem ab alio : et per consequens in eo contineatur, tanquam in causa, habeatque *esse* in illo, quamvis id tunc non exprimatur : alioqui sicut subterfugeret rationem vel entis creati, et contenti, habentisque *esse* in sua causa, vel rationem entis per essentiam, ita subterfugeret rationem entis realis.

Corroborantur hucusque dicta.

121 Confirmatur. Quoniam, quod lectio crastina sit determinate futura pro die, v. g., hodierna, ita ut vere, et realiter sit infallibilis futuritio ejus determinata potius, quam non futuritio, atque adeo prædicta determinatio secundum *esse* objectivum sit hodie vera, et realis, non potest provenire ex eo præcise, quod die crastino verificabitur, quod existentia, et actualitas prædictæ lectionis revera est : ergo debet provenire ex eo, quod prædicta futuritio potius, quam non futuritio habeat *esse* determinatum in suis causis pro die hodierna, seu habeat *esse* exercitum verum, et reale earum. Consequentia videtur perspicua. Quia non est unde habeat *esse* reale objectivum, seu ubi prædictum *esse* fundetur, nisi vel in *esse* existentiæ, seu actualitatis, et præsentialitatis, quam pro die crastino habebit, vel in prædicta determinatione, et *esse*, quod in suis causis habent.

Probatio et explicatio antecedentis.

Antecedens autem probatur, et explicatur, ex discrimine, quod intercedit inter actualitatem essentiæ, et existentiæ, collatam cum instanti præsenti, et instantibus succedentibus ad illam, et inter eandem comparatam cum instantibus præcedentibus. Nam per prædictam actualitatem, tam pro instanti præsenti, quam pro instantibus succedentibus ad ipsam, extrahitur res ab indifferentia, et indeterminatione causarum, et collocatur in statu certo, et determinato ad alteram partem, nempe in statu, in quo habet *esse* actu in se ipsa : et ideo pro his instantibus, queunt prædictæ actualitates esse ei ratio determinationis ad alteram partem. Cæterum pro instantibus præcedentibus non habent prædictæ actualitates extrahere rem extra causarum indifferentiam, nec tribuere ei, ut habeat *esse* in se ipsa, sed prorsus eam sinunt in virtute causarum, quæ est indifferens ad utramque partem : et propterea nequeunt esse ipsi ratio determinationis ad alteram partem. Et deinde quia prædictæ actualitates sunt posteriores, quam res considerata pro instantibus præcedentibus, et priores in aliquo genere causæ, quam ipsa, ut habet *esse* pro instantibus sequentibus, idcirco poterunt esse ei causa determinationis pro instantibus sequentibus ; secus vero pro præcedentibus, ex eo, quod causa semper debet aliquo modo præire suum effectum.

§ VI.

Primum, et secundum argumentum, necnon et ejus confirmatio in favorem primæ sententiæ adducta diluuntur.

Ad primum Ang. Doct.

122 Ad primum respondetur, negando antecedens. Ad cujus probationem ut respondeamus, præmittenda est doctrina quædam D. Thom. 1. part. quæst. 19. art. 7. ad 2. nempe posse aliquid tripliciter dici futurum. Primo quidem in ordine ad solas causas secundas, non vero ad primam; quo pacto mors Ezechiæ prædicta est Isaiæ 38. ut futura : quia attendendo ad causas secundas, scilicet ad morbum, quo laborabat, erat necessario futura, ut exponit etiam idem Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 171. art. 2. ad 2. Deinde dicitur aliquid futurum ex ordine ad solam causam primam, non vero ad causas secundas, ut contingit in resurrectione Lazari, et cæteris operibus miraculosis. Ultimo per ordinem ad omnes causas, scilicet primam, et secundas, ut Antichristus, et similia.

Ex quibus futurum primo modo non est futurum absolute, et complete : quia deest illi id, quod potissime desideratur ad futuritionem absolutam, et completam, nimirum efficax decretum divinæ voluntatis circa ejus existentiam pro tempore futuro, quamvis aliquo modo habeat conjunctum decretum ejusdem voluntatis Dei, non quidem eo modo, quo futura secundi, et posterioris generis, sed quatenus utrumque istorum Deus vult : nempe quod aliquid quandoque sit futurum secundum causam inferiorem, id est, secundum inclinationem, et determinationem prædictæ causæ ; quod tamen non sit futurum secundum causam superiorem.

123 Hinc ergo ad prædictam probationem respondetur, Augustinum, et Anselmum loqui de futuris secundo, et tertio modo sumptis, ac proinde de eisdem non ut præcise conceptis ante determinationem efficacem divinæ voluntatis, sed ut præfinitis per prædictum decretum. Sic

autem sumpta habent ex suppositione suæ futuritionis infallibilem determinationem ad essendum : siquidem ex suppositione divini decreti efficacis circa futuritionem alicujus rei pro aliquo determinato tempore, necesse, seu (ut melius loquamur) infallibile est, prædictum futurum habere *esse* pro prædicto tempore futuro ; non autem loquuntur de futuris priori modo ex tribus enumeratis. Nam hæc quantumvis supponantur futura, nunquam de facto habebunt existentiam, neque intelliguntur complete futura, ac proinde nec re ipsa, et de facto habitura existentiam, hoc ipso, quod divinum decretum efficax circa illa desit.

Ratio solutionis S. August.

Esse autem hanc expressam mentem Augustini aperte constabit legenti totum illud cap. 4. sicut etiam idem de Anselmo intuenti illum, notum erit. Tum quia loquitur de futuro, quod a Deo præscitur esse futurum : et juxta ejus sententiam ibidem, præscientia futurorum in Deo præsupponit voluntatem, ut sint futura. Tum etiam : quia paulo inferius explicans, quomodo hæc futura ex voluntate Dei habeant ista duo, scilicet et esse futura, et fieri libere a voluntate, ita inquit : *Quoniam quod Deus vult, non potest non esse, cum vult hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, vel ad non volendum ; et vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est, voluntatem esse liberam, et esse quod vult.*

Tum denique : quia postea ibidem dicit totam hanc necessitatem convenire futuris liberis, non ut sunt in tempore futura, sed ut sunt præsentia secundum *esse* reale in æternitate : et constat nihil habere hanc præsentiam in æternitate, sicut neque *esse* reale, nisi ex determinatione divinæ voluntatis. Ejus verba sunt : *Quidquid de iis, quæ libero fiunt arbitrio, vel ut necessarium sacra Scriptura pronunciat, secundum æternitatem loquitur, in qua præsens est omne verum immutabiliter, non secundum tempus, in quo non semper sunt voluntates, et actiones nostræ ; et sicut dum non sunt, non est necesse, eas esse, ita sæpe non est necesse, ut aliquando sint.*

Ad expensionem utriusque testimonii.

124 Ad illud autem, quod ad expensionem utriusque testimonii ibidem primo loco additum est, scilicet quod sicut præteritum ex suppositione suæ præteritionis habet etiam independenter a divino decreto, certam, et necessariam determinationem, ratione cujus non potest non esse præteritum, ita etiam futurum, ex suppositione suæ futuritionis habebit eodem proportionali modo, certam, et necessariam determinationem, ratione cujus determinate, et necessario erit, satis constat ex dictis, si loquamur de futuris secundo, et posteriori modo sumptis, quæ habent adjunctam efficacem determinationem divinæ voluntatis, et ut sic concipiuntur. Hæc enim licet ex suppositione suæ futuritionis necessario necessitate *secundum quid*, sive infallibiliter erunt, semper tamen in eis involvitur, et supponitur dependentia a divino decreto, etiam in ordine ad quemcunque intellectum ; alioqui non concipientur ut complete futura.

Si autem fiat sermo de futuris priori modo acceptis, tunc optima est solutio, quam adhibet Curiel lib. primo controversiarum controversia septima, in caput 4. Sapientiæ articulo tertio num. 65. nimirum dupliciter posse explicari hanc suppositionem, sive potius illationem effectus contingentis ex ipsa suppositione. Primo quidem sic : *Quod futurum est, supposito quod futurum sit, necessario erit.* Secundo autem hoc modo : *Quod futurum est, supposito quod futurum sit, necessario est futurum.* Est autem discrimen non parvum inter hos duos modos explicandi illationem effectus ex suppositione. Quia in priori per illa verba, *necessario erit*, significatur id, quod dicitur futurum, supposito quod sit futurum, esse determinate, et necessario habiturum suum *esse* præsens in tempore, pro quo dicitur esse futurum. In posteriori vero significatur : id, quod dicitur esse futurum, supposito, quod sit futurum, habere necessario modum essendi futurum, prout distinguitur a modo *esse* possibilis, et præteriti.

125 Cum ergo dicimus futura primo ex illis tribus modis num. 122. relatis sumpta, non esse ex suppositione suæ futuritionis necessario futura, et similiter adhuc ex suppositione prædictæ futuritionis, non reperiri in propositionibus de prædicto futuro necessitatem ex suppositione, non loquimur de eis, quando illatio effectus ex suppositione explicatur posteriori modo ex his duobus nuper recensitis. Quia tunc effectus non est aliquid futurum pro tempore futuro, sed aliquid præsens, scilicet modus essendi præsens, ratione cujus aliquid dicitur futurum : qui, ut diximus, consistit in quadam determinatione,

terminatione, et inclinatione causarum ad ejus productionem : et ita ex suppositione, quod effectus futurus habeat pro aliquo tempore hoc *esse* determinatum, et impedibile, ac proinde non infallibile, in suis causis proximis, non potest non quantum est ex vi prædictarum causarum, et cum eisdem circumstantiis, ac pro prædicto tempore, illud habere. Sed loquimur de eis quando illatio explicatur priori modo. Nam tunc etiam facta suppositione suæ futuritionis convenientis illi ratione determinationis impedibilis, et non infallibilis suarum causarum proximarum, non bene sequitur, quod prædicta futura pro tempore futuro necessario erunt de facto existentia.

Ratio responsionis.

126 Ratio vero, propter quam tunc ex suppositione non inferatur necessario effectus, sicut infertur in præsentibus, et præteritis, est manifesta ex modo dictis. Quia tunc suppositio futuritionis non est quid determinatum immutabiliter in ordine ad hoc, ut futurum habeat esse præsens in tempore, pro quo dicitur futurum; sed est quædam determinatio, et inclinatio causarum simpliciter indifferens, et adhuc in sensu composito impedibilis : at vero suppositio præsentialitatis, et præteritionis est quid determinatum omnino ad hoc, ut res habeat *esse* in tempore præsenti, vel habuerit in præterito suum *esse* præsens. Per quæ ad id, quod ibidem pro expensione testimonii Anselmi additum est, satis constat.

Ad secundum.

127 Ad secundum, concesso antecedenti, neganda est consequentia. Quia arguitur a sensu composito ad divisum : sicut non valet : [*In tempore futuro erit necessarium ex duobus actibus immediate oppositis, et repugnantibus, alterum eorum distincte, et in particulari inhærere subjecto capaci : ergo etiam in tempore præsenti est necessarium, potentiam in tali subjecto esse distincte, et in particulari ad alterum illorum actuum tantum, et non ad utrumque.* Et ratio in utroque casu est eadem. Quia nimirum sumitur argumentum ex incomposibilitate actuum, ad incomposibilitatem ex parte potentiæ, quod est argumentum a sensu composito ad divisum.

Ad primam probationem.

Et ad primam probationem, negandum est antecedens. Quia licet adveniente tempore, pro quo res dicitur futura, non possit manere suspensa inter *esse*, et *non esse*, seu manere cum indifferentia ad utrumque; sed tunc de ea verificabitur, quod habet, vel determinate *esse*, vel determinate *non esse;* nihilominus in tempore antecedenti, in quo res de præsenti habet futuritionem, bene potest antecedenter ad divinum decretum convenire illi futuritio contingens cum indifferentia ad utrumlibet, ex eo, quod habet futuritionem impedibilem, seu non infallibilem.

Ad secundam.

Ad secundam vero probationem, negandum est antecedens in sensu jam num. 101. dicto, scilicet per ordinem ad nostros conceptus absque fundamento in re. Et ad probationem ibidem involutam constat ex nuper dictis, et ex statim dicendis amplius patebit. Unde licet illudmet, quod est futurum complete, id est, post determinationem efficacem divinæ voluntatis, qua decernit, ut pro tempore futuro sit, ac proinde post determinationem aliarum causarum, habeat postea esse existens : et e converso id, quod postea est existens, fuerit prius futurum pro omni signo *in quo* rationis, cum fundamento tamen in rebus, quia semper ibi involvitur decretum efficax divinæ voluntatis : attamen si id, quod dicitur futurum, consideretur ante prædictam determinationem divinæ voluntatis, seu ea non concepta, tunc quantum est ex vi illius conceptus, ut est sub hac præcisione, non habet unde sumatur infallibilis illius determinatio ad essendum.

128 Cæterum, quando consideratur ut præsens, habet unde sumatur prædicta determinatio, scilicet ex ipsa præsentialitate, quæ dum est, ex suppositione, quod est, non est indifferens ad essendum, et non essendum : sicut futurum contingens ante determinationem efficacem divinæ voluntatis, circa ejus existentiam pro tempore futuro, est indifferens ad habendam, vel non habendam existentiam pro tali tempore; ita ut re ipsa de facto multoties illam non habeat, ex eo, quod Deus in signo sequenti intelligitur decernere, quod non sit, seu (ut melius loquamur) ex eo, quod decretum de *non esse* illius, quod antea præerat, et non intelligebatur ex nostro imperfecto modo concipiendi, jam nunc intelligitur esse.

Ad ultimam.

Ad ultimam probationem dicendum est, quod ante decretum efficax divinæ voluntatis, nullum futurum contingens dicit determinatum, et infallibilem ordinem ad

esse potius, quam ad *non esse* : quia ordo iste determinatus, et infallibilis non potest pertingere ad *esse* rei pro tempore futuro, nisi fiat transitus per determinationem causarum, maxime vero per determinationem, et decretum efficax divinæ voluntatis, ita ut nisi mediantibus prædictis determinationibus, nequeat dari prædictus respectus : per quem respiciat, v. gr., *esse* potius, quam *non esse*, ut infallibiliter habendum.

Ad confirmationem.

Ad confirmationem patet, tum ex iis, quæ nuper in solutione ad primum ; tum etiam ex illis, quæ in ultima ratione pro assertione a num. 119. usque ad num. 122. asseruimus.

§ VII.

Tertium argumentum primæ sententiæ solvitur.

Prima solutio tertii argumenti.

129 Quia vero solutio hujus argumenti doctrinam satis notandam continet, idcirco in peculiari § illam proponimus. Ad tertium ergo principale bene respondent Curiel controversia citata art. 3. a num. 84. usque ad 88. et Cornejo ubi supra num. 45. et 46. negando antecedens. Quoniam licet ex duabus propositionibus, quæ re ipsa, et in quovis instanti reali sunt contradictoriæ, necesse sit alteram verificari a parte rei de qualibet re, ac proinde esse determinate veram, non tamen est necessarium, quod intelligatur verificari in quocunque signo rationis.

Explicatio illius.

Potestque hoc explicari sequenti exemplo. Nam sicut ex his duabus propositionibus de prædicto contradictorio, *Petrus est albus*, *Petrus est non albus*, necesse est, ut una earum in quovis instanti reali sit, absolute et simpliciter loquendo, determinate vera, et altera falsa ; non tamen pro quovis signo, aut reduplicatione : et ita pro illo signo rationis, in quo Petrus præcise concipitur secundum sua prædicata essentialia, neutrum convenit illi : quia essentialiter nec est albus, nec est non albus : ita ex his duabus propositionibus pro quovis instanti reali contradictoriis, scilicet *Divus Petrus ter negabit Christum*, *Divus Petrus ter non negabit Christum*, una earum, nempe affirmativa, pro quovis etiam instanti reali est determinate vera ; sed tunc jam existit decretum de permissione talis negationis : ex eo, quod tale decretum est ab æterno : et ideo nulla duratio realis potest illud præcedere, imo nec aliquod signum rationis *in quo* cum fundamento in re, ut num. 48. dicebamus. Cæterum neutra debet verificari pro quolibet signo rationis prævio, in sensu num. 101. explicato, ad efficacem determinationem Dei, ut ex dictis constat.

Ad probationem in contrarium.

Et ad probationem in contrarium, dicendum est, propositiones illas in eo signo, neque esse propositiones formaliter, neque earum terminos, formaliter significare, sed tantum materialiter, quatenus termini earum sunt alias impositi ad significandum : ac proinde neque ibi reperiri veram contradictionem, quæ non nisi in propositionibus formaliter talibus invenitur. Cujus ratio est. Quia, ut docet Divus Thomas supra quæst. 13. art. 1. in principio, voces, quæ sunt formaliter significativæ, debent esse signa conceptuum, qui sunt in intellectu : alioqui voces Psittaci essent formaliter significativæ, et non tantum materialiter. Cum ergo a nullo intellectu etiam divino, antecedenter ad decreta libera Dei, possit aliquid determinate concipi circa futuritionem, vel non futuritionem Antichristi, ut ostensum est ; ideo propositiones illæ non possunt esse signa conceptuum, et consequenter nec formaliter significativæ, nec contradictoriæ. Quamvis cum hoc stet (ut ita tacita quædam objectio dissolvatur) quod propositio disjunctiva affirmans, Antichristum fore, vel non fore, sit vera propositio, propter illa, quæ ex Aristot. et D. Thom. supra diximus.

Alia enodatio ejusdem argumenti.

130 Secundo respondetur, negando antecedens. Et ad probationem, quod lex contradictoriarum est, quod una sit vera, et altera falsa determinate formaliter ; non tamen determinate materialiter, id est, quod de facto nunquam utraque sit vera, nec utraque falsa, sed una tantum : ut si una est vera, altera sit falsa. Quod vero in individuo ista sit vera determinate præ alia, id non efficit contradictio, sed causarum determinatio, præsertim divina. Imo (ut melius loquamur) ideo provenit ex contradictione, quod una sit vera, et altera falsa determinate formaliter, id est, quod hæc, vel illa sit vera, et rursus quod hæc, vel illa sit falsa, quia divina voluntas licet non sit in signo antecedenti determinata, ad habendum determinate decretum de creatione mundi,

di, vel ad habendum determinate decretum de non creando illum; attamen in eodem signo est determinata ad habendum unum, vel alterum vage : ex eo, quod, ut in tract. de Voluntate Dei disp. 5. num. 73. dicemus, non potest manere suspensa.

Unde sicut cum dicitur, quod ad videndum requiritur oculus, talis propositio est vera de oculo determinate, non quidem materialiter, sed formaliter sumpto, id est, non de oculo dextro, vel sinistro determinate, sed de oculo, sive dextro, sive sinistro, secundum quam rationem sumitur oculus determinate formaliter, et determinate de illo verificatur, quod requiritur ad videndum; ita cum dicitur, quod una ex contradictoriis debet esse determinate vera, et altera determinate falsa, debet intelligi de illis determinate formaliter, non vero determinate materialiter, ut explicatum est.

ostrema spousio. 131 Tertio tandem respondetur cum Aristot. et D. Thom. notando, quod cum dicitur neutram ex propositionibus de futuro contingentibus esse determinate veram, aut determinate falsam antecedenter ad divinum decretum, tunc particula illa *determinate* potest dupliciter sumi, scilicet ut modificans propositionem, de qua est sermo; vel ut modificans veritatem, et falsitatem, quæ ei attribuitur. Et cum sumitur priori modo, sensus est : neutram determinate, id est, sumptam per se, et in particulari, esse veram, aut falsam; sed alteram earum sub disjunctione continere veritatem, aut falsitatem. Cum vero sumitur posteriori modo, sensus est : neutram earum per se sumptam esse determinate, idest, immutabiliter, et necessario, seu infallibiliter veram; sed alteram earum sub disjunctione. Inter hos autem duos sensus, est magnum discrimen. Nam juxta priorem, negatur cuivis harum propositionum per se sumptæ veritas, aut falsitas. At juxta posteriorem, solum denegatur eis determinata, hoc est immutabilis, et necessaria, seu infallibilis veritas, aut falsitas.

132 Hinc ergo ad argumentum respondetur, negando antecedens, si intelligatur de determinata veritate, prout dicit veritatem inevitabilem, seu infallibilem; secus vero si intelligatur de veritate mutabili, seu fallibili. Nam cum futurum contingens ante determinationem efficacem divinæ voluntatis habeat aliquam determinationem in suis causis, quatenus sunt aliquo modo inclinatæ ad illius productionem, licet non complete, ex eo, quod in illo priori deest determinatio efficax Dei, inde est, ut ratione prædictæ inclinationis sit verum, quod erit : et ex eo, quod deest decretum efficax, per quod tantummodo redditur infallibilis futuritio alicujus rei, nequeat esse infallibiliter verum, quod prædictum futurum erit. Ac tandem, quia divina voluntas ante suum decretum est indifferens ad hoc, ut velit, vel nolit efficaciter futuritionem prædicti futuri, quod quantum est ex vi inclinationis causarum jam explicatæ, habiturum erat existentiam; consequens est, ut veritas propositionis de tali futuro sit variabilis non solum in potentia, sed etiam in actu. Nam si Deus in signo (ut sic dicamus) sequenti decernat non futuritionem efficacem prædicti futuri, tunc propositio illa, quæ in priori antecedenti erat vera, transit in falsam, imo et in falsam infallibiliter, et ita prius tantum erat vera veritate fallibili, et mutabili.

133 Nec contra hoc vim habet probatio ibidem adducta. Nam lex contradictoriarum de futuro contingenti, et pro quocunque signo consideratarum, non est, quod quævis earum determinate sumpta, sit determinate, seu infallibiliter vera, aut determinate, seu infallibiliter falsa; sed satis est, quod una earum determinate formaliter, et in sensu in secunda solutione assignato sit infallibiliter vera : vel quod quævis earum determinate, seu in particulari sumpta, habeat in particulari esse veram, aut in particulari esse falsam; quamvis non veritate infallibili, et immutabili, adhuc ex suppositione, v. gr., suæ veritatis, sed veritate mutabili, et fallibili.

Esse autem hanc solutionem satis consonam Aristoteli, et Divo Thomæ locis citatis, patet ex iis, quæ ex eisdem retulimus : maxime vero ex ratione, quam adduximus, nimirum, quod si propositiones de futuro contingenti essent (ut volunt adversarii) determinate veræ, tunc tolleretur contingentia, et cuncta evenirent necessario. Hæc autem ratio solum probat, si sunt veræ veritate infallibili, non autem veritate fallibili, contingente, et mutabili, ut intuenti constabit.

134 Nec refert, si objicias, ex his tribus solutionibus duas posteriores coincidere : ergo, etc. Antecedens probatur. Objectio.

Nam cum in secunda dicitur, unam illarum propositionum determinate formaliter, non vero determinate materialiter esse veram : tantum fit sermo de veritate infallibili; non vero de veritate fallibili, et evitabili jam explicata : siquidem decretum Dei efficax, et infallibile, ex cujus defectu pro illo signo non intelligitur, illam propositionem esse veram, vel non est radix veritatis propositionis de futuro, vel solum potest esse radix veritatis infallibilis : ergo cum in posteriori solutione solum negetur veritas infallibilis alicujus ex illis propositionibus sumptæ determinate materialiter, seu, ut est, v. g., determinate propositio affirmans, quod D. Petrus ter negabit Christum, consequens est, ut secunda, et tertia solutio coincidant.

Diluitur. Respondetur enim, negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, in secunda solutione ita negari prædictæ propositioni sumptæ determinate materialiter, quod in illo priori ante decretum habeat, verbi gratia, determinatam veritatem infallibilem; ut non curetur, an habeat determinatam veritatem fallibilem, sed potius supponatur, non habere illam : ex eo, quod ut in calce hujus dubii dicemus, hæc secunda solutio debet accommodari propositionibus de futuro, quæ versantur circa illa contingentia, quæ non habent sufficientem determinationem adhuc fallibilem in suis causis, ad hoc, ut potius sint, quam non sint : et tamen prædictæ propositiones de futuro versantur circa illa, absque eo, quod sint determinate veræ, aut determinate falsæ. Quia, ut jam dicemus, non enunciant de illis hanc determinationem, sed quod pro tempore futuro habebunt existentiam. Et ideo sicut prædicta contingentia in illo priori habent præcise hoc, quod est esse indifferentia, ad hoc, ut prædicto tempore sint, vel non sint : ita propositio enuncians de illis, quod pro eodem tempore habebunt, v. g., *esse*, est tantum indifferens ad hoc, ut sit vera, vel falsa.

Cæterum juxta ultimam solutionem, ita negatur cuivis ex illis propositionibus per se, et in particulari, seu determinate materialiter sumptæ, quod habeat determinatam, et infallibilem veritatem, ut admittatur, vel positive permittatur, quod habeat veritatem fallibilem, et evitabilem : siquidem in eadem solutione expresse asseritur, quod ad propositiones contradictorias desideratur, vel quod quævis earum determinate formaliter sumpta, sit infallibiliter vera, vel quod quævis earum determinate materialiter accepta, habeat veritatem fallibilem. Et ita hæc ultima solutio, quoad id, quod addit supra secundam, est, ut citato loco dicemus, peculiariter applicanda illis contingentibus, quæ habent determinationem fallibilem in suis causis ad hoc, ut sint, licet non habeant determinationem infallibilem in illis ex defectu decreti efficacis, et infallibilis Dei, quo determinatur, quod una ex illis propositionibus in particulari, et determinate, ac signate accepta, v. gr., affirmativa, sit determinate, et infallibiliter vera.

Ad confirmationem. 135 Ad confirmationem patet ex dictis, quomodo ad veritatem illius disjunctivæ satis sit, quod una ex illis propositionibus formaliter sumpta, sit determinate vera; vel quod sit determinate, id est in particulari vera veritate fallibili, licet non infallibili. Unde sicut disjunctiva est necessaria, si constet ex partibus incomposibilibus, licet neutra earum sit necessaria, ita tota disjunctiva est vera veritate determinata, et insuper infallibili, licet neutra pars sit determinate vera : quia ambæ partes sunt incomposibiles in falsitate.

§ VIII.

Fit obviam cæteris argumentis pro prima sententia allatis.

Ad quartum. 136. Ad quartum respondetur primo, concedendo majorem, et negando minorem, ex eo, quod illa propositio pro eo signo antecedenti ad decretum, solum materialiter, non vero formaliter habet rationem propositionis, et voces illæ, aut termini nihil formaliter significant, ut jam diximus. Et ad probationem dicendum est, nihil referre, quod re ipsa, ita forte (ut sic dicamus) postea contingat, ut res sic disponantur, quod in sequenti signo detur decretum, ratione cujus pro tempore futuro verificetur, Antichristum esse. Quia hæc concomitantia, et dispositio materialiter contingit, non vero formaliter : sicut si Psittacus proferret illam propositionem, tunc solum materialiter esset ibidem propositio, aut conformitas, ac proinde solum materialiter continget respectu prædictæ propositionis, quod ita res postea disponantur, ut revera verificetur pro tempore futuro, quod Antichristus est. Unde ad hoc, ut aliqua propositio

de

de futuro contingenti sit formaliter propositio pro aliquo priori, et pro eodem sit formaliter conformis cum suo objecto, requiritur, ut pro illo priori suum objectum habeat determinate rationem futuri in determinatione suarum causarum, præsetrim primæ : quia si hoc non adsit, non erit ratio, propter quam respiciat illud, ut formaliter futurum, ac proinde sit formaliter conformis ei.

Alia solutio.

137 Secundo respondetur, concedendo etiam majorem, et negando minorem, intellectam de conformitate determinata ; secus vero si de conformitate indeterminata intelligatur. Et ratio est. Nam ad hoc, ut aliud sit conforme alteri, oportet ut illud alterum habeat *esse*, et quod habeat illud sicut de illo enunciatur. Quare cum ante determinationem efficacem divinæ voluntatis non habeant creaturæ determinate *esse* futurum, nec determinate *esse* non futurum, positive (ut sic dicamus) sumptum, ut infra explicabimus, quamvis debeant esse futura, vel non futura, consequens est, ut nulla ex illis propositionibus de futuro contingenti materialiter sumpta, seu nulla in particulari sit in illo signo determinate conformis, vel determinate difformis suo objecto : siquidem in eo objectum illarum, nec habet esse determinate futurum, nec esse determinate non futurum, quamvis sit determinatum ad habendum unum, vel alterum.

Ad probationem minoris.

Et ad probationem in contrarium dicendum est, nihil referre, quod res ita postea disponantur, ut pro tempore futuro, et ratione decreti in signo sequenti existentis, verificetur Antichristum esse, ad hoc, ut propositio illa sit in omni signo antecedenti conformis suo objecto, seu ad hoc, ut objectum ita sit, sicut de illo enunciatur ; sed requiritur, ut si enunciatur in aliquo signo aliquid conveniens illi pro tempore futuro, quod ex tunc, seu ex vi illius signi ita sit pro tempore futuro, sicut per illam propositionem enunciatur : alioqui non erit in eo signo conformis suo objecto.

Ratio hujus.

138 Et ratio est aperta. Nam sicut quod res ita postea disponantur, ut pro tempore futuro verificetur, Antichristum esse, non sufficit ad hoc, ut Antichristus revera habeat, pro signo antecedenti ad decretum Dei, rationem futuri determinati, ut constat ex iis, quæ pro assertione diximus ; sed requiritur in eo signo aliquid præsens, in quo fundetur talis determinatio, ita neque ad hoc, ut propositio id affirmans sit vera, et conformis tali objecto potius, quam difformis eidem : quia non stat, hanc propositionem de futuro contingenti, nempe *Antichristus erit*, esse determinate conformem suo objecto, et Antichristum non habere rationem futuri determinate.

Unde prima radix, et regula veritatis, et conformitatis prædictarum propositionum est decretum efficax divinæ voluntatis, ita quidem ut si prædictum decretum sit de futuritione, tunc propositio affirmans sit determinate conformis : si autem fuerit de non futuritione, talis propositio erit difformis. Et tandem si in aliquo signo non adsit decretum de futuritione, vel de positiva (ut sic dicamus) non futuritione tunc prædicta propositio, nec habet esse determinate conformem, nec determinate difformem, et per consequens, nec determinate veram, nec determinate falsam : sedtantum non conformem, aut non difformem, seu non teterminate veram, aut non determinate falsam.

Ad formam ejusdem probationis.

Quare ad formam probationis prædictæ fminoris distinguenda est major : *Quando ita se res habet* in illo signo, et ex vi illius signi, in quo enunciatur, transeat : *Quando non ita se habet* in illo signo, et ex vi illius signi, negatur. Et eodem proportionali modo distinguenda est minor. Et ad probationem ibidem involutam dicendum est, quod licet enuncietur de Antichristo, quod pro tempore futuro erit; enunciatur tamen ex vi illius signi, seu in illo signo antecedenti ad decretum : et tamen ex vi illius signi, aut eorum, quæ tale signum infert, non ita se res habet, aut habebit, ac proinde neque in eo signo ita se res habet, quod erit pro tempore futuro.

Replica.

139 Nec refert, si urgeas, tum quod non recte sequitur, ex eo, quod pro illo signo, nec Antichristus, verbi gratia, sit determinate futurus, nec determinate non futurus per non futuritionem (ut sic dicumus) positivam (de qua in præsenti fit sermo, ut statim magis explicabitur) quod propositio negativa, nempe, *Antichristus non erit*, non sit determinate vera, et affirmativa falsa. Quoniam hoc ipso, quod non habeat positivam futuritionem, erat falsum, quod erit; sicut et verum, quod non erit : siquidem ut sit verum, quod erit, requiritur, quod habeat futu-

ritionem : et ut sit falsum, satis est, quod illam non habeat. Sicut ad hoc, ut in illo signo sit falsum, Antichristum esse, sat est, tunc non esse : et ut esset verum, requirebatur, ut tunc esset.

Tum etiam, saltim ex dictis sequi, esse veram prædictam propositionem ante divinum decretum, si sic formetur : *Licet in hoc signo ante decretum non sit aliquid ratione cujus Antichristus erit pro tempore futuro; attamen revera erit ratione eorum, quæ postea dabuntur.* Patet sequela. Nam ad veritatem hujus propositionis, tantum abest, quod desideretur decretum, quod potius si tale decretum esset, ac proinde ratione ejus Antichristus determinaretur ad essendum, tunc non esset vera.

Occurritur. Non itaque hæc referunt. Nam ad primam probationem constabit num. 148. Ad secundam vero, respondetur, prædictam propositionem esse chimericam, et constare ex dictis repugnantibus; atque adeo se ipsam destruere. Nam ex quo capite dicitur, in eo signo non esse aliquid, ratione cujus Antichristus erit pro tempore futuro, supponitur existentiam Antichristi pro tempore futuro non esse in eo signo, adhuc secundum *esse* objectivum : atque adeo neque exercere rationem objecti respectu prædictæ propositionis. Quia, ut esset in illo signo secundum *esse* objectivum, et exerceret rationem objecti, requirebatur ut esset in eodem signo aliquid, ratione cujus haberet tunc illud *esse* reale objectivum determinatum : et per consequens ibidem innuitur, talem propositionem non esse determinate veram : siquidem propositio determinate vera, et ejus objectum debent esse in eodem signo. Sicut in universum res inter se aliquo modo conformes, vel difformes in aliquo signo, debent supponi cum *esse* in illo, et habere aliquo modo conformitatem, vel difformitatem in prædicto *esse*. At ex quo capite dicitur, Antichristum habituram existentiam pro tempore futuro, desideratur ad hoc, ut sit verum, esse simul in eo signo propositionem illam, et existentiam Antichristi secundum *esse* reale objectivum ipsius : et ita esse tunc aliquid, ratione cujus talis existentia pro eodem tempore futuro erit. Sed hæc amplius in solutione ad priorem confirmationem hujus argumenti elucidabuntur.

Posterior solutio tertii. 140 Tertio respondetur, concedendo majorem, et negando minorem de conformitate inevitabili, et infallibili; secus vero de conformitate fallibili, et evitabili. Nec amplius convincit probatio. Nam ante divinum decretum, ad summum fallibiliter potest verificari, quod pro tempore futuro erit Antichristus : quandoquidem ante prædictum decretum, integrum fuit Deo decernere, quod non existeret pro prædicto tempore. Et si hoc in sequenti signo decrevisset, tunc jam illa propositio, in signo antecedenti ad summum fallibiliter vera propter majorem inclinationem causarum, post ea, seu in signo sequenti esset falsa. Et ita solum sequitur, quod ante prædictum decretum dabatur conformitas fallibilis prædictæ propositionis ad suum objectum : et per consequens, quod illa propositio determinate sumpta, non erat determinate vera veritate infallibili, sed fallibili.

Diximus, *Quod illa propositio determinate sumpta, non erat determinate vera veritate infallibili* : quia sumpta prædicta propositione indeterminate, vel sumpta veritate indeterminate, id est, pro veritate, vel falsitate indeterminate, tunc potest esse proportionato modo infallibilis.

Ad primam confirmationem. 141 Ad primam confirmationem, neganda est minor. Ad probationem concedendum est, determinationem causarum de præsenti, et causatam per decretum efficax divinæ voluntatis, non esse id, quod enunciatur de subjecto, ac proinde nec esse objectum conformitatis illius propositionis de futuro : esse tamen primam radicem, et primum requisitum, primamque regulam talis conformitatis, propter rationes pro assertione factas. Et ita nisi adsit prædictum decretum, non poterit ulla ratione esse vera, et determinata conformitas, aut determinata difformitas inter illam, et suum objectum.

Exemplum idoneum. Potestque hoc explicari exemplo intellectionis, et volitionis liberæ. Nam intellectio proponens objectum cum indifferentia, est radix, et requisitum, et (ut sic dicamus) prima regula libertatis, quæ est in volitione libera objecti propositi; et tamen cognitio illa indifferens sic proponens objectum, non est radix, et regula volitionis liberæ per modum objecti voliti ab ipsa, sed ut quid omnino prærequisitum ad hoc, ut objectum illud sit volitum secundum suam bonitatem. Ita ergo efficax decretum Dei non est radix, et regula conformitatis propositionis de futuro cum suo objecto, tanquam aliquid

quid necessario enunciatum per illam : et per consequens nec tanquam objectum conformitatis, sed tanquam quid omnino requisitum, et per modum primæ radicis prædictæ conformitatis : quæ hoc ipso, quod creata, et per accidens, non potest non ortum ducere a divino decreto transferente futurum illud a statu possibili, vel futuri fallibilis, ad statum infallibilis futuritionis.

Objectio.

142 Nec refert, si objicias, quod si efficax decretum divinæ voluntatis desideratur ad veritatem propositionis affirmativæ de futuro contingenti, tunc hoc ipso, quod decretum desit, propositio affirmativa de prædicto futuro erit falsa : siquidem deest illi primum requisitum, primaque radix suæ conformitatis, et veritatis : sicut hoc ipso, quod desit intellectio proponens objectum cum indifferentia, debet volitio habere oppositum libertatis, scilicet necessitatem.

Responsio.

Respondetur enim, inde ad summum colligi, prædictam propositionem esse non veram, et non conformem, ex eo, quod deest primum requisitum conformitatis, et veritatis; non tamen esse positive difformem, seu falsam : nam verum, et falsum respectu cujusvis propositionis, non sunt contraria immediate opposita : et ita potest dari medium, scilicet non verum, et non falsum.

Retorquetur exemplum contra adversarios.

Nec exemplum adductum obest, sed potius prodest. Nam sicut deficiente omnino intellectione proponente objectum cum indifferentia, tunc si loco illius non subrogetur alia intellectio proponens ipsum cum determinatione, et necessitate, non datur volitio necessaria, neque etiam volitio libera; si vero ponatur intellectio proponens illud cum determinatione, et necessitate, tunc dabitur volitio necessaria : ita in illo priori antequam sit decretum divinæ voluntatis de futuritione Antichristi, propositio affirmans de illo, quod erit, licet non habeat determinatam veritatem, et conformitatem; non tamen habebit difformitatem, quæ est contrarie opposita conformitati, ac proinde tantum erit non conformis, seu non vera, et non difformis, seu non falsa, non tamen conformis, vel difformis, vera, vel falsa. Si autem fuisset in signo sequenti decretum de non futuritione ejusdem Antichristi, tunc propositio illa in eo signo posteriori esset difformis. Sicut quia Deus habuit decretum de futuritione illius, propterea post prædictum decretum talis propositio est determinate vera.

Additamentum.

143 Et licet per ea, quæ nunc diximus, satis hoc explicatum maneat, nihilominus addi potest, quod sicut necessitas, et libertas sunt immediate oppositæ respectu actus voluntatis, absolute, et pro quavis duratione reali existentis, et ita nequit absolute, et in aliquo instanti reali dari volitio, quæ non sit vel determinate necessaria, vel determinate libera, non tamen pro quocunque signo, et sub quavis præcisione; et ideo satis probabile est, quod eadem met volitio secundum substantiam potest transire de necessaria ad liberam, et e contra, atque adeo, quod in illo priori, in quo consideratur secundum sua essentialia præcise, nec est determinate libera, nec determinate necessaria, quamvis possit verificari de eadem, quod est non libera, seu non necessaria, quatenus per hoc significatur nondum habere necessitatem, aut libertatem : ita ergo cum proportione respectu propositionis de futuro contingenti philosophandum est, quatenus hæc pro omni duratione reali debet esse vel determinate vera, vel determinate falsa, non tamen pro omni signo rationis, et antecedenter ad decretum. Quia tunc, et sub prædicta præcisione, tantum est non conformis, aut non difformis, ex eo, quod non datur objectum pro illo priori, cui conformetur, aut difformetur : atque adeo tantum erit non vera, vel non falsa, quatenus pro prædicto signo nondum habet veritatem, aut falsitatem.

Sicut hoc ipsum, cum debita tamen proportione, de quavis propositione, sive de præsenti, sive de præterito, aut de futuro dicendum est, si prædicta propositio consideretur in illo signo, in quo præcedit ad suam propriètatem, scilicet ad veritatem, vel falsitatem. Tunc enim non est formaliter vera, aut formaliter falsa, nec formaliter conformis, aut formaliter difformis; sed tantum nondum vera, seu nondum conformis, et nondum falsa, seu nondum difformis. Quæ omnia in propositionibus jam dictis potiori ratione debent admitti, quam in exemplo illo de volitione, potente transire de necessaria in liberam, et e contra; absque eo quod secundum suam substantiam mutetur : ex eo, quod est longe certior assertio nostra, quam doctrina illa contenta in prædicto exemplo.

Ad secundam confirmationem.

144 Ad secundam confirmationem respondetur ex dictis, propositionem de inesse non esse regulam, et mensuram veritatis propositionis de futuro enunciatæ pro omni signo, nisi adsit primum illud prærequisitum, et fons conformitatis unius propositionis cum altera, scilicet determinatio efficax divinæ voluntatis. Et ideo in illo signo priori, in sensu supra explicato, ante possibilitatem Antichristi non erat futuritio illius, ut supra ostendimus, et ex se constat : et nihilominus pro tempore futuro est vera propositio de inesse ei correspondens, scilicet quod *Antichristus est.*

Ad tertiam.

Ad tertiam confirmationem patet ex dictis, quomodo verum, vel falsum determinate, et immutabiliter sint contraria immediate respectu propositionis pro quocunque instanti reali, non vero pro quocunque signo rationis.

Ad ultim.

145 Ad ultimum constat etiam ex dictis, quomodo ad rationem propositionis satis sit, vel esse in signo antecedenti ad divinum decretum indeterminate veram aut falsam ; vel esse fallibiliter, et in particulari veram, aut fallibiliter, et in particulari falsam, aut tandem in quacunque durationе reali, et per consequens stante decreto Dei esse determinate, et infallibiliter veram, aut determinate, et infallibiliter falsam.

Objectio.

146 Nec refert, si objicias, quod licet propositio in communi possit esse vera, vel falsa indeterminate ; attamen hoc ipso, quod sit hæc propositio in individuo, necesse est, ut habeat determinate veritatem, aut determinate falsitatem. Quia quoties aliqua passio sub disjunctione, et indeterminate convenit alicui essentiæ in communi, toties convenit determinate individuis contentis sub illa, ut patet in numero, cui sumpto in communi convenit saltim per modum proprietatis, quod sit par, vel impar indeterminate, et sub disjunctione : et tamen cuilibet numero in particulari debet competere, quod sit determinate par, vel determinate impar.

Enodatio.

Respondetur enim, negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, eam esse veram in proprietatibus absolutis, ut in exemplo allato contingit ; non vero in proprietatibus respectivis, qualis est significare verum, vel falsum. Nam proprietas ista convenit propositioni de futuro contingenti per ordinem ad suum objectum, scilicet futurum : et ita quia hoc pro illo signo rationis non habet determinate *fore*, nec determinate *non fore*, sed tantum habet indeterminate, quod erit, vel indeterminate, quod non erit ; ex eo, quod divina voluntas est determinata pro illo priori ad habendum aliquem actum vage, et indeterminate sumptum, quo decernat *fore*, vel *non fore*, v. g. Antichristi ; propterea hæc propositio *Antichristus erit*, pro illo priori, et in individuo sumpta, habet significare veritatem, vel falsitatem indeterminate, non tamen determinate.

Adde, quod juxta priorem illam solutionem num. 129. adductam, propositio prædicta in illo priori non est formaliter propositio, nec constat subjecto, copula, et prædicato formaliter talibus, ut ibidem explicatum est.

Ad primam confirmationem Curiel

147 Ad confirmationem primam respondet Curiel controversia citata num. 86. non futurum sumi duobus modis. Primo negative pro eo, quod non habet modum essendi futuri, quamvis possit illum habere, ut contingit in possibili : quod quidem non habet omnia requisita, ut sit futurum, et potest ea habere. Secundo contrarie pro eo, quod importat aliquid repugnans modo essendi futuri : ut id, quod est possibile fieri, et Deus decrevit non esse faciendum, habet aliquid, ratione cujus repugnat ipsi esse futurum. Quando ergo dicitur de aliquo non esse futurum, quia consideratur antecedenter ad determinationem divinæ voluntatis de ejus productione, sumitur non futurum priori modo. Quando vero in propositione negativa opposita affirmativæ negatur esse futurum, sumitur posteriori modo. Et sicut non valet argumentum a negatione alicujus requisiti, ut aliquid sit futurum, ad positionem alicujus repugnantis, ut sit futurum ; ita neque valebit argumentum, quo ex cognitione alicujus sub ratione non futuri priori modo, colligitur esse non futurum modo posteriori.

Cæterum in hac solutione, nisi amplius explicetur, non videtur omnino animus quiescere. Nam si præcise sistitur in hoc, quod sumpto non futuro positive, et contrarie, nihil potest esse non futurum, nisi post decretum, consequens erit, ut antecedenter ad divinum decretum sint falsæ omnes propositiones negativæ contrarie de futuro contingenti : sicut etiam propter eandem rationem erunt falsæ omnes affirmativæ de eodem futuro : siquidem, nec futuritio, nec positiva non futuritio possunt

possunt esse, juxta nostram sententiam, ante divinum decretum, sed debent subsequi ad illud : at hoc non est concedendum propter ea, quæ num. 141. et 142. diximus : ergo, etc.

Unde ad confirmationem hanc respondetur ex dictis loco citato, eam non convincere intentum. Quia decretum præsens divinæ voluntatis non est objectum illius propositionis, sed solum est primum requisitum, primaque fontalis ratio conformitatis cum objecto, et ipsius objecti, necnon et illius prædicati, quod de subjecto per illam enunciatur, scilicet existentiæ pro tempore futuro. Et similiter secunda confirmatio intentum non convincit, eo quod objectum illius propositionis negativæ, scilicet *Antichristus non erit*, nequaquam est non futuritio negativa ejusdem Antichristi; sed illud, quod modo insinuavimus, et loco citato magis explicuimus.

Ad secundam confirmationem.

Ad illud, quod in fine secundæ confirmationis adducitur.

148 Ex quo etiam patet ad illud, quod in fine hujus confirmationis adducitur, scilicet quod sicut ad hoc, ut sit falsum in illo signo antecedenti ad decretum, quod Antichristus est, sufficit, ut in illo signo non sit : quia ad veritatem requirebatur, ut esset, ita ad hoc, ut sit in eodem signo falsum, quod erit, sufficiet, quod non habeat positivam futuritionem : siquidem hæc futuritio ad ejus veritatem requirebatur. Ex dictis igitur ad hoc patet. Quoniam respectu illius propositionis affirmativæ in illo signo enunciatæ, nempe *Antichristus est*, habet rationem objecti enunciati *esse* illius pro illo signo : et *non esse* ejusdem, secundum eam rationem, secundum quam in eo signo dari potest, habet rationem objecti propositionis negativæ, tanquam duo inter se immediate opposita. Et ideo sicut si in illo signo daretur *esse* Antichristi, mensuraret utramque propositionem reddendo unam (scilicet affirmativam) veram, et aliam (nempe negativam) falsam, ita hoc idem de *non esse*, quod pro eodem signo datur, cum proportione dicendum est.

Cæterum, objectum alterius propositionis, scilicet *Antichristus erit*, non est determinata, et positiva futuritio, quæ Antichristo in illo signo rationis ante decretum conveniat. Nam hæc nihil est aliud, quam quod de præsenti, et in eo signo habeat *esse* determinatum in suis causis, et præsertim in prima; sed quod pro tempore futuro, positive erit, sicuti et objectum propositionis negativæ est, quod pro tempore futuro positive (ut sic dicamus) non erit : ex eo, quod pro sequenti signo erit decretum, quo Deus decernat, illud habiturum, vel non habiturum existentiam pro prædicto tempore. Quare cum ex vi signi antecedentis, seu in prædicto signo, nec sit hoc objectum, nempe, quod Antichristus pro tempore futuro erit, neque hoc, quod non erit, modo dicto explicatum, inde est, ut prædicta propositio ex defectu objecti, et per consequens ex defectu regulæ mensurantis, nec sit determinate vera, nec determinate falsa, quamvis sit non vera, et non falsa.

149 Unde ad falsificandam aliquam ex illis propositionibus determinate sumptam, vel ad verificandam illam, non sat est, quod Antichristus in illo signo ante divinum decretum sit non futurus negative, id est non habeat ea, quæ requiruntur ad futuritionem, quamvis nihil habeat, ratione cujus ei repugnet existentia pro tempore futuro. Quia objectum prædictarum propositionum, tantum est, quod pro tempore futuro habebit Antichristus, quod positive existat, vel quod positive, et in sensu dicto non existat; et ita licet prædicta propositio non habeat esse positive conformem, aut difformem suo objecto, nisi dependenter a divino decreto; non tamen propterea ante illud, seu ex hoc, quod non intelligatur divinum decretum, erit ex vi, et rigore sermonis falsa.

Diximus : *Ex vi, et rigore sermonis* : quia si redderet alium sensum, qui tamen non est proprius illius ex vi, et rigore sermonis, scilicet, quod causæ sunt determinatæ ad hoc, ut prædictum futurum pro tempore futuro sit, vel quod habeat *esse* determinatum in suis causis, ratione cujus in tempore futuro erit, tunc propositio affirmativa erit falsa, sicut et negativa, eodem proportionali modo explicata, veritatem continebit; at prædictæ propositiones sic expositæ potius sunt ex vi, et rigore sermonis propositiones de præsenti, quam de futuro.

150 Sed in calce hujus dubii forte inquires. Quænam ex illis tribus solutionibus, quibus plura ex argumentis contrariæ sententiæ dissolvimus, sit aliis præeligenda. Respondetur ex iis, quæ supra innuimus, quod loquendo de propositionibus

enunciantibus, ante decretum Dei efficax, quod aliquid erit, ad quod tamen nulla est determinatio etiam impedibilis in suis causis, ac proinde nec res illa, de qua enunciatur, quod erit, habet futuritionem in illis ratione majoris inclinationis, quæ in eis sit in ordine ad productionem, quam ad non productionem talis rei, tunc prima, et secunda solutio est eligenda. Si autem loquamur de propositionibus enunciantibus ante prædictum decretum, quod aliquid erit, ad quod quidem producendum causæ sunt sufficienter determinatæ, licet talis determinatio sit impedibilis, tunc eligenda est posterior solutio.

DISPUTATIO VIII.

De scientia Dei respectu futurorum contingentium absolutorum, quoad ea, in quibus certo ab illo cognoscuntur.

1 Quia facilius est explicare de divinis rebus quid non sint, aut quomodo se non habeant, quam quid sint, aut quomodo se habeant; propterea in dubiis disputationis præcedentis explicuimus quid non habeat divina scientia circa futura contingentia absoluta, explicaturi modo in hac disputatione, quomodo se habeat circa ipsa, id est, quomodo illa possit certo cognoscere.

DUBIUM I.

Utrum Deus certo cognoscat cuncta futura contingentia absoluta in decreto exercito suæ voluntatis, antecedenter ad quamlibet eorum infallibilem futuritionem, seu in sua essentia determinata per tale decretum?

Quia divinum decretum præcedit quodammodo præsentiam rerum in æternitate, propterea acturi in hac disputatione de eo, et de præsentia rerum in æternitate, et quomodo hæc conducant ad hoc, ut Deus certo, et infallibiliter cognoscat futura contingentia absoluta, inquirimus primo loco de divino decreto, an in eo prædicta futura certo a Deo per suam scientiam attingantur?

§ I.

Explicatio tituli.

Animadversio prior.

Ut autem titulus melius capiatur, notandum est primo, consulto in illo positam fuisse illam particulam, *Cuncta futura contingentia absoluta*. Quoniam futura contingentia absoluta possunt esse in duplici differentia. Alia quidem, quæ a sola divina voluntate pendent, qualia sunt creatio Angeli, et plura opera miraculosa, quæ a solo Deo fiunt. Alia vero, quæ habent etiam aliquam dependentiam a causis secundis liberis, ut volitiones liberæ voluntatis creatæ, et alii effectus ab ea aliquo modo pendentes. Et licet receptum communiter sit apud omnes, vel fere omnes Doctores, Deum certo cognoscere priora illa futura contingentia in decreto suæ voluntatis, ut statim dicemus; nihilominus ut generalem doctrinam quoad modum, quo Deus certo cognoscit futura contingentia, tradamus, ideo de cunctis futuris contingentibus absolutis universaliter dubium hoc excitamus.

2 Secundo notandum est, quod data opera in eodem titulo addidimus aliam particulam, nempe: *Antecedenter, ad quamlibet corum infallibilem futuritionem*. Quoniam dupliciter posset intelligi, Deum habere decretum circa futura contingentia absoluta. Uno modo post prævisionem futuritionis eorum in statu conditionato: ita quidem ut prius Deus præviderit, quid voluntas creata operatura esset, si in hac serie, et ordine rerum, et occasionum, vel in ista, aut illa collocaretur; et semel præviso consensu illius, si in hac serie collocaretur, et dissensu, si in illa constituatur, tunc Deus statuat constituere illam in illa serie, in qua prævidit ejus consensum; non vero in ea, in qua fuit præscius dissensus ab ea eliciendi. Et ita voluntas Dei constituendi voluntatem creatam in prædicta serie jam prævisa, erit voluntas prædicti consensus, dependens tamen ab eodem consensu in statu conditionato præviso, ut futuro. Alio modo ante prævisionem cujuscunque futuritionis eorum sub quovis statu.

Titulus ergo non de cognitione certa Dei in decreto prioris, sed posterioris rationis intelligendus est. Tum quia prius illud decretum non est antecedens quamlibet infallibilem futuritionem contingentium; tum etiam: quia ex dictis in dubiis disputationis proxime præcedentis, et ex dicendis duabus disputationibus sequentibus satis constabit, Deum ante suum decretum in eo existens non posse ulla ratione cognoscere aliquam futuritionem alicujus rei. Et propterea

propterea in titulo etiam addidimus particulam illam : *In decreto exercito*, sive in decreto actu existente in Deo, quia suppositis iis, quæ in præcedentibus dubiis diximus, tantum de decreto existenti, ut tali potest dubitari, an Deus in illo cognoscat futura contingentia absoluta, sive in statu conditionato, sive in absoluto considerentur.

§ II.

Adducitur duplex opinio.

Prior sententia.

3 Prima sententia asserit, Deum nulla ex prædictis futuris contingentibus certo cognoscere in prædicto decreto, sive in sua essentia determinata per tale decretum, ita ut hæc sit sufficiens ratio prædictæ cognitionis. Sententia hæc quoad futura pendentia etiam a voluntate creata, defenditur ab iis, quos pro sequenti sententia, quoad secundam ejus partem referemus. Quoad omnia vero futura eam tuetur Vazquez in præsenti disp. 65. Probaturque hoc unico fundamento.

Fundamentum.

Quoniam prædicta futura non possunt certo cognosci in divina essentia nude sumpta : ergo neque in eadem ut determinata per suum decretum. Antecedens constat ex dictis. Consequentia vero probatur. Quoniam decretum tantum addit supra nudam Dei essentiam, quamdam relationem rationis : hæc autem nihil potest conferre ad hoc, ut in eadem essentia cognoscantur illa futura : siquidem quod nihil est, non potest ad realem, et infinitam cognitionem deservire, ita ut in eo alia cognoscantur.

4 Confirmat hoc idem ipse Vazquez. Quoniam decretum secundum id, quod addit supra divinam essentiam, atque adeo sub conceptu decreti, cognoscitur ex vi cognitionis effectuum futurorum, circa quos versatur : ergo futura illa non cognoscentur in eodem decreto prius cognito. Consequentia videtur perspicua. Quia alioqui idem respectu ejusdem, esset simul prius, et posterius cognitum. Antecedens autem probatur. Quoniam relatio non cognoscitur, nisi prænoscatur fundamentum, et terminus ; quare cum futura contingentia, quorum existentia decernitur per illud decretum, sint terminus habitudinis rationis, quam decretum addit supra essentiam, consequens est, ut non possit cognosci prædicta habitudo, ac proinde nec decretum sub conceptum decreti, nisi prius futura illa cognoscantur.

5 Secunda sententia docet, Deum in prædicto decreto certo, et infallibiliter cognoscere futura contingentia absoluta, quæ a sola ejus voluntate pendent ; secus vero illa, quæ a causa secunda dependentiam habuerint. Ita quoad priorem partem omnes, vel fere omnes Theologi. Quoad posteriorem vero tribuitur hæc sententia Capreolo in 1. dist. 38. art. 2. quæst. 1. ad argumenta Durandi contra primam conclusionem. Et eam docet Palatius ibidem quæst. 2. circa finem in dubio appendice, Franciscus a Christo dist. 39. quæst. 6. Vazquez in præsenti disp. citata, Molina disp. 13. Suarez lib. 1. de scientia absoluta futurorum conting. cap. 8. Arrubal in præsenti, Herice tractatu de scientia Dei disp. 6. cap. penult. et fere omnes alii Patres Societatis.

Fundamentum quoad primam partem.

Sententia hæc quoad priorem partem, scilicet quoad futura contingentia pendentia a sola divina voluntate, hac unica ratione satis efficaci suadetur. Nam quivis effectus certo cognoscitur in sua causa unica, et totali, quæ impediri nequit ; ergo futura contingentia pendentia a sola divina voluntate, certo cognoscentur a Deo in decreto efficaci circa eorum futuritionem. Antecedens non indiget probatione ; quia cognita causa totali, et non impedibili futuritionis alicujus effectus, certo scitur prædictum effectum esse futurum. Consequentia vero probatur. Quia decretum efficax divinæ voluntatis circa hujusmodi futura, est causa unica, et totalis futuritionis ipsorum, alioqui non penderent a sola ipsa : et insuper prædictum decretum est causa non impedibilis ; quoniam nec potest impediri vel ab extrinseco, ut constat ex illo ad Roman. 9. *Voluntati ejus quis resistit ?* vel ab intrinseco, ex eo, quod semel habito a Deo decreto absoluto, et efficaci de futuritione alicujus rei, repugnat, quod habeat decretum oppositum de non futuritione ejusdem ; alioqui divina voluntas esset mutabilis, sicut propter hanc rationem voluntas creata mutabilis est : ergo Deus in prædicto decreto certo cognoscet futura contingentia, quæ a prædicto decreto, absque interventu aliarum causarum secundarum pendent.

Primum fundamentum quoad secundam

6 Deinde secunda pars ejusdem sententiæ, nempe futura contingentia absoluta pendentia a causis secundis non posse certo a Deo cognosci in prædicto decreto, pro-

partem D.Thom. batur primo testimoniis D. Thom. Nam ipse quoties agit de cognitione certa eorum a Deo, toties recurrit ad præsentiam eorundem in æternitate; non vero ad determinationem suarum causarum, ac proinde nec ad decretum, et determinationem liberam, et efficacem divinæ voluntatis in ordine ad eorum productionem. Unde in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 5. postquam dixit, prædicta futura non posse cognosci in suis causis, explicans statim quomodo sint cognoscibilia, inquit : *Sed quando efficiuntur in rerum natura, tunc habent esse determinatum : et ideo quando sunt in actu, certo cognoscuntur : et ita nihil prohibet, Deum habere certam scientiam futurorum contingentium, cum intuitus ejus ad rem feratur, secundum quod præsentialiter est in actu, et jam habet esse determinatum.*

Et in responsione ad secundum : *Futurum contingens non est determinate verum, antequam fiat, quia non habet causam determinatam, sed dum est in actu, est determinate verum.* Et ad tertium : *Futurum* (ait) *contingens relatum ad Dei cognitionem est necessarium, quia ad ipsum non fertur, nisi secundum quod est in esse actuali.* Et in solutione ad sextum : *Scientiam Dei* (docet) *non respicere rem contingentem, nisi ut est in suo esse actuali præsentialiter.* Et infra : *Si vidisset Deus causam, et non vidisset immediate effectum in suo esse, nunquam potuisset illum certo scire.*

Confirmatur primo. 7 Confirmatur primo. Nam juxta Sanctum Doctorem, futura contingentia non possunt certo cognosci, quandiu sunt futura, seu ut habent rationem futurorum : ergo nec in suis causis determinatis : et per consequens nec in divino decreto determinante divinam voluntatem ad eorum productionem. Hæc secunda consequentia patet ex prima. Prima vero ex antecedenti. Quoniam futura cognita in suis causis determinatis, cognoscuntur ut futura : ergo, etc. Antecedens autem asseritur a D. Thom. quæst. 2. de Veritate art. 12. his verbis : *Contingens ut futurum est, per nullam cognitionem cognosci potest, cui falsitas subesse non possit. Unde cum divinæ scientiæ non subsit falsitas, nec subesse possit, impossibile esset, quod de contingentibus futuris scientiam haberet Deus, si cognosceret ea, ut futura sunt.* Et in solutione ad primum : *Licet contingens non sit determinatum quandiu futurum est, tamen ex quo productum est in rerum natura, veritatem habet determinatam; et hoc modo super illud fertur intuitus divinæ cognitionis.*

Confirmatur secundo ex eodem Angelico Doctore. Nam prophetia comminationis non semper est certa, et tamen per eam revelatur futurum, ut est in suis causis creatis, et increata, determinatis ad producendum illud : ergo prædictum futurum non potest certo cognosci in determinatione suarum causarum, ac proinde nec in determinatione divinæ voluntatis. Major est D. Thom. 2. 2. quæst. 171. art. 6. ad 2. et constat ex prophetiis de morte Ezechiæ, et de devastatione Ninivitarum, quæ non sunt impletæ. Minor autem probatur. Quoniam non revelantur prædicta futura, ut sunt in se ipsis; alioqui re ipsa essent : nec ut sunt in suis causis indeterminatis, alioqui non revelarentur magis, ut futura, quam ut non futura : ergo in causis determinatis, quarum potissima est divina voluntas determinata per suum decretum.

8 Secundo principaliter probatur eadem pars. Quoniam posito quocunque decreto, manet voluntas creata indifferens ad utrumlibet : ergo ex vi cognitionis talis decreti nequit certo sciri futurum contingens, v. gr., actus liber ab ea pendens. Consequentia videtur certa. Nam sicut ex vi cognitionis ejusdem voluntatis præcise sumptæ, non possunt certo cognosci ejus actus futuri, ex eo, quod ipsa est indifferens ad utrumlibet, et in causa indifferente ut tali nequit certo cognosci, in quam partem sit inclinanda, ita si decretum divinæ voluntatis non tollit prædictam indifferentiam voluntatis creatæ, non poterunt ex vi cognitionis ejusdem decreti certo sciri actus futuri prædictæ voluntatis : siquidem tale decretum non tollit radicem unde provenit incertitudo futuritionis suorum actuum, scilicet indifferentiam ad utrumlibet. Antecedens autem non indiget probatione. Maxime quia si per illud decretum tolleretur libertas voluntatis creatæ, tunc actus illius non essent de numero futurorum contingentium, de quibus loquimur, nempe aliquo modo pendentium a causis secundis liberis, ut talibus.

Confirmatur. Nam vel prædictum decretum habet infallibilem, et necessariam connexionem cum futuro illo contingenti, vel solum fallibilem. Si primum, ergo tollitur libertas voluntatis creatæ in ordine ad influxum, quem præstitura est ad productionem talis futuri : siquidem posito prædicto

prædicto decreto, quod antecedit ejus concursum, et cujus positio, vel ablatio non est in sua potestate, non potest non prædictum futurum poni, ne sit fallibilis connexio inter ipsum, et divinum decretum. Si autem secundum dicatur, ergo ex vi cognitionis talis decreti nequibit certo cognosci illud futurum : quandoquidem ex vi cognitionis alicujus rei habentis fallibilem nexum cum altera, non potest hæc certo, et infallibiliter cognosci.

Tertium. Ultimo. Quia futura contingentia, saltim peccaminosa, non poterunt certo a Deo cognosci in decreto libero suæ voluntatis : siquidem Deus non vult peccata fieri ; ut diffinitur in Concil. Trident. sess. 6. can. 10. et 17.

§ III.

Juxta mentem Scripturæ, et Patrum dubii nodus dissolvitur.

Assertio. 9 Dicendum tamen est, Deum cognoscere certo, et infallibiliter cuncta futura contingentia absoluta in decreto efficaci suæ voluntatis. Ita videtur expressum apud Isaiam 14. *Juravit Dominus exercituum, dicens : si non ut putavi, ita erit ; et quomodo mente tractavi, sic eveniet, ut conteram Assyrium in terra mea.* Et paucis interpositis additur : *Hoc consilium quod cogitavi super omnem terram, Dominus enim exercituum decrevit ; et quis poterit infirmare? et manus ejus extenta ; et quis avertet eam?* Ubi ex eo dixit Deus, contritionem Assyriorum certo, et infallibiliter futuram, quia ipse eam decreverat, cui nemo resistere potest. Et ita in suo decreto infallibiliter inferenti prædictam contritionem, eam præcognovit, quamvis talis devastatio aliquo modo pendebat ex voluntate Assyriorum, qua libere venirent in terram Domini, in qua conterendi erant.

Evasio Herice. 10 Nec sufficit solutio Valentini Herice, nempe ex testimonio hoc non probari, decretum Dei de exercitu Assyriorum conterendo, fuisse omnino efficax, et absolutum, nullamque ex parte liberi arbitrii expectasse conditionem, et prævisionem.

Præcluditur. Nam contra hoc est. Tum, quod in verbis prioribus satis indicat sacer textus, eventum illum futurum : quia Deus mente illum tractavit, non vero e contra. Et ita inquit : *Juravit Dominus exercituum ; si non ut putavi, ita erit, et quomodo mente tractavi, sic eveniet ;* tum etiam : quia in hoc testimonio gloriatur Deus de efficacitate, et potentia sui decreti, quod hoc ipso, quod ipse sit, qui decrevit, nemo valet id infirmare. Si autem decretum illud esset infallibiliter efficax, quia prævisus est eventus futurus, tunc non esset major gloriatio Deo, quam creaturæ id ipsum decernenti, nec requireretur ad hoc infinitas divinæ potentiæ, et voluntatis, quam nemo potest infirmare ; sed creatura posset similiter gloriari, quod ea decernente talem devastationem, et adhibente media ad illam, prævisoque effectu futuro, nemo posset resistere. Unde verba illa, et modus loquendi Isaiæ majorem energiam habent, quam illam, quæ eis ab Herice conceditur.

11 Idem etiam expressum videtur in illo Psal. 134. *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo, et in terra.* Et ad Roman. 9. *Voluntati ejus quis resistit?* Quæ testimonia intelligi, non solum de futuris, quæ a sola divina voluntate pendent, sed etiam de illis, quæ ab utraque voluntate, increata scilicet, et creata dependentiam habent, ostendit eleganter August. in Enchirid. ad Laur. cap. 95. ubi ut probaret, quantam certitudinem, immutabilitatem, ac efficacitatem habeat voluntas Dei erga adultos, quos vult æternam beatitudinem consequi, quorumque salus, non solum a voluntate Dei, sed etiam a libero eorum consensu pendens est, affert prædicta verba Psalmi : *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit :* et addit : *Quod non esset verum, si aliqua voluit facere, et non fecit. Et quod est indignius : ideo non fecit, quia ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Et post pauca : *Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ fidei confessionis initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere, confitemur. Nec enim ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult, potest, neque voluntate cujuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Ubi, ut intuenti constabit, eximiam, et summam efficacitatem tribuit divino decreto, ratione cujus, salva libertate arbitrii creati, possit infallibiliter facere quidquid suæ infinitæ voluntati placuerit : atque adeo in hoc decreto efficacissime inferenti quævis futura, poterit, et debebit Deus certo omnia futura contingentia scire.

12 Unde hoc ipsum tuetur D. Thom. primo contra Gentes cap. 68. ubi agens in particulari de volitione creata, dixit in

prima ratione, Deum cognoscere illam, quatenus cognoscit suam essentiam. Et in secunda ratione, cognoscere eandem per suam essentiam, sicut per cognitionem causæ cognoscuntur effectus. Et deinde subdit : *Omnia igitur Deus cognoscit, suam essentiam cognoscendo, ad quæ sua causalitas extenditur; extenditur autem ad operationes intellectus, et voluntatis.* Loquitur autem de actibus creatis voluntatis, non ut possibilibus; nam de possibilibus in genere egerat cap. 66. sed ut existentibus pro aliqua duratione, ut constat ex toto illo capite.

Et quæst. 2. de Veritate art. 12. aperte docet, Deum scire futura contingentia in se ipso, tanquam in causa illorum : atque adeo in se ipso, ut determinato per decretum, secundum quam rationem est causa eorum. Nam in quarto argumento pro sua sententia sic ait : *Deus cognoscit res, quatenus est causa earum : sed Deus non tantum est causa necessariorum, sed etiam contingentium : ergo tam necessaria, quam contingentia cognoscit.* Et in sexto argumento sic habet : *Scire est causam rei cognoscere : sed Deus scit omnium contingentium causas, scit enim se ipsum, qui est causa omnium : ergo ipse scit contingentia.* Et in solutione ultimi aperte docet : cognoscere futura contingentia in se ipso, ut in medio : quia essentia divina, licet non sit medium proportionatum, et adæquatum alicui creaturæ, est tamen medium proportionatum respectu singulorum. Quare cum non sit medium, nec causa, nisi determinata per decretum, consequens est, ut in ea sic sumpta attingat prædicta futura.

13 Idem etiam docet art. 9. hujus quæstionis in solutione ad tertium : ubi inquit : *Scientia Dei est causa rerum adjuncta voluntate : unde non oportet, quod quæcunque scit Deus, sint, vel fuerint, vel futura sint; sed solum ea, quæ vult esse, vel permittit esse.* In quibus verbis aperte docet futuritionem rerum debere desumi per ordinem ad voluntatem Dei ordinantem, vel permittentem : et ita semel cognita hac voluntate, cognoscetur in ea infallibiliter effectus futurus. Sicut cognita causa possibilitatis rerum, scilicet divina omnipotentia, ut continet, verbi gratia, equum, non potest non certo sciri possibilitas ejusdem equi.

Quare, ut magis explicaret Sanctus Doctor, quomodo divina voluntas sit ratio, et causa futuritionis, verbi gratia, consensus pii, et non solum conditio concomitans, inquit, quod futura non sciuntur a Deo, quia sunt futura, sed e contra. Nam futuritio non antecedit scientiam, sed subsequitur illam (ut etiam docet articulo 8. hujus quæstionis, et primo contra Gentes capite 67. ratione 6.) non quidem utcunque, sed ut habet adjunctam voluntatem, ut asserit in eodem articulo octavo, et ita inde infert prædicto articulo nono, quod non quæcunque scit Deus, sunt futura, sed quæcunque vult. Ubi, ut vides, divinæ voluntati tribuit, quod ex se sit causa efficax futuritionis rei contingentis ante prævisionem illius : alioqui non dixisset : ideo futura esse, quia sciuntur a Deo; sed potius oppositum debuisset asserere, nempe, ideo sciri, quia futura sunt : et per consequens semel cognito decreto isto efficaci, efficaciter inferente futuritionem contingentium, non poterit non ibidem cognosci eadem futuritio.

Idem habet Sanctus Doctor testimonio illo, dubio præcedenti adducto, nempe in hac prima parte quæst. 16. art. 7. ad tertium, inquiens : *Illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat, ut fieret. Unde sublata causa, non esset futurum illud fieri. Sola autem prima causa est æterna. Unde ex hoc non sequitur, quod ea, quæ sunt, semper fuerit verum, ea esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura : quæ quidem causa solus Deus est.* Ubi, ut vides, futuritionem æternam rerum solum reducit in Deum, tanquam in causam unicam æternam illius : cumque ipse causet per voluntatem (modo tamen nuper insinuato, et disput. 5. dub. 3. explicato) consequens est, ut illam in eandem voluntatem eodem modo reducat : ac subinde cognita prædicta voluntate, seu decreto, ut causa illius, non poterit non prædicta futuritio cognosci.

14 Tandem hoc ipsum docuit Sanctus Doctor infra quæst. 19. art. 8. et quæst. 6. de Veritate art. 3. ad quartum. Nam cum sibi opposuisset, quod omnis certitudo, quæ est cum suppositione alicujus, non est certitudo absoluta : sicut non est certum, quod Sol causabit fructum in planta, nisi cum hac conditione, scilicet quod virtus generativa plantæ sit bene disposita : ex eo, quod virtus Solis supponit virtutem plantæ, quasi causam secundam : ac proinde pari ratione si certitudo prædestinationis

nationis sit cum præsuppositione causæ secundæ, non erit certitudo absoluta, sed conditionalis tantum. Respondet idem Angelicus Doctor : *Causa secunda, quam oportet supponere ad inducendum prædestinationis effectum, etiam ordini prædestinationis subjacet. Non autem est ita in virtutibus inferioribus respectu alicujus superioris virtutis agentis. Et ideo ordo divinæ prædestinationis, quamvis sit cum suppositione voluntatis humanæ, nihilominus tamen absolutam habet certitudinem, etsi in exemplo inducto contrarium appareat.*

Ubi, ut constat ex diametro, opponitur D. Thom. adversariis, negantibus absoluta, et efficacia decreta Dei, et tantum admittentibus decretum, innitens scientiæ conditionatæ, et expectanti operationem causæ secundæ. Et insuper addit esse absolutam certitudinem in divina prædestinatione ; et hanc oriri ex ordine, et causalitate ipsius ; ex eo, quod quidquid supponitur, seu requiritur ad inducendum prædestinationis effectum, subjacet ordini prædestinationis ; licet quidquid requiritur ad causalitatem Solis respectu fructuum in planta, non subjaceat ejus causalitati, seu non infallibiliter inferatur ex causalitate Solis : atque adeo etiam futura, quæ dependent a causis secundis liberis, qualia sunt effectus prædestinationis, cognoscentur a Deo per absolutam certitudinem, ex vi ejusdem prædestinationis, ut causæ illarum; et per consequens ex vi decreti efficacis ibidem involuti, ratione cujus prædestinatio habet modo supra insinuato inferre efficaciter prædictos effectus : non vero quia divina scientia expectet quid faciendum sit a causis secundis, ut ex hoc videat effectus futuros secundum certitudinem conditionalem antecedentem.

15 Idem etiam docuerunt alii Sancti Patres, præcipue August. de prædestinatione Sanctorum capite 10. et lib. 26. contra Faustum cap. 4. Hilar. 9. De Trinitate paulo post principium : ubi ait : *Quod Deus facere decrevit, in sua voluntate cognovit :* sed decrevit facere universa, quæ fiunt, quia propositum ejus universa operatur : ergo quæ futura sunt, in decreto suæ voluntatis cognoscuntur ab illo. Et plures alii ex Sanctis Patribus, quos refert Alvarez lib. 3. de auxiliis divinæ gratiæ disput. 22. a quibus in particulari referendis, necnon et ab aliis locis Scripturæ, et eorundem Patrum consulto abstinemus : quia in tract. de Voluntate Dei art. 8. ex professo de hoc iterum redibit sermo, dum ibi tanquam in proprio loco explicuerimus efficacitatem summam divinæ voluntatis : et quomodo salva libertate arbitrii creati, cuncta ejus opera efficaciter prædiffiniat per decretum, quo vult, vel efficaciter permittit illa.

Et tandem hanc eandem sententiam tuentur Scholastici, ut Ricardus in 1. dist. 38. art. 1. quæst. 5. Scotus dist. 39. quæst. unica, et in quodlib. quæst. 14. Hervæus ibidem quæst. unica, et dist. 46. quæst. 2. Ludovicus Vivas super 5. librum D. August. de Civitate Dei, Leonardus Coquæus loco infra disput. 10. num. 128. referendo, Cajetanus, Bannez, Zumel, Nazarius, Gonzalez, Machin, Petrus Corneio in præsenti, Alvarez lib. 2. de auxiliis divinæ gratiæ, disp. 10. et 11. Ledesina lib. de auxiliis, disput. de scientia futurorum conting. dub. 3. circa solutionem 4. argumenti, Æstius in 1. sentent. dist. 38. § 7. et alii quamplures.

§ IV.

Ratio unica, et fundamentalis pro assertione.

16 Sed antequam assertionem probemus, oportet eam breviter explicare : non enim in illa intendimus diffinire, an Deus cognoscat futura contingentia absoluta in suo decreto, ut in objecto omnibus modis primario, et quasi specificante illam scientiam. An vero sola divina essentia, determinata tamen per decretum, sit objectum primarium, et quasi specificativum ejus; hoc enim ex iis, quæ in hoc eodem tract. disp. 3. num. 17. diximus, satis liquet; sed solum, quod hoc ipso, quod in Deo detur decretum efficax de futuritione, v. g., Antichristi, statim divina essentia illud intellectui Dei repræsentat. Et ita essentia divina, et prædicto decreto cognito, seu cognita essentia divina, determinata tamen per prædictum decretum, non poterit non prædictum futurum in ea cognosci.

Ratio assertionis D.Thom.

Rationem autem fundamentalem assertionis sic explicatæ tetigit D. Thom. locis citatis, et in tractatu de Voluntate Dei latius eam prosequemur, potestque ad hanc formam reduci. Quoniam voluntas divina est universalissima, et efficacissima : ergo debet efficaciter prædiffinire, tam quoad substantiam, quam quoad modum, quid-

quid a Deo ad extra faciendum est, aut quidquid a quibusvis causis secundis postea fiet; ita ut hæc omnia infallibiliter eveniant, secundum præscriptum ejusdem voluntatis : ergo Deus in hoc decreto præfinitivo poterit, et debebit cuncta futura contingentia certo scire. Hæc secunda consequentia ex priori aperte sequitur. Quia non stat cognitio decreti divini, seu (quod in idem quoad præsens redit) essentiæ divinæ, ut determinatæ per tale decretum, certo, et infallibiliter inferentis futuritionem cujusvis futuri contingentis, et non cognosci certo prædictam futuritionem.

17 Prima vero consequentia ex antecedenti etiam constat. Nam si divina voluntas non præfiniret omnia illa, tam quoad substantiam, quam quoad modum, non esset universalissima : siquidem non extenderetur ad cuncta futura volibilia per illam, tam quoad substantiam eorum, quam quoad modos, nempe necessitatis, aut contingentiæ, et libertatis eorundem : sicut etiam non esset efficacissima, si cuncta non ita infallibiliter evenirent, sicut ipsa decernit, id est, si ipsa decernente, quod fiant necessario, id est, mediantibus causis secundis necessario operantibus, tunc non necessario fierent; et eadem decernente, quod libere producerentur, tunc libere infallibiliter tamen, non evenirent, hoc est, re ipsa, et de facto non ita fierent, quamvis possint non ita esse, ex eo, quod hoc modo prædiffinita sunt : quandoquidem ad hoc, ut aliqua voluntas sit efficacissima, oportet, ut sit efficax, tam circa substantiam, quam circa modum rei fiendæ. Si autem cuncta non evenirent eo modo, quo divina voluntas in sensu explicato decrevit, ut evenirent, tunc non extenderetur efficaciter, tam quoad substantiam, quam quoad modum omnium futurorum, ita ut sic evenirent, sicut per illam prædiffinita sunt : ergo, etc.

Antecedens autem probatur. Quoniam Deus est universalissimum, et efficacissimum agens, ex eo quod est universalissimum ens, habens infinitam efficacitatem ad operandum; ergo cum agat etiam per voluntatem, oportet, ut ejus voluntas sit universalissima in volendo, et efficacissima in causando, vel inferendo quidquid sub ejus volitione cadit, et eo modo, quo sub illa cadit.

Confirmatur primo. Confirmatur, et explicatur primo, ratione desumpta ex eodem Sancto Doctore. Quoniam Deus certo scit cuncta possibilia in sua essentia, tanquam in causa prius cognita : ergo etiam certo sciet cuncta futura in eadem essentia, tanquam in causa prius scita : et per consequens in divino decreto efficaci, seu (quod in idem redit) in eadem essentia determinata per tale decretum. Hæc ultima consequentia ex priori aperte sequitur. Quoniam essentia divina non est causa prædictorum futurorum, nisi determinata per suum decretum efficax. Prima vero consequentia ex antecedenti patet. Quia tota ratio, propter quam cognoscuntur certo possibilia in divina essentia, tanquam in causa prius cognita, est, quoniam continentur in illa tanquam effectus in sua causa, a qua participant omnem suam entitatem, et intelligibilitatem : et ita solum sunt objecta secundaria respectu divinæ scientiæ : quæ proinde ex vi illius, tanquam objecti prius cogniti, debent attingi. Hæc autem ratio parem vim habet in creaturis futuris, ad hoc, ut in eadem essentia determinata per prædictum decretum, et prius scita, certo cognoscantur, ut intuenti constabit. Antecedens autem ex iis, quæ supra art. 5. et 6. et in tract. de Visione Dei art. 8. diximus, satis constat, et ab omnibus fere adversariis admittitur.

Confirmatur, et explicatur secundo ratione ejusdem Sancti Doctoris. Quoniam voluntas divina non utcunque est causa rerum, sed causa prima, ac proinde ejus efficacitas independens est a quacunque alia efficacitate voluntatis secundæ, quamvis eam inferat; ergo Deus in eadem voluntate efficaciter decernente futuritionem cujuscunque futuri, certo sciet illud esse futurum, sicut a divina voluntate decretum est. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem quoad primam partem constat. Quoad secundam vero etiam liquet. Nam sicut de ratione voluntatis secundæ est dependentia in sua volitione, et efficacitate a voluntate prima, ita e contra, de ratione voluntatis primæ erit independentia in sua volitione, et efficacitate a voluntate secunda, licet quoties vult concursum ejusdem voluntatis secundæ, debeat ratione suæ efficacitatis illum inferre, eo modo, quo illum voluerit.

§ V.

Solutiones adversariorum, et impugnatio earum.

Prior solutio adversariorum.

19 Hæc autem ratio cum suis confirmationibus est adeo efficax, ut ex sola earum expensione, facile evasiones, quas adversarii adducunt, corruant. In primis enim aliqui dicunt, hinc non concludi sufficere cognitionem divini decreti respectu futurorum, dependentium a causa libera creata : ex eo, quod divina voluntas non est causa totalis, et adæquata illorum : effectus autem non cognoscitur certo, et infallibiliter in sua causa, nisi illa sit adæquata.

Rejicitur.

Ad hæc solutio ex dictis in nostra ratione, et confirmationibus, maxime si paulisper expendantur, satis corruit. Tum quia, licet causa creata concurrat multoties ad productionem futurorum ab illa dependentium; attamen non ita se habet, ut ex D. Thom. supra dicebamus, respectu voluntatis divinæ, sicut planta respectu Solis in ordine ad productionem fructus in illa contenti : quia hæc non subjacet omnino virtuti Solis, propter limitationem ejusdem Solis : qui non potest semper inferre dispositionem requisitam ex parte plantæ, una cum illo operaturæ ad productionem fructus. Cæterum divinæ voluntati propter ejus infinitam universalitatem, et efficacitatem quævis voluntas secunda omnino subjacet, ita ut in ea, et cum ea quidquid sibi placuerit, et eo modo, quo placuerit, possit efficere. Nam sicut causæ secundæ necessariæ obediunt ad nutum divinæ voluntati, juxta suum modum, scilicet modo necessario, ita causæ liberæ obediunt etiam ei ad nutum, juxta modum proprium illarum, scilicet modo libero; alioqui voluntas divina non esset prima, nec infinite efficax in volendo, ut ex dictis constat.

Tum etiam; quia licet voluntas creata concurrat simul cum increata ad productionem plurium futurorum contingentium, scilicet actuum liberorum procedentium ab ipsa; non tamen propterea divina voluntas non producit illum actum totum, et totaliter, id est, ita ut sit in eo aliqua formalitas, vel formalitatis modus, qui non quoad omnia, quæ dicit, a divina voluntate, modo sibi proprio, non attingatur; alioqui esset aliquod ens creatum, vel formalitas, aut modus ejus, quæ divinam subterfugeret causalitatem; atque adeo esset, et non esset ens per participationem, ut intuenti patebit. Constat autem, quod hic modus causandi est satis ad hoc, ut decreto prædictæ voluntatis cognito, cognoscatur certo in eo quivis effectus futurus; siquidem secundum omne id, quod habet, procedit ab illa. Sed circa hæc videantur ea, quæ nostri Complut. in lib. Physicor. disp. 15. num. 59. asserunt.

Alia solutio.

20 Deinde occurrunt alii, non sequi ex ratione facta. Deum certo cognoscere in suo decreto futura contingentia, quamvis eorum futuritio sequatur ex divino decreto. Nam primus actus liber hominis sequitur ex judicio naturali, non vero libero, seu imperato a voluntate, ita ut tale judicium determinet illam ad prædictum actum : et tamen Angelus cognoscens hoc judicium naturale, non propterea cognoscit actum liberum, inde causatum; alioqui actus liberi humani paterent Angelo, cujus oppositum in materia de Angelis communiter dicunt Theologi; ergo ex hoc, quod Deus cognoscat suum decretum, et hoc sit causa futuritionis rerum contingentium, non propterea sequitur cognosciturum talia futura, inde subsequuta.

Evertitur.

21 Nam contra hoc est, quod, ut docet D. Thom. prima secundæ quæst. 9. art. 4. et 6. ad tertium, et Cajetan. ibidem, prima volitio, quam habet homo, est boni universalis, et ex motione divina, ac proinde est necessaria : ex hac autem volitione determinat se voluntas, modo alibi, Deo dante, explicando, ad objecta particularia hæc, vel illa volenda, et ideo consequenter potest movere intellectum ad habendum efficax imperium, quo determinet eandem voluntatem ad hoc, ut eliciat actum circa aliquod objectum particulare : et hoc imperium, ac judicium est, quod movet voluntatem ad exercitium actus liberi respectu particularis objecti.

Quare, quia tale imperium participat libertatem, ideo non cognoscitur ab Angelo : et consequenter neque actus, ad quem determinat. Si autem prædictum imperium ab Angelo cognosceretur, tunc quia non utcunque determinat, sed ita ut infallibiliter ex eo sequatur actus liber imperatus, tunc talis actus absque dubio ab Angelo attingeretur, ac subinde cum ex libero Dei decreto efficaci, infallibiliter sequantur quævis futura contingentia a Deo prædiffinita, oportet, ut prædicto decreto cognito,

cognoscantur eadem certitudine futura inde subsequuta. Sed circa hæc videantur ea, quæ in tract. de Prædestinatione disp. 2. a num. 76. usque ad 84. dicemus.

Occurrit Suarez.

22 Præterea respondet Suarez, et alii, tum quod Deus non potest præfinire futura contingentia, pendentia a libertate creata, per decretum efficax, et infallibiliter inferrens illa, nisi prius per scientiam conditionatam prævideat, quid prædicta voluntas in tali occasione, vel cum talibus circumstantiis volitura sit; ne si aliter prædiffiniat, tollatur libertas ejusdem voluntatis. Tum etiam, quod ad salvandam in voluntate divina rationem primæ causæ, et dependentiam cujuscunque futuri ab ipsa, non est necesse, quod sit prima causa futuritionis, ratione decreti efficacis, quod in ejus sententia, subsequitur scientiam mediam; sed ratione alterius voluntatis inefficacis, antecedentis illam. Nam ad talem scientiam, qua Deus scit, Petrum consensurum ex hypothesi, quod ponatur in hac, vel illa occasione, et cum his, vel illis circumstantiis, præsupponitur in Deo voluntas, qua vult dare ei concursum ad quidquid ipse voluerit facere; non tamen determinando, quod talis concursus sit ad istum, aut illum actum determinate, nec respectu hujus, aut illius determinati objecti; sed vel præscindendo ab illis, vel respectu hujus determinati actus, et objecti, sub conditione, si voluntas creata voluerit: et respectu alterius actus, et objecti, si eadem voluntas similiter voluerit: et ista voluntas Dei conditionata, præcedens consensum illum creatum, est prima radix, et prima causa futuritionis talis consensus: et fit absoluta, ac efficax, posita conditione, nempe quod Petrus, v. gr., velit operari, et consentire.

Impugnatur.

23 Cæterum licet hæc solutio pluribus sit impugnanda in tract. de Voluntate Dei art. 8. ubi ostendemus, efficacem prædiffinitionem Dei ante omnem scientiam mediam, qua præfinit actus liberos voluntatis creatæ, non solum non tollere, verum etiam ponere libertatem in ipsis. Et similiter quamvis prædicta solutio ex dictis in præcedentibus dubiis maneat impugnata, in quibus probavimus, ante decretum efficax divinæ voluntatis non posse cognosci per aliquam scientiam certo, et infallibiliter aliquod futurum absolutum; nam rationes ibidem factæ, æque probant de futuro conditionato, ut intuenti constabit, et ex dicendis in sequentibus disputationibus patebit: et tandem licet impossibilitas hujus scientiæ mediæ peculiariter sit ostendenda disput. 10. et 11. necnon 12. hujus tract. nihilominus prædicta solutio ex sola majori quadam expensione rationis factæ, et confirmationum ejus, facile corruit.

Nam in primis id, quod primo in ea continetur, scilicet non posse Deum, salva libertate arbitrii creati: ante prævisionem per scientiam mediam futuri consensus, prædiffinire efficaciter illum, satis convincitur falsitatis ex efficacitate, universalitate, et primitate, quam in divina voluntate esse diximus. Nam ad hæc spectat, ut tam substantia actus, quam modus ejus, scilicet libertas, in quocunque statu, sive absoluto, sive conditionato proveniat ex efficacitate divinæ voluntatis, ita ut ideo fiat actus tam quoad substantiam, quam quoad modum, quia Deus vult illum sic fieri; non tamen e contra: alioqui talis voluntas nec esset prima, ut constat, nec universalissima in causando, nec tandem summe efficax: siquidem aliqua efficacia voluntatis creatæ sub aliquo statu, non oritur ex efficacitate illius. At si prius deberet prævideri efficax consensus voluntatis, si voluntas collocaretur in hac, vel illa occasione, quam quod divina voluntas efficaciter præfiniret prædictum actum quoad substantiam, et modum ejus, tunc hæc causalis esset vera: *Ideo Deus vult, et decernit Petrum legere, quia ipse vult, aut voliturus est legere;* quandoquidem scientia conditionata, qua id videtur, præsupponit suum objectum, scilicet prædictam volitionem; non vero causat illud. Et similiter hæc causalis esset falsa: *Ideo Petrus vult, aut volturus est legere, quia Deus vult, et decernit, eum legere.* Et ita voluntas creata esset prima causa, et prima radix futuritionis sui actus, et Deus esset causa secunda illius: ac proinde nec esset causa universalissima, et efficacissima illius: siquidem prima inchoatio talis futuritionis non a Dei voluntate, sed ab humana proveniret.

24 Nec id, quod eadem solutio secundo loco adducit de voluntate illa inefficaci, et conditionali, antecedente scientiam mediam, ei favet, ad hoc, ut universalitatem, primitatem, et multo minus efficacitatem divinæ voluntatis salvet. Nam ex hoc, quod Deus habeat voluntatem illam inefficacem, et conditionalem respectu actus liberi voluntatis creatæ, non sequitur prædictum actum, in specie et in individuo

individuo consideratum, esse futurum, quia Deus illum ea voluntate inefficaci, ac conditionali vult; ergo ratione prædictæ voluntatis nequit salvari, Deum esse primam, et universalissimam causam totius futuritionis, talis actus, et cujuscunque alterius, et multo minus habere summam efficacitatem. Consequentia videtur perspicua ex dictis.

Antecedens autem suadetur. Quia sub illa voluntate Dei non cadit iste actus determinate, et in individuo potius, quam oppositus, aut ejus omissio : quandoquidem voluntas illa solum extenditur ad dandum auxilium, et concursum libertati creatæ, ad hoc, ut libere velit, aut non velit; vel ut velit hoc, aut illud prout ipsa sua se libertate determinaverit, ita ut quantum est ex parte ipsius divinæ voluntatis pro illo signo, in quo talis voluntas ponitur, non habeat potius hic actus rationem futuri, quam quivis alius : quia hoc relinquitur, juxta hunc modum dicendi, innatæ libertati voluntatis creatæ; ergo falsum erit, quod idcirco voluntas creata habet, aut habitura est ex hypothesi istum numero actum hic, et nunc, quia Deus id vult voluntate illa antecedente, et conditionali; et per consequens nec salvatur, quod ideo ille actus in individuo fiat, quia Deus vult illum fieri, nec quod divina voluntas sit prima, universalissima, et efficacissima in causando.

Confirmatur. 25 Confirmatur, et explicatur. Quia ad summum ex illa voluntate potest sequi, Deum esse primam causam respectu actus liberi voluntatis creatæ in communi, aut vage accepti; non tamen in particulari, ac in specie, et in individuo considerati; siquidem per illam voluntatem Deus non vult, adhuc inefficaciter, hunc actum in particulari potius, quam alium; sed solum, quod voluntas eliciat hunc actum, vel ejus oppositum, aut omissionem illius, aut alium, qui eidem placuerit : quod autem eliciat hunc potius, quam illum, ejus arbitrio relinquitur : ergo nec salvatur primitas digna universalissimæ causæ, qualis est divina voluntas. Nam hæc debet extendi per modum primæ causæ ad cuncta futura secundum speciem, et individuum, ita ut ideo sint futura, quia Deus illa vult. Sed de hac solutione iterum, ut nuper innuebamus, redibit sermo in hoc eodem tract. ubi amplius impugnabitur.

Posterior pars. 26 Tandem Junior quidam solutionem aliam rationi nostræ principali adducit, scilicet ex ea ad summum probari, Deum certo cognoscere cuncta futura contingentia absoluta in decreto suæ voluntatis, non quidem quoad *quid est* eorum, sed tantum quoad *an est*. Nam ex habitudine unius ad aliud, qualis est in divino decreto respectu futurorum, ad summum colligitur cognitio illius, ad quod terminatur prædicta habitudo; non quidem perfecta in *esse* cognitionis, et quidditativa, sed tantum quoad *an est*, ut ex cognitione potentiæ visivæ, dicentis habitudinem ad visibile, non sequitur cognitio quidditativa ejusdem visibilis, sed tantum quoad *an est*.

Præcluditur. Verum hæc solutio ex facta ratione evanescit. Quia futura contingentia non cognoscuntur in decreto, seu (quod idem quoad præsens est) in divina essentia, ut determinata per illud, ratione habitudinis, quam prædictum decretum ad illa dicat : sed ratione connexionis causæ cum suo effectu, quatenus tota entitas illorum futurorum, ut talium, continetur tanquam in causa in divina essentia, ut determinata per suum decretum : constat autem quod cognitio alicujus in alio, ut in sua causa omnino continente illud, potest esse quidditativa, quippe quæ est cognitio a priori, et per aliquid ejus, siquidem est per causam, quæ censetur esse aliquid effectus. Et propterea cognitio eorundem futurorum, ut possibilium, et habita in divina essentia, et omnipotentia, tanquam in causa illorum secundum istam rationem, est cognitio quoad *quid est* illorum, et non solum quoad *an est*.

Ex quo etiam patet, exemplum de visu, et re visibili, quamvis demus ex cognitione visus non sequi quidditativam cognitionem visibilis, non esse ad rem : siquidem visus non est causa visibilis. Si autem esset causa illius, tunc penetrato, et quidditative cognito visu, posset ex vi illius cognitionis quidditative cognosci visibile.

§ VI.

Fit obviam unico fundamento primæ sententiæ.

27 Ad fundamentum primæ sententiæ concedendum est antecedens, et neganda consequentia. Et ad probationem dicendum est, quod licet divinum decretum fundet relationem rationis ad res futuras, ut ad effectum, et objectum; nihilominus talis

relatio non pertinet intrinsece ad illud, neque ipsum in ratione talis complet ; sed satis est, quod volitio necessaria Dei connotet ratione suæ eminentiæ hoc objectum, et effectum potius, quam istum, et inferat illum, ut ponendum pro tempore futuro ad hoc, ut sit volitio libera futuritionis, ipsius, ut in tract. de Volunt. Dei disput. 7. a num. 58. usque ad num. 72. fuse explicatur. Unde sicut ad hoc, ut sit in Deo decretum liberum, et efficax futuritionis rerum, non est necesse, ut tale decretum addat aliquid intrinsecum, additione etiam virtuali supra actum necessarium divinæ volitionis, sed satis est prædicta connotatio ; ita ad hoc, ut idem decretum sit ratio cognoscendi futura contingentia, non est necesse, ut addat aliquid intrinsecum, virtualiter distinctum a volitione necessaria ; sed sufficiet, quod connotet, modo dicto, hoc objectum potius, quam istud. Videantur tamen ea, quæ in tract. de Visione Dei disp. 7. dub. 3. diximus, et in tract. de Voluntate Dei loco citato dicemus.

Adde, quod, ut ibidem explicatur, satis probabile est, actum liberum Dei, ut talem, addere aliquid intrinsecum, et virtualiter distinctum supra volitionem necessariam. Quomodo autem cum hoc cohæreat, actum liberum Dei, quo decrevit productionem mundi, potuisse non esse in illo, et nihilominus non idcirco potuisse abesse a Deo aliquid intrinsecum, et reale, in eadem disp. et tract. de Voluntate Dei a num. 72. usque ad num. 90. a nobis explicatur.

Ad confirmationem.

28 Ex quo ad confirmationem satis constat. Quoniam licet daremus ad cognitionem relationis debere præcedere cognitionem fundamenti, et termini (de quo alibi) nihilominus nihil contra nos, quoad præsens sequitur : quandoquidem, ut modo dicebamus, ad conceptum, et complementum intrinsecum actus liberi, nequaquam pertinet illa relatio rationis formaliter sumpta, et licet objectum futurum sit connotatum indispensabile decreti, quo Deus vult illud esse futurum, non tamen est connotatum antecedens, sed potius consequens, et illatum ex vi ejusdem actus liberi, ita ut non a priori, sed tantum a posteriori collegatur, quod non fuisset in Deo talis actus, si non fuisset tale objectum, seu si non fuisset talis res, ut futura : et ita non præcedit cognitio futuri ad cognitionem decreti ; sed potius e contra. Sicut licet creaturæ possibiles sint connotatum indispensabile divinæ potentiæ, sunt tamen connotatum subsequens, et illatum, non tamen antecedens. Et propterea ex impossibilitate omnium creaturarum colligeretur non a priori, sed a posteriori impossibilitas, et implicatio divinæ potentiæ, et cognitio possibilium non præcedit, sed subsequitur subsequutione alibi explicata, ad cognitionem omnipotentiæ. Sed hæc late in tract. citato de Voluntate Dei disp. 7. a num. 51. usque ad num. 58. explicantur.

§ VII.

Occurritur primo argumento, et ejus confirmationibus in favorem secundæ sententiæ quoad secundam ejus partem adductis.

29 Ad fundamentum secundæ sententiæ pro prima ejus parte non oportet responsum præbere : quia potius est pro nobis, quam contra nos.

Ad primum vero pro secunda ejusdem sententiæ parte ex variis D. Thomæ testimoniis conflatum, satis constat ex dictis, quomodo Sanctus Doctor admittat decretum prædiffinitivum, et efficaciter inferens futuritionem contingentium absolutorum respectu nostri ; ac proinde quomodo in illo possint certo cognosci. Unde licet dum agit de cognitione certa eorum, recurrat ad præsentiam eorundem in æternitate, negandum tamen est, non recurrere ibidem vel expresse, ut in locis a nobis citatis, vel virtualiter, et implicite ad prædictum decretum ; nam futura ista non fiunt præsentia in æternitate, nisi mediante decreto. Et ita licet ad assignandam certitudinem divinæ scientiæ non recurrat ad causas proximas prædictorum futurorum, ut non intelliguntur determinatæ per decretum (de qua sola determinatione in præsenti loquimur, non curantes an ex hoc decreto resultet in causis secundis aliqua alia determinatio, præcedens causalitatem earum, vel non : quia præcepto Sanctissimi Domini nostri Pauli V. cautum est, ne id, quoad auxilia, et prædeterminationes divinæ gratiæ, explicando qualis sit eorum efficacia, Typis mandetur) bene tamen ad ipsum decretum, hoc ipso, quod dicat, quod cognoscit illa, secundum quod sunt præsentia, non quidem in propria mensura adæquata eorum, sed in mensura æternitatis.

30 Unde omnia testimonia in hoc argumento

gumento adducta nihil nobis obsunt, sed potius prosunt. Quia decretum Dei est talis conditionis, ut sine eo nequant futura absoluta habere *esse* præsens in æternitate (de qua præsentia loquitur in eis D. Thom. ut intuenti constabit) et hoc ipso, quod illud ponatur, statim ponitur præsentia rei, quæ dicitur futura in æternitate, et omnia necessaria ad illam. Et propterea de divina essentia quatenus determinata per suum decretum est causa futuritionis rerum, non potest verificari id, quod in solutione illa ad 6. ultimo loco adducta Angelicus Doctor docet, nimirum : *Quod si vidisset Deus causam, et non vidisset immediate effectum in suo esse, nunquam potuisset illum certo scire :* quia licet aliæ causæ possint videri non viso simul immediate effectu in suo *esse;* non tamen divinum decretum, ut est causa futurorum absolutorum potest videri, quin simul immediate videatur effectus in suo *esse*, seu existens actu in mensura æternitatis.

Additamentum D Thom.

Addendum tamen, quod licet daremus D. Thomam, dum agit in particulari de cognitione futurorum, contingentium absolutorum, non recurrisse expresse ad decretum efficax divinæ voluntatis, adhuc tamen nihil inde contra nos. Nam idem Angelicus Doctor artic. 5. hujus quæst. egit universaliter de medio in quo Deus cognoscit omnes creaturas : et ibi docet videre illas in sua essentia, ut in causa illarum atque adeo cognoscere futura contingentia in eadem essentia, ut determinata per decretum, secundum quam rationem est causa eorum. Et ita non erat necessarium (quamvis id præstiterit, ut ex dictis constat) ut agens in particulari de cognitione futurorum contingentium, exprimeret medium, in quo ab eo cognoscuntur : sicut nec id erat necessarium, dum in particulari de cognitione aliorum agit.

Ad primam confirmationem

31 Ex quo ad primam confirmationem respondetur, D. Thom. loqui de futuris contingentibus absolutis : et de his docet non cognosci, ut futura, id est, ut sibi futura : sed ut futura nobis, et ut præsentia sibi. Ex hoc autem non sequitur, non posse ab eo certo cognosci in decreto efficaci suæ voluntatis : siquidem, ut modo dicebamus, decretum hoc est talis conditionis ut eo ipso, quod detur, extrahantur, modo supra insinuato, prædicta futura extra statum possibilitatis, et fiant futura nobis, et actu præsentia respectu Dei, et æternitatis ejus. Et ita cognosci in illo, est cognosci in ipso, ut habent simul, esse futura nobis, et præsentia æternitati ; non vero cognosci præcise, ut futura, Nam cognosci præcise, ut futura contingentia, et cognosci certo, repugnat.

Corollarium.

Ex quo etiam fit, quod si semel verum est, ex divino decreto resultare ad extra physicam quandam præmotionem, et prædeterminationem, per quam causæ secundæ etiam liberæ applicantur a Deo ad actus liberos, sive naturales, sive supernaturales (de quo in præsenti, ut jam innuimus, non disputamus), tunc in hac præmotione, seu in voluntate creata, ut per illam præmota, et æternitati præsente, poterit certo, et infallibiliter sciri, juxta mentem D. Thomæ futurum contingens liberum. Quia non prævidetur, ut futurum præcise ex vi talis causæ, sed futurum quoad nos, et simul ut præsens in æternitate : quia non stat, nec stare potest in sensu composito prædicta præmotio, cum carentia præsentialitatis actus, ad quem datur.

Ad secundam confirmationem.

32 Ad secundam confirmationem respondetur, per prophetiam comminationis revelari futura, ut habent esse in suis causis proximis determinatis, determinatione fallibili, necnon et in voluntate divina, secundum exigentiam talium causarum ; non tamen revelantur impedimenta, quæ possunt impedire causas proximas, et proveniunt ex voluntate Dei, ut considerat rationes superiores : ut constat in revelatione, qua Isaiæ revelavit mortem Ezechiæ attendendo ad naturalem ejus dispositionem, et ad id, quod exigebat voluntas divina, juxta exigentiam talis dispositionis, necnon et juxta exigentiam suæ justitiæ, qua volebat morte punire Ezechiam : eo quod non reddidit gratias Deo pro victoria de bello obtenta, et quia non duxerat uxorem, ut series David per Salomonem continuaretur, usque ad Nativitatem Christi. At vero hæc determinatio, et voluntas signi, quam habuit Deus respectu hujus mortis, impedita fuit ab eadem voluntate, ut respiciebat causas superiores, scilicet ut impleret Deus promissionem, quam fecerat domui David, ut ex progenie Salomonis nasceretur Christus : et quia Isaiæ non fuit revelata hæc causa impediens priores illas, ideo non cognovit mortem Ezechiæ in omnibus suis causis determinatis : et sic nihil mirum, quod talis prophetia non fuerit certo impleta. Secus tamen esset, si Isaias prædicens illud futurum, cognovisset ipsum in

efficaci decreto divinæ voluntatis : quo, attentis omnibus, absolute et efficaciter decrevit, quod Ezechias ex illa infirmitate convalesceret. Nam tunc salutem ejus posset certo prædicere, et certo impleretur illa prædictio per salutem, quam de facto acquisivit.

§ VIII.

Respondetur cæteris argumentis ejusdem sententiæ.

Ad secundum principale.

33 Ad secundum principale, concesso antecedenti, neganda est consequentia. Et ad probationem respondetur, esse disparem rationem. Quoniam voluntas creata secundum se, et præcise sumpta, ita est libera, ut non sit libero modo determinata infallibiliter ad unam partem, sed est indifferens ad utrumlibet sine prædicta determinatione. At voluntas, et essentia divina determinata per suum decretum habet determinationem liberam, et infallibilem ad unam partem, et ita in ea sic determinata possunt certo sciri futura contingentia, quæ per illam prædiffiniuntur.

Quomodo autem cum hac infallibili prædiffinitione stet libertas arbitrii creati, latius in tract. de Voluntate Dei art. 8. explicabitur : et ex dictis in hoc dubio num. 17. et 19. constat : siquidem forma (ut sic dicamus) decreti hæc est : *Fiat actus liber, verbi gratia conversio D. Petri libero modo, id est, ita ut licet re ipsa nunquam verificetur, quod non fiet, possit tamen non fieri, et id verificari.* Et ita ex qua parte efficaciter decernitur, quod fiat, fiet utique : et ex qua parte stabilitur, quod possit non fieri, fiet libero modo.

Ad confirmationem.

34 Ad confirmationem patebit etiam ex dicendis in tract. de Voluntate Dei disp. 10. num. 78. et deinceps, et constat ex dictis dub. 2. præcedentis disp. necnon et ex iis, quæ modo dicebamus, quomodo inter decretum, et futurum per illud præfinitum, sit connexio infallibilis, licet non necessaria necessitate simpliciter tollente libertatem : ex eo, quod non tollitur, sed potius decernitur, quod ita fiat prædictus actus, ut possit non fieri.

Animadversio.

Diximus : *Licet non necessaria, necessitate simpliciter tollente libertatem* : quia revera illa connexio est omnino necessaria, quatenus efficax Dei decretum, ratione suæ efficaciæ infinitæ, indispensabiliter petit subsequutionem rei per illud decretæ : attamen quia id, quod petit, est totum hoc conjunctum, nempe quod fiat actus voluntatis creatæ, et quod fiat libero modo, seu quod ita fiat, ut possit non fieri, propterea non læditur libertas, sed potius inde sequitur, esse omnino necessarium, actum illum liberum fieri libero modo. Nam sicut id, quod est fallibile, nequit esse infallibile; bene tamen potest esse infallibile, illud fore fallibile, ita liberum, ut tale, nequit esse necessarium : attamen necessarium est, ut id, quod est intrinsece liberum, fiat libero modo, et habeat rationem liberi.

Ad ultimum neganda est sequela. Et ad probationem, quod licet Deus non velit peccata formaliter sumpta ; vult tamen illa permittere : et insuper habet decretum efficax circa substantiam actus alias peccaminosi : et in istis decretis potest illa certo scire. Sed de hoc videantur ea, quæ in tract. de Volunt. Dei disp. 10. dub. 5. dicemus.

DUBIUM II.

Utrum juxta Scripturam, et Patres, præcipue vero D. Thomam, futura contingentia absoluta sint ab æterno realiter, et physice præsentia Deo in mensura æternitatis, et ratione hujus præsentiæ certo ab illo cognoscantur ?

35 Consulto in titulo non inquiritur absolute de præsentia æterna futurorum respectu æternitatis, sed juxta mentem Scripturæ, et Patrum, maxime vero Angelici Doctoris. Quia plures valde contendunt, præsentiam hanc non esse de mente Scripturæ, et Patrum, et peculiariter D. Thomæ. Unde quia hinc præcipua probatio hujus præsentiæ, ac proinde rationis, propter quam certo cognoscuntur a divino intellectu, pendet ; idcirco præsens dubium sigillatim, et majoris claritatis gratia ad hoc explicandum excitamus.

Sicut etiam data opera in eodem titulo addita est illa particula : *Realiter, et physice præsentia Deo.* Nam duplex est præsentia : alia objectiva, alia vero realis, et physica. Ad priorem tantum requiritur, quod res, quæ sic præsens dicitur, cognoscatur : quia proprium virtutis cognoscentis est trahere res ad se. Ad posteriorem vero

vero desideratur, ut res secundum suam veram essentiam, et existentiam sit vere præsens in aliqua vera duratione ; ita ut si per impossibile nulla esset possibilis cognitio, ratione cujus esset objective præsens virtuti cognoscitivæ, nihilominus revera esset secundum suam essentiam, et existentiam præsens in prædicta duratione.

Titulus ergo non de sola illa priori præsentia objectiva intelligendus est. Quia, ut ex dictis constat, Deus certo cognoscit futura contingentia absoluta, et ita non possunt non esse illi objective præsentia ; sed de præsentia posteriori, ita ut ex hac colligatur illa prior : ex eo, quod realis, et physica præsentia, quam ab æterno habent futura in æternitate, sit saltim, ut se tenet ex parte Dei, aliquo modo ratio cognoscendi prædicta futura. Et licet alii aliis verbis dubium hoc, quoad primam ejus partem excitent, nimirum an futura contingentia sint vere, et realiter futura respectu æternitatis, an vero semper sint præsentia illi realiter sumptæ, nihilominus uterque inquirendi modus in idem coincidit, ut intuenti constabit.

§ I.

Opinio negans

36 Partem negantem, quoad omnia, quæ in titulo continentur, sequuntur Suarez lib. 1. de scientia futurorum absolutorum cap. 7. Vazquez in præsenti, disp. 64. Arrubal disput 41. cap. 4. et alii plures, dub. sequenti referendi. Sententia hæc quoad primam ejus partem, nimirum prædictam præsentiam futurorum in æternitate non colligi ex Scriptura : imo oppositum juxta illam dicendum esse.

Primum argumentum.

Probatur primo. Nam Genes. 1. dicitur. *In principio* (id est, in tempore) *creavit Deus cœlum, et terram.* Et Psalm. 89. *Prius quam montes fierent, aut formaretur terra, et orbis : a sæculo, et usque in sæculum tu es Deus.* Ex quibus locis sequens deducitur argumentum. Nam, ut vides, et res dicuntur in tempore per creationem incœpisse, et Deum illas duratione præcedere ; sed hæc verificari non possent, si ab æterno res physice essent præsentes in æternitate : ergo solum objective, non vero physicæ sunt illi præsentes. Minor quoad priorem partem probatur. Quia res, quæ incipit esse per creationem, non supponitur cum aliquo *esse* ante illam ; sed ex nihilo fit : sed si ab æterno physice coexisteret æternitati, supponeretur ante creationem in tempore cum aliquo *esse* : ergo non potest verificari, quod talis res inceperit in tempore habere *esse* per creationem.

Quoad secundam vero partem patet etiam minor. Quia quando duo simul physice coexistunt, neutrum præcedit alterum duratione : ergo eo ipso, quod creaturæ essent ab æterno physice præsentes æternitati, et consequenter ipsi Deo, non posset verificari, quod docet Scriptura Deum scilicet illas duratione præcedere.

37 Secundo pro altera, nempe pro secunda ejusdem sententiæ parte, scilicet prædictam præsentiam futurorum non esse admittendam juxta mentem Patrum, sic arguitur. Nam dum Patres, et Concilia proferunt, solum Deum fuisse ab æterno, et cunctas creaturas incepisse in tempore, absolute loquuntur ; ergo sentiunt, res futuras non esse ab æterno præsentes Deo in æternitate : alioqui non debuissent absolute negare præsentiam rerum futurarum ab æterno, sed cum addito, nimirum in mensura nostri temporis.

Confirmatur. Confirmatur primo ex Concilio Nicæno in symbolo fidei, et ex Athanasio oratione 2. contra Arianos : ubi quando damnant tanquam impiam illam vocem Arii de Filio Dei intonantem : *Erat quando non erat*, volunt denotare aliquam mensuram durationis, in qua semper Filius Dei fuerit, non autem creaturæ : ergo cum hujusmodi mensura non sit alia nisi æternitas, consequens est, ut juxta mentem Concilii, et Athanasii, creaturæ futuræ non fuerint præsentes Deo in mensura æternitatis.

Alia confirmatio August Arrubal.

Confirmatur secundo ex duplici testimonio August. quod adducit Arrubal. Primum quidem in lib. 12. de Civit. Dei cap. 28. his verbis : *Si potentiam suam Deus a rebus substrahat, ita non erunt sicut antequam fierent, non fuerunt : ante dico æternitate, non tempore.* Secundum vero in serm. 11. de verbis Apostoli : ubi sic inquit : *Habet Deus electos apud semetipsum, non in eorum natura, sed in sua præscientia.* Si autem electi antequam essent in sua propria duratione, fuissent realiter, et physice præsentes in æternitate, tunc haberet illos apud se non solum in sua præscientia, sed etiam in eorum natura.

Posterior. Confirmatur tertio ex Isid. lib. de sum.

Confirmatio. Isidor. bono cap. 8. his verbis : *Si tempora semper essent Deo præsentia, non essent tempora, sed æternitas, quia non mutarentur, sed starent.*

Tertium. 38 Tertio pro tertia ejusdem sententiæ parte, nempe juxta Angelicum Doctorem non esse admittendam prædictam præsentiam realem, et physicam futurorum in æternitate, quæ sit ab æterno, sed tantum præsentiam objectivam, sic arguitur. Nam Sanctus Doctor postquam in hoc art. dixit, quod omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, statim ut explicaret, quænam esset hæc præsentia, addidit, quod sunt ab æterno præsentia illi. *Non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, ut quidam dicunt; sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate.* Ubi, ut vides, eatenus docet Angelicus Doctor futura esse Deo præsentia ab æterno, quia ejus intuitus fertur ab æterno super illa, seu (quod in idem redit) quia ab æterno cognoscit illa. Constat autem per hoc solum concedi præsentiam objectivam ratione cognitionis; non vero physicam, et realem, quæ ab æterno sit in æternitate.

Confirmatur primo. S.Doct. Confirmatur primo. Nam idem Angelicus Doctor infra quæst. 16. art. 7. ait, quod veritas non invenitur ab æterno, nisi solum in intellectu divino. *Quia solus intellectus divinus est æternus, et in ipso solum veritas æternitatem habet.* Si autem futura essent ab æterno realiter præsentia Deo in æternitate, tunc sicut ab æterno essent extra intellectum divinum præsentia Deo in æternitate, ita haberent extra illum veritatem æternam. Et quæst. 20. art. 2. ad 2. inquit : *Creaturæ ab æterno non fuerunt in Deo, amavit tamen eas ab æterno, quia cognovit eas ab æterno.* In quibus verbis aperte docet, quod solum ratione præsentiæ objectivæ, non vero præsentiæ physicæ fuerunt Deo ab æterno præsentes.

Et similiter 1. 2. quæst. 91. art. 1. ad 1. loquens de lege æterna, et explicans quomodo fuerit ab æterno, cum tunc nemini fuerit imposita, sic inquit : *Dicendum, quod ea, quæ in se ipsis non sunt, apud Deum existunt, in quantum sunt ab ipso cognita, et præordinata, secundum illud Roman. 4. qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.* Ubi aperte videtur sentire, res solum Deo esse præsentes, quatenus ab ipso cognoscuntur, et per consequens in *esse* objectivo, non vero physice, et realiter.

39 Confirmatur secundo. Nam si propter aliquam rationem futura contingentia essent ab æterno, juxta mentem D. Thom. præsentia Deo in mensura æternitatis, maxime quia ipse Sanctus Doctor sæpe inquit, æternitatem esse mensuram indivisibilem, et totam simul, ac infinitam, ut ex locis in hoc eodem dub. referendis patebit : sed hæc ratio est nulla : ergo, etc. Major videtur certa. Tum ex iis, quæ dub. sequenti dicemus; tum etiam : quia hoc ipso, quod æternitas sit indivisibilis, et tota simul, ac infinita, videtur, ut id, quod est futurum respectu nostri, nunquam sit futurum respectu æternitatis, sed præsens; alioqui esset futurum respectu totius æternitatis, et esset extra totam illam, et per consequens nunquam esset præsens : siquidem nequit dari præsentia creata alicujus rei, quæ sit extra totam æternitatem ambientem infinitam durationem, tam (ut sic dicamus) a parte ante, quam a parte post : sicut nequit esse eadem præsentia extra totum tempus imaginarium, quod eodem modo infinitum est.

Minor autem probatur. Tum quoniam ævum Angeli est duratio indivisibilis, et tota simul, ac infinita a parte post; et tamen futura contingentia habent rationem futurorum respectu ipsius, et non sunt illi præsentia usque dum actu sint in propria mensura : alioqui Angelus propria virtute posset illa cognoscere, sicut ea cognoscit, dum in propria mensura sunt præsentia, cujus oppositum communiter docent Theologi in materia de Angelis; tum etiam : quia licet æternitas sit tota simul, et habeat esse infinitam in ratione durationis, non tamen futura continentur in illa adæquate, sed inadæquate, et tanquam in mensura superexcedente : ergo non erunt illi coexistentia ab æterno, et usque in æternum : alioqui coexisterent ipsi adæquate, et non essent in ea, ut in mensura superexcedente.

Ultima tandem pars ejusdem sententiæ, scilicet præsentiam prædictam in æternitate, non posse conducere ad hoc, ut futura contingentia certo cognoscantur a Deo, ex aliis partibus jam probatis, evidenter sequitur : quandoquidem quod futura certo sint cognita a Deo ratione præsentiæ, quam ab æterno habent in mensura æternitatis, supponit hanc præsentiam esse possibilem.

§ II.

§ II.

Statuitur partem affirmantem esse de mente Scripturæ, et Patrum.

Assertio prima.

40 Dicendum tamen est primo, juxta mentem Scripturæ, futura contingentia absoluta esse ab æterno realiter, et physice præsentia Deo in mensura æternitatis, et ratione hujus præsentiæ a Deo certo cognosci. Ita omnes Doctores pro nostra sententia dubio sequenti referendi.

Animadversio.

Cæterum, antequam assertionem probemus, notandum est circa eam id, quod proportionabiliter circa assertionem dubii præcedentis notavimus, nempe, quod nolumus in secunda ejus parte diffinire, an Deus cognoscat certo futura contingentia absoluta in sua æternitate, aut ratione illius, tanquam objecti primarii, et quasi specificantis, quia, ut ibidem dicebamus, id ex dictis disp. 3. num. 43. hujus tract. constat; sed solum quod æternitas, ut se tenet ex parte Dei, conducit ex parte ipsius ad cognitionem certam futurorum contingentium absolutorum : atque adeo esse aliquo modo rationem, quare Deus illa certo cognoscat. Sicut etiam (id, quod ex præcedenti sequitur) hæc eadem præsentia, ut se tenet ex parte prædictorum futurorum, est conditio ad hoc, ut ex parte sua quodammodo terminent prædictam cognitionem.

Prior probatio assertionis.

Et licet assertio hæc uberiori adhuc indigeat explicatione : quia tamen dub. sequenti explicabitur, ubi non tam de mente Scripturæ, et Patrum, quam de re ipsa secundum se agemus, ideo hoc in sequens dubium remittimus.

41 Posterior ergo hujus assertionis pars ex priori aperte sequitur, ut ex se patet : et ex statim dicendis magis constabit. Prior autem probatur. Tum ex illo Job. 14. *Numerus mensium ejus apud te est,* id est, nunquam respectu tui menses mei sunt futuri; sed semper præsentes, et stantes : ex eo, quod *esse* tuum æternitate mensuratur. Unde D. Gregor. 12. Moral. cap. 1. exponens hæc verba, inquit : *Quoniam apud omnipotentem Deum etiam labentia stant, apud eum esse numerum nostrorum mensium perhibet.* Constat autem non posse labentia stare, nisi quatenus ea, quæ successive fiunt, stabiliter sunt Deo præsentia ab æterno in mensura suæ æternitatis.

Idem etiam colligitur ex illis verbis Ecclesiast. 39. *Opera omnis carnis coram illo a sæculo, et usque in seculum respicit, et nihil est mirabile in conspectu ejus.* Ubi duo asseruntur. Primum est, quod omnia opera nostra sunt ei præsentia ab æterno : quod denotatur per illam particulam, *Coram illo a sæculo.* Secundum est, quod ab æterno percipit illa intuitive : hoc enim significatur per illam particulam *respicit,* et per id, quod statim subjungitur. nimirum : *Nihil est mirabile in conspectu ejus.* Ubi etiam expendendum est, Tum quod primo loco posita est præsentia operum nostrorum in æternitate. Deinde notitia intuitiva Dei respectu eorum, ut denotaretur, quomodo hæc præsentia, saltim quatenus se tenet ex parte Dei, sit aliquo modo ratio cognoscendi certo opera nostra, quæ apud nos sunt futura; et ut se tenet ex parte eorundem operum, est conditio ad hoc, ut ex parte sua quodammodo prædictam cognitionem infallibilem terminent.

Tum etiam, quomodo hoc ipso, quod dicatur, Deum ab æterno cognoscere intuitive opera nostra, ibidem innuitur esse ab æterno realiter, et physice ei præsentia : quandoquidem valde probabile est in via S. Doct. quod prædicta præsentia ad notitiam intuitivam omnino desideratur, ut ex iis, quæ in hac eadem disp. a num. 59. usque ad 62. dicemus, amplius patebit.

42 Idem etiam probatur ex illo ad Hebræos 1. ubi de Filio Dei dicitur : *Per quem fecit et secula.* In sæculis autem quædam sunt præterita, quædam futura : sed omnia dicuntur esse facta a Deo : quoniam in æternitate omnia sunt præsentia : alioqui enim verificari non posset omnia illa jam esse facta. Item etiam Isaiæ 45. id, quod ibidem significatur ut futurum, dicitur esse creatum a Deo : futura autem dicuntur facta a Deo, quia in æternitate ejus omnia sunt præsentia, tanquam facta, nec respectu illius est aliquid futurum, aut præteritum; quamvis aliquid dicatur præteritum in ordine ad unam partem temporis nostri, et futurum in ordine ad aliam.

Denique pro hac sententia est notandus locus Apost. ad Rom. 4. ubi dicitur de Abraham : *Patrem multarum gentium posui te ante Deum, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.* Ubi per hoc, quod dicitur *ante Deum,* explicat, quod dixerat de præterito, *posui te.*

Etenim licet illud esset futurum; qui, tamen in æternitate Deo erat præsens, ideo dixit, *posui te*. Et rationem subdit, cum ait : *Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt*, quasi diceret, ideo de futuro loquitur per modum præsentis, quoniam futura sunt Deo præsentia in æternitate : et eodem modo intuetur, quæ sunt facienda in tempore nostro, si cut quæ facta sunt, aut fiunt. Sic explicat locum illum Apost. S. Ambrosius, et alii plures Doctores Sancti.

Assertio secunda.

43 Dicendum est secundo, juxta mentem Sanctorum Patrum, futura contingentia esse Deo ab æterno realiter, et physice præsentia in mensura suæ æternitatis; et ratione hujus præsentiæ certo ab ipso cognosci. Ita authores nuper relati. Prior pars, ex qua posterior satis colligitur, probatur primo. Quia eam docent August. lib. 83. quæst. quæst. 17. et 4. de Trinit. cap. 17. et lib. 5. cap. 16. *Apud Deum nec præterita transierunt, et futura jam facta sunt.* Ricardus de Sancto Victore lib. 2. de Trinit. cap. 23. hoc ipsum tuetur, his verbis : *Sicut eorum, quæ nondum sunt, nihil est Deo futurum : sic eorum omnium, quæ jam non sunt, nihil est præteritum : sic eorum omnium, quæ jam præsentialiter sunt, nihil est ei transitorium.* Petrus Damianus tom. 3. Bibliothecæ epist. 4. de Dei omnipotentia cap. 8. *Omnia* (inquit) *quæ apud nos per temporum vicissitudines se variant, apud illud hodie* (scilicet æternitatem) *stant, et immobiliter perseverant. In illo scilicet hodie : dies adhuc ille immobilis est, in quo mundus iste sumpsit originem : in illo jam, et ille nihilominus est, quo indicandus est.* Et infra : *Unde fit, ut in æternitate ejus omnia fixa permaneant, quæ non fixa extrinsecus sæculorum volumina indesinenter emanant. Deo quippe dies una, est æternitas sua : quam videlicet diem nec fine claudi, nec initio videt aperiri.*

Prima probatio.

Et tandem hoc ipsum docuerunt Greg. lib. 20. Moral. cap. 23. Boeth. lib. 5. de consolatione prosa ult. Ansel. lib. de casu diaboli cap. 21. et lib. de concordia præscientiæ, et prædest. cap. 1. Ambr. lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 7. Isid. lib. 1. de summo bono cap. 6. Prosper de vocatione gent. cap. 34. Basilius cap. 3. Isaiæ, Hilarius 10. de Trinit. et alii plures. Sed hæc amplius in sequenti probatione elucidabuntur, ubi etiam evasiones adversariorum præcludentur.

44 Secundo principaliter probatur eadem assertio quoad utramque partem. Quoniam Sancti Patres in hoc unum conspirant, nempe non esse in Deo proprie, et in rigore præscientiam futurorum contingentium absolutorum : sed tantum metaphorice, eo proportionali modo, quo pœnitentia ipsi attribui solet. Et rationem reddunt, ex eo, quod præscientia est futurorum scientia, et nihil ex iis, quæ in decursu temporis existunt, est Deo futurum : ergo aperte sentiunt futura esse ab æterno Deo præsentia physice, et realiter in mensura suæ æternitatis : ac proinde ratione ejusdem præsentiæ, infallibiliter, et certo ab illo cognosci. Utraque consequentia est perspicua : alioqui enim nihil obesset, quominus essent respectu Dei futura, et respectu eorundem esset in Deo præscientia proprie sumpta, ut intuenti patebit.

Antecedens autem probatur. Quia illud docent Aug. lib. 2. ad Simplicianum quæst. 2. *Quid est præscientia, nisi scientia futurorum? quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora?* Boëthius lib. 5. de consolatione prosa ult. dicens : *Omnia quæ jam generantur in sua simplici cognitione considerat. Nam si præscientiam pensare velis, qua cuncta dignoscit, non esse præscientiam, quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantis æstimabis.* Greg. lib. 2. moral. cap. 25. his verbis : *Quomodo est præsciens Deus, dum illa, quæ futura sunt, præsciuntur; et scimus, quod Deo futurum est nihil, ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, et futura non veniunt.* Anselmus opusculo de concordia liberi arbitrii, et prædestinat. cap. cit. Hugo de S. Victore in summa sententiarum tract. 1. cap. 12. Bernard. serm. 80. in Cant. et Hilar. 12. de Trinitat. ac tandem alii plures.

45. Quæ ratio est adeo efficax, ut ea sola omnes evasiones adversariorum evanescant. Nam in primis, quod dicunt aliqui ex illis, nimirum Sanctos Patres solum loqui de præsentia objectiva, non vero reali, et physica in æternitate, ex dictis in eadem ratione facile corruit. Nam sola præsentia objectiva nequit auferre præscientiam proprie dictam, nec tollit rem, quæ cognoscitur, esse vere futuram respectu cognoscentis : at Patres tollunt

tollunt a Deo præscientiam proprie dictam respectu futurorum absolutorum, et negant esse futura respectu ipsius : ergo non solum loquuntur de præsentia objectiva, sed de præsentia physica, et reali, respectu æternitatis, per quam ei ab æterno coexistant. Consequentia satis videtur constare.

Major autem quoad priorem ejus partem etiam constat. Tum ex se ipso : quoniam præsentia objectiva nihil est aliud, quam rem actu objici cognoscenti. Quare cum hoc ipsum indispensabiliter involvatur in hoc, quod est rem aliquam præsciri, nequivit id rationem præscientiæ tollere ; tum etiam : quia Prophetæ (juxta probabilem multorum sententiam, de cujus majori, vel minori probabilitate nihil modo) habent præscientiam futurorum absolutorum proprie, et simpliciter dictam, et nihilominus sunt illis objectivæ præsentia : siquidem cognoscunt illa antequam sint.

Quoad secundam vero partem etiam constat. Tum in eisdem Prophetis, respectu quorum prædicta futura absoluta, juxta hunc modum dicendi, habent rationem futurorum, quamvis, ut dicebamus, cognoscantur ab illis ; tum etiam : quia per hoc præcise, quod cognoscatur aliquid die hodierna, non tollitur, quod revera sit futurum, ac proinde ex hoc, quod aliquid præcise habeat præsentiam objectivam in intellectu alicujus, non tollitur quominus possit habere rationem futuri respectu ejusdem.

Ana evasio Arrub.

46 Et similiter id, quod respondet Arrubal in præsenti, disputat. 41. cap. 9. nempe Patres solum loqui de præscientia, quæ est secundum ordinem successionis præteriti, et futuri, atque adeo de præscientia, quæ ita sit prior suo objecto, ut eo adveniente evanescat ; non tamen de præscientia proprie dicta, et secundum durationem permanente, id est, de scientia, quæ simul habeat antecedere existentiam objecti, et non transire eo adveniente, sed eidem coexistere. Hæc igitur solutio ex iis, quæ in hac ratione diximus, non difficulter corruit. Nam, ut ex testimoniis Patrum constat, ea solum ratione denegant Deo præscientiam proprie dictam respectu futurorum absolutorum : quia nullum ex his futuris potest habere rationem futuri respectu ipsius, ex eo, quod supergreditur omnia tempora, quæ mensuratur æternitate. Hæc autem ratio semper manet in sua vi, etiam si admittatur præscientia permanens, proprie dicta, quæ antecedat ordine durationis existentiam prædictorum futurorum in mensura æternitatis, et cum eis coexistat, ut ex se patet : ergo prædicta præscientia a Patribus Deo denegatur.

Repetitur.

Additamentum.

47 Accedit primo, prædictam præscientiam, quam Arrubal admittit, vocari ab eo, et merito præscientiam proprie dictam. Cum tamen Patres hoc unanimiter proclament, nempe non esse in Deo talem præscientiam proprie sumptam, respectu prædictorum futurorum.

Aliud.

Accedit secundo, quod hoc ipso, quod negetur Deo prior illa præscientia, quæ est secundum ordinem successionis præteriti, et futuri, quæque transeat, hoc ipso, quod res futura sit jam præsens, oportet etiam ei denegare hanc secundam præscientiam proprie dictam, quæ permaneat etiam si futurum transeat de futuro in præsens, secundum realem, et physicam existentiam. Et ratio videtur aperta. Quia, ut in hac eadem disputat. num. 100. et deinceps dicemus, hoc ipso, quod aliquid habeat rationem futuri respectu alicujus cognitionis, necesse est, ut adveniente præsentialitate futuri, et per consequens desinente illo in ratione futuri respectu talis cognitionis desinat cognitio, qua, ut futurum respectu illius cognoscebatur : alioqui illa cognitio non esset vera : et per consequens nec eadem cum illa, quæ antea præexistebat, quæque omnimodam veritatem habebat.

Postrema solutio Vazq.

48 Ex quo tandem manet impugnata expositio Gabr. Vazquez, ubi supra, asserentis præscientiam proprie sumptam involvere imperfectionem : et ita in hoc sensu Patres illam Deo denegarunt.

Impugnatur.

Nam contra hoc est, quod licet præscientia proprie sumpta respectu futurorum absolutorum dicat imperfectionem ; hæc tamen imperfectio, propter quam a Patribus Deo denegatur, nulla est alia, ut ex citatis eorundem testimoniis liquet, nisi quia prædicta futura non possunt habere rationem futurorum respectu Dei, et intellectionis illius mensuratæ æternitate (alioqui æternitas non esset duratio indivisibilis, tota simul, et infinita, ut ex dicendis numero 89. et sequentibus hujus disputat. patebit) ad præscientiam autem requiritur, quod non sit respectu rei præsentis, sed futuræ ; ergo quamvis Patres

propter imperfectionem præscientiæ respectu prædictorum futurorum, denegent illam Deo in ordine ad ipsa, non inde tollitur, sed potius ponitur, ipsos sentire, quod futura contingentia sunt ab æterno realiter præsentia respectu Dei in mensura suæ æternitatis.

49 Ex quibus omnibus manet etiam solutum id, quod adversarii objiciunt, nimirum multoties in scriptura tribui Deo præscientiam, ut Sapientiæ 19. *Præsciebat Deus futura illorum.* Et ad Roman. 8. *Quos præscivit, et prædestinavit.* Et cap. II. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Et 1. Petri 1. necnon Actorum 2. Quod etiam asserit Aug. 5. de civit. cap. 8. et 9. et Magister sentent. in 1. dist. 36. et 38. Respondetur enim ex dictis, in Deo esse præscientiam respectu futurorum, quæ non sit proprie, et formaliter talis, sed solum metaphorice, eo sane proportionali modo, quo pœnitentia ei attribui solet.

§ III.

Stabilitur eandem partem affirmativam esse de mente Angelici Doctoris.

Assertio tertia.

50 Dicendum est tertio, futura contingentia absoluta, juxta mentem D. Thom. habere prædictam præsentiam respectu æternitatis : et ratione hujus certo, et infallibiliter a Deo cognosci. Assertionem hanc tuentur omnes Doctores pro præcedentibus relati, quosque sigillatim num. 79. hujus disp. adducemus.

Probatur primo.

Primum, et non parum efficax pro hac assertione testimonium est illud ipsum, quod adversarii pro se adducunt, nimirum id, quod Sanctus Doctor in corpore articuli præsentis docet. Nam ex eo concludit, quod ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate, atque adeo sunt ei objective præsentia, quia sua cognitio mensuratur æternitate, sicut suum *esse*, et æternitas tota simul existens ambit omne tempus : et ita intuitui divino debent omnia esse præsentia, eo modo, quo sunt præsentia æternitati; ita ut sicut respectu ipsius æternitatis non habent futura contingentia esse realiter, et physice futura, sed præsentia, sic hoc ipsum habeant respectu divini intuitus, ut æternitate mensurati.

51. Unde ad hoc explicandum, sequentia verba Angelicus præceptor protulit : *Licet contingentia fiant in actu successive, non tamen Deus successive cognoscit contingentia, prout sunt in suo esse, sicut nos, sed simul.* Et reddit rationem : *Quia sua cognitio mensuratur æternitate, sicut etiam suum esse : æternitas autem tota simul existens ambit totum tempus, ut supra dictum est.* Et ex hoc statim infert : *Unde omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, ut quidam dicunt, sed quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate.* Et ex his rursus colligit : *Unde manifestum est, quod contingentia et infallibiliter a Deo cognoscuntur, in quantum subduntur divino conspectui secundum suam præsentialitatem, et tamen sunt futura contingentia suis causis comparata.*

Explicatur, et expenditur vis hujus testimonii, et quomodo nequeat de sola præsentia objectiva, ut adversarii intendunt, intelligi. Tum quia Sanctus Doctor in verbis immediate antecedentibus dixerat, futurum contingens in quantum hujusmodi, id est, ut præcise habet contingentem futuritionem in sua causa, non esse certo cognoscibile, et inde statim colligit, cognosci certo a Deo, in quantum ejus intuitus fertur in illud ut præsens, ex eo, quod prædictus intuitus mensuratur æternitate, et æternitas tota simul existens ambit omne tempus : ergo Sanctus Doctor nequit commode explicari de sola præsentia objectiva. Patet consequentia. Quia alioqui simul implicantia involveret, dum simul diceret, futurum contingens non posse in ratione talis certo cognosci, et nihilominus esse ex se certo cognoscibile : siquidem præsentialitas objectiva, ut distincta a vera, et reali præsentialitate physica, nihil est aliud, quam objectum illud, ut habet certam cognoscibilitatem. Quare cum Angelicus Doctor denegaverit futuro contingenti, ut tali, seu ut manet sub ratione futuri, quod sit certo cognoscibile, etiam denegavit ei præsentialitatem objectivam, et per consequens, ad ejus certam cognoscibilitatem recurrendum erit ad existentiam ipsius physice, et realiter præsentem in mensura æternitatis, secundum quam respectu illius extrahitur a ratione futuri.

52 Tum etiam : quia ideo colligit S. Doctor, Deum cognoscere infallibiliter prædicta futura, et ejus intuitum ferri in illa, ut præsentia, quia talis intuitus mensuratur æternitate, et æternitas tota simul existens ambit omne tempus; ac proinde

omnia

omnia tempora, sive præsentia, sive præterita, et futura sunt ei actu præsentia, ut dubio sequenti latius dicemus : ergo non loquitur de sola præsentia objectiva : siquidem, quod futura, sint præsentia solum objective divino intellectui, non convenit ei ratione æternitatis, sed ratione sui, intra propriam lineam præcise considerati : ex eo, quod intra prædictam lineam habet infinitam perfectionem. Unde vel æternitas non potest esse ratio divino intuitui alicujus præsentiæ ab æterno ad futura, vel solum potest esse rei ratio præsentiæ realis, et physicæ. Nam cum ex vi suæ lineæ non sit cognoscitiva, fit inde, ut sicut non potest esse radix cognoscendi, ita nec præsentiæ objectivæ, per quam ab æterno sit præsens futuris, tanquam objectis cognitis, ac proinde solum poterit ab æterno esse ratio præsentiæ physicæ, et realis ad illa.

Tum deinde : quia alioqui futura contingentia non solum respectu nostri ; sed etiam respectu Dei haberent rationem futurorum, quandoquidem quod aliquid sit solum objective præsens respectu alterius, non tollit quominus respectu illius vere, et realiter sit futurum : et tamen D. Thom. ex eo, quod intuitus Dei fertur in futura, ut in rempræsentem, ex eo, quod talis intuitus æternitate mensuratur, colligit, talia futura non esse futura respectu Dei, sed solum respectu nostri.

53. Tum denique : quia si D. Thom. solum ageret de præsentia objectiva, non vero simul de præsentia physica, et reali, consequens esset, ut dum reddidit rationem, propter quam futura contingentia cognoscuntur ab æterno a Deo, ex eo, quod ejus intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate, et quia omnia sunt æternitati præsentia, tunc manifestam commisisset nugationem, et petitionem principii. Nam cum idem sit, futurum contingens esse ab æterno præsens objective respectu Dei, ac cognosci ab æterno ab illo; idem esset dicere, quod contingentia cognoscuntur ab æterno a futura Deo, quia sunt ei præsentia objective, seu prout sunt in sua præsentialitate objectiva, ac dicere, quod cognoscuntur ab æterno a Deo, quia cognoscuntur ab illo.

Additamentum.

54 Accedit, quod adhuc præcise in illis verbis, quæ pro se adducunt adversarii, nimirum : *Omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, sed quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate,* denotatur hæc præsentia realis, et physica, quam ab æterno habent futura respectu æternitatis. Tum quia S. Doct. consulto non dixit : *Sed quia ejus cognitio, etc.* Sed dixit : *Sed quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate* : ut significaret, hanc cognitionem esse intuitivam, atque adeo esse rei præsentis realiter, et physice in eadem mensura æternitatis, in qua existit intuitus divinus : siquidem in via S. Doctoris, hæc præsentia requiritur ad cognitionem intuitivam Dei, ut ex dicendis in ultimo testimonio pro hac assertione amplius patebit.

Tum etiam : quia, ut constat ex iis, quæ in hoc eodem tract. disp. 5. dub. 2. et 3. diximus, scientia visionis, seu intuitiva Dei, est causa rerum, et ita perinde est dicere, quod Dei intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate, ac asserere, quod causat illa, tribuitque eis *esse* præsens, non quidem respectu nostri temporis, sed respectu æternitatis, tanquam mensuræ superioris, respectu cujus debet esse actu præsens quidquid respectu nostri futurum est : quandoquidem, ut modo innuebamus, totum hoc ad scientiam visionis desideratur.

Amplior expensio ejusdem testimonii.

55 Confirmatur, et expenditur magis prædictum testimonium ex aliis ejusdem Sancti Doctoris verbis, in quibus explicat id, quod in hoc art. docuerat, et reddit rationem, quare futura contingentia sint nota Deo, non vero Angelo, ex eo, quod sunt præsentia durationi divinæ, non vero Angelicæ. Et ita ibidem denotat has duas præsentias eorundem futurorum, nimirum objectivam, necnon physicam, et realem in ordine ad Deum, et utramque eisdem futuris in ordine ad Angelum denegat. Verba autem ejus aurea habentur infra quæst. 57. artic. 3. *Deus* (inquit) *videt omnia in sua æternitate : quæ cum sit simplex, toti tempori adest, et ipsum concludit. Et ideo unus Dei intuitus fertur in omnia, quæ aguntur per totum tempus, sicut in præsentia ; et videt omnia, ut in se ipsis sunt, sicut supra dictum est, cum de Dei scientia ageretur. Angelicus autem intellectus, et quilibet intellectus creatus, deficit ab æternitate divina. Unde*

non potest ab aliquo intellectu creato cognosci futurum, ut est in suo esse.

Probatur secundo eadem assertio. D. Thom.

56 Secundum, et principale testimonium pro assertione habetur apud Sanctum Doctorem 1. contra Gent. cap. 66 ratione 6. ubi ex præsentia rerum in æternitate, colligit præsentiam earundem respectu divinæ cognitionis, æternitate mensuratæ : et simul addit, quod res ipsæ simul præsentes respectu æternitatis, et divinæ cognitionis non sint inter se præsentes. Si autem solum loqueretur de præsentia objectiva, non solum cunctæ res futuræ, essent simul præsentes respectu divinæ cognitionis, sed etiam respectu sui ad invicem : siquidem omnia habent simul esse objective præsentia divino intellectui. Unde sicut futura ab æterno cognoscerentur esse futura respectu divinæ naturæ, et divinæ cognitionis, et nihilominus haberent simultatem objectivam ab æterno cum illa, quia simul cum ea cognoscuntur, sic licet aliquà cognoscerentur esse futura, aut præterita respectu aliorum, nihilominus propter eandem rationem haberent simul simultatem objectivam ad invicem.

Confirmatur eadem Sancto Doctore in 1. dist. 38. quæst. unica art. 5. in corpore, his verbis : *Omnis cognitio est secundum modum cognoscentis. Cum igitur Deus sit æternus, oportet, quod cognitio ejus, modum æternitatis habeat, qui est esse totum simul sine successione. Unde sicut quamvis tempus sit successivum, tamen æternitas ejus est præsens omnibus temporibus, una, et eadem, et indivisibilis, ut nunc stant, ita et cognitio sua intuetur omnia temporalia (quamvis sibi succedentia) ut præsentia sibi; nec aliquid eorum est futurum respectu ipsius ; sed unum respectu alterius.* Et tandem concludit : *Cum ergo Deus uno æterno intuitu non successivo omnia tempora videat, omnia contingentia in temporibus diversis ab æterno præsentialiter videt, non tantum ut habentia esse in cognitione sua.*

Confirmatur eadem Sancto Doctore in 1. dist. 38. quæst. unica art. 5. in corpore, his verbis : *Omnis cognitio est secundum modum cognoscentis. Cum igitur Deus sit æternus, oportet, quod cognitio ejus, modum æternitatis habeat, qui est esse totum simul sine successione. Unde sicut quamvis tempus sit successivum, tamen æternitas ejus est præsens omnibus temporibus, una, et eadem, et indivisibilis, ut nunc stant, ita et cognitio sua intuetur omnia temporalia (quamvis sibi succedentia) ut præsentia sibi; nec aliquid eorum est futurum respectu ipsius ; sed unum respectu alterius.* Et tandem concludit : *Cum ergo Deus uno æterno intuitu non successivo omnia tempora videat, omnia contingentia in temporibus diversis ab æterno præsentialiter videt, non tantum ut habentia esse in cognitione sua.*

Confirmatur Aug. Doct.

Expensio prior præcedentis testimonii.

57. In quo testimonio triâ expendenda sunt. Primum est id, quod supe in aliis notavimus, scilicet, quod in eo Sanctus Doctor distinguit duplicem futurorum præsentiam : aliam quidem respectu æternitatis ; aliam vero respectu cognitionis æternitate mensuratæ : et ex illâ priori colligit hanc posteriorem : et per consequens falsum est, quod adversarii intendunt, non aliâ ratione affirmari a Sancto Doctore, quod futura sunt præsentia æternitati, nisi quia ab æterno ab eo cognoscuntur, seu sunt ei præsentia objective.

Secundum est, quod ex eo, quod omnis cognitio est secundum modum cognoscentis, et Deus est æternus, colligit Sanctus Doctor, divinam cognitionem debere habere modum æternitatis ; ac proinde debere prædictæ cognitioni ita esse præsentia, sicut sunt præsentia æternitati per præsentialitatem eidem æternitati correspondentem. Si autem futura non essent ab æterno præsentia æternitati in ipso *nunc* æternitatis, sed solum successive dum existunt, non posset inde colligi, Deum ab æterno intueri omnia futura, sed potius oppositum inde colligendum est : siquidem, ut Sanctus Doctor docet, cognitio divina, quoad hoc ; quod est ferri in futura, et esse eis præsentem, debet habere modum illum præsentiæ, quem æternitas respectu eorum habet.

Ali

Tertium est, Angelicum Doctorem concludere, Deum uno æterno intuitu, non successivo videre præsentialiter omnia contingentia, in temporibus diversis existentia, non tantum ut habentia *esse* in cognitione sua : ubi ultra prædictam præsentiam in cognitione sua, quæ non est alia, quam præsentia objectiva, tribuit prædictis futuris alteram respectu Dei. Hæc autem, ut constat, nequit esse alia præter realem, et physicam præsentiam in æternitate.

Pos

58 Ultimo probatur eadem assertio optimo testimonio ejusdem Sancti Doctoris art. 9. hujus quæst. ubi loquens de iis, quæ Deus cognoscit scientia visionis, inquit : *Horum, quæ actu non sunt, est attendenda quædam diversitas. Quædam enim, licet non sint nunc in actu, tamen vel fuerunt, vel erunt : et omnia ista dicitur Deus scire scientia visionis. Quia cum intelligere Dei, quod est ejus esse, æternitate mensuretur, quæ sine successione existens totum tempus comprehendit, præsens intuitus Dei fertur in totum tempus, et in omnia, quæ sunt in quocunque tempore, sicut in subjecta sibi præsentialiter. Quædam vero sunt, quæ sunt in potentia Dei, vel creaturæ, quæ tamen nec sunt, nec erunt, neque fuerunt. Et respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ. Quod ideo dicitur, quia ea, quæ videntur apud nos, habent esse distinctum extra videntem.*

59 In quo testimonio duo expendenda sunt. Primum est id, quod in aliis testimoniis

D
p
dera

In præcedenti testimonio.

moniis notavimus, nimirum D. Thomam non dixisse, res omnes esse præsentes Deo, et illius æternitati, quia illa intuetur; sed e contra, ideo intueri tempus, et ea, quæ sunt in tempore, quia æternitas ejus totum tempus comprehendit : ut ita explicaret, quomodo ista præsentia non fundatur in cognitione, et per consequens non est solum objectiva, sed in continentia ipsius æternitatis, quæ formalissime loquendo non est continentia cognitionis : siquidem æternitas non continet tempus cognoscendo, sed mensurando : et si per impossibile Deus non esset cognoscens, nihilominus ejus æternitas contineret tempus, tanquam mensura superior, ita ut omnes differentiæ ipsius essent illi actu, et ab æterno præsentes propter suam summam simplicitatem, et immutabilitatem, ut ex dicendis dubio sequenti, amplius constabit.

Secundum est, Sanctum Doctorem reddere rationem, quare scientia possibilium, quæ nunquam erunt, est simplicis intelligentiæ, et non visionis, ex eo, quod *Ea, quæ videntur apud nos, habent esse distinctum extra videntem* : ut etiam per hoc denotaret, quod res quæ videntur per scientiam visionis, non solum debent habere *esse*, seu præsentiam objectivam, sed etiam præsentiam realem. Nam sola præsentia objectiva, tantum est præsentia cognitionis : hæc autem non est præsentia, per quam res cognitæ habent *esse* distinctum extra cognoscentem, seu videntem : cum tamen valde probabile sit, quod præsentia requisita ad visionem, juxta D. Thomam, debeat esse talis, ut per eam res visa habeat *esse* distinctum extra videntem : ac proinde debeat etiam esse præsentia realis, et physica, et non objectiva tantum.

Confirmatur Aug. Bæt. Capreol.

60 Quæ tandem omnia confirmari possunt ex pluribus aliis testimoniis D. Thom. quæ refert Capreolus in 1. dist. 38. et dist. 36. art. 2. peculiariter vero ex 1. contra Gent. cap. 66. et quæst. 2. de Verit. art. 12. ubi sic inquit : *Tunc aliquid cognoscitur ut futurum, quando inter cognitionem cognoscentis, et rei eventum invenitur ordo præteriti ad futurum. Hic autem ordo non potest inveniri inter cognitionem divinam, et quamcunque rem contingentem, sed semper ordo divinæ cognitionis ad rem quamcunque, est sicut præsentis ad præsens.* Quæ verba sic expendi possunt. Nam ordo præteriti ad futurum, qui debet esse, juxta mentem Sancti Doctoris, inter cognitionem, et eventum futurum, ad hoc; ut cognoscatur ut futurus, non est in *esse* objectivo, seu cognito; nam cum cognoscitur, quod crastina die, v. g., erit lectio, tunc non potest talis lectio non esse præsens objective illi cognitioni; sed loquitur de ordine præteriti ad futurum, secundum *esse* physicum, et reale : et ita cum negat posse inveniri ordinem præteriti ad futurum inter divinam cognitionem, et quemcunque effectum futurum, intelligitur de eodem ordine præteriti ad futurum secundum prædictum *esse* reale : ac proinde cum inquit, divinam cognitionem semper habere ordinem ad rem quamcunque (intellige futuram, de qua in præsenti loquitur) sicut præsentis ad præsens, intelligitur de ordine præsentiæ realis, et physicæ inter cognitionem Dei, et eventum, quoad nos futurum.

Unde, ut Sanctus Doctor hoc ipsum magis explicaret, addidit : *Difficultas autem in hoc accidit, eo quod divinam cognitionem significare non possumus, nisi per modum nostræ cognitionis significando differentias. Si enim significaretur, ut est Dei scientia, magis deberet dici, quod Deus scit hoc esse, quam quod sciat futurum, quia sibi nunquam sunt futura, sed semper præsentia.*

Profecto si futura realiter, et physice haberent rationem futurorum in comparatione ad Deum, nequiret hæc difficultas provenire, ex eo, quod cognitionem Dei significare non valemus, nisi per modum cognitionis, notando differentias temporis; quamvis si significaretur, ut est in se, deberet aliter significari. Quoniam potius divina scientia posset, et deberet ut est in se vere significari, notando prædictas differentias; ita ut sicut nostra cognitio terminatur ad illa, quæ vere sunt præterita, præsentia, et futura respectu illius, et notando has differentias temporis vere significatur, sicque debet significari; ita hoc ipsum cum proportione de divina scientia dicendum esset.

61 Et similiter, si aliquid esset revera futurum respectu prædictæ cognitionis Dei, non esset cur, si significaretur, ut est Dei scientia, magis deberet dici, Deus scit hoc esse, quam quod sciat futurum : siquidem sicut futura, quando postea sunt, habent esse realiter præsentia Deo, ita dum non sunt præsentia in sua temporis differentia, haberent esse realiter futura respectu illius, et solum objective essent ei præsentia. Et sicut Dei scientia, ut est in se, cog-

noscit illa esse præsentia, ita cognoscet esse futura : et per consequens significata tali scientia, ut est, significaretur etiam, tam ut cognoscens præsens, quam ut attingens futurum. Et tandem si futura solum objective essent Deo præsentia, non esset (ut supra dicebamus) cur absolute diceretur, Deo nunquam esse futura : siquidem sola præsentia objectiva hoc non tollit, ut in nobis cernitur.

§ IV.

Solvuntur argumenta oppositæ sententiæ.

Ad primum

62 Ad primum neganda est minor, quoad utramque partem. Et ad probationem primæ, concessa majori, neganda est minor. Nam res non habet *esse* in æternitate, nisi pro illa temporis differentia, in qua producitur : quam tamen ab æterno divina æternitas actu ambit, ut dub. sequenti latius explicabimus : ac proinde talis res non supponitur cum *esse*, antequam in tempore producatur : quia ipsamet temporis differentia, in qua producitur, est in æternitate præsens ab æterno pro sua etiam propria duratione.

Ad probationem vero secundæ partis illius minoris respondetur, distinguendo antecedens, et concedendo illud de coexistentia duorum in aliqua duratione, quæ sit propria, et adæquata respectu utriusque : negando vero ipsum de coexistentia duorum, in aliqua duratione, quæ sit propria, et adæquata respectu unius, inadæquata vero, et superexcedens respectu alterius, et sic neganda est consequentia. Quia ad hoc, ut dicatur simpliciter, Deum creaturas duratione præcedere, sufficit, quod ipse in propria, et adæquata mensura sit ab æterno : quamvis, quia ejus æternitas ambit absque successione omne tempus, et quidquid in illo continetur, habet physice præsentes res futuras. Sed de his videantur quæ sequenti dubio dicenda supersunt.

Ad secundum.

63 Ad secundum pro secunda parte ejusdem sententiæ respondetur, Sanctos Patres loqui de creaturis per ordinem ad propriam earum durationem, non vero per ordinem ad excedentem, et communem, nempe æternitatem. Et propterea absolute, et simpliciter dicunt, incepisse in tempore; quia juxta communem, et usitatum modum loquendi, quoties absolute, et simpliciter dicitur, aliquid esse, intelligitur, quod sit in propria, et adæquata ipsius duratione. Et propterea hæc propositio : *Antichristus est ab æterno*, absolute prolata, denotat juxta communem, et frequentem usum, ac modum concipiendi, quod in propria mensura sit ab æterno, id est, ita ut ejus propria, et adæquata duratio sit infinita a parte ante, et in se ipsa, ac ratione sui ab æterno duraverit; non vero quod præcise sit ab æterno, ex eo, quod æternitas ratione suæ infinitatis virtualiter extenditur ad Antichristum, et ejus durationem actu ambiendam : et ratione hujus, tam ipse Antichristus, quam ejus duratio est illi in eodem *nunc* æternitatis præsens.

Unde idcirco nos non absolute asserimus, res futuras esse præsentes Deo ab æterno, sed addimus, esse præsentes illi ab æterno in mensura æternitatis. Per quod etiam ad primam confirmationem patet. Nam Concilium, et Athanasius constituunt discrimen inter Filium Dei, et creaturas, quod ille in propria sua, et adæquata duratione est æternus : et in hoc sensu damnant vocem illam impiam Arii ibidem relatam ; at creaturæ in propria, et adæquata duratione inceperunt esse in tempore.

64 Ad secundam confirmationem, ex duplici illo testimonio ab Arrubal adducto respondetur, librum illum duodecimum, in quo dicitur contineri primum testimonium, non habere, nisi 27. capita. Deinde addimus, testimonium prædictum non fuisse adhuc a nobis inventum in capititibus, habentibus numerum, in aliquo similem numero capitis citati. Addimus tandem ex eo ad summum colligi, quod res antequam fierent in æternitate, non fuerunt adhuc in ipsa æternitate : quod tamen non est contra nos. Quia licet tam effectio rei, quam ejus *esse* sint ab æterno præsentia Deo in æternitate; attamen prius intelligitur esse præsens productio rei, quam ejus *esse*; quamvis utrumque simul eidem æternitati, et in *nunc* æternitatis coexistat.

Ad secundum vero testimonium respondetur, Augustinum non dixisse, *Non in eorum natura*, ut refertur ab Arrubal, sed asseruisse, *Non in sua natura* : et loquitur de electis, non solum quando existunt, sed etiam dum carent existentia in propria duratione; hos autem (inquit) Deum habere apud se, non quia habeat illos intra suam naturam, aut aliqua speciali unione sibi intrinsece conjunctos, sed quia illi, et eorum salus æterna sunt in

in præsentia Dei; quamvis ibidem non neget esse etiam præsentes æternitati divinæ, secundum realem, et physicam præsentiam. In quo etiam sensu loquitur Magister sententiarum, quem alias idem Arrubal pro se refert.

Ad tertiam confirmationem constabit ex iis, quæ numero 69. dicemus.

Ad tertiam confirmationem, et ad tertium.

Ad tertium pro tertia ejusdem sententiæ parte constat ex dictis pro tertia assertione.

Ad primam confirmationem tertii.

65 Ad primam confirmationem respondetur, D. Thom. in priori testimonio loqui de veritate formali, quæ absolute, et simpliciter loquendo, solum invenitur ab æterno in actu intellectus divini. De rebus autem non tractat ibi, nec negat, quod sint in æternitate: sicut nec quod veritas formalis, quæ postea in tempore est in intellectu creato, sit ab æterno præsens; non quidem absolute, et simpliciter, seu in propria mensura, sed cum addito, nimirum, in *nunc* æternitatis, tanquam in mensura superexcedente, eo modo, quo ipse intellectus, et omnia alia futura sunt ab æterno præsentia.

Ad secundum vero testimonium ejusdem confirmationis dicendum est, D. Thomam in priori parte illius solum velle, creaturas secundum suum *esse* formale non contineri formaliter, et physice in Deo. In ultima autem parte ejusdem testimonii loquitur de cognitione practica, et scientiæ visionis: in qua, modo explicato, involvitur præsentia rerum physica, et realis respectu æternitatis.

Ex quo etiam ad tertium testimonium prædictæ confirmationis patet, illud potius esse pro nobis, quam contra nos. Quia ibidem inquit futura esse præsentia æternitati, quatenus sunt a Deo cognita, et præordinata. Constat autem, quod prædicta præordinatio, de qua ibi loquitur, dicit cognitionem practicam, et intuitivam, per quam, ut nuper dicebamus, constituuntur res ab æterno præsentes non in propria mensura, sed in mensura æternitatis.

Ad secundam confirmationem.

66 Ad secundam confirmationem, concedenda est major, et neganda minor. Et ad primam probationem bene respondet Corneio in præsenti, disput. 1. dub. 2. et quamplures aliis ex Thomistis, esse discrimem inter æternitatem, et ævum. Quod æternitas, non solum est mensura perfectior, quam cæteræ omnes, sed etiam est mensura superior continens intra suum ambitum omnes alias mensuras; sicut concavus ultimi cœli, qui est locus communis, continet omnia alia loca particularia: ac proinde omnia, quæ in inferioribus mensuris continentur, videlicet in tempore, et ævo, continentur etiam in æternitate, tanquam in mensura illorum inadæquata, et superexcedente. At vero ævum licet sit mensura excellentior, quam omnia tempora; non tamen est superior ad illa, nec continet ea intra suum ambitum, quantumvis sit duratio indivisibilis, et longe major, quam omnia tempora.

Ex quo sequitur, quod æternitas coexistat omnibus rebus, ac temporibus, ut vera mensura illorum superexcedens, et superior, continens ea omnia intra suum ambitum; ita ut coexistat illis, non solum quando existunt, quoad nos, sed etiam antequam sic existant: ævum autem tantum dicatur coexistere rebus temporalibus, quando non existunt quoad nos, et non antea: quia non existunt in ipso ævo, ut in mensura superiori, sed potius ævum, et tempus habent se, ut duæ mensuræ disparatæ. Corrolarium.

67 Potestque hoc explicari, tum exemplo modi, quantum est ex se indivisibilis, quo anima est in corpore, qui licet sit perfectior modo unionis, quo forma lapidis informat materiam ejusdem lapidis; non tamen informatio, seu modus unionis animæ mensurat informationem formæ lapidis. Et similiter exemplo modi existendi quem habet Christus in Sacramento, est perfectior modo existendi quantitatis, nec tamen continet, aut mensurat illum. Et locus Romæ est major loco alicujus oppiduli, et nihilominus iste non continetur, aut mensuratur ab illo. Et ita omnia ista se habent, ut res disparatæ, non vero conferuntur per modum continentis, et rei contentæ. Explicatio præcedentium.

Tum etiam, ex eo, quod ævum est mensura non omnino immutabilis, sed admittens potentialitatem, et ordinem ad successionem. Et ita potest modo mutabili coexistere, seu nova ei relatio præsentialitatis ipsi intrinsece inhærens advenire, ac proinde, non valet, res successivas trahere ad se immutabili modo; ita ut eas semper, et immutabiliter mensuret, semperque et immutabiliter ad illas extendatur. At vero æternitas est mensura per modum actus purissimi infiniti, et immutabilis: et ideo ejus mensurati debet esse actualissima,

et immutabili modo facta. Et propterea semper, et ab æterno mensurat quidquid ab ea mensurandum est; ac subinde trahit ad se immutabili modo, quæ alias mutabilia sunt. Sicut intellectus divinus continet intelligibiliter, et immutabiliter ea, quæ alias sunt mutabilia.

Ad secundam probationem ejusdem confirmationis.

Ad secundam vero probationem respondetur, prænotando, quod licet æternitas sit formaliter indivisibilis, et tota simul; virtualiter tamen est divisibilis, et successiva per coexistentiam ad res successivas, et divisibiles, ut dubio sequenti ostendemus : ex eo, quod ratione suæ infinitatis in ratione durationis continet omnes excogitabiles differentias temporis.

68 Unde sit, æternitatem posse dupliciter considerari. Uno modo partialiter, quatenus coexistit tempori præcise præterito, aut præsenti, aut futuro, ratione virtualis divisibilitatis, quam habet. Et hoc modo considerata, tunc ut coexistit præcise tempori præsenti, non coexistit præterito : et ut est coexistens futuro, non coexistit præsenti, et e contra. Alio modo potest considerari adæquate, quatenus in se coexistit omnibus temporis differentiis, ratione suæ formalis indivisibilitatis, et ut omnia illa ambit. Et hoc modo eadem numero æternitas, quæ coexistit præterito, habet etiam coexistere futuro, et absque alia successione aut formali divisibilitate.

Hinc ergo ad prædictam probationem respondetur, concedendo antecedens in sensu nuper explicato, et negando consequentiam. Ad cujus probationem neganda est sequela. Quia ex quo capite futura contingentia non coexistunt æternitati, quatenus virtualiter continet tam tempus præsens, quam præteritum, et futurum, sive verum, sive imaginarium; sed quatenus præcise continet tempus illud futurum, continentur in illa, et coexistunt ipsi in eadem mensura æternitatis inadæquate, et tanquam mensuræ superiori, ac superexcedenti. Et propterea non est necesse, ut existant in omni differentia temporis, sive præsente, sive præterita, sive futura, ut in propria, et adæquata mensura; sed satis est, quod hoc modo existant in illa differentia temporis futura, pro qua, re ipsa, et de facto apud nos habebunt existentiam, ut supra tetigimus, et in dub. sequenti magis explicabimus : ac proinde eo ipso æternitas habebit longe majorem durationem virtualem, quam eadem futura, ut in sua propria duratione, et apud nos existunt.

Cæterum, quia eadem æternitas est formaliter indivisibilis, et tota simul, ac simplicissimo, et immutabili modo debet ratione suæ simplicitatis, et immutabilitatis ambire omnes differentias temporis, ut num. 79. et deinceps dicemus : propterea ex hoc capite ipsa ab æterno, quatenus virtualiter continet illam differentiam temporis futuram, debet actu, et immutabiliter continere eadem futura, ut sibi in eadem mensura æternitatis præsentia. Et propter eandem rationem satis est, quod futura coexistant apud nos in sua differentia temporis tantummodo, ad hoc, ut æternitas ratione suæ virtualis extensionis extendatur, et ambiat prædicta futura, sitque illi præsens, ut dub. sequenti magis explicabitur.

Ad ultimum patet ex dictis.

69 Ex quibus etiam ad tertiam confirmationem secundi argumenti in favorem secundæ partis oppositæ sententiæ num. 37. adductam, cujus solutionem in hunc locum remisimus, patet. Nam sensus illorum verborum Isidori tantum est, quod si tempora, verbi gratia præsens, esset semper Deo præsens adæquate; ita ut hoc ex vi sua peteret, et oppositum ei repugnaret, non esset tempus, sed æternitas : quia eo ipso esset indefectibilis duratio, essetque, et non esset tempus; non vero negat, quod inadæquate, et modo explicato possint, et debeant esse illi præsentia. Sed hæc omnia amplius dub. sequenti elucidabuntur.

DUBIUM III.

Utrum sufficienti ratione probetur, futura contingentia absoluta fuisse ab æterno, et esse nunc realiter, et physice præsentia Deo in mensura æternitatis, et ratione hujus præsentiæ certo ab illo cognosci?

70 Postquam explicuimus quid, quoad præsentiam ab æterno in mensura æternitatis, juxta mentem Scripturæ, et Patrum, dicendum sit : ac simul quomodo juxta eorundem sententiam, æternitas sit ratio cognoscendi prædicta futura; restat, ut quid, quoad hoc ipsum sufficienti ratione probetur; explicemus. Divisimus autem hoc dubium a præcedenti, ut ita clarius, et distinctius procedamus

§ I.

Adducitur prima sententia.

Prima sententia utramque tituli partem negat. Ita Scotus in 1. distinct. 38. quæst. 1. Durandus quæst. 3. Gabriel, Gregorius ; Okamus, et Aureolus eadem distinct. 38. Suarez, lib. 1. de scientia futurorum absolutorum, cap. 7. Hervæus, Hispalensis in 1. distinct. 38. Sylvester in constat. 1. part. quæst. 14. art. 16. Ægidius in defensorio D. Thom. ad hunc articulum, Valentia in præsenti, puncto 5. Vasquez disput. 64. Arrubal disp. 41. cap. 4. Herice disput. 6. cap. 4. Ex quibus octo ultimi authores etiam credunt, oppositam sententiam non esse de mente D. Thom. nec communem Patrum.

Sententia hæc quoad secundam ejus partem aperte sequitur ex priori. Quoad primam vero probatur primo. Quoniam nihil potest realiter, et physice coexistere alteri in aliqua duratione, nisi in se ipso eodem modo existat : at futura contingentia antequam sint in propria mensura, seu antequam quoad nos existant, non habent realiter, et physice existere in se : ergo nec habebunt coexistere æternitati in eadem mensura, et duratione æternitatis : ac proinde talis coexistentia non poterit sufficienti ratione suaderi. Hæc ultima consequentia ex priori aperte patet. Prior vero ex utraque præmissa patet.

Minor autem etiam constat. Nam res creatæ antequam sint in propria mensura, sunt in se ipsis vere, et realiter nihil : et ita nullo modo sunt existentes in se ipsis. Major probatur. Quoniam coexistentia duorum in aliqua duratione supponit, quod eorum quodlibet habeat in se veram, realem, et physicam existentiam : alioqui, ut ex se patet, non poterunt ad invicem in aliqua duratione coexistere.

Fundatio Replicæ. 71 Nec refert, si dixeris, satis esse rem illam existere in superiori mensura, licet non sit in mensura propria, ut in præsenti contingit.

Nam contra hoc est, quod repugnat ; aliquid existere physice, et realiter in mensura aliena, quin in se eodem modo sit ens reale, ut ex terminis ipsis constare videtur ; ergo etiam id repugnabit, nisi etiam existat in mensura propria. Patet consequentia. Quia, quod aliquid sit in se ipso ens reale physice, et realiter, necessario involvit, quod existat in propria mensura. Nam sicut tunc realiter, et physice fit quando producitur in propria et adæquata mensura, et non antea, ita eodem modo est in se ens reale, quando existit in propria mensura, et non ante illam.

Confirmatio prior. 72 Confirmatur primo. Quia prius est rem aliquam existere in mensura, seu duratione propria, quam existere in aliena, et superexcedente ; ergo nihil poterit existere in aliena mensura, quin habeat existentiam in sua propria, et adæquata mensura. Consequentia non indiget probatione : siquidem id, quod est posterius, necessario pendet a priori, ac subinde non potest esse sine illo. Antecedens autem probatur. Quoniam ideo res est in aliena, et superiori duratione, et mensura, quia est in duratione, et mensura propria : quandoquidem mensura, et duratio aliena, et superior, tantum ambit ex vi suæ lineæ durationes inferiores, quæ sunt durationes propriæ rerum, quæ in eadem mensura superiori continentur. Et ideo prius est, aliquam rem esse in sua mensura propria, et adæquata, quam esse in mensura aliena, et superexcedente.

Alia confirmatio. Confirmatur secundo. Nam quod non verificatur de rebus pro mensura propria, nequit de eisdem pro mensura aliena, et superexcedente, nimirum pro mensura æternitatis verificari : ergo hoc ipso, quod res existere ab æterno, non verificetur de illis pro mensura propria, non poterit verificari pro mensura æternitatis. Consequentia patet. Antecedens autem probatur. Nam mensura communis non attingit res, nisi secundum conditionem quæ ipsis rebus competit : alioqui non attingeret illas prout sunt in se : et insuper mutaret conditiones illarum ; cum tamen neutrum ex his duobus possit mensuræ communi continenti mensuras inferiores, convenire. Sicut neutrum, proportione servata, potest convenire loco communi, nempe concavo cœli, collato cum locis particularibus ab ipso contentis, et ab eodem mensuratis, ergo, etc.

Secundum. 73 Secundo, et principaliter. Nam vel res creata existit ab æterno in æternitate per propriam existentiam creatam, vel non ? Hoc secundum dici nequit : alioqui tantum esset in potentia Dei, et ita nullo modo posset verificari, quod actu, et formaliter existeret, atque adeo nec quod existeret

in æternitate. Si autem primum asseratur, ergo res illa hoc ipso, quod creata, non poterit non esse producta per aliquam actionem : et per consequens omnes res, quæ in aliqua temporis differentia existunt, erunt ab æterno productæ, et creatæ per veram, et realem actionem, cujus oppositum fides docet, ut patet ex illo Genes. 1. *In principio creavit Deus cœlum, et terram.*

Solutio. 74 Nec refert, si occurras, hinc solum sequi, res ab æterno esse productas in aliena mensura; nempe in æternitate, et respectu Dei, non vero in mensura propria, et quoad nos : et licet hoc ultimum sit inconveniens, et contra fidem; non tamen illud prius.

Impugnatur. Nam contra hoc est. Tum quod hoc ipso, quod res sit ab æterno creata in aliena mensura, nempe in æternitate, habet absolute, et simpliciter esse creatam : quia eo ipso actio Dei ab æterno est terminata ad existentiam illius, quod nihil aliud est, quam proprie, absolute, et simpliciter creari. Constat autem, quod juxta fidem, creaturæ proprie, absolute, et simpliciter solum in tempore fuerunt creatæ; tum etiam : quia existentia creata non producitur sine propria duratione, et mensura; quia hæc duratio habet se ad instar proprietatis respectu propriæ existentiæ; ergo si ab æterno est existentia creata, ab æterno etiam erit duratio, et mensura propria illius : et per consequens, sicut in propria existentia essent ab æterno, ita etiam in propria duratione.

Tertium. 75 Tertio probatur eadem sententia. Nam æternitas non respicit eodem modo rem, dum actu existit, et dum habet esse præteritam, vel futuram : at hæc diversitas sita est in hoc, quod actu existentia respiciuntur ab æternitate, ut præsentia sibi; futura vero, et præterita, ut non sibi præsentia : ergo futura non erunt ab æterno præsentia eidem æternitati. Consequentia satis liquet. Minor videtur constare : quia non videtur apparere, in quo alio prædicta diversitas consistat.

Major autem suadetur, ex eo, quod res ipsa aliter inspicit æternitatem, dum est præsens, et aliter dum habet rationem futuræ; siquidem dum est præsens, respicit illam per realem habitudinem veræ, et realis coexistentiæ; cum vero habet rationem præteritæ, et futuræ non respicit eandem æternitatem per respectum realem, sed rationis; ergo e converso ipsa æternitas aliter respicit rem creatam ut præsentem, quam ut futuram, vel ut præteritam : quoniam diversitas unius relativi exigit diversitatem in termino, seu in correlativo.

76 Quarto. Quia alioqui daretur multitudo actu infinita, quæ realiter, et physice esset actu, et simul præsens in aliqua duratione; hoc autem est impossibile; ergo, etc. Sequela probatur. Nam omnes cogitationes beatorum sunt infinitæ; ergo si omnes illæ sunt actu præsentes Deo physice, et realiter in mensura æternitatis, secundum proprias existentias, dabitur multitudo infinita in actu, respectu alicujus durationis, nempe æternitatis. Falsitas autem consequentis inde liquet. Nam ut N. Complutenses in lib. Physic. disp. 18. num. 57. ostendunt, ratio, propter quam repugnat infinita multitudo entium totalium, est, quia prælicta multitudo debet esse secundum aliquam speciem numeri, vel secundum proportionem, et similitudinem ad illam; et cum quilibet numerus sit multitudo facta, vel mensurata per unum, erit utique contra rationem numeri, vel multitudinis habentis proportionem, vel similitudinem cum illo, quod sit actu infinita; quippe cum rei actu mensuratæ per unum ex illis multis, ex quibus constat, repugnet esse actu infinitam; atque adeo etiam repugnabit, hoc habere in propria duratione; at ratio ista videtur intentum convincere, etiamsi talis multitudo ponatur actu infinita in æternitate; siquidem ibi debet conservare propriam rationem talis multitudinis; ergo, etc.

77 Quinto. Nam ex opposita sententia plura sequuntur absurda. Primum, quod eadem res bis producatur. Semel quidem in æternitate, et ab æterno; semel autem in tempore. Quia sicut nequit esse, quin producatur, ita nequit ab æterno esse, nisi ab æterno producatur; nec potest incipere esse in tempore, nisi etiam in tempore incipiat produci.

Secundum, quod de Antichristo posset in hoc instanti verificari, quod in hoc eodem instanti, et in quolibet alio nostri temporis est. Nam sicut bene sequitur : *Antichristus est in æternitate : ergo Antichristus est,* ita etiam optime infertur : *Antichristus in quolibet instanti temporis est in æternitate ergo nunc, et in quolibet alio instanti nostri temporis est.*

Tertium, res non posse creari, seu produci ex nihilo in tempore : siquidem jam

præsupponuntur cum suo *esse* reali, et physico in æternitate. Et ita non producentur in tempore simpliciter ex nihilo; sed ad summum cum limitatione, nempe ex nihilo in tempore.

Quartum, Adamum, et Antichristum coexistere inter se ad invicem, si semel coexistunt æternitati. Nam sicut quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; ita quæ ab æterno coexistunt uni tertio coexistent utique inter se.

Quintum, quod plures contradictoriæ verificarentur de uno, et eodem in unica, et eadem duratione, nempe in eodem instanti æternitatis; ut quod *Antichristus est, et Antichristus non est*, quod *corrumpitur, et generatur, moritur, et existit*: siquidem omnia hæc convenirent Antichristo in æternitate. Et ita si omnia hæc ab æterno conveniunt ei in mensura æternitatis, verificabuntur simul de illo in eadem duratione prædictæ contradictoriæ: hoc autem videtur absurdum: siquidem prædicata ex se contradictoria, semper sunt incomponibilia, in quacunque duratione sint: ex eo, quod semper sunt ex se contradictoria.

78 Ultimo, quia alioqui tolleretur libertas arbitrii creati. Tum quia si actus liberi creati ab æterno existunt in æternitate, erunt utique ab æterno producti in illa secundum omnes circumstantias, quas in suo tempore habebunt; ergo non erit modo in potestate liberi arbitrii aliquid facere, vel alio modo, quam factum sit in æternitate; ac proinde nulla remanebit in eo libertas; tum etiam, quia futurum contingens, et liberum non est in æternitate, nisi per idem *esse*, quod habiturum est in tempore: sed si in tempore haberet *esse*, antequam fieret a libero arbitrio, non esset contingens, neque liberum: ergo idem dicendum est, si habet *esse* in æternitate, antequam a libero arbitrio producatur in tempore.

§ II.

Proponitur, et explicatur vera sententia.

79. Dicendum tamen est sufficienti ratione probari futura contingentia absoluta fuisse ab æterno, et esse nunc realiter, et physice præsentia Deo in mensura æternitatis, et ratione hujus præsentiæ certo ab illo cognosci. Ita Ferrara 1. contra Gent. cap. 66. Corduba, quæst. 35. disp. 8. Capreolus in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 2. et dist. 36. quæst. 1. art. 2. Ricardus in 1. dist. 38. quæst. 5. Cajetan. Bannez, Ripa, Zanardus, Zumel hic, Nazarius controv. 3. Navarrete controv. 52. Gonzalez disp. 43. sect 3. Corneio disp. 1. dub. 3. Alvarez disp. 8. de auxiliis, Abulensis super Matth. cap. 18. quæst. 36. Et ex Patribus Societatis Fonseca 6. Metaphys. cap. 2. quæst. 4. sect. 2. Christophorus Gil. tract. 10. de æternitate cap. 16. Granado tract. 5. de scientia Dei disp. 3. sect. 2. Et hoc probabile putat Molina in præsenti disput. 13. licet disp. sequenti oppositum amplectatur. Et tandem communiter Sancti Patres, quos dub. præcedenti retulimus. Quia omnes illi vera ratione ducti prædictam præsentiam futurorum in æternitate admittunt, et dicunt, ratione ejusdem præsentiæ certo, et infallibiliter a Deo cognosci.

Cæterum quia hæc assertio indiget explicatione, ideo supposita explicatione num. 35. et 40. adducta, amplius explicanda et deinde probanda erit.

Animadversio prima pro explicatione conclusionis.

80 Pro ejus igitur explicatione notandum est primo, quod cum dicitur, futura contingentia fuisse ab æterno, et esse nunc præsentia Deo, et æternitati, involvuntur ibi, tum extrema coexistentia, tum etiam duratio, in qua coexistunt, seu mensura, per quam mensuratur prædicta coexistentia. Sicut cum dicimus Petrum, et Paulum coextitisse heri, et coexistere nunc, invovuntur ibi Petrus, et Paulus ad invicem coexistentes, et duratio, ac mensura, in qua coexistunt, per quamque talis coexistentia mensuratur, scilicet dies externa, et instans præsens, seu dies externa pertingens usque ad instans præsens.

Extrema igitur hujus coexistentiæ, de qua in præsenti loquimur, sunt ex una parte Deus, ut est æternus; ex alia vero futura contingentia. Duratio autem mensurans, non quidem solam veritatem propositionis, per quam enunciatur, prædicta futura coextitisse ab æterno, et coexistere nunc Deo, et æternitati, sed etiam coexistentiam extremorum, non est instans nostri temporis, aut reliqua instantia temporis imaginarii, quæ nostro modo intelligendi, et juxta ea, quæ N. Complutenses in lib. Physic. disp. 29. num. 50. docent, intelliguntur ab æterno præcessisse instans imaginarium, aut

verum, quod nunc vere, vel imaginarie intelligitur existere ; sed est ipsamet æternitas, seu *nunc* illud indivisibile, et semper stans æternitatis, quæ est mensura formaliter indivisibilis, et omnino indefectibilis, ac invariabilis.

Ratio animadversionis.

Nam in hoc instanti nostri temporis, evidens est, non existere Antichristum : sicut etiam evidenter patet, quod in instantibus antecedentibus, sive veris, sive imaginariis, quæ præcesserunt, nondum habuit existentiam ; sed in ordine ad nostrum tempus incepturam esse ejus existentiam in tempore illo futuro, pro quo revera existet. Unde de fide habemus, quod loquendo de productione rerum creatarum, ut mensurata per nostrum tempus, tunc omnes creaturæ inceperunt in tempore, ut constat ex illo Genes. 1. *In principio creavit Deus cœlum, et terram,* et ex Concilio Nicæno supra adducto. Et propterea, ut hoc ipsum denotetur, et ut omnis quoad hoc æquivocatio pellatur, addita est tam in titulo, quam in assertione particula illa : *In mensura æternitatis,* ut denotetur quænam sit duratio mensurans coexistentiam, et præsentiam hanc futurorum ad æternitatem.

Corollarium.

81 Ex quo fit, æternitatem duplex munus in hac coexistentia subire. Unum quidem quatenus habet rationem extremi coexistentis, et simul durantis, cum futuris. Aliud vero quatenus habet rationem durationis mensurantis, tum veritatem propositionis, qua affirmatur prædicta coexistentia, tum etiam eandem coexistentiam. Sicut cum dicitur Petrum coexistere durationi primi mobilis, tunc duratio illa primi mobilis et habet munus extremi durantis simul cum Petro, et munus mensuræ mensurantis talem coexistentiam.

Diximus durationem mensurantem, non quidem solam veritatem propositionis, sed etiam coexistentiam extremorum, non esse hoc instans nostri temporis, aut alia, quæ idem instans præcesserunt : quoniam si loquamur de mensura mensurante solummodo veritatem propositionis, tunc hæc propositio : *Antichristus est præsens nunc in æternitate,* est vera, etiamsi illud *nunc* denotet instans præsens nostri temporis : ac proinde prædictum *nunc* poterit esse mensura illius sic sumptæ. Nam facit hunc sensum, quod in hoc instanti nostri temporis est verum dicere, futura contingentia esse præsentia Deo in æternitate, et ei in eadem mensura æternitatis mensurante coexistentiam extremorum, coexistere.

82 Secundo notandum est, quod adhuc cum dicitur, futura contingentia fuisse, seu esse ab æterno præsentia æternitati in eadem mensura æternitatis, et etiam nunc esse illi præsentia, ly *nunc* dicente æternitatem, ut mensuram hujus coexistentiæ, potest hoc dupliciter intelligi. Primo quidem, quod ipsa futura contingentia existentia in sua propria duratione, nimirum pro tempore futuro, intelligantur secundum suam existentiam formaliter, aut virtualiter quasi extendi, et quasi retrotrahi, ita ut ab ea duratione, in qua habebunt *esse,* pertingant usque ad ipsam durationem æternam a parte ante ejusdem æternitatis. Secundo vero non ita, ut ipsa futura quasi extendantur, et (ut sic dicamus) retrotrahantur hoc modo; sed quia ipsa æternitas, ex eo, quod est infinita in ratione durationis, ac proinde habet virtualiter omnem extensionem excogitabilem intra hanc lineam, extenditur virtualiter quantum necesse est, ut semper et ab æterno, et absque successione ex parte æternitatis, vel ex parte contactus pertingat usque ad ipsum futurum, et durationem ejus pro ea temporis differentia futura, pro qua verificabitur, quod actu habeant *esse,* et ita modo dicto ambiat, et contineat omnia illa.

Eo proportionali modo, quo si daretur tempus ab æterno, et hoc in æternum a parte post duraret; tunc si per impossibile imaginaremur, quod prædictum tempus secundum omnes suas partes simul staret, simulque haberet illam extensionem formalem, oporteret, ut ab æterno, et simul adhuc ex parte contactus pertingeret ad Antichristum, et ad omnia præterita, vel futura in infinitum a parte post, non quidem quia ipsa præterita, aut futura quasi extenderentur, ita ut a sua duratione determinata, in qua sunt, retrotraherentur quantum necesse esset, ut inde usque ad omnem illam durationem infinitam a parte ante pertingeret; sed quia tempus ipsum formaliter extenderetur; ita ut simul, et semel, et sine successione, etiam ex parte contactus pertingeret ab æterno usque in æternum : et per consequens ad omnes res, et durationes intrinsecas earum, quæ in tota illa latitudine inveniuntur, seu quæ in quavis differentia temporis existunt.

83 Cum igitur dicimus, futura contingentia coexistere ab æterno æternitati in ipso *nunc* ejusdem æternitatis, nolumus dari

dari prædictam coexistentiam, ex eo, quod futura ipsa contingentia, quasi extendantur a sua temporis differentia, pro qua in tempore futuro existent, quantum satis sit ad hoc, ut pertingant ad durationem æternam a parte ante æternitatis, seu ad hoc, quod ut semper a parte ante coexistant illi; sed quia ipsa æternitas ratione suæ infinitatis, et virtualis extensionis extenditur ab æterno quantum satis est, ad hoc, ut pertingat ad prædicta futura, et ambiat illa. Et ideo ad explicandam hanc præsentiam, et modum ejus, communiter dicitur a Thomistis una cum D. Thom. omnia præterita, et futura actu ambiri, contineri, et concludi in ipso *nunc* æternitatis.

Ratio animadversionis.

Et ratio hujus modi philosophandi quoad hoc, est. Quoniam ad hoc, ut futura contingentia coexisterent æternitati, priori modo, oportebat, ut ipsa in propria, et adæquata eorum duratione haberent existentiam durantem ab illa temporis differentia, in qua existent usque ad durationem infinitam a parte ante ejusdem æternitatis, aut temporis imaginarii a parte ante infiniti, et e contra : atque adeo essent, et non essent futura. Sicut ad hoc, ut æternitas hoc modo extendatur ab æterno usque ad ipsa futura, desideratur, quod habeat in propria duratione existentiam, per quam ab æterno usque ad talia futura pertingat. Et propterea quia æternitas ratione suæ infinitatis potest habere totam hanc durationem, inde est, ut futura possit coexistere ipsi ab æterno in *nunc* ejusdem æternitatis, et e contra.

Animadversio tertia.

84 Tertio pro majori horum luce recolendum est in memoriam, et magis illustrandum id, quod num. 67. et 68. tetigimus, scilicet, quod cum dicitur, futura contingentia esse ab æterno præsentia æternitati in *nunc* ejusdem æternitatis, ex eo, quod ipsa est virtualiter extensa, seu virtualiter habet partes durationis, nimirum præteritum, præsens, et futurum; et ratione earum intra se concludit omnia illa, potest adhuc dupliciter intelligi. Vel ita ut æternitas ratione omnium suarum partium, virtualiter talium attingat proxime, et immediate quodlibet futurum : vel ita ut non ratione omnium suarum partium virtualium id habeat, sed quod quatenus virtualiter continet, v. gr., durationem crastinam, coexistat ab æterno diei futuro, et omnibus rebus, quæ in ipso habitura sunt existentiam; licet modo, id est, in *nunc* nostri temporis illam non habeant; et quatenus virtualiter continet diem immediate sequentem post crastinum, et ea, quæ nunc sunt futura, pro eodem die coexistat etiam ab æterno illi. Sicut etiam secundum quod habet continere omnia tempora, quæ præcesserunt usque ad instans præsens, coexistat semper ad omnia præterita, ut infra magis explicabitur.

85 Cum ergo dicitur, futura contingentia coexistere semper, et ab æterno Deo, et æternitati in ipso *nunc* æternitatis, ex eo, quod ipsa extenditur virtualiter quantum satis est, ad hoc, ut a propria duratione æterna a parte ante pertingat usque ad durationem futurorum, non est sensus, quod ratione omnium partium virtualium suæ durationis immediate, et proxime concludat, et intra se contineat quodlibet futurum, et durationem ejus creatam; sed quod quatenus continet durationem illam, in qua erit Antichristus, ambit, et concludit illum, et sic de aliis temporis differentiis antecedentibus ad illam, sive veris, sive imaginariis.

Ratio illius.

Et ratio est manifesta. Quoniam tandiu durat in propria duratione res ambita, et conclusa ab æternitate, quantum habet de virtuali extensione pars illa virtualis, ratione cujus proxime, et immediate æternitas concludit, et ambit ipsam. Sicut tantum habet de duratione in propria mensura intrinseca, eadem res, quantum requiritur de extensione durationis formali in tempore primi mobilis, ad hoc, ut proxime intra se contineat, et ambiat ratione suarum partium eandem rem. Unde si Antichristus, v. gr., contineretur immediate, et proxime ab æternitate ratione omnium suarum partium virtualium, oporteret, ut in sua propria duratione tantum duraret, quantum tota æternitas : ac proinde esset ita formaliter extensus in ratione durantis, quantum æternitas est virtualiter extensa secundum se totam. Quare cum Antichristus in sua propria mensura tantum duret a tempore futuro, in quo erit usque ad finem suæ vitæ, inde est, ut æternitas non ambiat immediate, et proxime ipsum, nec coexistat illi, ut præsenti, et habenti existentiam, nisi quatenus continet totam illam durationem futuram, et non aliam.

86 Diximus, *immediate, et proxime*, quia licet ad hoc, ut æternitas pertingat a sua infinita duratione a parte ante, usque ad durationem futuram Antichristi, et Anti-

christum ipsum, requiratur, ut pertingat etiam ad omnes temporis differentias antecedentes; non tamen ita, ut immediate, et proxime pertingat ad istam, quia pertingit ad illas; sed quia propter suam infinitatem, in ratione durationis formaliter indivisibilem, necesse erat ad hoc, ut pertingeret ad illam, quod ambiret omnes, quæ illam antecedunt; quamvis immediate, et proxime solum ambiat differentiam temporis, in qua erit Antichristus, et existentiam ejusdem Antichristi, quia continet, et ambit prædictam temporis differentiam.

Corollarium primum.

Unde optime dicunt Thomistæ, dari in æternitate plures, et diversos sinus virtualiter, et in uno quasi sinu esse actu, v. gr., Antichristum, et in alio Adamum, et sic de aliis, juxta diversas temporum differentias, in quibus extiterunt, aut existent

Corollarium aliud notatu dignum.

87 Ex quo sequitur amplior explicatio eorum, quæ num. 68. intulimus, nempe quod ex qua parte futura contingentia tantum coexistunt æternitati proxime, et immediate, quatenus habet illum quasi peculiarem sinum, correspondentem cuilibet eorum, seu secundum quod præcise continet illam peculiarem differentiam temporis, pro qua quoad nos existent, non est necesse ad hanc coexistentiam jam dictam, ut semper quoad nos existant, seu quod in sua propria, et adæquata mensura habeant, et simul habuerint semper existentiam, ut ex dictis constat. At ex quo capite æternitas simul continet virtualiter, et actu, absque successione, et divisibilitate formali, tam illam differentiam temporis, quam omnes illas antecedentes, et subsequentes ad ipsam, necesse est, ut semper, et ab æterno, ac sine successione, tam ex parte sui, quam ex parte actualis extensionis virtualis, seu contactus cum rebus, vel durationibus quoad nos futuris, extendatur ad actu ambiendas omnes illas, et ad concludendum eas in proprio quasi sinu, correspondente cuilibet illarum, et cuilibet rei mensuratæ per illam durationem, contentam, et conclusam in eodem sinu.

Sicut, si annus ab initio sui *esse* haberet totam illam extensionem formalem, quam decursu temporis habet, et hæc per impossibile pro toto illo anno semper staret, tunc ab initio sui *esse* ambiret actu omnia, quæ fierent in decimo mense illius, ratione illius partis extensionis formalis, quæ ei conveniret ex eodem decimo mense, cum aliis simul per impossibile stante : et ad hoc, ut idem annus ab initio sui *esse* illa ambiret, sat esset, ut illa in decimo mense, tanquam in mensura eisdem adæquata, haberent existentiam.

88 Ex quibus omnibus tandem fit, dubium hoc, et difficultatem illius non esse de solo nomine, ut aliqui ex adversariis volunt, sed de re. Nam licet omnes Doctores conveniant in hoc, quod Antichristus verbi gratia, non est præsens æternitate in *nunc* nostri temporis, tanquam in mensura mensurante coexistentiam horum extremorum : et similiter quod eadem futura coexistunt, absolute, et simpliciter loquendo in *nunc* æternitatis, quia æternitas est mensura æquivalens tempori duranti infinite, tam a parte ante, quam a parte post, et tota simul; et propterea sicut quodlibet futurum deberet existere in aliqua parte infiniti temporis (si esset) et coexistere illi, ita etiam debet esse in æternitate, et habere coexistentiam ad illam, imo quia est formaliter indivisibilis, et tota simul, oportet, ut toti illi coexistat. Cæterum Patres, maxime vero D. Thom. volunt, quod hæc coexistentia æternitatis ad futura fuerit semper, et ab æterno absque successione aliqua, non solum ex parte æternitatis, sed etiam ex parte contactus (ut sic dicamus) virtualis, seu coexistentiæ actualis ad illa, et e contra. At adversarii id negant : et tantum dicunt, hanc coexistentiam non fuisse, aut esse ab æterno, sed incepisse in tempore; non quidem propter successionem æternitatis, et durationis ejus, sed propter successionem, et limitationem rerum coexistentium ad ipsam, ac proinde propter successionem ipsius contactus, ex hac limitatione, et successione rerum creatarum præcise provenientem. Hos autem diversos dicendi modos, evidens est, non esse de solo nomine, aut voce, sed omnino de re.

§ III.

Ratio prior, et fundamentalis veræ sententiæ.

89 Assertio sic explicata sequitur aperte, quoad posteriorem ejus partem ex priori. Nam hoc ipso, quod futurum contingens sit realiter, et physice præsens, habet certam, et determinatam cognoscibilitatem respectu ejus, cui est præsens : et ratione hujus præsentiæ, potest certo ab illo cognosci : ergo hoc ipso, quod futura contingentia sint modo dicto præsentia æternitati, et Deo ratione æternitatis, poterunt ratione

hujus

hujus præsentiæ, certo ab illo cognosci. Videantur tamen ea, quæ num. 40. notavimus.

Prior assertionis probatio, quoad primam partem.

Quoad priorem vero partem probatur primo ratione fundamentali, quæ jam tacta est in explicatione ejusdem assertionis, quæque desumitur ex D. Thom. et ex aliis Sanctis Patribus, locis dub. præcedenti relatis : et potest ad hanc formam reduci. Quoniam æternitas est duratio tota simul, et infinita in ratione durationis; ita ut simul, et semel æquivaleat tempori infinito, tam a parte ante, quam a parte post : ergo simul, et semel, et ab æterno coëxistit in propria mensura ejusdem æternitatis omnibus differentiis temporis futuris, et ambit, ac continet actu omnes illas, et cunctas res, quæ in eisdem coextiterint. Antecedens quoad primam partem ex se liquet : alioqui esset in ea præteritum, et futurum, atque adeo successio, et imperfectio mutabilitatis. Quoad secundam vero partem etiam constat. Quoniam quidquid est in Deo, debet esse infinitum intra propriam lineam; et per consequens simul, et semel æquivalere omnibus rebus creatis, spectantibus ad eandem lineam : ergo cum linea æternitatis sit linea durationis, debebit esse infinita in hac ratione, et simul, ac semel æquivalere infinitæ durationi temporis, tam a parte ante, quam a parte post, si hoc daretur; sicut posse dari, optime probant N. Complutens. in lib. Phys. disp. 29. num. 46. et deinceps.

90 Consequentia vero probatur. Quoniam si æternitas non contineret simul, et semel, et ab æterno omnes differentias temporis futuras, et cunctis rebus in eis existentibus, ab æterno non coexisteret in eadem mensura æternitatis, tunc non esset infinita in ratione durationis, et tota simul. Quoniam duratio, quæ est tota simul, et infinita in ratione durationis, tam a parte ante, quam a parte post, debet semper, et ab æterno ita virtualiter extendi, ut pertingat ad omnes differentias temporis, ambiens illas, et coëxistens ab æterno eisdem, et rebus in eis existentibus.

Sicut id, quod esset infinitum in ratione durationis non quidem ita ut tota simul, sed successive, et formaliter extensa esset, deberet non quidem simul, sed successive, et ratione partium futurarum ambire res futuras, et coexistere illis : et si hoc non haberet, non esset infinita in ratione durationis successivæ. Et similiter, ut nuper dicebamus, si per impossibile daretur, quod annus, v. gr., temporis primi mobilis haberet totam suam extensionem formalem simul, et semper stantem ab initio sui *esse*, tunc ab initio ejusdem sui *esse* ambiret omnes differentias temporis existentis intrinsece in his rebus inferioribus, quæ darentur in prædicto anno, essetque coexistens omnibus rebus, quæ illo anno fierent. Et si hoc ei non competeret, eo ipso non haberet ab initio sui *esse* omnem illam extensionem formalem durationis semper stantem.

Confirmatur.

91 Confirmatur ratione D. Thom. locis citatis. Nam hoc ipso, quod æternitas sit duratio infinite perfecta, et tota simul absque omni successione, debet esse mensura infinito, et immutabili modo mensurans omnes durationes creatas futuras, et quidquid in illis continetur : ergo semper, et ab æterno, ac immutabili modo, debet omnes illas, et cuncta, quæ in eis extiterint, mensurare, et actu continere, eisque coexistere.

Antecedens probatur. Nam etsi non quævis duratio sit mensura alterius, et ita ævum Angeli licet habeat non parum uniformitatis, nihilominus non mensuret nostros motus, ex eo, quod ab eo non pendent ; attamen duratio ex se uniformior, et a qua aliæ durationes inferiores pendent, oportet, ut juxta modum suum sit mensura illarum, et eorum, quæ in ipsis continentur : ergo cum æternitas non solum sit duratio uniformior aliis, sed infinite uniformior atque a Deo infinite perfecta, et immutabilis ; et omnes aliæ durationes ab ea pendeant, oportebit, ut sit mensura infinito, et immutabili modo omnia alia mensurans.

Consequentia vero probatur. Nam si non semper, et ab æterno, ac immutabili modo mensuraret, ac contineret prædicta, sed aliquando inciperet mensurare aliqua, et ea desineret mensurare : et rursus mensuraret alia, et cessaret ab hac mensuratione, tunc esset in ea successio in ratione mensuræ, et in ratione durationis, ratione cujus mensurat ; et ita non mensuraret modo infinite perfecto et immutabili.

Occurritur ex adversariis rationi D. Thom.

92 Occurrunt adversarii, tam ad rationem factam, quam ad ejus confirmationem. Ad rationem quidem, quod ad hoc, ut æternitas sit duratio infinita, et tota simul, non est necesse, ut semper, et ab æterno coexistat omnibus differentiis tem-

porum, et rebus in eis existentibus ; sed satis est, quod quantum est de se possit coexistere illis : ac proinde, quod defectus hujus coexistentiæ non proveniat ex defectu æternitatis, et infinitæ durationis ejus : sed ex defectu temporis, et rerum in eo existentium ; quæ, quia in tempore incipiunt existere, et in tempore etiam desinunt, propterea nequeunt ab æterno eidem æternitati coexistere.

Hoc autem explicant exemplo immensitatis : quæ licet sit infinita intra suam lineam, nihilominus non replet loca futura, sed tantum existentia : non quidem ex defectu ejus, sed ex defectu eorum : ex eo, quod usque dum sint existentia, non sunt capacia prædictæ repletionis.

Solutio eorundem ad confirmationem.

Ex quo etiam ad confirmationem respondent, æternitatem esse quantum est de se mensuram immutabilem, quia licet nunc mensuret res præsentes, non vero futuras, et prætereuntibus illis, et existentibus istis, desinat mensurare *esse* illarum, et incipiat mensurare *esse* istarum : hoc tamen non est propter defectum, mutabilitatem, aut successionem æternitatis, sed rerum creatarum, quæ secundum suum *esse* fluunt, et ad invicem sibi ipsis succedunt ; cum tamen æternitas semper maneat fixa, et immutabilis, ad eum sane proportionalem modum, quo arbor in fluvio fixa, semper manet immobilis, et successive coexistit aquis fluentibus : et si esset mensura earum, mensuraret illas successive ; quamvis hoc non proveniret ex fluxu arboris, sed aquarum.

Rejicitur solutio ad rationem.

93 Cæterum neutra ex his solutionibus satisfacit. Non quidem prior. Nam potius ex exemplo, quod pro se adducunt, et ex discrimine, quod intercedit inter immensitatem, et æternitatem, satis efficaciter probatur, æternitatem debere semper, et ab æterno coexistere omni durationi futuræ, et rebus in ea existentibus. Nam immensitas non est infinita in ratione durationis, sed solum in ratione immensitatis, et virtutis (ut sic dicamus) repletivæ totius loci : et propterea ratione hujus infinitatis cum præcisione sumptæ, debet actu et simul replere omnia loca ; non quidem futura, sed existentia, eaque contingere, quantumvis inter se sint distantia : et hoc ipso, quod ea simul non repleret, et contingeret, sequeretur, prædictam immensitatem non esse infinitam in ratione virtutis repletivæ locorum : ergo quia æternitas est infinita in ratione durationis, oportebit, ut simul, et semel contineat, et ambiat actu omnes differentias temporis, et cuncta, quæ in eis fuerint ; ac proinde quod ea ab æterno quasi tangat, eisque coexistat, quantumvis res ipsæ sint inter se secundum durationem distantes : ergo cum differentiæ durationis, sive temporis nostri sint præteritum, præsens, et futurum, debebit æternitas actu, et ab æterno ambire omnes has temporis differentias, et quidquid in eis continetur.

Alioqui si ratione suæ virtualis extensionis non se extenderet ad prædicta, ita ut simul, et semel, atque adeo ab æterno non pertingeret ad illa, et ea actu ambiret, ipsisque coexisteret, nequibit esse infinita in ratione durationis. Sicut etiam nequiret habere prædictam infinitatem, si non tribueret immensitati, ut ratione ipsius, secundum quod æternitate mensuratur, coexisteret, et repleret loca futura ; quia totum hoc pertinet ad immensitatem, non quidem cum præcisione sumptam, sed ut ad lineam æternitatis spectat, quatenus ab illa, ut a propria mensura mensuratur.

94 Unde vis rationis D. Thom. consistit in hoc, quod sicut ante, et retro, sursum, et deorsum, propinquum, et remotum secundum locum, sunt differentiæ intra lineam loci replebilis contentæ, non vero præsens, præteritum, et futurum ; ita omnes differentiæ temporis, scilicet præsens, præteritum, et futurum, sunt differentiæ ad lineam durationis pertinentes : ergo sicut quia immensitas cum præcisione sumpta, est infinita in ratione virtutis repletivæ, non potest non actu, et simul replere, et tangere omnia prædicta loca, quantumvis inter se distantia, hoc ipso, quod existant ; non vero hoc ipso, quod futura, aut præterita sint, quia hæ differentiæ durationum non pertinent ad lineam immensitatis : ita ex eo, quod æternitas est infinita in ratione durationis, non poterit non actu, et simul continere, et quasi contingere omnem durationem temporis, hoc ipso, quod sit præsens, præterita, aut futura : quandoquidem unumquodque horum pertinet ad lineam durationis : sicut quivis locus existens spectat ad lineam immensitatis cum præcisione sumptæ.

95 Confirmatur, et explicatur ex alio discrimine, quod versatur inter immensitatem, et æternitatem. Nam proprium est durationis mensurantis aliquam rem, continere, et intra se concludere rem durantem

rantem in illa, maxime si sit duratio, et mensura superexcedens, et superior : at virtus repletiva loci non continet intra se locum, quem replet ; sed potius ipsa est in illo : ergo cum æternitas sit duratio infinita, et superexcedens, continebit intra se omnem rem creatam, et durantem : sicut quia immensitas est infinita in ratione virtutis repletivæ, non continebit intra se loca, quæ replet ; sed potius Deus, ut immensus, erit intime in rebus ab eo repletis : ergo cum unumquodque recipiatur, aut contineatur, ad modum recipientis, aut continentis, fiet inde tum quod res actu contentæ in æternitate, seu coexistentes ipsi, contineantur, et sint in illa ad modum æternitatis, nempe omnino immutabiliter, et per consequens semper, et ab æterno. Tum etiam, quod immensitas si non esset æterna, tantum extenderetur ad replenda omnia loca, dum præcise existunt, atque adeo ad replenda ea temporaliter : sicut res, in quibus Deus intime ratione immensitatis imbibitur, solum in tempore habent, ut in propria, et adæquata mensura esse : quamvis, quia eadem immensitas æternitate, tanquam per propriam mensuram mensuratur, debeat ratione ejusdem æternitatis ab æterno illa replere, et ea ambire, eisque coexistere. Sed de hoc discrimine, in tractatu de Angelis sermo redibit, et juxta ibidem dicenda debet intelligi.

Impugnatur obiter aliud adversariorum effugium.

97 Ex quo etiam (ut id obiter dicamus) manet impugnata alia solutio ejusdem rationis, nimirum, quod ad rationem durationis infinitæ non est necesse, ut coexistat semper rebus futuris, et omni futuræ durationi ; sed satis est, quod eminenter, et ab æterno contineat earum perfectionem seclusis imperfectionibus : sicut in universum causa quævis continet perfectionem sui effectus ; cum tamen non propterea semper ei coexistat.

Ex dictis igitur manet hæc solutio impugnata. Nam sicut hoc ipso, quod scientia sit infinita intra lineam scientiæ, et contineat eminenter perfectionem creaturarum scitarum, non potest non intelligibili modo continere ab æterno intra se easdem creaturas, sciendo quidquid in eis secundum proprium *esse* earum reperitur ; et hoc non ob aliud, nisi quia ad lineam scientiæ prælicta continentia pertinet : ita hoc ipso, quod æternitas sit infinitain ratione durationis, et contineat eminenter in sua entitate, omnem durationem creatam seclusis imperfectionibus, debet insuper per modum mensuræ extrinsecæ, et superioris actu mensurantis, ambire ab æterno, et quasi tangere durationem creatam aliquando futuram, et quidquid in ea fuerit : et per consequens debet etiam eisdem rebus ab æterno coexistere : quia totum hoc ad lineam infinitæ durationis pertinet, ut ostensum est.

Evertitur evasio ad confirmationem.

97 Nec minus solutio, quam ad confirmationem rationis D. Thom. ex adversariis tradidimus, displicet. Nam in primis exemplum arboris immobiliter ex parte sua correspondentis aquis fluentibus, quod pro se adducunt, potest contra solutionem hanc retorqueri. Nam sicut si arbor illa esset ita formaliter extensa, quantum totus fluvius, tunc simul, et semel coexisteret eisdem aquis inter se fluentibus, ratione diversarum partium ejusdem arboris : et si arbor illa esset formaliter indivisibilis, et simul ac semel haberet tantum de virtuali extensione, quantum totus fluvius de formali, tunc simul, et semel coexisteret secundum se totam toti fluvio, et omnibus partibus ejus, et quælibet pars aquæ contingeret totam arborem, licet una pars aquæ non contingeret aliam : ita quia æternitas continet simul, et semel, virtuali, et infinito modo totam extensionem temporis, tam præsentem, quam præteritam, et futuram, poterit, et debebit simul, et semel atque adeo ab æterno actu continere, et mensurare, ac coexistere cuivis parti temporis, dummodo re ipsa habitura sit aliquando existentiam.

Diximus, *dummodo re ipsa habitura sit aliquan existdoentiam*. Nam sicut per scientiam visionis non videntur actu nisi res quæ aliquando extituræ sunt quia scientia hæc supponit decretum de earum futuritione ; ita æternitas non continet, nec mensurat aut quasi tangit actu durationem creatam, nisi aliquando sit habitura existentiam ; quia eodem modo supponit decretum efficax de rerum futuritione.

Major eversio prædictæ evasionis.

98 Deinde contra eandem solutionem urget, non posse inter se cohærere, quod æternitas admittat aliquam successionem in contractu, aut coexistentiâ ad res creatas durantes in aliqua differentia temporis, et quod hæc successio proveniat ex refectu rerum creatarum, non vero ex defectu æternitatis. Et ratio videtur aperta ex dictis. Nam tunc aliqua duratio, et mensura habet ex defectu sui non co-

existere semper, et immutabili modo cum rebus creatis, easque prædicto modo tangere, quando licet ipsis non repugnet, ut facta suppositione suæ futuritionis, semper, et immutabili modo sint ab aliqua superiori mensura, et duratione tangibiles, eique immutabiliter coexistant, nihilominus talis duratio non habet semper, et immutabili modo eas sic tangere, illisque coexistere: sed rebus creatis existentibus successive in aliqua differentia temporis, sive præsenti, sive præterita, vel futura, non repugnat, ut semper, et ab æterno sint immutabili modo tangibiles a duratione superiori, et eminentissima: ergo hoc ipso, quod duratio illa superior nempe æternitas, non tangat semper, et immutabili modo illas, seu immutabiliter illis non coexistat, proveniet hoc ex defectu immutabilitatis ejusdem æternitatis.

Major non indiget probatione. Nam hoc ipso, quod rebus creatis, facta suppositione suæ futuritionis, non repugnet ille contactus, et coexistentia immutabilis ad prædictam durationem superiorem, oportet ut si duratio hæc non tangat, et coexistat illis semper, et immutabiliter, quod hoc proveniat ex defectu, et mutabilitate ejus, et non solum ex mutabilitate et successione, quam res creatæ in propria duratione habent.

Minor autem ex iis, quæ nuper dicebamus, etiam constat. Quoniam hoc ipso, quod res aliquando habeat existentiam in aliqua differentia temporis, sive præsenti, sive præterita, vel futura, est ex se semper, et immutabili modo tangibilis a duratione infinita, quæ semper, et immutabili modo habet virtualiter esse infinite extensam in ratione durationis, atque adeo habet simul, et semel totam illam durationem quæ est in omni duratione temporis, sive præsenti, sive præterita, et futura: alioqui enim omnes istæ differentiæ temporis non continerentur intra lineam durationis, nec ipsa æternitas esset infinite extensa virtualiter intra eandem lineam.

Confirmatur.

99 Confirmatur. Nam ideo intellectio divina semper, et ab æterno, ac immutabili modo terminatur ad res existentes in aliqua differentia temporis hoc ipso, quod in aliqua earum existant, ita ut ibidem nec ex parte rerum, nec ex parte intellectionis sit aliqua successio in ordine ad prædictam terminationem, quia est intellectio æternitate mensurata (quod quidem cum proportione de voluntate divina dicimus) et ideo si non mensuraretur æternitate, non repugnaret, ut in tempore, et mutabiliter terminaretur ad illas: et hoc ipso, quod sic ad eas terminaretur, esset ibidem successiva ex parte utriusque extremi, scilicet intellectionis, verbi gratia, et rerum intellectarum: ergo potiori ratione æternitas ipsa terminabitur in sua mensuratione ad easdem res existentes in aliqua differentia temporis modo quodam immutabili, atque adeo semper, et ab æterno, et hoc ipso, quod ad illas hoc modo non terminetur, dabitur successio, tam ex parte rerum creatarum, quam ex parte æternitatis.

Antecedens videtur certum. Nam propterea noster intellectus terminatur ad res existentes in aliqua differentia temporis, quia non mensuratur æternitate, tanquam propria, et adæquata mensura: et ita si per illam hoc modo mensuraretur, non admitteret aliquam successionem, aut mutabilitatem; siquidem æternitas præsupponit, aut necessario includit immutabilitatem omnimodam. Et similiter hoc ipso, quod intellectus noster mutabiliter terminetur, intercedit ibidem successio, et mutabilitas ex parte utriusque extremi, scilicet ex parte nostri intellectus, et rerum intellectarum; alioqui enim sufficeret, ad hoc, ut intellectus in tempore, et mutabiliter terminaretur ad res intellectas, quod esset aliqua successio ex parte earum, licet non esset successio ex parte intellectus, et intellectionis: et ita posset divinus intellectus absque aliqua mutatione sui terminari in tempore ad res temporaliter existentes, cujus oppositum infra ostendemus. Consequentia vero probatur ex illo communi axiomate: *Propter quod unumquodque tale, et illud magis.*

§ IV.

Proponitur secunda ratio pro assertione.

100 Secunda vero fundamentalis ratio nostræ assertionis sumitur ex eodem Angelico Doctore locis cit. et in art. 15. hujus quæst. potestque ad hanc formam reduci. Quoniam scientia Dei est invariabilis: ergo nullum futurum habet physice, et realiter rationem futuri respectu ipsius; ita ut ab æterno non sit præsens, et physice coexistens illi: ergo cum non habeat hanc præsentiam in *nunc* nostri temporis,

temporis, habebit utique eam, ex eo, quod prædicta scientia æternitate mensuratur, et respectu æternitatis nullum futurum habet rationem futuri non coexistentis physice ab æterno in ordine ad illam. Antecedens cummuniter admittitur a Theologis; quia alioqui in divina scientia èsset aliqua imperfectio potentialitatis, et successionis.

Prima vero consequentia, in qua posterior innititur, ex antecedenti constat. Nam si Antichristus, verbi gratia, esset ab æterno futurus physice, et realiter respectu divinæ scientiæ, non vero esset ei in *nunc* æternitatis ab æterno coexistens, sed solum temporaliter, et decursu temporis, tunc variaretur prædicta scientia. Nam ab æterno cognovisset Antichristum, ut sibi futurum : et accedente eo tempore, quo esset sibi physice præsens, cessaret illa scientia, ut terminabatur ad ipsum, quatenus actu futurum, et inciperet alia, qua cognosceret ipsum, ut actu sibi præsentem in mensura æternitatis; et per consequens esset intrinseca variatio in divina scientia.

101 Quam rationem desumpsit Ang. Doct. ex Aug. lib. 2. ad Simplician. quæst. 2. sub his verbis : *Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim in scientia res ipsas habet, non sunt futuræ, sed præsentes, ac per hoc non jam præscientia, sed scientia tantum dici potest. Si autem sicut in ordine temporalium creaturarum, ita et apud eum nondum sunt, quæ futura sunt, sed ea prævenit sciendo : bis ergo ea sentit, uno quidem modo secundum futurorum præscientiam : altero vero modo secundum præsentium scientiam. Aliquid ergo temporaliter accedit scientiæ Dei, quod absurdissimum, atque falsissimum est.*

Effugium adversariorum.

Et autem hæc ratio ita efficax, ut ea solummodo expensa facile corruat evasio adversariorum, dum inquiunt, non sequi hinc variationem in divina scientia, ex eo, quod Deus ab æterno scivit, Antichristum esse futurum, præsentem, et præteritum respectu æternitatis, et suæ scientiæ; non quidem in una, et eadem differentia temporis, sed in diversis, ita ut ab æterno sciat, quod ab æternitate usque ad tempus nativitatis Antichristi est sibi futurus, et a nativitate usque ad mortem ejus est eidem divinæ scientiæ, et æternitati præsens, et a morte, et deinceps usque in infinitum, est etiam sibi præteritus; ad eum proportionalem modum, quo juxta nostram sententiam, non sequitur variatio in eadem scientia, ex eo, quod cognoscat eundem Antichristum ut nunc futurum nobis, et postea aliis præsentem, ac tandem ut præteritum, respectu aliorum : quia totum hoc semper, et ab æterno cognovit.

Præcluditur.

Ex dictis igitur, et ex sola aliquali expensione rationis D. Thom. hæc solutio corruit. Nam in hoc, quod ab æterno cognoverit Deus Antichristum esse sibi præsentem, præteritum, et futurum in distinctis differentiis temporum, necessario involvitur, quod cognoscat, illum non esse sibi ab æterno præsentem physice, et realiter in mensura æternitatis, sed esse sibi futurum ab æterno usque ad tempus nativitatis ejus, et quod adveniente tali tempore, nequeat cognoscere esse tunc sibi futurum, alioqui cognitio illa esset falsa, sed quod tunc cognoscat esse sibi physice, et realiter præsentem in eadem mensura æternitatis, non vero futurum, aut præteritum : ergo adveniente prædicta nativitate desinet cognitio illa, qua cognoscebatur ut futurus : siquidem revera jam non est futurus, sed præsens : et incipiet alia, qua cognoscatur, ut tunc sibi præsens : et ita erit variatio in divina cognitione.

Corroboratur.

102 Confirmatur, et explicatur. Nam juxta hanc solutionem Deus non habet modo hanc cognitionem, *Antichristus est meæ infinitæ scientiæ, et æternitati physice, et realiter præsens*, alioqui (ut modo dicebamus) divina scientia falletur : bene tamen hanc, *Antichristus est meæ infinitæ scientiæ, et æternitati futurus*. Et deinde adveniente nativitate ejusdem Antichristi, Deus non potest habere cognitionem, qua judicet, tunc esse sibi futurum, cum hoc sit omnino falsum; bene tamen hanc *Antichristus est nunc meæ infinitæ scientiæ, et æternitati præsens* cum tamen toto tempore antecedenti non potuerit habere prædictam cognitionem, qua judicet, quod eo tempore habet sibi physice, et realiter coexistentem eundem Antichristum; ergo necesse erit, ut sit aliqua variatio in divina scientia : siquidem a tempore nativitatis Antichristi habet aliquam cognitionem, quam tamen ab æterno non potuit habere.

Aliud contrariorum effugium.

103 Nec potest responderi admittendo, quod revera Deus ultra illam cognitionem, qua ab æterno cognovit, Antichristum esse sibi in diversis differentiis temporum futurum, præteritum, et præsentem, habet adveniente nativitate ejusdem Antichristi cognitionem istam : *An-*

tichristus modo est meæ infinitæ scientiæ, et æternitati physice, et realiter præsens, et non futurus, aut præteritus : Et adveniente morte illius habet istam : *Modo Antichristus, nec est meæ scientiæ et æternitati præsens, aut futurus, sed solum præteritus.* Cæterum hoc non provenit ex variabilitate, et mutatione divinæ scientiæ, sed solum ex variatione, et defectu objecti.

Impugnatur primo ex D.Thom.

Nam contra hoc est, tum quod hæc solutio est expresse contra D. Thom. in hac quæst. art. 15. in solutione ad 2. ubi sic habet : *Ex hoc tamen, quod scit, quod aliqua possunt esse, quæ non sunt, vel etiam non esse, quæ sunt, non sequitur, quod scientia sua sit variabilis, sed quod cognoscat rerum variabilitatem. Si tamen aliquid esset, quod prius Deus nescivisset, et postea sciret, esse ejus scientia variabilis : sed hoc esse non potest : quia quidquid est, vel potest esse secundum aliquod tempus, Deus in æterno suo scit. Et ideo ex hoc, quod ponitur aliquid esse secundum quodcunque tempus, oportet poni, quod ab æterno sit scitum a Deo. Et ideo non debet concedi, quod Deus possit scire plura quam sciat. Quia hæc propositio implicat, quod ante nesciverit, et postea sciat.*

Alia impugnatio.

Tum etiam, quod denominatio scientia non est denominatio extrinseca, sed intrinseca, et juxta modum ipsius cognoscentis ; atque adeo, modo statim explicando, mensurata æternitate, ergo non poterit ex aliquo capite variari, sed omnia connotata, et objecta, quæ ad illam desiderantur, debent ex suppositione, quod aliquo modo ad illam concurrant, esse immutabilia, seu immutabiliter coexistere æternitati, ut mensuræ superiori, et excedenti.

Confirmatio, et solutio tacitæ objectionis.

104 Confirmatur, et explicatur, et simul tacita quædam objectio diluitur. Nam licet possit contingere, ut aliqua denominatio intrinseca, et immanens incipiat de novo absque variatione intrinseca ejus, quod denominatur, sed solum per variationem objecti, aut connotati alicujus, ex eo quod connotatum illud ad prædictam denominationem desiderabatur : ut juxta probabilem sententiam contingit in speciebus Angelicis, quæ ante existentiam alicujus individui non repræsentabant illud ut existens, sed tantum naturam specificam, sub qua continetur ; bene tamen adveniente existentia ejusdem individui : et ita denominantur de novo intrinsece repræsentantes illud per solam variationem objecti : attamen hoc ideo contingit, quia species illæ sub illo expresso conceptu, et denominatione, sub qua concipiuntur, ut repræsentantes prædictum individuum, ut existens, non mensurantur quoad illud exercitium, adhuc secundum quod se tenet ex parte earum per eandem mensuram ita fixam, et immobilem, sicut mensurantur quoad suam entitatem intrinsecam sub expresso, et formalissimo conceptu, sub quo concipiuntur, ut repræsentantes eandem naturam, et individua ejus ut possibilia. Nam secundum hanc posteriorem considerationem mensurantur ævo, non minus quam ipsa substantia Angelica, cum qua incipiunt, quamque semper, et inseparabiliter concomitantur ; at secundum priorem considerationem mensurantur tempore Angelico. Et ita si secundum utramque considerationem eadem mensura mensurarentur, deberent, secundum utramque, eandem stabilitatem, et immobilitatem habere ; ergo cum denominatio cognoscentis, secundum quod ex parte Dei terminatur, non solum in actu signato, sed in actu exercito ad creaturas, mensuretur æternitate : hoc ipso, quod sit in Deo, oportet, ut semper sit fixa, et stabilis ; ac proinde ab æterno, et usque in æternum perseverans ; alioqui non mensuraretur æternitate, ut propria, et adæquata illius mensura ; et per consequens debet ab æterno habere omnia connotata, quæ ad hoc, ut denominatio illa ab æterno existat, desiderantur.

105 Confirmatur, et explicatur secundo. Nam licet possit contingere, quod aliqua denominatio intrinseca conveniat Deo ex tempore, non quidem quoad ea, quæ in recto importat, sed quoad id, quod adæquate dicit, ex eo, quod talis denominatio connotat aliquod objectum creatum, prout est præsens in sua propria, et adæquata duratione, et ita nec prædicta denominatio quoad id, quod adæquate dicit, mensuratur per æternitatem, tanquam per mensuram propriam, et adæquatam, nec etiam quoad id, quod ex parte Dei, et in actu exercito se tenet ; attamen denominatio intrinseca, quæ convenit Deo connotando rem creatam non secundum modum, secundum quem est in se ipsa, sed secundum modum, secundum quem est in Deo, non potest non per æternitatem, ut per propriam mensuram

mensuram mensurari, adhuc quoad id, quod ex parte Dei in actu exercito se tenet : at proprium est cognitionis, et denominationis cognoscentis, quod feratur ad res secundum modum ipsius cognoscentis, et secundum *esse*, quod habent in illo, quia cognitio sit per hoc, quod cognitum, modo alibi explicato, sit in cognoscente : ergo denominatio cognoscentis in Deo debet quoad actuale exercitium, prout se tenet ex parte Dei, mensurari æternitate, tanquam per propriam mensuram, et omnia connotata ad illam desiderata esse fixa, et immobilia in æternitate : et per consequens non potest Deus denuo in tempore cognoscere aliquid, quod antea non cognoscebat, nec esse physice, et realiter denuo præsens illi, quod antea non erat sic eidem præsens.

Probatio majoris quoad secundam partem.

106 Minor cum utraque conseq. satis videntur constare. Major autem quoad secundam partem, quia brevior, et facilior suasu est, sic ostenditur. Quia exercitium, quod est in aliquo circa rem aliquam secundum modum essendi, secundum quem est in ipso, debet mensurari, tanquam per propriam mensuram, per mensuram propriam exercentis : et in Deo non est alia mensura propria, et adæquata ipsi, nisi tantum æternitas : atque ita omnia connotata extrinseca ad prædictum exercitium desiderata, debent esse stabilia, et fixa, et per eandem æternitatem, ut per mensuram communem, et superexcedentem mensurari : alioqui enim prædictum exercitium, ut se tenet ex parte Dei, non posset (ut modo dicebamus) per æternitatem, ut per mensuram propriam mensurari.

Duplex probatio illius quoad primam partem.

Quoad priorem vero partem eadem major suadetur. Tum quia ad prælictam denominationem adæquate sumptam desideratur aliquid temporale, prout est in se ipso præsens in propria duratione : et ita sic considerata nequit æternitate mensurari : sicut nec etiam potest per eandem mensurari, ut per mensuram propriam, et adæquatam, quoad id, quod ex parte Dei, et in actu exercito se tenet. Quia ad hoc exercitium, sub conceptu talis requiritur prædictum connotatum, ut est præsens in sua temporis differentia : et ideo ad summum prædicta denominatio mensuratur per æternitatem, tanquam per mensuram propriam, et adæquatam quoad entitatem divinam, ac proinde, et quoad id, quod ex parte Dei in actu signato se tenet.

Tum etiam : quia in relationibus Domini et Creatoris fundamentaliter sumptis, necnon in denominatione intrinseca, qua Verbum denominatur unitum humanitati, id cernitur. Nam sicut unitur per modum actus puri, ita se ipso est extremum unibile, et ipsa unio ex parte sui, ac proinde talis denominatio est illi intrinseca : licet quia talis unio connotat unionem humanitatis, prout est in propria duratione, ad Verbum, propterea exercitium prædictæ unionis, adhuc prout se tenet ex parte Verbi, non mensuratur æternitate, ut propria, et adæquata ejus mensura : non quidem ex defectu Verbi, et entitatis unionis, ejusdem Verbi, sed ex defectu humanitatis, et unionis tenentis se ex parte illius, et terminatæ ad ipsum Verbum.

Elucidatio præcedentium ex eleganti testimonio D.Thom.

107 Quæ omnia eleganter tradidit D. Thom. art. 15. hujus quæst. in solutione ad 1. ubi cum sibi sic objecisset : *Scientia relative dicitur ad scibile : sed ea, quæ important relationem ad creaturam ; dicuntur de Deo ex tempore, et variantur secundum varietatem creaturarum : ergo scientia Dei est variabilis secundum variationem creaturarum.* Respondet in hunc modum : *Dicendum, quod Dominus, Creator, et hujusmodi important relationem ad creaturas, secundum quod in se ipsis sunt : sed scientia Dei importat relationem ad creaturas, secundum quod sunt in Deo : quia secundum hoc est unumquodque intellectum in actu, quod est in intelligente : res autem creatæ sunt in Deo invariabiliter, in se ipsis autem variabiliter. Vel aliter dicendum est, quod Dominus, Creator, et hujusmodi important relationes, quæ consequuntur actus, qui intelliguntur terminari ad ipsas creaturas, secundum quod in se ipsis sunt. Et ideo hujusmodi relationes varie de Deo dicuntur, secundum variationem creaturarum. Sed scientia, et amor, et hujusmodi important relationes, quæ consequuntur actus, qui intelliguntur in Deo esse. Et ideo invariabiliter prædicantur de Deo.* Sed circa hæc, et ut intelligatur id, quod de amore Sanctus Doctor docet, videantur ea, quæ ipse infra quæst. 19. art. 7. docet, et nos ibidem notabimus.

Objectio.

108 Nec refert, si urgeas, quod ex hac doctrina potius videtur sequi, cognitionem illam, qua Deus cognoscit, nunc esse suæ æternitati, et cognitioni realiter, et physice præsens hoc universum, terminari ad illud prout est in se ipso, et ita cognitionem

hanc intuitivam posse incipere in tempore, quoad actuale exercitium illius, etiam ex parte Dei, non quidem ex defectu sui, sed ex defectu connotati, nempe hujus universi : quod solum in tempore habet esse.

Enodatio. Non itaque hoc refert. Nam sicut cum dicitur, res possibiles cognosci ab æterno a Deo, secundum *esse*, quod habent in ipso, seu divinam cognitionem terminari ad illas, secundum modum ipsius cognoscentis, non est sensus, quod prædicta cognitio non habeat veluti transire ad cognoscendas easdem creaturas, quoad *esse* propriam illarum; sed quod cognoscens attingit res trahendo illas ad se; et ratio attingendi ipsas est *esse*, quod habent in cognoscente : ita cum e converso dicitur, quod creaturæ existentes cognoscuntur a Deo intuitive, prout sunt in se ipsis, non est sensus, quod ratio cognoscendi illas sit *esse*, quod habent in se ipsis; sed quod cognitio habet veluti transire ad attingendas eas, quoad *esse* existentiæ exercito, quod habent in se, et quod eisdem realiter, et physice coexistit : quamvis necesse sit, ut cognoscens, nempe Deus trahat illas ad se, et habeant *esse* in illo : et ratio hujus transitus, et cognitionis sit *esse*, quod habent in Deo : ac proinde debent in variabili modo trahi, et repræsentari in divina essentia : siquidem cognitum debet trahi, et esse in cognoscente secundum modum proprium ipsius cognoscentis : cumque *esse* existentiæ rerum creatarum nequeat invariabiliter trahi, et repræsentari in eadem essentia, nisi invariabiliter, et fixe sit præsens, et hoc nequeat habere *esse* creatum in sua propria duratione, oportet ut in remedium hujus detur æternitas, et præsentia rerum creatarum fixa, et immobilis in eadem æternitate, ut ita fixe, et immobiliter possint repræsentari in divina essentia; et cognitio illa perfici secundum modum cognoscentis, et *esse*; quod habet in ipso. Sed circa hæc videantur ea, quæ N. Complut. in lib. de Anima, disp. 21. quæst. 5. maxime vero num. 94. docent.

Corollarium, et major impugnatio solutionis adversariorum. 109 Ex quo tandem fit non esse alicujus roboris id, quod adversarii in priori solutione hujus rationis num. 101. adducebant, nimirum quod sicut, juxta nostram sententiam, Deus cognoscit ab æterno Antichristum, ut nobis futurum, et ut præsentem iis, qui simul cum eo pro tempore futuro coextiterint, et nihilominus non inde sequitur variatio in divina scientia, ita licet Deus cognoscat Antichristum, ut sibi aliquando futurum, et non præsentem, et e contra, non inde colligetur aliqua variatio in eadem scientia.

Non itaque hoc alicujus est roboris. Quoniam juxta nostram sententiam, futuritio Antichristi respectu nostri, et præsentia ejusdem respectu aliorum, semper, et immutabiliter est præsens respectu Dei : et ideo potest semper, et invariabiliter sciri a Deo. Cæterum juxta modum dicendi adversariorum, et solutionem ab eis adhibitam, hoc ipso, quod Antichristus sit aliquando futurus respectu Dei, non vero præsens, habet præsentialitatem, et futuritionem variabiliter respectu ipsius, et propterea nequit invariabiliter sciri a Deo, ut ostensum est.

§ V.

Respondetur fundamentis oppositæ sententiæ.

Ad m 110 Ad primum constat ex dictis, quomodo ad hoc, ut aliquid sit præsens in æternitate, ut in mensura, et duratione superexcedenti, et communi, satis sit, quod habeat existentiam in se ipso pro tempore futuro. Nam eo ipso æternitas propter suam infinitam extensionem virtualem in ratione durationis, extenditur ad actu ambiendum, et quasi tangendum illud : et quia totam illam durationem simul, et ab æterno habet, extenditur simul, et ab æterno ad continendum, et coexistendum ipsi.

fo a m Unde ad formam argumenti distinguenda est major : *Nisi in seipso eodem modo existat*, vel in tempore præsenti, vel saltim in futuro concedenda est, respectu durationis superexcedentis, qualis est æternitas : *Nisi in se ipso eodem modo existat*, præcise in tempore præsenti, neganda est, respectu ejusdem mensuræ superexcedentis, seu respectu æternitatis. Et deinde eodem proportionali modo distinguenda est minor : et si sensus sit, quod futura contingentia antequam sint in propria mensura, nec habent de præsenti, nec de futuro existere physice in se in eadem mensura, negari debet; secus vero si sensus fuerit, quod antequam sint in propria mensura, non habent de præsenti existere physice in se. Et ideo neganda est consequentia. Quia, ut nuper innuebamus, ut aliquid coexistat ab æterno

æterno æternitati in *nunc* ipsius æternitatis, satis est, quod existat in aliqua temporis differentia. Per quod etiam ad probationem majoris, et minoris ibidem adductæ satis constat.

Occurritur aliis verbis formæ argumenti.

111 Vel poterit aliis verbis ad formam ejusdem argumenti occurri, distinguendo eandem majorem : *Nisi in se seipso eodem modo existat*, vel in propria et adæquata duratione, vel in alia superexcedenti, nempe æternitate, concedenda est : *Nisi in se ipso eodem modo existat*, in propria mensura, negari debet. Et eodem proportionali modo distinguatur minor : *Non habent realiter, et physice existere in se* in propria, et adæquata duratione, concedatur : in aliena, et superexcedenti, videlicet in æternitate, negetur. Et deinde negari debet consequentia. Nam futura eodem modo existunt, et coexistunt æternitati. Quia sicut non existunt in se in propria mensura, sed in mensura æternitatis, ita non coexistunt ipsi in sua ipsorum mensura, sed in mensura æternitatis : quamvis, ut nuper dicebamus, satis sit ad hoc, ut res semper sit existens in æternitate, quod ab æterno habeat esse futuram : quia non est existens ab æterno in æternitate, nisi ratione illius existentiæ, quam pro tempore futuro habebit : et non ratione alterius existentiæ, quam antea habebat : siquidem, ut jam diximus, hoc ipso, quod pro tempore futuro habebit existentiam, æternitas extenditur ab æterno ad actu ambiendum rem illam, et ei ab æterno coexistendum.

Approbatur solutio inter arguendum tradita.

112 Quare solutio ibidem tradita, optima est. Et ad probationem patet ex dictis, quomodo distinguendum sit antecedens : *Quin in se eodem modo sit ens reale*, vel in tempore præsenti, vel in futuro, concedendum : *Quin in se eodem modo sit ens reale*, in tempore præsenti, negandum est, vel aliis verbis : *Quin eodem modo sit in se ens reale*, in propria, aut in aliena mensura, concedi poterit, in propria tantummodo mensura, de præsenti existente negari debet.

Et eodem proportionali modo distinguendum est consequens, juxta priorem distinctionem : vel negari consequentia juxta posteriorem, si consequens intelligatur de existentia in mensura propria pro solo tempore præsenti. Et ad probationem constat ex modo dictis, quomodo licet ad hoc, ut sit aliquid in se ens physice, et realiter, seu ad hoc ut habeat essentiam realem actualem, requiratur, quod existat, et quod fiat; attamen ad hoc ut existat in aliena mensura, virtualiter, et infinite extensa, satis est, quod in aliqua differentia temporis habeat prædictam realitatem, et actualitatem.

Ad primam confirmationem.

Per quod ad primam confirmationem satis constat. Quoniam antecedens est verum, si sensus illius sit, quod sit prius rem existere in mensura, seu duratione propria, vel in tempore præsenti, vel in futuro, quam existere in mensura aliena, et superexcedente : secus vero si sensus illius fuerit, quod prius sit, rem existere in mensura propria in tempore præsenti solummodo, quam existere in prædicta mensura superexcedente, ut ex dictis constat.

Ad secundam confirmationem.

113 Ad secundam confirmationem respondetur, omnia prædicata convenientia rei in æternitate, competere illi etiam in mensura propria, præterquam prædicatum illud, in quo explicatur modus essendi rei in æternitate. Nam cum modus iste sit diversus ab eo, qui convenit rei in propria mensura, non debet illi in sua propria mensura convenire. Et ita falsum est, rem in propria mensura esse ab æterno, si ly *in propria mensura* importet durationem propriam rei mensurantem coexistentiam ipsius ad æternitatem, quamvis possit esse verum, si solum per hoc significetur, rem cum propria mensura contineri ab æterno in æternitate : ex eo, quod æternitas ratione suæ infinitæ durationis extenditur simul, et immutabiliter ad pertingendum omnem temporis differentiam, aliquando existentem, et quamcunque rem in illa contentam. Cæterum, quia hæc propositio : *Res in propria mensura est ab æterno*, reddit absolute prolata, juxta communem concipiendi modum, priorem sensum, non vero posteriorem, ideo absolute neganda est.

Potestque hoc explicari exemplo sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti, in quo omnia prædicata convenientia Christo extra sacramentum, competunt eidem in sacramento, et e converso, præter prædicata illa, in quibus importantur modi essendi in illo, vel extra ipsum : et ita extra sacramentum non est sub speciebus, nec in sacramento adest modo quantitativo.

114 Ad secundum bene respondetur ibidem, si tamen solutio illa juxta modo dicta intelligatur. Et ad primam probationem in contrarium, negandum est an-

tecedens. Quia res non habet absolute, et simpliciter, ac juxta communem concipiendi modum esse, nisi dum existit in propria, et adæquata mensura. Sicut etiam non habet absolute, et simpliciter, ac juxta eundem concipiendi modum creari, nisi dum fit in eadem mensura propria, et adæquata.

Ad secundam vero probationem constat ex dictis, concedendum esse antecedens, et primam conseq. in sensu jam insinuato, et distinguendum esse consequens secundæ. Unde si sensus illius sit, quod sicut res in propria existentia sunt ab æterno, ita etiam in propria duratione, ut in mensura mensurante coexistentiam illam cum æternitate, neganda est conseq. Si vero sensus fuerit, quod sicut res cum propria existentia est ab æterno in mensura æternitatis, ita etiam cum propria duratione quia utrumque continetur in illa, concedenda erit consequentia.

Ad tertium. 115 Ad tertium concedenda est major, juxta ea, quæ statim dicemus, et neganda minor. Quoniam diversitas, secundum quam æternitas respicit rem, dum actu existit, et dum habet esse præteritam, vel futuram, non consistit in hoc, quod hæc respiciantur ab illa successivo modo ; ita ut futura respiciantur ab illa præcise, ut futura, seu præcise, ut aliquando non coexistentia, sed coextitura ipsi : quia, ut sæpe diximus, æternitas semper, et immutabili modo respicit præsentia, præterita, et futura, et simul ac immutabiliter coexistit omnibus istis, et omnia ista ipsi. Sed diversitas consistit in hoc, quod æternitas quatenus virtualiter continet tempus, in quo Abraham. v. g., erat præsens, coexistit ab æterno illi, ut secundum suam existentiam est præsens : et quatenus continet tempus futurum, in quo Antichristus erit præsens, habet etiam ab æterno coexistere ipsi. Sicut etiam, secundum quod præhabet tempus illud, prævium ad existentiam Abrahæ, in quo verificabatur, non quidem quod Abraham erat, sed quod futurus erat, debet ab æterno esse coexistens futuritioni ejusdem Abrahæ, seu determinationi causarum, ratione quarum erat futurus : et quatenus continet tempus subsequutum post vitam ejusdem Abrahæ, non potest non coexistere præteritioni illius ; ita ut tam futuritio, quam præteritio eodem modo, quo possunt habere *esse*, debeant immobiliter coexistere æternitati.

116 Unde cum juxta nostram sententiam dicitur, nihil esse futurum, aut præteritum respectu æternitatis, sed omnia esse præsentia illi, non est sensus, quod præteritio, et futuritio rei eo modo, quo possunt habere *esse*, non sunt ab æterno in illa, alioqui ipsa non contineret simul, et semel omnes differentias temporis, nempe præsens, præteritum, et futurum : sed quod nihil est ei ab æterno præsens præcise secundum statum futuritionis, ita ut non sit simul ei præsens secundum statum existentiæ, et præsentialitatis (quod idem de præteritione, proportione servata, dicimus) et ideo distinguendo in futuro, verbi gratia, duo illa tempora, quæ disp. præced. num. 116. diximus in illo includi, scilicet tempus præsens, in quo est futurum, et non habet *esse*, et tempus futurum, in quo verificabitur, quod habet *esse*, tunc non est dicendum, quod habet successive coexistere æternitati ; ita ut prius coexistat illi præcise secundum id, quod habet in tempore præsenti, in quo est futurum, scilicet secundum negationem existentiæ, quam de præsenti habet, et determinationem ad essendum, quæ ei in suis causis competit : non tamen tunc coexistat eidem æternitati secundum *esse* existentiæ, quod pro tempore futuro habebit : et similiter adveniente tempore futuro, et existentia rei futuræ, non coexistat illi in ratione futuri, sed solum in ratione præsentis ; sed asserendum est, quod in eadem mensura æternitatis simul, et semel coexistit ei, ut continenti diversa illa tempora, tam secundum id, quod prædictum futurum dicit pro tempore præsenti, in quo est futurum, et non habet in se ipso *esse*, sed tantum determinationem in causis ad essendum, quam secundum id, quod affert pro tempore futuro, in quo verificabitur, quod est præsens.

Quod idem cum proportione de præterito includente duo alia tempora, nempe præsens, in quo non est, et præteritum, in quo verificatum est de illo, quod est, dicendum existimamus. Et ideo juxta hunc dicendi modum, illa relatio rationis, qua præteritio Abrahæ secundum id, quod de præsenti dicit, respicit æternitatem, semper, et ab æterno est ei suo modo in *nunc* æternitatis præsens. Sicut relatio realis, quæ pro tempore, pro quo erat præsens, ambitur ab eadem æternitate, semper, et ab æterno ab eadem ambitur.

117 Ad

Ad quartum.

117 Ad quartum respondetur, negando sequelam. Et ad probationem respondetur cum nostris Complutentibus in lib. Physic. disputat. 18. a num. 62. usque ad num. 65. esse discrimen inter res, quæ coexistunt actu in sua propria, et adæquata mensura, et inter easdemmet, ut coexistunt præcise in æternitate, tanquam in mensura superexcedente, et superiori. Nam ea, quæ coexistunt in sua propria, et adæquata duratione, sunt simpliciter simul, et in actu : et ita implicat infinita multitudo, quæ sit simul in actu in propria, et adæquata duratione. Cæterum ea, quæ coexistunt in *nunc* æternitatis, non oportet esse simpliciter, et absolute simul, sed cum addito, scilicet simultate in *nunc* æternitatis. Quia res quantumvis essentialiter successivæ, atque adeo, quæ simpliciter loquendo, nequeunt esse simul, nihilominus possunt coexistere simul in æternitate : ex eo, quod, ut sæpe diximus, est mensura superior indivisibilis, et tota simul, ambiens ratione suæ infinitæ perfectionis, tam præterita, quam præsentia, et futura. Et ideo possunt aliqua simpliciter manere infinita in potentia, et simul esse præsentia in æternitate.

Quare ex hoc, quod tota illa multitudo cogitationum sit simul in æternitate non sequitur, quod sit actu infinita, aut quod actu contineatur in aliqua specie numeri, aut in aliqua specie multitudinis, habente proportionem, vel similitudinem cum speciebus numerorum; sed solum, quod detur infinita multitudo in potentia, quæ in potentia sit in aliqua specie multitudinis : hoc autem nullum est inconveniens, ut bene explicant prædicti Patres Complutenses. Ex eo, quod cum dicitur, totam istam multitudinem infinitam in potentia esse in potentia in aliqua specie multitudinis, jam explicatæ, non est sensus, quod hæc potentia sit ad hoc, ut illa multitudo secundum se totam sit simul, et in actu in aliqua una specie numeri ; sed tantum ad hoc, ut secundum aliquas ex illis cogitationibus sit actu in aliqua, vel in aliquibus speciebus numeri : ita tamen ut semper illæ, ad quas actu pertinuerit, sint finitæ, licet reliquæ, quæ tantum in potentia sunt species, quæque fient actu tales, per hoc, quod sint multitudines mensuratæ per unum, sint talis conditionis, ut quavis data, possit alia, et alia in infinitum dari. Ex quo, ut patet, nullum sequitur inconveniens, sed tantum, quod possit dari infinitum in potentia.

Ad quintum. Ad primum absurdum.

118 Ad quintum, quod ex variis absurdis ex nostra sententia illatis coalescit, negandum est ea ex illa sequi. Et ad primum absurdum negari debet antecedens. Quia sicut futurum non habet rationem præsentis, seu existentis in se respectu æternitatis, nisi ratione illius existentiæ, quam pro tempore futuro habebit, et non ratione alterius, quam ante habeat, ita non est necessarium, ut fiat alia actione, sed eademmet, quæ pro tempore futuro erit præsens : ex eo, quod æternitas ratione suæ infinitæ extensionis virtualis, quam totam simul habet, extenditur quantum satis est ad pertingendum semper, et ab æterno usque ad talem actionem, et differentiam temporis, in qua continetur.

Ad secundum.

119 Et ad secundum absurdum, concedi potest antecedens, si ly *In hoc instanti, et quolibet instanti nostri temporis,* dicat instans mensurans veritatem propositionis præcise. Quia tunc tantum significatur, quod in quolibet instanti nostri temporis est verum, Antichristum existere semper æternitati in ipsa mensura æternitatis. Et ad hoc satis est, quod Antichristus ab æterno sit futurus, seu quod aliquando existat in aliqua differentia temporis : nam eos ipso æternitas ratione suæ virtualis extensionis extendetur ad actu ambiendum illum. Cæterum idem antecedens negari debet, si ly *In instanti, et in quolibet instanti nostri temporis,* dicat instans mensurans coexistentiam æternam Antichristi ad æternitatem, ut ostensum est.

Et ad probationem in contrarium negandum est antecedens. Quia non bene sequitur, *Antichristus est in æternitate ; ergo Antichristus est :* ex eo, quod ad hoc, ut sit in æternitate, satis est, ut sæpe diximus, quod in aliqua temporis differentia aliquando sit in se : ac proinde satis est, quod aliquando, id est, pro tempore futuro habeat existentiam : at, ut supra innuimus, per hoc, quod absolute, et simpliciter dicatur, Antichristum esse, innuitur secundum communem loquendi, et concipiendi modum, quod sit in se, in sua propria, et adæquata mensura de præsenti. Unde virtualiter ibidem arguitur ab amplo ad non amplum affirmative : ut si diceretur, *Antichristus est, vel erit : ergo Antichristus est ;* siquidem ut Antichristus sit in æternitate, satis est, quod sit modo in se existens, vel quod pro tempore futuro erit existens : et ad hoc,

ut absolute, et simpliciter dicatur esse, requiritur, ut actu, et de præsenti habeat in se ipso, et in sua propria mensura, scilicet in *nunc* nostri temporis, suam existentiam

Ad tertium absurdum.

120 Ad tertium absurdum neganda est sequela. Et ad probationem dicendum est, quod licet res, quoad nos futuræ, præsupponantur jam præsentes in æternitate; non tamen fiunt in tempore ex illo *esse*, quod habent in æternitate, tanquam ex termino *a quo*, quia est illudmet, quod pro tempore futuro habebunt : ex eo, quod æternitas ratione suæ virtualis, et infinitæ extensionis, quam ab æterno habet, extenditur quantum satis est, ut pertingat semper ad quamlibet rem futuram pro tota æternitate: constat autem nihil posse fieri ex se ipso, tanquam ex termino *a quo* : sed fiunt ex *non esse*, quod tam in tempore antecedenti, quam in æternitate habent; quia, ut num. 116. tetigimus, sicut *esse*, quod Antichristus in tempore futuro habebit, est ab æterno præsens in æternitate, ut ambit illam differentiam temporis, *non esse* illius, quod modo habet, est etiam ab æterno præsens eidem æternitati, prout hanc temporis differentiam continet.

Ad quartum.

121 Ad quartum absurdum, neganda est etiam sequela, si intelligatur de coexistentia ad invicem Antichristi, et Adami in propria, et adæquata duratione cujuslibet. Et ad probationem in contrarium dicendum est, quod sicut ea, quæ identificantur cum uno tertio adæquate, taliter ut quodlibet eorum cum illo habeat adæquate identificari, tunc identificantur inter se secundum proprias realitates, ita quæ eodem modo coextiterint adæquate uni tertio, coexistent etiam inter se secundum proprias durationes. At Antichristus, et Adamus non coexistunt æternitati adæquate, sed inadæquate, et tanquam mensuræ superiori, et superexcedenti. Nam quilibet eorum coexistit illi, ut continenti proprium illius tempus; non vero ut continet tempus, in quo alius habuit, vel habebit *esse* : et propterea non oportet, ut coexistant inter se secundum proprias durationes, sed potius oppositum hinc sequitur.

Potestque id explicari exemplo lectionum vespertinæ, et matutinæ, quæ sunt in eodem die; et tamen non coexistunt ad invicem secundum proprias durationes : quia non coexistunt adæquate illi diei, sed inadæquate, ac ratione diversarum partium formalium illius. Ita ergo similiter Adamus, et Antichristus coexistunt in æternitate ratione diversarum partium virtualium contentarum in ipsa, et ideo non coexistunt inter se secundum proprias durationes.

122 Ad quintum absurdum, negari etiam debet sequela. Nam in primis illæ duæ propositiones, nimirum *Antichristus est, et Antichristus non est*, si ly *est* dicat esse in æternitate, non verificantur ambæ de Antichristo. Nam negativa est falsa : quia absolute negat, Antichristum esse in æternitate : et ita negat esse in illa adhuc, secundum quod æternitas continet tempus futurum, in quo verificabitur, quod Antichristus est in sua propria duratione : quia negatio illa est malignantis naturæ, negans quidquid post se invenit. Et deinde reliquæ propositiones ibidem adductæ, nempe, quod Antichristus corrumpitur, et generatur, moritur, et existit, non sunt contradictoriæ. Quia tantum faciunt hunc sensum, nempe quod generatio, et corruptio Antichristi sunt in æternitate : et quod existentia illius est in æternitate : et similiter non existentia : hoc autem nullum est inconveniens, quia neutrum istorum adæquate est in illa; sed quatenus continet diversa illa tempora, in quibus unum quodque eorum existit. Sicut non est inconveniens, quod si copula uniat pro toto anno, sicut unit pro tota æternitate, tunc hæ duæ propositiones sint veræ, *Petrus est existens, Petrus non est existens, Petrus moritur, Petrus generatur.* Quia nec mors, nec generatio, nec *esse*, nec *non esse* illius coexistunt adæquate eidem anno.

123 Ad ultimum absurdum, neganda est sequela. Et ad primam probationem concesso antecedenti, et prima consequentia intellecta in sensu composito, ut revera ibidem intelligitur, neganda est secunda, si consequens reddat sensum divisum, quamvis possit concedi, si reddat sensum compositum : alioqui eadem ratione probaretur, non esse modo in potestate liberi arbitrii aliquid facere, hoc ipso, quod Deus præviderit ab æterno actum illum ab eadem libertate creata faciendum. Sed circa hæc videantur ea, quæ dub. 2. disputationis præcedentis fere in simili diximus, necnon illa, quæ circa sensum compositum, et divisum in tract. 4. disp. 10. num. 84. et deinceps dicemus.

Ad secundam vero probationem, concessa utraque præmissa, negari debet conseq. Et ratio disparitatis est. Nam si futurum contingens haberet *esse* in tempore, antequam

antequam produceretur a libero arbitrio, respectu illius se haberet mere passive, ut dixit Lutherus : quia solum reciperet actionem productam ab alio, et non a se ipso. Unde respectu illius non esset causa libera : hoc autem non sequitur ex hoc, quod futura contingentia, et libera habeant *esse* in æternitate, antequam quoad nos producantur in tempore. Etenim sicut Deus intuetur in sua æternitate actum nostrum liberum, qui futurus est tali tempore, ita etiam intuetur in eadem æternitate causam liberam illius actus, libere illum producentem : quamvis respectu nostri temporis illa productio sit futura.

DUBIUM IV.

Utrum æternitas, et præsentia jam explicata futurorum in illa sit omnino necessaria, ad hoc, ut Deus certo et infallibiliter cognoscat futura contingentia absoluta, antequam sint præsentia in sua propria, et adæquata mensura, seu quoad nos?

Explicatio tituli

124 Postquam explicuimus, quomodo præsentia futurorum ab æterno in *nunc* æternitatis conducat ad hoc, ut Deus illa certo cognoscat, restat explicare, an non solum conducens, verum etiam omnino necessaria sit ad hoc, ut Deus habeat prædictam cognitionem infallibilem de illis? Et ideo ad hoc explicandum præsens dubium excitamus. Et licet dubii hujus decisio satis constet ex præcedentibus, nihilominus ut vera D. Thom. et aliorum Patrum sententia, quoad modum cognoscendi prædicta futura, magis constet, et aliquibus objectionibus adversariorum occuratur, propterea sigillatim illud excitavimus.

Cæterum ejus, ut decisio melius capiatur, notandum est, consulto in titulo positam esse duplicem illam particulam, scilicet : *Verum æternitas, et præsentia jam explicata futurorum in illa*, etc. ut denotetur in duplici sensu, seu hypothesi posse dubium hoc discuti. Primo, an æternitas sit ita necessaria ad cognoscenda futura contingentia antequam sint, ut si per impossibile cognitio divina mensuraretur ævo sempiterno a parte ante, imo et a parte post, ac proinde duratione ex se defectibili, posset omnino certo, et infallibiliter illa cognoscere antequam essent? Et ad hoc denotandum in titulo inquisitum est, an æternitas sit omnino necessaria ad prædictam cognitionem? Secundo vero, an si divinum *esse*, et ea, quæ in Deo sunt, possent ex una parte mensurari æternitate, et ex alia non coexistere ab æterno rebus futuris (quod tamen implicat : quia, ut vidimus, idem prorsus est, aliquid mensurari æternitate, ut propria, et adæquata mensura, ac actu, et ab æterno coexistere omnibus rebus existentibus in aliqua differentia temporis) nihilominus tunc Deus posset certo, et infallibiliter cognoscere futura contingentia ab æterno, et antequam quoad nos essent, necne?

§ 1.

Adducitur prior opinio.

*125 Prima sententia asserit, æternitatem in neutro ex sensibus explicatis, esse omnino necessariam ad hoc, ut Deus certo, et infallibiliter cognoscat prædicta futura, antequam sint in sua propria, et adæquata mensura præsentia. Unde asserit, quod licet divinum *esse*, et cognitio non mensurarentur per impossibile per æternitatem, atque adeo nec futura coexisterent eis physice, et realiter ab æterno, sed tantum mensurarentur ævo; nihilominus Deus posset cognoscere prædicta futura, antequam essent in sua propria, et adæquata duratione, in veritate eorum objectiva, et antecedenter ad divinum decretum efficax. Ita Doctores, quos in quoque præcedentibus dubiis pro contrariis sententiis retulimus.

Et probatur primo. Nam si per impossibile Deus desineret esse antequam produceret Antichristum, cognosceret illum certo, et infallibiliter : et tamen non esset præsens Deo secundum existentiam actualem in æternitate ; nec ejus *esse*, aut operatio per eandem æternitatem, sed ad summum per ævum mensuraretur : ergo æternitas, aut prædicta præsentia licet conducat ad cognitionem certam, et infallibilem illius, non tamen erit ad eam omnino necessaria. Major videtur certa. Nam essentia Dei est ejus cognitio infinita : ergo talis cognitio extenderet se ad Antichristum, etiamsi per impossibile aliquando desineret esse : alioqui in tota illa duratione, in qua Deus in suo *esse* persisteret, non haberet cognitionem infinite perfectam. Argumentum primum.

Minor autem quoad primam partem pro-

batur. Nam quod est Deo præsens in æternitate, debet coexistere illi in aliqua differentia temporis : sed in casu argumenti nunquam coexisterent Deus, et Antichristus in aliqua temporis differentia, ut ex se constat ; ergo, etc. Quoad secundam vero etiam constat ; quia quod mensuratur æternitate, ut propria mensura, debet indefectibiliter durare.

Secundo. 126 Secundo. Nam cognitio Dei certa, et infallibilis præcedit ordine rationis præsentiam rerum in æternitate ; ergo ex tali præsentia non accipit suam certitudinem, tanquam a ratione omnino necessaria : ergo nec ab æternitate, etiamsi præscindi posset a tali præsentia. Hæc ultima consequentia patet ex priori. Quoniam etiam æternitas si præscindi posset ab hoc, quod actu, et ab æterno ambiret omnia futura, et coexisteret illis, esset posterior ordine rationis cognitione certa, et infallibili eorum : siquidem duratio alicujus operationis est posterior ordine rationis, quam illa : ergo non posset esse ratio cognitionis certæ, et infallibilis eorum.

Ex quo prima consequentia videtur certa. Nam id, unde cognitio accipit suam certitudinem, tanquam a ratione omnino necessaria ad illam, debet præcedere, non vero subsequi ad ipsam. Antecedens autem probatur. Nam præsentia rerum in æternitate supponit voluntatem Dei volentis creaturas illas ; volitio vero earum præsupponit certam, et infallibilem cognitionem ipsarum : ergo, etc.

Confirmatur. Confirmatur. Nam Deus nullam perfectionem accipit a creaturis, ut ex se constat ; ergo cum certitudo suæ cognitionis sit maxima illius perfectio, non accipiet hanc ab eisdem creaturis, ut præsentibus in æternitate ; ergo nec ab æternitate ipsa sumpta cum præcisione insinuata. Hæc ultima consequentia constat ex nuper dictis. Prima vero ex antecedenti liquet. Nam hæc præsentia earum est aliquid creatum : ac proinde certitudo divinæ cognitionis non accipietur ab eisdem creaturis, ut præsentibus.

tertium. 127 Tertio. Nam decretum efficax divinæ voluntatis circa futura contingentia habet infallibilem connexionem cum illis, ut ex dictis in hac disp. num. 9. et sequentibus constat : et eam haberet etiamsi nec Deus, nec ejus operationes mensurarentur æternitate ; alioqui tale decretum non esset efficax ; ergo Deus nequit cognoscere decretum hoc, quin eadem futura cognoscat ; ergo nec æternitas, nec præsentia eorundem futurorum in æternitate erit necessaria ad hoc, ut Deus habeat certam cognitionem de illis.

Hæc ultima consequentia patet ex priori. Quia quantumvis non esset in Deo æternitas, et res non essent præsentes in eo ab æterno, nihilominus possent cognosci in prædicto decreto ; siquidem habet infallibilem connexionem cum futuritione earum. Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Quia repugnat cognosci perfecte aliquid habens infallibilem connexionem cum alio, quin cognoscatur illud aliud, cum quo est connexum ; et ita Deus cognoscens perfecte suum decretum habens infallibilem connexionem cum creaturis futuris, non poterit non futuritionem earum infallibiliter cognoscere.

Confirmatur. Quia Deus cognoscit futura conditionata in decreto efficaci, et conditionato, quod circa illa habet, ut in sequenti disput. num. 67. dicemus : at prædicta futura nunquam sunt præsentia in æternitate ; siquidem nunquam existent : ergo ad certam cognitionem futurorum absolutorum non erit omnino necessaria præsentia quæ sit ab æterno in æternitate (de qua in præsenti loquimur)sed sufficiet decretum efficax circa futuritionem illorum : ac proinde nec æternitas adhuc sub præcisione jam dicta, erit ad id necessaria.

128 Quarto. Futura contingentia in ea duratione, in qua non sunt præsentia intellectui creato, possunt cognosci ab illo ; cum tamen ipse, hoc ipso, quod talis, non mensuretur æternitate, ut propria, et adæquata mensura, ut ex se constat ; ergo multo melius possunt certo cognosci a Deo, etiamsi non essent illi præsentia ab æterno in sua æternitate, nec in eo esset æternitas. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem probatur. Tum quia nos certo per fidem cognoscimus, Antichristum esse futurum, et alia hujusmodi ; cum tamen futura hæc non sint nobis præsentia. Tum etiam ; quia beati certo sciunt multa futura contingentia, quæ non sunt eisdem realiter, et physice præsentia. Tum denique ; quia Christus Dominus cognoscit nunc per scientiam infusam omnia futura contingentia, ut docet D. Thom. 3. part. quæst. 11. art. 1. et nihilominus non habet nunc realiter, et physice eisdem coexistere.

Confirmatur. Nam vel futura contingentia habent determinatam in ea duratione, in qua non sunt præsentia, vel non? Si

hoc

hoc secundum dicatur, a nullo intellectu poterunt certo attingi in prædicta duratione, cujus oppositum ex instantiis nuper adductis constat. Si autem primum asseratur, ergo illorum veritas determinata, in illa duratione poterit attingi ab intellectu divino, etiamsi non sint præsentia ab æterno suæ æternitati, et etiamsi per impossibile non mensurarentur, nisi ævo sempiterno a parte ante, vel tam a parte ante, quam a parte post : quandoquidem quidquid est cognoscibile debet eo ipso a prædicto intellectu attingi; alioqui non esset infinitus in vi cognoscendi.

§ II.

Sententia D. Thom. duabus assertionibus explicatur.

Assertio prior.

129 Dicendum tamen est primo, ad infallibilem cognitionem, qua Deus cognoscit futura contingentia absoluta, antequam sint actu præsentia quoad nos in sua propria duratione, per se requiri, quod divinum *esse*, et ejus operationes mensurentur æternitate, ut propria, et adæquata eorum mensura; atque adeo si per impossibile mensurarentur ævo ex se defectibili, non posset Deus prædictam cognitionem de illis, antequam quoad nos essent, habere : ita D. Thom. locis dub. 2. relatis, et communiter ejus discipuli.

Et ratio desumitur ex eodem Sancto Doctore. Quoniam futura contingentia absoluta, tantum possunt certo cognosci vel in se ipsis, vel in suis causis, nempe in divino decreto, aut aliis causis secundis, ut illi subsunt : at si divinum *esse*, et ejus operationes, ac proinde *velle* illius non mensurarentur æternitate ut propria mensura, non possent in aliquo horum certo sciri ; ergo, etc. Major constat ex dictis in hac, et præcedenti disputat. Minor vero quoad cognitionem futurorum in se ipsis, est evidens. Quia antequam quoad nos sint, non possunt cognosci in se ipsis, ut constat, nisi ex eo, quod non solum detur æternitas, verum etiam præsentia rerum in æternitate : quia hæc ratione suæ eminentiæ, ita se extendat, ut ab æterno pertingat ad coëxistendum rebus futuris.

Ratio assertionis.

130 Quoad secundam vero partem etiam constat eadem minor. Quia si divinum decretum non mensuraretur æternitate, sed ævo sempiterno, tunc sicut ipsum ævum sempiternum hoc ipso, quod tale, seu hoc ipso, quod distingueretur ab æternitate, esset defectibile, et variabile, ita et prædictum decretum per illud mensuratum ; ergo quatumvis sciret Deus suum decretum, non posset antequam prædictum futurum esset in sua propria, et adæquata duratione, seu antequam esset quoad nos, habere infallibilem cognitionem de illo futuro : quia ante ejus existentiam non posset scire, an ipse persistet in suo decreto usque ad illam durationem : an vero loco illius oppositum decretum habebit ; siquidem decretum illud, et ejus mensura sunt defectibilia : et sicut possent non persistere, ita etiam posset non persistere usque ad prædictam durationem.

Confirmatur, et explicatur. Nam ideo decretum efficax Dei ex suppositione, quod sit, habet esse omnino invariabile, et indefectibile, quia mensuratur æternitate, quæ non compatitur aliquam variabilitatem, et mutabilitatem : at in hypothesi facta divinum decretum non mensuraretur æternitate, sed ævo : quod licet possit esse absque principio, et fine, non tamen est necesse, ut sine illis sit ; sed sicut potest carere principio, et fine, ita terminari illis : et ideo non habet aliquid omnino infallibile, ratione cujus sit infallibiliter, aut necessario determinatum ad hoc, ut debeat carere principio, et fine; ergo prædictum decretum non esset adhuc ex suppositione sui omnino invariabile ; et per consequens ex vi illius non posset futurum contingens, circa quod versatur, omnino certo, et infallibiliter sciri. Corroboratur.

131 Nec refert, si contra assertionem hanc, et ejus rationem objicias, quod ævum Angelicum licet ex se sit defectibile, nihilominus ex suppositione, quod semel est, nunquam, naturaliter loquendo deficiet ; ergo eadem ratione licet divinum *velle* mensuraretur ævo ex se defectibili, nihilominus nunquam re ipsa deficiet ac proinde ex vi illius, hoc ipso, quod sit efficax, infallibiliter cognosceretur futurum contingens antequam esset. Prima consequentia ex paritate rationis videtur constare. Secunda vero ex prima satis constat. Nam ad infallibilem cognitionem alicujus rei satis est, quod re ipsa, et de facto nunquam deficiet, licet possit deficere. Sicut ad infallibilem connexionem duorum satis est, quod re ipsa semper sint inter se connexa, licet possint non Objectio.

connecti, ut patet in decreto Dei, ut modo est; quod quidem infallibiliter nectitur cum re, circa quam versatur, v. g., cum actu libero creato : quia licet posito decreto adhuc possit non esse prædictus actus, nunquam tamen re ipsa, et de facto non erit.

Diluitu primo.

Non itaque hoc refert. Nam posset primo responderi, concedendo antecedens, et negando utramque consequentiam. Et ad probationem prioris, ex qua pendet probatio posterioris, neganda est paritas rationis; ex eo, quod ævum Angeli habet modo aliquid extrinsecum, unde de facto nunquam deficiat, licet ex se sit defectibile, nempe decretum Dei invariabile, et indefectibile, ac æternitate mensuratum; quo statuit, ut semper sit. At respectu ævi, quo mensuraretur in illa hypothesi impossibili divinum *velle*, non esset unde re ipsa, et de facto semper esset; quia, ut in ea supponitur, nullus actus liber Dei æternitate mensuraretur. Unde juxta hunc modum dicendi ævum Angeli, licet non habeat, unde petat, quod annihiletur, et deficiat; non tamen habet, unde petat oppositum : ut ita distinguatur ab instanti nostri temporis, quod tantum petit durationem, et persistentiam momentaneam, et quod statim desinat esse; necnon et ab instanti, aut tempore Angelico, quorum quodlibet petit, ut non duret absque fine.

Diluitur secundo.

132 Secundo, et melius respondetur, quod sicut ex eo, quod *velle* Angelicum mensuraretur ævo, quod re ipsa nunquam deficiet connaturaliter loquendo, solum sequeretur, quod in decreto efficaci illius circa aliquod objectum, posset sciri talis effectus infallibilitate per ordinem ad potentiam ordinariam, et ad modum connaturalem operandi ejusdem Angeli; non vero infallibilitate omnimoda, et per ordinem ad potentiam Dei absolutam; ita ex eo, quod divinum *velle* mensuraretur ævo, non sequeretur inde omnimoda infallibilitas, de qua loquimur, sed infallibilitas per ordinem ad modum operandi connaturalem Dei; atque adeo infallibilitas, cui absolute, et simpliciter non repugnaret fallibilitas, si ad modum operandi absolutum extraordinarium, et supernaturalem Dei attendatur.

Quia licet modo semel Deo naturaliter decernente aliquid, non possit ex suppositione hujus decreti, et in sensu composito aliquid aliud decernere, ex quo sequatur variabilitas prioris decreti; et ita quæ ab illo nunc decernuntur, habeant ex suppositione, et in sensu composito esse invariabilia, etiam per ordinem ad modum operandi Dei supernaturalem, quia prædictum decretum mensuratur æternitate; non tamen tunc in hypothesi, de qua loquimur, id contingeret; siquidem decreta Dei non haberent per æternitatem mensurari.

Per quod etiam ad instantiam de actibus liberis creatis, habentibus connexionem infallibilem, et nullo modo fallibilem cum divino decreto, satis quoad id, secundum quod potest contra nos retorqueri, constat. Quia prædicti actus ex suppositione decreti, et in sensu composito non possunt non esse; licet in sensu diviso possint non esse : at in hypothesi assertionis, licet decretum Dei connaturaliter loquendo semper esset, non repugnaret ei, ut deficeret, adhuc ex suppositione, et in sensu composito, quod semel esset. Unde quæ in nostra assertione dicimus, debent juxta hæc intelligi.

133 Dicendum est secundo, ad infallibilem cognitionem Dei respectu contingentium, antequam sint in sua propria duratione, seu quoad nos, necessario desiderari, quod prædicta futura sint actu, et physice præsentia Deo in æternitate; ita ut semel dato, quod divinum *esse*, et ejus operationes mensurentur æternitate, non posset ulla ratione cognoscere futura antequam modo dicto existerent, nisi essent physice, et realiter ei præsentia ab æterno. Ita D. Thom. in præsenti, et quæst. 2. de Veritate art. 12. et in locis in hac disp. a num. 20. usque ad 52. adductis, et 1. contra Gentes cap. 66. Ubi ad certam cognitionem futurorum contingentium quo petivit; nempe cognitionem omnium suarum causarum, atque adeo divini decreti, inferentis actualem præsentiam illorum in æternitate : nec non (id, quod ex præcedenti sequitur) quod cognitio illa non sistat præcise in cognitione suarum causarum; sed quod transeat ad cognoscenda eadem futura prout sunt in se ipsis in eadem æternitate. Et ita post sextam rationem sic inquit : *Ea, quæ sunt præsentia, præterita, vel futura nobis, cognoscit Deus secundum quod sunt in potentia sua, et in propriis causis, et in se ipsis : et horum cognitio dicitur notitia visionis : non enim Deus rerum, quæ apud nos nondum sunt, videt solum esse, quod habent in suis causis, sed etiam illud, quod habent in se ipsis, in quantum ejus æternitas est præsens sua indivisibilitate omni tempori.*

tempori. Unde S. Doctorem sequuntur communiter ejus discipuli. Gonzal. in præsenti disp. 43. sect. 4. Alvarez lib. 2. de auxiliis disp. 9. Cajet. in præsenti, Nazarius controv. 3. et alii plures.

Ratio posteriorius assertionis.

134 Ratio autem hujus conclusionis, adducta est supra num. 100. et sequentib. ex D. Thom. et ejus vis consistit in hoc, quod semel dato per impossibile, futura non esse præsentia Deo ab æterno in *nunc* æternitatis, tunc licet divina cognitio mensuraretur æternitate, nihilominus quando postea essent præsentia illi, mutaretur saltim ex hoc capite prædicta cognitio de abstractiva in intuitivam. Et rursus Deus haberet in tempore aliquam cognitionem, quam ab æterno non habuit, nempe hanc : *Nunc est meæ infinitæ cognitioni, et æternitati præsens Antichristus*. Et similiter deficeret alia cognitio, quam ab æterno usque ad tempus Antichristi habuit, nempe ista : *Ab æterno usque ad tempus Antichristi respectu meæ infinitæ cognitionis, et æternitatis, Antichristus est realiter, et physice futurus*, ut loco relato ostendimus : at hoc repugnat respectu divinæ cognitionis, ut ex ibidem dictis constat : imo infert prædictam cognitionem ex una parte mensurari æternitate, ut supponitur, et ex alia non mensurari per illam, siquidem esset variabilis : ergo, etc.

Evasio.

135 Nec sat est evasio, quam ibidem ex adversariis innuimus, nimirum posse omnia hæc evenire in tempore propter externam mutationem objecti, non vero Dei : et ita Deum posse habere prædictam cognitionem absque mutabilitate, et variatione.

Præcluditur.

Non itaque hoc satis est. Tum quia id satis impugnatum est loco citato. Tum etiam : quia impugnatio ibidem adducta potest adhuc magis explicari, et urgeri ex iis, quæ tradit Cornejo in præsenti, et communiter Thomistæ. Nam licet in casu, de quo loquimur, daremus, quod variatio illa scientiæ sumeretur radicaliter ex parte rerum cognitarum, redundaret nihilominus in ipsam scientiam.

Et ratio est. Nam dato casu impossibili, quo Deus produceret hodie creaturam aliquam, quam ab æterno non decreverat producere, tunc non solum mutaretur divina voluntas novo actu volitionis non habito ab æterno, ut supponimus (sive illa esset mutatio vere physica, et realis, sive solum quasi moralis, quæ dicitur mutatio propositi, et infert animi inconstantiam, et imprudentiam, ut dicitur supra quæst. 9. et infra quæst. 19.) sed etiam mutaretur divinus intellectus novo etiam actu cognitionis intuitivæ, nondum ab æterno habitæ ; ergo licet variatio objecti a possibilitate ad futuritionem, quando est facta ab æterno, non inferat variationem intrinsecam in scientia, sicut eam non infert in voluntate actus liber Dei ab æterno habitus ; bene tamen quando talis variatio fit in tempore : ergo eadem ratione, licet variatio ejusdem objecti a pura possibilitate ad hoc, quod est esse ab æterno præsens in *nunc* æternitatis, et ad hoc quod est esse ab æterno objectum notitiæ intuitivæ Dei, non inferat variationem in divina scientia, bene tamen si duo hæc in tempore contingant.

Consequentiæ videntur perspicuæ, et antecedens probatur. Quia sicut ideo esset mutatio in voluntate, quia non terminabatur ab æterno ad illam creaturam, ut actu futuram, sive existentem ; sed præcise ut possibilem, et in tempore cœpit terminari ad illam, ut existentem ; eo lem prorsus modo intellectus divinus non terminabatur ad illam, ut actu existentem, aut futuram, sed duntaxat ut possibilem ; ergo et in tempore cœpit respicere illam ut futuram, vel existentem : ergo aut in utroque actu est mutatio, aut in neutro.

Alia solutio Suar.

136 Nec etiam obest, si cum Suar. disp. 30. Metaphys. sect. 9. num. 55. occurras, immutabilitatem scientiæ visionis in Deo non fundari in immutabilitate divinæ voluntatis ; et ita etiamsi per impossibile Deus inciperet velle aliquid de novo, vel desineret velle, quod ab æterno voluit, adhuc scientia visionis esset invariata : quia ex æternitate cognosceret tale decretum, ut de novo futurum, et mutationem in illo futuram pro suis temporibus, eo modo, quo de voluntate creata hæc eadem invariabiliter cognoscit.

Impugnatio.

Nam contra hoc est, quod hoc ipso, quod iste novus actus divinæ voluntatis in tempore habitus, aut iste novus respectus, aut quasi respectus divinæ voluntatis ad illam creaturam non fuerit ab æterno, sed de novo, et in tempore, ut supponitur, oportet, ut prædicta creatura, circa quam versatur, non habuerit ab æterno rationem futuræ ; ergo non potuit esse cognita a Deo ab æterno per scientiam visionis, sed præcise per scientiam simplicis intelligentiæ sub ratione possibilis ; ergo scientia visionis solum in tempore inciperet, et per consequens mutabilitas, vel immutabilitas divinæ scientiæ

ex mutabilitate, vel immutabilitate divinæ voluntatis pendebit.

Hæ duæ ultimæ consequentiæ aperte videntur sequi ex prima. Prima vero probatur. Quia, ut sæpe dictum est, futuritio rei supponit divinam voluntatem prævium, sicut effectus supponit suam causam. Nec est simile de mutatione actuum voluntatis humanæ. Quia hæc supponit actum liberum Dei ab æterno, quo talis mutatio est volita : et ideo cognoscitur ab æterno per scientiam visionis, quamvis ipsa mutatio in tempore exerceatur.

§ III.

Corollarium notatu dignum.

137 Ex quibus omnibus sequitur corollarium notatu dignum circa modum conciliandi divinam scientiam, et ejus infallibilitatem circa futura contingentia absoluta cum libertate creata. Dicendum enim est, hujusmodi præsentiam realem eo modo, quo eam præcedentibus dubiis explicuimus, esse proximam, et sufficientem rationem conciliandi certitudinem divinæ scientiæ cum libertate nostri arbitrii. Ita D. Thom. 1. cont. Gent. cap. 67. et de Verit. quæst. 2. art. 12. his verbis : *Sicut ergo noster visus non fallitur videns contingentia, ut sunt præsentia, et tamen ex hoc non removetur, quin illa contingenter eveniant, ita Deus infallibiliter videt omnia contingentia, quia sibi non sunt futura, sed ea inspicit esse tunc quando sunt. Unde ex hoc non removetur, quin contingenter eveniant.* Ubi ex eo, quod intuitus Dei attingat illa, ut realiter præsentia, infert concordiam infallibilitatis scientiæ Dei cum eorum contingentia sicut enim contingentia sessionis Petri non tollitur per hoc, quod nos videamus illum sedere, dum sedet, ita contingentia rerum non tollitur per scientiam Dei, qua terminatur ad res, ut sunt ei realiter præsentes.

Elucidatio. 138 Potestque hoc amplius elucidari. Nam per eandemmet productionem, et existentiam, per quas res sunt in tempore, coexistunt ab æterno ipsi Deo in mensura suæ divinæ cognitionis, quæ est æternitas : ergo per hujusmodi coexistentiam, et præsentialitatem cum divina cognitione non tollitur contingentia rerum, imo potius illa est sufficiens ratio concordiæ infallibilitatis scientiæ Dei cum ipsa rerum contingentia. Patet conseq. Quia per suam productionem contingentem, per quam fiunt in tempore, coexistunt ipsi Deo per habitudinem ad *nunc* æternitatis ejus, et subduntur præsentialiter ejus divinæ scientiæ.

Anim adver. Diximus, prælictam præsentiam realem in *nunc* æternitatis, et modo dicto explicatam, *esse proximam, et sufficientem rationem conciliandi certitudinem divinæ scientiæ cum libertate nostri arbitrii,* ut per hoc denotaremus, quod si loquamur de ratione remotiori, et radicali, tunc prælicta ratio erit divina essentia, determinata tamen per suum decretum efficax, et summam eminentiam, ac suavissimam, fortissimam tamen efficaciam ejus, qua non solum vult, quod effectus, vel actus liberi fiant, sed quod fiant libero modo, ac proinde, quod ita fiant, ut possint non fieri. Unde ex qua parte vult quod fiant, fient utique infallibiliter : et ex qua parte vult, ut fiant libero modo, fient sic : atque adeo ita fient, ut possint non fieri. Sed hæc amplius in disput. præcedenti dub. 2. et in hac dub. 1. et 2. explicata sunt, et juxta ibidem dicta intelligantur.

§ IV.

Fit obviam argumentis opinionis negantis.

139 Ad primum negetur major, et ad probationem neganda est consequentia. Quia in eo eventu non esset Antichristus cum omnimoda certitudine, et infallibilitate cognoscibilis antequam esset ; sed solum cognitione infallibili per ordinem ad modum operandi Dei connaturalem, qui in illo eventu ipsi conveniret, non vero per ordinem ad modum operandi Dei extraordinarium, et supernaturalem : ac proinde prælicta cognitio non deberet esse infallibilis tanta infallibilitate, ut repugnaret ei fallibilitas.

Ad prim

Ad secun

140 Ad secundum dicendum est, scientiam, et voluntatem Dei esse causam, quod res contineantur in æternitate ; non tamen ita ut ad id non concurrat ipsa æternitas per modum causæ quasi formalis, continentis, et mensurantis res in illa contentas. Unde non sequitur, quod prius prioritate *in quo* adhuc rationis cognoscat Deus res futuras, quam quod ipsæ contineantur in æternitate : et multo minus

nus quam quod æternitas contineat, et mensuret illas. Nam cognoscendo practice ipsas, facit, quod subsint æternitati, concurrente tamen eadem æternitate tanquam causa mensurationis, intrinseca quidem Deo, extrinseca vero creaturis mensuratis. Et ita licet cognitio præcedat causando, non tamen prioritate *in quo* adhuc secundum rationem. Sicut si visio oculi corporei produceret parietem, paries in terminando visionem simul esset cum productione, et visione simultate *in quo*: et tamen visio in quantum causans præcederet prioritate *a quo* parietem.

Ad confirmationem. 141 Ad confirmationem dicendum est, præsentiam futurorum in æternitate posse sumi dupliciter, scilicet ex parte æternitatis ad ipsa, vel ex parte futurorum ad eandem æternitatem. Si secundum priorem considerationem sumatur, potest aliquo modo esse ratio certitudinis, et infallibilitatis divinæ cognitionis. At secundum posteriorem considerationem habet se per modum conditionis ex parte objecti, nempe creaturarum futurarum, et necessario illatæ ex vi infallibilitatis, et certitudinis divinæ cognitionis circa illas. Quia, ut disput. 5. num. 16. art. 9. diximus, scientia visionis Dei est practica, et effectiva rerum : ac proinde ponit illas ab æterno in mensura æternitatis. Unde nunquam sequitur, aliquid creatum tribuere Deo suam certitudinem; sed potius oppositum.

Ad tertium. 142 Ad tertium patet ex dictis pro prima assertione. Quare licet in eo eventu decretum Dei, quantum est ex se, haberet efficacitatem fallibilem ; non tamen infallibilem, nisi persisteret usque ad tempus, pro quo futura habent *esse* : et quia antequam persisteret usque ad durationem, v.gr., Antichristi, non esset infallibile illum perstiturum usque ad prædictum tempus; ideo non erit efficax infallibiliter respectu ejusdem Antichristi, sed solum fallibiliter ; et ita ex vi cognitionis illius præcise non posset cognosci certo Antichristus, antequam esset.

Ad confirmationem. 143 Ad confirmationem concedimus majorem, et minorem, et negamus consequentiam. Nam ad cognitionem certam futurorum conditionatorum sufficit nunc decretum efficax mensuratum æternitate. Quia eo ipso est invariabile, et immutabile ; ac proinde eo ipso, quod sit, habet efficacitatem infallibilem, conditionatam tamen, modo infra explicando. At in eventu primæ assertionis non haberet decretum in variabilitatem, nec efficacitatem infallibilem : et ita ex vi illius non posset infallibiliter cognosci futurum antequam esset.

Et licet ad cognitionem infallibilem futuri conditionati non sit necesse, ut ab æterno existat in æternitate, sed sufficiat, quod decretum de illo mensuretur per ipsam, ex eo, quod præ licta futura non sunt capacia existendi in illa, nisi tantum secundum *esse*, quod habent in decreto, quia tantum secundum hoc *esse* existunt; secus tamen dicendum est de futuris absolutis. Et ratio disparitatis est. Quia sicut futurum conditionatum nunquam existit in se, ita non habet modo existere in se, et modo non existere in se : et ideo non est necesse ad hoc, ut invariabiliter existat in aliqua mensura, ac proinde ad hoc, quod invariabiliter cognoscatur, ut ab æterno præsens in ea, quod detur quælam mensura infinita, et invariabilis, quæ ipsum ab æterno ambiat : et respectu cujus ipsum futurum semper, et invariabiliter habeat esse præsens modo jam explicato. Cæterum cum oppositum contingat in futuro absoluto, ut ex dictis constat, propterea ut invariabiliter cognoscatur antequam sit, et per consequens ut absolute, et simpliciter cognoscatur certo a Deo, cui omnis variabilis cognitio repugnat, oportet, ut habeat prædictam præsentiam in æternitate, et non sufficiat; quod per impossibile decretum Dei circa illud, haberet hæc duo, nempe mensurari æternitati, et simul non coexistere ab æterno rebus futuris, et omnibus temporis differentiis.

Ad quartum. 144 Ad quartum transeat pro nunc antecedens, et neganda est conseq. Nam cognitio divina hoc ipso quod talis, debet habere omnimodam illam invariabilitatem, et immutabilitatem jam explicatam; et ita requirit in futuris præsentiam eorum invariabilem respectu alicujus mensuræ : secus tamen cognitio creata præcise quia talis.

Diximus, quod transeat antecedens, non tamen illud concessimus, nec negavimus, ut pro nunc abstraheremus ab illis quæstionibus, nimirum, an scientia infusa Christi Domini, et scientia beata mensurentur æternitate participata, et ita realiter, et physice coexistant futuris, antequam sint in sua duratione ? Nam de hoc ex professo agendum est, 3. part. tract. de Scientia Christi.

Ad confirmationem. Ad confirmationem dicendum est, futura contingentia non habere determinatam, et infallibilem veritatem in ea duratione, in qua non sunt præsentia, nisi mediante divino decreto : et non qualitercunque

considerato, sed ut æternitate mensuratur. Et deinde dicimus non sufficere hoc decretum æternitate mensuratum, ad hoc, ut habeant determinatam veritatem in ea duratione, in qua non sunt; sed requiri, quod licet in propria sua duratione, seu quoad nos non existant, nihilominus habeant præsentiam respectu æternitatis, et in *nunc* æternitatis. Quia, ut jam explicuimus, non sunt aliter cognoscibilia a Deo per cognitionem invariabilem, atque adeo nec per cognitionem divinam : et per consequens, nec poterunt cognosci a creatura : siquidem quælibet cognitio creata præsupponit cognitionem divinam circa illud objectum, et ea, quæ ad ipsam desiderantur.

DISPUTATIO IX.

De scientia futurorum conditionatorum, quam Deus in suo decreto efficaci, conditionato tamen, habet.

Explicatio tituli notanda.

1 Postquam explicuimus, Deum certo scire futura contingentia absoluta, et quomodo illa certo sciat, restat, ut explicemus, an, et quomodo habeat infallibilem scientiam futurorum conditionatorum. Consulto autem in titulo hujus disputationis non inquisivimus absolute de scientia Dei respectu futurorum conditionatorum, sed de prædicta scientia, quam Deus habet de illis in suo decreto efficaci, et conditionato, ut denotaremus disputationem hanc non esse de scientia media, aut conditionata, quam plures extra scholam D. Thom. admittunt, quæque non terminatur ad futura conditionata, ex eo, quod sunt efficaciter, et conditionate prædiffinita a Deo; sed ratione veritatis objectivæ, quam (ut ipsi putant) antecedenter ad divinum decretum habent. De qua quidem scientia, et quomodo sit impugnanda, in sequenti disp. ex professo agemus.

DUBIUM I.

De multiplici divisione futuri conditionati, et quænam ex illis ad præsentem disputationem spectent.

Animadversio prima.

Dubium hoc simplici veritatis propositione decidendum est : quia res, de qua in illo agitur, nihil amplius petit. Pro decisione igitur ejus notandum est primo futurum conditionatum posse dupliciter accipi. Primo quidem ita ut denotet futurum, quod de facto erit, quia conditio, a qua dependentiam habet, etiam erit : et ita solum vocatur futurum, non qualecunque, sed conditionatum : quia pendet ab aliqua conditione. Unde in hoc sensu incarnatio Verbi habuit rationem futuri conditionati, ex eo, quod pendebat a peccato Adami, ita ut si peccatum hoc non esset, nec etiam incarnatio foret, ut docet D. Thom. 3. part. quæst. 1. art. 3. Secundo modo appellatur futurum contingens conditionatum, quod de facto non habebit existentiam; haberet tamen illam, si conditio, a qua pendet, poneretur, quamvis revera nunquam sit ponenda, ut si diceres : *Si Judas non se suspendisset, salvaretur.*

2 Secundo notandum est, futurum conditionatum, hoc secundo modo sumptum, rursus dividi. Nam alia sunt, quæ aliquo modo nectuntur cum conditione, ex eo, quod conditio aliquo modo influit ad illa : sive talis influxus sit per modum causæ, aut occasionis, vel conditionis *sine qua non*, ut : *Si Petrus audiret concionem, converteretur.* Alia vero sunt, quæ nullam habent, quantum est ex se, connexionem cum conditione; sed secundum se spectata habent se concomitanter ad illam. Quæ quidem appellantur conditionata disparata, ut : *Si Paulus caneret Vallisoleti, Franciscus dormiret Matriti.*

3 Tertio notandum est, utrumque ex his membris posse ulterius subdividi. Nam in primis futurum conditionatum, habens aliquam connexionem cum conditione, aliud est, quod nectitur necessario necessitate simpliciter cum illa, ut in his propositionibus : *Si Sol luceret, dies esset*, vel : *Si Petrus ambularet, moveretur.* Aliud vero, quod tantum habet connexionem infallibilem cum conditione, seu connexionem necessariam necessitate *secundum quid*, et præcise ex suppositione, ut : *Si Judas efficaciter vocatus fuisset a Christo, non se suspenderet, sed converteretur*, vel : *Si prædestinatus esset, non damnaretur, sed salvus fieret.* Aliud tandem, quod probabiliter, aut conjecturaliter habet nexum cum conditione, ut : *Si Petro sitienti propinaretur vas aquæ, biberet illam.*

Et deinde futurum conditionatum disparatum potest etiam in alia membra secari. Nam aliud est, in quo positio conditionis habet dependentiam a causa libera, effectus vero

vero concomitans a causa necessaria, ut : *Si Petrus peteret Vallisoletum, Joannes occideretur a fulmine.* Aliud vero, in quo tam positio conditionis, quam effectus ipse secutus habent dependentiam a causa libera creata, ut : *Si Petrus ambularet Vallisoleti, Joannes dormiret Matriti.*

Quarta. 4 Ex his ergo notandum est quarto, præsentem disputationem non esse de futuris conditionatis, quæ tam ipsa, quam conditiones, a quibus dependent, habebunt de facto existentiam, seu (ut alii loquuntur) de his futuris, in quibus purificatur conditio, et ita transeunt in absoluta, quia eo ipso talia futura, quippe quæ vere habent rationem futurorum absolutorum, non pertinent ad hanc disputationem, sed ad præcedentem, in qua de futuris absolutis late egimus.

Loquendo autem de futuris conditionatis, in quibus non purificabitur conditio, et habent aliquam connexionem cum illa, non discutiemus de illis futuris, quæ habent connexionem necessariam simpliciter cum sua conditione, si per propositionem, quæ de illis efformatur, solum importetur necessitas illationis; seu si illa propositio accipiatur præcise in vi conditionatæ importantis solum bonitatem illationis unius ex alio. Tum quia certum est prædictam propositionem hoc modo sumptam, revera non esse propositionem de futuro ex parte objecti, et cum fundamento in re ; sed solum quantum ad formulam enunciandi : quia re ipsa eadem connexio necessario significatur etiam in propositione de præsenti, vel de præterito. Et ita nihil refert sive dicas : *Si Sol lucet, dies est*, aut si asseras : *Si Sol lucebit, dies erit.* At propositiones conditionatæ, de quibus in præsenti agimus, revera, et cum fundamento in re ex parte objecti enunciant aliquid de futuro, quod re ipsa erit, si ponatur conditio. Tum etiam : quia indubitatum est prædicta futura conditionata, seu propositiones de illis efformatas, esse ex terminis, et ab intrinseco, necessarias; ita ut implicet ab intrinseco oppositum fieri : ac proinde non poterunt non cognosci certo a Deo ; imo non poterunt non ab illo certo cognosci per scientiam omnino necessariam, scilicet per scientiam simplicis intelligentiæ.

5 Ex quo etiam fit, non esse etiam in hac disp. sermonem de futuris conditionatis, in quibus conditio expresse posita in propositione de illis efformata, habet infallibilem connexionem, licet liberam simpliciter, cum eventu futuro, si per eas tantum significetur illatio unius ex alio, ut si dicas : *Si Petrus efficaciter vocaretur a Deo, consentiret.*

Tum quia hæ propositiones hoc modo sumptæ, quatenus solum enunciant bonitatem illationis, seu necessitatem consequentiæ, non sunt revera propositiones de futuro, ut de aliis propositionibus nuper recensitis dicebamus ; sed re ipsa solum de possibili, quamvis quantum ad formulam enunciandi, sint de futuro. Et ideo eadem veritas significaretur, si illa propositio sub formula de præsenti, aut de præterito efformaretur ; ut si dicatur : *Si Petrus efficaciter vocatur a Deo, consentit*, vel : *Si Deus efficaciter vocavisset Petrum, consensisset*, aut si asseratur : *Ex efficaci vocatione qua Petrus vocatur a Deo, recte sequitur, quod consentiet.* Non secus proportione servata, ac ista propositio : *Homo est risibilis*, ex parte objecti, et cum fundamento in re eandem veritatem significat, ac istæ : *Si homo est, risibilis est. Si homo fuerit, risibilis erit* : et ita revera sunt de possibili ; quamvis quoad formulam enunciandi, differant.

Tum etiam (id, quod ex præcedenti sequitur), quia certum est, talem propositionem de futuro conditionato importante solam necessitatem illationis, habere omnino antecedenter ad liberum decretum, existens in Deo, veritatem determinatam, ac proinde omnino necessariam, et scitam certo, et necessario a Deo, et per consequens per scientiam simplicis intelligentiæ.

6 Diximus, non esse sermonem de prædictis futuris, et de propositionibus de illis, in quibus conditio expresse posita, habet infallibilem connexionem cum eventu futuro. Nam licet alias sit infallibile ex vi divini decreti, non vero ex meritis solius conditionis expresse positæ, quod effectus ille, posita tali conditione, habebit *esse*, hoc nihil interest. Nec propterea consideratio, et discussio de scientia prædicti futuri excluditur ; sed potius includitur in hac disputatione, quæ non utcunque de scientia futurorum conditionatorum, sed de prædicta scientia, habita in efficaci, et infallibili decreto conditionato inscribitur. Et ita ad præsentem disputationem spectat ; an certo cognoscat Deus, quod si in Tyro, et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in Bethsaida factæ fuerunt,

tunc Tyrii, et Sidonii crederent Christo, et pœniterent. Quia licet, ut in hac eadem disp. dicemus, non possit hoc sciri, nisi ex vi decreti efficacis, et conditionati, habentis infallibilem connexionem cum prædicto effectu; non tamen conditio ibidem expresse posita, est prædictum decretum; sed alia, nimirum, quod signa, et prodigia, quæ facta fuerunt in Bethsaida, et Corozaim, fierent in Tyro, et Sidone.

7 Addidimus autem: *Si per eas tantum significetur illatio unius ex alio.* Nam si sumantur ut enunciantes aliquid de futuro, etiam sub conditione, requirent ad sui veritatem decretum efficax absolutum ex parte subjecti, et conditionatum ex parte objecti. Unde sub ista consideratione non spectabunt ad scientiam Dei naturalem; sed potius ad scientiam liberam, ut bene notavit Gonzalez in præsenti disp. 44. sectione 1. ex eo, quod veritas per illam significata, non est pure de possibili; sed revera de futuro, saltim sub conditione: et nulla res potest extrahi a ratione pure possibilis, ad rationem aliquo modo futuræ, nisi dependenter a libero decreto Dei in illo existente. Unde ad hoc, ut hæc propositio: *Si Petrus cras efficaciter vocaretur a Deo, consentiret,* sit vera, non tantum in vi illationis, sed ut enuncians aliquid de futuro etiam sub conditione, seu sit de prædicto futuro ex parte objecti, requiritur, ut Deus habeat decretum, quo decernat, quod Petrus consentiat cras, si efficaciter a Deo tunc vocaretur. Quæ duo accurate notanda sunt, ut aliquibus objectionibus adversariorum fiat satis.

8 Ex quo etiam sequitur, non esse in præsenti sermonem de iis futuris conditionatis disparatis, in quibus conditio expresse posita pendet a libera voluntate, et tamen effectus subsecutus, et concomitanfit ab aliqua causa necessaria. Quia certum est, Deum cognoscere prædicta futura: siquidem futura necessaria, seu pendentia præcise a causis secundis necessariis, sunt omnino nota Deo: prædictum autem futurum solum pendet a causis secundis necessariis: quia conditio illa disparate se habet ad illud, ut dictum est.

Quare tota hæc disputatio tantum versabitur in explicando, tum an Deus certo, et infallibiliter tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti cognoscat futura contingentia conditionata, sive illa sint disparata, ita tamen ut tam conditio, quam futurus eventus pendeat a causa libera; sive non sint disparata, sed habentia aliquam connexionem cum futuro eventu, dummodo hæc connexio inter conditionem expresse positam, et eventum non sit infallibilis, sed tantum conjecturalis, vel probabilis. Tum etiam quomodo prædictam cognitionem de illis ex vi decreti jam insinuati habeat.

DUBIUM II.

Utrum juxta Scripturam sacram, Deus certo sciat futura contingentia conditionata, sive illa sint disparata, pendentia tamen tam quoad conditionem, quam quoad eventum a causis liberis, sive non sint disparata, sed habentia connexionem tantum probabilem, sive conjecturalem cum conditione?

9 In hoc dubio non agemus de medio, in quo Deus prædicta futura cognoscit; sed an omnimoda certitudine tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti cognoscat prædicta futura, quæ in titulo recensita sunt.

§ I.

Proponitur prior sententia.

Prima sententia asserit, quod juxta Scripturam sacram, Deus non cognoscit prædicta certitudine futura contingentia conditionata, de quibus loquimur. Ita Ledesma lib. de auxil. disp. 2. affin. de scientia futurorum contingentium fol. 582. et alii ex junioribus Thomistis. Quam reputant probabilem Curiel controver. 7. et noster Cornejo in præsenti disp. 3. dub. 2. Probatur primo. Quia sæpe cum est sermo de eventu horum futurorum, habentium tantum probabilem connexionem cum conditione, loquitur Deus de illis non assertive, ut de re certa, sed ut de re dubia. Nam Genes. 3. inquit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus, etc. Nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum, etc.* Et Deut. 4. sic Deus per Moysen populum alloquitur: *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, etc.* Et Matth. 11. dixit Christus: *Si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem.* Quibus locis illa futura conditionata prædicta, scita sunt

a

a Deo sub illa particula *forte*. Cum igitur eadem sit ratio de omnibus futuris conditionatis, dicendum est, Deum non habere certam, et infallibilem notitiam, et scientiam futuritionis ipsorum.

10 Secundo probatur. Quia Deus Exod. 4. dans Moysi signa, quibus inducere posset Ægyptios, ut crederent ipsi, ita inquit : *Si non crediderint tibi, nec audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis : quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam, sume aquam fluminis, et effunde eam super aridam, et quidquid hauseris de fluvio vertetur in sanguinem.* Ubi aperte prædicitur ut incertus, et dubius secundum se hic effectus futurus, nempe Ægyptios credituros esse Moysi sub hac conditione, si fierent priora signa : et est apertum signum hujus dubitationis providisse Deum posteriora signa in casu, quo priora non haberent effectum.

§ II.

Assertio prior.

Probatio assertionis.

11 Dicendum tamen est primo, Deum juxta sacram Scripturam certo, et infallibiliter omnino cognoscere futura contingentia conditionata, et disparata, de quibus in præsenti loquimur. Ita omnes Doctores Scholastici, quos infra referemus. Probatur ex illo 4. Reg. 13. ubi cum Elisæus Propheta præcepisset Regi Israel, ut jaculo terram percuteret in signum, quod reportaturus esset victoriam a Rege Syriæ : et Rex Israel ter tantum percuteret terram, tunc Elisæus ad eum dixit : *Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consummationem, nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Ubi, ut vides, prædicitur a Deo hoc futurum contingens conditionatum, et disparatum : *Si Rex Israel percussisset terram quinquies, aut sexies, etc. percuteret Syriam usque ad consummationem :* ergo Deus certo, et infallibiliter illud cognoscit. Conseq. patet. Quia ex quo capite prælectum est a Deo, non potuit non esse scitum ab illo : et ex quo capite non habet aliquam connexionem etiam conjecturalem, vel probabilem cum conditione, sed disparate ad illam se habet, non potest cognosci a Deo scientia conjecturali ex parte objecti, ex vi connexionis probabilis, quæ est inter conditionem et futurum ; sed necessario debet cognosci ex vi alterius medii, nimirum vel ratione veritatis objectivæ, et infallibilis, quam prædictum futurum habet (ut authores scientiæ mediæ, falso tamen, ut ex dictis disp. præcedenti constat, sentiunt) vel ratione decreti efficacis, et infallibilis, quod Deus circa illud futurum habuit, atque adeo per cognitionem omnino infallibilem, et certam, seu (quod idem est) infallibilem, tam ex parte objecti, quam ex parte subjecti.

Occurritur ex adversariis.

12 Ex quo etiam constat, non satisfacere solutionem illam, quam aliqui ex adversariis huic testimonio adhibent, nimirum in hoc futuro conditionato fuisse aliquam proportionem, et connexionem in ratione signi, et signati, inter illud, et suam conditionem : quæ connexio consistebat in hoc, quod quoties rex percuteret terram illo jaculo, toties percuteret Syriam. Et sic victoriæ illæ, juxta dispositionem rerum, poterant probabiliter judicari, ut sufficientes ad totalem interemptionem Syriæ.

Fit obviam occursui adversariorum.

Ex dictis igitur, satis constat, nullam esse hanc solutionem. Nam hoc signum vel esset naturale, vel ad placitum. Non primum, cum nulla sit connexio naturalis, in qua fundetur talis significatio. Neque secundum. Quia vel ex institutione humana, vel divina ? Non ex institutione humana, quia nullus homo posset scire illum futurum eventum : ergo ex institutione divina, ac proinde ex libero decreto Dei circa tale futurum. Quo admisso, non potest negari, Deum certo illud cognoscere.

Alia evasio.

13 Nec refert, si dicas, ex hoc testimonio solum colligi, Deum certo, et infallibiliter cognovisse hoc futurum disparatum, non vero cætera alia huic similia : ex eo, quod non est sufficiens fundamentum ad asserendum, Deum habuisse decreta conditionata, et efficacia circa omnia futura conditionata, et disparata.

Impugnatur.

Non itaque hoc refert. Nam, juxta Scripturam sacram, concedenda est Deo perfectissima libertas, et summe actualis : at ut dub. 4. hujus disp. dicemus, ad actualitatem, et perfectionem summam divinæ libertatis spectat, ut circa nullum futurum, sive absolutum, sive conditionatum maneat suspensa ; sed de quolibet decernat efficaciter suum *fore*, aut suum *non fore*. Quamvis, an in particulari, et determinate habuerit de-

cretum circa *fore*, vel determinate circa *non fore*, debeat nobis peculiariter ex Scriptura, vel Patribus constare : ergo, etc.

§ III.

Assertio posterior, et prima illius probatio.

14 Dicendum est secundo, probabilius esse, et magis consonum Scripturæ, Deum omnino certo, et infallibiliter cognoscere futura contingentia conditionata, quæ tantum habent probabilem, sive conjecturalem connexionem cum conditione. Diximus, probabilius hoc esse, quia non negamus, quin oppositum suam habeat probabilitatem : et ideo plures, et non contemnendi Theologi, id defendunt.

Assertionem hanc absolute tuentur Zumel lib. 3. de scientia conditionatorum disp. 5. Alvarez lib. 2. de auxiliis disp. 7. Nazarius in præsenti controversia 1. notabili 1. et conclus. 1. Gonzalez disp. 44. sect. 2. Cabrera 3. part. quæst. 1. art. 3. disp. 1. Ripa in præsenti dub. 4. cap. ultimo, Cornejo disp. 3. dub. 3. qui bene addit, sententiam hanc esse fere communem inter discipulos D. Thom. abstrahendo a medio, quo cognoscuntur, de quo dub. 4. dicemus; et tandem omnes authores, tuentes scientiam mediam, sive conditionatam, disput. sequenti, referendi : quamvis illi, et isti diverso fundamento ducantur. Nam hi existimant prædicta futura certo cognosci a Deo antecedenter ad divinum decretum ; et ideo prædictam scientiam mediam, sive conditionatam admittunt. Illi vero, nimirum discipuli D. Thom. solum concedunt scientiam infallibilem eorum, post divinum decretum efficax, et conditionatum, circa futuritionem eorundem ; et propterea eandem scientiam conditionatam pro viribus denegant.

Prima probatio assert.

Probatur primo, ex illo Matth. 11. et Luc. 10. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida : quia si in Tyro, et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere, et cilicio pœnitentiam egissent.* Ubi hoc futurum conditionatum a Christo asseveranter prædicitur : ac proinde certo ab eo scitur, tum per scientiam infusam, tum etiam per scientiam divinam.

Prior solutio.

15 Nec refert, si primo respondeas cum Curiel loco citato a num. 62. cum Jansenio in concordia cap. 47. Christum non dixisse, acturos pœnitentiam ex præscientia aliqua, quam haberet de tali eventu posita conditione, quia revera id non præscivit; sed id asseruisse more humano per quandam exaggerationem, et hyperbolem, ut durities Bethsaidæ, et Corozaim gravius increparetur. Quem modum loquendi, esse usitatum in Scriptura ostendunt Martinez lib. 9. Hypotheposion, et Ribera in Amos cap. 2. num. 19. et 34.

Impugnatur.

Non itaque hoc refert. Quoniam solutionem hanc optime impugnat noster Cornejo ex August. et Prospero. Nam August. in Enchirid. cap. 93. et lib. 2. de dono perseverant. cap. 9. et 10. sic inquit : *Sed numquid possumus dicere, Tyros, et Sidonios, si tales apud illos virtutes fierent, non fuisse credituros : cum ipse Dominus attestetur, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam :* ubi expendenda sunt illa verba ; *Cum ipse Dominus attestetur :* quæ de propositione hyperbolica, et de re, quæ futura non esset, dici non possent. Et similiter D. Prosper explicans hunc locum Matth. ita inquit : *Nos etiam si rationem facti, et profunditatem judicii ejus penetrare non possumus, manifeste tamen scimus et verum esse quod dixit, et justum esse quod fecit.* Ergo juxta horum Patrum doctrinam, non fuit sola exaggeratio, nec hyperbole rei non prægnitæ ut futuræ; sed vera asseveratio, et prædictio futuri eventus, posita conditione.

Confirmatur.

16 Et confirmatur. Quia si hæc verba solum sunt hyperbolica, idem quod dixit Christus Dominus de Tyriis, et Sidoniis, potuisset asserere de cæteris omnibus Gentilibus; at aliquid vere affirmavit de illis, quod non affirmaret de omnibus Gentilibus ; ergo non hyperbolice, et per exaggerationem, sed ex certa scientia de Tyriis, et Sidoniis locutus est. Major patet; quia hyperbole non continet veritatem determinatam, cum apud Rhetores sit, *ementiens quædam superjectio.*

Minor vero (præterquam quod ex se videtur constare) suadetur ex illis verbis : *Verum tamen Tyro, et Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis.* Quæ verba determinatam continent prophetiam levioris supplicii in Tyros, quam in Bethsamitas ; atque adeo Christus Dominus in verbis illis : *Væ tibi Corozaim, etc.* aliquid vere affirmavit de Tyriis, et Sidoniis, quod non affirmaret de omnibus aliis Gentilibus.

Alia solutio.

17 Nec etiam refert, si secundo occurras cum eodem Curiele, verba illa dicta esse a Christo non ut de re futura infallibiliter, posita conditione ; sed ut certa tantum moraliter, attenta dispositione Tyriorum. Cui interpretationi

interpretationi favet, quod infra dicit de Sodomitis ; ubi simile quid prædicens de illis, addidit particulam, *forte*, asserens : *Et tu Capharnaum nunquid usque in cœlum exaltaberis, usque in inferum descendes : quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hunc diem.* Unde in Græco post vocem *olim* in nostro testimonio adductam, habetur particula quædam, significans idem, quod *utique ;* pro qua noster interpres secundo loco vertit, *forte :* et videtur, eam in priori suppressisse ; quia existimavit, satis esse apponere eam in fine totius sententiæ, dum simile quid de Sodomitis prædixit.

Evertitur primo. Non itaque hoc refert. Nam in primis id, quod de particula *forte* adducitur, non probat, in prædictis testimoniis contineri dubitationem aliquam ex parte objecti, ac proinde solum certitudinem moralem ex parte ejusdem. Quoniam verbum illud *forte* in sacra Scriptura non indicat dubitationem ; sed potius confirmationem rei, quæ dicitur, quoties Deus, aut Christus loquitur ; ut constat ex illo Actorum 8. ubi D. Petrus loquens ad Simonem Magum inquit : *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Quem locum exponens Ambrosius, inquit : *Particulam (si forte) apparentem quidem afferre dubitationem, re ipsa autem nullam.* Et id confirmat ex sacris, et profanis authoribus.

Et similiter Joan. 4. *Si Scires donum Dei et quis est qui dicit tibi : da mihi bibere, tu forsitan petiisses ab eo, etc.* et 5. *Si crederetis Moysi ; crederetis forsitan et mihi*, et cap. 8. *Si me sciretis ; forsitan et Patrem meum sciretis.* In quibus locis certum est, prælictam particulam non sumi ullo modo dubitanter. Et propterea nostra vulgata non solum in loco dicto, sed etiam sæpe vertit ex Græco pro particula *forte,* particulam *utique,* ut in illo Psalm. 50. *Quoniam si votuisses, sacrificium dedissem utique.* Ubi D. Hieronymus explicans illud Jerem. 26. *Noli subtrahere verbum, si forte audiam.* Augustin. tract. 37. in Joan. Chrysost. homil. 78. in Matthæum, Gregor. homil. 9. in Ezechielem, Eusebius lib. 6. de præparatione Evangel. cap. 9. expresse affirmant particulam *forte,* non importare dubitationem, cum Deus loquitur ; sed apponi ad denotandum vel libertatem arbitrii, vel difficultatem rei, quæ prædicitur, et quam pauci futri sint, qui illud sunt facturi.

18 Placuit autem verba Hieronymi, et August. quia notatu digna sunt, aliis suppressis referre : *Verbum* (inquit Hieronymus) *ambiguum (forsitan) majestati Domini non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum hominis servetur arbitrium* Augustinus vero sic inquit : *Qui omnia scit, cum dicit forsitan, non dubitat, sed increpat : dubitationis verbum est cum dicitur ab homine, ideo dubitante quia nesciente : quando vero dicitur a Deo, cum Deum nihil lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.*

Impugnatur ex alio capite. Et deinde, id, quod in eadem solutione continetur, nimirum prædictum futurum non esse revelatum, ut certo, et infallibiliter futurum ; sed tantum ut certo moraliter, seu attenta dispositione causarum, non videtur consonum huic testimonio, maxime juxta mentem Augustini. Nam cum Tyrii, et Sidonii essent Gentiles, et vitiis implicati, posset utique, attenta hac dispositione causarum, probabiliter judicari, eos non esse convertendos : sicut attentis aliis potuit etiam probabiliter existimari, subsequendam esse eorum conversionem, si signa, et prodigia illa viderent : ac proinde sicut potuit absolute affirmari, eos esse convertendos, poterit etiam oppositum dici attenta dispositione earundem causarum : hoc autem repugnat explicationi, quam ex D. Augustino adduximus. Nam ille asseveranter asserit, non posse hoc dici, ex eo, quod Dominus attestetur illos fore pœnitentiam acturos, ut ex verbis nuper relatis constat. Sed hæc amplius ex iis, quæ statim expendentes alia testimonia dicemus, elucidabuntur.

Objectio. 19 Nec refert, si objicias contra ea, quæ circa hoc testimonium diximus. Tum quod juxta regulam ejusdem Augustini lib. 3. de doctrina Christiana cap. 10. universaliter ab omnibus Theologis receptam, verba sacræ Scripturæ debent semper intelligi in sensu proprio, quando ex eo, quod ita intelligantur, non sequitur aliquid contra fidem, aut contra rationem : ergo cum particula *forte,* indicet aliquam dubitationem saltim ex parte objecti, et nullum sequatur absurdum, ex eo, quod prædictum testimonium sic intelligatur, consequens erit, ut debeat sic intelligi : ac proinde per illam denotari, prædictum

futurum esse dubium, et solum conjecturabile ex parte objecti; quamvis ex parte subjecti certo cognoscatur ut moraliter, seu conjecturaliter futurum. Tum etiam : quia ex eo, quod Christus dixerat, nimirum converten los fore Sidonios, et Tyros, si in illis factæ fuissent virtutes illæ, quæ in Bethsaida fuerunt factæ : colligitur statim in sacra Pagina, remissius fore agendum cum Tyriis, et Sidoniis in die judicii, quam cum Judæis : ergo signum est, solum locutum fuisse Christum de præsenti dispositione Tyrorum et Sidoniorum, et de dispositione Judæorum : ac proinde solum affirmasse, istos existere in deteriori dispositione, quam illos : ex eo, quod minora habebant peccata. Consequentia patet. Nam illa die cum nullo remissius est agendum propter bona opera, quæ faceret, sed propter minora peccata, quæ commisit.

Confirmatio primæ probationis.

20 Respondetur enim ad primam ex his impugnationibus. Tùm quod ex opposito sequitur non leve absurdum, nimirum, quod si Deus solum certitudine morali ex parte objecti cognosceret prædicta, non habuisset decretum efficax, conditionatum tamen, circa illa. Et ex hoc rursus sequitur, non esse in illo perfectissimam, et actualissimam libertatem, ut in dub. 4. hujus disp. iterum insinuabimus, et in tract. de Voluntate, disp. 5. dub. 3. dicemus. Tum etiam, satis esse, quod juxta communem expositionem ejusdem August. et aliorum Patrum, prædicta particula *forte*, in sensu jam dicto ratione materiæ accipiatur, quia eo ipso nihil absurdi sequitur, ex eo. quod sic sumatur. Nec ob id verba Scripturæ suam firmitatem amittent, aut ad alios sensus extorqueri possunt : quia in aliis cessabit ratio consensus tot Patrum, quæ in præsenti adest.

Ad secundam vero impugnationem dicendum est, utrumque prælixisse Christum Dominum, nimirum obcæcationem, et duritiam cordis Tyrorum et Sidoniorum fuisse minorem, quam Bethsamitarum, et habitantium in Corozaim : et deinde illos convertendos, si vidissent prædicta signa : non tamen istos, ut innuit August. lib. 2. de bono perseverantiæ cap. 14 his verbis : *Non erant sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyrorum, et Sidoniorum quoniam crèdidissent, si qualia viderunt isti, signa vidissent.* Quare in die judicii non agetur remissius cum Tyriis, quam cum Judæis propter bona opera, quæ facerent, posita illa conditione, sed propter minora peccata, quæ commiserunt, ratione cujus non erant ita indurati, sicut illi.

§ IV.

Probatio secunda ejusdem assertionis.

21 Secundo probatur eadem assertio aliis testimoniis. Nam 1. Reg. 23. cum David esset in Ceila, et audivisset, quod Saul veniret illuc, ut everteret urbem propter eundem Davidem consuluit Dominum dicens : *Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus, et si descendet Saul, sicut audivit servus tuus, indica servo tuo Et ait Dominus, descendet. Dixitque David : Si tradent me viri Ceilæ? et viros, qui sunt mecum in manus Saul? et dixit Dominus, tradent.* Ubi, ut constat, duplex futurum conditionatum asseveranter a Deo prædicitur, nimirum descensus Saulis, et traditio Ceilanorum, si David ibidem permaneret.

Et similiter Jerem. 38. dicitur ad Sedechiam Regem : *Si profectus exieris ad Principes Regis Babylonis, vivet anima tua, et civitas hæc non succendetur igne, et salvus eris tu, et domus tua.* Ubi tria ad minus asseveranter prædicuntur futura. Nimirum, prædictum Regem vivum conservandum. Secundum, urbem non esse succendendam. Tertium, totam ejus domum fore salvam. Et hæc fuisse conditionata etiam liquet ex capite sequenti : in quo enarratur, ipsum non exivisse ad Principes Regis Babylonis : et ita accidisse oppositum illorum trium, quæ revelata fuerant.

Et deinde Lucæ 16. cum dives ille peteret ab Abraham, ut aliquis ex mortuis descenderet ad prædicandum fratribus pœnitentiam, ut ita facilius crederent, et converterentur, respondit : *Si Moysen, et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.*

Confirmatur.

22 Et confirmatur ex illo Joan. 5. *Est qui accuset vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit.* Ubi particula *forsitan*, non est dubitantis, sed affirmantis, ut supra diximus. Et ita authores vetustissimi eam omittunt, ut notavit Maldonatus, et Albeinus apud D. Thom. Item Cyprianus, et Aug. lib. 16. contra Faustum. Et similiter

militer hoc idem suadet illud Joan. 6. *Jesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Et primæ ad Corinth. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Ac tandem illud 3. Reg. cap. 11. *Non ingrediemini ad eos : neque de eis ingredientur ad vestras : certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos eorum.* Ubi licet hoc futurum fuerit absolutum respectu Salomonis, v. g., qui cum mulieribus alienigenis ardentissimo amore copulatus est : et ita, ut ait sacer textus, cum jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos ; attamen respectu aliorum multorum, qui cum eisdem copulati non sunt, habuit rationem futuri contingentis conditionati.

Enodatio ex adversariis.

23 Nec potest in his testimoniis recurri ad solam certitudinem moralem, ac proinde, quod solum erant sic eventura, quantum est ex determinatione causarum secundarum.

Evertitur primo.

Nam contra hoc est primo, quod in omnibus fere testimoniis relatis, absolute, et absque ulla particula denotante dubitationem ex parte objecti prædicuntur futura in illis contenta. Et si quod est testimonium, continens particulam *forte*, quæ videtur dubitationem ex parte objecti innuere, et infallibilitatem metaphysicam excludere, jam ostensum est supra num. 17. et 18. non habere vim dubitationis, sed potius affirmationis : ergo multo congruentius sacro textui hæc testimonia intelliguntur, si futura in eis contenta, omnino certo, et infallibiliter eventura esse credantur.

Confirmatur primo.

24 Confirmatur primo. Quia in prædictionibus futurorum absolutorum, non continentibus prophetiam comminationis, aut promissionem alicujus remunerationis, non recurritur ad scientiam solum conjecturalem ex parte objecti ; sed ad infallibilitatem metaphysicam : eo quod in illis absolute, et absque aliquo verbo innuente dubitationem, prædicuntur : aliquid enim de quavis revelatione cujuscunque futuri absoluti, non continente verbum aliquod, innuens cognitionem dubiam ex parte objecti, possemus cordate dubitare, an re ipsa, et infallibiliter ita eventurum sit : ergo cum in prædictis testimoniis de futuris conditionatis eodem modo loquatur sacer textus, et in omnibus fere ex illis non contineatur prophetia comminationis, aut promissio alicujus remunerationis, debent intelligi de revelatione eventus infallibiliter, et non solum moraliter futuri. Maxime cum inde nulla imperfectio Deo accrescat ; sed potius hoc maximam in eo perfectionem indicet. Unde Stapletonius dixit, quod sicut in prædictionibus de futuris absolutis esset corruptela verbi Dei, solum confugere ad conjecturalem cognitionem, et inclinationem, ac dispositionem causarum secundarum, ita etiam in similibus revelationibus de futuris conditionatis. Stapletonius.

Alia confirmatio.

25 Confirmatur secundo. Quoniam licet in prædictionibus de futuris absolutis, continentibus prophetiam, v.g., comminationis, solum soleat revelari futurus eventus, quantum est ex parte causarum secundarum ; nihilominus hoc non ideo est, quia Deum lateat, an effectus ille certo, et infallibiliter futurus sit : ergo item cum proportione debet intelligi, adhuc in revelationibus conditionatis, et continentibus prophetiam comminationis, ac proinde potiori ratione in aliis, eam non continentibus. Consequentia patet ex paritate rationis, et præcipue, quia (ut modo innuebamus, et dub. 5. hujus disp. dicemus) nullum absurdum sequitur, ex eo quod Deus certo cognoscat hæc futura conditionata ; sed potius id maximam perfectionem in Deo arguit.

Antecedens autem ostendit D. Thom. 2. 2. quæst. 171. art. 6. ad 2. his verbis : *Quamvis futura contingentia, prout sunt in se ipsis, sint determinata ad unum, tamen prout sunt in suis causis, non sunt determinata, quin possint aliter evenire. Et quamvis ista duplex cognitio semper intellectui divino conjungatur, non tamen conjungitur semper in revelatione prophetica, quia impressio agentis non semper adæquat ejus virtutem. Unde quandoque revelatio prophetica est impressa quædam similitudo divinæ præscientiæ prout respicit ipsa futura contingentia in se ipsis : et talia sic eveniunt, sicut prophetantur, secundum illud Isaiæ 7. ecce virgo concipiet. Quandoque vero prophetica revelatio est impressa similitudo divinæ præscientiæ, prout scilicet cognoscit ordinem causarum ad effectus : et tunc quandoque aliter evenit, quam prophetetur, nec tamen prophetiæ subest falsum. Nam sensus prophetiæ est, quod inferiorum causarum dispositio, sive naturalium, sive humanorum actuum hoc habet, ut talis effectus eveniat, et secun-*

dum hoc intelligitur verbum Isaiæ dicentis : Morieris, et non vives, id est, dispositio corporis tui ad mortem ordinatur.

Quod etiam docuit, quæst. 12. de Verit. art. 10. ubi postquam distinxit dispositionem causarum ab exitu, et eventu, qui postea erit, et dixit, virtutem creatam in futuris solum attingere ordinem causarum, addidit : *Sed Deus non solum cognoscit futura ratione ordinis causarum, sed etiam quantum ad ipsum exitum, vel executionem ordinis :* ergo quamvis demus, quod Deus in prophetiis comminationis, solum prædicat dispositionem, et inclinationem causarum ; non tamen ideo dicendum est, illum non cognoscere certo, et infallibiliter eventum futurum sub conditione.

Alia eversio solutionis adversariorum.

26 Secundo contra eandem solutionem obstat, quod si prædicta testimonia solum de conjecturali cognitione ex parte objecti, et ratione inclinationis causarum intelligerentur, tunc potius prædicendum a Deo videbatur oppositum ejus, quod ab ipso revelatum est ; vel saltim posse optime id prædici in duobus illis testimoniis, quæ in secunda probatione principali assertionis adduximus. Nam Ceilæ erant valde affecti ad Davidem : eo quod maxima beneficia ab eo receperant, præcipue vero, quod urbem illam liberaverat a Philisthæis, a quibus oppugnabatur : et ita verbis, et promissionibus maximum affectum in signum grati animi exhibuisse Davidi, dubitandum non est.

Et similiter valde credibile, et verisimile est, quantum est ex parte inclinationis, et modi operandi causarum secundarum liberarum, quod si aliquis ex mortuis resurgeret, et ex experimentali scientia prædicaret peccatoribus (qui nomine fratrum intelliguntur in illo testimonio Lucæ 16.) tunc plures ex illis rei novitate perterriti crederent, et resipiscerent : ergo si hæc testimonia intelligenda essent de certitudine morali solum ex parte objecti, et inclinationis causarum, potius debebat oppositum in illis prædici, vel saltim poterat oppositum revelari. Quare cum in eis prædicatur eventus oppositus inclinationi causarum, credendum est, revelationem hanc non inniti in hac scientia conjecturali, sed in alia infallibili metaphysice, orta ex infallibili aliquo principio, nimirum ex divino decreto efficaci, et conditionato circa eventum prædictorum futurorum.

Ultima impugnatio.

27 Tandem contra eandem solutionem obstat, hunc modum intelligendi prædicta testimonia de cognitione certa, et infallibili metaphysice, non vero de sola certitudine morali, et ex parte causarum secundarum videri magis consonum regulæ illi, quam tradidit Moyses Deuter. 18. num. 22. ad dignoscendum quando aliquis in nomine Dei prophetaret : ubi cum sic inquisisset : *Quod si tacita cogitatione responderis, quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus?* Respondet statim : *Hoc habebis signum, quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit.* Ubi, ut communiter docent Theologi, loquitur de prophetiis non continentibus comminationem, aut promissionem remunerationis. Unde in aliis similibus prophetiis, aut revelationibus perinde erit aliquid revelari a Deo, ac esse infallibile, ut id semper eveniat; sive absolute, si futurum illud sit absolutum ; sive conditionate, si sit conditionatum : et ita non est recurrendum ad inclinationem causarum secundarum solummodo : quia stante hac inclinatione, multoties non evenient. Maxime quia causæ secundæ liberæ sunt ita facile mutabiles, ut ex dispositione, quam modo habent, quando advenit tempus impletionis prophetiæ, et revelationis, non posset a nobis colligi, an in tempore revelationis antecedentis habuerint hanc eandem dispositionem, vel e contra? et ita frustraretur regula, quam Spiritus Sanctus per Moysen tribuit, ad secernendos veros Prophetas a falsis.

Additamentum.

Quibus omnibus accedit, quod testimonium illud ex lib. Regum, ultimo loco adductum, in quo particula illa *certissime* continetur, indicat maximam certitudinem in cognitione divina, quæ non potest commode de certitudine morali explicari, cum huic multoties subsit falsum : et ita testimonium illud habet majorem energiam, quam sit illa, quæ ei in prædicta explicatione tribuitur. Si autem testimonium istud de scientia infallibili debet intelligi, protinus cætera alia eodem modo sunt intelligenda. Nam si semel habet Deus medium ad futurum hoc conditionatum infallibiliter cognoscendum, non est cur ei denegetur hoc medium respectu aliorum futurorum, et ex se patere videtur, et ex infra dicendis magis constabit.

Ad fundamentum pro prima sententia.

Ad fundamentum primæ sententiæ patet ex dictis in secunda assertione.

DUBIUM III.

DUBIUM III.

Utrum juxta Sanctorum Patrum mentem, Deus cognoscat omnino certo, et infallibiliter futura contingentia conditionata, sive sint disparata, modo dicto, sive habeant probabilem connexionem cum eventu futuro?

28 Postquam explicuimus, quid circa cognitionem infallibilem omnino, id est, infallibilem tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti futurorum contingentium, et conditionatorum, juxta sacram Scripturam dicendum sit, oportet, ut quid de mente Patrum sit tenendum, aperiamus, vel (ut melius dicamus) hoc ipsum virtualiter in iis, quæ dub. præcedenti asserta sunt, manet discussum. Cæterum ut clarius, et distinctius procedamus, propterea sigillatim dubium hoc excitatur.

§ I.

Sententia negans.

Argumentum primum. Partem negantem tuentur Doctores præcedenti dub. relati. Eamque probat primo Cornejo sic. Nam D. Augustinus lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 14. explicans locum illum Sapientiæ 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus,* sic inquit : *Dictum est enim secundum pericula hujus vitæ, non secundum præscientiam Dei : qui hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat.* Ecce ubi D. August. expresse affirmat, Deum non cognoscere ea futura sub conditione, quæ nunquam futura sunt. Idem docet lib. 1. de Anima, et ejus origine, cap. 12. his verbis : *Ipsa exinanitur præscientia omnino, si quod præscitur non erit : quomodo enim dicitur, præsciri futurum, quod non est futurum?*

Secundum. 29 Secundo probatur authoritate D. Prosperi Regiensis, qui in Epistola ad D. Augustinum, quæ habetur tomo 8. operum Augustini ante lib. de prædestinat. reprobans sententiam Massiliensium, qui affirmabant, homines electos esse ad gratiam, et gloriam, propter merita, quæ fecissent, si vixissent amplius, ita ait : *In tantum quibuscunque commentitiis meritis electionem Dei subjiciunt, ut quia præterita non extant, futura quæ non sunt futura, confingant, novoque apud illos absurditatis genere, et non agenda præscita sint, et præscita non acta sint.* Ecce quomodo absurdissimum reputat, non agenda præsciri, etsi alias purificata conditione forent.

30 Tertio probatur ex Damasceno, dialogo adversus Manichæos : ubi refutans errorem eorum, qui dicebant, Deum minime debuisse creare eos homines, aut Angelos, quos ante præscit malos futuros, et æterno supplicio afficiendos, sic inquit : *Quonam autem modo præscire queat, quod futurum non est? Nam si aliquem peccaturum præscivisset, nec eum condidisset, præscientia hæc non esset ; sed impostura. Quemadmodum etiam cognitio, est earum rerum, quæ sunt, sic prænotio, earum est, quæ certo futura sunt.* Quibus verbis nihil clarius pro hac sententia dici potest, cum horum futurorum scientiam, *imposturam,* hoc est, *fraudem,* et *deceptionem* appellet.

Solutio juniorum. 31 Nec refert, si ad hæc testimonia respondeas primo cum Vazquez in præsenti disp. 67. cap. 4. in principio, et Curiei controversia 7. art. 2. num. 63. hos Patres solum negare præscientiam absolutam rerum, quæ aliquando non erunt ; ita ut sit sensus D. August. Deum non ideo rapuisse puerum illum immatura morte, eo quod absolute præsciret, intellectum illius esse mutandum, si diu viveret : quia cum hoc non esset de facto futurum, siquidem morte fuit præventus, non poterat absolute præsciri ut tale. Nam præsciri ut absolute futurum, quod revera non est futurum, est exinanire ipsam præscientiam (ut docet August.) et novum absurditatis genus ; imo et impostura, ut docent Damasc. et Prosper.

Refellitur. Non itaque hoc refert. Quia si Patres his testimoniis solum negarent præscientiam absolutam horum futurorum, insufficienter impugnarent errorem Massiliensium, quem impugnare intendebant. Quia illi non affirmabant, Deum cognoscere hujusmodi futura præscientia absoluta, sed alia notitia abstractiori, nempe conditionata.

Alia solutio. 32 Nec etiam obest, si secundo cum eisdem authoribus, et Suarez lib. 2. de scientia futurorum sub conditione cap. 3. num. 8. prædictis testimoniis occurras, dicens : hos Patres non negare illis locis præscientiam futurorum sub conditione ; sed eam, quam Massilienses ponebant, nempe conducentem ad meritum, et demeritum, præmium, et pœnam. Quia impugnabant eorum errorem, quo as-

serebant, Deum punire, et præmiare, auferre gratiam, aut conferre illam propter ea opera bona, aut mala, quæ prævidebat pueros, aut etiam adultos facturos, si ad usum rationis pervenirent, aut diu in vita perseverarent, vel hoc, aut illud acciderent, etiam si de facto talia opera nunquam forent.

Rejicitur primo. Non itaque hoc obest. Tum quia videtur voluntarie dictum : siquidem ex relatis testimoniis satis clare constat, Patres absolute, et simpliciter, negasse horum futurorum præscientiam. Et certe nullo alio faciliori medio, quam negando illam, poterant errorem, quem impugnabant, refellere. Nam alias facilius impugnassent illum, ex Paulo 2. ad Corinth. dicente, unumquemque judicandum esse ex iis, quæ de facto gessit in corpore suo, et non ex iis, quæ non gessit; esset tamen facturus posita hac, vel illa conditione.

Secundo. Tum secundo : quia admissa tali scientia, non sequitur, Deum non potuisse remunerare, et punire puerum intuitu eorum operum, quæ videret sub conditione facturum, ut D. August. et Prosper contendunt inferre : siquidem non stetit per ipsum, quod morte præventus, de facto non forent.

Tertio. Tum tertio : quia saltim testimonio D. Damasceni non potest hæc solutio adaptari, ut clare constat ex ejus verbis.

Posterior enodatio. 33 Nec tandem satis erit, si aliter cum Suarez loco citato, et Lessio de præscientia conditionata, cap. 20. num. 5. occurras, prædictos Patres non negare scientiam, et simplicem notitiam horum futurorum, sed solum negare eorum præscientiam. Nam præscientia significat notitiam anticipatam. Ubi autem nihil est futurum absolute, nulla est anticipatio : quia *ante*, et *post* dicuntur relative : et ita non est præscientia, quia præscire, est scire futurum : quod vero futurum non est, sed esset, non præscitur, sed præsciretur : ideoque res futura sub conditione non dicitur præsciri, sed sciri sicut res possibilis.

Impugnatur. Nam contra hoc est. Quod sicut præscientia absoluta dicitur talis, quia terminatur ad rem absolute futuram; ita præscientia conditionata potest dici talis, quia terminatur ad rem futuram sub conditione : ergo cum Patres hi locis non negent solam præscientiam absolutam futurorum sub conditione, quam non ponebant Massilienses, dicendum est negare præscientiam conditionatam.

§ II.

Vera sententia.

Conclusio. 34 Dicendum tamen est, Deum juxta Sanctorum Patrum mentem, certo, et infallibiliter cognoscere prælicta futura contingentia, et conditionata. Ita Doctores dub. præcedenti pro nostra assertione relati. Assertio hæc quoad futura conditionata disparata, de quibus in præcedenti dubio diximus, ad hanc disputationem pertinere, constabit ex iis, quæ quoad futura conditionata, habentia tantum probabilem connexionem cum conditione, docebimus. Nam, ut ex iis, quæ statim dicemus, patebit, eadem est ratio de his, et de illis quoad hoc, quod est cognosci cognitione omnino certa, et infallibili, id est, tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti : siquidem neutrum ex illis habet infallibilem nexum cum conditione : et ita solum possunt cognosci infallibiliter ratione decreti efficacis, et infallibilis divinæ voluntatis, quod potest ad utrumque terminari.

Prior assertionis probatio. Quoad futura igitur, habentia tantum probabilem nexum cum conditione, seu quantum est ex parte inclinationis, et dispositionis causarum secundarum. Probatur primo, testimonio Augustini tom. 10. serm. 7. de verbis Domini cap. 1. circa illa verba Matth. 9. et Lucæ. 9. *Magister sequar te quocunque ieris.* Et circa responsionem Christi : *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos : filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Ubi enim Sanctus Doctor proponit hanc quæstionem : *Quid tam promptum? quid tam impigrum? quid tam paratum, et quid ad tantum bonum aptissimum, sequi Dominum quocunque ierit? Miraris hoc dicens : quid est hoc, quod Magistro bono Domino Jesu Christo invitanti discipulos, quibus daret regnum cœlorum, displicuit tam paratus?* Et huic quæstioni respondet his verbis : *Sed quia talis Magister erat, qui futura prævideret, intelligimus fratres, istum hominem, si sequeretur Christum, sua quæsiturum fuisse, non quæ Jesu Christi.* Ubi, ut vides, aperte asserit Christum ideo rejecisse hunc hominem, qui ita paratum se exhibebat ad illum sequendum, quia præcognoscebat hoc futurum conditionatum,

tionatum, nimirum, quod si fuisset admissus, non quæreret quæ Christus sua prælicatione intendebat, nempe animarum utilitatem, et Dei gloriam; sed proprium commodum temporale. Et ut innueret idem Sanctus Doctor se loqui de præscientia hujus futuri omnino certa, et infallibili, etiam ex parte objecti materialis, fecit vim in hoc, quod Christus erat talis magister, ut futura prævideret. Nam si solum loqueretur de cognitione conjecturali, non erat necessarium ad eminentissimum Christi magisterium recurrere, cum hoc ipsum de aliis hominibus mediocris ingenii, et scientiæ posset dici.

Confirmatur.

35 Confirmatur ex eodem August. lib. de correct. et gratia cap. 8. ubi affirmans, quod sæpe Deus præmatura morte non rapiat aliquos, ne committant peccata, quæ ipse præscit esse commissuros, si in vita diu persisterent, sic inquit: *Respondeant si possunt, cur illos Deus, cum fideliter, et pie viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum? Utrum hoc in potestate non habuit? an eorum mala futura nescivit? nempe nihil horum nisi perversissime dicitur.* In quibus verbis tam indubitatum est apud August. Deum præscire mala sub conditione futura, quam posse auferre illos de vita.

Secunda probatio assertionis.

36 Secundo principaliter probatur ex D. Chrysost. homil. 65. super caput 19. Matth. ubi sic ait: *Sed cur nam (inquies) non statim omnes conduxit? omnes quidem ille ab initio conduxisse voluisset, si vero non omnes eodem tempore paruerunt, a voluntate vocatorum hæc differentia resultavit: idcirco alii mane, alii tertia, alii sexta, alii nona, alii undecima hora vocantur, quia tunc obtemperaturi erant. Quod et Paulus aperte significavit, dicens: Quando autem visum est Deo, me segregavit ex utero matris meæ. Quando autem ei visum est? quando certe obtemperaturus erat. Nam ipse a primis etiam incunabulis voluisset, sed quia illum revixurum sciebat, tunc voluit, cum animum ipsius penetraturam vocationem non ignorabat. Sic et latronem cum postea vocavit, potuisset antea ipsum vocasse, sed vocatus ille non paruisset.*

Posterior probatio.

37 Ultimo probatur testimonio D. Thom. 3. part. quæst. 1. art. 5. ad secundum, ubi cum sibi sic objecisset, quod 1. *ad Timotheum* 1. *dicitur Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere: sed plures salvati fuissent, si a principio humani generis Deus incarnatus fuisset. Plurimi enim ignorantes Deum in suo peccato perierunt in diversis sceleribus: ergo convenientius fuisset, quod a principio humani generis Deus incarnatus fuisset.* Respondet admittendo, tam ex propria sententia, quam ex sententia Augustini in lib. de perseverantia cap. 9. hanc scientiam futurorum conditionatorum: et simul reprobat ex eodem August. id, quod ipse Augustinus docuerat, et postea retractavit, nimirum, Deum præscivisse determinate, quod omnes, qui fuerant ante adventum Christi Domini, non erant in eum credituri: verba autem Angelici Doctoris hæc sunt: *Dicendum, quod Augustinus ad hoc respondet in lib. 6. de quæstionibus Paganorum, dicens, quæst. 2. quod tunc voluit Christus hominibus apparere, et apud eos prædicari suam doctrinam, quando, et ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri: his enim temporibus, et his in locis tales homines in ejus prædicatione futuros esse præsciebat, quales non quidem omnes; sed tamen multi in ejus corporali præsentia fuerunt, qui nec in eum suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt. Sed hanc responsione reprobans idem Augustin. in lib. de perseverantia dicit: Numquid possumus dicere Tyros, et Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent; cum ipse Deus attestatur eis, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum? Proinde (ut ipse solvens subdit) sicut Apostolus ait: non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, qui iis, quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit, subvenit, aliis autem non subvenit, de quibus in sua prædestinatione, occulte quidem, sed aliud juste indicavit: ita misericordiam ejus in iis, qui liberantur, et veritatem in iis, qui puniuntur sine dubitatione credamus.* Ubi, ut vides, aperte colligit, Deum certo cognovisse hoc futurum conditionatum, nimirum plures esse homines, qui in Christum credidissent, et converterentur, si facta, et miracula ejus vidissent, aut ad eos delata essent.

Quæ omnia magis confirmata manebunt ex pluribus aliis testimoniis, quæ ex D. August. et Angelico Doctore, disp. sequenti, adducemus. Nunc autem brevitatis, et claritatis gratia illa omittimus: sicut etiam et alia aliorum Patrum testimonia, quæ ipsos evolventibus, frequenter obvia erunt, ex quibusque aliqua ad rem hanc facientia,

adducunt juniores Theologi : quamvis non omnia ex iis, quæ ab ipsis adducuntur, intentum convincant, ut intuenti patebit.

§ III.

Respondetur testimoniis Patrum pro prima sententia adductis.

Ad primum.

38 Ad primum respondetur Augustinum loqui ibidem contra hæreticos asserentes, homines puniendos esse, vel præmiis afficiendos propter bona, vel mala opera, quæ non fecerunt, facerent tamen, si diutius in vita permanerent. Et ita aiebant, parvulos secerni ad invicem in ordine ad æternam electionem eorum ad gloriam per mala, vel bona opera, quæ perpetrassent, si viverent, quæque prævidit Deus facta hac hypothesi eos perpetraturos : atque adeo asserebant, quod ante divinum decretum, et electionem Dei præsciebat ipse quid in prædicta hypothesi erant facturi. Unde contra hos arguens Augustinus, dupliciter eos impugnat. Primo quidem ostendendo, quod etiamsi Deus prævideret prædicta futura conditionata, ante suum decretum, et electionem, vel reprobationem æternam parvulorum ; non tamen propterea hæc bona, vel mala opera sub conditione futura possent deservire ad meritum, vel demeritum, sive ad præmium, vel pœnam : ex eo, quod nullus meretur, vel demeretur propter opera, quæ faceret data aliqua hypothesi, sed propter opera, quæ re ipsa fecit.

39 Et deinde alia via impugnat hunc errorem, dicens, quod si Deus ante suum decretum prævidisset opera illa, sive bona, sive mala, tunc illud Sapientiæ 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus,* solum posset esse verum de cognitione Dei conjecturali ex parte objecti, seu secundum pericula hujus vitæ, et dispositionem eorum : non secundum præscientiam Dei, id est, secundum præscientiam omnino infallibilem tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti materialis : et rationem reddit. *Quia hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat,* hoc est, quia per hanc scientiam omnino infallibilem, modo dicto, tantum potest præsciri infallibiliter ex parte objecti materialis id, quod infallibiliter est futurum. Quare cum in sententia Augustini, ut disputatione sequenti num. 31. et sequentibus dicemus, et constat ex iis, quæ diximus disp. præcedenti, nihil sit futurum infallibiliter ante decretum efficax divinæ voluntatis, consequens est, ut bona illa, vel mala opera parvulorum non possint in illo signo, in quo de illis loquebantur hæretici, habere rationem futuri infallibilis, et per consequens nec ut tale a Deo præsciri. Quæ interpretatio est valde consona menti Augustini, ut illum intuenti constabit : et de ea, ac de hoc testimonio iterum in sequenti disp. num. nuper citato sermo redibit, ut ex eo scientiam mediam, sive conditionatam confutemus.

Ad alia argumenta.

Per quod etiam ad secundum testimonium ex D. Prospero adductum, et in eodem sensu loquente satis patet. Necnon et ad tertium testimonium ex Damasceno allatum. Nam Sanctus Doctor loquitur ibidem de præscientia futurorum ante divinum decretum, refutans illam in hoc sensu : ex eo, quod ante prædictum decretum non habent rationem futurorum : et ita tribuere Deo prædictam præscientiam, non est tribuere illi præscientiam, quam revera habeat ; sed imponere ei illam, quam non habet. Nam sicut cognitio est earum rerum, quæ sunt, sic prænotio est earum, quæ certo futura sunt. Unde testimonium hoc nobis etiam prodest contra scientiam mediam, sive conditionatam loco citato impugnandam. Quomodo autem, et in quo sensu revera Deus habeat præscientiam, et prænotionem, et in quo sensu illam non habeat, jam supra a nobis disp. præced. num. 44. et deinceps tactum est.

DUBIUM IV.

Utrum sufficienti ratione ostendatur, Deum certo, et omnino infallibiliter cognoscere tam futura contingentia conditionata, et disparata, quam ea, quæ tantum habent probabilem, et conjecturalem nexum ex parte objecti cum conditione ?

40 Per futura conditionata contingentia, et disparata, tantum intelligimus in hoc dub. futura illa disparata, quæ ad præsentem disputationem spectare diximus, nimirum ea, quæ tam ex parte conditionis, quam ex parte futuri eventus, a causa contingente, et libera pendent.

§ I.

Refertur duplex sententia.

Prior sententia.

Prima sententia affirmat quoad futura conditionata,

conditionata, habentia nexum conjecturalem cum conditione : negat vero quoad disparata. Quia existimat Deum illa non scire, ex eo, quod scibilia non sunt. Ita quoad 1. part. Doctores infra pro assertione referendi. Et quoad secundam illi, quos num. 9. retulimus. Et quidem quoad priorem partem constabit ex dicendis pro assertione nostra. Quoad secundam vero, scilicet quoad futura conditionata, et disparata, probat eam primo Cornejo in hoc art. disp. 3. dub. 1. Quia hujusmodi conditionata nullam habent veritatem, quæ sciri possit : ergo non potest ratione aliqua ostendi, esse certo, et omnino infallibiliter infallibilitate se tenente tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti materialis cognoscibilia. Consequentia patet. Antecedens autem probatur. Quia in propositionibus de futuro conditionato significatur dependentia aliqua operis a conditione : sed quando conditio non excitat voluntatem, sed est omnino impertinens, et disparata, nulla talis reperitur dependentia, ut patet in hac propositione : *Si Petrus dormiret Romæ, Paulus ageret pœnitentiam Salmanticæ* : ergo, etc.

Argumentum primum.

Et confirmatur. Nam sicut hæc propositio : *Antichristus est infallibiliter futurus*, est in rigore, et proprietate sermonis falsa ante divinum decretum, quia denotat, quod in illo signo causæ sunt infallibiliter determinatæ ad illum producendum; et nihilominus non potest in illo signo sciri, an habebit determinate, vel non habebit determinate pro tempore futuro existentiam, quia non est in illo signo aliquid infallibile, unde id sciatur, ut disp. 7. num. 148. et sequentib. diximus, ita prædicta propositio, et aliæ similes de futuro conditionato disparato sunt falsæ. Quia significatur ex vi, et rigore sermonis, esse aliquam connexionem inter conditionem, et eventum futurum, quod tamen est falsum, ut supponitur, et nihilominus non potest sciri, quid pro tempore futuro erit, posita illa conditione; quia non est unde id sciatur.

Confirmatio.

41 Nec refert, si cum authoribus scientiæ mediæ dicas, satis esse ad hoc, ut illa propositio sit vera, et sciatur eventus futurus, quod pro tempore futuro posita illa conditione, nempe somno Petri, poneretur eodem tempore pœnitentia Pauli. Quia re ipsa, et de facto non potest in illo eventu poni simul pœnitentia, et non pœnitentia ejusdem Pauli : nec potest non poni vel determinate pœnitentia illius, vel determinate non pœnitentia : quia hæc duo sunt immediate opposita. Et ideo si in eodem tempore, in quo poneretur conditio, ponatur determinate pœnitentia Pauli, erit vera illa conditionalis de futuro : et per consequens scita infallibiliter a Deo. Et ratio horum omnium est. Quia illa particula *si* non innuit in prædictis propositionibus sensum illativum; sed tantum denotat solam, et puram concomitantiam conditionis cum eventu futuro.

Evasio.

Nam contra hoc est. Tum quod semel admisso, quod particula *si* diceret solam, et puram concomitantiam pœnitentiæ Pauli cum hac conditione, nempe somno Petri, tunc saltem deberet admitti, Deum non cognoscere futura conditionata disparata, quæ non forent eodem tempore cum conditionibus, ut : *Si Judas non fuisset proditor, Lutherus retractaret hæresin* : siquidem hujusmodi effectus futuri nullam haberent concomitantiam, neque coexistentiam in eadem temporis duratione cum suis conditionibus. Quod tamen non admittent authores scientiæ mediæ, cum juxta eorum sententiam, habeant hujusmodi futura suam veritatem objectivam : ratione cujus possint certo terminare divinam cognitionem. Et ita adhuc in eorum sententia particula illa *si* in prædictis propositionibus non significabit solam concomitantiam in existentia.

Impugnatio.

Tum etiam : quia juxta regulas Dialecticæ, ut notavit Soto lib. 2. Summularum cap. 8. lect. 1. hæc particula *si* tribus duntaxat modis solet usurparit Primo illative, ut : *Si est homo, est animal*. Secundo promissive, ut : *Si servieris Petro, dabo tibi mercedem*. Tertio conditionate, ut : *Est animal rationale, si est homo* : ac proinde nunquam significabit solam concomitantiam. Consequentia patet. Quia omnibus his tribus modis denotat aliquam connexionem inter consequens, et antecedens.

Alia impugnatio.

42 Secundo, et principaliter probatur eadem sententia, quoad hanc partem. Nam propositiones de futuro conditionato disparato vel reddunt sensum illativum, et ita omnes sunt falsæ; vel denotant solam, et puram concomitantiam, et sic etiam habent esse falsas, nec habent unde eventus futurus certo cognoscatur, ut nuper dicebamus : ergo nulla ratione possunt a Deo certo sciri, neque id aliqua ratione

Secundum principale.

suaderi. Consequentia patet. Antecedens autem quoad primam, et ultimam partem ex dictis constat.

Quoad secundam vero, nimirum, quod si propositio illa conditionalis dicat solam, et puram concomitantiam, tunc sit falsa probatur. Quia non magis una pars illius propositionis est conditio alterius, quam e contra : siquidem concomitantia est mutua, et tamen ex vi illius propositionis denotatur, quod prior pars illius propositionis est conditio secundæ, ut dum dicimus : *Si Petrus dormiret Romæ, Paulus ageret pœnitentiam Salmanticæ* : ergo, etc.

Secunda sententia.

43 Secunda sententia negat Deo certam, et infallibilem cognitionem ex parte objecti materialis, seu omnino infallibilem, tam respectu futurorum conditionatorum, disparate se habentium ad suas conditiones, quam eorum, qui conjecturaliter, et probabiliter, vel aliqua alia connexione minori cum illis connectuntur. Ita Doctores pro contraria sententia dub. 2. adducti. Et quidem quoad futura disparata probatur argumentis præcedentis sententiæ. Quoad

Primum fundamentum.

utraque vero futura probatur primo Quoniam prædicta futura nec possunt certo cognosci per scientiam simplicis intelligentiæ, nec per scientiam visionis; ergo per nullam; ac proinde repugnabit, quod sufficienti ratione ostendatur, illa esse cognoscibilia a Deo per cognitionem ex omni capite infallibilem.

Hæc secunda consequentia ex priori patet. Quia si quæ ratio probaret prædicta futura esse omnino certo cognoscibilia a Deo, probaret utique esse cognoscibilia per aliquam ex his scientiis : siquidem, ut supra innuimus, et disp. sequentibus late probabimus, repugnat, dari scientiam aliquam mediam, per quam cognoscantur. Prima vero consequentia ex antecedenti constat.

Antecedens autem quoad priorem partem etiam liquet. Nam scientia simplicis intelligentiæ, tantum terminatur ad res pure possibiles, et omnino necessarias, quales non sunt prædicta futura. Quoad secundam vero partem etiam patet. Quia scientia visionis, tantum terminatur ad res existentes in aliqua differentia temporis, seu ad ea, quæ sunt realiter, et physice præsentia in æternitate : at prædicta futura non existent in aliqua differentia temporis : ac proinde nec sunt ab æterno physice, et realiter præsentia æternitati.

Secundum.

44 Secundo. Quia prædicta futura tantum possunt cognosci certo, vel secundum *esse*, quod habent in se ipsis, vel secundum *esse*, quod habent in suis causis : at neutro ex his duobus modis ; ergo nullo : et per consequens, nec poterit ulla ratione probari Deum habere cognitionem certam, et infallibilem de illis. Hæc secunda consequentia ex prima patet : prima vero ex utraque præmissa. Minor autem etiam constat. Quoniam prædicta futura nunquam habebunt *esse* in se ipsis : siquidem nunquam existent : et ita nunquam poterunt cognosci secundum *esse*, quod habent in se ipsis. Sicut etiam nec poterunt certo cognosci secundum *esse*, quod habent in suis causis : siquidem in illis, tantum habent *esse* incertum, et indeterminatum, scilicet *esse* contingens. Major vero etiam est perspicua. Quoniam non est aliud genus essendi, nisi vel in se ipso, vel in sua causa, ut constat ex iis, quæ disput. præcedent. latius diximus.

Effugium.

45 Nec refert, si dicas, habere *esse* in se ipsis, non secundum *esse* reale exercitum; sed secundum *esse* reale objectivum.

Præcluditur.

Nam contra hoc est, quod eadem ratione videtur posse dici, futura contingentia absoluta habere in quovis signo determinatam veritatem objectivam : quia licet in quovis signo non habeant *esse* determinatum, vel in suis causis, vel in se ipsis secundum *esse* exercitum ; bene tamen secundum *esse* objectivum : at hoc satis superque impugnatum videtur disp. præcedenti a num. 96. usque ad num. 122. ergo, etc.

Tertium fundamentum.

46 Tertio probatur. Nam scientia horum conditionatorum dicit imperfectionem in Deo ; ergo nec potest poni illo, neque id aliqua ratione suaderi. Consequentia est aperta : et antecedens probatur. Nam judicium, quod ex natura sua est practicum, et non sortitur suum effectum, est imperfectum : sed hujusmodi est hæc cognitio conditionatorum; siquidem per eam cognoscuntur infallibiliter tam ipsa, quam modus, quo facienda sunt; et tamen nunquam per eam ponentur ad extra : ergo, etc.

§ II.

Vera sententia.

Assertio.

47 Dicendum tamen est, sufficienti ratione probari, Deum habere certam, et infallibilem cognitionem prædictorum conditionatorum,

natorum, ita ut ex omni capite, scilicet tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti materialis sit infallibilis. Assertionem hanc tuentur authores pro nostra sententia duobus dubiis præcedentibus relati. Nulla autem via melius probabitur, quam adducendo rationem fundamentalem, per quam suadetur prædicta futura, omnino certo, et infallibiliter a Deo attingi. Quæ quidem insinuatur a D. Thom. locis dub. sequenti referendis; et potest ad hanc brevem formam reduci.

Ratio assertionis.

Nam Deus habet decretum efficax, et conditionatum ex parte objecti circa quodvis futurum conditionatum, quantumvis disparatum, quo efficaciter decernit, quod posita conditione determinate erit pro tempore futuro, vel determinate non erit pro eodem tempore; non secus, proportione servata, ac de quolibet futuro absoluto efficaciter decrevit, quod pro tempore futuro determinate habebit existentiam, vel determinate illam non habebit; quamvis nos lateat, an determinaverit ejus *esse*, vel ejus *non esse*, nisi id nobis divinitus reveletur, vel videamus effectum ad extra positum, vel habeamus aliquas rationes, sive probabiles conjecturas, ratione quarum nobis persuadeamus, quod aliquid determinate habebit *esse* pro prædicto tempore; ergo Deus in hoc decreto certissime, et infallibiliter omnino, id est, tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti materialis cognoscet omnia prædicta futura.

Consequentia est perspicua. Nam prædictum decretum conditionatum habet certam, et infallibilem connexionem cum prædicto futuro, ita ut non stet in sensu composito, nec possit stare, quod Deus efficaciter præfinierit, quod posita illa conditione habeat esse libero modo pro tempore futuro, et quod prædicto tempore infallibiliter non sit: sicut semel Deo efficaciter prædifiniente conversionem absolutam, et liberam Petri, infallibiliter erit talis conversio; ergo hoc ipso, quod Deus certo sciat suum decretum efficax, et conditionatum, non poterit non certo, et infallibiliter scire eventum futurum posita conditione. Antecedens autem tangetur dub. sequenti, et in tract. de Volunt. Dei disp. 5. num. 74. latius suadebitur.

48 Accedit, quod ut dub. sequenti dicemus, licet Deus non haberet decretum positivum efficax circa omnia, et singula, aut aliqua ex his futuris conditionatis, nihilominus posset illa certo, et infallibiliter cognoscere: non quidem in veritate illorum objectiva, et in illo signo, quod ex parte nostri modi concipiendi antecedit ad signum, in quo Deus decreturus erat positive, et efficaciter de illis, si vellet, atque adeo nec per scientiam mediam, et conditionatam; sed in signo sequenti, et eo modo, quo loco nuper citato num. 67. et sequent. explicabimus. Videantur ea, quæ circa sensum compositum, et divisum in tract. de Volunt. Dei disp. 10. num. 84. dicemus.

49 Nec refert si objicias id, quod sæpe inculcant adversarii, nempe quod causa immediata effectus liberi est liberum arbitrium creatum, quod potest dissentire Deo moventi, et excitanti; igitur in tali determinatione divinæ voluntatis circa futuritionem talis effectus contingentis, non erit certo cognoscibilis, quia divina voluntas impedibilis manet per concursum creatæ voluntatis: in causa autem impedibili ab altera non est effectus cognoscibilis, quoad usque determinatio alterius cognoscatur.

Objectio.

Respondetur enim ex D. Thom. 3. contra Gent. cap. 94. ubi proponit idem argumentum, et est quintum in ordine, sicque se habet: *Divina providentia causas medias non excludit: inter causas autem sunt aliquæ contingentes, et deficere potentes; deficere igitur potest providentiæ effectus, non est igitur Dei providentia certa.* Huic argumento, et simul quarto, quod ex Tullio adduxerat S. Doct. sic respondet: *Illud autem, quod Tullius objicit secundum præmissa frivolum apparet. Cum enim divinæ providentiæ non solum subdantur effectus, sed etiam causæ, et modi essendi, non sequitur, quod si omnia Dei providentia aguntur, quod nihil sit in nobis. Sic enim sunt a Deo provisa, ut per nos libere fiant. Nec etiam defectibilitas causarum secundarum, quibus mediantibus effectus divinæ providentiæ producuntur, certitudinem providentiæ potest auferre, ut quinta ratio procedebat, cum ipse Deus in omnibus operetur, et pro suo arbitrio voluntatis, ut supra ostensum est. Unde ad ejus providentiam pertinet, ut causas defectibiles quandoque desinat deficere, quandoque eas absque defectu conservet.*

Enodatio

Elegans solutio Angelici Doct.

Ubi, ut vides, unico verbo totam difficultatem, quæ adversarios valde premit,

evacuavit. Nam licet voluntas creata possit deficere ab ordine illo, quem divina providentia statuit, et queat velle oppositum ejus, quod Deus providit, attamen quia Deus (ut inquit Angelicus Doctor) in omnibus operatur pro arbitrio suæ voluntatis, atque adeo potest efficaciter velle, ut voluntas creata velit, et libero modo velit, ideo ratione summæ efficacitatis sui decreti causas defectibiles, quandoque absque defectu conservat : ac proinde in hoc decreto potest cunctos effectus liberos, sive absolutos, si decretum sit absolutum, sive conditionatos, si decretum sit conditionatum, certissime cognoscere.

§ III.

Occurritur fundamentis utriusque sententiæ.

Ad fundamenta primæ sententiæ.

50 Ad fundamenta primæ sententiæ unico verbo respondetur, probare, quod futura disparata non cognoscantur certo, et infallibiliter a Deo, ratione connexionis, quam secundum se habeant cum conditione; secus tamen ratione connexionis, quam ex divino decreto habent cum illa. Nam hoc ipso, quod Deus decreverit, quod posita tali conditione, quantumvis secundum se disparata, subsequatur aliquis effectus pro tempore futuro, jam ex divina ordinatione illud antecedens, et consequens inter se nectuntur nexu infallibili.

Ad primum.

Ad primum pro secunda sententia respondetur, negando antecedens, quoad priorem ejus partem. Et ad probationem dicendum est, quod licet scientia simplicis intelligentiæ terminetur ad res pure possibiles, et omnino necessarias ; non tamen ita ut in his adæquate sistat : sed dum intelligitur exprimere majorem perfectionem suam, quatenus habet veluti dicere ordinem ad creaturas, potest, et debet terminari ad omnia futura contingentia conditionata, quæ nunquam in re ponenda sunt sub existentia. Nam scientia simplicis intelligentiæ attingit exercitium existentiæ, non solum sub statu puræ possibilitatis, sed quandiu est sub aliquo statu potentialitatis, et continentiæ intra causas, quantumcunque causa sit libera, et libero modo determinata, ac disposita ad productionem effectus : quamvis non attingat prædictum exercitium, ut actu exercitum. seu ut ambo, nempe prædicta scientia, et exercitium existendi effectus creati, coexistunt in eadem mensura durationis, nempe in *nunc* æternitatis.

51 Quare quia futura conditionata tantum habent ex vi decreti infallibilis, quod sint infallibiliter futura sub conditione, non vero absolute, ita ut aliquando existant, ideo non dicunt exercitium existentiæ omnino exercitum, sed exercendum, si esset talis conditio : ac proinde dicunt illud sub aliquo statu potentialitatis, et continentiæ intra causas, licet liberas, et libero modo determinatas ad productionem effectus : et propterea prædicta futura conditionata possunt pertinere ad scientiam simplicis intelligentiæ.

Elucidatio solutionis.

Explicatur radicitus hoc ipsum. Etenim scientia simplicis intelligentiæ, ut formalissime dividitur contra scientiam visionis. tanquam membrum divisionis adæquatæ, respectu scientiæ Dei, in illam, et in scientiam visionis, non consistit in hoc, quod sit necessaria, vel libera : nam etiam scientia visionis est necessaria respectu divinæ essentiæ, et libera respectu creaturarum ; sed per se primo sita est in hoc, quod scientia simplicis intelligentiæ, ut dividitur contra scientiam visionis, est abstractiva ; sive illa sit necessaria, sive sit libera : et scientia visionis, est visionis seu intuitiva, sive sit necessaria, sive libera. Quia ergo futura conditionata non possunt cognosci scientia intuitiva Dei, ex eo, quod hæc solum terminatur ad id, quod est præsens in æternitate physice, et realiter, atque adeo ad id, quod in aliqua differentia temporis absolute extiturum est ; propterea non cognoscuntur per scientiam visionis, sed per scientiam simplicis intelligentiæ, seu per scientiam abstractivam Dei.

Animadversio.

52 Diximus, scientiam simplicis intelligentiæ terminari ad prædicta futura, ut exprimit majorem perfectionem suam, quæ ei competit prout habet quasi dicere ordinem ad creaturas, quia, ut sæpe notat D. Thom. ex Dionysio, supremum infimi attingit infimum supremi, ut constat de anima rationali, quæ secundum supremam rationem intellectus attingit naturam pure intellectualem, qualis est natura Angelica : et ita cognoscit prima principia sine discursu, et ratiocinatione, sicut Angelus : at scientia visionis est ex parte nostri modi concipiendi altior,

et

et eminentior, quam scientia simplicis intelligentiæ : ex eo, quod in creaturis notitia intuitiva, est perfectior quam abstractiva. Quare scientia simplicis intelligentiæ, seu abstractiva, quatenus attingit aliquo modo ad scientiam visionis, ex eo, quod aliquo modo terminatur ad existentiam, ut exercitam (id est, non ut pure possibilem, sed valde accedentem ad exercitium existentiæ, sive ad existentiam, quæ licet nunquam erit, esset tamen, si daretur aliqua conditio) seu quatenus terminatur ad futura conditionata, habet *esse* supremum infimi attingens infimum supremæ scientiæ ex parte nostri modi concipiendi, scilicet visionis : et ita exprimet etiam supremum infimi, scilicet scientiæ simplicis intelligentiæ ; et per consequens dum intelligitur terminari ad futura conditionata, exprimet majorem illam perfectionem suam, quæ ei convenit, quatenus intelligitur quasi respicere creaturas.

Ad secundum.

53. Ad secundum respondetur, futura conditionata cognosci secundum *esse*, quod habent in divino decreto efficaci, et conditionato circa illa, et secundum *esse*, quod conditionate, et in sensu supra insinuato, habent in suis causis proximis, ut subsunt prædicto decreto, sive ut etiam in illo (modo alibi tacto) continentur. Et deinde cognosci etiam secundum *esse*, quod habent in se ipsis, secundum *esse* reale, non quidem exercitum, sed quod exerceretur, si daretur illa conditio, seu secundum *esse* reale objectivum. Unde solutio ibidem tradita legitima est, ad hunc sensum intellecta. Et ad probationem in oppositum respondetur, esse disparem rationem inter futura contingentia absoluta, antecedenter ad divinum decretum, et futura conditionata post illud. Nam illa priora ante decretum Dei non habent unde vendicent sibi sufficienter determinationem, neque ubi fundetur *esse* determinatum reale objectivum, quod quidem semper petit fundari, et desumi in aliquo *esse* reali actuali, et exercito, quod res habet vel in seipsa, vel in sua causa. Cæterum hæc posteriora, licet ante divinum decretum eodem modo se habeant ac futura absoluta ante illud, attamen post prædictum decretum, et ratione illius *esse*, quod habent in ipso, possunt importare sufficientem determinationem, et sortiri verum *esse* reale objectivum, fundatum in *esse* reali exercito, quod habent in eodem decreto.

Elucidatur exemplo.

Potestque hoc explicari exemplo creaturarum possibilium, quæ licet nullum dicant *esse* reale exercitum, nihilominus hoc ipso, quod habeant esse in divina omnipotentia; convenit eis verum *esse* reale objectivum : quia datur sufficiens fundamentum, hoc ipso, quod habeant illud *esse* exercitum in Deo, ad hoc, ut possint terminare absque aliqua intellectus fictione propositiones æternæ veritatis : nec aliquid aliud ad prædictum *esse* reale objectivum desideratur. Circa hæc tamen (ut tacita quædam objectio maneat soluta) videantur ea, quæ disput. præced. num. 143. diximus.

Ad tertium.

54 Ad tertium negandum est antecedens. Nam potius pertinet ad divinam perfectionem, et ad hoc, ut sit omniscions, quod attingat infallibiliter omnia futura conditionata. Et ad probationem dicendum est, quod licet ad rationem judicii practici absoluti, tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti, requiratur, quod sortiatur absolute effectum, alioqui esset imperfectum intra latitudinem judicii practici, et efficacis; attamen ad rationem judicii practici, quantumvis perfectissimi, quod tantum sit absolutum ex parte subjecti, et conditionatum ex parte objecti, sive quod connotat decretum absolutum ex parte subjecti, et conditionatum ex parte objecti (de quo dub. seq. fit sermo) non est necesse, ut absolute sortiatur effectum, sed potius id implicat : satisque est, quod sortiretur illum, si revera poneretur conditio.

DUBIUM V.

Utrum ponenda sint in Deo decreta conditionata positiva, et efficacia circa omnia futura contingentia conditionata? et an eis seclusis, possint prædicta futura omnino certo, et infallibiliter a Deo cognosci?

Animadversio prior ad explicationem tituli.

55 Pro tituli intelligentia notandum est, dupliciter posse aliquod decretum dici conditionatum. Uno modo, tam ex parte subjecti, sive actus, quam ex parte objecti. Alio modo ex parte objecti; non vero ex parte subjecti, sive actus. Tunc aliquod decretum est conditionatum priori modo, quando revera non datur, neque existit : daretur tamen, et existeret, si poneretur aliqua conditio. Quod quidem potest explicari per hoc,

quod dicatur, quod per illud voluntas non vult, vellet tamen. Cæterum tunc decretum dicitur conditionatum posteriori modo, quando revera datur volitio, qua voluntas vult illud objectum; et ita ex parte subjecti habet rationem decreti absoluti, seu (quod in idem quoad præsens redit) absolute, et simpliciter est in voluntate: quamvis quia per illud non decernitur aliquid, quod sit futurum absolute; sed solum sub conditione, ideo ex parte objecti voliti dicitur conditionatum.

Secunda. Secundo notandum est, hoc decretum posse esse duplex, nimirum vel efficax, vel inefficax. Per illud prius, erit infallibiliter res per ipsum decreta, dummodo ponatur conditio ex parte objecti. Per hoc vero posterius, non erit, seu non habebit de facto existentiam, si poneretur conditio.

Tertia. 56 Tertio notandum est, decreta conditionata, juxta multorum sententiam, esse in duplici differentia. Vel ita ut sint positiva, id est, dicentia actum positivum divinæ voluntatis, quo positive velit objectum conditionatum. Vel ita ut sint negativa, non quidem utcunque, quatenus per hoc præcise significatur, Deum non velle aliquod objectum determinate, et in particulari; sed quatenus per id denotatur, quod adhuc in eo signo, quod nostro modo concipiendi deputatur ad hoc, ut post volitionem necessariam eorum, quæ sunt formaliter in ipso, statim velit, seu non velit objecta, quæ sunt libere volibilia; tunc accedente prædicto signo deputato ad hanc volitionem liberam habendam, si Deo placuerit, habeat se divina voluntas negative circa aliqua objecta in particulari, v. g., circa futura conditionata, de quibus in præsenti agimus.

Sensus tituli. Titulus ergo dubii quoad primam partem, non intelligitur de decreto conditionato tam ex parte subjecti, sive actus, quam ex parte objecti; sed de positivo decreto absoluto, in sensu explicato ex parte subjecti, et conditionato ex parte objecti: et, ut ex eodem titulo constat, intelligitur de decreto conditionato, et efficaci. Cæterum cum in secunda ejus parte inquiritur, an eis seclusis possint certo, et omnino infallibiliter cognosci a Deo prædicta futura? Debet intelligi in sensu formali, et præciso, id est, an præcise exclusis his decretis positivis, datis tamen decretis illis negativis, et eis præsuppositis, cognoscat Deus certo, et infallibiliter futura contingentia conditionata, de quibus in præsenti disputatione fit sermo? Consulto autem difficultatem præsentis dubii, quoad hanc secundam partem sic restringimus: quoniam, an prædicta futura certo, et infallibiliter a Deo possint cognosci, ante omne decretum sive negativum, sive positivum, suæ voluntatis? latius disp. sequenti impugnando scientiam mediam, discutietur.

§. I.

Sententia negativa.

57 Sententiam negantem, quoad priorem tituli partem, et affirmantem quoad posteriorem, in sensu tamen num. 56. explicato, et num. 67. amplius declarando, tuentur plures ex Thomistis tam ex antiquis, quam ex junioribus, quos dub. 2. hujus disp. retulimus: necnon et plures alii extra scholam Angelici Doctoris, diversa tamen via. Nam illi negant talia decreta ex eo, quod existimant conditionalia in tantum habere veritatem, in quantum habent bonitatem illationis: et cum in futuris conditionatis, de quibus in præsenti loquimur, illatio non sit necessaria, et certa, sed solum conjecturalis, vel nulla, ut in disparatis, inde est, ut solum conjecturaliter ex parte objecti cognoscat Deus prædicta futura conditionata, in quibus involvitur conjecturalis illatio. Vel si connexio est disparata, seu nulla, tunc nullo modo illa cognoscat: ac proinde nullo modo dabuntur in Deo prædicta decreta conditionata, et efficacia, infallibiliter inferentia effectum conditionatum. At isti, qui non sunt ex schola D. Thom. ideo negant, dari prædicta decreta conditionata, quia censent, Deum cognoscere certo, et infallibiliter talia futura, ante quodcunque decretum liberum: ac proinde decreta ista esse superflua, aut impossibilia, aut utrumque ex his duobus habere. Ita Vazquez 1. part. disp. 67. cap. 4. num. 21. et 22. Herice in tract. de scientia Dei disp. 7. cap. 7. et alii quamplures.

Primum fundamentum. 58 Sententia hæc quoad posteriorem partem constabit ex dicendis, num. 67. et deinceps, quoad priorem vero probatur primo. Quoniam nequit dari actus liber, et efficax in Deo circa creaturas, nisi aliqua realis mutatio ponatur in illis: at in istis futuris conditionatis nihil poneret divina voluntas per prædictum decretum conditionatum: ergo non potest habere tale decretum circa illa. Consequentia videtur perspicua. Minor autem etiam constat. Quoniam ex vi hujus decreti nunquam creaturæ existerent,

terent, aut haberent in se ipsis *esse*; et per consequens nec transirent de *non esse* ad *esse*: ergo ex vi illius nunquam poneretur realis mutatio in ipsis. Major autem etiam patet. Quoniam voluntas Dei non supponit, sed facit objectum quod vult; ac proinde debet inferre in eo aliquam mutationem, per quam transeat a *non esse*, ad *esse*.

Confirmatio. Confirmatur, et explicatur. Nam in Deo non potest esse actus liber, et efficax per mutationem ipsiusmet Dei: ergo per mutationem aliquam futuram in ipsa creatura: ergo hoc ipso, quod hæc non sequatur ex vi illius decreti conditionati, nec tale decretum erit dabile in Deo, ut nuper dicebamus. Antecedens non indiget probatione. Prima vero consequentia, ex qua pendet secunda, etiam constat. Quoniam hoc ipso, quod Deus habeat decretum liberum circa aliquid, debet inter illum, et rem volitam mediare aliqua relatio rationis: ergo necesse est, ut fundetur in mutatione alterius extremi: nam rebus invariabiliter se habentibus, non est cur nova relatio consurgat: ergo hoc ipso quod non detur prædicta relatio, media mutatione Dei, oportet dari media mutatione creaturæ.

Secundum. 59 Secundo probatur. Nam ex positione horum decretorum ponitur imperfectio in Deo: ergo, etc. Antecedens probatur. Tum quia sunt otiosa, et superflua in ipso: ad quid enim prodesse poterit, quod Deus decernat fore sub conditione id, quod ipse alias decernit non futurum? et insuper nunquam ponendam esse talem conditionem? quandoquidem hoc non potest esse necessarium ad rectam, et prudentem gubernationem? Unde in humanis superflue, et inaniter defatigaretur aliquis gubernator in decernendo sub conditione quæ alias ipse decernit, se non facturum, nec talem conditionem ponendam. Tum etiam: quia volitio conditionata circa aliquod objectum non est ultima resolutio, sed quasi dependens, et suspensa; et propterea solum competit illis, qui procedunt de imperfecto ad perfectum in sua deliberatione: at Deus non vult cum suspensione, sed semper cum ultima resolutione, ex eo, quod est perfectissimum deliberans: ergo, etc.

Tertium. 60 Tertio. Quia alioqui Deus haberet decreta conditionata circa infinitas combinationes infinitorum conditionatorum, quæ possunt fieri sub infinitis conditionibus, statibus, et ordinibus rerum: hoc autem videtur ridiculum, et absurdum: ergo, etc. Sequela videtur perspicua. Quia non est major ratio, cur Deus habeat decretum conditionatum circa aliquas combinationes ex istis, et non habeat, vel saltim non possit ea habere circa omnia: alioqui non sciret certo, et omnino infallibiliter illa futura conditionata, circa quæ non habuit decretum efficax, et conditionatum, ut ex dictis constat.

Minor autem quoad primam partem, scilicet hoc esse ridiculum etiam patet: quandoquidem multæ ridiculæ combinationes possunt circa hæc futura fieri. Quoad secundam vero partem, scilicet quoad absurditatem probatur. Nam ex eo probat D. Thom. 1. part. quæst. 7. art. 4. Deum non posse, etiam de potentia absoluta, producere infinitum in actu secundum multitudinem, quia omnis multitudo creata debet esse comprehensa sub certa intentione creantis; et ita necesse est, quod sub certo numero claudatur, ex eo, quod infinita multitudo non potest cadere sub certa intentione creantis: hæc autem ratio si aliquid probat, convincet utique non posse aliquam multitudinem esse provisam a Deo per sua decreta, et providentiam, nisi cadat sub certa intentione providentis, alias talis provisor provideret in vanum, et in incertum, ac proinde nisi ea, quæ sunt provisa, cadant sub certo, et determinato numero.

Quartum. 61 Quarto. Quia alias illæ propositiones conditionatæ non aliter essent veræ, quam ex vi illationis formalis desumptæ ex decreto existente in Deo: ergo earum cognitio solum pertineret ad scientiam simplicis intelligentiæ pure naturalem: atque adeo nullum futurum sub conditione enunciarent. Hæc ultima consequentia ex priori constat. Prior vero ex antecedenti. Quoniam propositio conditionata, quæ est vera in vi illationis, habet hoc ratione bonitatis consequentiæ, ut communiter docent Dialectici: at consequentia, quæ semel est bona, semper habet esse bona, ut idem Dialectici fatentur, imo erit necessario bona, alioqui non esset cur semper haberet bonitatem: ergo cum scientia simplicis intelligentiæ pure naturalis terminetur ad veritates omnino necessarias, tunc prædicta futura ad hanc eandem scientiam spectabunt. Antecedens autem etiam videtur constare. Quoniam supposito decreto, est infallibilis, et necessarius nexus inter antecedens, et consequens, secus autem sine illo: ergo si prædictum decretum datur circa omnia hæc futura contingentia, tunc propositiones conditionatæ de illis non aliter erunt veræ, quam ex vi illationis for-

malis, desumptæ ex tali decreto existente in Deo.

Ultimum. 62 Ultimo arguit Herice. Quoniam admittere hæc decreta ex se efficacia, est docere id, quod docuit Calvinus, et ejus discipuli, ponentes illa : ex quo ortum habuit alia illius doctrina hæretica, scilicet ea, quæ nostris actibus adimit libertatem : ergo talis doctrina non est admittenda.

§ II.

Vera D. Thomæ, et Patrum sententia tribus assertionibus explicatur.

Conclusio prima. 63 Dicendum tamen est primo, dari in Deo prædicta decreta conditionata, et efficacia circa omnia futura contingentia, et conditionata, per quæ decernit Deus, vel quod determinate sint pro tempore futuro, vel quod determinate non sint pro eodem tempore, si ponatur illa conditio. Assertio hæc satis efficaciter colligitur ex iis, quæ ex August. ex D. Thom. et ex Patribus disp. sequenti adducemus. Ub fatentes Deum cognoscere certo, et infallibiliter hæc futura, adducunt pro ratione. et medio talis cognitionis divinam prædestinationem, sive electionem, seu decretum efficax voluntatis divinæ circa illa, ex eo quod hæc futura non fiunt a nobis, nisi dependenter a prædestinatione, et electione, sive decreto Dei : et ideo sicut futura absoluta non sunt, nisi ex divina prædestinatione, sive decreto absoluto præcedente ; ita etiam futura conditionata non forent, nisi ex præcedente prædestinatione, sive decreto divino, quo decrevit, ut forent, si poneretur aliqua conditio.

Quæ ratio idem probat circa futura conditionata, continentia actus pravos, quæ etsi a Deo non prædestinentur quoad malitiam, permittuntur tamen : et ideo sicut sub statu absoluto nunquam fierent, nisi præcedente decreto absoluto permissivo, sic nec sub conditionato, nisi simile decretum conditionatum anteiret. Unde idem Augustin. in Enchirid. capit. 95. inquit : *Non sit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo, ut fiant, vel ipse faciendo.* Et ideo sententiam hanc sequuntur non parum communiter juniores discipuli D. Thom. et peculiariter omnes illi, quos dub. 2. et 3. pro nostra sententia retulimus.

Ratio primæ conclusionis. 64 Ratio autem potissima, et fundamentalis tacta est supra disp. præcedenti, et eam satis indicant Patres locis nuper citatis. Potestque ad hanc brevem formam reduci. Quoniam hæc futura conditionata habent aliquam futuritionem, scilicet, conditionatam ; at non possunt se ipsa extrahere ab statu puræ possibilitatis ad statum hujus futuritionis conditionatæ, ut ex dictis loco citato, et ex terminis ipsis constat ; ergo necesse est, ut extrahantur ab illo statu in istum a prima causa ; alioqui enim aliquid fieret, et extraheretur ab statu puræ possibilitatis ad statum aliquem futuritionis, independenter a primo ente, et causalitate ipsius ; quod, ut constat, implicat ; ergo cum Deus non aliter operetur, neque extrahat res ad statum alicujus futuritionis, nisi mediante suo decreto, efficaci et proportionato in ordine ad talem extractionem, ut constat ex iis, quæ disp. 7. num. 108. et disp. præced. num. 16. et sequentib. diximus, et tract. 4. disp. 10. dub. 1. 2. et 3. dicemus ; consequens est, ut habeat decretum efficax proportionatum, sive conditionatum, ratione cujus velit prædicta futura vel determinate esse, vel determinate non esse pro tempore futuro, si conditio illa poneretur.

Confirmatur. Confirmatur, et explicatur ratione desumpta ex eisdem Patribus, quamque disp. 7. n. 115. quoad futura absoluta adduximus. Quoniam hæc futura conditionata non habent *esse* futurum determinatum in se ipsis, ut constat, quandoquidem quandiu sunt futura, præsertim conditionata, nihil sunt in se : in nihilo autem non potest fundari vera, et realis determinatio : ergo necesse est, ut habeant hanc determinationem in suis causis determinatis, præsertim in prima : ergo etiam necesse erit, quod causa prima habeat decretum efficax, et proportionatum, quo decernat, vel quod determinate posita conditione sint pro tempore futuro, vel quod determinate non sint.

Prior solutio. 65 Nec oportebit adducere solutionem, quam huic rationi, et ejus confirmationi authores scientiæ mediæ præbent, dicentes, quod ad futurum sub conditione, quod re ipsa a parte rei non est habiturum *esse*, sed habebit illud, posita aliqua certa conditione, non est necesse præsupponi determinationem liberam voluntatis Dei jam præexistentis in illo ; sed sat esse, ut illam supponat objective in ratione futuræ sub conditione ad hoc, ut talis effectus sit conditionate futurus.

Impugnatur ex dictis. Non itaque solutionem hanc oportet in medium proferre. Quoniam ex iis, quæ disp.

disp. 7. num. 48. et deinceps adduximus circa futura absoluta, ad impugnandam hanc futuritionem objectivam divini decreti omnino absoluti, quoad præsens tamen proportionaliter applicatis, satis impugnata manet, ut intuenti illa constabit. De quo etiam potest videri Gonzalez in comment. ad hunc art. disp. 44. sect. 3. a num. 30. usque ad num. 37.

Alia enodatio.

66 Nec etiam refert, si cum aliquibus ex discipulis D. Thom. negantibus Deo infallibilem cognitionem horum futurorum, dicas illa non esse revera futura; sed tantum habere vel rationem pure possibilium, ut in futuris conditionatis, et disparatis contingit; vel ad summum rationem futurorum conjecturaliter, et probabiliter tantum talium; et ita non requiri ad illa decretum efficax conditionatum divinæ voluntatis circa illa, alioqui essent infallibiliter futura.

Rejicitur.

Non igitur hoc refert. Quoniam, ut latius probabimus in tract. de Volunt. Dei disp. 5. num. 73. divina voluntas ob summam suam actualitatem, et eminentiam non potest manere suspensa circa aliquod volibile; sed est determinata ad volendum, vel nolendum, quod sit, vel non sit; quamvis sit libera ad volendum determinate, quod sit, vel determinate quod non sit. Ex eo, quod sicut ad summam actualitatem, universalitatem, et perfectionem divini intellectus spectat, ut extendatur modo sibi proprio ad omne intelligibile, sciendo, et comprehendendo actu illud, nec possit stare, ut aliquid sit actu scibile, et comprehensibile et quod actu non sciatur, ac comprehendatur ab ipso; ita etiam ad summam actualitatem, universalitatem, et perfectionem divinæ voluntatis spectat, ut actu extendatur, salva sua libertate, ad omne objectum, quod actu sit libere volibile; cumque hæc libertas satis superque salvetur in hoc, quod licet sit determinata ad habendam vage volitionem, vel nolitionem, nihilominus sit omnino libera ad habendam determinate volitionem, vel determinate nolitionem, consequens est, ut ad ejus summam actualitatem spectet, ut circa omne volibile, atque adeo circa cuncta possibilia sive absoluta, sive conditionata, habeat decretum perfectum, atque adeo efficax, quo determinate, et proportionate ad eorum naturam, velint, aut quod determinate sint, aut quod determinate non sint: ita ut circa ea, quæ sibi placuerint ut determinate sint, habeat eo ipso decretum, quo velit, ut sint: circa ea vero, quæ ei libuerit, ut non sint, habeat etiam positivum decretum, quo nolit eorum existentiam, ac proinde, quo eorum *non esse* sit determinate futurum. Sed de his videantur ea, quæ loco citato dicemus: ubi probatio hæc latius expenditur, et argumenta, quæ contra illam obstare videntur, fuse solvuntur.

Conclusio secunda.

67 Dicendum est secundo. Quamvis Deus in his decretis efficacibus positivis, et conditionatis certo, et infallibiliter cognoscat prædicta futura; nihilominus adhuc certo, et infallibiliter, certitudine se tenente tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti, ea cognosceret, ut non habitura existentiam, seu per modum rei habentis (ut sic dicamus) non futuritionem contrarie sumptam, seu per modum rei extractæ extra statum puræ, et nudæ possibilitatis ad prædictam non futuritionem, etiamsi non haberet talia decreta positiva circa illa, sed mere negative se haberet: ita tamen, ut prius esset nostro modo intelligendi, Deum se habere mere negative in eo signo, in quo decreturus erat circa illa, et videre hunc modum se habendi negative circa ipsa, quam quod certo, et infallibiliter illa attingeret. Assertionem hanc tueri tenentur omnes discipuli D. Thomæ, ut ex statim dicendis magis constabit.

Prior pars patet ex dictis.

Et quidem quoad primam partem aperte constat ex dictis dub. præced. num. 47. et disp. 8. num. 16. et sequentibus.

Ratio conclusionis quoad secundam partem.

68 Ratio ejus fundamentalis quoad secundam partem (qua simul explicatur, et probatur) desumitur ex iis, quæ Angelicus Doctor quæst. 19. hujus 1. part. art. 7. et in 1. dist. 39. quæst. 1. art. 1. in corpore, et ad 3. et 4. necnon 1. contra Gent. cap. 83. et lib. 2. cap. 25. et lib. 3. cap. 78. et 91. docet. Quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam licet in eo signo, in quo divina voluntas intelligitur nostro modo intelligendi, præire ad determinationem liberam, vel carentiam illius circa aliquod objectum sive absolute, sive sub conditione futurum, sit ei integrum velle, quod sit, vel quod non sit, aut non velle aliquod ex his extremis, atque adeo nihil in eo signo habeat determinate rationem futuri, aut non futuri per non futuritionem (ut sic dicamus) contrariam; attamen adveniente eo signo, in quo Deus decreturus est, vel juxta hunc dicendi modum, habiturus est se ipsum negative, tunc hoc ipso, quod velit futu-

ritionem alicujus rei, nequit in sensu composito, facta hac suppositione nolle illam, nec facta suppositione nolitionis, velle ipsam : nec tandem, si fiat suppositio suspensionis divinæ voluntatis in eo signo, quod erat destinatum ad positive volendum, si ipsi placuisset, potest in sensu composito habere volitionem, aut nolitionem positivam circa futuritionem talis rei : ergo hoc ipso, quod in eo signo se haberet negative, seu maneret suspensa circa omnia futura conditionata, cognoscet certo, et infallibilitér tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti, quod adhuc posita illa conditione non erunt : non quidem quia maneant in statu puræ, et nudæ possibilitatis : sed quia habent (ut sic dicamus) contrarie, quod sint non futura sub conditione, id est, quod ita non sint futura, quod eis repugnet futuritio; quod est esse extra statum puræ, et nudæ possibilitatis.

69 Antecedens quoad primam partem non indiget probatione, ut intuenti patebit. Quoad secundam vero est satis perspicuum. Quoniam propter immutabilitatem divinæ voluntatis repugnat in sensu composito non persistere semper, et per totam æternitatem in ea dispositione sive positiva, sive negativa, quam in eo signo habuerit : ita quidem, ut si in eo signo voluerit positive futuritionem, aut non futuritionem, debeat persistere in volendo, aut nolendo; si autem negative se habuerit, seu actum suspenderit, debeat per totam æternitatem in ea suspensione permanere. Tum quia alioqui esset divina voluntas mutabilis. Tum etiam : quia alias posset dari in Deo, transacta illa suspensione, aliquis actus liber, qui non esset æternus, seu qui non mensuraretur æternitate tanquam propria, et adæquata ejus mensura. Quod quidem, ut constat, est impossibile.

Suadetur consequentia quoad 1. partem.

Consequentia autem quoad utramque part. ex antecedenti aperte videtur sequi. Quoad primam quidem. Nam hoc ipso, quod ad hoc, ut posita illa conditione sit res aliqua habitura positivam existentiam, requiratur, quod in eo signo, quod est deputatum nostro modo intelligendi divinis decretis, habeat Deus positivam voluntatem, quo velit illam, oportet, ut hoc ipso, quod non habeat talem voluntatem, sed negative se in eo signo habeat, jam talis res non sit habitura, adhuc posita illa conditione, positivam existentiam.

Probatio illius quoad secundam partem.

70 Quoad secundam vero etiam liquet. Nam hoc ipso, quod Deo semel se negative habente in eo signo non possit propter suam immutabilitatem, et in sensu composito habere deinde actum, quo positive velit, ut res illa sit, jam talis res quatenus semel stetit sub illa suspensione divina, seu quatenus in eo signo non stetit sub positivo actu volitionis Dei, sub quo pro tunc stare poterat, habet aliquid, seu aliquam denominationem, aut quasi denominationem, ratione cujus ei repugnet existentia pro tempore futuro, quod est esse non futuram (ut sic dicamus) contrarie, et non manere in statu puræ, et nudæ possibilitatis, sed habere rationem non futuri contrarie, eo proportionali modo, quo id haberet futurum absolutum, si divina voluntas in eo signo negative se haberet circa illud.

Conclusio tertia.

71 Ex quo inferendum, et dicendum est tertio. Si Deus in illo signo deputato ad hoc, ut post voluntatem necessariam eorum, quæ sunt formaliter in ipso, statim velit, vel non velit objecta, quæ sunt libere volibilia, non haberet positiva decreta jam explicata, circa futura conditionata, quibus vellet aliqua esse, et aliqua ex illis non esse, positis suis conditionibus (quod idem cum proportione de futuris absolutis in simili signo præcise consideratis dicimus) non posset certo, et infallibiliter cognoscere, seu cernere quænam ex illis essent habitura positivam existentiam, et quæ non essent illam habitura sub prædictis conditionibus; sed omnia cognosceret per modum non futurorum conditionatorum (ut sic dicamus) contrarie talium; secus vero si talia decreta positiva, et efficacia habeat, ut revera habere ea diximus.

Ratio hujus conclusionis.

Assertio hæc ex præcedenti, et ex ratione D. Thom. quam pro ea adduximus, aperte colligitur. Nam in priori eventu, scilicet si haberet se in eo signo negative, tunc omnes propositiones negativæ cunctorum futurorum conditionatorum essent veræ : siquidem prædicta conditionata haberent aliquid, ratione cujus eis repugnaret positiva existentia, et omnes affirmativæ, et involventes existentiam positivam alicujus rei, essent falsæ : quandoquidem nequit Deus, facta suppositione illius suspensionis, habere actum positivum, quo velit ut sint : et tamen hic actus ad eorum positivam existentiam desideratur. At in posteriori eventu, id est, si haberet actum positivum circa illa, tunc circa ea, quæ vellet, ut essent posita conditione, certo sciret habitura positivam existentiam, si

poneretur

poneretur conditio : et ea discerneret ab iis, circa quæ voluit, ut posita conditione non essent : judicando hæc esse non futura contrarie; illa vero esse etiam contrarie futura. Sed circa hanc assertionem quoad id, quod in ea involvitur, nimirum quod secluso decreto efficaci, et positivo, non posset Deus cognoscere de futuro aliquo conditionato esse habiturum existentiam, plura dicemus disp. sequentibus per totas illas, dum in eis late impossibilitatem scientiæ mediæ, sive conditionatæ ostenderimus.

§ III.

Enodatio argumentorum primæ sententiæ quoad ejus partem negantem.

Ad primum.

72 Ad primum, concedenda est major, si intelligatur (ut debet intelligi) de reali mutatione proportionata illi actui libero, et efficaci, quem Deus habet circa creaturas, et neganda est minor, eodem modo intellecta. Et ad probationem dicendum est, quod licet ex vi hujus decreti conditionati nunquam creaturæ existerent absolute, ac proinde nec hoc modo transirent de *non esse* ad *esse* ; nihilominus existerent conditionate, seu si conditio illa poneretur; et ita mutarentur mutatione conditionata, et proportionata ad decretum efficax, quod in Deo ponimus circa illa, scilicet ad decretum conditionatum. Nam sicut ex decreto efficaci ut sic, circa creaturas, sequitur mutatio ut sic in illis, ita ex decreto efficaci, et absoluto mutatio absoluta ; et ex decreto efficaci, et conditionato, mutatio conditionata.

Alia solutio sive explicatio præcedentis.

73 Secundo respondetur, satis esse ad hanc voluntatem efficacem, et conditionatam, ut habeat aliquem effectum in creatura, nimirum ordinare illam ad aliquid faciendum, et recipiendum, quod de facto fieret, si aliquæ conditiones ponerentur. Potestque hæc ordinatio explicari exemplo adducto a D. Thom. in 1. distinct. 46. quæst. 1. art. 1. in corpore, voluntatis illius conditionatæ, et ex parte efficacis, qua Deus vult omnes homines salvos fieri. Nam de hac voluntate loquens ibidem Sanctus Doctor, sic ait : *Cum omne bonum sit volitum a Deo, hoc etiam Deus vult, scilicet omnes homines salvari. Et hoc vocatur voluntas antecedens, et hujus voluntatis effectus est ipse ordo naturæ in finem salutis, et promoventia in finem omnibus communiter proposita, tam naturalia, quam gratuita.* Ubi, ut vides, a voluntate antecedente, et conditionata oritur aliquis effectus, scilicet aliquis ordo, seu habitudo ad aliquem effectum, vel faciendum a causis inferioribus, si ordinentur ut faciant illud, vel ad recipiendum ipsum, si a solo Deo tribuitur, ut in hac voluntate salvandi omnes homines contingit, per quam voluit omnibus dare gratiam, et gloriam, quæ est effectus solius Dei, et ad illam ordinantur, et elevantur omnes homines in genere causæ materialis, licet non omnes de facto illam recipiant.

Additamentum.

74 Adde (et explicabitur magis hoc ipsum) satis esse aliquando, ad hoc, ut in Deo ponatur actus liber, et efficax, quod subsequatur in creatura mutatio aliqua, non quidem realis et physica, sed realis objectiva, nimirum denominatio realis extrinseca a divina volitione, aut nolitione proveniens. Nam eo ipso manet creatura extrinsece deputata, et ordinata ad id, quod Deus circa illam decrevit, licet postea in tempore nunquam sit actu, et physice mutanda, ut constat in actu libero efficaci, et absoluto, quo Deus voluit, non esse aliud universum. Nam per hunc actum cætera alia universa, præter hoc, quod modo est, manserunt extrinsece deputata, et ordinata ad non essendum, et transierunt ab statu puræ, et nudæ possibilitatis, in qua involvitur status non futuritionis negativæ, seu privativæ (id est, status rei, quæ licet non sit futura, potest tamen esse futura) ad statum futuritionis (ut sic dicamus) contrarie sumptæ : hoc est, ad talem statum, in quo habet aliquid, seu aliquam denominationem, ratione cujus repugnat ei positive, quod sit futura.

Ad confirmat.

75 Ad confirmationem patet ex modo dictis. Unde quemadmodum (ut optime notavit Arist. cap. de relatione) non omnium relationum est idem terminus, nam relatio calefacientis ad calefactum petit terminum actu calidum, et relatio calefactivi ad calefactibile non petit terminum actu calefactum, sed solum in potentia receptiva caloris ; ita non ad omnem relationem requiritur idem mutationis genus : sed ad relationem fundatam in actu conditionato satis erit (dato, quod prædicta relatio necessario involvatur in hoc actu, de quo alibi) mutatio physica conditionata, vel mutatio realis objectiva jam dicta : sicut etiam ad actum liberum efficacem, et absolutum,

verbi gratia, de existentia Petri, ac proinde ad relationem ibi fundatam, desiderabitur mutatio physica absoluta, pro tempore futuro danda.

Ad secundum quoad primam probationem antecedentis.

76 Ad secundum negandum est antecedens. Et ad primam probationem negatur etiam antecedens, ut constat in voluntate antecedenti, et conditionata nuper adducta, quæ non est voluntas otiosa, et superflua, licet non respiciat futurum absolutum, nempe gloriam omnibus absolute conferendam. Unde decreta ista conditionata, et efficacia conducunt, tum ad gubernationem, et providentiam Dei, siquidem prudentis gubernatoris est, paratum se exhibere ad multa facienda, quæ de facto non fiant : tum ad ostensionem bonitatis divinæ, quæ ad multa patranda est disposita, quæ tamen impediuntur, vel propter peccata nostra, vel propter ostendendam libertatem arbitrii ; tum ad hoc, ut Deus habeat certam cognitionem cujuscunque veritatis conditionatæ : tum et maxime ad salvandam summam actualitatem, et universalitatem divinæ voluntatis ; quæ tanta est, ut circa nullum volibile possit manere suspensa : sed debeat circa illud, modo jam insinuato, habere liberam terminationem : tum denique ad alios fines divinæ sapientiæ notos, nobis tamen occultos : quandoquidem quamvis rem, quantumvis alias disparatam, potest Deus ordinare in plures, et diversos fines congruentissimos, qui nobis sint occulti.

Ad secundam probationem.

77 Ad secundam vero probationem ejusdem antecedentis respondetur voluntatem illam conditionatam, et efficacem, esse ultimam resolutionem in suo genere, ut constat : et similiter esse ultimam resolutionem absolute : ex eo, quod non distinguitur ex parte rei concepta a voluntate absoluta, et efficaci, qua Deus decernit absolute, quod fiat, vel non fiat de facto res illa, ut in tract. de Voluntate Dei, disp. 2. dicemus : et ideo voluntas illa non est dependens, et suspensa, nec propria eorum, qui procedunt de imperfecto ad perfectum in sua deliberatione. Unde ex vi hujus probationis ad summum sequitur, quod ex vi voluntatis conditionatæ, ut distinctæ ex parte nostri modi concipiendi a voluntate absoluta, non sint omnia determinata : quod tamen nullum est inconveniens. Sicut neque obest, quod ex vi intentionis finis cum præcisione sumptæ ; et ut ex parte nostri modi concipiendi distinguitur ab electione, non concipiantur in particulari determinata media in ordine ad illum.

Ad tertium quoad primam probationem minoris.

78 Ad tertium concedenda est sequela, et neganda minor. Et ad probationem prioris partis illius, dicendum est, quod licet multæ combinationes satis disparatæ, et humano aspectui forte ridiculæ, possint fieri circa futura contingentia disparata, non est tamen ridiculum, sed summa expensione, et veneratione dignum, quod tanta sit vis divini intellectus, et actualitas divinæ voluntatis, quod hæc nequeat manere suspensa circa ipsa ; sed debeat habere actum perfectum, et per consequens efficacem circa eorum futuritionem, vel non futuritionem : ille vero, nempe intellectus divinus, non possit non certo, et infallibiliter quælibet futura scire. Unde sicut non est inconveniens, quod omnia hæc sciantur a Deo ut possibilia, ex eo, quod licet plura ex illis sint ridicula, attamen totum hoc tenet se ex parte objecti, non ex parte scientis ; ita propter eandem rationem non inconvenit, Deum habere terminationem liberam circa illa, et in sensu explicato : ita quidem ut circa aliqua decernat, quod sint positis certis conditionibus ; circa aliqua vero, quod non sint adhuc illis positis.

Ad secundam probationem.

79 Ad probationem vero secundæ partis ejusdem minoris, dicendum est, illationem illam D. Thom. debere intelligi formalissime de intentione creantis, in quantum creans est, id est, de facto exequens reales, et positivos effectus. Et ita intelligenda est de certa intentione ex parte finis proximi qui est finis positivus effectus ab operante quatenus tali, ut bene notavit Ferrara 3. Physicorum quæst. 7. Implicat autem infinitam multitudinem entium categorematice, et in actu talem esse certam, et determinatam. Quia nullis terminis comprehenditur, neque est mensurabilis per unum : et ita nequit modo dicto comprehendi sub certa intentione, nimirum ex parte finis effecti, et jam dicti. Cæterum quando Deus habet providentiam de istis infinitis combinationibus conditionatis, non providet de ipsis, ut in actu, et simul executioni mandandis, nec de cunctis illis decernit, quod habeant positivam existentiam ; sed de pluribus vult, quod non habeant illam adhuc posita conditione :

nec

nec rursus habet providentiam de ipsis, tanquam infinitis categorematice ex parte objecti, sed tanquam de infinitis syncategorematice producibilibus : quamvis cum hoc stet, ut in actu, et simul provideat ex parte sua de omnibus illis.

Unde sicut non inconvenit, Deum scire infinita categorematice ex parte scientis, non ex parte rei scitæ, ut constat de scientia, quam habet de cunctis rebus possibilibus : et similiter sicut non est inconveniens, infinitas cogitationes futuras per totam æternitatem contineri simul in illa, non quidem simultate tenente se ex parte rerum in propria, et adæquata mensura earum, sed simultate supra explicata, ita nihil obstat, quod in mente infiniti, et perfectissimi providentis sint actu, et categorematice ex parte sua provisa infinita : quamvis illa ex parte objecti non sint actu, et categorematice infinita : ac proinde nec possint esse actu, et simul producta : et per consequens nec cadere sub certa intentione creantis in sensu explicato, ut ratio Divi Thomæ convincit.

Ad quartum.

80 Ad quartum distinguenda est prima sequela : *Ex decreto existenti in Deo*, quod ponatur tanquam conditio espressa illorum futurorum conditionatorum, de quibus loquimur, neganda est : *Ex decreto existenti in Deo*, quod non ponatur tanquam conditio expressa prædictorum futurorum, per quodque velit Deus de aliquibus, quod sint, de aliquibus vero, quod non sint, concedenda est. Et deinde neganda erit utraque sequela statim subsumpta. Et ad probationem prioris ex his duabus, ex qua pendet probatio posterioris, concedenda est major quoad rem præsentem de bonitate, et vi illationis, et consequentiæ : non quidem ex meritis antecedentis secundum se sumpti, seu conditionis expresse positæ ad hoc, ut aliquid sit futurum conditionatum, secundum se acceptæ; sed ut subest divino decreto efficaci, et conditionato.

Et deinde concedenda est minor, quoad primam partem, imo et quoad secundam, si intelligatur de necessitate bonitatis consequentiæ, formaliter sumpta, id est, de necessitate præcise consequentiæ, non vero consequentis. Quia ad hoc, ut aliquid sit necessarium necessitate consequentiæ, ut distinctæ a necessitate consequentis, satis est, quod licet consequens illud sit absolute, et simpliciter liberum, nihilominus sit necessarium necessitate *secundum quid* ex suppositione, et in sensu composito, seu quod sit infallibile, quatenus per hoc denotatur, quod licet re ipsa, et de facto erit, saltem sub aliqua conditione; ita ut nunquam verificetur, non esse posita illa conditione; attamen possit non esse, etiam si ponatur prædicta conditio. Et tandem neganda est consequentia. Quia ad scientiam simplicis intelligentiæ pure naturalem, solum pertinent ea, quæ sunt necessaria necessitate simpliciter tali, et consequentis, non vero sola necessitate ex suppositione, seu necessitate consequentiæ, solius infallibilitatis jam explicatæ. Videantur quæ diximus disp. 7. dub. 2.

Ad ultimum.

81 Ad ultimum dicendum est, quod licet daremus Calvinum, et ejus discipulos fateri hæc decreta conditionata in eo omnino sensu, in quo nos illa concedimus, id est, ante prævisionem certam, et infallibilem futuri eventus, et hinc intulerint doctrinam hæreticam, nempe nullam esse in nostris actibus libertatem; nihilominus non inde bene infertur, prædicta decreta conditionata, et efficacia, esse rejicienda. Quoniam usitatum est apud hæreticos veritatem aliquam suis hæresibus immiscere, et ex uno antecedenti vero inferre ob suam malitiam suos errores. Unde Ariani, et cæteri hæretici antiqui, negantes tres divinas personas, errorem hunc ex unitate divinæ naturæ deduxerunt, ut eleganter notavit Tertulianus lib. contra Praxeam, ubi sic ait : *Varie diabolus æmulatus est veritatem. Affectavit, illam defendendo, concutere. Unicum Dominum, vindicat omnipotentem mundi conditorem, ut de unico hæresim faciat.*

DISPUTATIO X.

De impossibilitate scientiæ mediæ, sive conditionatæ ex authoritate petita.

1 Quamvis ex dictis in duabus disputationibus præcedentibus satis constet impossibilitas scientiæ mediæ, sive conditionatæ, ut intuenti patebit; nihilominus ut hæc amplius constet, et aliquæ objectiones, quæ adversarios urgent, expressius solvantur; et tandem ut aperte in iciatur quomodo scientia hæc ad nul-

lum ex pluribus et diversis finibus, propter quos inventa est, conducat; propterea sigillatim disputationem hanc excitamus.

DUBIUM I.

Utrum juxta sacram Scripturam admittenda sit scientia media, sive conditionata?

Quia ex ignorantia terminorum, necnon ex defectu rectæ intelligentiæ tituli dubii, solet æquivocatio, et minor intelligentia rei, de qua agitur, oriri; idcirco placuit pro explicatione tituli hujus dubii, ac proinde totius disputationis aliqua breviter adnotare.

§ I.

Triplex animadversio pro explicatione tituli hujus dubii, et totius disputationis.

Animadversio prior valde recolenda.

2 Primo ergo recolendum est in memoriam, et peculiari animadversione notandum id, quod in fronte disputationis præcedentis tetigimus, nimirum non esse idem scientiam futurorum conditionatorum, quam ex sacra Scriptura, ex patribus, et sufficienti ratione disput. præcedenti ostendimus, ac scientiam mediam, et conditionatam, quam juniores aliqui docent, quamque discipuli D. Thom. communiter impugnant. Nam scientia illa futurorum conditionatorum, quam disp. citata admisimus, supponit decretum ex se efficax, et conditionatum, existensque in Deo, in quo prædicta futura contingentia ab eo cognoscuntur, et non constituit aliquam scientiam mediam inter naturalem et liberam, sed est simpliciter libera, quippe præsupponens prædictum decretum liberum, et efficax : ac proinde pertinet ad aliquod ex duobus illis membris, in quæ Angelicus Doctor, et ejus schola dividit adæquate scientiam Dei, nimirum in scientiam visionis, et scientiam simplicis intelligentiæ. Nam ut disp. 9. num. 50. usque ad 53. hujus tract. explicuimus, scientia ista futurorum conditionatorum, quantumvis libera, spectat ad scientiam simplicis intelligentiæ.

Cæterum scientia media, sive conditionata, quam prædicti juniores adstruunt, convenit Deo ante omne decretum efficax divinæ voluntatis. Quoniam sentiunt Deum per illam ante omne decretum efficax, existens in ipso, cognoscere futura contingentia conditionata. Et licet aliqui ex illis dicant, præsupponi ad eam decretum Dei objective præsens, et postmodum futurum; non tamen decretum actu existens in ipso, nec etiam decretum objective præsens, et in sequenti signo futurum, quod de se sit efficax : et per consequens constituunt illam, ut medium quoddam inter scientiam simplicis intelligentiæ, et visionis, seu (ut ipsi loquuntur) inter scientiam Dei liberam, et naturalem : ex eo, quod de utroque extremo participat, quatenus nimirum est necessaria ex parte subjecti, seu Dei, quippe non præsupponens decretum liberum suæ voluntatis, actu existens in ipso; et est libera ex parte objecti, quia terminatur ad objecta libera.

Corollarium primum.

Ex quo etiam fit primo, scientiam hanc mediam, sive conditionatam constitui a suis authoribus, ut omnino necessariam, ad hoc, ut Deus efficaciter, et absolute velit futuritionem alicujus actus liberi creati, absque eo, quod lædat libertatem ipsius. Quia nisi per hanc scientiam prævideat quid arbitrium creatum, si in hoc, vel illo statu, et ordine rerum constituatur, voliturum est, non poterit Deus sine læsione libertatis ejusdem arbitrii decernere absolute, quod talis actus pro tempore futuro sit : atque adeo nec poterit absque prædicta læsione prædestinare, aut reprobare aliquem, nisi scientia hæc præeat, et ostendat ad quid in hoc, vel illo eventu prædictum arbitrium inclinandum est.

Cæterum scientia futurorum contingentium conditionatorum, quam schola D. Thom. admittit, non ponitur ut omnino necessaria, ad hoc, ut Deus efficaciter velit aliquid; sed potius subsequitur ad decretum efficax, quod in Deo existit, quodque ex propriis meritis est efficax. Et ita non prævidet Deus per illam quid fiet sub conditione, quia sic fiet, ut in scientia media supponente (juxta authores ejus) futurum eventum, contingit; sed potius e contra sic res conditionate fiet, quia Deus sic prævidet : unde non ponitur, ut necessaria ad prædestinationem, vel reprobationem; sed in divinum decretum, et ejus suavem, fortissimam tamen efficaciam totum hoc negotium resolvitur.

Aliud corollarium.

Fit secundo disputationem hanc de scientia media, sive conditionata, distincta a scientia prædicta futurorum conditionatorum, quam D. Thom. et ejus schola admittit, non esse de solo nomine, ut vult Suarez lib.

2.

2. de scientia conditionatorum, cap. 3. num. 4. quandoquidem, ut ex nuper dictis constat, discrimina, quæ a nobis inter utramque scientiam constituta sunt, non de nomine, sed de re, et valde de re, sunt, ut intuenti patebit.

Anim-adversio secunda.

3 Secundo animadvertendum est, quod etsi futura conditionata, quorum conditio aliquando purificatur, seu aliquando impletur, non pertinuerint ad disputationem præcedentem, ut dub. 1. illius notavimus; bene tamen ad istam, quandiu considerantur sub statu futurorum conditionatorum, id est, quandiu non cognoscitur illa conditio, ut purificata, nec illud futurum, ut translatum ab statu conditionato ad statum absolutum, mediante divino decreto existente in Deo. Quoniam authores scientiæ mediæ contendunt, quævis futura absoluta posse considerari in duplici statu. Primo quidem in conditionato : et tunc per scientiam mediam cognoscit Deus, quid voluntas, v. gr., hominis volitura esset, si in hoc statu, aut ordine rerum poneretur; quidve si in opposito, aut quid deinde si in pluribus aliis, et diversis ordinibus rerum collocaretur. Secundo vero in statu absoluto, non qualicunque, sed subsecuto ad divinum decretum, quatenus postquam Deus prævidit per hanc scientiam mediam, quid prædicta voluntas volitura esset in singulis ex iis statibus, si in illis collocaretur, decrevit constituere illam (exempli causa) in hoc statu, in quo prævidit consensuram esse divinæ vocationi. Et ideo hic consensus, qui antea solum prævidebatur in statu conditionato per scientiam mediam, videtur nunc in statu absoluto, et per scientiam visionis postquam Deus habuit illud decretum collocandi eam in prædicto ordine rerum : ita tamen quod hoc decretum solum potuerit habere efficacitatem infallibilem præeunte scientia media, et præcedente ad illam ipso eventu sub conditione, qui sicut potuit opposito modo evenire, contigit tamen, ut re ipsa, et de facto sic eveniret, atque adeo quod sic prævisus fuerit.

4 Diximus, *Quandiu non cognoscitur ilta conditio, ut purificata, nec illud futurum ut translatum ab statu conditionato ad statum absolutum, mediante divino decreto existente in Deo* : quoniam futurum contingens antecedenter ad divinum decretum existens in Deo etiam habet, juxta authores scientiæ mediæ, rationem, et modum futuri absoluti, licet non omnino proxime talis, ex eo, quod deest decretum Dei, actu existens in illo. Et ita hæc propositio : *Antichristus erit*, in qua Antichristo vera futuritio absoluta tribuitur, est in illo signo verissima : et propterea spectat, adhuc in hoc statu, et præcisione, ad scientiam mediam, ac proinde ad hanc disputationem : quamvis quia de futuris absolutis in hoc sensu, et præcisione plura dixisse oportuit disp. 7. ideo de eis fere nihil in præsenti dicemus.

Corollarium.

Ex quo etiam (ut id obiter dicamus) constat, quomodo scientia media hoc nomine significata latius pateat, quam ipsamet nomine scientiæ conditionatæ denotata. Quia secundum priorem significationem extenditur ad futura absoluta ante divinum decretum, non tamen secundum posteriorem significationem; sed solum ad futura conditionata, ut exprimunt conditionem aliquam modis dictis sumptam.

Anim-adversio tertia.

5 Tertio (ut termini tituli hujus disputationis, et dubii magis pateant) explicandum, et animadvertendum est, cur scientia hæc, de qua præsens disputatio inscribitur, appelletur, *Scientia media, sive conditionata*, quod quidem ex duabus notationibus adductis colligitur. Nam in primis vocatur *scientia media*, quia mediat inter scientiam simplicis intelligentiæ, et scientiæ visionis. Tum propter rationem in priore notatione tactam, scilicet quia participat de utroque extremo, ut universaliter solet medium de extremis participare : et ideo est necessaria ex parte subjecti, sicut scientia simplicis intelligentiæ : et est libera, et contingens ex parte objecti, quia versatur circa objecta libera, et contingentia, sicut scientia libera ad futura contingentia (diverso tamen modo sumpta) terminatur.

Tum etiam : quia prima cognitio, quam Deus de creaturis habet, est scientia simplicis intelligentiæ, per quam cognoscit eas, ut possibiles. Secunda vero est hæc scientia, per quam cognoscit easdem creaturas; non quidem sub statu possibilitatis puræ, nec sub statu futuritionis absolutæ; sed sub statu futuritionis conditionatæ : et non utcunque, sed antecedenter ad decretum efficax Dei circa talem futuritionem. Tertia vero, scientia visionis, per quam post prædictam scientiam secundo loco habitam, et decretum Dei ad illam modo nuper expo-

sito subsequens, cognoscit Deus futura illa, quæ absolute futura sunt. Et ita scientia illa, quæ secundam sedem inter scientiam priorem, et hanc tertiam possidet, merito vocatur *scientia media*, quippe quæ inter utramque intercedit. Sicut etiam (id quod cum præcedenti nectitur) appellatur scientia ista ob aliam rationem *scientia media*, nempe ratione objecti, circa quod versatur : ex eo, quod inter rem pure possibilem, et eandemmet sub statu futuritionis absolutæ, mediat ipsamet sub statu futuritionis conditionatæ, secundum quem ad scientiam hanc pertinet.

6 Ex quo etiam intelligitur, quare prædicta scientia nuncupetur *conditionata* : non quidem quia sit talis ex parte subjecti, quandoquidem si hoc modo esset conditionata, non esset formaliter in Deo, sed solum esset in illo, si conditio aliqua poneretur, ut disp. præcedenti, circa decretum efficax, et conditionatum Dei dicebamus; sed quia est conditionata ex parte objecti : ex eo, quod objectum ejus, ut hoc nomine significatæ, vel est futurum conditionatum, de quo in præced. disp. potissime egimus, id est, illud, cujus conditio nunquam purificabitur, ac proinde nunquam de facto erit; vel futurum conditionatum, quod licet aliquando erit, quia purificabitur, seu implebitur conditio; attamen ut pertinet ad hanc scientiam, consideratur in statu conditionato, et antecedenter ad divinum decretum efficax, ac proinde ut nondum est translatum ab statu conditionato ad statum absolutum, ut explicatum est.

Ex quo tandem rursus intelligitur, quomodo ex alio etiam capite præsens disputatio differat a duabus præcedentibus. Nam in priori ex illis, tantum de futuris contingentibus absolutis, in posteriori vero potissime de conditionatis, quorum conditio nunquam purificabitur : in ista vero de conditionatis, sive purificetur, sive non purificetur conditio, agitur : quamvis, ut jam tetigimus, ex dictis in utraque ejus decisio colligatur. Et quia plura ad præsens etiam spectantia, in præcedentibus dicta sunt, propterea hic ea sola adducentur, quæ alibi explicata non sunt.

Sensus tituli. Quare omnia hæc in unum colligendo, sensus tituli est : an juxta sacram Scripturam sit danda in Deo, antecedenter ad ejus decretum efficax, et conditionatum in ipso existens, aliqua scientia, qua certo, et infallibiliter cognoscat futura conditionata contingentia : sive sint ex conditionatis, quorum conditio nunquam purificabitur, quæque ad statum absolutum nunquam transferuntur; sive ex conditionatis, in quibus purificatur conditio, quæque ad statum absolutum transeunt.

§ II.

Proponitur prior opinio.

Fundamentum 7 Prima sententia tuetur partem affirmativam. Ita plures Doctores, quos in hac disp. num. 131. referemus. Et licet sententia hæc pluribus testimoniis sacræ Scripturæ a suis sectatoribus probetur, quia tamen solum suadent, dandam esse scientiam futurorum conditionatorum post divinum decretum efficax, propterea ea consulto omittimus : et solum seligimus unicum testimonium, quod externa specie videtur sententiam hanc probare : hoc autem est illud quod disp. præced. multoties retulimus ex Matth. 11. et ex Lucæ 10. scilicet : *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt, olim in cilicio, et cinere pœnitentiam egissent.* Ubi Christus Dominus exprobat Bethsamitis, et habitatoribus Corozaim defectum pœnitentiæ : ex eo, quod Tyrii, et Sidonii illam egissent, si apud eos illa miracula patrata fuissent. Hæc autem exprobratio inanis esset, si ideo Tyrii, et Sidonii acturi essent pœnitentiam, quia Deus efficaciter præfinivit, eos illam acturos, si prædicta miracula vidissent; atque adeo si futurum hoc conditionatum Christus in suo decreto efficaci, quod ut Deus habuit, præscivit. Nam tunc poterant Bethsamitæ, et habitatores Corozaim respondere, quod etiam ipsi egissent pœnitentiam visis iis signis, si circa eos fuisset prædicta voluntas efficax, et conditionata. Sicut etiam Tyrii, et Sidonii non converterentur, si circa ipsos non esset prædicta voluntas : et ita non esset cur comparatione illorum exprobrarentur.

Confirmatur. 8 Confirmatur, et explicatur vis hujus testimonii. Nam si Christus patraturus esset externa signa longe majora apud Gentiles, nempe Tyros, et Sidonios, quam apud Judæos, de quibus in hoc testimonio fit sermo, tunc enervaretur vis increpationis,

nis, qua Judæos increpabat : ergo multo magis manebit enervata constitutis ex parte Dei inæqualibus voluntatibus gratuitis circa Judæos, et Gentiles : ita ut circa illos tantum habuerit voluntatem inefficacem; circa hos vero voluntatem efficacem, et conditionatam suæ conversionis. Conseq. patet. Quia si semel prædicta voluntas efficax admittitur, aut requiritur, non potest non longe magis conducere ad effectum per illam præfinitum, quam omnia externa signa, et miracula excogitabilia : quandoquidem omnia ista tantum habent nexum fallibilem cum effectu, seu cum conversione, et pœnitentia peccatoris : at vero voluntas illa efficax prædiffiniens prædictam conversionem, habet nexum infallibilem cum ipsa, hoc ipso, quod sit efficax.

Solutio. 9 Nec refert, si occurras, dicens jure increpari habitatores Bethsaidæ, et Corozaim : quia majora objecerunt impedimenta gratiæ divinæ, quam Tyrii, et Sidonii. Hæc autem majora impedimenta per sua naturalia apposuerunt. Nam licet nullus se possit præparare viribus naturæ, et positive divinæ gratiæ; potest tamen apponere eidem impedimenta.

Impugnatio. Nam contra hoc arguit Herice, tom 1. in 1. part. tract. 1. disp. 7. cap. 3. num. 15. Nam hæc appositio majoris impedimenti, propter quam jure increparentur habitatores Bethsaidæ, et Corozaim, neque potest esse sola negatio responsionis uberioribus divinæ gratiæ vocationibus, ubi nec erat præceptum, nec culpa illis non respondere : nec potest esse commissio majorum peccatorum; ergo nulla. Consequentia videtur perspicua : quia non potest aliunde hæc major appositio impedimentorum provenire, ut intuenti constabit.

Probatio antecedentis quoad priorem partem. Antecedens autem quoad primam partem est notum : tum ex contextu ejusdem testimonii, quatenus minatur durius agendum cum Bethsamitis, et habitatoribus Corozaim, quam cum Tyro, et Sidone. Constat autem, quod propter negationem inculpabilem responsionis divinæ gratiæ auxiliis non infligitur major pœna : ac proinde nec durius in divino judicio cum non respondente agendum est. Tum etiam : quia hoc ipso, quod illa appositio majoris impedimenti consisteret in hac negatione inculpabilis responsionis auxiliis divinæ gratiæ, fieret inde prædicta auxilia non fuisse efficacia : ex eo, quod non stat cum gratia efficaci, ut sic conjungere negationem actus, propter quem datur, ita ut simul, et in eodem tempore componantur in eadem potentia gratia efficax, et negatio actus, in ordine ad quem est efficax; ergo eo ipso redderetur inanis Christi objurgatio circa Judæos, si circa illos non fuisset in Deo decretum efficax suæ pœnitentiæ; sicut fuit circa Gentiles. Nam possent sic Christum Dominum redarguere : quod si Gentiles patratis apud ipsos eisdem miraculis, tunc solis auxiliis sufficientibus uti nos excitasset Deus, nec illi respondissent. Nam in sententia Thomistarum sicut auxilium, et decretum efficax, et negatio actus non possunt componi, ita nec decretum, et auxilium tantum sufficiens, et actus pœnitentiæ, pro quo datur.

Probatio illius quoad secundam. 10 Quoad secundam vero partem, nempe hanc appositionem majoris impedimenti non esse commissionem majorum peccatorum, ita ut propter illa in eo eventu jure præ Tyriis, et Sidoniis increparentur, sic idem antecedens suadetur. Quoniam si semel admittitur hoc decretum efficax, tunc sicut Deus præfinit actus bonos, ita etiam præfinit malos quoad entitatem actus, ut communiter docent Thomistæ; ergo non possent Judæi objurgari a Christo præ Gentilibus, ex eo, quod apposuerunt majora impedimenta gratiæ, propter majora peccata ab illis commissa : quandoquidem possent objurgationi Christi respondere : quod si circa Gentiles illos fuisset in Deo decretum illud efficax præfinitivum majorum illorum peccatorum, quoad entitatem actus, sicut fuit circa ipsos Judæos, tunc non minus, quam ipsi majora illa peccata perpetrassent, nec minora impedimenta peccatorum gratiæ Dei objecissent.

§ III.

Vera sententia.

Assertio. 11 Dicendum tamen est, juxta sacram Scripturam, non esse admittendam hanc scientiam mediam, sive conditionatam, seu (quod in idem redit) non dari in Deo scientiam, per quam ante suum decretum efficax certo cognoscat prædicta futura contingentia conditionata. Ita plures, et gravissimi Doctores, quos in hac disp. num. 126. et deinceps adducemus. Et quamvis posset assertio hæc pluribus testimoniis Scripturæ suaderi : nihilominus eis suppressis, unicum tantum seligimus. Cujus veritas videtur non posse ita bene

Probatio assertionis.

salvari, si semel hæc scientia media, sive conditionata admittitur : hoc autem desumitur ex Paulo primæ ad Corinth. 4. ubi sic inquit : *Ne supra quam scriptum est unus contra alterum inflatur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

Animadversio ad expensionem testimonii Pauli.

Ut autem vis prædicti testimonii melius expendatur, supponendum est id, quod adversarii constanter admittunt, nempe quod ex duobus præventis æquali voluntate Dei, erga illos, ac proinde erga quos Deus non habet decretum ex se efficax respectu conversionis eorundem, potest de facto unus converti, et actu convertitur, et consentire gratiæ ; secus vero alius.

Expenditur locus Pauli.

12 Quo supposito, de cujusque veritate, vel falsitate in præsenti non disputamus, sic prædictum testimonium expendi, et urgeri potest. Nam si Deus antecedenter ad suum decretum efficax, et conditionatum, atque adeo per scientiam mediam, et conditionatam prævidisset, Petrum, v. gr., convertendum esse, secus vero Paulum, si in tali, vel tali ordine rerum constituerentur, et æqualis voluntas Dei erga illos esset, tunc Petrus posset gloriari adversus Paulum, quod se ipso, et ex sua voluntate discreverit se ab illo : siquidem cum communi, et æquali voluntate Dei erga utrumque, et absque eo, quod circa aliquem illorum esset decretum Dei ex se efficax, discrevit se ab eo, utens pro sua libertate gratuita illa voluntate Dei, qua uterque æqualiter præventus est; ac proinde discretio hæc non esset refundenda in diversam voluntatem Dei gratuitam : siquidem semel exclusa voluntate ex se efficaci Dei, ante prævisum eorum consensum, ut in hoc dicendi modo excluditur, in omnibus gratuitis sunt æquales, ut supponitur.

Evasio.

13 Nec refert, si cum adversariis dicas, discretionem hanc Petri a Paulo, seu quod ille consentiat gratiæ, secus vero iste, non provenire in Petro ex solis viribus naturalibus suæ voluntatis, sed simul ex gratuita voluntate Dei : et ita tribuendam esse Deo habenti prælictam voluntatem, quamvis talis voluntas non sit infallibiliter efficax : atque adeo licet Deus ante decretum efficax suæ voluntatis infallibiliter inferens consensum, prævideat discretionem unius ab alio, non propterea prævidebit, Petrum seipso secerni a Paulo, sed ex gratia, sive gratuita illa voluntate Dei, prius existente, priusque accepta.

Impugnatio prior.

Non itaque hoc refert. Ut autem id, et simul quod in præsenti intendimus, melius capiatur, præsupponendum est, nos modo non disputare, in quonam consistat efficacia gratiæ, aut quomodo Deus in ordine supernaturali influat, et quid ex efficaci ipsius voluntate in voluntatem creatam derivetur, sed ab hoc præscindimus : et consideramus Deum antequam efficaciter decernat consensum voluntatis creatæ in illo statu conditionato, de quo in § præcedenti mentionem fecimus : sive postea habeat tale decretum, et sive inde procedat gratia ex se, et intrinsece efficax, sive non procedat : conamurque ostendere, quod si semel in illo priori cognoscit futura contingentia conditionata, ac proinde Petrus, v. gr., ut correspondet divinæ scientiæ in illo statu conditionato, cognoscitur ut consensurus, secus vero Paulus, tunc Deus prævideret, Petrum discerni a Paulo non ratione gratuitæ voluntatis divinæ, sed ratione innatæ libertatis.

14 Hoc ergo supposito, præcedens solutio sic impugnatur. Quoniam hoc ipso, quod in statu illo conditionato, qui præsupponitur ad scientiam istam mediam, non habeat Deus decretum efficax circa conversionem Petri præ Paulo, ratione cujus videat illum consensurum, non vero istum, potest videre Petrum, ut præcise in actu primo præsupponitur ad talem conversionem non esse sibi magis debitorem, quam Paulum : quia non habet circa illum voluntatem gratuitam majorem, quam circa prædictum Paulum : ergo prævidebit discretionem Petri a Paulo refundendam esse in libertatem arbitrii, ut in primam rationem discretionis, non vero in gratiam, seu gratuitam Dei voluntatem. Antecedens non indiget probatione in casu, de quo loquimur, et ita admittitur ab authoribus oppositæ sententiæ. Conseq. vero probatur. Quoniam ea, quæ conveniunt in aliquo ipsis communi, et simul distinguuntur, et secernuntur, non habent distingui, et secerni ratione ejus, quod est utrique commune, sed ratione illius, quod est peculiare in ipsis : ergo cum Petrus, et Paulus conveniant in casu, de quo loquimur, in gratuita voluntate Dei circa ipsos, ac proinde in hoc sint omnino æquales, et

et alias distinguantur in consensu, oportet, ut hæc diversitas, et discretio unius ab alio non refundatur in gratuitam Dei voluntatem, in qua conveniunt, sed in ipsam libertatem arbitrii, quatenus unus eorum, nempe Petrus pro sua innata libertate usus est bene gratuita illa voluntate Dei : cum tamen alius, nempe Paulus pro sua libertate eadem abusus fuerit.

Confirm. primo.

15 Confirmatur primo. Quoniam in prædicto eventu Petrus et Paulus secernuntur, et sunt inæquales in actu secundo, scilicet in ipso consensu : ergo etiam debent secerni, et esse inæquales in actu primo; ergo cum hæc discretio, et inæqualitas non possit in actu primo provenire a gratia ; siquidem in ea præsupponuntur indiscreti, et æquales, oportet, ut proveniat ex libero arbitrio, vel ex aliquo alio præterquam a gratia, ex parte ejusdem arbitrii se tenente. Hæc secunda conseq. patet ex prima, et prima ex antecedenti : quandoquidem discretio, et inæqualitas in actu secundo, est aliquis effectus proveniens ab actu primo : ergo quævis inæqualitas, et discretio in eo inventa debet præhaberi, et splendere prius in ipso actu primo.

Confirmatur secundo.

Confirmatur, et explicatur secundo, ex eo, quod D. August. lib. de prædest. Sanct. cap. 5. docet. Nam explicans ibidem illud ad Corinth. 3. *Qui gloriatur in Domino glorietur :* inquit : *Nihil autem huic sensui tam contrarium est, quam de suis meritis quemquam gloriari, tanquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei, sed gratia, quæ bonos discernit a malis, non quæ communis est bonis, et malis.* Quare cum in casu, de quo loquimur, ea, quæ sunt gratiæ, sint communia utrique ex his duobus, quorum unus consentit, alter vero non consentit, nequibit discretio eorum refundi in gratiam Dei, seu in gratuitam Dei voluntatem ; sed in id, quod est cuivis eorum peculiare, nimirum, quod unus pro innata sua libertate bene usus est gratia Dei, seu gratuita voluntate divina, cum tamen alius eadem abusus fuerit : alioqui ratio ex August. adducta, non esset legitima ; et per consequens si Deus ante suum decretum efficax, hoc prævidet, prævidebit utique unum eorum secerni ab alio ex suis viribus.

Confirmatur tertio.

16 Confirmatur, et explicatur tertio, et simul tacita quædam solutio evertitur. Quoniam licet consensus ille, quo Petrus conversus est, non procedat a sola libertate suæ voluntatis, ac proinde gratuita illa Dei voluntas influat in eam discretionem; nihilominus si Deus ante suum decretum efficax prævidet talem consensum, oportet, ut etiam prævideat primam radicem hujus discretionis non oriri a gratia prædicta, sed ab innata libertate arbitrii Petri : ergo non salvatur vis testimonii Pauli, a nobis adducti : quandoquidem, ut intuenti constabit, intendit primam radicem discretionis unius ab alio esse divinam gratiam, jam explicatam alioqui enim ratio illius non subsisteret; sed posset unus adversus alium inflari, et gloriari, ex eo, quod ipse sibi fuerit prima ratio discretionis sui ab altero, quamvis ad hoc etiam divina gratia simul concurrerit.

Antecedens, in quo est difficultas, probatur. Tum quia, juxta hunc dicendi modum, concursus Dei promissus ex vi illius voluntatis gratuitæ habet esse promissum ad utrumlibet, ita ut si voluntas creata voluerit consentire gratiæ, seu voluntati gratuitæ Dei, Deus concurreret tunc ad consensum ; si vero voluerit dissentire, influet etiam cum ea ad dissensum ; ergo, quod actu voluntas consentiat, non est tribuendum gratiæ, tanquam primæ radici, sed voluntati creatæ, quæ hoc peculiare habuit, ut pro sua innata libertate bene usa est prædicta gratia : ergo hoc ipso, quod Deus ante suum decretum efficax, exigens conversionem Petri, prævideat illum præ Paulo consensurum, tunc hic consensus unius præ alio, et discretio unius ab altero prævidebitur, ut ortum ducens a voluntate creata, ut a prima radice.

Tum etiam : quia illa voluntas gratuita Dei erga illum, non magis inclinat in consensum, quam illa, quæ est in Deo erga Paulum; nec magis exigit consensum in uno, quam in alio; ergo, quod in Petro actu inferat illum potius, quam in Paulo, et consequenter quod in eo sit efficax in actu secundo, debet ut in primam radicem refundi in libertatem arbitrii Petri, quod pro sua innata libertate bene usus est prædicta gratia, quamvis id etiam ab eadem gratia proveniat : ergo, etc.

Alia eversio principalis ejusdem evasionis.

17 Deinde alia via potest hæc eadem solutio impugnari : præsupponendo tamen prius illud, quod adversarii docent, ut videre est apud Molinam, liberum arbitrium creatum, præventum voluntate Dei gratuita, et

sufficienti, seu tenente se ex parte actus primi, habere peculiarem virtutem agendi proximam, et innatam, distinctam a virtute, quæ ei superadditur per gratuitam illam voluntatem Dei, quæque non tribuitur ei formaliter per talem voluntatem, licet non possit in actum supernaturalem influere per hanc virtutem, nisi associatum gratiæ.

Hoc autem supposito, potest aliter prædicta solutio impugnari, ex eo, quod saltim sequitur, hominem per suum liberum arbitrium secundum id, quod ex propriis habet, associatum; tamen gratiæ, prævideri a Deo in casu posito, ut discernentem se ab alio non consentiente : hoc autem etiam est contra Paulum, qui hanc discretionem unius præ alio, seu quod unus consentiat, altero non consentiente, tribuit gratiæ, non vero arbitrio secundum id, quod ex se habet, etiam si associetur gratiæ : ergo, etc.

18 Sequela probatur. Tum quia hoc ipso, quod liberum arbitrium habeat de suo aliquam virtutem proximam activam, quæ non tribuatur ei ab illa voluntate gratuita, quamvis nequeat operari nisi associatum ipsi, oportet, ut illa partialis efficientia prædicti arbitrii, ut præcise correspondet suæ virtuti proximæ, et innatæ secundum id, quod de suo habet, quamvis associato gratiæ, et quatenus est pars unius integræ causæ ipsius consensus, et discretionis, prævideatur a Deo, ut aliquid, quod non est formaliter ab illa voluntate gratuita, sed ab ipsa natura arbitrii; ergo Petrus consentiens prævidebitur discernens se partialiter ex propriis, id est, ex non acceptis per voluntatem illam Dei supernaturalem, et gratuitam, sed solum per creationem; quamvis hæc partialis discretio de suo debeat esse necessario associata discretioni partiali per gratiam. Tum denique (per quod probatio præcedens magis explicatur) quia discretio illa, et inæqualitas non prævidetur, juxta oppositam sententiam, ut procedens tota, et totaliter a gratia, ut a principio proximo, quandoquidem gratia est æqualis in utroque; ergo prævidetur, ut procedens partim a gratia, et partim a voluntate, secundum id, quod ex se habet, quamvis associata gratiæ; et ita poterit voluntas Petri partialiter gloriari adversus Paulum, quod ipse ex propriis, licet associatis gratiæ, se ab illo discreverit.

Falsitas autem consequentis præterquam, quod ex dictis in eo satis constare videtur, nihilominus potest amplius sic ostendi. Quia si idcirco inquit Paulus hominem discerni per gratiam, quia non sola voluntas creata se discernit; sed ipsa secundum quod habet de suo, associato tamen gratiæ, habet proxime se discernere; tunc eadem ratione deberet dici hominem de suo se partialiter discernere, et ut talem prævideri a Deo : quia non solum gratia, sed etiam voluntas creata secundum virtutem proximam, quam de suo habet, concurrit ad hanc discretionem, quod tamen, ut constat, est contra intentum Pauli. Alia evasio.

19 Ex quo etiam manet impugnata alio solutio aliorum, qui vim harum impugnationum sentientes, dicunt : quod dum communiter dicitur, ex duobus præventis æqualibus voluntatibus Dei gratuitis stare, ut unus consentiat, non vero alius, atque adeo, quod in uno reddatur illa gratia de facto efficax in actu secundo, non vero in alio, intelligitur de æqualitate in *esse* physico, non vero in *esse* morali; et ita ille, qui convertitur, et a Deo per scientiam conditionatam prævidetur in statu conditionato convertendus, potest (ut sic dicamus) accipere eandem gratiam, omninoque æqualem physice cum eo, qui non convertitur, non vero eandem, seu æqualem moraliter in actu primo. Et rationem reddunt. Quia hoc ipso, quod prævideatur consensurus cum illa voluntate Dei gratuita erga illum, in eo ordine, et serie rerum, eoque loco, et tempore : et simul prævideatur non consensurus cum eisdem in alio ordine, et serie rerum, aliove loco, et tempore ipsi tributis, fit ei major gratia moraliter in hoc, quod Deus habeat erga illum voluntatem gratuitam æqualem in *esse* physico, in eo tempore, occasione, et ordine rerum, in quibus prævidetur consensurus, non vero in aliis.

Ex dictis igitur hæc solutio manet impugnata. Tum quia Petrus, et Paulus in eo eventu non solum inveniuntur discreti per consensum, et actum secundum supernaturalem, secundum id, quod habet morale; sed etiam secundum id, quod habet physicum; ergo cum quævis discretio in actu secundo debeat præsupponere discretionem in actu primo ei proportionatam, oportet, ut sicut in actu secundo invenitur discretio, et inæqualitas in gratia actuali, tam secundum Impugnatio prior.

dum *esse* morale, quam secundum *esse* physicum considerata, quod hæc eadem proportionalis discretio, et inæqualitas reperiatur in actu primo; ergo cum hæc non possit prævideri a Deo, ut proveniens præcise a gratia, quæ physice supponitur æqualis, debebit prævideri, ut proveniens ab arbitrio ex suis, quamvis associatis gratiæ, quatenus pro sua innata libertate bene usus est illa gratia, qua Paulus non usus, sed abusus fuit.

Alia impugnatio.

20 Tum etiam : quia actus secundus non potest pertinere ad actum primum, ut ex terminis ipsis constat; ergo, quod actus secundus prævideatur, ut subsequendus, hoc ipso, quod voluntas Petri in tali ordine, et serie rerum, ac occasionum vocaretur eadem voluntate gratuita, physice æquali cum voluntate gratuita erga Paulum (si verum est posse ante decretum efficax Dei prævideri, cujus oppositum ex dictis duabus disputationibus præcedentibus constat) non potest conducere ad hoc, ut gratia illa sit moraliter in actu primo inæqualis : siquidem hæc inæqualitas tantum oritur ex consensu, qui sorte contigit, quod sit futurus, et talis consensus est ipse actus secundus : maxime quia ad hoc, ut aliquid pertineat moraliter ad actum primum, debet moraliter existere; actus autem ille prævisus, ut futurus, potius dicit negationem existentiæ, quandiu futurus est : et ita etiam ex hac parte nequit pertinere ad actum primum, neque ratione sui, neque ratione scientiæ mediæ, qua prævidetur; siquidem hæc est speculativa in adversariorum sententia, et non ponit, sed potius supponit suum objectum.

Evertitur tandem.

Tum denique (id, quod ex præcedenti sequitur). Nam cum dicitur in casu dicto, intercedere majorem gratiam moralem, hoc ipso, quod detur in tali ordine rerum, et cum talibus, vel talibus circumstantiis, tunc vel inter has circumstantias numeratur consensus voluntatis, ut correspondet virtuti, et efficacitati arbitrii, secundum id, quod de suo habet, associato tamen gratiæ? vel non? sed solum consensus prout est a gratia? Si primum, ergo numeratur ibidem discretio partialis facta per arbitrium, secundum id, quod habet de suo, atque adeo ibidem involvitur, quod prævideatur a Deo, Petrum, v. g., discerni a Paulo in sensu dicto, secundum id, quod habet de suo. Secundum autem dici nequit, quia non potest prævideri consensus, ut a gratia, quin prævideatur etiam, ut a libero arbitrio. Quoniam juxta hunc dicendi modum, consensus prout a gratia non est ex se efficax ad inferendum causaliter consensum, prout a libero arbitrio, secundum id, quod habet de suo, associato tamen gratiæ; sed omnino concomitanter se habent. Imo, si aliquis ordo est inter illos, debet esse prius consensus, prout a libero arbitrio. Nam concursus oblatus ex parte Dei est indifferens ad hoc, ut si voluntas creata voluerit consentire, concurret Deus ad consensum; si tamen voluerit non consentire, concurret etiam Deus ad hanc volitionem.

Posterior solutio.

21 Ex quibus omnibus manet etiam impugnata alia solutio, nimirum falsum esse ex alio capite, eum, qui convertitur, non accepisse plus, seu non fuisse in Deo majorem voluntatem gratuitam ergo illum; siquidem accepit consensum supernaturalem, et concomitantem Dei.

Rejicitur.

Nam contra hoc urget id, quod supra dicebamus, scilicet quod ista inæqualitas accipiendi hunc concursum, non potest non provenire tanquam a causa partiali, sive tanquam a conditione indispensabili, a libero arbitrio secundum suam nativam, et proximam virtutem considerato, quamvis associato gratiæ : siquidem quod Deus actu influat, et præstet concursum concomitantem ordinis supernaturalis, pendet indispensabiliter ex eo, quod liberum arbitrium præstet etiam suum concursum, secundum id, quod habet de sua nativa virtute, associata tamen gratiæ : et concursus concomitans Dei non est causa, aut ratio a priori, juxta hunc dicendi modum, concursus arbitrii secundum prædictam rationem considerati; sed pure concomitanter se habent, quatenus nec ille sine isto, neque e converso potest esse; ergo licet Deus actu influat per concursum concomitatem, prævidebitur ab eo liberum arbitrium creatum, ut discernens se in illa parte concursus, quem de suo, associato tamen gratiæ, præstat; quoque simul operatur cum Deo, secum cooperante.

Confirmatur primo.

Confirmatur primo. Nam hic etiam urget id, quod nuper dicebamus, scilicet, quod hoc ipso, quod sit inæqualitas ex parte Dei in actu secundo, necesse est, ut sit etiam inæqualitas ex parte creaturæ in actu secundo; ergo cum quævis inæqualitas in actu secundo, sit refundenda in actum primum, et juxta sententiam adversariorum non detur inæqualitas in actu primo ex parte Dei, seu gratuitæ ejus voluntatis, oportet, ut hoc reducatur in voluntatem

creatam, quæ pro sua innata libertate associavit suum concursum cum concursu Dei.

Confirmatur secundo ex August.

22 Confirmatur secundo ex August. lib. de prædest. Sanct. cap. 6. ubi sic inquit : *Multi audiunt verbum veritatis, sed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt illi. Quis hoc ignoret? Quis hoc neget? Sed cum aliis præparetur, aliis non præparatur voluntas a Domino: discernendum est utique quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio.* Ubi secundum August. discretio credentis a non credente, a voluntate gratuita Dei, qua præparatur voluntas, non vero a concursu concomitante procedit. Habeamus ergo, quod si loquamur de voluntate creata in illo priori, antequam Deus efficaciter de illa decernat, quid in tali, vel tali statu conditionato operabitur, nequit cognosci certo, et infallibiliter ab ullo intellectu, etiam divino, quid volitura sit, ne applicando hæc ad operationes supernaturales, tunc cum æquali voluntate Dei gratuita prævideatur una voluntas creata consentiens, alia non consentiente : et ita prævideatur, ut se, et ex propriis secernens ab alia, et potens adversus aliam gloriari.

Advertendum tamen, consulto nos in hoc dubio tantum locutos esse de æqualitate gratuitæ voluntatis Dei, non vero auxiliorum gratiæ, quæ in voluntate creata recipiuntur, ut ne minimum quidem verbum, quantum fieri possit, de his proferamus, ut ita longissime distemus a non adeo perfecta observatione decreti Sanctissimi Domini nostri Romani Pontificis, quo cautum est, ne tractatus, et disputationes de efficacia auxiliorum divinæ gratiæ typis mandentur.

§ IV.

Solvitur fundamentum primæ sententiæ.

Retorquetur fundamentum adversariorum contra ipsos.

23 Ad fundamentum igitur contrariæ sententiæ dicendum est, posse etiam retorqueri contra suos authores : ac proinde tam ab ipsis, quam a nobis ex diverso tamen capite solvendum esse. Quoniam in eorum sententia possent etiam Bethsamitæ, et habitatores Corozaim exprobrationi Christi Domini dicere, quod sicut ideo Tyrii, et Sidonii visis illis signis crederent, quia patrata essent apud eos in ea serie, ac ordine rerum, et occasionibus, in quibus prævisum est a Deo, ipsos consensuros, et credituros, cum tamen essent plures aliæ occasiones, in quibus prævidit, illos, patratis eisdem signis, non convertendos; ita si eadem signa facta fuissent apud prædictos Judæos in pluribus aliis occasionibus, et circumstantiis, in quibus, prævisum est a Deo, illos credituros, tunc non minus quam Tyrii, et Sidonii crederent. Unde videtur posse etiam conqueri de Christo, quod cum tam in ipsis, quam in Gentilibus prævidisset quasdam occasiones, et circumstantias, in quibus vocati responderent : et quasdam, in quibus responsum non præberent, visis eisdem signis, et excitati eisdem gratiis internis, et sufficientibus, nihilominus in Tyriis, et Sidoniis selegit illas, in quibus præscivit credituros, relictis illis, in quibus oppositum præscivit : cum tamen in Bethsamitis, et habitatoribus Corozaim selegerit eas, in quibus præcognovit non consensuros, relictis tamen eis, in quibus præscivit, quod consentirent.

24 Cui redargutioni, et querelæ apparenti Judæorum adversus Christum Dominum non aliter possunt auctores oppositæ sententiæ respondere, nisi dicendo, quod sufficit, Judæos habuisse omnia auxilia gratiæ sufficientia, tam pro occasionibus, in quibus prævisi sunt consensuri, quam pro illis, in quibus præcognitum est a Deo, quod non consentirent : atque ita vitio eorum imputandum esse, quod sic vocati non crederent : nec teneri Deum eligere semper eas occasiones, in quibus præscit arbitrium creatum, divina gratia excitatum, esse consensurum ; sed ut universalis provisor potest illud ob plures, et honestissimos fines relinquere in iis occasionibus, in quibus prævidet, non consensurum, et permittere hunc defectum : alioqui nulla fieret gratia iis, qui consentiunt, et constituuntur in occasionibus, in quibus prævidentur consensuri, si semel Deus tenetur eos in prædictis occasionibus, non vero in aliis apponere : nec illæ aliæ occasiones essent de iis, in quibus arbitrium creatum collocabile est, si Deus absque ejusdem arbitrii injuria non posset ipsum in illis collocare.

Occurritur eodem fundamento.

Sicut ergo auctores oppositæ sententiæ sic evadunt vim hujus apparentis, non tamen veræ responsionis, et querelæ Judæorum ; ita nos eadem (proportionali tamen) via, eidem occurrimus, dicentes, non potuisse juste conqueri Judæos de Christo, nec inanem reddere objurgationem illius : siquidem eis præstitit visis prædictis signis auxilia sufficientia ad credendum, quamvis eos dispares fecerit cum Tyriis, et Sidoniis in majori illa voluntate gratuita, qua eos prosecutus

prosecutus fuit, decernendo efficaciter, quod si apud eosdem Tyros, et Sidonios factæ fuissent illæ virtutes, et signa; olim, seu jamdiu pœnitentiam egissent. Nec enim tenetur Deus semel, datis auxiliis sufficientibus, habere decretum efficax conversionis, seu consensus exhibendi ab arbitrio creato; alioqui non concurreret cum illo, tanquam cum arbitrio defectibili : quodque juxta communem cursum sæpissime deficit. Nec tandem fieret aliqua gratia iis, circa quos Deus prædictum decretum efficax habet.

Explicatur solutio.

25 Quæ omnia magis patebunt, si inspiciantur ea, quæ disp. 8. num. 16. et deinceps diximus, et in tractatu de Voluntate Dei disp. 10. num. 78. et sequentibus dicemus, nempe per hoc decretum efficax non tolli libertatem ab iis, circa quæ versatur : sicut nec per defectum ejus auferetur libertas ab iis, erga quos Deus illud non habet : ac proinde nec per talem ablationem deest aliquid ex requisitis ad sufficientia in ordine ad consensum Deo vocanti præbendum. Et ita omnibus pravis hominibus exprobari potest malitia, quam habent etiamsi comparentur ad illos, qui non pravi, sed sanctissimi sunt, quales fuerunt Apostoli; quamvis erga hos voluntas gratuita Dei uberior fuerit. Et hoc non ob aliud, nisi quia prædicta voluntas uberior non computatur inter requisita ad sufficientiam ipsius *posse* arbitrii creati, sed ea denegata manet liberum arbitrium cum requisitis, et sufficientibus in ordine ad consentiendum.

Elucidatur testimonio August.

26 Desumiturque hæc solutio ex D. Thom. locis in disputationibus nuper citatis allatis, et adducendis, necnon ex D. August. lib. de Dono perseverant. cap. 9. Ubi loquens de hoc futuro conditionato, scilicet, de pœnitentia Tyriorum, et Sidoniorum, si Christus apud eos fecisset signa, et miracula, quæ apud Judæos patravit : et concludens, Deum certo præscire prælictum futurum conditionatum eo modo, quo nos dicemus : et inde non sequi inconveniens hujus argumenti, sic inquit : *Quid mirum, si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus sæculis noverat, ut eis prædicari merito nollet, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præsciebat? Hæc certe de Tyro, et Sidone non possumus dicere, et in eis cognoscimus ad eas causas prædestinationis hæc divina judicia pertinere, sine quarum causarum latentium præjudicio tunc ista respondere me dixi. Facile quippe est, ut infidelitatem accusemus Judæorum de libera voluntate venientem.*

Ubi, ut constat, Augustinus sentit. Tum Deum secundum latentes causas prædestinationis, sive decreti sui hoc futurum de Tyriis, et Sidoniis præscivisse : non autem antecedenter ad prælictum decretum, et per consequens, nec per scientiam mediam. Tum etiam, quomodo non obstante, quod Deus habuerit prælictum decretum circa Tyros, et Sidonios; nihilominus inquit : facile esse accusare infidelitatem Judæorum, eo quod Deus habuit erga illos voluntatem gratuitam, sufficientem in ordine ad credendum : atque adeo ex eorum perversa voluntate processit, ut non crederent. Et ita Sanctus Doctor addidit : *Facile quippe est, ut infidelitatem accusemus Judæorum de libera voluntate venientem.*

Additamentum ex alio testimonio ejusdem August.

27 Adde, solutionem hanc illustriorem reddi, si attendatur argumentum istud, quod ab adversariis adducitur, ad suadendam ex hoc testimonio scientiam mediam, Augustinum asserere fuisse in reipsa argumentum Pelagianorum qui ideo negabant, Deum nos efficaciter convertere ratione sui decreti efficacis, et de nolentibus facere volentes, quia tunc frustra nos corriperet, quando ipse non dat illam gratiam, seu non habet illam gratuitam voluntatem efficacem, per quam volentes reddimur. Et ita occasione hujus argumenti composuit Divus Augustinus librum de Correctione, et gratia : in cujus cap. 6. in principio illius sic inquit : *Dicebant enim Pelagiani, cur corripimur, arguimur? reprehendimur? accusamur? quod facimus, qui non accepimus? obedientiam, inquiunt, non accepimus, quid itaque corripimur, quasi eam nobis dare possimus?* Et huic argumento respondet Divus Augustinus cap. 7. *Perseverantiam esse donum Dei, juste tamen corripimus eos, qui cum bene viverent, non perseveraverunt : ex bona quippe in malam vitam sua voluntate mutati sunt. Nec se excusabunt dicentes : perseverantiam non accepimus, qua permaneremus in bono. Si enim non liberantur a damnatione, qui non audierunt Evangelium, multo minus qui non acceperunt perseverantiam in Evangelio.*

Cujus responsionis fundamentum non aliud esse potest, nisi quod ut aliquis jure corripiatur præ alio, sat est, quod habuerit sufficientia, quibus poterat perseverare, obedire, aut credere; et de facto noluit : non enim corripitur aliquis rationabiliter, nisi quia erat obligatus, et

poterat facere : et nihilominus non fecit. Ad hoc autem, ut hæc tria dentur, non requiritur, quod Deus habuerit decretum efficax circa illius conversionem, ut ex se constat : quandoquidem hoc ipso, quod Deus habeat prædictum decretum, infallibiliter sequetur conversio : et ita non stabit non conversio una cum potentia, et obligatione ad conversionem, necnon et prædicto decreto. Per quæ etiam ad confirmationem hujus argumenti initio dubii adductam satis constat.

Ad confirmationem.

DUBIUM II.

Utrum juxta mentem Augustini ex testimoniis ejus desumptam colligatur, dandam esse scientiam mediam, sive conditionatam?

Quanti quoad hoc et similia sit habenda auctoritas August.

28 Peculiariter dubium hoc excitamus circa mentem Divi Augustini, quoniam quoad præsentem disputationem, et alias hoc ipsum concernentes, debet maxima vis fieri in auctoritate illius. Nam licet ejus auctoritas semper sit magni habenda, potissime tamen in præsenti materia de ea est curandum, ut constat ex diffinitionibus Concilii Africani, et ex epistolis Decretalibus Innocentii, et Bonifacii, necnon Cœlestini, et Sancti Leonis, ac Gelasii, ubi ejus sententia in hac materia, contra eam impugnantes, approbata est : et ita nemini licet ab illa discedere, ut latius ostendunt Alvarez libro primo de auxiliis, disputatione quinta, et Suarez libro de gratia prologom. 6.

Quid de Aug. senserit Molina.

Unde admittendum non est id, quod inquit Molina, nempe, multos fideles ex disputationibus Augustini fuisse turbatos, et usque ad Pelagianismum defecisse. Per quod videtur innuere, non ita magni habendam esse sententiam Divi Augustini, et doctrinam ejus contra Pelagianos : in qua, ut statim probabimus, scientiam hanc mediam cognovit, et eam refutavit, quamvis Molina sibi persuadeat, eam Augustino latuisse.

Rejicitur.

Nam contra hoc aperte pugnant. Tum id, quod nuper dicebamus. Tum etiam verba Sancti Prosperi in initio epistolæ ad Augustinum, quæ est ante libros de Prædestinatione Sanctorum, ubi sic inquit : *Recensito hoc beatitudinis tuæ libro* (id est libro de Correctione, et Gratia), *sicut qui Sanctam, atque Apostolicam doctrinæ tuæ auctoritatem antea sequebantur, intelligentiores multo instructioresque sunt facti, ita qui persuasionis suæ impediebantur obscuro, aversiores, quam fuerant, recesserunt.* Ex quibus verbis constat, fideles non fuisse turbatos, sed illuminatos disputationibus Augustini; sed illos aversiores fuisse factos, qui antea suum sequebantur sensum, et veritatis intelligentias ex propria persuasione metiebantur.

Consulto autem in titulo inquisivimus de mente Augustini non utcunque, sed ex testimoniis ejus desumpta, propter ea, quæ initio dubii sequentis dicemus.

§ I.

Sententia affirmans.

29 Partem affirmantem tuentur omnes auctores scientiæ mediæ, quos dubio ultimo hujus disputationis adducemus. Et licet pro ea adducantur multa Augustini testimonia, sicut et aliorum : quia tamen plura ex illis solum probant scientiam futurorum conditionatorum, de qua in præcedenti disput. egimus, atque adeo scientiam eorum in divino decreto efficaci, et infallibili, nec habent aliquid peculiare, quo externa saltim specie, scientiam hanc mediam suadeant; alia vero innituntur in hoc, quod ad rationem vocationis altæ, secretæ, et congruæ, quæ a nullo duro corde respuitur, quamque admittit sæpe August. requiritur scientia Dei respectu illius, quæ antecedat liberum, et efficax ipsius decretum, ne creata libertas lædatur, et de hoc satis in superioribus diximus, ostendentes quomodo prædictum decretum nullo modo lædat arbitrii creati libertatem : et insuper id iterum in tractatu de Voluntate Dei disput. 10. num. 78. et deinceps ostendemus : propterea illa consulto omittimus, et unum, vel alterum, quod nonnihil difficultatis præ se ferre videtur, selegimus.

Primum fundamentum.

Quorum primum habetur lib. 1. ad Simplicianum quæstione 2. ubi ait, quod vocatio cum est congrua, id est efficax, dependet ex modo, quo quisque affectus est, ut vocationi consentiat, et deinde addit : *Ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi solum sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei, et illud non minus verum sit : igitur nec volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum*

tum erat iis, qui secuti sunt vocationem, Ubi, ut vides, non recurrit D. Augustin. ad hoc, ut vocatio sit efficax, ad divinum decretum, sed ad hoc, ut quis vocatus sit temperate ad eum modum, quo affectus est : et ita necessario prærequirit ad hoc, ut vocatio illa sit efficax, et Deus efficaciter velit esse efficacem, quod præcognoscat cujusque dispositionem futuram, ut ei vocationem attemperet : et propterea addit idem D. August. *Si Deus vellet misereri eorum, posset eos ita vocare quomodo illis aptum esset, ut moverentur.*

Secundum. 30 Secundum vero habetur apud eundem D. August. lib. 2. de Dono perseverantiæ, capite 14. inquiens : *Habere quosdam in ipso ingenio, divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Ubi etiam recurrit Sanctus Doctor ad dispositionem vocati, quatenus ita vocatus est, sicut suæ menti congruit. Ex quo videtur sequi, veritatem hujus futuri contingentis, et conditionati, nimirum quod *Petrus, verbi gratia, ex naturali munere intelligentiæ excitatæ per gratiam, moveretur ad fidem, si congrue sibi prædicaretur*, cognosci a Deo ante suum decretum efficax. Nam si ex decreto divino sequeretur illa veritas, tunc non aliquibus tantum, sed omnibus conveniret, circa quos esset prædictum decretum. Quare cum D. Augustin. solum in aliquibus dicat esse verum, quod sic vocati consentiant, in iis nimirum, qui in ipso suo ingenio habent divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant, signum est ipsum sentire, cognosci a Deo prædictum futurum, non ex vi decreti efficacis, et consequenter ad illud, sed antecedenter ad ipsum, et ratione veritatis objectivæ, quam habet, quod quidem, ut ex dictis num. 1. hujus disput. constat, est concedere scientiam mediam.

§ II.

Mens Augustini illustri quodam ipsius testimonio aperitur.

Assertio. 31 Dicendum tamen est, juxta mentem Augustini ex testimoniis ejus desumptam, non esse dabilem prædictam scientiam mediam, et conditionatam, seu (quod in idem redit) scientiam infallibilem, tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti, respectu futurorum contingentium conditionatorum, quæ antecedat efficax decretum divinæ voluntatis. Ita plures, et gravissimi Doctores, quos in hac eadem disputatione dubio ultimo referemus.

Suadetur primo. Probatur primo, testimonio illo Divi Augustini libro primo de Prædestinatione Sanctorum capite decimo quarto, quod supra tetigimus. : ubi disputans contra hæreticos, asserentes Deum ante decretum efficax suæ voluntatis præscire quid unusquisque, si diu viveret, boni, vel mali egisset, et propter hæc bona opera sic prævisa prædestinare, vel reprobare unumquemque ex iis, quos decrevit creare, et simul eos præmatura morte rapuit, antequam ad adultorum ætatem pervenirent, sic inquit explicans illud Sapientiæ 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus : Dictum est enim secundum pericula vitæ hujus, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat : id est, quod ei mortem immaturam erat præstiturus, ut tentationum subtraheretur incerto, non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Ubi, ut vides, duplex, modo tamen statim dicendo, futurum in hoc testimonio involvitur, nimirum, quod immatura morte ille esset rapiendus, ut tentationum subtraheretur periculis. Aliud vero, quod si hic ipse, qui raptus est, maneret in hac vita, tunc in peccatum laberetur. Et de primo, quod revera futurum est, quia revera Deus decrevit hominem illum immatura morte rapere, ut a tentationum periculis eriperetur, inquit : Deum habere præscientiam utique absolutam : siquidem, posito prædicto decreto, talis effectus absolute futurus erat. At de secundo futuro, quod externa tantum specie habet rationem futuri, ante decretum efficax divinæ voluntatis, in quo signo illud esse futurum asserebant hæretici, docet August. non præsciri a Deo, ex eo quod ipse tantum præscit futurum esse, id quod futurum est; cum tamen futurum illud eo modo, quo illud constituebant hæretici (id est, ante prædictum decretum) non sit futurum. Et ita concludit Sanctus Doctor : *Quia hoc*

præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat.

Prior solutio adversariorum.

32 Dupliciter occurrunt Suarez tomo primo de gratia prologom. secundo capite quarto num. 2. et 3. et libro secundo de scientia conditionata capite secundo num. 8. Herice tractatu primo de Scientia Dei disput. 7. cap. 5. et 10. et alii. Primo quidem Augustinum solum impugnare in præsenti malum usum scientiæ mediæ, quo hæretici isti ea abutebantur, quatenus asserebant, quod ex bonis, vel malis operibus, per eam sub conditione prævisis, movebatur Deus, tanquam propter merita, vel demerita ad puniendum, aut ad gratiam, et æternam salutem largiendam; non vero impugnare prædictam scientiam in hoc testimonio absolute, et secundum se sumptam.

Animadversio ad eversionem prædictæ solutionis.

Cæterum hæc solutio non est ad mentem Divi Augustini. Quod ut melius capiatur. Supponendum est, quod hæretici admittentes hanc scientiam mediam, erant inter alios Pelagiani, qui ut salvarent, quomodo gratia non dabatur gratis, sed ex meritis, et propter bona opera prævisa ante decretum illam conferendi, asserebant Deum præscire quid unusquisque tali, vel tali occasione operaturus esset, et propter hæc bona opera prævisa tribui eis a Deo gratiam, et æternam salutem, tanquam quid cadens sub merito prædictorum operum. Cumque Catholici premerent hos hæreticos argumento illo; nimirum, quod aliquibus parvulis decedentibus ante usum rationis confertur Baptismus, et vita æterna, cum tamen in eis nulla essent futura bona, vel mala opera, tunc recurrebant ad scientiam mediam, asserentes Deum per hanc scientiam, atque adeo antecedenter ad suum decretum efficax, cognovisse quid unusquisque ex illis parvulis boni, vel mali egisset, si diutius in vita permaneret, et ad adultorum ætatem pervenisset : et quibusdam ex illis tribuisse Baptismum, et æternam salutem, quia prævidit bene operaturos in prædicta ætate : aliis vero denegasse gratiam Baptismi, et salutem æternam, quia præcognovft eos male operaturos, si ad ætatem adultorum pervenirent.

Unde Divus Augustinus contra hos hæreticos disputans, ex duplici capite hanc scientiam mediam impugnat. Primo quidem, et principaliter, quia propter bona opera sub conditione futura, nunquam tamen reipsa exhibita, non largitur Deus præmium aliquod : sicut nec propter mala opera, eodem modo prævisa, nunquam tamen reipsa executioni mandata, non punit. Secundo vero, et minus principaliter, quia prælicta scientia media est impossibilis, et ei nullum objectum, quod adhuc conditionate, habeat esse futurum, correspondet : siquidem ante decretum efficax divinæ voluntatis, in quo signo hæc scientia media a suis auctoribus ponitur, nihil est futurum adhuc sub conditione.

33 Esse autem hanc mentem divi Augustini, constat ex epistolis 105. ad Sixtum, et 107, contra Vitalem Pelagianum, et libro 2. contra duas epistolas Pelagianorum capite 7. et libro 1. contra Vincentium Victorem, capite 12. et lib. 12. de Genes. ad litteram cap. 6.

Evertitur.

Ex quibus testimoniis sequens impugnatio contra solutionem adversariorum, ad hanc tamen formam redacta, deducitur. Nam D. August. ex utroque capite nuper dicto impugnat hunc errorem Pelagianorum : ergo non solum impugnat malum usum scientiæ mediæ (ut adversarii loquuntur) nempe, quod ex bonis, vel malis operibus sub conditione futuris, et per hanc scientiam prævisis, nunquam tamen reipsa præstitis, Deus punit, vel præmiat; sed etiam eandem scientiam mediam e medio sustulit.

Probatio antecedentis quoad prrorem partem.

Antecedens quoad primam partem, nempe quod D. Augustin. impugnaverit hunc errorem Pelagianorum propter malum illum usum scientiæ mediæ, seu ex eo, quod propter bona, vel mala opera sub conditione futura, nunquam tamen reipsa exhibenda; Deus nec punit, nec bona largitur, constat. Tum ex lib. secundo jam citato contra duas epistolas Pelagianorum capite septimo, ubi sic inquit : *Propter quod profecto desipitis, qui dicente veritate non ex operibus, sed ex vocante dictum est, vos dicitis ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum esse præsciebat, Jacob fuisse dilectum : atque ita contradicitis Apostolo dicenti : Non ex operibus quasi non posset dicere : Non ex præsentibus, sed ex futuris operibus : sed ait : Non ex operibus, ut gratiam commendaret.*

Tum etiam libro primo nuper citato de Anima, et ejus origine capite 12. his verbis : *Nam si peccata, quæ si homo viveret, commissurus esset, etiam non commissa damnantur in mortuo, nullum beneficium collatum est illi, qui raptus est,*

ne

ne malitia mutaret intellectum ejus : quandoquidem judicabitur secundum eam, quæ in illo fuerat futura malitiam, non secundum eam, quæ in illo inventa est, innocentiam, et de nullo mortuo baptizato (etiam parvulo) *poterit esse securitas, quia et post Baptismum, non qualitercunque peccare, verum etiam apostatare homines possunt. Quid si ergo qui baptizatus hinc raptus est, apostata erat futurus, si viveret ? nullum ne illi beneficium putabimus esse collatum, quod raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, et propter Dei præscientiam, non sicut fidele membrum Christi, sed sicut apostata judicandum esse censebimus ? Quanto enim melius si peccata nondum facta, nondum cognita, sed præcognita, et futura puniuntur, projicerentur illi duo de Paradiso ante peccatum, ne in loco tam sancto, et beatifico peccarent ?*

Quoad secundam suadetur idem antecedens.

34 Quoad secundam vero partem, nempe quod Divus Augustinus impugnaverit etiam sententiam horum hæreticorum ex alio capite, nempe, ex eo, quod ejus objectum, nempe futurum conditionatum antecedenter ad decretum efficax, et conditionatum Dei non habet rationem futuri, etiam sub conditione, sic idem antecedens ex eisdem locis suadetur. Tum ex hoc testimonio Divi Augustini ex libro de Prædestinatione Sanctorum capite 14. circa cujus expensionem versamur. Nam, ut vidimus, ibi concludit, non sciri a Deo conditionatum illud, nimirum, quod ille qui immatura morte præventus fuerat, peccaret graviter, si diutius viveret : ex eo quod in illo signo, in quo de illo loquebantur hæretici, quodque assignatur pro scientia media, nempe ante decretum efficax divinæ voluntatis, non habet esse futurum : et ita nequit per modum talis a Deo non prævideri. Cui impugnationi non satis occurrunt adversarii, ut intuenti constabit.

Tum etiam : quia in eodem lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 7. nuper citato, postquam protulit verba illa num. 33. relata, per quæ ex primo illo capite impugnavit sententiam hæreticorum, statim evertit illam ex hoc secundo : et ita subjungens exemplum de duobus parvulis, qui ante ætatem adultam, et unus cum Baptismo, alter vero sine illo decesserunt, sic ait : *Quomodo enim præscivit ea futura, quæ illis in infantia morituris ?* Et rationem reddit : *Quia præscientia ejus falli non potest, præscivit potius non futura.* Ubi, ut constat, non impugnat hanc scientiam mediam, seu scientiam ante decretum efficax divinæ voluntatis, ex eo quod ex bonis, vel malis operibus per eam sub conditione prævisis Deus puniat, vel præmium largiatur; sed ex eo, quod scientia divina falli non potest. Et ita cum in illo priori opera illa bona, vel mala non sint futura futuritione infallibili (de qua loquimur, ad quamque in illo priori cognoscendam introducitur scientia media, non vero ad attingendam futuritionem fallibilem, et conjecturalem) sed potius sint in illo priori non futura negative : propterea divina scientia, quæ falli nequit, non potest præscire, illa esse tunc futura, sed potius præscivit non futura. Et ideo concludit : *Quia præscientia ejus falli non potest, præscivit potius non futura,* ut ita aperte significaret, illa objecta non esse cognoscibilia, ut futura aliquo modo, ex eo quod nullatenus habent rationem talium, sed Deum fore fallendum, si illa cognosceret, ut aliquo modo futura : alioqui non addidisset : *præscivit potius non futura.*

Tum etiam ex eodem lib. 1. de Anima cap. 12. citato : ubi semel impugnata hac scientia ex illo priori capite jam dicto, non sistit ibi; sed ulterius etiam pergit ad evertendam illam ex hoc secundo. Quia nimirum prædicta scientia, ut asserebatur a Semipelagianis, et Pelagianis, nempe ut antecedens decretum divinæ voluntatis, atque adeo in ratione scientiæ mediæ, quæ in hoc consistit, non est amittenda. Et ita addidit : *Quid quod ipsa exinanitur omnino præscientia, si quod præscitur, non erit ? Quomodo enim recte dicitur præsciri futurum, quod non erit futurum ?* Ubi ex defectu objecti scibilis in illo priori, quia nimirum nullam tunc penitus habet futuri rationem, colligit August. exinaniri omnino præscientiam, seu reddi nullam.

Confirmatur primo August.

35 Confirmatur primo, ex eodem Divo Augustino libro 26. contra Faustum cap. 4. Ubi illud solum ponit esse futurum, quod Deus de facto facit esse futurum; non vero illud, quod de se esset futurum, sed Deus fecit ne fieret. Et ita inquit : *Si audiam quod aliquid futurum erat, sed Deus fecit ne fieret, fidissime respondebo, illud potius futurum erat, quod Deus fecit, non illud, quod si futurum esset, hoc fecisset : nam Deus, quod facturus erat utique sciebat, et ideo simul sciebat illud futurum non fuisse, quod ne fieret facturus erat.* Ubi aperte Divus August. affirmat futuritionem rerum ex Dei factura pendere, non autem antecedere voluntatem

ejus, ac proinde in prædictis verbis impugnat etiam hanc scientiam mediam ex defectu sui objecti : ex eo quod ante decretum efficax, sive absolutum, sive conditionatum divinæ voluntatis, et per consequens antequam Deus faciat aliquod esse futurum sive absolute, sive conditionate, nihil habet rationem futuri, adhuc sub conditione.

Confirmatur secundo.

36 Confirmatur secundo ex eodem Divo Augustino libro de Dono perseverantiæ cap. 17. Ubi loquens de initio fidei nostræ, et de aliis operibus bonis ad salutem æternam conducentibus, inquit : *Si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur a Deo :* ac proinde sentit non esse præscibilia a Deo ante suum decretum, nec habere rationem futurorum antecedenter ad illud : quia non stat illa præscibilia esse in illo priori, et non præsciri a Deo. Et propterea Augustin. sæpe inquit, quod si prædestinavit utique præscivit ; quæ vero non prædestinavit bona, non præscivit. Ubi aperte rejicit scientiam, antecedentem decretum divinæ voluntatis, seu (quod idem est) scientiam mediam, seu conditionatam, ab adversariis adductam, et non solum abusum ejus (ut ipsi loquuntur) siquidem in prædictis verbis non ex eo illam evertit, quia ex bonis operibus prævisis sub conditione, nunquam tamen reipsa præstitis, moveatur Deus ad præmiandum ; sed quia si non est prædictum decretum divinæ voluntatis, atque adeo antecedenter ad illud, non potest Deus habere præscientiam infallibilem talium operum.

Additamentum.

Adde, quod ut disputatione 11. numero 14. et sequentibus dicemus, hoc ipso, quod Deus prævideat, ante decretum efficax suæ voluntatis conditionatum, bona, vel mala opera eo modo, quo ab authoribus scientiæ mediæ dicitur, non potest aliquo modo moveri ad prædestinandum, vel reprobandum ex prædictis operibus.

Alia solutio adversariorum.

37 Ex quo etiam manet impugnata secunda solutio adversariorum, nempe Divum Augustinum in hoc testimonio libri primi de Prædestinatione Sanctorum, capite 14. quod in hac prima probatione expendimus, et elucidamus, solum negare præscientiam absolutam, seu visionis, non autem conditionatam, seu scientiam mediam. Quia minime negat Deum futura illa conditionata præscire ; sed præscire ea, ut absolute, et omnino proxime futura. Ac tandem tantum negare vocandam esse præscientiam ; non vero, quod revera Deus habeat de illis scientiam. Quia præscientia dicit habitudinem ad id, quod aliquando absolute habiturum est *esse* ; secus vero scientia : ac proinde, ut in prima solutione dicebatur, solum respuere scientiam istam quoad abusum ejus, nimirum quoad hoc, quod Deus puniat, vel præmiet propter bona opera conditionata, ut per hanc scientiam prævisa.

Hanc autem solutionem confirmant adversarii ex eo, quod si Divus Augustinus exclusisset illa conditionnata a divina scientia, ita ut absolute negaret scientiam mediam, et conditionatam, etiam contradiceret discipulis D. Thomæ, qui admittunt Deum scire futura illa conditionata post suum decretum.

Impugnatur.

Ex dictis igitur solutio hæc impugnata manet : quandoquidem, ut vidimus, ex eo D. Augustin. docet non præsciri a Deo hæc futura ante decretum efficax suæ voluntatis, et per consequens per scientiam mediam, quia scientia ejus falli nequit ; et falleretur si præsciret ut futurum, quod revera tunc non est futurum. Hæc autem ratio (ut constat) et ea, quæ in ejus confirmationem adduximus, non solum probant negari a Divo Augustino præscientiam, sed etiam scientiam talium futurorum ; quæ voce duntaxat in ejus sententia, non autem reipsa habent veram rationem futuri infallibilis.

Additamentum primum.

38 Adde primo, quod nec Pelagiani, nec Semipelagiani, contra quos ibi disputat August. asserebant Deum habere præscientiam absolutam bonorum, vel malorum operum, quæ in ætate adulta patraturi erant illi, qui ante eandem ætatem præmatura morte rapti sunt ; quinimmo nulli posset id in mentem venire, cum evidens sit talia futura non esse absolute talia, sed solum conditionata : ergo cum D. August. impugnat scientiam illorum futurorum, ab his hæreticis admissam, ex eo, quod non potest sciri certo, et infallibiliter id, quod sic futurum non est ; tunc aut omnino extra rem fuit locutus, aut impugnavit expresse scientiam illam conditionatam, et mediam : quam ipsi hæretici (licet quoad hoc non hæretice) adstruebant.

Additamentum secundum.

Adde secundo, et explicabitur magis hoc ipsum. Quoniam non videtur dignum Augustino, ut disputans contra hos hæreticos, et denegans absolute hanc præscientiam, solum per hanc denegationem intenderit, quod illa scientia non sit vocanda præscientia, ut docent adversarii. Quid enim curaret Pelagianus, quod non appellaretur præscientia ? si in Deo erat vera scientia de operibus

ribus illis bonis, vel malis, tanquam de futuris infallibiliter sub conditione ? et ita integrum erat Deo uti prædicta scientia ad tribuendam, vel denegandam gratiam, sicut si esset, aut vocaretur præscientia : ergo si mens Divi Augustini erat concludere contra hos hæreticos, non esse in Deo præscientiam talium futurorum, debuit etiam ipsam rationem scientiæ, non vero solum nomen præscientiæ denegare.

Additamentum ultimum.

Adde tertio, quod si semel tribuitur Deo ratio scientiæ respectu horum futurorum conditionatorum, et antecedenter ad decretum efficax divinæ voluntatis, non est cur nomen præscientiæ ei denegetur. Et ita idem Augustinus eam scientiam, quam Deus habuit de conversione Tyriorum, et Sidoniorum futura sub conditione, et post decretum efficax, et conditionatum suæ divinæ voluntatis, ut ex eodem Augustino numero 26. vidimus, nuncupat præscientiam, et prævisionem : lib. de Dono persev. cap. 9. et 11. ut adversarii etiam fatentur.

Evasio.

39 Nec refert, si cum Arrubal, qui hanc secundam solutionem disputatione 44. sequitur, et priorem impugnat, dicas D. Augustinum scientiam illam vocare præscientiam improprie dictam, quatenus antecedit actum divinæ voluntatis, non quatenus duratione præcedit rem cognitam : quod quidem desideratur ad rationem præscientiæ proprie dictæ, quodque non invenitur in prædictis futuris conditionatis : ex eo, quod nunquam habebunt veram durationem : sicut nec verum *esse*.

Non rejicitur.

Non itaque hoc refert. Nam contra hoc est, quod si licuit Divo Augustino scientiam illam vocare præscientiam improprie dictam, cur etiam non licuisset Pelagianis uti nomine præscientiæ in hac acceptione ? aut unde constat, quod nomen præscientiæ usurparunt, secundum quod dicit scientiam antecedentem duratione rem cognitam, habentem aliquando veram durationem ? cum id Augustin. non dicat : nec potuerit eis in mentem venire, quod futura illa, quæ tantum ab ipsis fatebantur sub conditione futura, nunquam vero absolute ponenda, essent aliquando reipsa habitura durationem : ac proinde nec potuerunt uti nomine præscientiæ respectu horum futurorum, secundum quod præscientia dicit scientiam, duratione antecedentem rem aliquam, quæ aliquando revera duratura sit.

Ad illud, quod Suarez adducit.

40 Nec favet Francisco Suarez id, quod pro se adducit ad tuendam hanc solutionem, nimirum, quod si D. Augustinus absolute excluderet illa conditionata a scientia Dei media, id est, antecedente divinum decretum efficax, etiam contradiceret Thomistis, admittentibus Deum scire illa post decretum suum.

Non itaque hoc ei favet, ut ex se constare videtur. Quia mens August. tantum erat, Deum non cognoscere conditionata ista ante suum decretum : ex eo, quod Pelagiani non admittebant scientiam de illis futuris, quæ sequeretur post decretum Dei, et illud non antecederet. Nam si hanc admitterent, evacuabatur eorum sententia, qua asserebant gratiam dari ex meritis : siquidem illud decretum præveniebat omnia merita, et omnem voluntatem nostram, etiam conditionate futuram : ac proinde scientia, quæ sequeretur ad hoc decretum, cognosceret id, quod Deus prædiffinisset, non autem aliquid, quod ex parte nostra gratiam antecederet. Unde concesso hoc decreto cum August. et Thomistis, evacuatur error Pelagii, et non militat ratio August. Quoniam non exinanitur præscientia, si Deus cognoscit, ut infallibiliter, et sub conditione futurum id, quod ipse prius diffinivit, hoc modo fore : hoc autem decreto negato exinanitur divina præscientia, et militat August. ratio : siquidem præscitur ut futurum ex parte nostra id, quod non erit futurum, adhuc sub conditione, ante prælictum decretum, ut ex eodem August. diximus.

§ III.

Eadem August. mens alio egregio ipsius testimonio explicatur.

Animadversio.

41 Secundum testimonium habetur apud Augustin. eodem lib. 1. de Prædestinatione Sanctorum cap. 9. ut autem ejus vis melius capiatur, notandum est, de hac eadem quæstione, circa quam versamur, consultum fuisse Augustinum a Divo Prospero in epistola ejus ad eundem Augnstin. quæ habetur ante libros de Prædestinatione Sanctorum. Nam cum Semipelagiani assererent Deum habere decretum, quo constituerit neminem salvum fieri, nisi per sacramentum Baptismi, et ad hoc sacramentum universos homines vocasse, ut qui velint, fiant filii Dei; qui autem noluerint, sint inexcusabiles, et ita indiscriminatim voluerit, quantum est ex parte Dei, omnes salvos fieri, admittebant voluntatem quandam inefficacem salutis om-

nium, non tamen efficacem ante prævisionem operum in statu conditionato, quæ quis in tali, vel tali occasione, si sic, vel sic vocaretur, patraturus erat. Quoniam per tale decretum sentiebant, ut testatur Divus Prosper epistola citata, auferri libertatem arbitrii.

Unde licet admitterent decretum, seu propositum efficax Dei innixum præscientiæ, seu dependens, et subsequens præscientiam, non tamen præscientiam innixam proposito efficaci, seu præscientiam supponentem prædictum propositum, ut aliquo modo rationem cognoscendi. Et propterea asserebant ideo ex parvulis non pervenientibus ad ætatem adultam, quosdam obire sine Baptismo, et non salvari; quosdam vero cum Baptismo, et salvos fieri; quia prævidebat Deus ante omne decretum, quid boni, vel mali actuari essent, si ad ætatem adultam pervenirent : et illis, de quibus præscivit bonam vitam acturos, decrevit largiri gratiam Baptismi, et æternam salutem; secus vero aliis : ut hac via salvarent, quod decretum efficax innitatur præscientiæ, non vero e contra.

42 Cum igitur Semipelagiani hæc constanter assererent, propterea Divus Prosper inter alias quæstiones, quas Divo Augustino explanandas proposuit, fuit hæc, quam modo discutimus, quamque his verbis expressit : *Utrum præscientia Dei ita secundum propositum maneat, ut ea ipsa, quæ sunt proposita, sint accipienda præscita? an per genera causarum, et species personarum ista varientur? ut quia diversæ sunt vocationes in iis, qui nihil operaturi salvantur, quasi solum Dei propositum videatur existere : in iis autem, qui aliquid boni acturi sunt per præscientiam, possit stare propositum. An vero uniformiter, licet dividi præscientia a proposito temporali distinctione non possit, præscientia tamen quodam ordine sit subnixa proposito : et sicut nihil sit quorumcunque negotiorum, quod non scientia divina prævenerit, ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non Deo auctore defluxerit.*

Ubi, ut vides, expresse Sanctus Prosper hanc eandem quæstionem, quam modo discutimus, proponit Divo Augustino explicandam : an nimirum propositum, seu decretum divinum, et efficax præeat, et sit aliquo modo ratio sciendi infallibiliter futura illa conditionata; ita quod infallibilitas præscientiæ innitatur prædicto proposito, seu decreto? An vero e contra infallibilitas divini decreti habeat inniti alicui præscientiæ, quæ ipsum antecedat? ut liquet ex illis verbis : *Utrum per præscientiam possit stare propositum* (id est, infallibilitatem habere) *an vero uniformiter* (id est, in omnibus) *præscientia sit subnixa proposito* (id est, consequens ad decretum, et propositum Dei)? Cumque nomine scientiæ mediæ, et conditionatæ (de cujus possibilitate in hoc dubio inquirimus) intelligatur scientia attingens futura sub statu conditionato, antecedens ad divinum decretum efficax, ac proinde, quæ non innitatur illi, aut ad illud consequatur, sed potius efficacia decreti innitatur huic præscientiæ, quatenus nullum futurum contingens ab arbitrio creato eliciendum, potest Deus efficaciter prædiffinire, nisi prius prævideat, quid arbitrium illud, si sic, vel sic vocaretur in hac, vel illa dispositione, ageret, vel non ageret, consequens est, ut hanc eandem quæstionem, quam modo agitamus, objecerit Prosper Augustino explicandam : et per consequens reipsa inquisierit, an scientia media, et conditionata sit juxta ipsius mentem admittenda?

43 Nec solum D. Prosper, sed etiam Divus Hilarius Arelatensis in epistola missa ad Augustinum, quæ habetur ante librum ejus de Prædestinatione Sanctorum, proposuit hanc eandem difficultatem Augustino explicandam : ubi narrat qualiter Massilienses adstruebant, præscientiam conditionatam futurorum operum nostrorum non posse non præire decretum efficax Dei de eisdem operibus, ne alias lædatur libertas arbitrii creati, et addit Massilienses hunc suum dicendi modum corroborare ex dictis ejusdemmet Divi Augustini, in libris ante scriptis, quale est illud in libro de sex quæstionibus contra Porphyrium, tunc voluisse apparere Christum Dominum, et apud eos prædicare doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat futuros esse, qui in eum crederent, si eis prædicaretur Evangelium. Verba autem Hilarii, quibus alloquitur Augustinum, hæc sunt : *Cum autem dicitur eis quare aliis, vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, etc. Dicunt id præscientiæ esse divinæ, ut eo tempore, et ibi, et illis veritas annunciaretur, vel enuncietur, quando, et ubi prænoscebatur esse credenda. Et hoc non solum aliorum catholicorum testimoniis, sed etiam sanctitatis tuæ testimoniis disputatione antiquiore se probare testantur, ut est illud, quod dixit sanctitas tua in quæstione contra Porphyrium, de tempore Christianæ religionis,*

religionis, tunc voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse, qui in eum essent crediturі.

Secundum, et elegans testimonium August.

44 His ergo suppositis, aperitur mens Augustini eleganti testimonio ex loco citato de Prædestinatione Sanctorum desumpto, quo huic quæstioni, et objectioni depromptæ ex opusculo ipsius contra Porphyrium sic respondet : *Illud autem, quod in opusculo meo quodam contra Porphyrium sub titulo, de tempore religionis Christianæ me dixisse recolitis, ita dixi, ut hanc diligentiorem, et operosiorem disputationem de gratia præterirem, etc.* Et postquam de verbo ad verbum recitavit id, quod in illo opusculo asseruerat, addidit : *Cernitis me sine præjudicio latentis consilii Dei, aliarumque causarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Pelagianorum infidelitati qui hanc objecerant quæstionem, sufficere videtur? Quid enim verius, quam præscisse Christum, qui, et quando, et quibus in locis in eum fuerant crediturі? Sed utrum prædicato sibi Christo a se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere, ac disserere tunc necessarium non putavi. Proinde quod dixi, tunc voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse qui in eum erant crediturі, posset etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso, ante mundi constitutionem. Sed quoniam si ita diceretur, lectorem faceret intentum ad ea requirenda, quæ nunc ex admonitione Pelagiani erroris necesse est copiosius, et laboriosius disputari, visum mihi est, quod tunc satis erat, breviter esse dicendum, excepta (ut dixi) altitudine sapientiæ, et scientiæ Dei, et sine præjudicio aliarum causarum, de quibus non tunc, sed alias opportunius disputandum putavi.*

Primum, quod in hoc testimonio expendendum.

In quo testimonio tria peculiariter expendenda sunt. Primum est, quod Augustinus explicans id, quod dixerat in quæstionibus contra Porphyrium, scilicet, *tunc voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse, qui in eum erant crediturі,* inquit : *Hoc sine præjudicio latentis consilii Dei, et excepta altitudine sapientiæ, et scientiæ ejus se dicere voluisse,* id est, sine præjudicio divini consilii involventis, sive præsupponentis decretum efficax, saltim per modum intentionis divinæ voluntatis, quo efficaciter præfinivit futurum illud sub conditione.

Ratio hujus.

45 Et ratio est, Nam usitata phrasis erat apud Augustinum, et ejus discipulos adversus Pelagianos, et Semipelagianos explicare nomine latentis consilii Dei, et altitudinis sapientiæ, et scientiæ ejus, divinam præscientiam, et consilia præsupponentia decretum efficax voluntatis Dei, ante prævisionem quorumcunque futurorum contingentium, et subsecuta ad prædictum decretum ; ex eo, quod si Deus post prævisionem consensus futuri sub conditione, si hic, vel ille vocarentur ad fidem in hac, vel illa occasione, decernit, quod iste credat, et ille non credat ; tunc non esset quoad hoc latens consilium Dei, neque esset aliqua altitudo sapientiæ, et scientiæ ejus, si ex pluribus vocatis hic credat, et ille non credat, et sic de aliis. Nam tunc facillimo negotio posset assignari ratio divini consilii, sapientiæ, et scientiæ, si dicatur ideo trahere hos ad fidem, non vero illos, quia isti voluerunt credere, non vero illi. Et ita non esset quoad hoc latens consilium Dei, neque aliqua altitudo ab humano ingenio investigabilis in scientia, et sapientia ejus contra illud Apostoli : *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus !*

Unde August. et ejus discipuli, ut se opponerent his hæriticis, et denotarent Deum non eligere ad fidem, nec decernere consensum voluntatis creatæ post prævisionem ejusdem consensus, sub conditione futuri ; sed ante prædictam prævisionem etiam sub conditione futuram, et ob altissimos et occultissimos fines, et ob inscrutabilia judicia ejus decernere efficaciter, quod hic convertatur ad fidem, secus vero ille, vel absolute, vel sub conditione ; propterea divina consilia, et divinam scientiam, de prædictis futuris nuncupabant nomine consilii latentis Dei, et altitudinis sapientiæ, et scientiæ divinæ, et eadem consilia esse investigabiles vias Domini, et judicia veritatis dicebant, existimantes non esse sanarum mentium, consilium istud latens Dei reprehendere, et quod ex opposito superbe judicia Dei penetrabilia esse asseruntur : ac tandem, quod secundum sententiam Pelagianorum, non erit latens consilium Dei, nec etiam manebit occulta ratio divinæ voluntatis.

46 Et ita Divus Prosper ad excerpta

Genuensium, in responsione ad dub. 4. impugnans sententiam Pelagianorum reprehendentium hunc modum alta de Deo, et scientia ejus sentiendi, ac proinde asserentium, futurum esse, quod isti crederent; secus vero illi, non præsupposito divino decreto (quam etiam esse sententiam eorundem Pelagian. docuit August. lib. de Prædestin. cap. 18.) sic ait: *Non est ergo sanarum mentium ista reprehendere : et investigabiles vias Domini, hoc est, dona misericordiæ, et judicia veritatis, Pelagianorum elationi penetrabilia deputare. Quia secundum ipsos non latet consilium Dei, nec in occulto est divinæ ratio voluntatis.*

Quod etiam confirmavit D. Prosper lib. 1. de vocatione Gentium cap. 25. his verbis: *Contra omnem elationem de libero arbitrio gloriantem, illam invictissimam reniti sententiam Apostoli dicentis : Quis enim te discernit? aut quid habes, quod non accepisti?* Ex quo colligit : *Igitur profunditas illius quæstionis, quam secundum admirationem Apostoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrii velle, et nolle non solvitur : quia licet insit homini bonum velle, et nolle, tamen nisi donatum non habet bonum velle.*

Quare in idem redit, juxta August. phrasin, quod ipse dixerit se de præscientia Dei respectu illius fidei futuræ illorum hominum tali loco, et tempore, si Evangelium eis annunciaretur, locutum fuisse sine præjudicio latentis consilii Dei, et excepta altitudine sapientiæ, et scientiæ Dei; atque asserere, se fuisse locutum de præscientia Dei præsupponente divinum decretum efficax conversionis ad fidem illorum hominum, si tali loco, et tempore, etc. ad fidem vocarentur. Nam si dixisset, Deum habere præscientiam illius fidei futuræ, si eis annunciaretur Evangelium, ita ut hæc præscientia præcederet decretum efficax, tunc irrogasset injuriam latenti consilio Dei, et altitudini sapientiæ, et scientiæ ejus : siquidem tunc non esset inscrutabile a nobis, cur ex pluribus vocatis ad fidem istos traheret, non tamen illos?

Secundum, quod in prædicto testimonio expenditur.

47 Secundum vero, quod in hoc testimonio expendi debet, est, quod apud Semipelagianos, imo etiam apud Augustinum, idem erat dicere, quod habemus fidem a nobis, et non a Deo donante; ac asserere, quod presciebat Deus tantummodo fidem nostram, non autem prædestinabat, id est, decreto suo non prædefiniebat, et non qualicunque, sed præveniente efficaciter nostram voluntatem. Nam concursum concomitantem, etiam in illa præscientia Dei, non negabant isti hæretici, dicente Prospero in epistola sæpe citata : *Quod gratiam comitem, non præviam humanorum volunt esse meritorum.*

Imo etiam Pelagius, et Cœlestius, qui gratiam ex meritis operum nostrorum dari asserebant, non excludebant in talibus operibus nostris concursum Dei gratuitum concomitantem, ut patet ex August. lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 19 ubi sic ait : *Dixisti in bono opere a Dei gratia semper adjuvari, tanquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressus in ipso jam opere divinitus adjuvetur.* Quare cum apud August. et omnes Patres certum sit, nos non habere fidem a nobis, sed Deo donante, certum etiam erit apud eundem August. et alios Patres, Deum non præscire tantummodo fidem nostram, id est, ante decretum suum efficax illam præcognoscere; sed etiam eam prædistinare, seu decreto suo efficaci illam ante ejus prævisionem præfinire : siquidem, ut nuper dicebamus, idem est apud Augustinum, quod habemus fidem a nobis, et non a Deo donante; ac asserere Deum illam tantum præscire, et non diffinire decreto suo efficaci. Et propterea dixit idem Sanctus Doctor in hoc testimonio, quod expendimus : *Sed utrum prædicato sibi Christo a se ipsis habituri essent fidem? an Deo donante sumpturi? id est, utrum tantummodo eos præscierit? an etiam prædestinaverit Deus? etc.*

48 Unde idem Augustinus lib. de Correctione, et gratia cap. 12. ut explicaret quomodo illa promissio, qua Deus Abrahæ promisit filios spirituales per gratiam, et fidem, non inniteretur in præscientia futuri consensus, sed in efficacia divinæ potentiæ, et decreti, usus est hoc modo loquendi; nimirum, quod non eos promisit, quia præscivit a se ipsis bonos futuros, alioqui non suum, sed quod eorum erat, promisisset; sed et e contra promissionem illam inniti in efficacia divini decreti, et quod id ita Abraham credidit, cujus loquendi modi nulla alia est ratio, nisi quia ut nuper vidimus, apud Augustinum, idem est Deum tantum præscire, et non antea prædestinare, seu non præfinire fidem alicujus; et quod ille, qui credit, habeat prædictam fidem a se.

Verba autem Augustini hoc ipsum dilucide explicantia sunt hæc : *Neque enim propterea*

pterea eos promisit Abrahæ, quia præscivit a se ipsis bonos futuros. Nam si ita est, non suum, sed eorum est, quod promisit. Non autem sic credidit Abraham, sed non est infirmatus in fide dans gloriam Deo, et plenissime credens, quia quæ promisit Deus, potens est et facere. Non ait, quæ præscivit potens est promittere. Quod etiam docuit lib. 1. de Prædestinatione Sanctorum cap. 10. ubi explicans hanc eamdem promissionem, inquit : *Non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit* : si autem prius prævidisset, quam prædestinasset, utique de nostræ voluntatis potestate id promisisset, ut etiam constat ex iis, quæ dubio præced. a num. 13. usque ad num. 23. diximus.

Ultimum, quod in eodem testimonio restat, ponderandum.

49 Tertium tandem, quod in hoc testimonio ex lib. 1. de Prædest. Sanct. expendi debet, est, quod apud August. idem est dicere, Deum præscire aliquod futurum liberum, quando sciebat, et ubi sciebat esse faciendum; ac dicere, quod præscit, quod ipse elegerat ante mundi constitutionem. Et propterea subdit in eodem capite, in quo habetur hoc idem testimonium, quod expendimus : *Prædestinatione Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus. Unde dictum est, fecit, quæ futura sunt,* id est, fecit esse futura, quæ futura sunt, eo modo, quo futura sunt.

Unde ob hanc rationem August. explicans in hoc testimonio id, quod ipse docuerat contra Porphyrium inquit : *Proinde quod dixi tunc voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat esse, qui in eum fuerant crediturí, posset etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem.* Quia cum absolute dicitur, Deum præscire aliquod futurum contingens, semper intelligitur, juxta eumdem S. Doctorem, sine præjudicio latentis consilii, et altitudinis sapientiæ, et scientiæ ejus; id est, sine præjudicio divinæ præfinitionis antecedentis, et efficacis, ut ex eodem August. dicebamus : et ita in idem redit dicere, Deum præscisse, qui essent, qui in eum erant tunc crediturí, si eis prædicaretur Evangelium; ac asserere, Deum præscisse, qui erant, qui præfiniti fuerant crediturí, si prædicatio Evangelii illis fieret.

Evasio junioris.

50 Ex quo etiam fit, nullius esse momenti solutionem cujusdam Junioris asserentis August. hic non loqui de futuris conditionatis, sed de futuris absolutis, quæ videntur per scientiam visionis, et supponit decretum efficax Dei, innixum tamen divinæ præscientiæ conditionatæ.

Rejicitur primo.

Ex dictis igitur hæc evasio præcluditur. Tum quia, ut constat ex Epistola D. Prosperi, et Hilarii, requisitus fuit ab ipsis de cognitione futurorum conditionatorum, et peculiarius, ac expressius a Prospero, an præscientia innitatur proposito? an vero e contra proposito præscientiæ? Si autem August. non fuisset locutus de futuris conditionatis, non occurrisset interrogationi horum Patrum, quod tamen tunc intendebat.

Impugnatur ulterius.

Tum etiam : quia Semipelagiani, quorum est istud argumentum, cui August. occurrit, non dicebant, dari causam electionis horum, præ illis ex præscientia bonorum operum absolute futurorum, quæque per scientiam visionis videntur ; sed solum ex præscientia eorumdem sub conditione futurorum, ut docet August. eodem lib. cap. 12. et lib. de Dono persev. cap. 9. et sequentibus, et D. Prosper in Epist. ad August. ubi referens præscientiam, quam Massilienses ponebant, inquit : *Futura, quæ non sunt futura confingant, novoque apud illos absurditatis genere et non agenda præscita sint, et præscita non acta sint.* In quibus verbis aperte loquitur de præscientia futurorum quorumdam ab eisdem Massiliensibus confictorum, id est, independentium a proposito, et electione Dei, quæ sit talis conditionis, ut prius sit in Deo, quam prædicta præscientia ; et propterea dicebant, propositum divinum circa prædicta futura subnixum esse huic præscientiæ, nempe conditionate. Nam in præscientia absoluta, quæque simul est scientia visionis, et supponit decretum Dei actu existens in illo, evidens est oppositum contingere. Et ita ex eo, quod ipsi admittebant prædictam scientiam conditionatam, esse id, in quo divinum propositum efficax innitebatur, sumpsit idem Prosper occasionem ad consulendum August. illis verbis supra relatis : *Utrum scilicet per præscientiam possit stare propositum? an vero e contra præscientia illa quodammodo sit subnixa proposito Dei?*

Evertitur tandem.

51 Tum denique. Quia expresse loquitur Augustinus in hoc testimonio, quod expendimus, de hoc futuro conditionato, nempe, quod illi homines crederent, si illis prædicaretur Evangelium : quod quidem licet

postea, posterioritate rationis transierit in absolutum ; attamen ut est sub statu conditionato, secundum quam rationem consideratur, ut exprimitur illis verbis, scilicet, *si his omnibus prædicaretur Evangelium tempore adventus Christi crederent*, habet rationem futuri conditionati, et subest divino decreto efficaci, et conditionato, ut ex iis, quæ in tract. de Volunt. Dei disp. 5. num. 73. dicemus, patebit, et pertinet juxta adversarios ad scientiam conditionatam, per modum futuri conditionati : non quidem quatenus futurum conditionatum exprimit futurum talis rationis, ut ejus conditio numquam purificetur ; sed prout ambit quod vis conditionatum, sive postea transeat in absolutum, sive non; et ita aiunt, quodvis futurum absolutum, ut sub statu conditionato præit se ipsum sub statu absoluto, pertinere ad hanc scientiam mediam.

Objectio. 52 Nec tandem obest, si dicas, quod illa verba August. nimirum : *Posse etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse, qui electi fuerant ab ipso ante mundi constitutionem.* Videtur necessario intelligi de electione absoluta, seu de decreto absoluto, de quo locus ille Pauli solet intelligi : et ideo Augustimun solum loqui de scientia futurorum absolutorum.

Enodatio. Non itaque hoc obest. Quoniam usitatum est apud August. ut constat ex aliquibus locis in dubio hoc citatis, nomine prædestinationis, et electionis intelligere decretum efficax Dei de quavis re bona præfinita. Et ita licet locus ille Pauli soleat etiam intelligi de electione absoluta, et non qualicumque, sed ad æternam beatitudinem non est contra hunc intelligendi modum, quod etiam intelligatur ratione materiæ, cui applicatur, de electione conditionata, ad aliquod opus bonum ; quia media hac electione prævidit Deus, qui essent tunc in eum crediturі, si eis prædicaretur Evangelium in adventu Christi Domini ; maxime quia August. inquit verba hæc in hac objectione relata, non continere sententiam diversam ab ea, quam in quæstione contra Porphyrium dixerat, quia ibi locutus fuerat sine præjudicio latentis consilii divini, id est, decreti ex se, et ex propriis meritis efficacis, ut dictum est. Quare cum sententia contenta in verbis contra Porphyrium, sit circa hoc futurum conditionatum, si Christus veniret tali tempore, et appareret his hominibus, eisque prædicaretur Evangelium, crederent, ac proinde ob hanc causam eadem sententia abutebantur hæretici ad suum errorem confirmandum ; consequens est, ut etiam sententia hæc in ista objectione relata, et ex eodem August. desumpta, etiam de futuris conditionatis debeat intelligi ; quamvis eademmet futura postea posterioritate rationis transirent in absoluta.

Additamentum 53 Adde, quod adhuc gratis dato, non tamen concesso, Divum Augustinum solum fuisse locutum in hoc testimonio de futuris contingentibus absolutis, ita ut hæc solum sint Deo infallibiliter nota, post decretum efficax, et absolutum suæ voluntatis, consequens esset, ut secundum eumdem August. idem dicendum esset, proportione servata, de conditionatis; ita ut non nisi post decretum efficax, et conditionatum Dei possint ab eo certo sciri. Et ratio est aperta : siquidem ab eadem causa, a qua futurum contingens absolutum habet dependentiam, debet etiam futurum contingens, et conditionatum eam habere; et ideo si illud pendet in *esse* futuri absoluti a voluntate ex se, et ex propriis meritis efficaci Dei, antecedente ipsum, et ab eo independente, etiam conditionatum pendebit ab eodem decreto, ex se efficaci, conditionato tamen ex parte objecti ; siquidem sicut ipsa futura solum distinguuntur penes *esse* absolutum, et conditionatum, ita etiam causâ, et efficax Dei decretum in hoc solum possunt distingui ; ac subinde sicut scientia illorum innititur proposito, non tamen e contra ; sic scientia, et infallibilis cognitio horum.

§ IV.

Occurritur testimoniis pro prima sententia adductis.

Ad primum. 54 Ad primum respondetur, quod dato D. Augustinum admittere vocationem efficacem (de quo nihil modo, ut ex omni capite decreto Sanctissimi Domini nostri Pauli Quinti pareamus) dicendum est, quod cum idem August. docet, tunc vocationem esse congruam, quando est apta ei, qui vocatur, non ita est intelligendum, quod hæc idoneitas, et congruitas sit aliquid se tenens ex parte nostra; sed aliquid a Deo inspiratum, seu datum, proveniensque ex efficaci proposito Dei. Et propterea hæc vocatio aliquando vocatur congrua, aliquando vero vocatio ex proposito : quia Augustinus, ut ipse se exponit, semper loquitur

tur sine præjudicio latentis consilii Dei, id est, propositi divini ex se efficacis, ut num. 45. dicebamus.

Unde idem Sanctus Doctor explicans hanc idoneitatem in fine illius quæstionis, sic inquit : *Quis animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? aut quis habet potestatem, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, aut delectet cum occurrerit? cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, et præbetur gratia Dei, non nutu nostro, et industria, vel operum meritis comparatur : quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur.* Sed de hoc testimonio, et pleniori ejus intelligentia, alibi, Deo dante, dicetur.

Ad secundum.

55 Ex quo etiam ad secundum respondetur, quod adhuc data illa suppositione nuper dicta, circa mentem Divi Augustini (de qua nihil modo) tunc consequenter dicendum est, eos, qui habent illud munus intelligentiæ, non prævideri motos ad fidem infallibiliter, nisi audiant congrua verba, vel signa : quod vero congrua sint, dependet ex proposito efficaci Dei.

Nec contra hoc aliquid probat id, quod ad expensionem ejusdem testimonii ibidem adducitur, nimirum, quod si illa veritas oriretur ex efficaci Dei proposito, tunc non dixisset Augustinus, habere aliquos divinum munus intelligentiæ, etc. sed id de omnibus affirmandum esset : siquidem non stat, Deum aliquid efficaciter decernere, et simul oppositum fieri.

Non itaque hoc aliquid probat. Quia licet omnes, circa quos est prædictum decretum, habeant divinum illud munus intelligentiæ, etc. attamen, quia ii, circa quos est tale decretum, non sunt omnes, qui vocantur, sed circa aliquos datur hoc decretum, circa aliquos vero non; propterea licet omnes, circa quos est decretum illud, habeant divinum munus intelligentiæ; nihilominus non omnes simpliciter eo gaudent, sed aliqui, quamvis isti aliqui sint omnes, circa quos divinum decretum versatur.

Animadversio valde recolenda.

56 Cæterum quia aliquando Divus Augustinus, et alii Patres absolute proferunt, Deum præscire prædicta futura contingentia conditionata, et aliquoties non faciunt expressam mentionem divini decreti conditionati, propterea per modum regulæ universalis tenendum est, eos loqui sine præjudicio latentis consilii Dei, et altitudinis divinæ scientiæ, et sapientiæ : quo pacto Augustinum locutum fuisse ex eodem vidimus. Quam regulam adhuc expressius, et generalius adhibuit idem Divus Augustinus libro de Domo perseverantiæ cap. 18. his verbis : *Aliquando prædestinatio significatur nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus : Non repulit Dominus plebem suam, quam præscivit. Hoc quod ait (præscivit) non recte intelligitur, nisi prædestinavit; sed prædestinasse, est hoc præscivisse, quod fuerat ipse facturus, Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos legimus Dei præscientiam, et agitur de vocatione electorum, eamdem prædestinationem intelligere?* Hucusque August. cujus verba, tanquam universalis regula tenenda sunt, ut quoties nomen præscientiæ repertum fuerit, et mentio fiat de vocatione electorum, vel de quolibet bono effectu efficaciter, et infallibiliter futuro (eadem enim utrobique est ratio, ut intuenti patebit) per præscientiam semper intelligatur prædestinatio, id est, quoad præsens attinet, præfinitio, seu decretum efficax Dei, quod ex propriis meritis sit tale, sive ille effectus sit efficaciter futurus sub conditione, sive sine illa.

57 Diximus : *Et mentio fiat quolibet bono effectu efficaciter, et infallibiliter futuro* : non quidem quia ad opera prava non detur decretum efficax Dei permissivum eorum, quoad malitiam : et insuper decretum, quo velit, et efficaciter præfiniat illa quoad substantiam actus, in quibus decretis sive virtualiter, sive ex parte nostri modi concipiendi distinctis, prædicta opera mala a Deo, modo supra insinuato, cognoscuntur; sed quia D. Augustinus in prædictis verbis solum meminerit de effectibus bonis; quamvis ex eis colligatur idem quoad opera mala, proportione tamen servata, esse dicendum.

Evasio.

Nec refert, si dicas satis esse ad hoc dari decretum objective futurum, et quod decretum hoc prævideatur a Deo fore, si voluntas consentiat.

Eversio.

Nam contra hoc satis urgent omnia illa, quæ in disp. 7. a num. 48. usque num. 75. diximus, et etiam quod nomine prædestinationis, quam hic nomine præscientiæ intelligit D. Augustinus, non potest commode decretum objective solummodo præsens intelligi, ut ex se patet.

DUBIUM III.

Utrum vel juxta principia Adversariorum, vel absolute, et simpliciter loquendo, colligatur ex effectibus doctrinæ D. Augustini, vel ex aliis signis, quod juxta ejus mentem, sit rejicienda scientia media, sive conditionata?

Animadversio.

58 Quia auctoritas Divi Augustini (ut in præcedenti dubio tetigimus) licet ubique magna, nullibi tamen major est, quam dum de divina gratia, et aliis ad eam spectantibus, qualis est admissio, vel rejectio scientiæ mediæ, de qua in præsenti loquimur, discutit : et propterea Patres Concilii Palæstini, Africani, Arausicani, et Milevitani sententiam ejusdem Divi Augustini exquisierunt, et amplexi sunt, Divusque Hilarius, et Prosper indivulse eidem adhæserunt, ut ex Epistolis utriusque constat, ac tandem omnes Patres ad Augustinum subsecuti, mentem illius venerati sunt, et cuncti Theologi uniformiter in hac parte palmam ipsi deferunt, ut docte, et late probat Alvarez lib. 1. de auxiliis disput. 5. et Suarez lib. 1. de Grat. prol. 6. cap. 6. idcirco quamvis mentem Augustini ex testimonis illius immediate desumptam præcedenti dubio aperuimus, placuit sigillatim in hoc dubio eandem mentem aliunde ex aliquibus signis, et indiciis, seu effectibus indagare, ut ita res hæc melius, et magis radicitus peragatur.

Cur dubium hoc peculiariter excitetur.

Ratio autem, ob quam ad hoc peculiariter excitamur, est. Quia August. sæpissime de hac materia in suis operibus sermonem instituit, utpote cum recens, et veteranus Episcopus cum Pelagianis, Semipelagianis, et cum reliquiis Pelagianorum decertaverit, et quotidie se ipso doctior factus in suis posterioribus, ac postremis scriptis aliqua, quæ in prioribus non satis clare dixerat, explicuerit. Et ideo vix dici potest, quanta testimoniorum multitudo pro utraque parte hujus controversiæ adducatur, et multo minus significari queit, quot modis testimonia utrimque allata elidi curentur : ita ut nisi ex professo in suo fonte, et una cum contextu eorumdem inspiciantur, non possit mens D. Augustini, inter adeo densam interpretationum, expositionum, et evasionum, solutionumque silvam deprehendi : quia hinc inde Augustinus sonat, et resonat, utrimque Augustinus occurrit : cumque Augustinus, Augustino obviam eat, nequit illius facies, nisi attente inspecta dignosci.

59 Unde licet in præcedenti dubio faciem, et verba Augustini inspiciendo ea in se ipsis attente contemplati fuerimus; nihilominus ne aliquando Augustinus non ita cognitus, et in se, suisque scriptis visus, videatur oppositum resonare, ideo aliam hic superaddimus viam, qua mentem Augustini semel jam inventam, iterum tam arguendo ad hominem contra Adversarios, quam absolute, et simpliciter loquando invenire possimus. Hæc autem nulla est alia, quam illa, quæ dici solet ab effectibus, seu quasi effectibus, sive a posteriori.

Quare effectus, aut quasi effectus Augustinianæ doctrinæ circa efficaciam divinæ voluntatis, et decretorum ejus, necnon circa certitudinem divinæ prædestinationis, et reprobationis diligenter inquirendi, et perpendendi a nobis sunt, et ex antiquitatis thesauro in medium proferendi, ut ex eis optatam Augustini mentem, ac sententiam in hac celebri de scientia media controversia, atque adeo veram ejus resolutionem eruere possimus

§ I.

Decisio Dubii, quoad ejus primam partem.

Assertio prior.

60 Dicendum ergo est primo, ex effectibus Augustinianæ doctrinæ (si semel vera sunt ea, quæ Adversarii ex propriis suæ sententiæ principiis circa scientiam mediam docent) valde credibiliter, et cum magna certitudine colligi, quod juxta mentem ipsius, omnino rejicienda est scientia media, sive conditionata, seu quæ sit in Deo ante decretum, ex se efficax, et conditionatum suæ voluntatis.

Animadversio ad rationem pro assertione.

Assertio hæc non aliter melius suadebitur, quam ex iis, quæ Hilarius, Prosper, et Fulgentius de doctrina Augustini ad eumdem, vel ad alios scripserunt : quæ tomo septimo operum ejusdem August. habentur. Ex eis enim constat, quinam fuerint effectus, qui ex doctrina Augustini, non quidem ob defectum ipsius, sed per accidens, et occasione ex illa desumpta, subsecuti fuerint. Etenim, ut ex citatis Epistolis apertissime liquet, doctrina Augustini talis fuit, ut ex ea plures viri graves, et docti, quos ibidem Prosper claros, et egregios appellat, turbati, (licet immerito) fuerint, et in negandæ humanæ libertatis periculum magnum se conjecerint. Et ideo Prosper in sua Epistola ad eumdem August. asserit,

Pelagianorum

Pelagianorum reliquias ex doctrina illius sumpsisse occasionem dicendi, sub prædestinationis nomine induci fatalem necessitatem. Et Hilarius ad Augustinum scribens, ita ait : *Verbis sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant quamdam desperationem hominibus exhiberi.*

Ratio illius.

61 Hinc ergo sequens pro assertione ratio deducitur. Quoniam incredibile est, ut ad periculum, et desperationem istam sumerent occasionem ex doctrina, humanum arbitrium valde, ac perspicue, et clarissime extollente, quin potius est evidenter credibile eam sumpsisse ex doctrina, opposita omnino via procedente, taliterque efficaciam divinæ voluntatis, et absolutam prædestinationis, et decretorum ejus infallibilitatem, et certitudinem, ante prævisum consensum arbitrii creati commendante, ut prædictum arbitrium everti, et omnimoda necessitas induci videretur : at doctrina, per quam traditur scientia media, antecedens ad libera decreta divinæ voluntatis ; et certitudinem prædestinationis, quæque sit talis conditionis, ut nisi Deus per illam prævideat, quid humana voluntas in tali, vel tali occasione operatura sit, nequeat, salva ejus libertate, aliquid absolute decernere, vel aliquem prædestinare, vel reprobare : multum, seu, ut melius dicamus, quantum excogitari possit, favet (juxta Adversariorum sententiam, et ea, quæ de scientia media tradunt) libertati creatæ, eamque omnino clare, et cum maxima perspicuitate reddit illæsam : e contra vero doctrina denegans hanc scientiam mediam, et ponens decreta de se efficacia divinæ voluntatis, per quæ ante prævisionem cujuslibet consensus creati, Deus efficaciter decernat, et prædiffiniat prædictum consensum, et reprobet, aut prædestinet, quos sibi placuerit, valde commendat certitudinem divinæ prædestinationis, et efficaciam, quam ex se, et ab intrinseco habet divina voluntas, cum quodam saltim apparenti humanæ libertatis præjudicio, ut Adversarii fatentur : ergo si vera sunt, quæ idem Adversarii circa scientiam mediam docent, tunc signum valde urgens est, doctrinam, ex qua viri illi, de quibus Hilarius, et Prosper, ita turbati sunt, et in prædictum periculum inciderunt, non esse eam, quæ scientiam mediam adstruit ; sed illam, quæ ipsam negat, quæque decreta ex se efficacia ante prævisum consensum libertatis creatæ, admittit : ac proinde signum etiam valde efficax erit, doctrinam Augustini, ex qua isti, teste Hilario, et Prospero, sumpserunt occasionem jam dictam, non esse eam, quæ scientiam mediam admittit, et negat decreta Dei ex se efficacia ante prævisum consensum libertatis creatæ, sed potius oppositam.

Confirmatur primo.

62 Confirmatur primo. Quia doctrina opposita, tradens scientiam mediam, talis est, ut per eam liberum arbitrium suam libertatem vindicasse, expeditum que omnino relinqui, ejus auctores glorianter proclament : siquidem juxta illam, ut fere omnes Adversarii fatentur, non poterit Deus aliquid circa consensum liberum, ut talem voluntatis creatæ efficaciter decernere, nisi (ut sic dicamus) expectet, quid prædicta voluntas, si in hac, vel illa occasione ponatur, ex sua libertate operatura sit ; et hoc per scientiam mediam prævideatur ; ita ut non aliud, nec aliter circa prædictum consensum a Deo prædiffiniri possit, nisi id, quod per hanc scientiam prævisum est, et eo modo, quo prævisum fuit a creata voluntate, juxta ipsius libertatem, proditurum. Quod quidem juxta Adversariorum sententiam valde, et cum maxima perspicuitate, cuique obvia, libertati creatæ favet. E contra vero doctrina negans prædictam scientiam mediam, talis est, ut per eam liberum arbitrium ligari, et omnino everti, necessitatemque ex absoluta, et omnino ex se efficaci voluntate Dei, ei imponi, Adversarii, quamdiu eis licuit, sæpissime affirmarint ; ergo dici nequit, Augustinianam doctrinam doctrinæ oppositæ suffragari ; quin potius valde certum erit, ipsi omnino adversari, et cum doctrina Thomistica, quam defendimus, coincidere.

Consequentia patet. Tum quia Augustinus non leve vitæ, et magnum famæ, et honoris periculum ob illam doctrinam, quam tunc tradidit, subiit. Quis autem poterit sibi re bene inspecta persuadere, Augustinum potuisse (si vera sunt, quæ Adversarii circa scientiam mediam docent) odium vitæ, et honoris tanquam humanæ libertatis eversorem pati, si ejus doctrina eadem, aut similis esset illi, quam auctores ejusdem scientiæ mediæ, ea mediante in favorem humanæ libertatis tradunt ? per quam, ut ipsi proclamant, humani arbitrii libertas omnino clare, et cum perspicuitate patentissima, expedita, et soluta manet. Tum etiam, propter illa, quæ nuper innuebamus. Quia si doctrina Augustini similis esset ei, quam opposita sententia tradit, tunc præ-

dicti illi viri, (qui teste Hilario, et Prospero fuerunt clari, et egregii, tantæque auctoritatis, ut hi duo Patres ad illis contradicendum se insufficientes existimaverint : et ideo ad Augustinum recurrerint) non solum de fide suspecti, sed manifeste insani, et stulti prædicandi essent : siquidem ex doctrina adeo clare, et aperte juxta Adversariorum dictum, commendante humani arbitrii libertatem, ut ea cuique obviam esset, sumpserunt occasionem ad sentiendum, prædictam libertatem perverti, et desperationis periculum induci.

63 Quæ omnia prævidit, et ingenue fassus est primus ille, ut ipse credit, scientiæ mediæ Patronus Molina, in sua prima concordia Olysipponensi, typis mandata : quamvis postea experimento cernens, quantum inde suæ sententiæ præjudicium sequeretur, id in Lugdunensi impressione subticuerit. Et licet plurimi alii ex Adversariis, quasi coacervatis viribus contendant, doctrinam hanc de scientia media, ab ipsis traditam, Augustinianam esse ; tamen ex multis, quos vidimus, et quotidie emergentes videmus, nullus a nobis inventus est, qui plane asserat, Augustinum cum Pelagianis, eorumque reliquiis pro gratia Dei disserentem, et cum libertate creata eam conciliare nitentem, usum fuisse scientia media : verentur enim, et merito (ut credimus) ne præclaros illos viros, de quibus Prosper mentionem fecit, qui D. Augustini doctrina tanquam libertatis destructrice turbati sunt, et in periculum jam dictum se conjecerunt, non jam protervos, sed insanos, et stultos Divi Augustini accusatores, et calumniatores constituant.

Confirmatur secundo.

64 Confirmatur, et explicatur secundo prædictus discursus, comparando effectus subsecutos ex Augustiniana doctrina, et ex illa, quæ scientiam mediam tollit, et absolutas prædiffinitiones omnium effectuum futurorum admittit ; ita ut Deus nequeat aliquid cognoscere, ut futurum, sive absolute, sive conditionate, nisi post decretum ex se efficax, sive absolutum, sive conditionatum suæ voluntatis. Quoniam effectus ex Augustiniana, circa hoc, doctrina subsecutus, fuit duplex. Primus ille, quem modo tetigimus, scilicet, quod viri illi clari, et egregii (ut loquitur Prosper supra relatus) ex Augustiniana doctrina scandalum passi sunt, desperationisque periculum subiere, et adversus illam tanquam humanæ libertatis evertricem insurgentes, de Augustino conqueri cœperunt : et nisi pontificum Romanorum auctoritate pro Augustini doctrina deterrerentur, adhuc gravius in ipsam insurgerent.

Secundus vero, quod Massilienses absolutam, et antecedentem electionem, quæ non dependeret a consensu creato, et præviso per hanc scientiam mediam perhorrescentes, cum audirent, eam esse doctrinam Augustini, turbati sunt : et anxie contenderunt adhuc vivente ipso Augustino, congestis aliquibus ejus, et aliorum testimoniis, ipsum, et alios ex catholicis pro opposita sententia stare : ut testatur Prosper, qui hoc ad Augustinum loco citato scribens, inquit : *Et hoc non solum aliorum Catholicorum testimoniis, sed etiam sanctitatis tuæ antiquiori disputatione se probare testantur* : at prædicti effectus ex doctrina denegante scientiam mediam, et admittente prædiffinitiones absolutas, et ex se efficaces, ac proinde solum admittente in Deo scientiam futurorum post efficax decretum suæ voluntatis subsecuti sunt ; ergo signum est, doctrinam istam, denegantem scientiam mediam esse conformem doctrinæ D. Augustini, et oppositam, esse illi adversam. Consequentia videtur cum magna credibilitate, et certitudine ex duabus præmissis sequi. Major autem constat ex iis, quæ ex D. Prospero retulimus.

65 Minor vero, quoad primam partem, scilicet quoad primum effectum, probatur. Nam Molina, qui hac nostra tempestate scientiam mediam primus prælo mandavit, et alii insignes Theologi ipsum secuti, ex doctrina denegante prædictam scientiam, et solum ponente in Deo scientiam futurorum post determinationem ex se efficacem suæ voluntatis, ac proinde commendante absolutam divinæ prædestinationis certitudinem, scandalum passi sunt, et contra eam insurrexerunt, incessanterque insurgunt : et quamdiu per Pontificum decreta non fuit eis prohibitum, illam tamquam libertatis humanæ evertricem damnarunt : et nisi Pontificio decreto postea prohiberentur, adhuc gravius, quantum licite fieri posset, contra illam insurgerent.

Quoad secundam vero partem, nempe quoad secundum effectum eadem minor explicatur, et suadetur. Nam quidam ex Adversariis acerbe, ac dure ferentes hanc doctrinam, quæ absolutam, et antecedentem electionem,

electionem, absolutaque, et antecedentia decreta constituit, et scientiam mediam e medio tollit, antiquorum Theologorum præsertim ex Thomistica familia auctoritate muniri, aliquos etiam ex ipsis ad contrariam sententiam pertrahere anxie contenderunt, ut dub. ultimo dicemus. Omnes vero (ut id obiter dicamus) summopere dolentes de eo, quod ipsis objiciebatur, nempe Augustinum pro doctrina negante scientiam mediam stare; oppositam sententiam multis ejus testimoniis (intentum tamen non suadentibus, ut dub. præcedenti vidimus) congestis se probare testantur; ergo, etc.

§ II.

Resolutio dubii, quoad secundam ejus partem.

Posterior assertio cum sua prima probatione.

66 Dicendum est secundo, ex effectibus doctrinæ Augustini, et ex aliis signis satis colligi, ipsum absolute, et simpliciter loquendo contra scientiam mediam stare. Assertionem hanc probat ratio pro præcedenti facta, et in hunc modum expensa. Nam Prosper referens turbationem, qua præclari illi viri ex doctrina Augustini turbati sunt, inquit, eos proclamasse removeri omnem industriam, tolli virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, et hoc sub prædestinationis nomine, prævenientis scilicet nostras voluntates, fatalem quandam inducere necessitatem; ergo doctrina illa Augustini, ex qua hujus turbationis occasionem desumpserunt, erat doctrina admittens decreta ex se efficacia ante consensum voluntatis humanæ, non vero doctrina tradens scientiam mediam ad conciliandam efficaciam gratiæ cum prædicta libertate.

Consequentia quoad primam partem patet. Quoniam si illa constitutio Dei non esset efficax ex se, sed redderetur efficax ratione consensus humani, non esset constitutio Dei humanas præveniens voluntates, quæ fatalem quandam inducere necessitatem videretur, ut ex se constat. Quoad secundam vero etiam liquet. Quoniam scientia media non prævenit humanas voluntates, sed potius ad illas subsequitur, siquidem hæc scientia est pure speculativa: et non ideo consensus voluntatis humanæ est futurus, quia per hanc scientiam sic prævidetur: sed potius, quia sic est futurus, ideo per illam prævidetur.

Annotatio prior pro secunda probatione assertionis.

67 Secundo probatur eadem assertio, prænotando tamen prius tria. Primum est, quod cum primo Molina librum suum de concordia gratiæ cum libero arbitrio, in lucem edidit, in quo novum scientiæ mediæ nomen, et peculiarem ratione illius modum conciliandi efficaciam divinarum prædiffinitionum cum libertate creata, typis mandavit, statim apud Summum Pontificem juridice accusatus est, et licet de aliis delatus fuerit, de eis tamen in præsenti (ut omni ex capite decreto Sanctissimi Domini nostri Pauli Quinti pareamus) nihil prorsus dicemus; sed solum de eo, quod circa scientiam mediam ab eodem Molina typis mandatam, contigit.

Igitur delata causa ad Clementem VIII. designati ab ipso fuerunt triginta ad minus gravissimi viri, inter quos alii Cardinales, alii Episcopi, alii Regulares erant, ut omnes hi, eodem Summo Pontifice pro tribunali sedente, tanquam consiliarii, et testes assisterent; cumque negotium per aliquot sessiones sic protractum, et tractatum fuisset, ut argumenta e ratione petita, similesque responsiones in medium adducerentur, compertumque esset, nihil hac via concludi, quia dialecticis, et metaphysicis terminis, ac distinctionibus omnia obscura, et incerta reddebantur, decrevit (Spiritu Sancto, ut par est credere, suggerente) Clemens Summus Pontifex, ne deinceps causa hæc Catholica rationibus a lumine naturali per naturales scientias subministratis, tractaretur; sed solis divi Augustini, et Divi Thomæ testimoniis, utpote non aliunde, quam ex limpidissimis sacræ Scripturæ, traditionum, Conciliorum, et Sanctorum Patrum fontibus desumptis, aut ex illis recte deductis. Alienum enim a Christiana gravitate judicavit, ut Christiana dogmata ab extraneis principiis, qualia sunt Dialectica, philosophica, et Metaphysica; sed solum ex propriis, et divinis, qualia sunt sacra Scriptura, traditiones, Concilia, Patrumque testimonia primo deducerentur. Et sic in subsequentibus sessionibus, quæ multæ, et celebres fuerunt, constanter observatum fuit.

Secunda annotatio.

68 Secundo notandum est, quod cum facto hoc decreto Patres Societatis se rationibus naturalibus destitui, et ad sola testimonia D. Augustini, et fidelissimi ejus discipuli Divi Thomæ Aquinatis astringi cernerent, coacti sunt eo se convertere, ut niterentur ostendere scientiam mediam esse de mente utriusque Sancti Doctoris, quamvis Molina

in suo libro (pro cujus doctrina defendenda convenerant) ingenue fateatur oppositum, nempe prædictam scientiam mediam non esse de mente D. Augustini, sed ei ignotam. Et ita deinceps anxie curaverunt, prædictam scientiam mediam, et efficaciam divinarum prædiffinitionum per illam regulandam, Divo Augustino, et Angelico Doctori fuisse notissimam; multoties assertam, et clarissime traditam, aut saltim non esse doctrinæ horum Patrum contrariam, aut dissonam.

Unde summo studio (ut par erat) plurima, et diversa testimonia Divi Augustini, et D. Thomæ in medium toto illo non parum longo, ut jam dicemus, tempore, coram Summo Pontifice, et triginta gravissimis viris jam dictis, pro scientia media protulerunt. Et credibile valde est, testimonia selectiora, et quæ in omnibus operibus utriusque Sancti Doctoris possunt reperiri, ab eis oblata esse, et eximio ingenii acumine ad intentum probandum deducta, expensa, et ponderata fuisse. Quoniam ad id ex Patribus Societatis designati fuerunt gravissimi, et doctissimi Theologi, maximoque ingenii acumine pollentes, inter quos præcipuus fuit P. Gregorius de Valentia, vir eruditissimus, et in Sanctorum Patrum lectione valde versatus, ut egregia ejus opera in totam summam Divi Thomæ satis testantur. Cui ut socii dati sunt eximii alii Theologi ex eadem Societate, ut Pater Petrus Arrubal, Pater Vastida, Pater Salas, et alii, quotidieque ad illum mittebantur, ut fas erat, tum manuscripti, tum etiam impressi de hac materia codices ab eminentibus Theologis, quibus sacra Societas tunc efflorebat, semperque floruit, et florebit, accurate compositi.

Sicut etiam ex opposita parte plura etiam egregia Augustini, et Angelici Doctoris testimonia adducta sunt; quia ad hoc eximii, et gravissimi Theologi ex Dominicana familia destinati fuerunt, inter quos astiterunt P. Frater Thomas de Lemos vir maxima sapientia præditus, et in doctrina D. Augustini, et D. Thomæ insigniter versatus, quem Magistri Frater Franciscus de Avila, et Frater Johannes Gonzales insignes Theologi, comitati sunt, quos alii non inferiores, quibus Dominicana familia semper abundat, tum viva voce, tum scriptis fovebant: et ex toto ordine, præsertim ex Hispania, ubi primum controversia hæc exorta est, multa, et doctissima manuscripta ab aliis peritissimis Magistris mittebantur.

Tertia annotatio.

69 Tertio notandum est, quod unaquaque parte hinc inde pro se allegante, et diversa D. Augustini, et Angelici Doctoris testimonia in sui favorem proferente, longum, diuturnumque tempus in hujus causæ discussione, probatione, et (ut sic dicamus) litis contestatione consumptum est. Nam circa hoc habitæ sunt quamplures cessiones sub utroque Summo Pontifice Clem. VIII. et Paulo V. adstantibus triginta illis gravissimis viris, et ex omnibus illis, uno, vel altero excepto, cuncti alii eam sententiam protulerunt: nimirum, nec Augustinum, nec Doctorem Angelicum ulla ratione docuisse scientiam mediam, seu conditionatam, per quam Deus prævideat consensum, v. gr. voluntatis humanæ, ut infallibiliter futurum, antequam actu habeat decretum efficax de illius futuritione; sed potius utrumque Doctorem Sanctum prædictæ scientiæ refragari, et absolutas præfinitiones Dei independenter a prædicta scientia, et salva libertate creata docuisse.

Quæ omnia non ex proprio Marte adinvenimus, sed ea a viris gravissimis omni exceptione majoribus: de quorum veritate nulla suspicio suboriri cordate potest, accepimus. Quia tamen oppositus rumor ab aliquibus sparsus fuit, propterea, ut omnis deceptionis morale periculum, quantum in hac parte fieri potest, fugeremus, in Romana curia peculiarem diligentiam et sollicitudinem ad hoc examinandum adhiberi curavimus: et diligentia ista adhibita comperimus, rem ita se habere, sicut a gravissimis illis viris acceperamus, idque Romæ novissime testatus est insignis quidam Theologus, qui omnibus congregationibus a nobis recensitis attentissime interfuit, et cuncta in eis acta diligenter notavit, et ne oblivione delerentur, illa scriptis fideliter commisit, quippe non solum maxima sapientia, sed egregiis virtutibus adeo floruit, ut post suum obitum plura ediderit miracula, et ut ejus testimonium adhuc firmius, et omni exceptione majus maneat, testamur, virum istum gravissimum octo diebus ante suum obitum, et antequam in morbum, quo vitam finivit, incidisset ac proinde dum in sacra Theologia, et sanctitate maxime vigebat, ea, quæ diximus, ingenue falsum esse.

Et ideo his, quæ diximus, standum est, quia in hisrebus, in quibus non tam de jure,

jure, quam de facto ipso agitur, in quibusque de evidentia facti, adhibita sufficienti diligentia, non potest certitudine metaphysica constare (ut in præsenti post adhibitam a nobis maximam diligentiam contigit) non potest aliunde prudens judicium humanum (quidquid sit coram Deo de re ipsa hominibus evidenter non nota) nisi ex moralibus conjecturis, ut ex testimoniis virorum gravissimorum omni exceptione majorum, sive ocularium testium desumi.

Ratio secundæ assertionis.

70 Ex quibus omnibus sequens deducitur ratio. Quoniam, difficillimum creditu est triginta illos viros adeo gravissimos, una cum Summo Pontifice ita intente, et per longum tempus, per totque sessiones, omni passione (ut par est de prædictis viris credere) semota; et hinc illinc expensis, selectioribus Augustini testimoniis pro utraque parte, non solum ea expensione, quæ ab eximiis Theologis, utriusque sententiæ partem gerentibus, eisdem testimoniis adhibebatur; sed etiam addendo eis sæpe novas vires ex majori expensione, quæ unicuique ex his triginta viris pro sui ingenii acumine, et scientia occurrere poterat : difficillimum ergo creditu est triginta hos gravissimos viros simul cum Summo Pontifice sic indagasse mentem August. quoad scientiam hanc mediam, et quod nihilominus eam assecuti non fuerint; at omnes illi, uno, vel altero excepto, convenerunt una cum Summo Pontifice non esse dandam prædictam scientiam mediam : ergo signum valde urgens est, Augustinum non approbasse; sed potius reprobasse prædictam scientiam.

Confirmatur primo.

71 Confirmatur, et explicatur. Quoniam si viri isti, qui ut consiliarii, et testes, una cum Summo Pontifice assistebant, essent numero pauci, posset forte aliqua suspicio suboriri, an nimirum mentem August. caluissent? et licet non fuissent numero pauci, si tamen hinc inde inter illos dissensio fuisset, ita ut magna eorum pars staret pro scientia media, juxta mentem August. alia vero aliquantulum major refragaretur prædictæ scientiæ, asserens, eam esse contra ejusdem August. mentem, tunc posset aliquis merito, et cordate dubitare, an illi, an vero isti mentem Augustini, quoad hoc attigissent.

Deinde licet prædicti consiliarii, contra scientiam mediam, uno, vel altero excepto, convenerint : si tamen essent ex Dominicana familia, aut ex Societate Jesu; forte alicui (licet immerito) videretur non esse eis tantam fidem, quoad hoc adhibendam : ex eo, quod unusquisque multoties solet judicare pro ea parte, pro qua affectus est. Et similiter si Doctores isti non evolvissent August. summa diligentia seu per se, seu per alios, nimirum per eximios illos Theologos supra memoratos, tam ex Societate, quam ex Dominicana familia, qui ad hoc destinati erant, quique omni sollicitudine moraliter possibili, ut par erat, selectiora Aug. testimonia in sui favorem iterum, atque iterum ea expendendo, et ponderando proposuerunt, tunc posset forte alicui videri non ita certo huic sententiæ tantorum virorum standum esse, ex eo, quod non omnino causa examinata fuisset, sed superesset unicuique ex partibus litigantibus aliquid aliud majoris momenti, quam illa, quæ adducta sunt, allegandum; quodque examinandum restaret : at viri illi una cum Summo Pontifice assistentes non numero pauci, sed satis magno pertingenti, nimirum ad minus usque ad numerum trigesimum erant : nec magna eorum pars pro scientia media, juxta August. mentem, et alia adhuc major contra illam, et juxta eamdem S. Doct. mentem stetit, sed omnes illi, uno, vel altero excepto, eam August. refragari senserunt, nec deinde ex Dominicana, aut Jesuitana familia, uno, seu altero dempto erant, ac tandem causam, examinatis omnibus, seu selectioribus testimoniis, quæ pro utraque parte adhiberi poterant, judicarunt, ut ex dictis constat : ergo non est unde sententia ab eisdem lata inficiari possit : ac proinde difficillimum creditu erit, eos mentem Augustini, quoad hoc non attigisse : et per consequens dicendum procul dubio est, scientiam illam mediam jam dictam refragari Augustino, ut ipsi senserunt.

Confirmatur secundo.

72 Confirmantur prædicta omnia, ex eo quod aliqui viri docti, et religiosi (quos Lectores Theologiæ Salmanticæ, et Compluti in suis Collegiis agnovimus, et consuluimus) nobis ingenue aperuerunt, se aliquando scientiæ mediæ addictos, ejusque (ut sic loquamur) odore imbutos, coloreque affectos, lectioni Augustinianæ ex professo vacasse; ut ex ipso, tanquam ex fonte mentem ejus haurirent, ipsiusque testimoniis scientiam illam mediam confirmarent; ex prædicta tamen lectione manifeste agnovisse Augustinum prædictæ scientiæ valde adversari, et pro opposita sententia stare. Et ideo antiquam illam sententiam de scientia media, quam ipsi imbuerant, deposuisse,

aliamque ei oppositam, quam antea respuebant, amplexatos fuisse : quia manifeste cernebant, hanc, et non illam ubique Augustinum profiteri.

DUBIUM IV.

Utrum juxta mentem Angelici Doctoris ex testimoniis ejus desumptam, sit danda in Deo scientia media, sive conditionata.

73 Quia Augustinus, et Thomas sunt duo Ecclesiæ lumina, mediis quibus vera Theologia nobis effulget, propterea postquam explicuimus, quid de possibilitate scientiæ mediæ, juxta August. mentem dicendum sit, oportet, ut explicemus, quid de hoc ipso, juxta Angelici Doct. mentem debeat sentiri. Consulto autem in titulo non utcumque de mente D. Thom. sed de mente ipsius ex testimoniis ejus desumpta, et (ut sic dicamus) a priori probata inquirimus. Nam sicut mentem August. in duplici dubio, in uno quidem veluti a priori, in alio vero, quasi a posteriori venati sumus, sic hoc ipsum, circa Angelici Doctoris mentem, præstare curabimus.

§ I.

Sententia affirmativa.

Primum fundamentum.

Partem affirmantem tuentur Suarez prolog. 2. de scientia conditionata cap. 6. Herice tractatu 1. in 1. part. disp. 7. cap. 6. et alii ex junioribus. Probatur primo. Nam D. Thom. 3. part. quæst. 1. art. 3. ad 4. inquit : prædestinationem supponere præscientiam futurorum; hæc autem præscientia, quam prædestinatio supponit, nequit in via S. Doctoris esse alia, præter scientiam mediam; ergo, etc. Minor probatur. Quoniam præscientia absoluta futurorum potius sequitur ad prædestinationem, juxta sententiam D. Thom. infra quæst. 23. et communem discipulorum ejus viam.

Secundum.

74 Secundo. Nam idem Sanctus Doctor in quæst. prædicta art. 2. et 6. ut redderet rationem decreti, quod Deus habuit, ut Incarnatio neque statim in initio mundi executioni mandaretur, nec usque in finem ejus differretur, inquit : eam desumendam esse ex præscientia futurorum effectuum liberorum, qui essent in humano genere, si aliquo ex illis extremis temporibus Christus carnem assumeret, vel non sumeret : at hæc scientia non potest esse alia, nisi scientia media, sive conditionata : ergo, etc.

Minor probatur. Quia prædictæ scientiæ convenit id, quod est proprium scientiæ mediæ, nempe intelligi ante decretum de tempore futuræ Incarnationis, a quo prædicti effectus si executioni mandarentur, penderent; et terminari ad effectus conditionatos : et ita multi ex illis effectibus de facto non evenerunt : quia conditio non est impleta, ut quod fides esset abolenda in mundo, si differretur Incarnatio, usque ad finem ipsius : quod tamen postea non contigit, ex defectu impletionis conditionis.

Tertium.

75 Tertio probatur ex eodem D. Thom. quæst. 24. de verit. art. 14. ubi inquit : *Omnes autem exteriores motus a divina providentia moderantur, secundum quod ipse judicat aliquem esse excitandum ad bonum his, vel illis actionibus.* In quibus verbis loquitur S. Doct. de judicio illo Dei, quo noscit voluntatem excitandam ad bonum, per quodque ipsam gubernat, ut excitetur : hoc vero judicium non esse præscientiam absolutam excitationis, constat ex eo, quod præscientia absoluta supponit decretum excitandi : at judicium, ut congrue excitetur, et dirigatur voluntas humana, præcedit decretum, siquidem per illud Deus voluntati suæ proponit, quo pacto congrue voluntas humana ab ipso gubernanda sit, ut postmodum per decretum, id exequatur : ergo talis præscientia erit præscientia conditionata, cujus proprium est anteire decretum, et versari circa futura.

Quartum.

76 Quarto probatur ex eodem D. Thom. 3. part. quæst. 1. art. 5. ad 2. ubi inquirens, cur incarnatio Christi tali tempore, et non antea fuerit facta? affert primo responsionem quandam Augustini epistola 49. de 6. quæstionibus Paganorum, quæst. 2. scilicet, tunc voluisse apparere Christum, quando sciebat, et ubi sciebat, qui in eum essent crediturí. Quam responsionem reprobat idem August. lib. 1. de Dono perseverant. cap. 9. exemplo Tyriorum, et Sidoniorum, qui in eum crediturí erant : et tamen noluit eis Christus prædicare, noluitque illo tempore apparere : ubi Augustinus aliam tradit solutionem in eodem lib. capit. 11. quam probat etiam D. Thom. scilicet : *Quod non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, qui iis, quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis crediturós, quibus voluit, subvenit : aliis autem non subvenit, de quibus in sua prædestinatione, occulte quidem, sed juste aliud judicavit :* ergo sentit

tit D. Thom. cum August. ante decretum efficax subveniendi, et prædestinandi, prævidisse Deum aliquos credituros suis miraculis, si apud eos fierent, et non ex vi decreti : quia adhuc tunc non intelligebatur decretum illud prædestinationis, ad subveniendum : ergo antecedenter ad decretum Dei datur in eo præscientia de futuro conditionato.

Quinta. 77 Ultimo. Quia D. Thom. 2. 2. quæst. 174. art. 1, et quæst. 12. de Verit. art. 10. distinguens prophetiam prædestinationis, et præscientiæ, docet, quod utraque prophetia respicit futurum : sed impletio earum fit dupliciter. Uno modo ex sola operatione divina, ut conceptio Christi, et suscitatio Lazari : et secundum hoc est prophetia prædestinationis : quia, ut ait Damascen. lib. 2. fidei cap. 3. ea, quæ Deus prædestinat, non sunt in nobis. Quædam vero explentur operatione aliarum causarum, sive naturalium, sive voluntariarum : et hæc in quantum complentur per alias causas, non sunt prædestinata, sunt tamen præscita : unde horum dicitur esse prophetia, secundum præscientiam : ergo sentit D. Thom. quod ea futura, quæ non pendent a solo Deo, sed complentur per alias causas, in quantum sic complentur, non sunt prædestinata, et decreta, seu stabilita per voluntatem Dei. Nam prædestinatio communiter sumpta (ut in præsenti accipitur) et præfinitio in idem coincidunt : ergo cum secundum eundem Angelicum Doctorem, illa sint a Deo præscita, plane fit, quod juxta ejus mentem admittenda est aliqua præscientia futurorum, quæ per nostrum liberum arbitrium compleatur, non fundata in prædiffinitione, et decreto Dei; ac proinde scientia media, quæ in hoc consistit, ut ex dictis constat.

§ II.

Vera sententia.

Assertio. 78 Dicendum tamen est, quod juxta mentem Aug. Doct. ex testimoniis ejus desumptam, nulla ratione admittenda est scientia media, et conditionata, seu quæ inveniatur in Deo, ante decretum efficax suæ voluntatis, et versetur circa res aliquo modo futuras. Ita omnes Doctores, quos in favorem nostræ sententiæ in hac eadem disp. dub. ult. adducemus. Probatur primo ex D. Thom. quæst. 6. de Verit. art. 3. ad 4. ubi cum inquireret, utrum prædestinatio certitudinem habeat, et pro parte negativa sibi in 4. argumento in hæc verba objecisset : *Sed contra omnis certitudo, quæ est cum suppositione alicujus, non est certitudo absoluta, sed conditionalis, sicut non est certum, si Sol causet fructum in planta, nisi cum hac conditione, si virtus generativa in planta fuerit bene disposita, propter hoc quod dispositio Solis ad effectum prædictum, præsupponit virtutem plantæ, quasi causam secundam. Si igitur certitudo prædestinationis sit cum præsuppositione secundæ causæ, non est certitudo absoluta, sed conditionalis tantum : sicut in me est certitudo, quod Socrates movetur, si currit, et quod iste salvabitur, si præparabit se : et ita non est in divina prædestinatione alia certitudo de salvandis, quam in me, quod est absurdum.*

Cum igitur S. Doct. sic sibi objecisset, respondet in hæc verba : *Ad quartum dicendum, quod causa secunda, quam oportet supponere ad inducendum prædestinationis effectum, etiam ordini prædestinationis subjacet : non autem est ita in virtutibus inferioribus respectu alicujus virtutis superioris agentis : et ideo ordo divinæ prædestinationis, quamvis sit cum suppositione voluntatis humanæ, nihilominus tamen absolutam habet certitudinem, etsi in exemplo inducto contrarium appareat.*

In quibus verbis manifesta eversio scientiæ mediæ, sive conditionatæ, juxta S. Doct. continetur. Nam adversarii eam ponentes, nituntur negare absoluta, et efficacia decreta : et tantum admittunt decretum, quod innititur scientiæ conditionatæ, et expectat operationem causæ secundæ. Cæterum D. Thom. ponit absolutam certitudinem in ordine, seu causalitate divinæ prædestinationis, sive decreti causantis. Nam prædestinatio causalitatem importat, ut etiam adversarii fatentur : et ita inquit, quod futura, quæ dependent a causis secundis liberis, qualia sunt effectus prædestinationis, cognoscuntur a scientia Dei per absolutam certitudinem, et absolutum decretum, sine hoc, quod expectet ea, quæ fiunt a causis secundis, ut ibi videat effectus futuros, secundum certitudinem conditionalem antecedentem.

Prima probatio. 79 Secundo probatur. Nam idem S. Doct. in hac quæst. art. 8. ad 1. et locis disp. 5. num. 29. et deinceps citatis, expresse asserit, quod non ideo aliquid Deus præscit, quia est futurum; sed e contra, ideo futurum est, quia Deus illud præscit, scilicet per suam scientiam, adjuncta vo- Secunda

luntate efficaci, ut ibidem diximus : ergo juxta S. Doctorem, ante talem præscientiam, prout habet adjunctam voluntatem efficacem, non potest aliqua futuritio in rebus determinate, et infallibiliter cognosci a Deo : siquidem ante hoc nulla est, juxta hanc doctrinam Divi Thomæ, determinata, et infallibilis futuritio in rebus : ac proinde nequibit dari scientia media, seu conditionata antecedenter ad prædictum decretum, per quam cognoscantur aliqua futura, quippe cum ante illud, nullum sit futurum, quod rationem futuri determinati, et infallibilis habeat.

Tertia. 80 Tertio probatur pluribus, et diversis illis testimoniis D. Thom. quibus disp. 7. et 8. ostendimus, futura absoluta non posse, juxta ipsius mentem, cognosci infallibiliter a Deo ante decretum efficax suæ voluntatis, et præsentiam eorum in æternitate. Nam ut ex eis constat, D. Thom. in ordine ad hanc cognitionem, tantum recurrit ad præsentiam realem ipsorum in æternitate, ubi etiam involvitur efficax decretum Dei de tali præsentia, ut ex se, et ex ibidem dictis patet : et ita ibidem negat, esse possibilem aliquam aliam præsentiam objectivam, ut loco citato expendimus : ex eo quod juxta S. Doctorem, et veritatem ipsam, sicut nullum futurum potest habere *esse* determinatum, et infallibile, nisi vel in se ipso, vel in suis causis, quæ (ut sic dicamus) infallibilitatæ sint in ordine ad productionem talis rei ; ita nullum futurum potest cognosci infallibiliter a Deo, nisi vel in se ipso habeat realiter esse, non quidem in propria duratione, sed in duratione communi, et superexcedente, scilicet in æternitate, vel in suis causis, quæ sint (ut sic loquamur) infallibilitatæ in ordine ad illius productionem : cumque ad infallibilem cognitionem futurorum conditionatorum non possit juxta S. Doctorem recurri, ad præsentiam eorum in æternitate, siquidem juxta illius doctrinam ea solum, quæ in aliqua differentia temporis sunt habitura existentiam , sunt præsentia in illa : nec possit confugi ad præsentiam aliquam objectivam antecedenter ad decretum, siquidem si semel futura absoluta nequeunt habere aliquam præsentiam objectivam ante decretum efficax Dei illis proportionatum , nec eam poterunt habere futura conditionata ante decretum efficax eisdem proportionatum, scilicet conditionatum : fit inde, ut juxta ejusdem Sancti Doctoris mentem, solum possit in ordine ad prædictam cognitionem recurri ad decretum efficax, et sub conditione, quo Deus decernit conditionatam eorundem existentiam.

81 Confirmatur, et explicatur. Nam juxta doctrinam Sancti Doctoris, et omnium Theologorum futura conditionata, nunquam erunt aliquid in se ipsis, licet essent, si poneretur conditio ; et ita nequibunt fundare cognoscibilitatem, secundum *esse* reale, quod habeant in se ipsis : et deinde prout præcise continentur in suis causis secundis proximis, antecedenter ad divinum decretum, non habent *esse* infallibile, nec possunt fundare infallibilem cognitionem, ut ex eodem Sancto Doctore in hoc art. et locis nuper relatis vidimus : ergo solum possunt illam fundare ratione divini decreti efficacis, et infallibilis : quia non superest aliud caput, unde eam fundent, ut ex se, et ex dictis patet. Con firma.

§ III.

Solutiones argumentorum partis affirmantis.

82 Ad primum respondetur, concedendo majorem, et negando minorem. Quia ibi D. Thom. loquitur de futuris absolutis , et de scientia illorum, quale erat originale peccatum , cujus præscientiam prædestinatio Christi, juxta doctrinam Sancti Doctoris, supponit. Et ad probationem in contrarium dicendum est, pro nunc cum Alvarez lib. 1. suarum responsionum cap. 2. duo esse futura ; alia , quæ sunt effectus prædestinationis, v. g. Christi Domini ; alia vero , quæ sunt effectus alterius providentiæ, ut plures ex effectibus naturalibus, qualis est natura humana, et permissio peccati originalis. Unde licet priores effectus , et præscientia eorum non supponantur ad prædestinationem Christi Domini, bene tamen posteriores : attamen neque isti, neque illi possunt, cognosci ut futuri , ante decretum efficax , involutum in prædestinatione Christi , vel illius providentiæ, cujus sunt effectus. A prim

Diximus, *pro nunc :* quia altior explicatio hujus testimonii D. Thom. pendet ex iis , quæ in tract. de Prædestin. et de Incarn. latius a nobis dicenda sunt, quamvis, juxta quamcunque explicationem , semper præscientia futurorum debeat supponere efficax Dei decretum.

83 Ad secundum concedenda est major, et neganda minor. Nam qui essent crediturі de facto, adveniente Christo, potuit a Deo cognosci in decreto prædestinationis A sec du

tinationis ejusdem Christi Domini, modo tamen suo loco explicando : at quod totaliter Dei notitia, et reverentia, ac morum honestas aboleretur, si Incarnatio usque in finem mundi differretur, fuit cognitum a Deo in decreto efficaci, et conditionato, quod circa hoc habuit.

Ad tertium.

84 Ad tertium respondetur primo, D. Thom. intelligendum esse de judicio supponente decretum efficax intentionis finis : quia in doctrina Sancti Doctoris, providentia supponit intentionem finis prædictam.

Alia solutio tertii.

Secundo respondetur, quod cum Angelicus Doctor inquit, omnes exteriores motus a divina providentia moderari, secundum quod ipse judicat, aliquem esse excitandum ad bonum his, vel illis actionibus, loquitur de judicio imperativo, quod est idem ac ipsa providentia, et supponit, tam intentionem finis, quam electionem mediorum, quodque involvit, et quasi infert decretum efficax de executione talis excitationis. Unde falsum est id, quod in eodem argumento additur, scilicet, quod præscientia, de qua ibi loquitur S. Doctor, non est præscientia absoluta : et similiter falsum est id, quod ad hujus probationem ibidem adducitur, scilicet prædictum judicium esse illud, quo Deus voluntati suæ proponit, quo pacto voluntas humana ab ipso gubernanda sit, ut postmodum per decretum id exequatur, si sensus hujus sit, quod judicium, de quo in prædictis verbis D. Thom. loquitur, est ante omne decretum efficax divinæ voluntatis : secus vero si sensus illius fuerit, quod est ante aliquod decretum Dei, scilicet ante decretum, quod correspondet, seclusis imperfectionibus, actui usus nostræ voluntatis, sive illud virtualiter, sive solum ex parte nostri modi concipiendi, a prioribus decretis (de quo alibi) distinguatur. Unde licet Deus per scientiam simplicis intelligentiæ habuerit judicium antecedens ad omne decretum, per quod judicavit possibilitatem hujus excitationis ad bonum his, vel illis actionibus ; attamen judicium quo judicavit talem excitationem ut futuram, quodque est practicum, et causa futuritionis illius, debet subsequi ad decretum efficax divinæ voluntatis, ut dictum est.

Ad quartum.

85 Ad quartum respondetur, verba illa August. et consequenter verba Ang. Doctoris, amplectentis sententiam illius, intelligenda esse, secundum regulam a nobis in hac disp. a num. 44. usque ad 47. et num. 56. adductam, scilicet sive præjudicio latentis consilii, et altitudinis sapientiæ, et scientiæ Dei, sive sine præjudicio divini decreti efficacis. Unde saltim pro nunc dicendum est, quod Deus omnia illa futura, de quibus in hoc argumento sit sermo, cognovit in aliquo ex his decretis, scilicet, vel in decreto Incarnationis, in quo cognovit fidem, ut absolute futuram eorum, qui absolute crediturі erant, postquam reipsa facta est coram eis prædicatio Evangelii Christi, et patratio miraculorum illius, vel in aliis decretis conditionatis, per quæ consideratis illis futuris in statu conditionato, decrevit Deus quosdam credituros, si vidissent miracula Christi ; quosdam vero non credituros, etiamsi illa vidissent. Nec verum est id, quod in hoc argumento dicitur, scilicet non posse fidem absolute futuram eorum, qui reipsa crediturі erant, cognosci in decreto Incarnationis, ex eo quod prædictum decretum est posterius tali fide. Nam, ut ex alibi dictis, et ex dicendis tom. 5. tract. de Incarnat. constabit, decretum de Incarnatione est absolute, et simpliciter prius tali fide, adhuc ut præsente in æternitate.

Ad ultim.

86 Ad ultimum respondetur, quod quando D. Thom. distinguit prophetiam prædestinationis, et præscientiæ, non loquitur de prædestinatione generaliter, prout est idem, quod prædiffinitio, et decretum antecedens circa quamcumque rem : sed stricte pro prædestinatione ejus, quod est a solo Deo, ut ipse se explicat in eodem loco in solutione ad tertium, et quartum. Unde prædestinatio triplici modo sumi potest, scilicet, vel universalissime, prout solum importat hoc, quod est transmitti creaturam in aliquem finem, sive ille sit naturalis, sive supernaturalis, quæ acceptio non est propria, sed abusiva, et larga, ut notat idem S. Doct. infra quæst. 23. art. 2. ad 2. Secundo modo sumitur strictius, prout importat transmissionem solius creaturæ rationalis in finem supernaturalem : et quia ista transmissio fit ex gratia Dei, et gratia est a solo Deo, propterea ut in tractatu 5. disp. 1. explicabimus, dicitur proprie prædestinatio, licet etiam attingat actus nostros liberos, per quos ad illum finem transmittimur. Quo sensu docet idem S. Doct.

quæst. 10. de Veritate art. 10. ad 4. quod meritum nostrum non subjacet prædestinationi Dei, nisi secundum quod est ex gratia, quæ a solo Deo est. Unde id, quod est ex nostro arbitrio, dicitur subesse per accidens prædestinationi.

Ultimo sumitur prædestinatio strictissime pro prædestinatione, seu prædeterminatione ejus, quod a solo Deo fit, et habet necessarium effectum, nulla nostra libertate interveniente : quo pacto docet Ang. Doct. infra quæst. 23. art. 1. ad 1. loqui Damascenum, cum inquit, Deum non prædeterminare ea, quæ sunt in nobis, nempe prædeterminatione, quæ imponat necessitatem. Unde cum Ang. Doct. ait loco illo in argumento adducto, quod aliqua sunt præscita a Deo, quæ non sunt prædestinata, debet intelligi de prædestinatione his duobus ultimis modis sumpta, ut ibidem se explicat; non autem de prædestinatione, primo modo accepta, prout est idem, ac decretum efficax, et antecedens divinæ voluntatis.

DUBIUM V.

Utrum ex aliquibus aliis signis colligatur, quod juxta Divi Thomæ mentem, non sit danda scientia media?

87 Quia mens Divi Augustini, et D. Thom. quoad hanc partem coincidit cum mente aliorum Sanctorum Patrum, qui ad Divum Augustinum subsecuti sunt, ac proinde multum refert mentem utriusque examinare; propterea postquam quid senserit Augustinus, tam (ut sic dicamus) a priori, et a posteriori, et quid Angel. Doctor doceat, jam (ut sic loquimur) a priori examinavimus, oportet ut etiam a posteriori mentem ejusdem Ang. Doctoris venemur, ut ita ex omni capite mens ejus magis perspicua, et clara maneat.

§ I.

Resolutio dubii, et primum ejus fundamentum.

Conclusio, et duplex ejus fundamentum.

Dicendum ergo est, quod juxta Angelici Doctoris mentem, ex aliquibus signis, et a posteriori desumptam, nequit dari scientia media. Prior, et fundamentalis ratio hujus assertionis sumitur ex dictis dub. 3. assertione 2. num. 67. et deinceps. Nam ratio ibidem facta ad ostendendam mentem Augustini circa hoc, probat præsentem assertionem, ut intuenti constabit.

88 Secundo probatur. Quoniam Patres Concil. Trid. non approbarunt, sed potius modo infra dicendo, rejecerunt scientiam mediam : ergo signum est, eam non esse juxta Angelici Doctoris mentem. Antecedens constabit ex iis, quæ dub. sequenti dicemus. Consequentia vero probatur. Quia quidquid in eo Concilio gestum fuit, de quo D. Thom. in suis operibus egit, totum hoc ex S. Doctoris doctrina desumptum est. Et ideo doctrina D. Thom. erat quasi Lydius lapis, ubi verum aurum a falso discernebatur : ita ut ea censeretur vera doctrina, quæ cum Ang. Doctoris mente cohærebat, ab eoque approbabatur ; falsa vero, quæ illi erat dissona, aut ab eo aliquando reprobata est. Quod quidem aperte constat ex oratione illa, quæ ab oratore ejusdem Concilii, coram Patribus in die S. Doctoris habita est, ubi hæc verba habentur : *Non potuit D. Thom. Ecclesiasticis interesse Conciliis morte præventus, verum ecce superstes, atque in æternum victurus vobis adest : bona sua, spiritualis doctrinæ thesauros hæreditario jure vobis delegavit. Nulla proinde ab ejus felici transitu concilia sine sacro Doctore celebrata sunt. Ut enim de cæteris sileam, quod audimus, quod videmus, quod manibus nostris contrectamus : quidni aperta voce ad ejus laudem testemur? vestra comitia perpendite ex plurimo ; eoque honorabili Doctorum cœtu, quotusquisque consultor accedit, qui D. Thom. auctoritate, veluti splendenti gemma suam sententiam non exornet? at in consultissimo Patrum recessu, doctor hic sententiam rogatus, frequentissime censet, ad quem ut ad Lydium lapidem, si quid ambiguitatis, aut controversiæ fuerit exortum, communibus votis referendum existimatis : et qui eum sui placiti patronum obtinuerit, incertam judiciorum aleam non sit habiturus, quin secundum eum sententia ferenda sit.*

§ II.

Fundamentum ultimum veræ sententiæ.

Alii fundamenti

89 Tertio probatur assertio. Nam fidelissimi, et notissimi discipuli D. Thom. tam antiqui, quam juniores, scilicet Dominicani, nunquam hanc scientiam mediam in suo S. Doct. invenerunt, ut quoad antiquos constabit ex dicendis dub. ult. hujus disputationis, et

et quoad juniores constat ex omnibus Dominicanis, qui hac nostra tempestate scripta sua prælo mandarunt, ut Bannez, Navarrete, Nunno, Nazario, Gonzalez, Ripa, Zanardo, Ledesma, Alvarez, et Martinez, et ex omnibus illis, qui in toto orbe publice sacram Theologiam docent : ergo signum est, scientiam hanc non esse, juxta S. Doctoris mentem. Patet consequentia. Quoniam incredibile est, omnes probatos, ac notissimos discipulos, et interpretes Divi Thomæ, qui in ejus verba jurare dicuntur, qui scripta ejus summo animi affectu quotidie evolvunt, conferunt, meditantur, ruminant, et pro assequenda ejus mente assiduo studio vacant, ac lectioni orationes adjungunt, quique adhuc intra domesticos parietes maximo zelo veram D. Thomæ doctrinam zelant, ita ut inter ipsos nemo sine dedecore maximo oppositam aliquo modo tueri auderet, nullibi invenisse, neque a suis majoribus accepisse doctrinam hanc de scientia media, si vere in Sancto Doctore esset ; maxime cum sæpissime eam D. Thom. innueret, aut in medium proferret, si de ejus mente esset : siquidem sæpesæpius, vel (ut melius dicamus) in innumeris materiis se se offerret occasio agendi de illa ; ut in materia de Scientia Dei, de Voluntate, de Prædestinatione, de Incarnatione, de Gratia, de Angelis, et aliis quamplurimis : sicut Adversarii eam admittentes in omnibus his locis, et aliis pluribus ea utuntur, ad plures, et graves difficultates enodandas.

Confirmatur primo.

90 Confirmatur primo. Quia prædicti discipuli D. Thom. non solum asserunt, se non invenisse, neque a suis majoribus accepisse hanc doctrinam de scientia media, sed potius affirmant, oppositam in ejus schola semper viguisse. Et ideo cum primum Molina eam in lucem edidit, non solum illi non suffragati sunt, verum eam coram Summo Pontifice juridice accusarunt : at incredibile est, prædictos D. Thom. discipulos numero, antiquitate, sapientia, religione, aliisque pluribus titulis insignes, Ang. Doct. professionis jure, summo, ac piissimo affectu addictissimos, et in ejus scriptis valde versatos, non solum non invenisse ejus sententiam in hac adeo celebri, totiesque repetita difficultate, verum etiam omnes illos deceptos, et ita allucinatos fuisse, ut veram Divi Thomæ doctrinam apud Pontificem accusarent : ergo, etc.

Confirmatur secundo.

Confirmatur, et explicatur secundo. Nam quoad mentem D. Thom. circa scientiam mediam, potius est adhibenda fides Patribus Dominicanis, quam adversariis : ergo cum illi contra eam aperte stent, signum erit etiam S. Doct. contra eam stare. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem probatur. Quia Patres Dominicani quoties in aliis materiis communiter suam sententiam de mente S. Doct. tradunt, nunquam a vera ejus intelligentia aperte discessisse deprehensi sunt, ac proinde nec in ista discedere, credi debent ; at adversarii multoties solent in aliis materiis pro se afferre D. Thom. cum tamen fere certum sit ipsum pro opposita stare, ut patet in materiis de existentia creata, et distinctione ejus ab essentia ; de principio individuationis ; de intensione, et remissione, et alibi sæpe.

Ultima confirmatio animadversione digna.

91 Confirmatur, et explicatur tandem. Quia Patres Dominicani nulla passione contra adversarios ducti, aut necessitate ab extrinseco (ut aiunt) illata coacti pro se, et contra scientiam mediam D. Thomam adducunt. At vero adversarii, licet non passione contra Dominicanos allecti, necessitate tamen quasi compulsi, doctrinam de scientia media D. Thom. auctoritate fulciunt : ergo potius illis, quam his fides adhibenda est, quoad hoc, quod est, an prædicta scientia sit, vel non sit de mente S. Doctoris ? Consequentia non indiget probatione.

Probatio antecedentis quoad primam partem.

Antecedens autem, quoad primam partem, scilicet quoad Patres Dominicanos sequenti dilemmate ostenditur. Nam cum primo Molina suam scientiam mediam in lucem edidit, vel scientia hæc in schola eorumdem Dominicanorum, seu Thomistarum erat communiter recepta, ut doctrina D. Thom. vel communiter rejecta tanquam aliquid, quod eidem doctrinæ adversaretur ? Primum dici non potest : quia cum prædicti Patres valde (ut per est) gaudeant de incremento et propalatione doctrinæ Angel. Doct. non ita fortiter impugnassent, nec coram Summo Pontifice scientiam istam accusassent, si communi eorum calculo, tanquam Thomistica, tunc habebatur : alioqui non quidem Adversarios, sed potius se ipsos, suamque doctrinam apud Pontificem detulissent, et ita ut insani essent ab eodem rejiciendi ; quippe qui doctrinam illam, quam D. Thomæ esse apud se fatebantur, eandem accusabant.

Si autem secundum dicatur, ergo nulla passione contra Adversarios ducti, prædictam scientiam mediam, ut quid contra D.

Thom. refecerunt. Quæ enim passio reddens Dominicanos minori, quoad hoc fide dignos potest esse in illis, ex eo quod scientiam hanc mediam ab Adversariis publico prælo mandatam rejiciant, tanquam aliquid contra D. Thom. pugnans : cum iidem Dominicani hoc ipsum antea apud se ut certum habuissent? maxime cum Patres Societatis usque ad illa tempora Dominicanorum viam, et doctrinam sectati fuissent, atque adeo incredibile est, quod erga illos non essent ex hoc capite pie (ut par erat) affecti. Sicut etiam ob eandem rationem non apparet aliqua necessitas, ab extrinseco illata, qua coacti doctrinam de scientia media esse contra D. Thom. affirment : siquidem si semel id antea sentiebant, nulla alia necessitate potuerunt ad hoc commoveri, nisi ea, quæ (ut sic dicamus) ab intrinseco oritur, id est, ex eo quod id ipsum in veritate cordis antea sentiebant.

Quoad secundam.

92 Quoad secundam vero partem, scilicet quod Adversarii nulla passione contra Dominicanos ducti scientiam mediam auctoritate D. Thom. fulciant, satis idem antecedens constat. Quoniam, ut intuenti patebit, id est luce meridiana clarius, et oppositum sentire, esset in eadem luce cœcutire : siquidem de viris adeo doctis, gravibus, et religiosissimis nequit talis passio nedum credi, verum nec adhuc levissime suspicari.

Quoad ultimam.

Quoad ultimam autem ejusdem antecedentis partem, scilicet quod Adversarii aliqua necessitate ab extrinseco (ut aiunt) proveniente, quasi compulsi doctrinam de scientia media, auctoritate D. Thom. fulciant, desumi potest ex eo, quod ad hoc ipsum multa extrinseca eos commovere poterunt, et debebant. Viderunt namque illam a discipulis D. Thomæ ad judices fidei, tanquam aliqualiter suspectam deferri : experti sunt quantum prædicta scientia præjudicium ex auctoritate Divi Augustini, et Divi Thomæ, ipsi adversa, pateretur : conspexerunt Clementem Octavum totum hujus causæ pondus ad utriusque Doctoris auctoritatem remittere : non bene audierunt de Molina asserente in sua primitiva concordia, scientiam illam novam esse, et antiquis Patribus ignotam fuisse : cernebant sub titulo novitatis ab omnibus gravioribus Theologis scientiam hanc despiciendam, acriterque impugnandam, multosque adversarios sibi concitaturam : nulla alia via poterant suam scientiam mediam ab his omnibus notis, periculis, et tempestatibus, imo a totali ruina liberare, nisi eam auctoritate utriusque Doctoris muniendo, et corroborando : sicque quasi coacti sunt (contra id, quod ipsimet hujus scientiæ auctores, ante exortam hanc tempestatem fatebantur) ubique proclamare, eam apud utrunque Doctorem Augustinum, et Divum Thomam frequenter, et clare inveniri, testimoniaque utriusque ad id probandum adducere. Quis ergo non videat, quomodo licet testimonium Adversariorum semper sit magnum ; nihilominus quoad hoc non sit ex prædictis capitibus ita firmum ad colligendam mentem Divi Thomæ, sicut testimonium Dominicanorum, quod propter nullam ex prædictis exceptionibus rejici rationabiliter queit?

Eluci tio præc dentiu

93 Quæ omnia elucidari possunt eleganti testimonio Magistri Alfonsi Curiel, qui etsi in suis controversiis huic scientiæ mediæ satis faveat, et in illam valde inclinet (quamvis postea eandem retractaverit, ut dub. ult. dicemus) adhuc in prædicto loco fatetur, talem doctrinam menti D. Thom. atque adeo discipulorum ejus adversari. Quod testimonium non potest non, quoad præsens vim facere. Tum propter eximiam sapientiam, et auctoritatem hujus Doctoris, toti orbi notam. Tum etiam : quia professio religiosa, vel Dominicana, vel Patrum Societatis nequaquam illum aliquatenus ratione piæ affectionis, quam erga suos haberet, suspectum reddere potest : siquidem nulli illarum adstrictus erat. Tum denique : quia in illo loco in sententiam adversariorum magis inclinat : quam proinde, si vere posset auctoritate Divi Thomæ munire, revera id faceret, et tamen contra se ipsum, et contra sententiam, quam ibi præelegit, eam Divi Thomæ doctrinæ adversari fatetur.

DUBIUM VI.

Utrum scientia media a tempore Augustini usque ad hæc tempora perenniter fluxerit, et a Theologis, tam junioribus, quam antiquis, maxime vero ab iis, qui Concilio Tridentino interfuerunt, approbata fuerit?

94 Dubium hoc dupliciter dissolvi potest. Primo quidem adducendo testimonia Patrum, et Theologorum, qui in decursu temporis in titulo recensito, extiterunt. Secundo vero afferendo signa, et probabiles conjecturas, quibus a posteriori (ut aiunt) ostendatur

ostendatur scientiam mediam non habuisse hunc perennem fluxum, et approbationem ab antiquioribus scholasticis usque ad hæc nostra tempora. Ex quibus duobus modis, hoc posteriori ad nodum hujus dubii dissolvendum utemur : quia ad rem istam clarius, et jucundius pertractandam accommodatior est : at priori illo infra dubio ultimo, breviter tamen, et succincte utendum nobis erit.

§ I.

Assertio prior.

Conclusio prior.

Dicendum est primo, scientiam mediam non fluxisse perenniter a tempore Augustini, usque ad hæc nostra tempora ; ita ut a Theologis antiquis, et junioribus in hoc decursu temporis existentibus, satis communiter approbata fuerit. Assertio hæc inter alia ponitur contra Suarez tomo 1. de Gratia prolog. 2. et alios ejus sequaces, quatenus contendit, scientiam mediam a tempore Augustini, usque ad sua tempora perenniter fluxisse, et ab antiquis, et recentioribus Theologis fuisse approbatam. Et ita ibidem cap. 1. num. 12. sic inquit : *Hæc ergo sententia* (nempe quæ scientiam mediam adstruit) *in auctoritate Theologorum non solum recentiorum, sed etiam antiquorum scholasticorum longe contrariam superat : quapropter nullus potest eam novam vocare, nisi vel antiquis non legerit, aut de nominibus voluerit potius disputare, quam de rebus.*

Cæterum assertionem nostram tuentur Vasquez 1. part. quæst. 14. disp. 67. cap. 4. in fine, his verbis : *Quod antiqui scholastici, qui hactenus scripserunt, tantum meminerint scientiæ simplicis intelligentiæ, et visionis, parum interest : quia illi de hac scientia sub conditione, nihil omnino disputarunt, aut meminerunt, etc. Quid igitur si nos aliam ponamus, cujus ipsi mentionem non fecerunt, neque negaverunt ?* Herice 1. part. disp. 7. cap. 10. in hæc verba : *Quis nesciat hanc scientiam mediam latuisse scholasticos, et a nostris* (nempe a Patribus Societatis) *a tenebris, in quibus latebat, erutam diligenti Patrum, assiduaque lectione ?* Fonseca 6. Metaphys. cap. 2. quæst. 8. Molina in sua concordia, in lucem anno 1588. prælo commissam, ubi scientiam hanc omnino novam, et neque Theologis, neque Patribus, præsertim Augustino, notam fuisse, assertive cum aliquo tamen timore fatetur. Ac novissime Granado ejusdem Societatis 1. part. quæst. 14. art. 13. tractatu 5. disp. 3. sect. 2. ubi postquam scientiam hanc mediam dandam esse dixit, addidit : *Nec mirum est, si temporum decursu aliquid novi a Recentioribus Theologis excogitatum sit.* Ac tandem eandem assertionem tuentur plures, et gravissimi Theologi, quos dubio ultimo referemus : quamvis tam nos, quam Doctores isti diversa via, ac Patres Societatis nuper recensiti, in negando perenni illo fluxu, et approbatione communi scholasticorum, circa scientiam mediam, procedamus, ut ex dicendis constabit.

Ratio assertionis.

95 Probatur assertio. Nam incredibile est, Dominicanos Theologos, piissimos, ac sapientissimos in eam amentiam, et fatuitatem incidisse, ut doctrinam hanc de scientia media, cum primum a Molina prælo mandata est, apud judices fidei accusarent, si doctrina hæc a tempore Augustini usque ad illa tempora Molinæ ex antiquis Theologis perenniter fuisset derivata, ac proinde omnibus Academiis nota, et ab eisdem satis communiter recepta, et suis auditoribus (inter quos etiam numerandi sunt Patres Dominicani, Magistrum Bannez præcedentes, quem aliqui ex Patribus Societatis primum divinarum prædiffinitionum ex se efficacium inventorem appellant) tradita esset. Sane si rebus ita dispositis, doctrinam istam detulissent, ab omnibus totius orbis Theologis irrisi, et tanquam insipientes, vel temerarii, impudentissimique accusatores habiti merito essent : ac omnes contra ipsos statim clamassent, tantæque, ac tali insipientiæ, et impudentiæ silentium cum magna eorum confusione, et nota imposuissent.

Unde vel omnes illi : et cum eisdem Fonseca, Molina, Vazquez, Granado, Herice, et alii ex Patribus Societatis, qui pro nostra assertione sunt, tanquam antiquitatis, et doctrinæ ante ipsos in Academiis clarissime, et perenniter traditæ, et tunc vigentis ignari, insuperque cæteri omnes cujuscumque professionis Theologi, qui statim contra Dominicanos, ut contra malitiosos dissimulatores in re adeo gravi, aut ignaros, et insipientes non insurrexerunt, accusandi, et damnandi essent ; vel concedendum est antiquitatem, et perennitatem doctrinæ de scientia media, a Suarez intentam, incredibilem esse.

Cum autem illud primum toti Prædicatorum familiæ, necnon magna ex parte Societati Jesu, imo et totius orbis Theologis valde injuriosum, et ex se incredibile sit, consequens erit, ut hoc secundum elegi debeat : ac proinde, quod doctrina de scientia media non fluxerit perenniter ab antiquitate usque ad hæc tempora : ita ut tam a junioribus, quam ab antiquis Theologis satis communiter fuerit approbata.

Confirmatur. 96 Confirmatur, supponendo id, quod dub. 3. diximus, scilicet cum primum doctrina Molinæ, quoad hanc scientiam apud Clementem Octavum delata fuit, tunc prædictum Pontificem triginta gravissimos viros pro hujus causæ discussione, qui una cum ipso ei assisterent, designasse. Quo supposito sequens formatur confirmatio. Nam si doctrina de scientia media fuisset satis communiter ab antiquis Theologis approbata, et perenniter in Ecclesia ab antiquitate jam dicta usque ad nostra tempora fluens pervenisset, sequeretur, tum Romanum Pontificem ex consilio Cardinalium (ut solet) necnon et Theologorum admisisse, et diu, ac serio cum suimet personæ assistentia tractandam decrevisse, denunciationem, vel accusationem factam contra hanc doctrinam de scientia media, a sanctis Patribus in re tam gravi clarissime, ac sæpissime (ut vult Suarez) traditam, et perenniter in Ecclesia Dei ab ejus Doctoribus, et Theologis satis communiter receptam : nullatenus que tales accusatores objurgasse, tanquam calumniatores manifestos, et in re tam gravi de antiquitate Patrum, et Theologorum satis perenni doctrina, et adhuc tunc valde viginti, male sentientes, quod quidem, ut ex se constat, dici nequit.

Tum etiam gravissimos illos triginta viros (de quibus dub. 3.) quique jussu Clementis VIII. ad hanc controversiam examinandam Romæ cum ipsiusmet Pontificis interventu per plures sessiones convenere : et omnes, uno, vel altero excepto, post maturam discussionem in eam abierunt sententiam, ut existimarent prædictam doctrinam de scientia media, doctrinæ Sanctorum Patrum Augustini, et D. Thom. refragari, insipienter, et cum magna antiquitatis, et doctrinæ tunc valde florentis ignorantia in re tam gravi processisse : siquidem ignoraverunt id, quod in prædictorum Patrum, et tot Theologorum libris adeo frequenter, et clare (ut vult Suarez) continetur, et (quod adhuc pejus est) adeo sinistre eorum doctrinam intellexerunt, ut hanc scientiam mediam illis oppositam esse existimaverint, hoc autem admitti nequit, ut ex se patet ; ergo necessario fatendum erit, doctrinam hanc de scientia media non fluxisse perenniter, et continuo a tempore prædicto usque ad hæc nostra tempora : ita ut satis communiter, tam a junioribus, quam ab antiquis Theologis approbata fuerit.

§ II.

Assertio posterior.

Animadversio ad probationem assertionis. 97 Dicendum est secundo, doctrinam hanc de scientia media non esse approbatam a Patribus Concil. Trident. sed potius, ut jam explicamus, virtualiter saltim reprobatam. Probatur assertio supponendo, quod Concilium Tridentinum fuit inter alia præcipue convocatum anno Domini 1545. instante Carolo Quinto Romanorum Imperatore, cæterisque Catholicis Principibus, a Paulo Tertio Pontifice Maximo ad sedandam hæresim Lutheri tollentis libertatem arbitrii creati. Ad eam autem tollendam movebatur Lutherus hoc enthymemate : *Deus ab æterno ea, quæ in tempore fiunt, præsciunt, absoluteque, et efficaciter decrevit : ergo omnia ex absoluta necessitate : ac proinde sine ulla contingentia, et libertate fiunt.*

Probatio illius. His ergo suppositis, sequens formatur ratio. Nam Patres Concil. Trident. convocati præcipue ad componendam contra Lutherum libertatem creatam cum divina scientia et prædiffinitionibus divinæ voluntatis, non usi sunt hac scientia media : ergo signum est valde urgens, eos non admittere prædictam scientiam : ergo, et quod eam saltim virtualiter reprobarunt. Prima conseq. ex antecedenti patet. Nam si eam admisissent, usi utique fuissent ea ad prædictum munus. Tum quia quotquot eam admittunt, utuntur ipsa ad prædictam concordiam : ac proinde hoc ipsum contingeret prædictis Patribus, si eam admisissent. Tum etiam : quia omnes, qui illam adstruunt, credunt non tolli per ipsam libertatem creatam, vel divinam ; sed potius absque omni ambiguitate, valdeque perspicue per illam explicari, quomodo nec scientia, nec decreta Dei tollant arbitrii creati libertatem, ut ex ipsorum sententia dubiis præcedentibus explicuimus,

cuimus. Et ita si Patres Concilii scientiam hanc admisissent, et per eam adeo perspicue concordari libertatem creatam cum divinis actibus sensissent, videtur valde credibile, quod ea ad hoc munus, quod instabat, ad quodque præcipue convocati sunt, usi fuissent. Unde argumentum negativum in hac parte est, attentis omnibus jam dictis, argumentum saltim virtualiter positivum, ad credendum, prædictos Patres Concilii non admisisse talem scientiam, sed potius eam, ut falsam rejecisse.

98 Antecedens autem probatur. Tum quia illud fatetur Molina in sua concordia primitiva, quatenus asserit, suam conciliandi rationem mediante prædicta scientia, a nemine traditam fuisse, ut constat ex iis, quæ ad 1. part. quæst. 23. art. 4. et 5. disp. 1. num. ult. in fine docet. Tum etiam : quia ex iis Patribus, et Theologis, qui Concil. Trident. interfuerunt, quinquaginta ex illis, et aliqui insuper mentem suam in hac gravissima controversia, literis consignatam, prælo, et posteris tradiderunt, ut doctis, et in lectione Doctorum versatis constabit : at in nullo horum auctorum, scientiæ mediæ usus pro hac concordia reperitur, ut intuenti illos patebit ; ergo signum valde urgens est, in illo Concilio sine usu hujus scientiæ humanam libertatem cum doctrina divinorum decretorum, ex se efficacium, constitisse, et conciliatam fuisse : alias quonam pacto prædicti omnes scriptores, qui Concilio interfuerunt, hanc adeo gravem, et difficilem controversiam suscipientes, omittere potuissent usum illius rei, quem tanquam optimum a Patribus Concilii ad ejus resolutionem adhibitum fuisse, conspexissent, eo vel maxime, cum ipsi munus veluti explicandi, et omnibus patefaciendi mentem, ac doctrinam Concilii exercuerint.

99 Tum præterea : quia ex Concil. Trid. feliciter absoluto, tanquam ex equo Trojano plures eminentissimi Doctores, et Magistri ad proprias sedes, Academias, et cathedras reversi fuerunt, qui non potuissent se continere, quin scientiam mediam, et ejus usum pro hac adeo optata, ac difficili concordia secum deferentes, quamque in Concilio illo, ad difficillimum hoc negotium componendum adhibitam fuisse conspexissent, suis auditoribus proponerent, et veluti alterum ensem quo Goliath, et Holofernis, nimirum Lutheri, et Calvini capita cæsa, et gloriose amputata fuissent, commendarent : atque ita omnes catholicas Academias eadem doctrina sic imbuerent, ut non solum provectis, sed etiam tyronibus Theologis notissima, constansque esset. Cum autem certum, compertumque sit, illius scientiæ doctrinam, ejusque usum tanquam novum, seu (ut melius dicamus) tanquam non receptum Theologos commovisse, multisque, ac gravissimis sic displicuisse, ut librum Molinæ quoad hoc tanquam quid (eis quidem judicibus, de quo tamen nos nihil modo, ut decreto Sanctissimi Domini nostri omnino pareamus) doctrinam suspectam continentem, apud supremum judicem, et Ecclesiæ caput detulerint : fit inde, nullam talis scientiæ in Concil. Trident. pro hujus controversiæ resolutione rationem adhibitam fuisse.

Solutio ejusdem objectionis.

100 Nec refert, si dicas, Patrem Salmeronem illi Concilio interfuisse, et tamen pro hac scientia citari a Patre Herice tract. 1. disp. 7. cap. 10. ergo verosimile est, illam scientiam in illo Concilio apparuisse. Nam hæc verosimilitudo prorsus evanescit discursu facto. Plane, si hæc scientia ad resolutionem tam gravis, et difficilis controversiæ, a Patribus Concilii adhibita fuisset, tunc qua ratione fieri posset, ut nullus inter tot, tantosque Theologos, qui ex illo Concilio prodierunt, nec scriptis, nec verbo honorificam ejus mentionem, præter unicum Salmeronem, fecisset ? Imo incredibile videtur, quod si hæc scientia fuisset ad solutionem prædictæ difficultatis, adeo celeberrimæ, ab his Patribus admissa, tunc eveniret id, quod postea contigit, nimirum, quod cuncti illam, tanquam novam, quoad hoc, quod est eam a Theologis approbari, reputarent, et ad ejus exitum omnes commoverentur, sicut revera commotos fuisse constat.

Unde incredibile est, Salmeronem in Concil. Trid. hanc scientiam didicisse : sed si eam ipse cognovit, dicendum est, postea per multos annos, nimirum ab anno 1563. quo Concilium finitum est, usque ad annum 1585. quo ipse Salmeron neapoli obiit, a suis consociis Patribus Societatis illam accepisse, ab ipsisque ad eam inductum fuisse : ac tandem multo postea in suis scriptis posthumis, industria, et expensis ejusdem Societatis in lucem editis, anno 1602. repertam fuisse.

DUBIUM VII.

Utrum scientia media a tempore Augustini, et antiquorum Patrum usque ad annum 1560. antiquos scholasticos latuerit, et a junioribus Theologis ex doctrina eorumdem Patrum eruta sit? an vero a prædictis antiquis scholasticis cognita, et reprobata fuerit?

Ratio ordinis hujus dubii ad præcedens.

101 Postquam dub. præced. explicuimus, an a tempore August. usque ad hæc tempora doctrina, adstruens scientiam mediam, perenniter, et satis communiter approbata, tam ab antiquis, quam a junioribus Theologis fluxerit, et partem negantem statuimus : restat, ut ex professo explicemus, an licet hoc non habuerit, nihilominus a tempore Augustini, usque ad annum 1560. in quo inquit Fonseca 6. Metaphysic. cap. 2. quest. 8. se illam ab antiquis Patribus traditam, et in tenebris jacentem primum invenisse et in suo Conibricensi, vel Eborensi Collegio publice docuisse (quamvis ut testatur Herice loco statim referendo, non sit ausus eam prælo mandare) an igitur talis scientia a tempore Augustini, usque ad prædicta tempora, non fuerit ab scholasticis antiquis reprobata, sed eos toto illo tempore latuerit, et postea a junioribus Theologis cognita, et ex latebris, et visceribus Augustini, et Patrum deprompta fuerit ; an vero ab eisdem scholasticis antiquis cognita, et reprobata sit.

Animadversio.

Et licet decisio hujus dubii satis pateat ex dictis dub. 3. 4. et 5. ubi probavimus, prædictam scientiam mediam non contineri in Patribus, ut ab ipsis approbatam, ac proinde nec ex sinibus, aut latebris eorum, ut propriam eorum mentem potuisse educi, et similiter ex iis, quæ in dubio immediate præcedenti asserta sunt, non parum innuatur, eandem doctrinam fuisse ab antiquis Theologis reprobatam ; nihilominus ut res hæc magis explicetur, et clarius pateat, quomodo non possint inter se cohærere hæc tria, quæ aliqui ex Adversariis in favorem scientiæ mediæ congerunt, nimirum traditam esse ab August. et Patribus, deinde penitus scholasticos latuisse, ac tandem a junioribus Theologis ex sinibus Patrum fuisse erutam : propterea dubium hoc sigillatim excitamus. Illud autem non (ut sic dicamus) a priori, et expendendo testimonia scholasticorum (de hoc enim, licet breviter, et quantum satis erit, dub. seq. agemus) sed veluti a posteriori, et a signo pertractabimus.

Herice ergo 1. part. disp. 7. cap. 10. partem affirmantem tuetur : et ita inquit, ut supra retulimus : *Quis nesciat scientiam hanc latuisse scholasticos, et a nostris* (scilicet a Patribus Societatis) *a tenebris, in quibus jacebat, erutam diligenti Patrum, assiduaque lectione.* Quod etiam, ut nuper vidimus, tuetur Fonseca. Quorum fundamentum nullum aliud esse potest, nisi aliqua testimonia ex August. et Patribus in favorem scientiæ mediæ a nobis supra adducta, et simul soluta, et quod apud scholasticos antiquos, et juniores, qui non sunt ex Patribus Societatis, nulla invenitur mentio hujus scientiæ. Nam ex istis duobus principiis recte videtur sequi, scientiam hanc a Patribus Societatis ex latebris Patrum, in quibus abscondita erat, erutam fuisse.

§ I.

Assertio prior, et primum ejus fundamentum.

Prior assertio.

102 Dicendum tamen est primo, quod si semel verum esset, hanc scientiam mediam reperiri in August. et aliis Patribus, ut propriam eorum mentem (cujus oppositum dub. 2. 3. 4. et 5. ostendimus) tunc dici non posset, prædictam scientiam fuisse ignotam antiquioribus scholasticis, et aliis a tempore ejusdem August. usque ad annum 1560. existentibus : ac proinde nec ulla ratione dici poterit, fuisse a junioribus Theologis ex societate ex visceribus, et latebris Patrum primo erutam. Assertio hæc est contra Fonsecam, et Herice, alios que eorumsequaces. Eamque tuentur discipuli D. Thom. et Suarez loco citato, aliique plures infra referendi.

Animadversio prima pro priori præcedentis assertionis fundamento.

Ut autem primum, et principale hujus assertionis fundamentum capiatur, animadvertendum est primo id, quod a nemine negari potest, nimirum thesaurum istum scientiæ mediæ, si vere in August. et aliis Patribus, ut propria eorum mens esset, inveniendum fore in eis ab Ang. Doct. quippe qui assiduus Augustinianorum operum lector, et profundus meditator, ac indivulsus ejusdem Augustini discipulus, et ejus doctrinæ penetrator fuerit. Nam si semel dicatur, Angel. Doct. prædicam scientiam in August. ut propriam ejus mentem non invenisse, hoc

hoc ipsum erit argumentum moraliter evidens, eam in ipso non esse reperibilem. Et ita non solum Suarez, sed etiam Herice, et alii quamplures ex Patribus Societatis, Molina posteriores, coacervatis hinc inde testimoniis enixe probare contendunt, Doct. Angel. interventu hujus scientiæ mediæ, concordare libertatem creatam cum efficacia, et certitudine actuum divini intellectus, et voluntatis.

Animadversio secunda.

103 Secundo notandum est, quod semel admisso, ut revera admitti deberet, scientiam hanc mediam inventam esse a Divo Thoma in visceribus August. si tamen vere in illis esset, ut adversarii immerito volunt, necesse est etiam fateri, quod saltim tempore D. Thom. doctrina August. circa hanc controversiam, tam ab eodem Angelico Doctore, quam ab aliis, cum quibus prædictus Doctor Angelicus de hac re agebat, et coram quibus publice disputabat, cognitam fuisse, et per ipsum, et alios ejus contemporaneos ad Academias in lucem prodiisse præloque, aut scripto fuisse commissam.

Animadversio tertia.

104 Tertio notandum est, quod a tempore D. Thom. usque ad præsens sæculum, nempe ab Anno Domini 1240. usque ad annum fere 1600. vel usque ad annum 1560. in quo Fonseca hanc invenisse testatur, præstantissimi scriptores Theologi continua quadam serie abundantissime floruerunt, ut constat ex iis, quæ docet Bellarm. lib. de Ecclesiasticis scriptoribus. Nam usque ad annum 1300. floruerunt Alex. de Ales, Albertus Magn. ipse D. Thom. Doct. Angel. S. Bonavent. Petrus de Tarantasia, Udalricus Argentinensis, Rupertus de Ruffia, Ægidius Roman. Ricardus de Mediavilla, et Johannes Parisiensis. Ab anno vero Domini 1300. usque ad 1400. Johannes Scotus, Petrus Aureolus Anton. Andreas, Durandus, Franciscus, Maironis, Hervæus, Guillelmus Okamus, Monaldus, Nicolaus de Lyra, Alvarus Pelagius, natione Lusitanus, Episcopus Silvensis, Petrus Palud, noster Guido, Adam Godam, noster Johannes Baccon, Rober. Olcoth, Thomas Argentinensis, Gregorius Ariminensis, Nicolaus Gorranus, Alfonsus de Bargas, Henricus de Usia. Ab anno autem Domini 1400. usque ad annum 1584, Johannes Capreolus S. Thom. fidelissimus interpres, discipulus, ac defensor, noster Thom. Uvaldens. Augustinus de Roma, Alfonsus Tostatus, S. Antoninus Florentinus, Joannes Basolis, Dionysius Carthusianus, Gabriel Biel, Marsilius, Thomas Cajetanus, Franciscus Ferrariensis, Jacobus Almainus, Adrianus Sextus Summus Pontifex, Franciscus Liquetus, Sylvester, Joannes Echius, Conradus, Joannes Roffensis, Thomas Morus, qui insignem epistolam, et responsionem ad epistolam Lutheri scripsit, et pro Christo Domino occisus fuit : Joannes Cocleus, Franciscus a Victoria, Dominicus de Soto, Ambrosius Catharinus, Joannes Vincentius, Dominicus Bannez. Qui omnes de concordia creatæ libertatis cum actibus intellectus, et voluntatis divinæ scripserunt, scriptaque sua prælo mandarunt, vel ad primum librum Sententiarum, ubi distinctione 35. de Scientia Dei, distinctione vero 45. de Voluntate Dei tractat Magister, vel ad secundum Sententiarum, vel tandem speciales tractatus de illa ediderunt toto illo temporis spatio, scilicet ab anno 1240. usque ad annum 1560. vel usque ad annum fere 1600. quibus etiam annumerandi sunt alii multo plures, iique gravissimi, ac doctissimi Theologi, qui se ad scribendum non applicuerunt, quosque eodem tempore fuisse nullus negare poterit, siquidem experientia compertum est, adhuc nostro tempore, ubi commoditas imprimendi, et libido (si sic licet loqui) scribendi invaluit, multo plures ex gravissimis Theologis variis de causis ab scribendo, et sua opera prælo tradendo abstinere.

Animadversio ultima.

105 Ultimo notandum est, tum quod inter hos Doctores extiterunt tempore D. Thom, vel fere in illo Alens. Albert. Bonau. Angelicus ipse Aquinas, et Scotus, ex quibus Alensis floruit anno 1245. Albert. Magn. S. Thom. et D. Bonav. anno 1265. Scotus autem anno 1300. et ex his tanquam ex fontibus tres Theologorum classes, quæ postea viguerunt, ac vigent, scilicet Thomistæ, Scotistæ, et Nominales prodierunt, et ab eisdem multa gravia volumina, in quibus omnes usque ad minutissimas quæstiones ad. Theologiam pertinentes, excitarunt, expedierunt, et posteritati transmissa reliquerunt, semperque doctrina ab his præceptoribus, communibusque Magistris tradita, tum scripto, tum traditione, conservata fuit ; Thomistica quidem apud Prædicatores, et alios : Scotica vero apud Minores, Nominalium autem apud diversos alios Doctores.

Tum etiam, quod in relatis Doctoribus expendi debet, præter numerum satis co-

piosum, quanta sit eorum diversitas, quidam enim Itali, alii Galli, alii Hispani, alii Germani, alii Angli, alii Belgæ, alii Suevi, ex quibus quidam Carmelitæ, plures Augustiniani, plures Franciscani, quamplurimi vero Dominicani extiterunt. Tum denique quosdam ex assignatis Doctoribus Parisiensem, alios Bononiensem, alios Salmanticensem, alios vero Lovaniensem, alios Tubingensem, alios Dilingensem, alios Oxomiensem, alios Cantabriensem, ac deinde alios alias Christianas Academias sua doctrina, voce, et scriptis tradita sic imbuisse, et illustrasse, ut omnis illorum scientia quodam successionis, et hæreditatis jure ad totam fere Ecclesiam pervenerit, juxta illud : *Quanta mandavit patribus nostris nota facere filiis suis, ut cognoscat generatio altera filii, qui nascentur, et exurgent, et narrabunt filiis suis.*

Deducitur ex dictis primum pro prima assertione fundamentum.

106 His ergo suppositis, sequens ex illis pro assertione ratio deducitur. Nam si semel Ang. Doct. hanc scientiam mediam in ordine ad conciliandam efficaciam actuum divini intellectus, et voluntatis cum libertate creata, ut propriam ejusdem Aug. mentem, in ipso invenit, eratque eodem modo nota iis Doctoribus, et Magistris, cum quibus ipse publice disputabat, et agebat, ut Bonaventuræ, et aliis (juxta ea, quæ in primo notabili diximus) oportebat, ut in illa communi, et omnium celeberrima Academia, ubi omnes hi Doctores degebant, esset scientia hæc, tanquam mens Augustini, et patrum notissima, et quod de illa publice mentio, et notitia haberetur ab illis : ergo etiam oportebat, ut vel hæc eadem August. et Patrum mens per Doctores, et Magistros succedentes, tanquam quid ab eisdem Magistris approbatum ad suos etiam discipulos derivaretur; vel saltim, quod de ea publice mentionem facerent : quandoquidem incredibile est, eos mentem Augustini per D. Thom. expositam, ita neglexisse, ut non solum eam non amplecterentur, verum nec de illa mentionem facerent.

Quod idem cum proportione de aliis horum Doctorum discipulis, et sic de cæteris decursu temporis jam dicto, sibi invicem ibidem succedentibus, dicimus : siquidem mens August. per D. Thom. edocta publice a suis discipulis, maxime vero a Dominicanis, qui ibidem ab eo illam viva voce, et scriptis acceperant, acclamaretur, a cunctisque illius Academiæ Doctoribus, propter perennem Ang. Doct. memoriam, quæ in ea potiori jure vigebat, divulgaretur : ac proinde jam hæc scientia media, si semel erat de mente August. et Patrum, et a D. Thom. edocta, ab ejusque comtemporaneis vel recepta, aut saltim cognita, non potuisset non omnibus his Theologis illius Academiæ esse nota; ergo etiam oportebat ut prædicta mens August. et D. Thom. admittentium, juxta Adversarios, scientiam mediam, ab omnibus fere aliis aliarum Academiarum Doctoribus cognita toto illo tempore fuerit.

107 Hæc ultima consequentia ex duobus ultimis notabilibus pro hac ratione adductis patet. Nam hoc ipso, quod hæc fuisset mens Augustini, et D. Thom. publice ab eodem Ang. Doctore, et a Bonavent. aliisque Magistris contemporaneis edocta, vel saltim cognita, oportebat, ut per tempus non breve in tota Dominicanorum familia dispersas per omnes fere Academias, et per tot Ecclesiæ partes, eadem esset vox, idemque quoad hoc communis consensus : siquidem omnes Dominicani Angelicum Doctorem, ut oraculum, et Spiritus Sancti, quasi organum suspiciebant : ac proinde, quod hæc eadem mens ab ipsis in Academiis, et aliis partibus divulgaretur. Quod idem de Patribus Franciscanis, cum proportione tamen, dicimus, necnon de universis discipulis D. Thom. et aliorum Doctorum illius Academiæ, qui ex diversis, et plurimis locis illuc convenerant, et postea per eadem loca dispergebantur, et ad diversas Academias, ut ibi publice Theologiam docerent (ut communiter contingere solet) se contulerunt. At toto illo tempore fluente a D. Thom. usque ad annum 1560. præterierunt (ut in tertia animadversione diximus) tot, adeoque insignes Theologi per tot Provincias, per totque Academias dispersi, quos de hac materia scripsisse diximus, et qui circa hoc de Parisiensium, præcipue vero D. Thom. mente, juxta August. doctrinam, notitiam habere potuerunt : quosque propter maximam hujus difficultatis, seu conciliationis humanæ libertatis cum divina scientia, et voluntate gravitatem, quæ omnium animos semper pressit, et in omnium Theologorum ore semper circumfertur, prædictam notitiam accepisse, plusquam valde credibile est : ut ex iis, quæ in hoc nostro tempore circa eamdem difficultatem contigisse, cernimus, satis constat; ergo incredibile est ad prædictos Doctores per omnes fere Academias dispersos

non

non pervenisse notitiam hanc de scientia media, a D. Thom. ex August. mente juxta Adversarios edocta, et toti Parisiensi Academiæ vel omnino grata, vel saltim nota, per quam juxta eosdem Adversarios, ita perspicue sit hæc conciliatio libertatis creatæ, cum actibus divini intellectus, et voluntatis : ergo etiam incredibile erit, notitiam prædictæ scientiæ, quippe D. Thom. et August. adeo celebrem mentem, et ad ita celebrem difficultatem dissolvendam conducentem, continua quadam successione per omnes prædictos Theologos, sibi continuo succedentes, qui scripta sua prælo circa hanc coutroversiam mandarunt, non fuisse derivatam. Imo incredibile etiam est, quod ipsi quippe, qui adeo docti, et versati erant, id est August. et D. Thom. aliisque Parisiensium Doctorum scriptis non eruerint. Maxime cum id, quod scholastico modo publice aliquam controversiam docetur, ita distincte, et clare perhiberi soleat, ut quivis non tardi ingenii facile mentem Magistri consequi possit.

Confirmatur primo

108 Confirmatur primo ex iis, quæ notabili ultimo dixímus. Nam cum ex D. Thom. et ex illis Doctoribus, ac Magistris in prædicto notabili recensitis, prodierint tres illæ scholæ adeo celebres, scilicet Thomistarum, Scotistarum, et Nominalium, quæ ea, quæ a suis fontibus acceperunt, usque ad minutissima quæque conservarunt, quæque per omnes Academias dispersæ fuerunt, consequens est, ut si semel D. Thomas suæ Thomisticæ scholæ princeps hanc scientiam mediam ex August. tradidit, et Scotus eam docuit, vel saltim ejus notitiam habuit, quippe qui D. Thom. contemporaneus, aut fere contemporaneus fuit (quod idem cum proportione de Alensi dicimus) quod hæc eadem mens, et sententia fuerit nota prædictis scholis, et in eis conservata. Maxime cum hoc non pertineat ad minutissimas quæstiones, sed ad celeberrimam controversiam, quæ omnium ætatum ingenia semper pressit, urget, et urgebit.

Confirmatur secundo.

109 Confirmatur secundo. Quoniam si semel hæc scientia media apud D. Thom. ut propria sui, et August. mens invenitur, fiet inde, omnes illos adeo gravissimos Theologos, a nobis relatos, qui a tempore D. Thom. usque ad Fonsecæ tempora extiterunt, in quorum manibus opera D. Thomæ frequenter versabantur, præcipue, vero Dominicanos, qui suæ professionis vinculo, multisque aliis titulis lectioni D. Thomæ indefesse vacant, ejusque doctrinam, tam ardenti cordis affectu, totisque viribus defendere, et per universas Christiani orbis Academias perenniter edocere, et in omnium animis transfundere curant, vel suum S. Doctorem non intellexisse, vel ejus sententiam circa hanc controversiam, quæ omnium animos ita urget, adeo neglexisse, ut nec mentionem ullam illius facere voluissent; ergo cum hoc penitus sit incredibile, consequens etiam est, ut dubitari nequeat, quin doctrina hæc de scientia media (si verede August. et D. Thom. mente esset) perenniter per prædictos Theologos, et Doctores, tam verbo, quam scripto usque ad Fonsecæ tempora derivata fuisset : ac proinde ex his omnibus aperte fiet, non posse inter se illa, quæ adversarii asserunt, cohærere, nimirum hanc scientiam mediam esse de mente August. et D. Thom. et aliorum Patrum, et nihilominus a tempore Augustini usque ad annum 1560. latuisse antiquos scholasticos, et a junioribus, sive Patribus Societatis ex visceribus Patrum, in quibus recondita erat, erutam fuisse.

§ II.

Proponitur secundum fundamentum pro eadem prima assertione.

Observatio pro secundo primæ assertionis fundamento.

110 Ut autem posterior, et fundamentalis ratio pro hac eadem priori assertione tradatur, præsupponendum est, quod quamvis concordia, et conciliatio libertatis humanæ cum divina scientia, et prædifinitionibus, applicata prædestinationi supernaturali, et actibus ad finem illius, nempe beatitudinem supernaturalem ordinatis, sit propria Christianæ Religionis, et Ecclesiæ; et ante Incarnationem spectaverit ad Synagogam, quæ secundum sacras literas supernaturalem beatitudinem per opera supernaturalia obtinendam, agnoscebat; attamen quia pondus hujus difficultatis non provenit ex supernaturalitate divinæ providentiæ, aut operum nostrorum; sed ex indispensabili dependentia prædictorum operum in *esse*, *fieri*, et *conservari* a divina providentia, et ex magna certitudine, et infallibilitate illius, respectu libertatis nostrorum actuum, etiam si intra ordinem naturalem considerentur (quorum utrumque lumen naturale ostendit) inde fit, ut conciliatio di-

vinæ providentiæ, involventis infallibilem Dei scientiam, et infrustrabilia suæ voluntatis decreta cum liberis actibus creaturarum intellectualium, omnium hominum ætatem fatigaverit, et presserit.

111 Unde prædictæ difficultatis pondere oppressi, olim quidem Philosophi Gentiles, propterea cum Epicuro divinam providentiam respectu horum inferiorum denegarunt : et sic (ut de Cicerone dixit August.) ut homines facerent liberos, faceruntsacrilegos. Alii vero e contra, ut Deum omnia scientem, decernentem, ac providentem profiterentur, homines quasi brutalibertatis expertia reliquerunt. De quorum numero fuere Simon Magus, Manichæi, et alii antiqui, quos Lutherani, et Calvinistæ, novis erroribus superadditis, sequuntur. Et similiter ut noster Uvaldensis tom. 1. doctrinalis fidei antiquæ lib. 1. art. 1. cap. 26. loquitur : *Ab initio nascentis Ecclesiæ homines plurima sapientes de hac summa præscientia Dei, mirabiles collegerunt quæstiones, et nimirum multi defecerunt scrutantes scrutationes suas.* Et eodem lib. et art. cap. 22. agens de hæresi Wiclef, et ejus antiquitatem detegens, inquit : *Tempore Sancti Jacobi pullulavit per quosdam—pseudo—in populo dispersionis Judaicæ, tunc fideli ; dicebant enim, Deum necessitare homines ad peccandum per quasdam inspirationes privatas, quas vocabant Dei tentationes occultas, contra quos scripsit Jacobus dicens : Nemo cum tentatur, etc.* Ac denique antiqui Patres, et Doctores, præcipue vero S. August. non parum in hac controversia explicanda desudarunt : nec parum viriliter contra hæreticos pro ea decertarunt : nec parum feliciter contra eosdem illustrem victoriam in ea consecuti sunt.

Secundum prioris assertionis fundamentum.

112 His ergo suppositis, sequens pro assertione formatur ratio. Quoniam non potest recte inter se cohærere, quod hæc scientia media latuerit Doctores scholasticos, qui a tempore Augustini, et Patrum, eo antiquiorum, usque ad annum jam dictum, nempe 1560. decurrerunt : et quod nihilominus in sinibus, et latebris Patrum prædicta scientia contineatur ; ergo talis scientia non latuit prædictos scholasticos, et ex finibus, et latebris Sanctorum Patrum a junioribus Scholasticis, et Theologis eruta est. Consequentia videtur perspicua.

Antecedens autem sequenti discursu suadetur. Nam incredibile est, magnam quandam hominum gravium, et sapientium multitudinem in tantam ignaviam, et inertiam incidere, et in eadem per longum tempus sic jacere, ut id, quod ad gravissimam aliquam difficultatem vincendam, controversamque urgentissimam, quæ omnium hominum ætates valde pressit, dirimendam diu expetiverunt, magnoque labore, et anxietate investigarunt, jam postea eo invento, eodemque frequenter indigendo, illud quasi inter manus sic labi, et perire sinat, ut nulla ejus memoria, aut notitia per aliquot annorum centurias, saltim usu ipso, et traditione servetur, ut in aliis rebus ad vitam humanam necessariis, aut valde utilibus quotidiana experientia satis constat : at graviora omnium ætatum ingenia pro concilianda divinorum actuum efficacia, et certitudine cum humana libertate, tanquam pro re valde difficili, et ad humanos mores componendos summe necessaria, strenue laboraverunt, ut ex notabili nuper proposito constat; ergo incredibile erit, illam conciliandi viam, quam antiqui Patres assecuti fuerunt, et prælo, aut scriptis posteritati mandata est, quæque tam ad occurrendum hæreticis, vel divinam providentiam, vel humanam libertatem denegantibus, quam ad sedandas tentationes, quibus circa hoc punctum, etiam viri valde Catholici et pii sæpe cruciantur, necnon ad plures alias difficultates melius intelligendas, frequenter necessaria, valdeque utilis fuit, eam per tot annorum centurias, usque ad nostra tempora, sive usque ad tempus jam assignatum, nempe usque ad annum 1560. oblivioni traditam jacuisse ; ergo cum juxta Adversarios, contra quos pugnamus, hæc via, et modus conciliandi, quo Patres usi sunt, quemque posteris reliquerunt, fiat interventu scientiæ mediæ, incredibile est eam per prædictas annorum centurias Theologos, et Scholasticos omnes latuisse ; ac proinde non poterunt inter se hæc duo cohærere, nimirum prædictam scientiam ignotam fuisse antiquis scholasticis, ab illis temporibus decurrentibus, et eam revera in eisdem patribus contineri.

Corroboratio prima.

113 Confirmatur hoc argumentum. Quia si vera est, tam longa hujus doctrinæ antiquæ oblivio, quam præfati auctores intendunt, necesse est, ut Augustini, et aliorum Patrum volumina, in quibus doctrina hæc frequenter reperiri dicitur, a nullo diligenti, docto, et cordato viro, per tot sæcula lecta, aut a nullo intellecta fuerint : quod et per se est omnino incredibile, et venerandæ antiquitati scholasticorum valde injuriosum, necnon et multis Patribus, qui post Augustini,

Augustini, et cæterorum Patrum tempora extiterunt, inter quos fuerunt Anselmus, et Bernardus : qui de præscientia, prædestinatione, gratia Dei, et libero hominis arbitrio cum illis conciliando, speciales libros ediderunt. Quis ergo etiamsi id studiose sibi conetur persuadere, poterit credere hos (ut alios ex Patribus omittamus) cæterosque scholasticos, neque antiquorum Patrum lectione, neque traditione aliqua, neque speciali Dei illustratione thesaurum hunc ab Augustino, et aliis antiquioribus Patribus inventum, scriptisque eorum (ut Adversarii dicunt) consignatum, adeoque ad doctrinam fidei stabiliendam, et defendendam, moresque hominum componendos necessarium, unquam invenisse?

Alia corroboratio.

114 Confirmatur deinde. Nam vel Patres Concilii Trident. thesaurum istum scientiæ mediæ in August. et Patribus invenerunt, vel non? Hoc secundum dici nequit, si (ut Adversarii, licet immerito, volunt) in latebris, et visceribus Patrum, thesaurus iste absconditus erat, et juxta eorumdem Adversariorum sententiam est omnino necessarius ad conciliandam libertatem arbitrii creati cum actibus divini intellectus, et voluntatis. Quoniam cum Patres illi in Spiritu Sancto congregati essent ad hanc concordiam explicandam : et illam ex mente Sanctorum Patrum explicare intendissent, et deberent : ac ita gravis, et ingens necessitas urgeret : et tandem ab universa Dei Ecclesia instanter ad Deum pro hac luce preces funderentur, incredibile est, quod eis Spiritus Sanctus denegaret veram, quoad hoc intelligentiam Augustini, et aliorum Patrum : ac proinde quod thesaurum istum scientiæ mediæ, qui unice necessarius ponitur ad prædictam concordiam, si revera in Sanctis Patribus reperiretur, non invenissent.

Si autem primum dicatur, rursus inquiremus, an Patres illi solum in Concilio peculiari aliqua revelatione id didicerint, ita ut prius hujus scientiæ mediæ penitus ignari essent, vel antea ejus notitiam habuerint? Primum dici nequit : quoniam, ut ex dictis dub. 6. constat, Patres prædicti Concilii non usi sunt hac scientia media ad conciliandam libertatem creatam cum actibus divini intellectus, et voluntatis. Si autem ibidem peculiari aliqua revelatione eam agnovissent, dubitari nequit, quin ad prædictum intentum ea usi fuissent; ergo necessario dicendum est secundum : ac proinde eadem ratione hæc scientia esset nota tam aliis Theologis illius ætatis ab anno 1545. in quo Concilium incepit, decurrentibus, quam aliis antiquioribus a tempore Augustini existentibus. Hæc ultima consequentia quoad priorem ejus partem, scilicet quoad Theologos coætaneos Patribus Concilii, satis constat. Nam Patres illi ex omni fere Ecclesia congregati sunt : et ita id, quod ipsis, ut Theologis illius ætatis erat notum, scilicet thesaurum istum scientiæ mediæ in August., et Sanctis Patribus eo antiquioribus reperiri, non posset non esse notum aliis Theologis contemporaneis, cum quibus in eisdem Academiis, et aliis locis ipsi degebant, et frequenter colloquebantur.

115 Quoad secundam vero partem, nempe quoad alios Theologos a tempore Augustini decurrentes, etiam constat. Tum quia, si tam Patribus Concilii, quam eorum coætaneis fuit nota hæc scientia media, ut de mente Augustini, et Patrum, eo antiquiorum, hoc ideo esset, quia id a suis magistris acceperunt : siquidem juxta communem cursum res ita communiter nota, et in August. revera contenta, communiter accipi solet a magistris, ut de aliis veritatibus in August. contentis, et communiter notis constat. Cumque eadem ratio de his magistris Patrum, et Theologorum, eis coætaneorum, et sic de aliis ascendendo usque ad D. Thom. imo et usque ad Augustinum, militet, fiet inde, ut prædicta scientia, si semel erat Augustini mens, fuerit Theologis antiquis non parum nota. Maxime quia, quo ascensus iste magis ad Augustini tempora accedit, eo majores vires accipit, quoad hoc, quod est mentem Augustini fuisse illius ætatis Theologis magis notam.

Tum etiam : quia quod Patres Conc. Trid., et alii Theologi coætanei invenerint in August. scientiam mediam, non potuit aliunde oriri, nisi quia ipsi erant viri docti, qui proinde mentem D. August. capere poterant; ergo cum ante illos tot præcesserint viri doctissimi, ut ex se patet, et ex dictis pro primo hujus assertionis fundamento amplius constat, fiet inde, scientiam hanc mediam, si semel est August., fuisse antiquioribus Theologis notam : ac proinde non potest cohærere scientiam hanc mediam esse de mente August., et Patrum, et juniores Theologos ex Societate fuisse primos, qui eam in tenebris jacentem ex eodem August. et Patribus deduxerint.

Elucidantur præcedentia.

116 Quæ omnia possunt elucidari, si conferamus tempus, quo Fonseca testatur se primum in Patribus eam invenisse, et tem-

pus, in quo Conc. Trid., ubi de hac controversia jam dicta agebatur, celebratum est. Quoniam, ut idem Fonseca testatur, scientia ista inventa est ab ipso in prædictis Patribus, anno Domini 1560. in quo anno Patres Conc. Trid. congregati adhuc erant in eodem Concilio. Quoniam Concilium istud incepit sub Paulo Tertio anno 1545. et non fuit omnino solutum usque ad annum 1563. usque ad quem sub diversis Pontificibus, nempe Paulo Tertio, Julio Tertio, et Pio Quarto perduravit. Etenim difficillimum creditu est, ut eo tempore, quo Patres erant in Concilio Tridentino congregati ab Spiritu Sancto præcipue inter alia ad conciliandam contra Lutherum libertatem arbitrii creati cum divinis actibus, denegaret illis veram intelligentiam Augustini, et Patrum (ex quibus, ut ex organis, per quæ Spiritus Sanctus loquitur, scientia hæc ad talem conciliationem omnino necessaria, si vere in illis esset, ut idem Adversarii volunt, addiscenda erat) quod eisdem Patribus Concilii relictis, ubi tanta instabat necessitas, ubi cœlestis lux adeo enixe exposcebatur, ubi tota Ecclesiæ causa communiter agebatur, ubi Spiritus Sanctus se adstiturum pollicitus est, tunc idem divinus Spiritus ad Collegium Conibricense, vel Eborense Patrum Societatis (ut sic dicamus) evolaret, et ibi peculiari cuidam Theologo ex illis (quamvis alias doctissimo) veram, et ita reconditam intelligentiam, ut ipsi loquuntur, Augustini, et Patrum, quoad hoc patefaceret, et thesaurum istum in eis absconditum, et a nemine post prædictum tempus inventum revelaret: sane hoc difficillimum creditu est, et extra communem cursum, et modum divinæ providentiæ, ut ex se constat.

§ III.

Corollarium notatu dignum.

117 Ex quibus, ut id obiter dicamus, sequitur, non bene Molinam in sua primitiva concordia dixisse, scientiam hanc mediam esse valde necessariam ad conciliandam libertatem creatam cum actibus divini intellectus, et voluntatis, et eam a se fuisse primo adinventam, Patribusque fuisse ignotam. Contra quam hujus scientiæ mediæ necessitatem, et novitatem (si vere nova est, ut Molina, Granado, et alii Jesuitæ ingenue fatentur) non ex eo insurgimus, quod quælibet doctrina nova sola novitatis titulo notam aliquam mereatur, cum sciamus rebus novis doctrinam novam ex communibus principiis deductam noviter excogitandam, et applicandam esse; sed ex eo, quod in hac controversia non potest hæc novitas admitti. Cum enim in hoc dubio adducta sit hujus controversiæ, et conciliationis antiquitas, et difficultas, olimque Philosophi, et postea in prioribus primitivæ Ecclesiæ sæculis graviores Patres, et Doctores, videlicet Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Hilarius, et Prosper, eam superare contenderint contra hæreticos, humanæ libertatis nimium fautores, quos de falsitate, et hæresi reipsa convictos Patres in conciliis Arausicano, et Milevitano a Sancta Apostolica Sede approbatis damnarunt; consequens esset, illos omnes Patres, inter quos præeminebat Augustinus, totamque Dei Ecclesiam ignorantem scientiam mediam ab his recentioribus noviter, juxta eorum mentem, introductam, atque adeo ignorantem etiam concordiam humanæ libertatis cum actibus divini intellectus, et voluntatis (siquidem hæc concordia sive prædicta scientia impossibilis a prædictis recentioribus judicatur) reipsa non satisfecisse hæreticis prædictam incomposibilitatem libertatis cum divinis actibus objicientibus, atque adeo hæreticos, spectata argumentorum vi in hac controversia superiores, et victores, sola autem auctoritate, et potentia inferiores, victosque remansisse: at hoc injuriosum videtur tam illis Patribus, et Doctoribus, totique Dei Ecclesiæ, ac antiquitati, tam divinæ providentiæ, quæ Ecclesiam militantem, et cum hæreticis confligentem, semper opportune adjuvat. Unde merito, ac pie dixit Magister Luna additionibus manuscriptis ad 3. part. art. 3. se malle cum Augustino scientiam mediam ignorare, quam eandem cum Molina tenere.

118 Fatemur quidem divinam providentiam sic dona sua distribuere, ut nova semper quam diu Ecclesia in terris militat conferenda reservet. Idcirco enim comparatur Lunæ suscipienti incrementa lucis per singulos dies donec ad plenitudinem perveniat, juxta illud, *Pulchra ut luna*. Nec diffitemur sacram Jesuitarum Societatem per suos alumnos aptissimam ad id esse. Cæterum non videtur compati cum divina providentia, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, suaviterque disponit omnia, ut unicam conciliandi viam suæ Ecclesiæ, et prædictis Patribus in jam dictis Conciliis contra hæreticos, in adeo urgenti necessitate,

te, ad ipsius Dei gloriam, et defensionem fidei Catholicæ pugnantibus, denegaverit : alioqui iidem Patres, totaque Ecclesia coram hæreticis humiliata, et verecunde confusa, ab eisdemque irridenda remaneret, et Deus suam doctrinam, et fidem Catholicam necessaria defensione in re tam gravi destitutam deseruisset. Cum tamen Christus Dominus eidem Ecclesiæ promiserit : *Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* At, quæ hora potest esse illa, nisi in qua adversarii urgent, et Ecclesia anxie panem sacræ doctrinæ, et modum evadendi fallaces hæreticorum versutias, et laqueos, expostulat a Patre luminum, qui dat omnibus affluenter, quique dat escam in tempore opportuno? quale procul dubio fuit illud, in quo hæreses instabant, et Ecclesiæ Patres in Conciliis auctoritate Pontificia congregatis, ad occurrendum hæreticis, eorumque fallacia argumenta dissolvenda convenerant.

Unde non videtur quomodo adimpleretur illud, quod de Ecclesia dictum est a Christo Domino : *et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, si hæretici spectata argumentorum vi adversus totam Ecclesiam in Conciliis congregatam prævaluissent : ac tandem quonam pacto cum divinæ providentiæ suavitate, rectaque dispositione cohæreret, ut modum hunc conciliandi unice necessarium, quem toti Ecclesiæ in tantæ necessitatis, et periculi tempore occultaverat, postea Jesuitis recentioribus aperiret.

§ IV.

Duæ posteriores assertiones.

Secunda assertio.

119 Dicendum est secundo, quod si absolute, et simpliciter, nullaque facta suppositione loquamur tunc necessario fatendum est, antiquos scholasticos cognovisse scientiam mediam, sive conditionatam. Ita discipuli Divi Thomæ.

Assertio hæc cum præcisione, quam verbum illud *cognovisse*, præ se fert, intelligenda est. Non enim in ea volumus, prædictos Theologos agnovisse, et approbasse prædictam scientiam, sed tantum agnovisse. Utrum autem eam approbaverint, vel reprobaverint, sequenti assertione dicemus. Et ex iis, quæ supra disputationibus præcedentibus asseruimus, non parum constat.

Ratio se unda conclusionis.

Et licet etiam probatio hujus assertionis ex iis, quæ pro præcedenti, et ex illis, quæ dubio secundo hujus disputationis attulimus, satis pateat; nihilominus majoris claritatis gratia sequentem rationem ad eam probandam ex eis deducemus. Quoniam certum, et perspicuum est : cuique mediocri cura, et mediocri ingenio evolventi opera Divi Augustini, et Divi Prosperi, ejus cœtanei, maxime vero loca a nobis dubio citato relata, quod Pelagiani, et Semipelagiani admittebant scientiam mediam, seu conditionatam, quamvis postea in ejus usu ab auctoribus Catholicis, recenter eam admittentibus, differrent : ergo cum incredibile sit Doctores illos adeo gravissimos, a nobis numero 104. relatos, qui de concilianda libertate creata cum efficacia actuum divini intellectus, et voluntatis, tot tractatus in lucem ediderunt, non consuluisse, Divum Augustinum in locis communioribus, et perspicuioribus, necnon et Divum Prosperum; consequens erit, ut prædicti scholastici hanc scientiam mediam agnoverint. Consequentia videtur satis perspicua.

Antecedens autem constat ex dictis loco citato. Quoniam, ut Pelagiani, et Semipelagiani salvarent prædestinationem, necnon et gratiam dari ex meritis, adhuc in parvulis, ante usum rationis, et cum Baptismo decedentibus, duo aiebant. Primum, in quo expresse fatebantur scientiam mediam, erat, quod Deus ante decretum efficax suæ voluntatis prævidebat, quod pueri illi decedentes cum Baptismate, si ad adultam ætatem pervenirent, bene operarentur. Secundum (quodque ad præsens non refert) erat, quod propter opera sic prævisa prædestinabantur a Deo, et tribuebatur eis gratia Baptismi. Hæc autem duo sunt adeo perspicua, et cuique obvia in Augustino, et Prospero, ut repugnet aliquem prædicta loca mediocri cura, et ingenio evolvere, et ea non capere, ut intuenti constabit.

Conclusio tertia.

120 Dicendum est tertio, prædictos scholasticos antiquos, non solum agnovisse, verum etiam cunctos fere ex illis reprobasse, attentis omnibus, scientiam mediam : ac proinde illam, scientia reprobationis, cognovisse. Ita communiter omnes Thomistæ Assertio ista ex iis, quæ pro præcedenti dicta sunt, et ex illis, quæ præcedentibus dubiis hujus disputationis diximus, satis liquet. Quoniam, ut nuper asserebamus, hæc scientia media fuit nota prædictis Theologis antiquis : et omnes, vel fere omnes ex illis conciliabant libertatem creatam cum effica-

cia actuum divini intellectus, et voluntatis, absque interventu prædictæ scientiæ : ergo pensatis omnibus, illam reprobabant. Minor patet. Quoniam in nullo, vel fere in nullo ex prædictis scholasticis invenietur prædicta conciliatio cum interventu scientiæ mediæ, ut intuenti constabit, et ex iis, quæ dubio sequenti docebimus, amplius patebit.

Consequentia vero probatur : Quoniam cum hæc controversia de concilianda libertate creata cum actibus intellectus, et voluntatis Dei sit adeo difficillima, et omnium ætatum ingenia ita presserit, videtur incredibile, quod scholastici antiqui, conscii scientiæ mediæ, non uterentur illa ad hanc conciliationem, si talem scientiam vere dandam esse sentirent; siquidem omnes, qui illam admittunt, credunt eam valde perspicue, et expedite salvare libertatem creatam, et eam componere cum prædictis actibus Dei, et ideo incredibile est, quod ad salvandam hanc gravissimam difficultatem ea non uteréntur. Sicut incredibile esset, quod Patres Societatis eam concedentes, silentio ipsam prætermitterent, dum de hac conciliatione agunt, ita ut nullo modo assererent eam ad hujus concordiam esse necessariam, aut utilem : et propterea omnes illi, unico excepto Vazquez, ipsa ad prædictam concordiam utuntur. Unde hæc omissio, et silentium, quod in aliis rebus esset solum probatio negativa, habet in præsenti pensatis omnibus, ac moraliter, et humano modo procedendo, rationem argumenti positivi, et positivæ itidem hujus scientiæ mediæ reprobationis.

Secundum fundamentum.

121 Secundo probatur eadem assertio ex iis, quæ supra diximus. Nam cum primum hæc scientia media a Molina in lucem edita est, et ab ipso publice approbata, statim omnium fere animos commovit, et Dominicanis Theologis ita displicuit, ut eam ad judices fidei detulerint : ergo signum est, prædictam scientiam mediam (alias cognitam) ab eisdem Theologis communiter reprobari. Patet consequentia. Quoniam cum antea esset illis nota, ut ex præcedenti assertione constat, non ita commovisset animos, nisi simul fuisset reprobata, et ut doctrina communiter rejecta, jam derelicta. Constat enim, quod quoties de gravissima aliqua difficultate, quæ omnium animos pressit, agitur, hæc communis Theologorum reprobatio, quæ tunc erat, satis denotat, eundem fuisse consensum apud Theologos antiquos, a quibus ipsi successive doctrinam Theologicam acceperant, ut inductione facta in aliis similibus difficultatibus cernere licet.

Confirmat

122 Potestque hæc secunda ratio non parum confirmari, et elucidari, si conferamus ea, quæ acciderunt, dum Magister Bannez ex Dominicana familia (quem aliqui ex Adversariis, immerito tamen, primum divinarum prædiffinitionum absolutarum, et ex se efficacium, adinventorem nuncupant) sua commentaria in primam partem Divi Thomæ prælo mandavit : ubi scientiam mediam rejicit : et id, quod contigit, dum Molina suam scientiam mediam prælo commisit. Quoniam prædicta doctrina Magistri Bannez quinque annorum spatio concordiam Molinæ antecessit : ut constat ex commentariis utriusque auctoris primo prælo commissis. Nam commentaria Bannez in prima parte, ubi de Scientia, Voluntate, Providentia, et Prædestinatione agitur, Salmanticæ anno Domini 1584. impressa prodierunt. Concordia autem Molinæ, Olysippone anno saltim 1589. primo prodiit : at experientia ipsa compertum fuit, toto illo quinquennii tempore prædicta Bannezii commentaria a nemine, nec ab ipso Molina, aliove Patre Societatis, tanquam novam, nedum periculosam doctrinam continentia, notata esse, et multo minus ad judices fidei delata, sicut Molinæ concordiam, quoad suam scientiam mediam delatam fuisse numero 124. dicemus, quin potius in frequentissimo usu, et magna approbatione apud Theologos fuerunt : ergo dubitari nequit, quin hujusmodi quinquennale silentium communi eorundem commentariorum frequentissimo usui, et approbationi conjunctum, sit maximum signum doctrinæ non novæ, sed ab antiquis Theologis perenniter decurrentis, et in omnibus Christianis Academiis receptæ : et ideo nec admirationem novitate (quippe cum ab assuetis non fiat passio) excitasse : sicuti propter oppositam rationem, ex doctrina Molinæ de scientia media (non quia notitia talis scientiæ esset nova; sed quia illi favere, et eam admittere, atque in scholas, ut quid recipiendum introducere, erat satis novum) statim admirationis non parvus affectus prodiit.

Majo confirmat præce dentiu

123 Explicatur magis hoc ipsum. Quia universa Prædicatorum familia, tot gravissimis, ac doctissimis Theologis abundans, non solum non repudiavit, verum etiam amplexata fuit prædicta sui Bannezii commentaria, absolutas, et efficaces Dei prædiffinitiones

diffinitiones ante prævisum consensum voluntatis creatæ, salva ejus libertate, admittentia, et scientiam mediam denegantia; et non utcunque, sed tanquam doctrinam valde Thomisticam, mentemque Divi Thomæ aperientem, ea admisit : ut communi omnium calculo firmatam inveniens : ergo signum evidens moraliter est, illorum commentariorum doctrinam nequaquam in familia Dominicana noviter introductam, sed a suis majoribus usque ad illa tempora perenniter acceptam, et usitatam fuisse; nisi velit quis dicere, omnes illos Magistros Dominicanæ familiæ, tot numero, tantosque sapientia, gravitate, et sanctitate, adeoque diversos, utpote per universum Christianum orbem dispersos, semetipsos negasse, propriamque scientiam, quam a suis majoribus acceperant, quamque eousque docuerant, reliquisse, ut doctrinæ Bannezii noviter prodeunti unanimi consensu subscriberent, eamque falso Titulo Thomisticæ doctrinæ commendarent. Quod quam incredibiliter diceretur, quis non videt?

Additamentum.

124 Accedit primo, quod si doctrina de divinis prædiffinitionibus absolutis, ex se efficacibus, et ante prævisum consensum libertatis creatæ habitis, scientiamque mediam denegans, fuit nova, et a Bannez noviter introducta; quænam alia, inquiremus, apud Theologos, tam dominicanos, quam alios antecedenter ad illum annum 1584. quo commentaria Bannezii prodiere circa hanc controversiam (quæ semper agitata fuit, ut in præcedentibus ostensum est) usui habita est? non autem dicere audebunt, eam fuisse doctrinam de scientia media; siquidem ubi primo a Molina prædicta scientia in lucem edita fuit, Theologi universi, tanquam de re in sensu nuper numero 122. dicto, nova, commoti fuere, præsertim vero Dominicani, contemporanei Bannezii, pluresque ex illis, ipso Bannez antiquiores, ita de ea senserunt, ut tanquam doctrinam aliqualiter suspectam (suo videri, de quo tamen nos nihil modo, ut numero 92. hoc ipsum fecimus) continentem, ad supremum Ecclesiæ judicem deferendam censuerint. Imo et ipsi Patres Societatis, cum quibus modo disputamus, expresse asserunt, et in Domino gloriantur, se hujusmodi scientiam mediam invenisse; vel ex antiquis latebris Patrum eruisse : non autem illam ab aliis Theologis, præsertim Dominicanis immediate ipsos præcedentibus accepisse; ergo alia doctrina distincta scientia media prædicti Theologi, tam Dominicani, quam alii, ante illum annum 1584. in hac gravissima controversia utebantur; at talis doctrina non fuit diversa, seu adversa ei, quam Bannez circa hoc tradidit. Tum, quia prædictæ doctrinæ adversæ, præcedentis illum annum 1584. et apud tot, tantosque Theologos, et Dominicanos usitatæ, suisque discipulis traditæ, nec in codicibus, neque in scriptis prælo commissis, nec in vocibus discipulorum, qui Magistros illos antiquos assecuti fuerunt ulla vestigia in Dominicana familia manent, quin potius doctrina de prædiffinitionibus, ex se absolutis, ante prævisum consensum voluntatis creatæ, et denegans scientiam mediam, tanquam antiqua, et unice Thomistica ab omnibus Dominicanis unanimiter, et a pluribus aliis Theologis recipitur, commendatur, et prædicatur. Tum etiam; quia alioqui doctrina hæc Bannezii non fuisset ita libenter, ac unanimi consensu a prædictis Dominicanis admissa; quandoquidem experientia constat, eos nunquam unanimi consensu admittere doctrinam contrariam suæ scholæ; quinimo ita sanam doctrinam zelare, ut si aliquando aliquis ex illis ab ea deviarit, eum ad fidei judices detulerint.

Animadversio.

125 Quæ omnia, necnon et illa, quæ in præcedentibus dubiis ex moralibus conjecturis deduximus, licet non demonstrent demonstratione metaphysica id, quod intendimus, ita ut oppositum contradictionem implicet, probant tamen, quod si res hæc moraliter, et humano modo, ac secundum morales conjecturas, et secundum id, quod communiter, et ut in plurimum accidit, pertractanda est, tunc dici debet, doctrinam hanc de scientia media nec apud Patres, nec apud prædictos antiquos scholasticos, neque apud Thomistas, sive antiquos, sive juniores haberi, et approbari : sed potius ab omnibus illis reprobari. Cæterum cum his stat, ut non propter hæc, aut propter alia, quæ diximus, oppositam sententiam aliqua censura inuramus. Quoniam, ut ea digna non sit, satis est, ut tot ex junioribus adversariis Societatis Jesu, et aliqui alii hujus ætatis Theologi, extra scholam tamen D. Thomæ illam tueantur.

DUBIUM VIII.

Quomodo ex dictis deducatur, doctrinam negantem scientiam mediam præferendam esse doctrinæ illam adstruenti, ubi specialiter Doctores negantes prædictam scientiam recensentur.

126 Ut omnia, quæ in hac disputatione diximus, in promptu habeantur, placuit dubium hoc sigillatim excitare.

§ I.

Resolvitur dubium.

Dicendum ergo est, optime ex iis, quæ asseruimus, deduci, doctrinam denegantem scientiam mediam præferendam esse doctrinæ, illam affirmanti. Probatur assertio. Nam ex dictis constat, doctrinam denegantem scientiam mediam inniti gravissimis testimoniis, quibus opposita sententia vere non innititur : ergo illa huic (juxta ea, quæ diximus) præferenda est. Antecedens probatur. Quoniam sententia denegans scientiam mediam innititur in sacra Scriptura, ut dubio primo hujus disputationis probavimus, et eam docet Augustinus, Prosper, et Hilarius, quorum quoad hoc eadem fuit mens, et consensus, ut dubio secundo, et tertio dictum est. Et deinde eamdem tuentur Divus Thomas, ut dubio quarto, et quinto ostendimus, et omnes, vel fere omnes Patres, ac Theologi antiqui a tempore Augustini, usque ad annum 1560. plus, minusve decurrentes, præcipue vero Patres Concilii Tridentini, ut dubio sexto, et septimo probatum reliquimus, necnon triginta illi gravissimi viri (uno, vel altero excepto) a Clemente Octavo, ad hanc controversiam inter alia examinandam deputati, quibus etiam Summi Pontifices Clemens Octavus, necnon et Paulus Quintus, ut peculiares Doctores subscripsere. Ac denique ex Dominicana familia omnes Theologi, tam antiqui, quam juniores, ut ex dictis in duobus dubiis, immediate præcedentibus, constat : ergo prædicta sententia, denegans scientiam mediam, innititur gravissimis omnium testimoniis, quibus opposita sententia vere non innixa est : siquidem ex diametro cum sententia denegante pugnat.

Corroboratur.

127 Confirmatur. Nam si in particulari, et nominatim loquamur, non quidem de Sanctis Patribus, quos pro nostra sententia esse ex dictis constat, sed de Theologis scholasticis, qui inter Sanctos Patres non numerantur, tunc invenietur, plures, et gravissimos Theologos, tam intra Dominicanam familiam, quam extra eam degentes, scientiam mediam denegare, et sententiam adstruentem illam tot, adeoque graves viros pro se non habere : ergo sententia negans prædictam scientiam, præferenda est sententiæ illam affirmanti. Consequentia videtur certa. Antecedens autem quoad secundam partem constabit ex priori illius parte, et ex iis, quæ § sequenti dicemus.

Quoad priorem vero probatur. Nam sententiam denegantem scientiam mediam docent ex Dominicanis Cajetan. in hoc articulo, Ferrara primo contra Gentes capit. 67. Capreolus in 1. distinct. 38. quæstione 1. articulo secundo, Deza in eadem distinctione, quatenus omnes illi docent, futura contingentia tantum esse certo cognoscibilia, vel secundum præsentiam earum realem, et physicam ad æternitatem, vel ratione decreti, ex se efficacis, divinæ voluntatis, Durandus ibidem quæstione tertia, Albertus Magnus, quæstione 1. articulo 3. Bannez in præsenti, Navarrete primo tomo controversiarum controversia 56. Alvarez secundo de auxiliis, disputatione septima, et in responsionibus ad objectiones adversus concordiam liberi arbitrii cum divina præscientia, providentia, et prædestinatione, libro primo capite primo, et secundo, Ledesma libro de auxiliis disputatione secunda de hac scientia media in secunda parte ipsius, Nunno tertia parte quæstione 62. articulo quinto quæstione secunda, Nazarius, Ripa, Zanardus, Gonzalez in commentariis hujus articuli, Joseph a Sancta Maria, ejusdem ordinis Prædicatorum libro de libero arbitrio in communi, quæstione 4. articulo quinto, folio 626. Martinez prima secundæ quæstione 9. Catherinus opusculo de prædestinatione parte secunda, circa finem. Et denique omnes juniores Thomistæ, maxime vero qui tam extra, quam intra domesticos parietes cathedras moderantur. Ex iis vero, qui sunt extra Dominicanam familiam eam docent Scotus in primo distinctione 39. quæstione prima, usque ad quæstionem quintam, præcipue vero § *viso de contingentia rerum*, ubi docet : quod propositiones de futuro contingenti ante actum divinæ voluntatis, non sunt determinate veræ, sed quasi neutræ : voluntas vero divina eligens unam partem facit illam determinate veram : et ex tunc certo

certo cognoscuntur a Deo : quod non accidit in propositionibus necessariis, quæ quia in illo primo instanti ante determinationem divinæ voluntatis sunt veræ, utpote quæ in sua veritate non dependent a voluntate divina, ideo in illo primo instanti cognoscuntur a Deo : subditque Scotus : *Tunc autem, id est, in illo primo instanti, non sunt vera contingentia : quia nihil est tunc, per quod habeant veritatem determinatam, posita autem determinatione voluntatis divinæ, jam sunt vera, videlicet pro illo secundo instanti, et hæc eadem erit ratio intellectui divino intelligendi ista, quæ sunt jam vera in secundo instanti :* ac proinde hanc eandem sententiam tueri tenentur, ut de facto tuentur, omnes veri discipuli Scoti, et idem docet Estius in 1. dist. 41. § 7.

Pro eadem sententia refertur ab Alvarez loco nuper citato, Ricardus distinctione 38. quæstione 5. art. 1. noster Thomas Uvaldensis, et Thomas de Argentina, Driedo in sua concordia prima parte cap. 4. typis mandata Lovaniæ, anno 1550.

Eandem sententiam aperte tuentur Zumel in hoc articulo disputatione 8. et in secundo tomo opusculorum a disputatione 1. Cabrera tertia parte, disputat. 1. § 22. a num. 338. et quæstione 18. articulo secundo, disputatione 2. Machin Archiepiscopus, et noster Corneio in commentariis ad hunc art. Gaspar Ram. tractatu de divinis præmotionibus relectione 2. et 3. per totas, Leonardus Coquæus Doctor Parisiensis in commentariis ad lib. Sancti Augustini de Civitate Dei, quæ habentur in operibus ipsius Augustini impressis Lutetiæ anno Domini 1613. sub signo navis, ubi se assiduum lectorem, et profundum scrutatorem Augustinianorum operum, multis modis ostendit, et ibi lib. 12. cap. 9. tract. de Prædestinatione Angelorum hanc sententiam tuetur.

129 Pater Henriquez ex Societate Jesu lib. ultimo de fine hominis cap. 4. num. 2. in textu, ubi sic inquit : *Necesse est in signo rationis supponere liberam quandam Dei conditionalem prædiffinitionem, qua posita, novit quid esset facturus in tali rerum concursu, et occasione.* Et hoc ipsum communi Theologorum sententia confirmat cap. 5. in fine, dicens : *Recte concors Theologorum sententia docet, Deum habere prædeterminationem bonorum efficacem ex providentia perfecta ab æterno, in qua et per quam, tanquam per rationem certo omnia sciat.* Et cap. 6. proponit, et solvit argumentum potissimum contrariæ sententiæ his verbis : *Objiciunt quidam : si causa efficax, et suppositio, ex qua infallibiliter sequitur effectus, est jam posita in actu, nec ea est, aut unquam fuit in libertate mea, qui fieri potest, ut effectus, et actus sic a Deo prædiffinitus antecedente voluntate, et mandandus executioni cum efficaci auxilio prævenienti, maneat nunc in libertate nostræ voluntatis?* Quibus respondet primo : *Antecedens esse causam rei, non utcumque, sed rei cum suo libero modo : atque ita infert effectum liberum : alioqui Deus non assequeretur modum, quem sua providentia, et suavi motione intendit, nempe, ut effectus in exercitio libere fiat per causam proximam :* hæc ille. Hieronymus de la Rua vir doctissimus tom. 2. suarum controversiarum Theologicarum, controversia septima, in secunda parte illius, dub. 2. fol. 449. et deinceps, Magister Alfonsus Curiel. qui postquam in suis controversiis in sententiam affirmantem scientiam mediam magis inclinavit, postea in ultima materia, quam in ultimo anno, quo suam primariam Cathedram in hac celebri Salmanticensi Academia moderatus est, nempe in materia de Scientia Christi, ad quæstionem undecimam tertiæ partis Divi Thomæ (quam materiam ab ipso dictatam apud nos habemus, nosque ipsi eo dictante audivimus) retractavit sententiam, quam in controversiis docuerat, eam impugnando, et oppositam, ac nostram sententiam amplectendo. Blasius Verdu, in speciali controversia de hac materia, in qua plurimis, et acribus verbis scientiam mediam insectatur. Nostri Complutenses in secunda parte suæ Logicæ, nempe in libro Perhiermen. Pro eadem etiam sententia citatur a Suarez prologom. secundo de gratia capite primo, Jansenius capite 47. suæ concordiæ Evangelicæ, necnon Roa de providentia, et prædestinatione.

130 Item eamdem sententiam aperto Marte tuetur Academia Lovaniensis, quæ, ut bene notavit Alvarez libro responsionum, capite primo, unanimi consensu constanter negavit, et impugnavit scientiam mediam, in quo unico testimonio plures, et gravissimi Doctores continentur : quinimmo talis eorum communis consensus satis denotat, sententiam denegantem scientiam mediam non esse noviter ab ipsis introductam, sed illam a majoribus accepisse. Maxime qui eam ex Augustini doctrina desumunt.

Eandem sententiam Villegas in Complutensi Academia dignissimus primariæ sa-

cræ Theologiæ Cathedræ possessor novissime amplectitur il suo libro controversiarum controversia tertia disputatione secunda capit. 2. et disputatione quarta capite 1. 2. et 3. ubi in aliquibus ex his capitibus, pro ea refert Magistrum, Alensem, Bonaventuram, Ægidium, Henricum, Aureolum, Rub. Marsilium, Carthusianum, Maironem, Baconium, Basolium, Liquetum, Abulensem, et alios.

Ac tandem hoc ipsum tuentur quamplures alii ex sapientissimis, et gravissimis Magistris, tam aliarum, quam hujus celeberrimæ academiæ Salmanticensis, quorum nomina sigillatim relata, etsi magnam huic nostræ sententiæ, et operi possent conciliare auctoritatem, et splendorem : quia tamen inter nos degunt, et alias scripta sua prælo non mandarunt, propterea ab illis nominatim recensendis inviti abstinemus. Quamvis omittere non possimus magnum illum virum, qui modo dum huic operi insudamus, maximo omnium dolore, et totius hujus Universitatis, imo et orbis jactura, a vivis ereptus est, nempe Magistrum Basilium Pontium Legionensem, Augustinianæ familiæ augustissimam prolem, et in hac celeberrima Academia, cathedræ primariæ sacræ Theologiæ meritissimum moderatorem. Qui post longam, et maturam hujus rei discussionem, et attentam meditationem retractavit publice sententiam admittentem scientiam mediam, quam antea docuerat : et licet semper magnus, attamen se ipso jam factus major, oppositam sententiam, quam nos tuemur, amplexus est.

§ II.

Objectio contra decisionem dubii, et enodatio illius.

131 Nec refert, si objicias etiam pro opposita sententia adduci plura Scripturæ testimonia, pluresque ex sanctis Patribus, ut August. Chrysostom. etc. multos, et graves Doctores, tam ex Societate, quam ex aliis : ergo, etc. Antecedens, quoad Scripturæ, et Sanctorum Patrum testimonia constat ex dictis in hac disputatione numero 7. et numero 126. Quoad Patres vero Societatis probatur. Quia illam tenent Cardinalis Toletus, Bellarminus, Fonseca, Molina, Valentia, Vazquez, Lessius, Granado Benedictus Pereira, et alii, quos refert, et sequitur Suarez, tomo I. de gratia prolegom. 2. cap. 2. Quoad ultimam vero partem, idem antecedens suadent Adversarii ex eo, quod ex aliis extra Societatem illam defendunt Algarb. Episcopus, Diotalenius, Pesantius, Lorca, Stapleton. Mendoza, Ludeu. Tenas, Cordubensis, Zumel, Sotus, Driedus, Vualdensis, et ex antiquis Marsilius, Okam, Gabriel, Gregorius, Argentinas, et Joannes Arboreus, qui omnes a Patre Suarez loco citato in favorem suæ sententiæ referuntur.

Respondetur enim, quod quantum attinet ad testimonia Scripturæ, et Sanctorum Patrum, satis constat ex dictis in hac disputatione fere per totam Scripturam, et Sanctos Patres pro nobis esse, et contra Adversarios pugnare. At quod attinet ad Patres Societatis, non negamus plures ex illis, qui quadraginta, vel quinquaginta ab hinc annis scripserunt, tueri scientiam mediam, et conditionatam. Cæterum de quamplurimis aliis ex illis, et eisdem antiquioribus, qui scripta sua prælo non mandarunt, constat ex iis, quæ Molina, Vazquez, et Granado tradunt, prædictam sententiam non tueri.

Addimus tamen primo, nec omnes ex istis, qui scientiam mediam fatentur, rem ex professo discutere, sed aliquos tantum cursim, et per transellam, ac in fide parentum, exponentes aliqua Scripturæ loca, id asserere : nec cunctos, qui pro hac scientia referuntur esse omnino certum, quod illam adstruant, sed esse in Deo scientiam infallibilem futurorum contingentium, et conditionatorum : quia non explicant, an prædicta scientia scit ponenda in Deo ante, vel post decreta divinæ voluntatis, ut Cardinalis Toletus, et Barrad. et nonnulli alii extra patres Societatis qui solent pro scientia media referri.

132 Addimus secundo, adhuc ex iis Doctoribus, qui scientiam mediam expresse, et ex professo docent, plures ex illis suum testimonium se ipsis, et suis verbis, alias magnum, inficiari, quatenus inquiunt prædictam scientiam non fuisse notam Patribus, aut scholasticis antiquis, ut Fonseca, Vazquez, Molina, Granado, et alii eorum sequaces.

133 Addimus tandem, quod ut diximus num. 92. hujus disp. licet testimonium Patrum Societatis sit semper magni habendum ; attamen, quoad hoc non est tanti ponderis, quanti in aliis, vel quanti testimonium Dominicanorum. Non quidem quia velimus nunc decidere Dominicanos esse

esse præstantiores Theologos, quam Patres Societatis, hujus enim, sicut et spirituum, ponderator est Dominus ; sed præcise, quia, ut loco citato dicebamus, Dominicani nulla ducti necessitate ab extrinseco, et vestigia majorum suorum sequentes, scientiam mediam denegant : Patres vero Societatis necessitate ab extrinseco (ut aiunt) proveniente, quasi compulsi sunt, doctrinam adstruentem scientiam mediam tueri, hoc ipso quod probabiliter id facere possent, ut latius loco citato explicuimus, et in hoc nulla ratione vestigia suorum majorum sunt secuti : ac proinde ex his duobus capitibus eorum testimonium aliquantulum (si sic licet loqui) deficit.

134 Ad illud autem, quod in eadem objectione circa Doctores scholasticos, qui non sunt ex Societate, adducitur, dicendum est, quatuor priores auctores una cum Mendoza esse ex illis, qui intra prædictum recens tempus, vel fere intra illud scripserunt, non vero ex antiquioribus, et gravioribus. Deinde addimus Ludovicum Tenas nulla ratione loco in argumento citato hanc scientiam tueri, ut intuenti illum constabit. Cordubensem vero, Zumel, Driedonem, Uvaldensem, Argentinam potius pro nobis, quam contra nos esse, ut advertit Alvarez loco citato ; Sotus autem asserit multas esse conditionales promissivas, de quarum veritate nobis non potest constare ; sed Deus solus scit, veræne sint, an falsæ ; licet autem expresse non faciat mentionem divini decreti, non tamen illud negat, nec potest colligi illud negare, ut non bene intulit Diotalevius, ex eo quod nulla facta mentione divini decreti asserit, in illis propositionibus conditionalibus esse veritatem, non ex vi illationis, sed ex eo, quod de facto antecedens, verum non sit sine consequenti.

Non itaque hoc inde potest colligi : quia juxta Soti sententiam, quod de facto non sit verum antecedens sine consequenti, non potest aliunde provenire, nisi quia Deus suo decreto, ex se efficaci, hoc ipsum sic prædiffinierit. Et ita licet talis propositio non sit vera ex vi illationis terminorum, atque adeo ex vi (ut aiunt) illationis intrinsecæ absolutæ, et naturalis, in prædicta connexione fundatæ, bene tamen ex vi illationis fundatæ in divino decreto, et ex suppositione illius : quæ quidem illatio extrinseca potest dici, quatenus non est ex vi intrinsecæ connexionis terminorum.

135 Ad id tandem, quod de Marsilio, Okamo, Gabriele, et Gregor. adducitur, respondetur cum Alvarez loco citato, nullum ex prædictis Doctoribus esse plane pro contraria sententia. Ad locum autem Joannis Arborei dicendum est, ejus doctrinam non esse admittendam. Nam loco citato refert sententiam Sancti Augustini, et ipsam rejicit, et sequitur sententiam Origenis. Et ideo in hac parte nullius est auctoritatis ; cum constet sententiam Divi Augustini circa prædestinationem, et gratiam esse a multis Summis pontificibus approbatam.

Ex quibus omnibus sequitur, non ita bene rem hanc Franciscum Suarez librasse, dum in prolog. 2. de gratia cap. 1. num. 12. loquens de sententia adstruente scientiam mediam, concludit : *Hæc ergo sententia in auctoritate Theologorum, non solum recentiorum, sed etiam antiquorum scholasticorum longe contrariam superat.* Nam oppositum hujus ex dictis satis, superque constat.

Unde etiam constat, minus bene Didacum de Baeza tomo 3. commentariorum moralium in Evangelicam historiam lib. 14. cap. 16. dixisse, quod extra Dominicanam familiam, qui doctrinæ neganti scientiam mediam, subscripserint, rari inveniuntur, et quod ipse solum reperit Reverendum Magistrum Zumel, et reverendissimum magistrum Joannem Machim, et Magistrum Cabrera, et quod si velimus Ordinem beatæ Mariæ de Mercede, ut filiam amantissimam parenti optimo Dominico adscribere, ut quæ sub Divi Raymundi Dominicani auspiciis nata fuerit, unus auctor manebit adhuc notus, qui Societatis doctrinæ, scriptis libris adversetur, nempe Cabrera. Ex dictis igitur constat, minus bene id esse dictum : siquidem tot ex Patribus, et ex antiquis, ac junioribus scholasticis pro nobis, et contra scientiam mediam adduximus.

DISPUTATIO XI.

De impossibilitate scientiæ mediæ ex defectu necessitatis ejus, et ex incomposibilitate illius cum aliis, quæ sunt in Deo, desumpta.

1 Quia nihil potest esse in Deo, quod ad aliquid non sit necessarium, vel

quod cum aliis, quæ sunt in ipso, incomposibilitatem habeat, ut ex se constat; propterea possibilitas, vel impossibilitas conveniendi Deo scientiam mediam, ex hoc quod sit, vel non sit illi ad aliquid necessaria, vel ex eo, quod habeat, aut non habeat incomposibilitatem cum aliis perfectionibus divinis, optime desumitur : et ideo ad impossibilitatem scientiæ mediæ magis examinandam, sigillatim disputationem hanc excitare placuit.

DUBIUM I.

Utrum scientia media sit Deo necessaria ad hoc, ut certo possit prædestinare, vel consensum voluntatis creatæ, absque læsione suæ libertatis, efficaciter prædifinire, an vero utrumque horum tollat?

Quia duæ ex potissimis rationibus, quibus plures auctores sententiæ oppositæ moventur ad ponendam scientiam mediam, est, quia credunt eam esse omnino necessariam ad duo illa munera, quæ in titulo recensuimus, propterea ut ex hoc etiam capite inter alia maneat hæc scientia media impugnata, de hoc, primo loco in hac disp. inquirimus.

§ I.

Opinio recentiorum.

Sententia affirmans. Suarez, et omnes, aut fere omnes scientiæ mediæ auctores, sentiunt scientiam mediam esse omnino necessariam ad illa duo in titulo recensita. Fundamentum autem quoad necessitatem hujus scientiæ in ordine ad certitudinem divinæ prædestinationis, nullum est aliud, nisi quia Deus non potest aliquem adultum prædestinare per prædestinationem omnino certam, nisi sciat media, quibus æternam beatitudinem consecuturus est; alioqui enim temere, et non per prædestinationem omnino certam prædestinaret, ut ex se constat; at hæc media debent sciri per scientiam mediam, sive conditionatam; ergo, etc. Minor probatur. Quoniam hæc media, quorum cognitio debet præcedere prædestinationem, adulti, nulla alia possunt esse, nisi quod si in tali, vel tali occasione vocetur, consentiet; et quod si talibus, vel talibus tentationibus urgeatur, non succumbet; sed tandem ita se habebit, ut saltim in gratia decedat; hæc autem omnia, quippe quæ sunt futura contingentia conditionata, videntur ad scientiam mediam pertinere, ut proprium illius objectum, atque adeo per illam debere cognosci.

Fundamentum quoad primam partem.

Fundamentum vero ejusdem sententiæ, quoad secundam partem nullum etiam potest esse, nisi illud, quod sæpe Adversarii adducunt, nimirum, quod si Deus aliquid pendens a voluntate creata prædiffiniat, ante prævisum consensum illius per scientiam mediam, ac proinde talis scientia non præcedit illam prædiffinitionem, tunc tolleretur libertas arbitrii creati; ex eo quod infallibilitas talis consensus, inde secuta, proveniret ex aliquo extrinseco, et quod non esset in potestate voluntatis creatæ, sed consensum illius antecederet, scilicet ex efficacia divinæ voluntatis; et ita esset infallibilitas, et necessitas antecedens; quæ juxta communem sententiam Theologorum, libertati opponitur.

Quoad secundam.

§ II.

Assertio prior.

Assertio prior. 2 Dicendum tamen est primo, scientiam mediam non esse necessariam ad hoc, ut Deus efficaciter prædiffiniat consensum liberum voluntatis creatæ, salva ejus libertate; quinimo tali scientia data, nequit talem consensum, salva prædicta libertate, sive voluntatis creatæ, sive divinæ, prædiffinire. Ita communiter Thomistæ, et omnes fere auctores scientiam mediam denegantes. Assertio hæc, quoad primam partem constat ex iis, quæ supra disp. 7. dub. 2. et disp. 8. dub. 1. diximus; et ex illis, quæ in tract. de Volunt. Dei disp. 10. num. 78. et deinceps dicemus, ostendentes, quod ex hoc quod divina voluntas sit ex se efficax, et possit efficaciter velle quidquid sibi placuerit, et eo modo, quo placuerit, scilicet quod fiat libero, vel necessario modo a creatura, oritur, quod ipsa creatura in actu secundo sit libera : ac proinde ex eo, quod Deus absque dependentia a prævisione consensus per scientiam mediam, efficaciter prædiffiniat aliquid libere faciendum a creatura, non destruitur, sed potius ponitur ejus libertas in actu secundo.

Probatio assertionis primæ.

Quoad secundam vero partem eadem assertio suadetur ex iis, quæ in hoc tract. disp.

disp. 7. num. 64. et sequentibus asseruimus, nempe data scientia media, destrui, tam libertatem voluntatis divinæ, quam creatæ : et per consequens si talis scientia est necessaria ad prædiffinitionem divinam, non poterit Deus, salva libertate, sive suæ, sive creatæ voluntatis, aliquid prædiffinire.

§ III.

Assertio secunda.

Assertio secundæ.

3 Dicendum est secundo, scientiam mediam non esse necessariam ad certitudinem divinæ prædestinationis ; sed sine illa posse optime Deum, quem sibi placuerit, prædestinare. Ita omnes Doctores, quos præcedenti disput. dub. ult. pro nostra sententia retulimus. Assertio hæc ex præcedenti aperte sequitur. Nam hoc ipso, quod voluntas divina sit ex se ita efficax, ut quidquid ipsa voluerit fieri a creatura libero modo, id libere fiat ab eadem creatura, non poterit non veritas hæc per scientiam simplicis intelligentiæ cognosci : siquidem hæc efficacitas pertinet ad intrinsecam perfectionem divinæ voluntatis : ergo eo ipso poterit certissime, quem sibi placuerit prædestinare, absque indigentia alicujus alterius scientiæ mediæ, præsuppositæ ad prædestinationem. Patet consequentia. Nam qui certo scit, se habere omnipotentissimam potestatem inclinandi libere voluntatem creatam, quo sibi placuerit, atque adeo inclinandi illam perseveranter in bonum, eo ipso absque aliqua ulteriori scientia media, sive conditionata, prærequisita ad id, poterit quamcunque creaturam intellectualem, et liberam, in æternam beatitudinem, certo, et libere consequendam, ordinare.

Fundamentum secundæ.

§ IV.

Assertio posterior.

Assertio tertia.

4 Dicendum est tertio, scientiam mediam non solum non esse necessariam ad prædestinationem, aut certitudinem ejus ; verum prædestinationem ipsam, ac proinde ejus certitudinem non posse cum scientia ista cohærere. Assertionem hanc communiter docent discipuli Divi Thomæ : et eam tueri tenentur plures Doctores disp. præcedenti, dub. ult. pro nobis relati.

Ratio autem fundamentalis illius innuitur a Divo Thoma locis statim referendis, potestque sub hac forma proponi. Quoniam non potest cohærere cum essentia prædestinationis, quod non sit causa mediorum efficaciter, seu cum effectu conducentium ad consecutionem æternæ vitæ, necnon et consecutionis ejusdem æternæ vitæ, ac proinde nec cum certitudine prædictæ prædestinationis id poterit cohærere, siquidem prædestinatio ab intrinseco petit, quod sit certa ; ergo nec poterit cum ea cohærere, quod prædicta media, et consecutio æternæ vitæ non habeant ab ea dependentiam : ergo nec etiam poterit cum ipsa necti, quod detur scientia media præcedens eandem prædestinationem.

Prima ratio tertiæ assertionis.

Antecedens, ex quo utraque consequentia pendet, suadetur, tum ex D. Thom. tum etiam ratione ex eodem desumpta. Ex D. quidem Thoma. Nam ipse 1. part. quæst. 22. art. 2. et 3. et de Veritate quæst. 5. art. 1. et 2. ait, quod providentia Dei est causa rerum : et in eadem quæst. 5. art. 1. ad 7. asserit, quod providentia Dei est causa omnium : et in art. sequenti probat, Deum per suam providentiam cuncta gubernare ; et 1. part. quæst. 103. art. 4. ait, quod si effectus hujus gubernationis divinæ providentiæ, qui in nobis ab illa causantur, considerantur in particulari, sic sunt nobis innumerabiles. Unde cum prædestinatio sit perfectissima quædam, et specialis Dei providentia, inde est, ut debeat esse causa eorum, ad quæ se extendit. Et ita idem S. Doctor loquens de illa infra quæst. 23. art. 6. et quæst. 6. de Verit. art. 3. sentit, eam esse certam, non solum certitudine præscientiæ, sed etiam certitudine causalitatis, his verbis : *Præscientia ergo Dei, quia non importat universaliter habitudinem causæ respectu horum, quorum est, non consideratur in ea, nisi certitudo cognitionis tantum : sed prædestinatio, quia præscientiam includit, et habitudinem causæ ad ea, quorum est, addi, in quantum est directio, sive præparatio quædam, et sic potest in ea considerari supra certitudinem cognitionis, certitudo ordinis.*

Probatio antecedentis D. Angel.

5 Ratione vero ex eodem Angel. Doct. desumpta, idem antecedens suadetur. Tum quia providentia, tam generalis, quam specialis est recta ratio agibilium, non

Alia probatio antecedentis.

quidem speculativa, sed practica. Constat autem rectam, et practicam rationem agibilium esse causam rerum. Tum etiam; nam ut ex Philosopho explicat D. Thom. 1. part. quæst. 23. art 4. providentia præsupponit voluntatem finis, et formaliter consistit in ordinatione, et præparatione mediorum ad illum adipiscendum; et ita erit causa, saltim directiva adipiscendi prædictum finem; siquidem prædicta voluntas finis, et ordinatio mediorum non potest non habere aliquem influxum, et causalitatem respectu adeptionis illius per talia media.

Suadetur prima consequentia.

Ex quo etiam prima consequentia satis constat. Quoniam non potest cohærere cum hoc, quod est aliquid esse causam alicujus rei, quod consecutio talis rei, et media, per quæ assequenda est, non habeant ab eo dependentiam, ut ex se constat; ergo si prædestinatio debet esse causa consecutionis æternæ vitæ, et mediorum cum effectu ad illam conducentium, non poterit cum ea cohærere, quod prædicta media, et consecutio vitæ æternæ non habeant ab ea dependentiam.

Ostenditur primo vis secundæ consequentiæ.

Ex quo etiam secunda consequentia satis patet. Tum, quia hoc ipso, quod detur scientia media, per quam Deus cognoscat antecedenter ad prædestinationem, et independenter ab illa, quod si Petrus in his, et illis occasionibus vocetur, et constituatur, consentiet, et tandem perseverabit, et vitam æternam consequetur; tunc media ista, et consecutio vitæ æternæ non penderent a prædestinatione, tanquam a causa illorum; alioqui non posset Deus antecedenter ad eandem prædestinationem et independenter ab illa præscire per scientiam mediam prædictos effectus contingentes, et conditionatos; ergo sicut non potest cohærere cum essentia prædestinationis, atque adeo nec cum certitudine illius, quod consensus ille, perseverantia, et consecutio vitæ æternæ non habeant dependentiam a prædestinatione, tanquam a causa; ita nec poterit cum ipsa, et per consequens nec cum certitudine ejus necti, quod detur scientia media, præcedens eandem prædestinationem, seu independens ab illa; siquidem, ut modo dicebamus, hoc ipso, quod hæc detur antecedenter ad prædestinationem, et independenter ab illa, nequeunt prædicta futura conditionata pendere a prædestinatione, tanquam a vera causa illorum.

6 Tum etiam: quia cum dicitur, Deum cognoscere, quod si Petrus in his, et illis occasionibus vocetur, consentiet, ac tandem vitam æternam consequetur: vel in hoc objecto involvitur implicite prædestinatio ipsa, ita ut sit sensus, quod si Petrus prædestinetur, et vocetur in prædictis occasionibus, consentiet, et vitam æternam consequetur? vel non involvitur? Si primum, ergo illud objectum non cognoscetur per scientiam mediam, sed per scientiam simplicis intelligentiæ: siquidem illa consequentia conditionalis, *Si Petrus prædestinetur a Deo, salvabitur,* est consequentia formalis, et cuique nota: ac proinde nec cum essentia, et certitudine prædestinationis cohærebit, quod scientia ad illam necessario præcedens, sit scientia media.

Si autem secundum dicatur, ergo scientia illa, qua cognoscitur prædictum objectum independenter a prædestinatione, et absque eo, quod ipsa ibidem involvatur, non poterit etiam cohærere cum essentia prædestinationis, atque adeo nec cum certitudine illius: quandoquidem eo ipso tollitur a prædestinatione, quod ab ea pendeat prædictum objectum: et per consequens, quod sit causa illius consensus, et consecutionis vitæ æternæ; quod quidem per se, et ab intrinseco requiritur ad essentiam prædestinationis, et ejus certitudinem.

Confirmatio nis pro assertione.

7 Confirmatur, et explicatur. Nam si loquamur de Petro ordinato ad salutem æternam, non quidem in sensu conditionali, sed absoluto, certum est illum non consecuturum æternam vitam, nisi dependenter a prædestinatione, tanquam a causa illius consecutionis; ergo nec sub hypothesi, aut conditione aliqua futurum erit, quod Petrus consequeretur vitam æternam, nisi Deus illum prædestinaret, præparando illi per hanc suam providentiam specialem specialiora media ordinis gratiæ; ergo nec Deus potest scire, antecedenter ad prædestinationem, quod facta quavis hypothesi Petrus salvabitur, nisi ibidem involvatur, saltim sub conditione, prædestinatio, per quam præparentur illa specialiora auxilia, nec talis scientia poterit ulla ratione esse scientia media.

Probatur antecedens. August.

Antecedens hujus confirmationis ex se constare videtur; et illud docent, tum. D. August. lib. de hæresibus num. 88. ubi referens hæresim Pelagii, et Cælestii, sic ait: *Hi Dei gratia, qua prædestinati sumus in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, et qua eruimur de potestate tenebrarum, ut in eum credamus, atque in regnum ipsius*

ipsius transferamur, propter quod ait, Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum a Petro meo, et qua diffunditur charitas in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur, in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata. Tum etiam, Conc. Trid. sess. 6. can. 22. ubi diffinitur, justificatum, sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare non posse, ac proinde nec sine speciali Dei providentia, quæ non potest esse alia, nisi prædestinatio, a quaque donum perseverantiæ procedit, vitam æternam consequetur.

Vis primæ consequentiæ aperitur.

8 Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Nam quod requiritur ex parte causæ, ut executioni mandetur futurum absolutum, desideratur sub hypothesi, ut executioni mandaretur futurum conditionatum, et nihil aliud ad illud requiritur; alioqui non esset verum : quandoquidem ut mandaretur executioni, aliquid aliud desideraretur, quam totum illud, quod in ejus hypothesi clauditur. Et ita licet poneretur in re, illa conditio, et totum, quod in ea includitur, non esset futurus ille effectus, quod quidem est, esse falsum illud conditionatum.

Probatio secundæ consequentiæ, quoad utramque partem.

Ex quo etiam secunda consequentia, quoad priorem partem satis constat. Nam si futura salus Petri, adhuc sub conditione non dabitur, nisi ibidem sub hypothesi involvatur prædestinatio, consequens est, ut nec possit a Deo etiam sub conditione certo cognosci, nisi ibidem, saltim sub hypothesi prædestinatio ejusdem Petri involvatur. Ex quo tandem secunda pars ejusdem consequentiæ satis liquet : siquidem ut sæpe diximus, scientia de aliquo futuro conditionato, involvens prædestinationem, aut decretum efficax Dei, saltim sub hypothesi, non pertinet ad scientiam mediam. Sed de his videantur ea, quæ supra disp. 7. a num. 48. usque ad 75. et a num. 102. usque ad num. 150. diximus, necnon et ea, quæ disp. 9. a num. 5. usque ad num. 88. adduximus. Per quæ omnes evasiones Adversariorum corruunt : et ideo ne eadem iterum repetamus, ab eis consulto abstinemus, maxime quia ex sequenti ratione magis corruent.

Ad ultimam rationem assertionis tria præsupponuntur.

9 Secundo ergo principaliter probatur assertio, et simul tacita quædam evasio præcluditur, ratioque præcedens magis confirmatur, supponendo tamen tria. Primum est, quod donum perseverantiæ, juxta Trident. loco citato, est speciale donum adhuc respectu justificatorum : quæ tamen specialitas non tribuitur pluribus aliis auxiliis ordinis gratiæ, quale est illud, quod tribuitur justificato ad peculiarem aliquem actum, v. g. fidei supernaturalis eliciendum.

Secundum est, hanc specialitatem non posse consistere in hoc, quod postquam Deus habuit conditionatam voluntatem salvandi omnes, id est, voluntatem salvandi illos, nisi per ipsos steterit, atque adeo tribuendi communia auxilia ad perseverandum, et postquam (juxta oppositam sententiam) vidit, quod talia auxilia communia in aliquibus constitutis in hoc ordine, v. gr. rerum sortiuntur effectum, in alio vero non sortiuntur, tunc elegerit respectu eorum, qui perseveraturi sunt, constituere eos in ordine, in quo prævidit cum communibus auxiliis perseveraturos, non vero in eo ordine, in quo prævideret, quod non perseverabunt, ita ut in hac voluntate consistat specialitas doni perseverantiæ : quandoquidem hoc etiam invenitur in aliis auxiliis ordinis gratiæ, quæ non dicuntur specialia, cum Deus etiam prævideret Petrum positum in tali ordine rerum cum communibus auxiliis crediturum; et in alio ordine cum prædictis auxiliis non crediturum : et similiter elegerit tribuere illi prædictum auxilium in eo ordine, et serie rerum, in quo præscivit crediturum.

Tertium est, quod hoc ipso, quod specialitas doni perseverantiæ non consistat in hoc, quod nuper diximus, debet afferre infallibilem nexum cum ipso *perseverare* : alioqui ipse actus perseverandi, tantum mandaretur executioni per communia auxilia, oblata tam perseveraturis, quam non perseveraturis, de quibus, juxta oppositam sententiam, prævisum est, quod aliquando habebunt effectum, aliquando vero non.

Formatur ratio.

10 Hinc ergo sequens deducitur ratio. Quoniam illa scientia debet præcedere, ut necessaria ad certitudinem prædestinationis, per quam præcognoscitur specialitas doni perseverantiæ jam dicta, et infallibilis nexus, quem habet cum ipso *perseverare*; et illa scientia repugnat præcedere ad illam, ut quid necessarium ad ejus certitudinem, per quam prædicta specialitas. et nexus nequit cognosci : at hoc nequit cognosci per scientiam mediam; ergo repugnat, hanc præcedere ad prædestinationem, ut necessariam ad ejus certitudinem. Major videtur certa. Quoniam ad certitudinem prædestinationis requiritur, ut præcedat scientia, et certitudo mediorum, inter quæ potissimum est donum perseverantiæ, habens prædictam specialitatem, et nexum.

Minor vero probatur. Quia specialitas illa, et infallibilis nexus doni perseverantiæ affert secum bonitatem consequentiæ, ita ut hæc sit legitima consequentia : *Si Petro, v. g. aut cuivis alteri tribuitur donum perseverantiæ, seu auxilium speciale ad perseverandum ; numquam stabit, nec in eo, nec in aliquo alio, quod non perseveret* : ergo objectum hoc repugnat pertinere ad scientiam mediam : quæ etiamsi admittatur, non terminatur ad veritates infallibiles, quæ innituntur in bonitate consequentiæ ; sed ad veritates conditionatas, in quibus non reperitur bonitas, et illatio consequentiæ, consistens in hoc, quod non stet antecedens esse verum, et consequens falsum.

Corroboratur. 11 Confirmatur, et explicatur. Quia alioqui prædestinatio, solum adderet supra providentiam Dei generalem, certitudinem præscientiæ, quatenus Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut quemlibet alium, cum hoc tamen discrimine, quod de prædestinato scit per scientiam mediam, quod non deficiet a consecutione æternæ salutis ; hoc autem videtur maximum inconveniens ; ergo, etc. Sequela videtur perspicua. Quia juxta oppositam sententiam (de cujus veritate modo non disputamus) scit Deus, quod si Petro, v. g. tribuantur in hac, vel illa occasione communia auxilia gratiæ, convertetur, et perseverabit ; secus vero Paulus ; et postea Deus in sequenti signo non providet de aliis auxiliis, in ordine ad hoc, ut idem Petrus consequatur vitam æternam ; sed solum de iis, cum quibus prævidit consensurum, et perseveraturum ; quamvis cum eisdem, et forte majoribus Paulus prævisus sit non consensurus, aut in gratia non perseveraturus ; ergo prædestinatio supra certitudinem providentiæ nihil aliud addit, nisi certitudinem præscientiæ, quatenus Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut quemlibet alium, cum hoc tamen discrimine, quod de prædestinato scit, quod non deficiet a consecutione vitæ æternæ.

Falsitas autem consequentis etiam constat. Quia alioqui prædestinatus non differret a non prædestinato ex parte ordinis, seu directionis divinæ, et peculiari efficacitate ipsius, sed tantum ex parte præscientiæ eventus ; et ita præscientia esset causa prædestinationis, et prædestinatio non esset per omnino gratuitam electionem prædestinationis.

Elegans testimonium D. Thom. Quem discursum desumpsimus ex D. Thom. quæst. 6. de Veritate art. 3. ubi impugnans hunc Adversariorum dicendi modum, sic ait : *Non enim potest dici, quod prædestinatio supra certitudinem providentiæ nihil aliud addit, nisi certitudinem præscientiæ, ut si dicatur, quod Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut et quemlibet alium, sed cum hoc tamen de prædestinato scit, quod non deficiet a salute. Sic enim dicendo, non diceretur prædestinatus differre a non prædestinato ex parte ordinis, sed tantum ex parte præscientiæ eventus, et sic præscientia esset causa prædestinationis, nec prædestinatio esset per electionem prædestinantis : quod est contra sacram Scripturam, et dicta Sanctorum. Unde præter certitudinem præscientiæ ipse ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem.*

Adversariorum solutio. 12 Nec necesse erit, adducere solutionem Adversariorum, scilicet quod hoc ipso, quod prædestinatio supra certitudinem providentiæ addat certitudinem præscientiæ, oportet, ut etiam addat peculiarem voluntatem gratuitam constituendi prædestinatum in his, vel illis occasionibus, in quibus præscit Deus per scientiam mediam, illum consensurum, ac tandem in gratia perseveraturum.

Rejicitur ex dictis. Non itaque necesse erit, solutionem hanc adducere. Quoniam ex dictis in confirmatione ista, necnon dub. 1. disp. præced. satis corruit. Nam quod hæc voluntas sit efficax, et certo habitura effectum, non oritur ex meritis ipsius : ex eo, quod ipsa habeat independenter a consensu liberæ voluntatis creatæ, per scientiam mediam præviso, efficacitatem infallibilem, ad hoc, ut faciat, quod voluntas creata libere consentiat, et perseveret : nec etiam talis voluntas Dei habet hanc efficaciam infallibilem, et certam ex vi alterius voluntatis divinæ, ut Adversarii fatentur ; ergo loquendo de iis, quæ ex parte Dei se tenent, prædestinatio nullam aliam certitudinem addit supra providentiam, nisi tantum certitudinem præscientiæ : siquidem hæc certitudo ex parte Dei, solum potest oriri vel ex certitudine, et infallibilitate suæ scientiæ, vel ex efficacitate infallibili, et certissima suæ voluntatis. Quare si quæ erit discretio inter prædestinatum, et non prædestinatum, et si quæ infallibilitas consequendi vitam æternam in prædestinato invenitur, hæc orietur, ut a prima radice, ex libera voluntate prædestinati, associata

ta tamen gratuitæ voluntati Dei, ut multis disp. præced. num. 12. et deinceps ostendimus : et ex parte Dei solum addetur certitudo divinæ præscientiæ, quatenus hoc ipso, quod prædestinatus reipsa se discernat a non prædestinato per suum consensum, et perseverantiam, modo dicto sumptam, non poterit non hoc certo a Deo prævideri. Ex quo etiam fiet, ut optime infert D. Thom. quod prædestinatio non esset per electionem prædestinantis : siquidem prima radix hujus discretionis, et prædestinationis non oriretur ex gratuita Dei voluntate, sed ex libero arbitrio ea associato.

§ V.

Solutio fundamenti primæ sententiæ.

Ad fundamentum primæ sententiæ, quoad primam ejus partem.

12 Ad fundamentum primæ sententiæ pro prima ejus parte ex dictis in hoc eodem dub. concedendam esse majorem, et negandam minorem. Et ad probationem dicendum est, media, per quæ adulti consequuntur vitam æternam, esse bona eorum opera : ad hoc autem, ut Deus certo sciat, suam prædestinationem non esse frustrandam ex defectu eorum, satis est, quod per scientiam simplicis intelligentiæ præcognoscat efficaciam suæ voluntatis, esse tantam, ut quidquid ipsa voluerit, et eo modo quo voluerit fieri id ipsum a creaturis fiet. Nam eo ipso poterit certo intendere quemcumque finem, qui sibi placuerit : siquidem in potestate divinæ voluntatis sunt omnia media, ab ipsis etiam creaturis adhibenda. Sed de his videantur ea, quæ supra diximus, disp. 9. num. 5. explicantes, quomodo hæc propositio, *Si voluntas divina voluerit efficaciter aliquid a creatura fieri libero modo, id infallibiliter fiet*, et aliæ similes, si sumantur in vi consequentiæ formalis, tantum sunt nomine tenus propositiones de futuro ; et ita per scientiam simplicis intelligentiæ debet objectum illarum a Deo attingi. Utrum autem aliunde, ante decretum prædestinationis cognoscat Deus aliqua futura conditionata in decretis conditionatis, et efficacibus illorum? alia quæstio est, quæ ad præsens non spectat.

Ad fundamentum pro secunda parte.

Ad fundamentum ejusdem sententiæ pro secunda ejus parte patet ex iis, quæ supra disp. 7. dub. 2. et disput. 8. dub. 1. diximus, et in tract. de Voluntate Dei disp. 10. num. 78. et deinceps dicemus.

DUBIUM II.

Utrum ex alio etiam capite scientia media sit incomposibilis cum divina prædestinatione respectu adultorum?

14 Ut magis pateat, quomodo scientia media, non solum non prosit, verum etiam obsit fini, propter quem introducitur, nempe divinæ prædestinationi : propterea visum est nobis dubium hoc peculiariter movere.

§ I.

Enodatio dubii.

Assertio.

Dicendum ergo est, quod ex alio capite scientia media non potest cohærere cum prædestinatione adultorum, et e contra, quatenus prædestinatio istorum, saltim connaturaliter, debet fieri independenter, vel tanquam a causa, seu ratione a priori, aut saltim tanquam a conditione prævia, a bonis operibus eorum, prævisis ut futuris. Si autem detur scientia media, debet oppositum contingere. Ita quamplures Doctores disp. 10. dub. ult. relati.

Ratio illius quoad primam partem.

Ratio hujus assertionis ; quoad priorem partem, nimirum prædestinationem adultorum, saltim connaturaliter loquendo, non dari cum prædicta dependentia a bonis operibus, prævisis, ut futuris, constabit ex dicendis in tract. de Prædestin. pro nunc autem sufficiat, tum illud Pauli ad Rom. 9. *Cum enim nondum nati fuissent aut aliquid boni, aut mali egissent (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus ; sed ex vocante dictum est ei : quia major serviet minori, sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Quæ verba D. August. lib. 2. contra duas Epist. Pelagianor. cap. 7. sic explicat, *Propter quod desipitis, qui dicente veritate non ex operibus, sed ex vocante dictum est, vos dicitis ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum esse præsciebat, Jacob fuisse dilectum : atque ita contradicitis Apostolo dicenti, Non ex operibus : quasi non posset dicere, Non ex præsentibus, sed ex futuris operibus : sed ait, Non ex operibus, ut gratiam commendaret.*

Tum etiam aliud testimonium D. August. lib. de Prædest. Sanct. cap. 17. ubi sic ait : *Hæc est immobilis veritas prædestinationis, et gratiæ. Nam quid est, quod ait Apostolus, Sicut elegit nos in ipso ante Mun-*

di constitutionem? quod profecto si propterea dictum est, quia præscivit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes, contra istam præscientiam loquitur filius, dicens; Non vos me elegistis, sed ego elegi vos; cum hoc potius præscierit Deus, quod ipsi eum fuerant electuri, ut ab illo mererentur eligi. Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit : electi sunt autem de Mundo ea vocatione, qua Deus id, quod prædestinavit, implevit.

Ratio assertionis quoad secundam partem.

15 Ratio vero ejusdem assertionis, quoad secundam partem, nempe, quod si datur scientia media, seu antecedens libera decreta divinæ voluntatis, sequatur quod necessario debeat dari causa, seu ratio a priori, vel saltim conditio prærequisita ad prædestinationem adultorum, scilicet bona opera prævisa eorum, insinuatur a D. Thom. locis supra citatis; et in tract. de Prædestinatione referendis, potestque sub hac forma proponi.

Quoniam si Deus per hanc scientiam mediam prævidisset Petrum, v. g. si constituatur in hoc, vel illo, aut in quovis alio ordine, restiturum gratiæ, et non perseveraturum in ea, non posset illum prædestinare : siquidem juxta oppositam sententiam, indispensabiliter requiritur ad hoc, ut Deus aliquem adultum, qui mediis bonis operibus vitam æternam consequatur, possit prædestinare, ut per hanc scientiam mediam prius videat, quod si in hoc, vel illo ordine rerum constituatur, et a Deo vocetur, tunc in aliquo eorum constitutus, non resistet gratiæ, sed potius illi consentiet, et in Dei amicitia perseverabit; ergo, quod illum prædestinet, dependet a bono consensu prius viso per hanc scientiam, vel tanquam a causa, seu ratione a priori, vel saltim tanquam a conditione, non qualicumque, sed necessario prærequisita. Patet consequentia. Nam quoties negatio est causa negationis, etiam affirmatio debet esse causa, seu ratio a priori, vel saltim conditio prærequisita, ad affirmationem : ut si Petrus nequit currere, quin vivat, oportet, ut affirmatio vitæ aliquo ex modis prædictis requiratur ad affirmationem cursus ejusdem Petri.

§ II.

Duæ priores evasiones juniorum, et præclusio earum.

Prior evasio.

16 Occurrunt primo Adversarii, casum illum esse impossibilem; quia cum sint infiniti ordines rerum, in quibus Petrus potest constitui, implicat, quod saltim in aliquo eorum non prævideatur, quod si a Deo sic, vel sic vocetur, consentiet gratiæ, et perseveret.

Evertitur primo.

Sed hæc solutio non evacuat vim rationis factæ. Tum quia, juxta oppositam sententiam, non potest assignari sufficiens ratio, propter quam sit infallibile, Petrum constitutum in aliquo ex illis ordinibus rerum, consensurum gratiæ, et in ea perseveraturum : atque adeo non est ratio, cur in omnibus illis non conjungatur de facto dissensus Petri cum vocatione Dei : siquidem voluntas Dei vocantis, et ad consensum Petri præcedens, non est juxta oppositam sententiam, de se efficax, et infallibiliter inferens effectum : et ita nihil obstat, quominus in quocumque ordine rerum conjungatur cum dissensu Petri.

Alia eversio.

Tum etiam : quia adhuc admisso, casum esse impossibilem, manet argumentum in sua vi. Quoniam consequentia, seu conditionalis in eo facta, est formalis, et ita semper, et universaliter est verum, quod si Petrus in illo ordine rerum prævideatur per scientiam mediam non consensurus (sive conditio hæc sit possibilis, sive impossibilis) tunc Petrus nequibit mediis bonis operibus, seu quatenus adultus prædestinari : ergo signum est, quod per locum intrinsecum prædestinatio pendet a bonis operibus Petri prævisis, vel tanquam a causa, seu ratione a priori, vel saltim tanquam a conditione, necessario prærequisita : alioqui enim non esset cur prædicta conditionalis esset indispensabiliter vera. Sicut si ad distinctionem Verbi Divini ab Spiritu Sancto non prærequireretur necessario, et indispensabiliter processio hujus ab illo, non esset cur hæc conditionalis esset etiam indispensabiliter vera : nimirum, *Quod si Spiritus Sanctus per possibile, vel impossibile non procederet a Filio, tunc non distingueretur realiter ab illo.*

Alia solutio

17 Secundo occurrunt Suarez, et alii, quod cum opera bona prævisa, ut futura sub conditione non possint habere rationem meriti, vel demeriti in conspectu Dei magis, quam opera considerata præcise, ut possibilia, ut affirmat August. lib. 2. de Dono persever. cap. 9. et 10. et lib. 10. de Genesi ad literam cap. 16. necnon lib. 1. de Anima,

et

et ejus origine cap. 12. et alibi sæpe contra Pelagianos, inde est, quod bona opera adultorum prævisa per scientiam mediam non possint concurrere ad prædestinationem eorum, tanquam causa, aut motivum divinæ voluntatis. Et ita semper est verum, adultos non prædestinari ex bonis operibus eorum : quamvis cum hoc stet, quod indispensabiliter requiratur scientia media, et quod Deus per illam antequam prædestinet, aut habeat decretum efficax æternæ salutis Petri, prævideat bonum ejus consensum, et perseverantiam in statu conditionato, ut ita decretum, et prædestinatio divina sint omnino certa, et sortiantur infallibiliter effectum : alioqui enim prædictam certitudinem habere nequibunt.

Rejicitur primo.

Sed nec hæc solutio satisfacit. Nam in primis per illam non salvatur sufficienter, quomodo prædestinatio non pendeat a prædictis operibus, saltim tanquam a conditione, non qualicunque, sed omnino prærequisita ad eandem prædestinationem : atque adeo non salvatur, cur in hoc sensu prædestinatio non sit ex operibus prævisis, cujus tamen oppositum docent Aug. et D. Thom. et in tract. de Prædestinat. ostendemus : ergo, etc. Antecedens patet : siquidem juxta eam non satis occurritur axiomati a nobis adducto, scilicet quod quando negatio est causa negationis, tunc affirmatio est causa, vel saltim conditio prærequisita ad affirmationem.

Impugnatur amplius.

18 Deinde, quia juxta principia scientiæ mediæ, et suorum auctorum, non est cur bona opera, quæ D. Petrus, v. g. peregit, etiamsi considerentur pro illo statu conditionatorum, seu (quod in idem quoad præsens redit) pro signo rationis prævio ad decreta libera, et efficacia Dei, non possint, et debeant habere rationem meriti, seu motivi divinæ voluntatis in ordine ad prædestinationem ejusdem D. Petri. Et ratio est. Nam juxta prædictam sententiam, ad hoc, ut in illo priori habeant rationem futuri absoluti, sufficiet, quod in posteriori signo sit futurum Dei decretum absolutum circa illorum futuritionem, ut disp. 7. n. 34. vidimus : ergo si bona opera D. Petri, absolute futura, habent rationem meriti, non est cur in illo priori illam non habeant, ac proinde non erit, cur non detur ex hac parte causa meritoria prædestinationis, seu causa movens divinam voluntatem in ordine ad illam : siquidem in illo signo antecedenti ad prædestinationem, et decreta efficacia Dei, sunt, juxta Adversarios, absolute futura.

Posterior eversio ejusdem solutionis.

19 Tandem. Quia si semel admittitur, esse indispensabiliter requisitum ad hoc, ut Deus aliquem adultum prædestinet, quod prius per scientiam mediam prævideat bonum consensum voluntatis illius, et perseverantiam in gratia, non est cur prædestinatio non fiat ex operibus bonis, tanquam ex motivo divinæ voluntatis in ordine ad prædestinationem ejusdem adulti : quia, semel admissa scientia media, decretum absolutum Dei concurrendi cum voluntate Petri, v. gr. ad actum fidei, non aliter est in Deo, nisi juxta exigentiam voluntatis Petri, scilicet quia prævidetur a Deo in tali occasione, talibus auxiliis præparatam, fore, quantum est ex se crediturum : igitur cum hujusmodi decretum Dei concurrendi tunc cum illa, sit electio ad finem, sequitur manifeste, quod eligatur Petrus ad fidem, supposita tali exigentia voluntatis ejus. Quia si non eligeretur, tunc suppositis illis circumstantiis, et supposito, quod Deus vellet constituere Petrum in illo ordine rerum, fieret ei violentia a Deo, seu (quod in idem quoad præsens redit) non concurreret Deus connaturaliter cum illa : ac proinde consensus Petri, prævisus a Deo, ut futurus sub conditione, quod Deus vellet concurrere, est ratio motiva divinæ voluntatis, ut eligat illum ad finem, et adeo motiva, ut inferret Deus violentiam voluntati Petri, seu non concurreret connaturaliter cum illa, secundum id, quod ipsa, ut est specialis voluntas, petit, si tunc illam non eligeret. Quæ impugnatio ex statim dicendis magis confirmabitur.

§ III.

Alia solutio Adversariorum, et impugnatio illius.

Posterior solutio.

20 Ultimo respondent Adversarii rationi nostræ fundamentali, negando consequentiam. Quia sicut Deus prævidit merita Petri futura, si poneretur in illo ordine rerum, in quo erat habiturus merita, ita etiam prævidit demerita illius futura, si poneretur in alio ordine rerum : et tunc non est signabilis ratio, et causa, quæ Deum moverit ex parte objecti, quare

potius constituerit Petrum in illo ordine rerum, in quo erat habiturus merita, quam in eo, in quo erat habiturus demerita; sed hoc refundendum est in solam Dei voluntatem.

Displicet primo. Cæterum nec hæc solutio placet. Tum quia nec juxta eam satis occurritur axiomati, ex Arist. a nobis adducto, ad probandam illam consequentiam, nimirum, quod quando negatio est causa negationis, tunc affirmatio est causa, vel saltim conditio, non qualiscumque, sed prærequisita ad affirmationem. Tum etiam : quia licet ex hac solutione sequatur, non dari causam, nec rationem, propter quam Deus ex infinitis rerum ordinibus, et occasionibus, in quibus potuit Petrum constituere, elegerit magis istum, in quo præcognovit bene usurum auxiliis, quam alterum, in quo præscivit esse male usurum illis; attamen, quod semel electo hoc ordine, in quo prævisus est prædictus bonus usus, prædestinet ipsum ad gratiam, et gloriam, et suo decreto efficaci prædefiniat ejus bona opera, habet indispensabilem dependentiam a tali præscientia, seu a tali bono usu præcognito, vel tanquam a ratione, vel saltim tanquam a conditione, sine qua nec esset, nec posset esse talis prædestinatio.

Secundo.

Objectio. 21 Nec refert, si objicias, quod etiam in quavis sententia prædestinatio adulti pendet a consensu futuro liberi arbitrii ipsius : siquidem nisi talis usus bonus esset futurus, non posset prædestinari per modum adulti, seu (quod in idem quoad præsens redit) mediis bonis operibus ab ipso præstitis. Et similiter etiam pendet a meritis, ut possibilibus : quandoquidem Deus nullum adultum potest efficaciter eligere ad gloriam, ut coronam, nisi prævideat, illum posse habere merita, et nihilominus non ob id prædestinatio fit ex meritis; ergo licet bonus usus adulti prævisus sub conditione per scientiam mediam, requiratur indispensabiliter ad prædestinationem adulti; non tamen propterea adultus prædestinabitur ex meritis, seu prædestinatio ejus habebit dependentiam ab illis, vel tanquam a causa, et ratione a priori, vel saltim tanquam a conditione omnino prærequisita.

Confirmatio. Confirmabis. Quia in nostra sententia debet admitti, Deum cognoscere hujusmodi futura in decreto efficaci, et conditionato suæ voluntatis, et nihilominus prælicta merita ita cognita non sunt ratio, vel conditio *sine qua non* prædestinationis, quæ fit postea per decretum absolutum; ergo eodem proportionali modo philosophari poterit, etiamsi detur scientia media, et per illam bonus usus liberi arbitrii prævideatur futurus, ante ipsum decretum efficax, et absolutum prædestinationis.

Enodatio objectionis. 22 Respondetur enim ad objectionem, quod si loquamur de bono usu, et consensu supernaturali prædestinati, absolute futuro, tunc juxta nostram sententiam, licet prædestinatio habeat nexum infallibilem cum illo, tanquam cum effectu ab ea infallibiliter illato, non tamen habet ab eo dependentiam, sed potius talis consensus dependet ab ipsa prædestinatione; et ita est posterior illa; ac proinde nec potest esse causa, aut ratio a priori ipsius, nec etiam conditio prævia requisita ad illam : at juxta oppositam sententiam, prædestinatio non nectitur cum libero illo consensu, de quo loquimur, tanquam cum effectu ipsius prædestinationis, quin potius præsupponitur futurus, et præcognitus ut futurus ante illam, ut ex dictis constat : et per consequens cum alias indispensabiliter ad eam desideretur, non poterit non esse vel ratio, vel saltim conditio prævia requisita ipsius. Si vero loquamur de bono usu, seu meritis præcise ut possibilibus, tunc fatemur, hæc ut præcognita per scientiam simplicis intelligentiæ debere in ratione possibilium præcedere.

Cæterum hinc non sequitur, prædestinationem fieri aliquo modo ex operibus prævisis. Quia ad hoc desideratur, ut aliquo modo, scilicet saltim per modum conditionis meritoriæ, et præviæ requisitæ, alliciant divinam voluntatem in ordine ad prædestinandum. Constat autem, quod merita, præcise ut possibilia, non habent movere ullo modo divinam voluntatem, etiam per modum conditionis meritoriæ ad aliquid alicui præstandum. Quia ad hoc ad minus desideratur, ut habeant rationem futurorum. Cæterum juxta oppositam sententiam, merita, et bonus usus prædestinati præsupponuntur futura, tam sub conditione, quam absolute in illo priori ante prædestinationem, et decretum efficax ipsius : siquidem, ut dicebamus, satis est, juxta prædictam sententiam, quod in sequenti signo sit prædictum decretum, et prædestinatio.

Additamentum. Accedit, quod Scriptura, et Patres non tollunt quominus bona opera, ut possibilia, et ut talia cognita, præcedant saltim per modum conditionis prædestinationem, secus vero, quod hæc eadem, adhuc modo isto, præcedant illam ut futura, ut ex testimoniis

moniis in hoc dub. citatis, et ex iis, quæ in tract. de Prædestinatione dicemus, constabit.

Solutio confirmationis.

23 Ad confirmationem, concessa utraque præmissa, neganda est consequentia. Et ratio disparitatis est. Quoniam licet ad decretum prædestinationis præcedat voluntas illa efficax, et conditionata; hæc tamen in nostra sententia non requiritur ad hoc, ut Deus cum omnimoda certitudine, et infallibilitate prædestinet quem sibi placuerit, ex eo, quod divina voluntas habet ex se infallibilem efficaciam jam dictam, sed desideratur ob summam actualitatem divinæ libertatis, ut in tract. de Volunt. Dei disp. 5. num. 73. explicabimus, et in disp. 9. num. 66. hujus tract. tetigimus. Et ideo licet per impossibile Deus non haberet prædicta decreta conditionata, et efficacia, nihilominus eodem modo prædestinaret, ac nunc prædestinat: ac proinde prædestinatio nequit a prædicta voluntate pendere. Cæterum, juxta oppositam sententiam, nequit Deus (ut omnes, vel fere omnes ejus sectatores fatentur) aliquem adultum prædestinare, salva ejus libertate, quin prævideat per scientiam mediam, quod positus in his, vel illis occasionibus revera consentiet, perseverabit, ac tandem vitam æternam consequetur: et ideo non potest non bonus usus liberi arbitrii, prævisus per scientiam istam, esse saltim conditio prærequisita in ordine ad prædestinationem.

Concl. 2.

24 Ex quibus omnibus inferendum, et dicendum est secundo, ex alio etiam capite non esse composibilem scientiam mediam cum divina prædestinatione, nempe quia ea data numquam potuisset Deum ullum ex illis, qui de facto in peccato lethali mortui sunt, aut morientur, prædestinare, nec quamplurimos ex illis, qui numquam creabuntur. Quod sane, ut constat, satis falsitatis continet. Ita discipuli D. Thom.

Ratio assertionis.

Ratio assertionis est. Quoniam possent de Juda, verbi gratia, et de quovis alio ex jam dictis formari hæ duæ contradictoriæ: *Si Judas creetur, morietur in peccato: Non si Judas creetur, morietur in peccato,* et tunc admissa scientia media, sciret Deus ante suum decretum efficax, quænam ex illis esset determinate vera, vel determinate falsa: cumque evidens sit, non scivisse affirmativam esse falsam, alioqui falleretur, siquidem ex eventu constat, illum obiisse in peccato, consequens erit, ut sciverit, Judam obiturum in peccato; ergo non potuit illum, semel hac scientia admissa, prædestinare.

Potestque hoc idem argumentum, non solum circa homines de facto creatos, sed etiam circa quamplures ex illis, qui de facto creati non sunt, ac proinde circa futura contingentia conditionata sic formari. Quoniam signatis, v. g. decem mille hominibus ex iis, qui numquam creabuntur, tunc, admissa scientia media, sciret etiam Deus, vel determinate veritatem, vel determinate falsitatem harum contradictoriarum, nempe, *Si hi decem mille homines creentur, omnes morientur in gratia: Non si hi creentur, omnes morientur in gratia:* et si sciat affirmativam falsam, nequibit ex hac collectione illos prædestinare, quos præscit, non desituros in gratia. Si autem sciat, esse veram, tunc, cum negari non possit, esse dabiles alias, et alias collectiones aliorum decem millium, de quibus cognoscat, quod aliqui ex illis si creentur, non morientur in gratia, ac proinde in quibus formatis similibus propositionis contradictoriis, sit vera hæc negativa, *Non si isti decem mille creentur, omnes morientur in gratia,* fiet inde, ut non possit Deus, semel hac scientia præsupposita, eos ex illis collectionibus prædestinare, quos præscivit in gratia non morituros.

Evasio.

25 Nec refert evasio aliquorum juniorum, nempe, quod hoc futurum conditionatum non habet ratione hujus præcisæ conditionis nexum cum eventu futuro: siquidem ex hoc præcise, quod aliquis creetur, non magis sequitur, moriturum in gratia, quam non moriturum: et ideo per scientiam mediam non cognosci.

Refellitur.

Nam contra hoc est, quod solutio ista prorsus destruit fundamentum potissimum scientiæ mediæ, nempe quod ex duabus propositionibus contradictoriis, præcise quia contradictoriæ sunt, una earum determinate debet esse vera, et alia determinate falsa: ac proinde totum hoc debet esse scitum a Deo; ergo cum propositiones jam dictæ, et sub illa præcisa conditione sint contradictoriæ, oportebit, Deum cognoscere quænam illarum sit vera, et quænam falsa.

Additamentum.

Accedit, quod si semel desideratur nexus inter conditionem, et eventum futurum ad hoc, ut Deus cognoscat futurum conditionatum, consequens erit, ut juxta quantitatem nexus debeat esse cognitio illius, ita quidem ut si nexus sit fallibilis, tunc cognitio non sit infallibilis ex parte objecti: ac proinde eo ipso destruitur scientia media. Quia

ad cognoscendum infallibiliter ex parte subjecti, et fallibiliter ex parte objecti ea conditionata, quæ habent nexum verosimilem cum eventu futuro, id est, ad cognoscendum scientifice, quod est verosimile, posita tali conditione, illum effectum esse futurum, eo quod est nexus verosimilis, seu probabilis inter illam conditionem, et eventum, non est necessaria scientia media; sed id poterit per scientiam simplicis intelligentiæ cognosci, ut ex se constat.

DISPUTATIO XII.

De impossibilitate scientiæ mediæ, tam a priori, aut quasi a priori, quam ex variis inconvenientibus deprompta.

1 Postquam impossibilitatem scientiæ mediæ, tam testimoniis Scripturæ, Patrum, et Scholasticorum, quam ex defectu necessitatis ipsius, ad duas illas difficultates dissolvendas, propter quarum solutionem introducta est : necnon et ex incomposibilitate illius cum prædestinatione adultorum ostendimus, restat, ut ex aliis etiam capitibus hanc eandem impossibilitatem probemus : et ideo ad hoc melius præstandum, sequens disputatio instituitur.

DUBIUM I.

Utrum impossibilitas scientiæ mediæ ratione a priori, aut quasi a priori sufficienter ostendatur?

Resolutio. Dubium hoc brevissime absolvendum est, quia illius resolutio ex dictis disp. 7. fere per totam constat. Dicendum ergo est, impossibilitatem scientiæ mediæ sufficienti ratione a priori, aut quasi a priori ostendi. Ita Doctores, quos disp. Fundamentum. 10. dub. 8. retulimus. Assertio hæc non aliter melius probabitur, quam adducendo prædictam rationem illius : eam autem ex D. Thom. desumptam ad hanc brevem formam possumus reducere. Quoniam ante decretum efficax, sive absolutum, sive conditionatum divinæ voluntatis, in Deo existens, nihil habet ratione futuri, sive absoluti, sive conditionati : ergo repugnat, quod per aliquam scientiam cognoscatur ut futurum : ergo etiam repugnabit, dari scientiam mediam. Hæc ultima consequentia patet ex priori. Quoniam scientia media ponitur ab Adversariis ad cognoscenda futura contingentia sive absoluta, sive conditionata, ante decretum efficax divinæ voluntatis, in illa existens. Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Quoniam repugnat cognosci aliquid ut futurum per scientiam divinam, quod revera futurum non est, alioqui talis scientia esset fallibilis, et per consequens non esset divina. Antecedens autem constat ex iis quæ disp. 7. num. 18. et deinceps latius diximus : ubi etiam evasiones, quas Adversarii tradunt huic rationi, adduximus, et fuse impugnavimus.

Confirmatur. Quia non adest aliquod medium, in quo futura contingentia conditionata, aut absoluta possint a Deo certo cognosci, ante decretum efficax suæ voluntatis : ergo non potest dari aliqua scientia (quam mediam vocant) per quam tunc cognoscantur. Consequentia non indiget probatione. Antecedens autem patet, discurrendo per omnia illa media, quæ disp. 7. a num. 26. usque ad num. 136. in diversis dubiis adduximus : et de quibus sigillatim ostendimus, non posse deservire ad prædictam cognitionem futurorum contingentium, ante decretum efficax divinæ voluntatis. Confirmatur.

DUBIUM II.

Utrum scientia media sit impossibilis, ex eo quod per eam tollatur a Deo ratio primæ causæ, primique Auctoris gratiæ?

2 Semel probata impossibilitate scientiæ mediæ, ratione a priori, aut quasi a priori, desumpta ex impossibilitate sui objecti, ante decretum efficax divinæ voluntatis, restat, ut illam ex aliquibus inconvenientibus, quæ ex ea sequuntur, amplius ostendamus : et quia inter omnia alia potissimum est illud, quod in titulo hujus dubii recensuimus, propterea ab eo primo loco incipimus.

§ I.

Enodatio dubii, et prima ejus probatio.

Dicendum igitur est, ex positione scientiæ mediæ recte colligi, quod tollatur a Deo ratio primæ causæ, primique auctoris gratiæ : ac proinde ex hoc capite sufficienter probari, eam non esse admittendam. Ita auctores pro nostra sententia disp. Conclusio. Primum fundamentum.

disp. 10. dub. ult. adducti. Assertio hæc quoad ultimam ejus partem ex priori satis constat. Quoad primam vero probatur ratione fundamentali ex D. Thom. locis supra citatis deprompta; eam autem sub hac forma recte adducit, et expendit noster Corneio, in hoc art. disp. 3. num. 107. et 108. Quoniam ex positione scientiæ mediæ sequitur, primam radicem futuritionis conditionatæ nostri actus liberi etiam boni, v. g. conversionis Tyriorum, si Christus eis prædicaret, non esse primo refundendam in Deum, sed in voluntatem creatam ipsorum : et consequenter conversio illorum in statu conditionato, non deberetur Deo, ut primo auctori; sed propriæ illorum voluntati : hoc autem aufert a Deo rationem primæ causæ, respectu actuum liberorum, rationemque primi auctoris gratiæ. Minor satis constat. Sequela vero probatur. Quia ei debetur conversio illa, ut primo auctori, a quo primo orta est in executione ejus futuritio : sed si sit futura antecedenter ad divinam voluntatem, non est orta primo a Deo ejus futuritio, sed a propria illorum voluntate : ergo, etc.

3 Nec refert, si dicas cum auctoribus oppositæ sententiæ, Deum esse primam radicem, et auctorem talis futuritionis, non quidem ratione alicujus decreti conditionati efficacis actu existentis, quo talis conversio sit volita sub conditione, sed ratione divini decreti, quod objective præcedit, dandi auxilium illis hominibus sufficiens, quo possint converti, et concurrendi cum voluntate illorum, si ipsa converti voluerit.

Non itaque hoc refert. Quia ratione illius decreti non est magis volita conversio Tyriorum, quam non conversio : ergo ratione illius decreti præcise non potest Deo tribui, quod sit prima radix, et primus auctor determinati *fore* illius conversionis. Consequentia videtur certa, et antecedens probatur. Quia per illud decretum, solum vult Deus concurrere cum voluntate illorum hominum ad conversionem, vel ad actum, qui non sit conversio, prout ipsi ex sua nativa libertate voluerint operari; ergo quantum est ex parte illius decreti, non est magis futura conversio, quam ejus omissio; ergo quod de facto sit futura posita conditione, et auxilio, non potest refundi in divinam voluntatem, tanquam in primam radicem, et primum auctorem talis conversionis.

Confirmatur primo.

4 Confirmatur. Quia voluntas illa Dei, quæ ponitur objective præsens, quæque ut sic præsens, habet esse prior ordine rationis, quam Deus nostro modo intelligendi cognoscat, quod voluntas illorum hominum esset cum tali voluntate Dei erga ipsos, consensura, nullo modo determinat illorum voluntatem ad conversionem, sed eam omnino indifferentem absque aliqua determinatione infallibili relinquit ad utranque contradictionis partem, ut fatentur auctores oppositæ sententiæ; ergo quod voluntas Tyriorum antecedenter ad cognitionem divinam determinate eligat converti, non est tribuendum illi voluntati divinæ, ut primæ radici talis electionis, et conversionis; sed tribuendum est ipsi voluntati humanæ Tyriorum, quæ cum tali voluntate, seu volitione Dei, de se indifferenti, determinabit se ipsam ad alteram partem contradictionis.

Confirmatur secundo.

5 Confirmatur secundo. Quia illa voluntas, seu volitio divina pro illo statu conditionatorum, tantum dat posse converti, et non dat, neque infert ex se, ipsam conversionem determinate, cum non sit ex se efficax juxta doctrinam solutionis, quam impugnamus; ergo ratione illius non potest Deo tribui ipsa conversio, ut primo auctori. Probatur consequentia ratione fere eadem, qua utitur D. August. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 18. contra Pelagianos, qui dicebant, bonam voluntatem esse tribuendam Deo, eo præcise, quia dedit homini bonam voluntatem, qua possit bonum velle.

Ratio August.

Ratio autem talis est. Si ideo præcise voluntas bona Tyriorum, seu actualis eorum conversio est tribuenda Deo, quia dedit illis aliquid, seu (quod in idem quoad præsens redit) quia habuit erga illos voluntatem illam gratuitam jam dictam, et non efficacem, quaque possent bene velle, et converti; ergo eadem ratione esset illi tribuenda nostra mala voluntas, quia scilicet dat nobis liberum arbitrium, quo possumus male velle aliquid; igitur Deus non solum habet prædictam voluntatem circa actus bonos arbitrii creati, sed etiam habet voluntatem ex se efficacem erga illos, qua tribuit prædicto arbitrio, quod non solum possit operari, sed infallibiliter operetur.

Evasio.

6 Nec etiam refert, si dixeris, quod illa voluntas, quam habuit Deus erga Tyrios in tali occasione fuit congrua, et ita conversionem esse tribuendam Deo eam conferenti, ut primo auctori.

Præclusio.

Non itaque hoc refert. Quia voluntas illa pro eo signo, quo præsupponitur, tam ipsa, quam liberum arbitrium Tyriorum ad scien-

tiam, qua cognoscitur a Deo eorum conversio, ut determinate futura, non potest dici congrua per se, et quantum est ex vi sua, sed solum dicitur congrua accidentaliter, et ab effectu ; ergo præcise ratione illius sic sumptæ, non potest talis conversio tribui Deo, ut primo auctori. Consequentia negari non potest. Et antecedens probatur. Quia pro illo priori, quo in statu conditionatorum intelligimus, Deum habere illam voluntatem erga Tyrios, nondum scit, sed potius ignorat (si sic fas est loqui) quid sit eorum voluntas cum eo operatura, quousque in posteriori rationis videt eorum operationes, alias illam cognosceret in causa omnino indifferenti : ergo pro priori, quo habet talem voluntatem, seu volitionem antecedenter ad illam scientiam, nondum scit, an sit futura congrua, vel incongrua, sive non congrua, sed id scit in posteriori signo, quando videt habuisse effectum : ergo non habet rationem congruæ voluntatis, nec secundum se, nec ut est cognita a Deo, quatenus per modum actus primi præcedit natura ipsam conversionem.

§ II.

Posterior assertionis probatio.

7 Possuntque hæc omnia elucidari, et confirmari ratione alia, quam idem Magister Corneio adducit, et expendit in hunc modum. Nam ex positione scientiæ mediæ sequitur, Deum esse ad summum primam causam, hujus quod est, quod voluntas creata constituatur in hoc, vel illo ordine rerum, in quo isti, aut illi actus ex se futuri sunt, non tamen ipsorum actuum quoad substantias, et alias circumstantias, quin prius essent ab ipsa creata voluntate profecturi, si in tali rerum ordine a Deo poneretur : atque adeo tolli a Deo rationem primæ causæ respectu substantiæ actuum liberorum, et prædictarum circumstantiarum illorum. Hæc secunda sequela patet ex priori. Prior vero quoad primam partem ex se constat : quandoquidem quod voluntas creata constituatur in hoc ordine rerum potius, quam in illo, non potest, ut ex se constat, aliunde ortum ducere, quam ex beneplacito divinæ voluntatis. Quoad secundam vero partem etiam constat ex iis, quæ pro ratione præcedenti diximus.

Adversariorum prior solutio.

8 Nec refert, si primo dixeris, satis esse, quod Deus ex sua libera voluntate, nulla cujuscunque extra se habita ratione, hunc rerum ordinem, qui modo est inter alios ex innumerabilibus, quos potuisset producere, elegerit, et condiderit, ad hoc, ut dicatur prima causa illorum effectuum, ad quos etiam ipse præsupponitur concurrisse.

Evertitur.

Non itaque hoc refert. Quia ideo dicitur prima causa hujus ordinis, quia illum condidit independenter ab aliquo extrinseco ex sola sua voluntate, nulla habita, et inspecta ratione, aut conditione extra se ; sed non est hoc modo causa illorum effectuum ; ergo non est prima causa respectu illorum. Consequentia patet ; quia oppositæ rationes, seu causæ oppositos habent effectus. Minor vero probatur. Quia eodem prorsus actu in *esse* objectivo præsenti, quo in statu conditionatorum præsupponitur volitus a Deo actus, et effectus liber voluntatis creatæ, v. g. conversio Divi Petri, eodem debet esse volitus, quando talis volitio divina ponitur existens a parte rei, cum res ad extra existens sit illa eadem, quæ antea futura erat : sed in statu conditionatorum actus, quo dicitur Deus voluisse effectus liberos, et contingentes conditionatos, v. g. conversionem Divi Petri in tali occasione (et idem est de aliis omnibus (non fuit independens ab extrinseco, sed dependens ab ipsa voluntate Petri, et ejus consensu, ut a conditione *sine qua non*, prævie antecedente, aut concomitante (ut supra ostensum est) quia non fuit actus ex se efficax, adhuc posita conditione, sed fuit affectus simplex, et indifferens de se ad utrunque, prout humana voluntas se determinaverit ; ergo non eodem modo est Deus causa hujus ordinis rerum, sicut est causa actuum liberorum hujus ordinis, et ex consequenti non est prima causa utriusque, sed ordinis rerum dumtaxat.

Confirmatur primo.

9 Confirmatur. Quia in statu conditionatorum non videbat Deus, juxta oppositam sententiam, hos, aut illos actus a voluntate creata futuros, quia ipse suo decreto prædeterminaret, et moveret efficaciter ad illos ; sed quia ipsa voluntas creata, associata tamen cum gratia, seu voluntate gratuita Dei, esset pro sua innata libertate eos elicitura, ut ex dictis disp. 10. dub. 1. patet ; ergo ex eo præcise, quod Deus hunc ordinem rerum condiderit, non sequitur, quod primo, et independenter fuerit causa actuum liberorum suarum creaturarum, quas de facto produxit.

Confirmatur secundo.

Confirmatur secundo. Quia licet Deus potuerit pro sua libertate non condere hunc ordinem rerum, quem de facto creavit,

vit, sed alterum, tamen in illo non potuit facere, nisi illa eadem, quæ prius per istam scientiam invenit facta in se ipsis objective a voluntate creata ; siquidem horum futurorum scientia antecedit actum liberum divinæ voluntatis, ita ut non fuerit in Dei potestate alia scire, quam scivit, posita illa hypothesi : ergo respectu istorum effectuum non potest habere rationem primæ causæ, operantis ex suo motivo, et a sola sua libertate independenter a quacunque alia causa secunda, tanquam a conditione prævia requisita. Maxime cum actus ille divinæ voluntatis, sive actu exhibitus, sive objective præsens, sit juxta sententiam adversariorum indifferens ad deserviendum (ut sic dicamus) ad consensum, v. g. potius, quam ad dissensum voluntatis creatæ ; et ita nequivit cum prædicta independentia esse prima ratio consensus, magis quam dissensus.

Alia evasio.

10 Nec rursus satis erit, si secundo dicas, esse disparem rationem inter effectus, qui pendent a sola voluntate Dei , quales sunt, quod iste, vel ille ordo rerum, hoc, aut illud universum producatur, et effectus, qui simul pendent a voluntate Dei, a voluntate creata, quales sunt omnes actus, et effectus liberi creati. Quoniam effectuum primi generis est Deus causa prima, nulla habita ratione extra se, quæ illum moveat, aut quæ requiratur, ut necessaria conditio ; effectuum vero secundi generis, videlicet actuum liberorum, non potest aliter esse prima causa, nisi dependenter a concursu, et consensu ipsius voluntatis creatæ.

Impugnatur.

Non itaque hoc satis est. Quia ut infra dicemus, aliud est esse causam actus liberi creati dependenter a consensu voluntatis creatæ, tanquam ab effectu infallibiliter secuto posterius causalitate, seu (ut melius loquamur) aliud est, Deum esse causam actus liberi creati , inferentem infallibiliter illum, tanquam effectum ipsius, et tanquam quid posterius illo, et sua causalitate. Aliud vero est, esse causam illius, dependenter ab ipso consensu creato, tanquam a conditione prævie requisita. Et licet primum non sit contra rationem primæ causæ ; bene tamen secundum ; cum ad ipsam Dei voluntatem præsupponatur talis conditio, nempe consensus ipse voluntatis.

Posterior adversariorum solutio.

11 Nec tandem refert, si tam iis, quæ pro secunda ista ratione, quam aliis, quæ pro prima, in præsenti dub. attulimus, dixeris cum Suarez lib. 1. de concursu, capit. 15. voluntatem illam Dei non esse indifferentem, sed illum revera habere voluntatem , qua determinate vult v. g. consensum potius, quam dissensum voluntatis creatæ, quamvis hæc volitio divina non sit talis, ut absolute velit, quod consentiat potius, quam dissentiat, sed includendo implicitam conditionem, si voluntas creata voluerit : et ideo Deus non offert unum concursum determinatum, sed plures ad diversa objecta, diversosque actus.

Rejicitur.

Non itaque hoc refert. Nam vel hic modus dicendi non discrepat reipsa a sententia Molinæ, vel secundum illud debet admitti voluntas efficax Dei infallibiliter inferens voluntatis creatæ consensum, antecedenter ad scientiam mediam , et independenter modo dicto, a voluntate creata : ad hoc secundum totis viribus : renuit Suarez : ergo oportet, ut primum illud, licet non voce, re tamen ipsa fateatur : ac proinde sequantur omnia inconvenientia quæ in hoc dub. sequi ex positione scientiæ mediæ diximus.

Antecedens probatur. Nam ex vi illius voluntatis concurrendi, includentis tamen implicitam conditionem, nimirum si voluntas creata voluerit, concurret Deus ad actum amoris, verbi gratia, si ipsa in tali occasione velit amare : e contra vero concurret ex vi ejusdem voluntatis ad actum odii, si in eadem occasione illa velit odio prosequi, et non amare. Quia si ex vi illius voluntatis non proveniret, nisi determinatus concursus ad amandum, ita ut non ad oppositum, jam illa voluntas esset prædiffinitio actus amandi antecedens illum ordine causalitatis : ergo vel hujusmodi prædiffinitio debet concedi, quod renuit Suarez, vel solum ponitur ab illo voluntas concurrendi generalis, et indifferens ex se sicut ponit Molina.

Corroboratur.

12 Confirmatur. Quia alias Deus non influeret per modum libertatis, sed per modum naturæ. Nam illa voluntas prædicto modo declarata, est ita necessaria in Deo, ut non possit velle oppositum, vel id non velle : quandoquidem non potest non velle concurrere cum voluntate creata , aut cum quacunque alia causa secunda, si illa concurreret : quia in tali objecto sive in creaturis possibilibus, sive in futuris esset manifesta implicatio. Nec necesse erit, tam in hoc, quam sequentib.

dub. hujus disput. fundamenta adversariorum in sui favorem adducere, qua ex iis, quæ in præcedentibus disputationibus diximus, manent soluta. Videantur tamen omnino ea, quæ disp. præcedenti dub. 1. attulimus.

DUBIUM III.

Utrum scientia media sit impossibilis, ex eo quod sequatur ex ea, Deum non posse adimplere ea, quæ promittit circa fidem, vel conversionem creaturæ rationalis, ex facultate suæ omnipotentiæ, sed potius ex præscientia nostri futuri consensus?

Assertio. Ratio illius.

13 Dicendum est, ex scientia media, et ex potestate voluntatis creatæ, sequi inconveniens in titulo recensitum : ac proinde ex hoc etiam capite prædictam scientiam repugnare. Assertionem hanc docent Doctores supra disput. 10. dub. ult. adducti ; et eam suadet hæc ratio ex Augustino locis statim citandis deducta. Nam semel data scientia media, ut necessaria ad salvandam libertatem arbitrii nostri, in ordine, ad quam eam potissime fere omnes adversarii introducunt, non valuit Deus polliceri Abrahæ filios spirituales, nempe fidem gentium juxta illud Apostoli : *Patrem multarum gentium constitui te,* nisi solum ex præsupposita scientia media, qua noverit, quod istæ, vel illæ gentes tali tempore vocatæ ad fidem credituræ essent, etiamsi forte essent vocatæ æquali vocatione interna, et externa, imo forte minori, quam aliæ gentes, quæ non crediderunt : ergo quod illam promissionem potuerit Deus adimplere, non tam ab ejus potestate, quam a prædicta præscientia, et potestate liberi arbitrii nostri, tanquam a prima radice, seu conditione omnino prævia fuit dependens ; siquidem nisi hæc præsupponeretur, non potuisset Deus ex tota sua omnipotentia talem promissionem facere, aut certo illam adimplere ; hoc autem dici nequit : ergo, etc.

14 Minor ostenditur ab Augustino, tum lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. 10. ubi ait : *Credamus igitur cum fideli Abraham, quod quæ promisit Deus potens est adimplere, ita ut in hoc non pendeat Deus a potestate nostri liberi arbitrii,* et rationem reddit, *Nam pietas, et veritas prohibet nos dicere, quod quæ promisit Deus non est in Dei, sed in hominum potestate.* Tum etiam epist. 105. his verbis : *Quod enim promittit Deus, non facit, nisi Deus : habet namque aliquid rationis, et veritatis, ut homo promittat, et Deus faciat. Ut autem homo se facere dicat, quod promiserit Deus, superbæ impietatis est reprobus sensus.* Tum deinde lib. de correctione, et gratia, cap. 12. ubi commendans filios promissionis, de quibus loquitur Apostolus, sic ait : *Liberati enim a peccato, servi facti sunt justitiæ, in qua stabunt usque in finem, donante sibi illo perseverantiam, qui eos præscivit, et prædestinavit, et secundum propositum vocavit, et justificavit, et glorificavit. Quoniam illa, quæ his promisit, etiam futura jam fecit, cui promittenti credidit Abraham, et deputatum est illi ad justitiam : dedit enim gloriam Deo plenissime credens, sicut scriptum est : quia quæ promisit, potens est et facere. Ipse ergo illos bonos facit, ut bona faciant. Neque enim propterea eos promisit Abrahæ, quia præscivit a se ipsis bonos futuros. Nam si ita est, non suum, sed eorum est, quod promisit : non autem sic credit Abraham, sed non est infirmatus in fide, dans gloriam Deo, et plenissime credens : quia quæ promisit Deus potens est et facere : non ait. Quæ præscivit, potens est promittere.*

Solutio adversariorum.

15 Nec ad hanc rationem dissolvendam recurri potest ad decretum Dei objective præsens, sive conditionate, sive absolute, quatenus prævidit Deus, quod si voluntas creata in tali, vel tali serie poneretur, tunc divina voluntas concurreret cum illa, in ordine ad consensum, et fidem, v. g. Et ita innitendo in hoc decreto præviso est integrum Deo polliceri ex se quidquid illi placuerit.

Eversio illius.

Non itaque ad ista, suppositis iis, quæ supra diximus, recurri potest. Tum, quia, ut disputat. 7. num. 48. probavimus, divinum decretum non potest habere rationem futuri. Tum etiam : quia ut in dubio præcedenti dicebamus, decretum illud Dei est de se, juxta hunc dicendi modum, indifferens, et per illud, quantum est ex parte Dei, non magis vult consensum, quam dissensum : sed quod illa volitio deserviat (ut sic dicamus) ad consensum, pendet ex voluntate creata, et influxu ejus saltim ut a conditione prævia : ergo, quod Deus possit prævidere illam fidem gentium, dependet saltim tanquam a conditione prævia a consensu libertatis creatæ. Et similiter, quod fidem illam, quam promisit, valeat præstare, non tam ab ejus potestate, quam ab ista præscientia, et potestate libertatis creatæ, ut a prima radice, sive saltim, ut a conditione

conditione prima, et prævia pendet : et ita non tam ex suo, quam ex potestate, et concursu libertatis creatæ, poterit promissionem istam adimplere.

DUBIUM IV.

Utrum scientia media repugnet ex eo, quod ex illa colligatur, Deum concurrere ad actus nostros liberos cæco, et ignoranti modo, et absque intentione illorum in particulari?

16 Postquam ostendimus per scientiam mediam tolli a Deo, tum rationem primi liberi, tum rationem prædestinantis, tum quod sit prima causa, primusque author gratiæ, tum denique, quod non habeat omnipotentissimam potestatem adimplendi ea, quæ promittit : ostendamus oportet, an prædicta scientia inferat in Deo ignorantiam, et cæcitatem, ac proinde modum operandi cæcum, ignarum, et absque intentione finis in particulari?

§ I.

Decisio dubii, et prima ejus ratio.

Conclusio. Dicendum igitur est, ex scientia media inferri, esse in Deo ignorantiam, et cæcitatem, seu modum operandi cæcum, et ignarum, ipsumque absque intentione finis in particulari ad actus nostros liberos concurrere : atque adeo ex hoc etiam capite scientiam mediam repugnare. Ita Doctores disp. 10. dub. ultim. adducti. Assertio hæc quoad secundam partem ex priori liquet.

Ratio illius. Quoad primam vero suadetur ratione, quam D. Thom. locis supra citatis, et tract. de Voluntate Dei art. 8. referendis innuit. Quoniam semel admissa scientia media, Deus influit, ut concedunt ejus authores, per voluntatem quandam indifferentem, qua paratus est influere ad id, quod Petrus, verbi gratia, voluerit, ita ut voluntas, quæ præsupponitur in illo priori, antequam intelligatur in eo esse scientia media, non sit ad determinate concurrendum ad consensum, verbi gratia, actus fidei : alioqui efficaciter prædiffiniret illum ante prædictam scientiam; sed ad tribuendum concursum indifferentem, seu ad concurrendum ad id, quod Petrus voluerit, nempe vel ad assensum si Petro placuerit, vel ad dissensum, si illum maluerit : ergo influit ignorando, quidnam sit illud, quod ex suo influxu subsequendum est : an nimirum illud erit assensus ad fidem, an vero dissensus, ac proinde sine intentione ejus in particulari, quod subsequendum est : et per consequens modo cæco, ignoranti, et absque consilio, et providentia de illo effectu determinate, et in particulari sumpto.

Occurritur ex adversariis. 17 Unde non erit ad rem, si occurras, quod per scientiam mediam cognoscit Deus determinate, et in particulari, quid sit illud, quod a Petro eligendum sit ; et ita hac scientia præsupposita, Deus non cæce, et ignoranter, sed scienter, et sapienter habet prædictum decretum.

Impugnatur. Non itaque hoc erit ad rem. Nam sciscitamur de decreto primæ causæ, quod præsupponitur ab ipsamet scientia media ad hoc, ut attingat certo effectum futurum : quandoquidem sicut hæc præsupponit suum effectum futurum sub conditione, ita et omnes causalitates futuras in statu illo conditionato, requisitas ad talem effectum, sive illæ ex parte causæ secundæ, sive etiam ex parte primæ desiderentur : at decretum futurum, et prærequisitum in illo signo, ex parte causæ primæ in ordine ad talem effectum, et prævisum, ut futurum, est velle esse paratam ad concurrendum ad id, quod voluntas creata elegerit, absque aliquo judicio intellectus dirigente ad talem effectum in particulari : ergo Deus in illo signo cognoscet se, ut voliturum in aliquo signo ignoranter, id est, nesciendo in illo signo, quidnam erit illud, quod ex suo influxu, sive ex illa sua voluntate subsequendum est, cum prius sit, Deum habere prædictum decretum, quam quod voluntas creata velit. Major cum consequentia patere videntur. Minor vero, in qua est difficultas, videtur certa. Quoniam illud decretum præcise cognoscitur futurum, quod postea, re ipsa erit : erga cum Deus postea, tantum habeat voluntatem præstandi concursum indifferentem, ut adversarii juxta suam sententiam fatentur, et eos fateri debere ostendimus, consequens est, ut decretum, quod ex parte Dei in illo priori videtur futurum, tantum sit velle esse paratum ad concurrendum ad id, quod voluntas creata elegerit, absque aliquo judicio intellectus dirigente ad talem effectum in particulari.

Confirmatio prior. 18 Confirmatur primo. Nam cum scientia hæc non sit practica, aut factiva rerum, sed pure speculativa, ac proinde

præsupponat suum objectum, ut ipsi aiunt, oportet, quod præsupponat, ut futuras omnes dependentias essentiales, requisitas ad existentiam actionis : ergo si semel hæc actio pendet a Deo, ut habituro prædictum decretum futurum, et indifferens circa illum actum, et ejus oppositum, non vero, ut habituro decretum futurum in ordine ad illum actum in particulari, potius, quam ad oppositum, præsupponet illum, ut præcise habiturum hoc præcise decretum indifferens, et non aliud (ut sic dicamus) determinatum : ergo et præsupponit illum, ut operantem sine providentia, sapientia, et consilio : quia ex vi hujusmodi decreti indifferentis, et futuri, ut præsupposita ad istam scientiam, non potest scire, an voluntas creata exhibitura sit suum concursum; cum illud decretum Dei non sit magis ad unum actum, quam ad oppositum ejus.

Confirmatio posterior.

19 Confirmatur secundo. Quia in sententia admittentium hanc scientiam, id, quod præsupponit illam, non est necessario requisitum ad existentiam actionum causarum secundarum : quandoquidem scientia hæc, ut dicebamus, præsupponit suum objectum, et omnes essentiales dependentias, ad illius existentiam requisitas : ergo cum per illos, modus ille volendi primæ causæ per consilium, et prudentiam, et ex intentione effectus particularis, scientiam mediam præsupponat, non erit hic modus concurrendi necessarius ad existentiam talium actionum : ac proinde debent distinguere duplicem modum concurrendi in prima causa : alium fortuito sine consilio, et deliberatione, et cæco modo, et hunc requisitum essentialiter ad existentiam effectus; alium vero cum consilio, et deliberatione, et hunc non desideratum essentialiter ad talem existentiam : quo quid absurdius?

§ II.

Eadem assertio ratione alia probatur.

Secunda ratio assertionis.

20 Secundo probatur eadem assertio, et simul confirmatur ratio præcedens. Quia si semel detur scientia media, sequitur, Deum discere ex eventu id, cujus antea certam scientiam non habebat : atque adeo dari in eo aliquam ignorantiam, et experimentalem scientiam : hoc autem sequenti ratione ostenditur. Quia in illo priori, in quo in statu conditionatorum Deus intelligitur dare auxilia, imponere præcepta, inspirare, et illustrare intellectum causarum secundarum, non scit certo, et infallibiliter ex vi horum, juxta oppositam sententiam, quid inde eventurum est mediante libertate creata; sed tunc est ei certo notum præcise ex vi visionis effectus in se, quem voluntas creata ratione suæ innatæ libertatis, et talibus auxiliis adjuta, elegit : ergo discet ex eventu, et per experientiam.

Antecedens probatur. Quia juxta oppositam sententiam non scit certo Deus istum eventum in ipso auxilio, aut voluntate, qua datum est, quatenus hæc duo per modum actus primi præeunt consensum libertatis creatæ : siquidem, juxta prædictam sententiam consensus iste non infertur certo, et infallibiliter ex tali auxilio, et voluntate Dei : et ita solum attingit illum certo in ipsomet, ut in actu secundo procedit a voluntate creata, et auxilio de se indifferenti. Consequentia autem probatur sequenti exemplo. Nam si quis suadeat alteri, ut sedeat, et ex vi persuasionis in actu primo spectata non scit certo sessionem futuram, sed tantum eam cognoscit, quando illam in se ipsa videt, tunc vere dicitur, scire illum effectum ex eventu : ergo hoc idem dicendum erit de Deo, quoad cognitionem futurorum contingentium, si verum est, ea per scientiam mediam, non vero in suis decretis liberis attingere.

Nec oportebit solutionem quandam, quæ ex adversariorum doctrina deduci potest, adhibere, quia ex iis, quæ disp. 7. late diximus, impugnata manet.

Objectio.

21 Nec refert, si objicias, quod scientia absoluta, quam Deus habet de futuris absolutis, habet dependentiam ex eventu futuro, et tamen non ideo Deus dicitur discere ea ex eventu, nec hæc scientia experimentalis respectu illorum ei competit : ergo idem debet quoad præsens dici, etiamsi scientia conditionata in eo admittatur.

Enodatio.

Respondetur enim, quod ad hoc, ut aliquis dicatur discere ex eventu, non sufficit, ut ejus cognitio habeat aliquam dependentiam ex eodem eventu, tanquam ex objecto, ad quod ipsa cognitio tendit; sed ad id requiritur, ut discens ignoret, aut nesciat veritatem in causis, et postea sciat illam ex vi visionis eventus : at Deus simul videt effectum futurum absolute

absolute in se ipso, et ut existentem in æternitate, et simul in sua causa determinata per divinum decretum efficax, ratione cujus ab æterno illum extra se elicit in *nunc* æternitatis; et ita nunquam ex eventu discit. At cum juxta oppositam sententiam, Deus nunquam cognoscat futura contingentia, sive absoluta, sive conditionata in suo decreto, sed solum cognoscat illa postquam videt eventum, non potest non discere ex eodem eventu, et habere scientiam experimentalem illius, et hæc de hoc dubio, et de tota hac disputatione, et articulo.

ARTICULUS XIV.

Utrum Deus cognoscat enuntiabilia?

1. Ad decimum quartum sic proceditur. Videtur, quod Deus non cognoscat enuntiabilia. Cognoscere enim enuntiabilia convenit intellectui nostro, secundum quod componit, et dividit : sed in intellectu divino nulla est compositio : ergo Deus non cognoscit enuntiabilia.

2. Præterea, omnis cognitio fit per aliquam similitudinem : sed in Deo nulla est similitudo enuntiabilium, cum sit omnino simplex : ergo Deus non cognoscit enuntiabilia.

Sed contra est, quod dicitur in Psalm. 93. *Dominus scit cogitationes hominum* : sed enuntiabilia continentur in cogitationibus hominum : ergo Deus cognoscit enuntiabilia.

Respondeo dicendum, quod cum formare enuntiabilia sit in potestate intellectus nostri : Deus autem scit quidquid est in potentia sua, vel creaturæ, ut supra dictum est, necesse est, quod Deus sciat omnia enuntiabilia, quæ formari possunt. Sed sicut scit materialia immaterialiter, et composita simpliciter, ita scit enuntiabilia, non per modum enuntiabilium, quod scilicet in intellectu ejus sit compositio, vel divisio enuntiabilium, sed unumquodque cognoscit per simplicem intelligentiam, intelligendo essentiam unuscujusque. Sicut si nos in hoc ipso, quod intelligimus, quid est homo, intelligeremus omnia, quæ de homine prædicari possunt. Quod quidem in intellectu nostro non contingit, qui de uno in aliud discurrit, propter hoc, quod species intelligibilis sic repræsentat unum, quod non repræsentat aliud. Unde intelligendo quid est homo, non ex hoc in ipso alia, quæ ei insunt, intelligimus, sed divisim secundum quandam successionem. Et propter hoc ea, quæ seorsum intelligimus, oportet nos in unum redigere per modum compositionis, vel divisionis enuntiationem formando : sed species intellectus divini, scilicet ejus essentia, sufficit ad demonstranda omnia. Unde intelligendo essentiam suam cognoscit essentias omnium, et quæcunque eis accidere possunt.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procederet, si Deus cognosceret enuntiabilia per modum enuntiabilium.

Ad secundum dicendum, quod compositio enuntiabilis significat aliquid esse rei. Et sic Deus per suum esse, quod est ejus essentia, est similitudo omnium eorum, quæ per enuntiabilia significantur.

Conclusio affirmat.

Circa quam plura præcedenti articulo diximus.

ARTICULUS XV.

Utrum scientia Dei sit variabilis?

1. Ad decimum quintum sic proceditur. Videtur, quod scientia Dei sit variabilis. Scientia enim relative dicitur ad scibile : sed ea, quæ important relationem ad creaturam, dicuntur de Deo ex tempore, et variantur secundum variationem creaturarum : ergo scientia Dei est variabilis secundum variationem creaturarum.

2. Præterea. Quidquid potest Deus facere, potest scire : sed Deus potest plura facere, quam faciat : ergo potest plura scire, quam sciat : et sic scientia sua potest variari secundum augmentum, et diminutionem.

3. Præterea, Deus scivit Christum nasciturum. Nunc autem nescit Christum nasciturum, quia Christus nasciturus non est : ergo non quidquid Deus scivit scit : et ita scientia Dei videtur esse variabilis.

Sed contra est, quod dicitur Jacobi 1. quod *apud Deum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

Respondeo dicendum, quod cum scientia Dei sit ejus substantia, ut ex dictis patet : sicut substantia ejus est omnino immutabilis, ut supra ostensum est, ita oportet scientiam ejus omnino invariabilem esse.

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus, et creator, et hujusmodi important relationes ad creaturas, secundum quod in se ipsis sunt. Sed scientia Dei importat relationem ad creaturas, secundum quod sunt in Deo : quia secundum hoc est unumquodque intellectum in actu, quod est in intelligente. Res autem creatæ sunt in Deo invariabiliter, in se ipsis autem variabiliter. Vel aliter dicendum est, quod Dominus, et creator, et hujusmodi important relationes, quæ consequuntur actus, qui intelliguntur terminari ad ipsas creaturas, secundum quod in se ipsis sunt : et ideo hujusmodi relationes, varie de Deo dicuntur secundum variationem creaturarum. Sed scientia, et amor, et hujusmodi important relationes, quæ consequuntur actus, qui intelliguntur in Deo esse. Et ideo invariabiliter prædicantur de Deo.

Ad secundum dicendum, quod Deus scit etiam ea, quæ potest facere, et non facit. Unde ex hoc, quod potest plura facere, quam facit, non sequitur, quod possit plura scire, quam sciat, nisi hoc referatur ad scientiam visionis, secundum quam dicitur scire ea, quæ sunt in actu secundum aliquod tempus. Ex hoc tamen, quod scit, quod aliqua possunt esse, quæ non sunt, vel etiam non esse, quæ sunt, non sequitur, quod scientia sua sit variabilis; sed quod cognoscat rerum variabilitatem. Si tamen aliquid esset, quod prius Deus nescivisset, et postea sciret, esset ejus scientia variabilis : sed hoc esse non potest : quia quidquid est, vel potest esse secundum aliquod tempus, Deus in æterno suo scit. Et ideo ex hoc, quod ponitur aliquid esse secundum quodcunque tempus, oportet poni, quod ab æterno sit scitum a Deo. Et ideo non debet concedi, quod Deus possit plura scire, quam sciat : quia hæc propositio implicat, quod ante nesciverit, et postea sciat.

Ad tertium dicendum, quod antiqui nominales dixerunt idem esse enunciabile Christum nasci, et esse nasciturum, et esse natum; quia eadem res significatur per hæc tria, scilicet nativitas Christi, et secundum hoc sequitur, quod Deus quidquid scivit sciat; quia modo scit Christum natum, quod significat idem ei, quod est Christum esse nasciturum. Sed hæc opinio falsa est. Tum quia diversitas partium orationis diversitatem enunciabilium causat. Tum etiam : quia sequeretur, quod propositio, quæ semel est vera, esset semper vera, quod est contra Philosophum, qui dicit, quod hæc oratio : sortes sedet, vera est eo sedente; et eadem falsa est eo surgente. Et ideo concedendum est, quod hæc non est vera, quidquid Deus scivit scit, si ad enunciabilia referatur; sed ex hoc non sequitur, quod scientia Dei sit variabilis. Sicut enim absque variatione divinæ scientiæ est, quod sciat unam, et eandem rem quandoque esse, et quandoque non esse, ita absque variatione divinæ scientiæ est, quod scit aliquod enunciabile quandoque esse verum, et quandoque esse falsum. Esset autem ex hoc scientia Dei variabilis, si enunciabilia cognosceret per modum enunciabilium componendo, et dividendo, sicut accidit in intellectu nostro. Unde cognitio nostra variatur, vel secundum veritatem, et falsitatem : puta si mutata re eandem opinionem de re illa retineamus. Vel secundum diversas opiniones, ut si primo opinemur aliquem sedere, et postea opinemur eum non sedere : quorum neutrum potest esse in Deo.

Conclusio negat.

Circa quam plura possent dici, nisi in tracta-

tu de Voluntate Dei, quam plura huc spectantia, circa immutabilitatem divinæ voluntatis, circa actus liberos Dei dicenda essent.

ARTICULUS XVI.

Utrum Deus de rebus habeat scientiam speculativam?

1. Ad decimum sextum sic proceditur. Videtur, quod Deus de rebus non habeat scientiam speculativam. Scientia enim Dei est causa rerum, ut supra ostensum est, sed scientia speculativa non est causa rerum scitarum: ergo scientia Dei non est speculativa.

2. Præterea scientia speculativa est per abstractionem a rebus; quod divinæ scientiæ non competit: ergo scientia Dei non est speculativa.

Sed contra, omne, quod est nobilius, Deo est attribuendum; sed scientia speculativa est nobilior, quam practica, ut patet per Philosophum in principio Metaphys. ergo Deus habet de rebus scientiam speculativam.

Respondeo dicendum, quod aliqua scientia est speculativa tantum, aliqua practica tantum, aliqua vero secundum aliquid speculativa, et secundum aliquid practica. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod aliqua scientia potest dici speculativa tripliciter.

Primo ex parte rerum scitarum, quæ non sunt operabiles a sciente. Sicut est scientia hominis de rebus naturalibus, vel divinis.

Secundo, quantum ad modum sciendi. Ut puta, si ædificator consideret domum diffiniendo, et dividendo, et considerando universalia prædicata ipsius. Hoc siquidem est operabilia modo speculativo considerare, et non secundum quod operabilia sunt. Operabile enim est aliquid per applicationem formæ ad materiam, non per resolutionem compositi in principia universalia formalia.

Tertio, quantum ad finem. Nam intellectus practicus differt a speculativo, sicut dicitur in 3. de Anima. Intellectus enim practicus ordinatur ad finem operationis; finis autem intellectus speculativi est consideratio veritatis. Unde si quis ædificator consideret qualiter posset fieri aliqua domus, non ordinans ad finem operationis, sed ad cognoscendum tantum, erit (quantum ad finem) speculativa consideratio, tamen de re operabili. Scientia igitur, quæ est speculativa ratione ipsius rei scitæ, est peculativa tantum. Quæ vero speculativa est secundum modum, vel finem, est secundum quid speculativa, et secundum quid practica. Cum vero ordinatur ad finem operationis, est simpliciter practica. Secundum hoc ergo dicendum est, quod Deus de se ipso habet scientiam speculativam tantum: ipse enim operabilis non est. De omnibus vero aliis habet scientiam, et speculativam, et practicam, speculativam quidem quantum ad modum. Quicquid enim in rebus nos speculative cognoscimus diffiniendo, et dividendo, hoc totum Deus multo perfectius novit. Sed de iis, quæ potest quidem facere, sed secundum nullum tempus facit, non habet practicam scientiam, secundum quod practica scientia dicitur a fine. Sic autem habet practicam scientiam de his, quæ secundum aliquod tempus facit. Mala vero licet ab eo non sint operabilia, tamen sub cognitione practica ipsius cadunt: sicut et bona, in quantum permittit, vel impedit, vel ordinat ea, sicut et ægritudines cadunt sub practica scientia medici in quantum per artem suam curat eas.

Ad primum ergo dicendum, quod scientia Dei est causa, non quidem sui ipsius, sed aliorum. Quorundam quidem actu, scilicet eorum, quæ secundum aliquod tempus fiunt. Quorundam vero virtute, scilicet eorum, quæ potest facere, et tamen nunquam fiunt.

Ad secundum dicendum, quod scientiam esse acceptam a rebus scitis, non per se convenit scientiæ speculativæ, sed per accidens in quantum est humana.

Ad id vero, quod in contrarium objicitur, dicendum, quod de operabilibus perfecta scientia non habetur, nisi sciantur in quantum operabilia sunt. Et ideo cum scientia Dei sit omnibus modis perfecta, oportet, quod sciat ea, quæ sunt a se operabilia in quantum hujusmodi, et non solum, secundum quod sunt speculabilia. Sed tamen non recedit a nobilitate speculativæ scientiæ, quia omnia alia a se videt in se ipso. Seipsum autem speculative cognoscit, et sic speculativa sui ipsius scientia habet cognitionem speculativam, et practicam omnium aliorum.

Conclusio. Deus de se ipso tantum habet scientiam speculativam, de aliis vero simul practicam, et speculativam.

Sed de materia hujus articuli plura diximus art. 8. ostendentes, scientiam Dei esse causam rerum: et ideo nihil in præsenti superest dicendum.

INDEX TRACTATUUM

DISPUTATIONUM, ET DUBIORUM,

Quæ in hoc Primo Tomo una cum Quæstionibus, et Articulis Divi Thomæ continentur.

QUÆSTIO III.

De Simplicitate Dei. fol. 6
Art. 1. Utrum Deus sit corpus? ibidem.
Art. 2. Utrum in Deo sit compositio formæ, et materiæ? 7
Art. 3. Utrum sit idem Deus, quod sua essentia, vel natura? ibid.
Art. 4. Utrum in Deo sit idem essentia, et *esse*? ibid.
Art. 5. Utrum Deus sit in genere aliquo? 8
Art. 6. Utrum in Deo sint aliqua accidentia? ibid.
Art. 7. Utrum Deus sit omnino simplex? 9
Art. 8. Utrum Deus in compositionem aliorum veniat? ibid.

TRACTATUS I.

De principio individuationis substantiæ materialis, et accidentium ejus. 11

Disputatio I.

De principio individuationis substantiæ materialis, et accidentium ejus. 11
Dub. 1. Utrum forma substantialis se ipsa sit individua, et primum principium individuationis, et distinctionis pure individualis totius compositi? ibid.
Dub. 2. Utrum materia secundum se, et præcise sumpta, an vero materia signata quantitate sit primum, et radicale principium individuationis totius compositi substantialis? 22
Dub. 3. Utrum materia signata quantitate, prout dicit compositum quoddam ex materia, et quantitate, tanquam ex forma inhærente, et constituente, sit prima radix individuationis compositi? 34
Dub. 4. Utrum materia signata quantitate, prout dicit modum quendam substantialem, ex natura rei diversum a materia, et eam determinantem ad hanc potius quantitatem, quam ad illam habendam, sit prima radix individuationis substantiæ materialis, et formæ substantialis illius? 49
Dub. 5. Utrum materia signata quantitate, prout dicit materiam, ut præhabentem per modum radicis hanc potius quantitatem, quam illam, sit prima radix individuationis substantiæ materialis completæ, atque adeo formæ substantialis illius? 52

Disputatio II.

De principio individuationis accidentium. 64
Dub. 1. Utrum subjectum sit prima radix, et principium individuationis accidentium, et distinctionis pure individualis eorum? 65
Dub. 2. Utrum quantitas hoc sibi peculiare vendicet, et quodammodo ex se, tanquam a prima radice individuetur? 70
Dub. 3. Utrum essentialiter repugnet distinctioni pure numericæ accidentium, ut tali, quod duo ex illis numero solum diversa sint simul in eodem subjecto? 82

TRACTATUS II.

In quæst. 12. primæ part. Divi Thomæ. De Visione Dei. 90

QUÆSTIO XII.

Quomodo Deus a nobis cognoscatur. 90
Art. 1. Utrum aliquis intellectus creatus possit Deum videre per essentiam? 92

Disputatio I.

De possibilitate, et appetibilitate visionis Dei per essentiam a creatura intellectuali. 93
Dub. 1. Utrum visio clara Dei per essentiam sit possibilis intellectui creato? ibid.
Dub. 2. Utrum SS. Patres cognoverint, possibilem esse intellectui creato visionem Dei per essentiam? 99
Dub. 3. Utrum possibilitas visionis Dei per essentiam ab intellectu creato possit evidenter cognosci per lumen naturæ? 103
Dub. 4. Utrum in natura intellectuali secun-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

dum se sumpta sit appetitus innatus ad visionem Dei per essentiam? 110
Dub. 5. Utrum detur in creatura intellectuali secundum se sumpta appetitus elicitus, et naturalis respectu visionis claræ Dei? 114
Art. 2. Utrum essentia Dei ab intellectu creato per aliquam similitudinem videatur? 118

Disputatio II.

De similitudine, seu specie requisita ad visionem claram Dei. 119
Dub. 1. Utrum juxta mentem D. Thomæ sit admittenda aliqua similitudo creata in ordine ad visionem claram Dei eliciendam? ibid.
Dub. 2. Utrum essentia divina uniatur de facto cum intellectu beati per modum speciei intelligibilis in ordine ad claram Dei visionem? 125
Dub. 3. Utrum essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, concurrat active ad visionem claram Dei? 140
Dub. 4. Utrum sit possibilis per divinam potentiam species impressa creata, per quam Deus quidditative, et prout est in seipso, possit videri? 152
Dub. 5. Utrum prima ratio, quam D. Thom. in hoc articulo adducit, sufficienter convincat impossibilitatem speciei impressæ quidditative, et clare Deum repræsentantis? 157
Dub. 6. Utrum ex secunda ratione D. Thom. sufficienter colligatur impossibilitas speciei impressæ repræsentantis quidditative, et clare Deum, prout est in se ipso? 164
Dub. 7. Quæ specialiter obstent contra secundam rationem D. Thomæ, et quomodo solvenda. 166
Dub. 8. Utrum ultima ratio articuli probet impossibilitatem speciei intelligibilis creatæ, repræsentantis quidditative Deum: ubi etiam argumenta, quæ dub. 4. hujus disp. ex adversariis adduximus, dissolvuntur? 176
Dub. 9. Utrum necessario, et indispensabiliter detur in beatis verbum, seu species expressa repræsentans quidditative Deum, prout est in se? 180
Dub. 10. Utrum recte probetur impossibilitas verbi creati clare, et quidditative repræsentantis Deum, ex eo, quod Deus essentialiter est ipsum *esse* quidditative intellectum, et ita nequit mediante verbo creato quidditative intelligi? 188
Art. 3. Utrum essentia Dei videri possit oculis corporeis? 201
Art. 4. Utrum aliquis intellectus per sua naturalia divinam essentiam videre possit? ibid.

Disputatio III.

De impossibilitate visionis Dei, prout est in se, per vires creatas ordinis naturalis, vel alicui intellectui creato connaturales. 202
Dub. 1. Utrum per potentiam Dei absolutam sit possibilis aliquis intellectus, qui per vires proprias ordinis naturalis possit videre Deum prout est in se? ibid.
Dub. 2. Utrum sint possibiles per divinam potentiam aliqua substantia, aliquisque intellectus, quibus sit connaturale lumen gloriæ, et possint ex propriis viribus videre Deum per essentiam? 206
Art. 5. Utrum intellectus creatus ad videndum Dei essentiam aliquo creato lumine indigeat? 219

Disputatio IV.

De necessitate luminis gloriæ ad videndum divinam essentiam, prout est in se. 219
Dub. 1. Utrum lumen gloriæ concurrat ad visionem Dei, prout est in se, per modum speciei impressæ? 220
Dub. 2. Utrum lumen gloriæ sit dispositio necessaria, ad hoc, ut essentia divina in ratione formæ seu speciei intelligibilis uniatur intellectibus beatorum? 226
Dub. 3. Utrum lumen gloriæ ad visionem Dei recipiendam necessario desideretur? 231
Dub. 4. Utrum per potentiam Dei absolutam possit intellectus creatus sine lumine gloriæ per solam suam potentiam obedientialem, addito tamen influxu concomitante in visionem, non vero aliquo alio prævio, in eundem intellectum, illam elicere? 235
Dub. 5. Utrum per divinam potentiam possit in ratione luminis divina essentia uniri intellectui creato, et ita constituere illum absque creato lumine in actu primo ad videndum Deum, ut est in se? 242
Art. 6. Utrum videntium Dei essentiam unus alio perfectius videat? 249

Disputatio V.

De æqualitate, et inæqualitate visionum in beatis. 250
Dub. 1. Utrum inter visiones beatificas reperiatur inæqualitas? ibid.
Dub. 2. Utrum inæqualitas reperta in visionibus beatificis non solum sit intensiva, et extensiva, sed etiam essentialis, et specifica? 252
Dub. 3. Utrum melior potentia intellectiva cum æquali lumine gloriæ clarius essentiam divinam intueatur? 258
Art. 7. Utrum videntes Deum per essentiam ipsum comprehendant? 266

Disputatio VI.

De incomprehensibilitate Dei ab intellectu creato. 267
Dub. unic. Utrum per divinam potentiam possit intellectus creatus comprehendere Deum? ibid.
Art. 8. Utrum videntes Deum per essentiam omnia videant in Deo? 278

Disputatio VII.

De iis, quæ viso Deo in eo videntur, aut videri possunt. 279
Dub. 1. Utrum videntes Deum videant omnia absoluta, quæ formaliter, et omnino necessario sunt in illo? ibid.
Dub. 2. Utrum divina essentia possit videri sine personis, vel una persona sine alia? 281
Dub. 3. Utrum beati ex vi visionis divinæ essentiæ possint videre, et de facto videant decreta libera Dei? 289
Dub. 4. Utrum ex vi visionis divinæ essentiæ possint, aut debeant videri effectus existentes in aliqua differentia temporis? 294

Dub. 5. Utrum ex vi visionis divinæ essentiæ possint videri creaturæ possibiles? 300
Art. 9. Utrum ea, quæ videntur in Deo, a videntibus divinam essentiam per aliquas similitudines videantur? 310
Art. 10. Utrum videntes Deum per essentiam, simul videant omnia, quæ in ipso vident? 311
Art. 11. Utrum aliquis in hac vita possit videre Deum per essentiam? ibid.
Art. 12. Utrum per rationem naturalem Deum in hac vita cognoscere possimus? 312
Art. 13. Utrum per gratiam habeatur altior cognitio Dei, quam ea, quæ habetur per rationem naturalem? 313

TRACTATUS III.

In quæst. 14. primæ part. Angelici Doctoris,

QUÆSTIO XIV.

De Scientia Dei. 315
Dub. unic. Utrum ea, quæ D. Thomas in procœmio hujus quæst. docet, sint vera? 316
Art. 1. Utrum in Deo sit scientia? 318

Disputatio I.

De scientia Dei, quoad *an est*? 318
Dub. 1. Utrum cognitio intellectiva sit formaliter in Deo? ibid.
Dub. 2. Utrum ex eo, quod Deus sit summe immaterialis, recte probet Ang. Doct. eum esse summe intelligentem? 321
Dub. 3. Utrum in Deo sit scientia proprie, et formaliter dicta, et respectu quorum? 322
Dub. 4. Utrum scientia Dei sit attributum illius? 339

Disputatio II.

De duplici discrimine, quod D. Thom. in hoc articulo inter cognoscentia, et non cognoscentia constituit. 350
Dub. 1. Utrum sit vera prima differentia, quam D. Thom. assignat inter cognoscentia, et non cognoscentia, quod hæc tantum habent suam formam, illa vero habent etiam formas aliarum rerum? ibid.
Dub. 2. Utrum cognoscentia non solum habeant formam rei alterius; sed etiam fiant per identitatem aliæ res in *esse* cognoscibili, sive repræsentativo? 368
Art. 2. Utrum Deus intelligat se? 387

Disputatio III.

De intellectione, et scientia Dei quoad ejus primarium objectum. 387
Dub. 1. Utrum Deus se ipsum primario intelligat? ibid.
Dub. 2. Utrum objectum per se primum, et specificativum intellectionis essentialis Dei sit divina essentia, ut distincta ab attributis, et relationibus: an vero ut omnia hæc formaliter, et expresse dicit? 392
Art. 3. Utrum Deus comprehendat seipsum? 402
Art. 4. Utrum ipsum *intelligere* Dei sit ejus substantia? 403

Disputatio IV.

De *intelligere* Dei quoad vim, quam habet ad constituendam divinam essentiam, et naturam. 403
Dub. 1. Utrum constitutivum divinæ essentiæ, vel naturæ sit sola ratio substantiæ spiritualis a se, seu per essentiam talis, prout distincta virtualiter a ratione substantiæ intelligentis per essentiam, sive radicaliter, et in actu primo, sive in actu secundo? ibid.
Dub. 2. Utrum constitutivum divinæ essentiæ, seu naturæ sit sola ratio substantiæ radicaliter, et per essentiam intellectivæ, prout distinctæ virtualiter ab intellectione per essentiam, an vero prout absque omni distinctione virtuali est ipsamet intellectio? 414
Art. 5. Utrum Deus cognoscat alia a se? 429
Art. 6. Utrum Deus cognoscat alia a se propria cognitione? ibid.
Art. 7. Utrum scientia Dei sit discursiva? 430
Art. 8. Utrum scientia Dei sit causa rerum? 431

Disputatio V.

De scientia Dei quoad ejus causalitatem erga creaturas. 431
Dub 1. Utrum scientia Dei sit aliquo modo causa rerum? ibid.
Dub. 2. Quænam scientia Dei sit causa rerum? 433
Dub. 3. Utrum sicut scientia Dei formaliter sumpta, est causa dirigens ad productionem creaturarum, ita etiam sit principium immediate effectivum, et exequens productionem earundem? 442
Art. 9. Utrum Deus habeat scientiam non entium? 459
Art. 10. Utrum Deus cognoscat mala? 460

Disputatio VI.

De scientia Dei collata cum malis. 460
Dub. 1. Utrum Deus cognoscat mala? ibid.
Dub. 2. Utrum Deus necessario cognoscat mala per bona creata? 461
Art. 11. Utrum Deus cognoscat singularia? 466
Art. 12. Utrum Deus possit cognoscere infinita? 467
Art. 13. Utrum scientia Dei sit futurorum contingentium? ibid.

Disputatio VII.

De *an est*? scientiæ Dei, respectu futurorum contingentium absolutorum, et de iis, in quibus nequeunt ab eo certo cognosci. 468
Dub. 1. Quid, et quotuplex sit futurorum contingens? 469
Dub. 2. Utrum Deus certo sciat futura contingentia absoluta? 470
Dub. 3. Utrum Deus certo sciat futura libera absoluta per suam essentiam, et divinas ideas, ut repræsentant veritatem ipsorum antecedenter ad decretum suæ voluntatis? 477
Dub. 4. Utrum Deus certo cognoscat futura contingentia absoluta in decreto libero suæ

voluntatis, non quidem, ut præsenti, sed ut futuro? 484
Dub. 5. Utrum Deus certo cognoscat futura contingentia absoluta, et aliquo modo pendentia a libertate creata in comprehensione causarum secundarum antecedenter ad liberam divinæ voluntatis determinationem? 495
Dub. 6. Utrum Deus certo cognoscat futura contingentia absoluta in eorum veritate objectiva antecedenter ad divinum decretum? 500

Disputatio VIII.

De scientia Dei respectu futurorum contingentium absolutorum, quoad ea, in quibus certo ab illo cognoscuntur. 524
Dub. 1. Utrum Deus certo cognoscat cuncta futura contingentia absoluta in decreto exercito suæ voluntatis, antecedenter ad quamlibet eorum infallibilem futuritionem, seu in sua essentia determinata per tale decretum? ibid.
Dub. 2. Utrum juxta Scripturam, et Patres, præcipue vero D. Thom. futura contingentia absoluta sint ab æterno realiter, et physice præsentia Deo in mensura æternitatis, et ratione hujus præsentiæ certo ab illo cognoscantur? 536
Dub. 3. Utrum sufficienti ratione probetur, futura contingentia absoluta fuisse ab æterno, et esse nunc realiter, et physice præsentia Deo in mensura æternitatis, et ratione hujus præsentiæ certo ab illo cognosci? 548
Dub. 4. Utrum æternitas, et præsentia jam explicata futurorum in illa sit omnino necessaria, ad hoc, ut Deus certo, et infallibiliter cognoscat futura contingentia absoluta, antequam sint præsentia in sua propria, et adæquata mensura, seu quoad nos? 567

Disputatio IX.

De scientia futurorum conditionatorum, quam Deus in suo decreto efficaci, conditionato tamen habet. 574
Dub. 1. De multiplici divisione futuri conditionati, et quænam ex illis ad præsentem disputationem spectent. ibid.
Dub. 2. Utrum juxta Scripturam sacram Deus certo sciat futura contingentia conditionata, sive illa sint disparata, pendentia tamen tam quoad conditionem, quam quoad eventum a causis liberis, sive non sint disparata, sed habentia connexionem tantum probabilem, sive conjecturalem cum conditione? 576
Dub. 3. Utrum juxta Sanctorum Patrum mentem Deus cognoscat omnino certo, et infallibiliter futura contingentia conditionata, sive sint disparata, modo dicto, sive habeant probabilem connexionem cum eventu futuro? 583
Dub. 4. Utrum sufficienti ratione ostendatur, Deum certo, et omnino infallibiliter cognoscere tam futura contingentia conditionata, et disparata, quam ea, quæ tantum habent probabilem, et conjecturalem nexum ex parte objecti cum conditione? 586
Dub. 5. Utrum in Deo sint ponenda decreta conditionata, positiva, et efficacia circa omnia futura contingentia conditionata, et an eis seclusis, possint prædicta futura omnino certo, et infallibiliter a Deo cognosci? 591

Disputatio X.

De impossibilitate scientiæ mediæ, sive conditionatæ ex auctoritate petita. 599
Dub. 1. Utrum juxta sacram Scripturam admittenda sit scientia media, sive conditionata? 600
Dub. 2. Utrum juxta mentem Augustini ex testimoniis ejus desumptam colligatur, dandam esse scientiam mediam, sive conditionatam? 610
Dub. 3. Utrum vel juxta principia adversariorum, vel absolute, et simpliciter loquendo, colligatur ex effectibus doctrinæ Augustini, vel ex aliis signis, quod juxta ejus mentem sit rejicienda scientia media, sive conditionata? 622
Dub. 4. Utrum juxta mentem Angelici Doctoris ex testimoniis ejus desumptam, sit danda in Deo scientia media, sive conditionata? 628
Dub. 5. Utrum ex aliquibus aliis signis colligatur, quod juxta Divi Thomæ mentem non sit danda scientia media? 632
Dub. 6. Utrum scientia media a tempore Augustini, usque ad hæc tempora perenniter fluxerit, et a Theologis tam junioribus, quam antiquis, maxime vero ab iis, qui Concil. Trident. interfuerunt, approbata fuerit? 634
Dub. 7. Utrum scientia media a tempore August. et antiquorum Patrum, usque ad annum 1560. antiquos scholasticos latuerit, et a junioribus Theol. ex doctrina eorundem Patrum eruta sit, an vero a prædictis antiquis Theolog. et Scholasticis cognita, et reprobata fuerit? 638
Dub. 8. Quomodo ex dictis deducatur, doctrinam negantem scientiam mediam præferendam esse doctrinæ illam adstruenti: ubi specialiter Doctores negantes prædictam scientiam mediam recensentur. 648

Disputatio XI.

De impossibilitate scientiæ mediæ ex defectu necessitatis ejus, et ex incomposibilitate illius cum aliis, quæ sunt in Deo desumpta. 651
Dub. 1. Utrum scientia media sit Deo necessaria, ad hoc, ut certo possit prædestinare, vel consensum voluntatis creatæ absque læsione suæ libertatis efficaciter prædiffinire, an vero utrunque horum tollat? 652
Dub. 2. Utrum ex alio etiam capite scientia media sit incomposibilis cum divina prædestinatione, respecta adultorum? 657

Disputatio XII.

De impossibilitate scientiæ mediæ, tam a priori, aut quasi a priori, quam ex variis inconvenientibus deprompta. 662
Dub. 1. Utrum impossibilitas scientiæ mediæ ratione a priori, aut quasi a priori sufficienter ostendatur? ibid.
Dub. 2. Utrum scientia media sit impossibilis, ex eo, quod per eam tollatur a Deo ratio primæ causæ, primique auctoris gratiæ? ibid.
Dub. 3. Utrum scientia media sit impossibilis, ex eo, quod sequatur ex ea, Deum non posse adimplere ea, quæ promittit circa fidem, vel conversionem creaturæ rationalis, ex facultate suæ omnipotentiæ, sed potius ex præscientia nostri futuri consensus? 666
Dub. 4. Utrum scientia media repugnet, ex eo, quod ex illa colligatur, Deum concurrere ad

actus nostros liberos cœco, et ignoranti modo, et absque intentione illorum in particulari? 667
Art. 14. Utrum Deus cognoscat enunciabilia? 669
Art. 15. Utrum scientia Dei sit variabilis? ibid.
Art. 16. Utrum Deus de rebus habeat scientiam speculativam? 670

INDEX LOCORUM

SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ IN HOC PRIMO TOMO CONTINENTUR.

Numerus paginam demonstrat.

EX VETERI TESTAMENTO.

EX GENESI.

1. *In principio creavit Deus cœlum, et terram.* 537 550 552
3. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est,* etc. *Nunc ergo ne forte mittat manum suam.* 570

EX EXODO.

4. *Si non crediderint tibi, nec audierint sermonem signi prioris.* 577

EX DEUTERONOMIO.

4. *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus.* 576
18. *Quod si tacita cogitatione responderis, quomodo possum intelligere?* 582

EX I. REGUM.

23. *Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus.* 580

EX III. REGUM.

11. *Non ingrediemini ad eas, nec ingredientur ad vestras.* 580

EX IV. REGUM.

13. *Si percussisses quinquies, aut sexies,* etc., *percussisses Syriam, usque ad consummationem.* 577
20. *Morieris tu, et non vives.* 582

EX ESTHER.

14. *Te, Domine, qui habes omnium scientiam.* 334

EX JOB.

11. *Ipse enim novit hominum vanitatem, et videns iniquitatem nonne considerat?* 461
12. *Apud ipsum est sapientia et fortitudo, ipse habet consilium et intelligentiam.* 318
14. *Numerus mensium ejus apud te est.* 539
21. *Numquid Deum docebit quispiam scientiam?* 334
31. *Nonne ipse considerat vias meas?* 319

EX PSALMIS.

13. *Dominus prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens.* 161
32. *Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt.* 316
35. *In lumine tuo videbimus lumen.* 246
50. *Sacrificium dedissem utique.* 579
68. *Delicta mea a te non sunt abscondita.* 161
77. *Quanta mandavit patribus nostris facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera. Filii qui nascentur, et exurgent, et narrabunt filiis suis.* 610
89. *Priusquam montes fierent,* etc., *aut formaretur terra.* 537
93. *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.* 319 470
93. *Intelligite insipientes, et stulti aliquando sapite.* 319
93. *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? qui docet hominem scientiam,* etc. 319
103. *Omnia in sapientia fecisti.* 432
134. *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo, et in terra.* 527
135. *Qui fecit cœlos in intellectu.* 432
137. *Excelsus Dominus, et humilia respicit.* 319
138. *Mirabilis facta est scientia tua.* 334
138. *Intellexisti cogitationes meas.* 471
148. *Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt.* 316

Ex Proverbiis.

3. *Dominus sapientia fundavit terram.* 432
15. *Infernus, et perditio coram Domino.* 461

Ex lib. Ecclesiastes.

23. *Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt cognita.* 471

Ex Canticis.

3. *Tenui eum, nec dimittam.* 268
6. *Pulchra ut luna.* 644

Ex lib. Sapientiæ.

4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* 583 586 611
8. *Quis eorum quæ sunt magis quam illa est artifex?* 432
19. *Præsciebat Deus futura illorum.* 542

Ex Ecclesiastico.

1. *Omnis sapientia a Domino Deo est.* 319
39. *Opera omnis carnis coram illo.* 539
42. *Cognovit enim Dominus omnem scientiam.* 334

Ex Isaia.

6. *Vidi Dominum.* 100
7. *Ecce Virgo concipiet.* 581
14. *Juravit Dominus exercituum dicens : Si non putavi ita erit.* 527
38. *Morieris tu, et non vives.* 582
40. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram illo.* 465
41. *Annuntiate quæ ventura sunt, et sciemus quia dii estis vos.* 471

Ex Jeremia.

26. *Noli subtrahere verbum, ne forte audiant.* 435 579
32. *Fortissime, magne, potens Dominus.* 271
38. *Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, vivet anima tua.* 580

Ex Daniele.

13. *Domine, qui nosti omnia, antequam fierent.* 471

Ex Habacuc.

1. *Mundi sunt oculi tui, ad iniquitatem respicere non poteris.* 460

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matth.

5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* 95 101
7. *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris,* etc. 465
8. *Magister, sequar te quocunque ieris.* 584
8. *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* ibid.
11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida,* etc. 578 602
11. *Si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te.* 576 579
11. *Verumtamen Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis.* 578
11. *Et tu Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis?* 579
16. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* 615
18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei,* etc. 95
20. *Pares nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, et æstus.* 251
24. *De die autem illa, et hora nemo scit,* etc. 299

Ex Marco.

13. *De die autem illa nemo scit.* 299

Ex Luca.

9. *Sequar te quocunque ieris.* 584
9. *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* ibid.
10. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida,* etc. 578 602
16. *Si Moysen, et Prophetas non audiunt.* 580
18. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* 465

Ex Joanne.

4. *Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi : Da mihi bibere.* 579
5. *Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi.* ibid. et 580
6. *Jesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum.* 580
6. *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* 655
8. *Si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis.* 579
14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* 250
14. *Vado parare vobis locum.* ibid.
14. *Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum.* 283
14. *Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est?* ibid.
14. *Nunc dixi vobis prius quam fiant, ut cum factum fuerit credatis.* 471
15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* 658
18. *Unigenitus qui est in* [illegible] etc.

8. *Pœ*

tua, et roga Deum si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. 579

Ex Paulo ad Roman.

4. *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.* 538
4. *Patrem multarum gentium posui te ante Deum.* 539 666
8. *Scimus quoniam diligentibus Deum,* etc. 460
8. *Quos præscivit, et prædestinavit.* 542
9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni, aut mali egissent, Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* 657
9. *Voluntati ejus quis resistit?* 527
11. *Non repulit Deus plebem suam.* 542
11. *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!* 315 334 617
11. *Incomprehensibilia sunt judicia ejus.* 271

Ex Epist. I. ad Corinth.

1. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* 605
2. *Quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei.* 387
2. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* 580
4. *Ne supra quam scriptum est, unus contra alterum infletur pro alio : quis enim te discernit?* 604
9. *Sic currite, ut comprehendatis.* 268
13. *Videmus nunc per speculum,* etc. 95 et 281
15. *Stella enim differt a stella in claritate : sic et resurrectio mortuorum.* 250

Ex II. ad Corinthios.

9. *Qui parce seminat parce et metet.* 250
12. *Audivi arcana verba.* 102

Ex Epistola ad Ephesios.

1. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* 657

Ex Epistola ad Colossenses.

2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ Dei.* 334

Ex Epistola I. ad Timotheum.

1. *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* 585
1. *Regi sæculorum immortali,* etc. 93
6. *Lucem habitat inaccessibilem,* etc. ibid.

Ex Epistola II.

4. *In quo reposita est mihi corona justitiæ.* 251

Ex Epistola ad Hebræos.

1. *Per quem fecit et sæcula.* 539
11. *Magis eligens affligi cum populo Dei.* 262
11. *Accedentem ad Deum oportet credere.* 272

Ex Jacobo.

1. *Nemo cum tentatur,* etc. 642

Ex Epistola II. Petri Apost.

1. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis.* 471

Ex I. Joan.

3. *Cum apparuerit, similes ei erimus.* 95 154 et 180

ANICII, EX TYPIS M.-P. MARCHESSOU.

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall

Ac 2567

ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

LIBRARY USE ONLY

GTU Library
3 2400 00281 4774

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall.

TU Library
) Ridge Road
ley, CA 94709
10) 649-2500
recall.

DATE DUE

BRODART, CO. Cat. No. 23-221-003